Z IV–3
1. a. 6–
–4.
3
7–23

Z IV–3
1. a. 6–
–4.

3
7–23



R, 13.321

~~BEATI~~

THEODORETI, CYRENSIS EPISCOPI, THEOLOGI VETVSTISSIMI,

OPERA, IN DVOS TOMOS DISTINCTA,
NVNC ITERVM EXCVSA ET
LOCVPLETATA.

QVORVM OMNIVM CATALOGVM, ET SINGVLATIM, QVID HAC NOVA EDITIONE ACCESSERIT, VIDERE EST PAGINA SEQVENTE.

Adiecto rerum ac verborum indice copiosissimo.

TOMVS PRIOR.

COLONIAE AGRIPPINAE
APVD IOANNEM BIRCKMANNVM,
ANNO SALVTIS M. D. LXXIII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæsa. Maiestatis.

CATALOGVS OPERVM BEATI THEODORETI.

TOMI PRIMI.

In
- Genesin. 1.
- Exodum. 27.
- Leuiticum. 40.
- Librum Numerorum. 50.
- Deuteronomium. 59.
- Iesum, filium Naue. 69.
- Librum Iudicum. 74.
- Psalterium. 81.
- Cantica canticorum. 299.
- Ieremiæ prophetiam. 367.
- Baruch prophetiam. 413.
- Ieremiæ lamentationes. 417.
- Ezechielem. 425.

In
- Danielem. 537.
- Osee. 606.
- Ioel. 623.
- Amos. 630.
- Abdiam. 641.
- Ionam. 643.
- Micheam. 649.
- Nahum. 660.
- Habacuc. 665.
- Sophoniam. 671.
- Aggæum. 676.
- Zachariam. 679.
- Malachiam. 699.

Quibus hac editione nunc recèns accessere.

In
- Canticum Mosis in Exitu. 703.
- Canticum Mosis in Deuteronomio. 706.
- Canticum Annæ, matris Samuelis. 712.
- Canticum Abacuc. 713.
- Orationem Esaiæ. 717.
- Preces Ionæ. 722.
- Precationem Ezechiæ. 723.
- Precationem trium puerorum. 725.

In
- Hymnum trium puerorum. 727.
- Canticum Mariæ Dei genitricis. 728.
- Precationem Zachariæ. 729.
- Precationem Simeonis. ibid.
- Librum Iudicum. 731.
- Librum Ruth. 732.
- Libros Regum. 734.
- Libros Paralipomenon. 780.

TOMI SECVNDI.

In Epistolas Pauli, ad
- Romanos. 6.
- Corinthios, priorem. 48.
- Corinthios, posteriorem. 82.
- Galatas. 101.
- Ephesios. 112.
- Philippenses. 124.
- Colossenses. 132.
- Thessalonicenses, priorem. 140.
- Thessalonicenses, posteriorem. 147.
- Hebræos. 152.
- Timotheum, priorem. 177.
- Timotheum, posteriorem. 187.
- Titum. 194.
- Philemonem. 197.

Ecclesiasticæ Historiæ libri quinque. 199.
Eranistes, seu Polymorphus. 296.
Hæreticarum fabularum libri quinque. 368.
Diuinorum decretorum epitome. 391.
Θεοφιλής, id est, Religiosa Historia. 420.
De Euangelicæ veritatis ex Græcorum atque Gentium philosophia cognitione, siue de Græcarum affectionum curatione, libri duodecim. 479.
De Prouidentia sermones decem. 576.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS VITA, EX HISTORIA ECCLESIASTICA NICEPHORI CALLISTI, ET IPSIVS THEODORETI COLLECTA.

THEODORETVS Antiochiæ religiosis ac nobilibus parentibus nõ sine miraculo nascitur. Cùm enim mater optata prole diu caruisset, & propter naturæ infœcunditatẽ omnem spem hæredis abiecisset, amplasque facultates alendis monachis, qui frequentissimi, & sanctissimi in Syria tunc erant, ob diuinum amorem conuertisset; eorum precibus, à Deo vt filium susciperet obtinuit, ea conditione, vt illum eius obsequio perpetuò manciparet: quod mater fideliter præstitit, ac in filij nomine Theodori nimirum testatum esse voluit, qui deinde & parentum cura, & ingenij bonitate breui tantum in pietate, ac literis profecit, vt iuuenis etiam num consecratus sit Episcopus Cyri (quod est Syriæ oppidum à Iudæis, vt inquit Procopius, in memoriam beneficij à Cyro Persarum Rege accepti ob libertatem, & patriam donatam conditum) quo in munere quàm se strenuè gesserit, intelliget qui eius Dei amantium historiam leget: tum in hæreticis ad ecclesiam reducendis, erant enim in eius diœcesi Marcionis peste infecti integri pagi, quos omnes magno cum labore, vitæque discrimine Catholicæ Ecclesiæ conciliauit: tum in Sanctorum reliquijs officiosè vndique conquirendis, & in eorum honorem templis magnificè ædificandis: tum denique (domesticam pietatem imitatus) in sanctis monachis inuisendis, alendisque, cum quorum antesignanis ac ducibus, admirando nimirum Simeone, qui Stilites, quòd in columna inaudito viuendi more habitaret, dicebatur, Iacobo Nizibeno, qui mortuum vitæ restituit, aliisque quorum vitas elegantissimè conscriptas posteris reliquit, summa charitate coniunctus erat. Fuit autem sectator magni Ioannis Chrysostomi: illum enim sibi quasi primarium exemplar stylo conformando propositum habuit, ideo fluidus admodum & copiosus, in elocutione facilis, & Atticam gratiam redolens. Eius autem in scripturis sanctis studium significant elucubrata ab eo commentaria, quæ hæc sunt, vt Nicephorus refert: Enarrationes in vetus testamentum, cuius etiam obscurorum locorum expositiones in peculiarem contulit librum: opus aliud in sexdecim Prophetas: aliud itidem in Psalterium: de Prouidentia liber alius: alius in Apostolum: aduersus Hæreses omnes volumen, quod mendacij & veritatis discrimen inscripsit: liber quem contra duodecim capita Cyrilli conscripsit: item Ecclesiastica historia: & rursus φιλοθέῳ, hoc est, Dei amantium historia, in qua institutum eorum, qui ætate sua vitam sanctam transegerunt, persequitur: libri tres de diuinis dogmatibus in dialogo conscripti. præterea supra quingentas eius epistolas Græco sermone optimè composi-

tas, ipſe Nicephorus ait legiſſe, quorum lucubrationum maxima pars ab ipſo B. Theodoreto in ſua præfatione huius interpretationis mentio facta eſt. Illud vnum ſilentio non prętereundum puto, inter hunc, & Cyrillum ſanctiſsimum & Orthodoxum Epiſcopum, magnam aliquando contentionem ortam, zelo magis & ſtudio religionis, quo vterque maximo ardebat ob inſignem pietatem. Cùm enim ob pullulantem Neſtorij Conſtantinopolitani Epiſcopi pernicioſam hæreſim Epheſi indicta eſſet Synodus, Cyrillus, qui celerius aduenerat, non expectato Ioanne Antiocheno, cæteriſque Syriæ Epiſcopis, Neſtorium dignitate ſpoliatum damnauit: quod cùm Ioannes, cæterique, qui cum eo aduenerant Epiſcopi, inter quos præcipuus erat Theodoretus, quòd ſe non expectaſſet Cyrillus ægrè tuliſſent; ipſius decreta reſciderunt, eundemque rurſus magno conſenſu damnarunt. Theodoſij enim Iunioris Cæſaris ſtudio paulò pòſt Conſtantinopolim Epiſcopis conuocatis, diſsidium illud ſublatum eſt: Neſtorioque impio hæretico concordes, Anathema, dixerunt, redijtque Theodoretus cũ Cyrillo in gratiam. Porrò eius fidei, ac vitæ integritati grauiſsimum teſtimonium dedit Chalcedonenſis celeberrima Synodus ſexcentorum, & eo amplius Epiſcoporum, cùm octaua actione, Theodoreto ipſo præſente, fauſtis, & honorificis acclamationibus catholicus, & Orthodoxus Eccleſiæ paſtor, & doctor appellatus eſt. Teſtificantur idem magni Leonis ſummi Pontificis ad Theodoretum, & ipſius ad Leonem vltro, citroque conſcriptæ epiſtolæ, ex quibus perſpici poteſt, quàm ſtudiosè in illa Hæreſum colluuione conſtanter à maioribus traditam fidem conſeruauerit: dumque hæreſibus cùm ſcriptione, tum oratione extirpandis operam nauat, & in ſanctarum ſcripturarum explanationibus inuigilat, ſub Leone Seniore Cæſare non admodum ſenex moritur: vt cui ſuperuixerit ſanctiſsimus ille Iacobus Nyzibenus, quo iam ſene ipſe iuuenis familiariſsimè vtebatur, atque in eo ſepulchro, quod Iacobo ipſe extruendum curauerat, conditus eſt.

Ex Gennadio Maſsilienſi presbytero in lib. Scriptorum Eccleſiaſticorum.

THeodoretus Cyri ciuitatis Epiſcopus (à Cyro enim Rege Perſarum condita, ſeruat hodie etiam in Syria nomen Auctoris) ſcripſiſſe dicitur multa: ad meam notitiam tamen, iſta ſunt, quę venerunt. De incarnatione Domini aduerſus Eutychem presbyterum, & Dioſcorum Alexandriæ Epiſcopum, qui humanam carnem in Chriſto fuiſſe negant: Scripta fortia, per quæ confirmat & ratione, & teſtimonijs ſcripturarum ita illum veram maternæ ſubſtantiæ carnem habuiſſe, quam ex Virgine matre ſumpſit, ſicut & veram Deitatem, quam æterna naſcibilitate Deo patre gignente ipſe naſcendo accepit: & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, quos imitatus Euſebium Cæſarienſem conſcripſit à fine librorum Euſebij vſque ad ſuum tempus, id eſt, à Vicennalibus Conſtantini, vſque ad Imperium Leonis Senioris, ſub quo & mortuus eſt.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVAE PRIMO TOMO BEATI THEODORETI OPERVM CONTINENTVR, SVMMA CVRA ET INDVSTRIA IN ALPHABETI ORdinem digeſtus. Quem quò lector faciliùs aſſequatur; nouerit numerum priorem, libri paginam; poſteriorem, citatæ paginæverſum deſignare: ſingulaſque paginas in duas partes diuiſas, quarum primam a. alteram b. ſibi vendicat.

A.

AARam quem habuerit patrem. 30.41.b
Aaron puellam ex tribu regia duxit vxorem. 732.34.a
Abel quomodo interpretetur. 16.59.b
abela, ciuitas Palæſtinæ. 755.50.a
abelem occidi Deus cur permiſerit. 11.51.a
Abdiæ pietas. 768.38.b
abdiæ prophetiæ munus quando ſuſceperit. 604.38.
Abiud igne diuino cur conſumptus. 43.58.a
Abominationes ſacra ſcriptura idola nuncupat. 771.39.a
Abrahæ filij qui ſint. 710.30.b. & 735.5.a
abrahæ ſemen Chriſtus eſt. 231.10.a
abrahæ ſemen Deus cur elegerit. 33.50.b
abraham genus ſuum vnde duxerit. 294.35
abraham patriarcha à Deo propheta vocatus eſt. 535.13. & 231.1.b
abraham cũ ancilla ſua Agar cur congreſſus. 18.34.b
abrahamum quid iuſtificauerit. 19.14.a
abrahamum Deus cur tentauerit. 19.39.b
Abſolon patris ſententiam damnauit. 132.55.a
abſolon, amator impiorum, 132.55.a. & 24.b
abſolon, piorum contemptor. ibid.
Abyſſum ſacræ literæ naturam humidam appellant. 228.16.a
abyſſos Dauid militares acies vocat. 138.22.a
Achabi facilitas & leuitas 769.45.b
achar à populo ſuo lapidibus obrutus eſt. 698.64.a
Achaz, homo impius, pater Ezechiæ. 465.21.a
achaz aram in Dei templo ædificare quem iuſſerit. 777.32.a
Achimeles duo habet nomina. 153.4.a
achis vbi regnauerit. 165.38.a
actionum bonarum author, religio eſt. 287.18.b
Adad, rex Damaſci. 409.29.a
Adam indumenta vnde confecerit. 12.49.a
adam vnde formatus. 9.19.a
adam vnde denominatus. ibid.
adam quomodo interpretetur. 56.29.a. & 16.56.b
adamante nihil durius. 639.4.a
adami corpus vnde formatum. 56.29.a
adamo Deus quam pœnam inflixerit. 201.13.b
de Adamo delicti pœnas Deus cur ſumpſerit. 11.42.a & 31.b
adeps quid ſignificet. 183.40.a
adeps frumenti tritici quid ſit. 708.12.b
Ader, filius Azabelis. 631.45.a. & 62.b.
adoleſcentulæ, quæ ſponſam, id eſt, Eccleſiam ſequuntur, quæ ſint. 297.8.
adonai Deum ſignificat. 430.9.a
aduerſa, æquo animo ferenda. 404.40.b
adulterium fornicatione grauius eſt. 477.6.a
AEdom rufum ſignificat. 599.50.b
Aelam vbi ſita. 409.4.b
Aelon ciuitas quæ ſit. 776.59.b
AEgyptiaco populo Aaron vitulum cur effinxerit. 30.19.a
ægyptij ex parte Auſtrali ſunt. 207.47.a
ægyptij ab Aethiopibus quando expugnati. 186.23.a
ægyptijs pœnas Moſes vbi irrogauerit. 192.4.b
ægyptiorum impietas. 192.49.a
ægyptiorum duces Dauid draconum capita vocat. 186.12.a
ægyptiorum finitimi Aethiopes ſunt. 186.20.a
ægyptiorum idololatria. 31.27.a
ægyptiorum regnum Daniel cur beſtiam appellet. 577.44.b
ægyptios Deus quibus plagis affecerit. 192.14.b
ægyptios Dauid dracones appellat. 186.11.a
ægypto Deus per quem vniuerſa flagella inflixerit. 284.20.b
æmulatio ad expugnandum difficilis eſt. 363.16.b
Aeris natura quæ ſit. 3.38.a
aermon quid ſignificet. 356.9.b
æs auro ſolidius eſt. 544.2.b
ætatis rationem Deus nullam habet. 539.64.b
æthiopes quam terræ partem occupent. 181.65.a
Affectus quid ſit. 243.32.a
afflictio patientiam parit. 720.2.a
afflictio voluntaria quàm ſit vtilis. 591.19.a
afflictio hominibus quantum proſit. 750.46.b
afflictionem Symmachus miſeriam nuncupat, Dauid autem animæ imbecillitatem. 102.13.a
Afri quam terræ partem occupent. 181.64.a
Agabus Pauli zonam accepit. 627.35.b
Agar, typus veteris teſtamenti. 1.5.b
agar, mater Iſmaelis. 199.54.a. & 415.34.b
agareni vnde dicti. 199.53.a
ager in ſacris literis mundum ſignificat. 21,38.a. & 317.50.a. & 318.48.a
Aggæus prophetandi munus quando obierit. 424.36.
agri potentiæ quæ ſint. 317.52.a. 318.48.a
agricolæ proprium eſt, ſemina deijcere: Dei verò deiecta perficere. 735.23.a
Aila vbi ſita. 776.60.b
Alarum vmbram Dauid diuinam curam vocat. 158.10.a
alas Dauid Dei gubernationem appellat. 183.34.b
Alexander Macedonum pardali cur comparatus. 572.21.b

Alienigenas diuina scriptura quos vocet. 163.16.a
alienigenas Ieremias quos appellet. 406.36.a
alienis bellum inferre, graue est. 641.31.b
Allophyli genus vnde ducant. 673.19.a
altaria dei, nostri sunt nidi 200.62.a
Amalech, nepos Esau. 199.56.a
Amanitæ deum quem habuerint. 19.63.a.632.11.a
Amazones im, Aethiopum accolæ sunt. 788.9.b.
Amen quid significet. 235.42.b
per Amen quòd populus precationem sacerdotis comprobet, consuetudo in Ecclesijs vnde fluxerit. 235.43.b.
amici, in rebus aduersis non sunt deserendi. 753.55.a
Aminadab quid significat. 335.23.b.356.48.b
Amman, generis filium significet. 599.63.b
amman qui dicantur. 600.8.a
ammanitæ genus suum vnde ducant. 673.48.a
Ammon, filius Loth. 199.57.a
ammonitarum crudelitas. 752.36.a
ammoniaca regio vnde denominata. 406.6.a
Amor regis Babyloniorum erga prophetam Hieremiam. 643.39
amoris inuidia laborare deus quomodo dicatur. 709.14.a
amoris possessio ad quos spectet. 24.36.b
Amos propheciam suam quando ediderit. 604.29.
ἀνάθεμα quid significet. 183.21.a
anathema duplicem intelligentiam habet. 671.43.b
anathematizare quid sit. 600.48.a
Anaxarchus à quibus morte multatus. 237.31.a
Angeli mali, supplicij ministri sunt. 192.33.b
angeli quo munere fungantur. 714.3.b.2.22.a
angeli an creati. 1.21.b
angeli quando creati. ibid.
angelorum natura incorporea. 60.42.b & 680.40.b
angelorum natura perturbationū expers est. 591.7.b
angelorum mos quis sit, cùm animam aliquam virginem ad deum festinantem nacti sint. 310.48.a
angelorum obedientia in deum. 191.33.b
angelos dei Dauid malos cur nuncupauerit. 408.26.b
angelos & virtutes Dauid intelligentes naturas vocat. 288.33.b
angelus cum patriarcha Iacob cur luctatus. 23.10.b
angelus magni consilij quis sit. 28.22.a.22.28.b 619.41.a.
angelus & homo quid differant. 426.20.b
angelus cuilibet hominum datus est ad custodiam. 591.59.a.707.44.a
Anima quomodo creata. 773.46.a
anima deum quomodo magnificet. 728.21.a
anima pia, lilio similis est. 623.35.a
animæ per spiritus doctrinam nutriuntur. 236.47.a
animæ fidelium salutem vnde hauriant. 334.61.a
animæ fores, corporis sensus sunt. 342.29.a
animæ cum deo coniunctæ, quæ, eo relicto, dæmonum consuetudinem amplectantur, adulteræ nuncupantur. 481.42.a
animæ consilium, trutinæ simile est. 260.8.b
animæ purgatio quomodo perficiatur. 773.20.b
Animalia dei Dauid sacros apostolos nūcupat. 172.14.a
animalia cornuta, ob robur, quod in cornibus habent, gloriantur. 289.36.b
animalia nulla deus despicit. 228.49.b
animalia cornuta, cornibus aggredientes vlciscuntur. 245.43.b
animalia propter homines quænam creata. 7.61.b
animalia cornuta, arma vnde acceperint. 139.8.b
Animam pro aliorum salute ponere, perfectæ caritatis indicium est. 301.29.b
animarum vera expiatio vnde fiat. 530.47.a
animus promptus, ad laudem consequendam, apud æquos iudices satis est. 603.36.
Anna quid sit vaticinata. 712.15.b
anna, vnum tantùm cùm pepererit filium, multorum filiorum mater quomodo dicatur. 713.30.a
annum diuina scriptura in duas partes diuidit. 560.3.a
Antichristi insania & rabies quæ futura. 575.34
antichristum Daniel desolationis abominationem vocat. 602.57.a
antichristus è Iudæorum tribu nasciturus. 573.42.a
antichristus, Antiochi exemplar est. 598.57.a
Antiochi impietas. 578.60.b.579.53.a
antiochi lasciuia. 599.16.a
antiochus, Antichristi typus fuit. 693.42.a.598.57.a
Antiqui plures vxores vna cur ducebant. 14.5.b
antiqui cur longæui. 14.3.b
Apostoli, arma dei sunt. 715.46.b
apostoli patres quos habuerint. 142.47.b
apostoli salutis spiritum quibus pepererint. 720.65.a
apostoli hominum animis spiritus pluuiam attulerunt. 158.47.b
apostoli & Prophetæ vnum eundemque spiritum percepere. 498.40.b
apostoli in sacris literis equi appellantur. 143.13.b 329.22.b.669.49.b.716.60.a. 715.42.a.172.19.a
apostoli, ossa vocantur. 108.25.b
apostoli, Sponsæ, id est, Ecclesiæ filij sunt. 305.33.b
apostoli genus vnde ducant. 688.10.b.520.60.b. 174.22.a.& 63.b.219.56.b. 329.37.b.
apostoli, fluuij dicti. 669.54.a
apostoli quales fuerint. 172.35.a
apostoli prædicationem in terram vniuersam quando pertulerint. 372.21.a
apostoli dei filij sunt. 712.44.a
apostolici labores & Prophetici quomodo differant. 431.45.a
apostolu gratia spiritus sancti quando insufflata. 17.44.b
apostolorum chorus vnde extet. 655.25.a
Appetitum quid excitet. 131.62.b
Aqua contradictionis nomen vnde sortita. 197.55.a
aqua viua, baptisma cur dicatur. 9.53.a
aqua & ignis contraria sunt. 288.63.b
aquæ quando creatæ. 2.3.b
aquam mundam Ezechiel regenerationis aquam appellauit. 516.52.b
aquarum naturam deus quomodo diuiserit. 3.17.b
aquarum filij qui sint. 618.29.b
aquarum natura quæ sit. 214.30.b.255 21.b.191.24.a
aquas Dauid & calumniarum multitudinem nuncupat. 175.45.a. & hominum sententias. 143.23.b
Aquila, regium animal, & omnium volucrum velocissimum & potentissimum. 407.20.b.461.6.a
aquila omnibus volucribus imperat. 571.60.b
aquilæ amor erga suos filios. 707.61.b
Aquilonem diuina scriptura damnat. 340.48.b
Arabes quam orbis partem inhabitent. 181.66.a
Arabiam quæ gentes diuidant. 199.58.a
Araboth, Iericho est. 401.53.b
arabum regnum Daniel bestiā cur appellet. 577.44.b
Arbor, de quâ Adam & Eua in Paradiso præceptum acceperant, quæ sit. 9.33.b
arbores, omnium primæ creatæ sunt. 553.60.a
Arcana reuelandi magister, deus est. 543.6.b
Archangelorum munus quod sit. 591.53.a
Archytophel vitam suspendio finiuit. 89.3.a
Argentum quomodo probetur. 376.15.b
argentum auro densius. 544.1.b
Arietes ouium Ezechiel quos nominet. 168.53.a
arietes ad baptisma accedunt. 168.1.b
arietum filij qui sint. 117.32.b
Arma dei quæ 141.59.a
Armillæ manuū virtutes morales significant. 296.4.
Arriani, pro salubribus herbis pestifera venena quibus subministrant. 306.4.b
arrij error quis sit. 34.35.a.197.9.b
Asaph genus suum vnde ducat. 781.38.a
solo Aspectu deus molestias finire potest. 176.57.a
Aspides aures cur oppilent. 159.39.a
aspis fera valde robusta. 212.23.b
aspis letbale venenum immittit. 412.24.b
Assyrij cur appellentur gens antiqua. 374.47.b
assyrij ex Aquilonari parte sunt. 207.48.a
assyrijs deus vindictam vnde miserit. 97.19.a
assyriorum quinque millia absque bellicis instrumentis confixa sunt. 212.34.a
assyriorum Rege nullus fuit celebrior. 505.37.a
assyriorum regnum antiquissimum. 544.15.a
assyriorum plaga à quo inflicta. 117.56.a
assyrios quis debellauerit. 117.48.a
Astarte, Sidoniorum deus. 767.44.b
astarten Græci Venerem appellant. 737.33.b.767.48.b.777.20.b.
Astra quo die producta. 2.39.a
Astrologis fides non habenda. 379.13.b
Astyages, Cyri maternus auunculus. 602.40.b
Auaritia fugienda. 44.12.a
Audaces necessitas mites facit. 772.64.a
audiēdi facultatē diuina scriptura aures vocat. 5.51.b
audire quorum proprium. 706.45.a
Aues pullos alu operiunt. 211.52.b
Augurium, dæmonum opus est. 384.53.a
Aures incircumcisæ quæ dicantur. 375.25.b
auris amputatio quid significet. 48.27.a
aurium circuli diuinarum scripturarum intelligentiam significant. 296.5.
Aurora, noctis dieique confinium est. 354.28.a
Aurum purissimum vnde deportetur. 546.34.b
aurum impietatis materia. 440.8.a
Auster vnde flet. 340.56.a
auster, ventus humidus. 273.41.b
austrum Dauid Hierosolymam nuncupat. 273.38.b
Auxilium iniuria affectis vnde expectandum. 89.8.a
Azabel, rex Damasci. 631.39.a
Azabelis pater quomodo nominatus. 631.44.a

B.

Baal, idoli nomen generale est. 398.9.b
baal, Tyriorum Deus. 767.43.b
Babylon vbi sita. 368.22.b
babylon cur Chanaan nuncupata. 460.23.b
babylon à Palæstina quantum distet. 163.12.b
babylon à quo deserta. 236.28.a
babylonem Ieremias spheluncam appellat. 373.7.a
babylonij pristinā libertatē quādo receperint. 177.59.a
babylonij etiam Assyrij nuncupantur. 544.16.a
babylonijs, tempore Cyri, quæ acciderint. 184.1.a
babylonijs qui primò imperabat, quomodo appellatus. 410.6.a
babyloniorum crudelitas. 504.15.b.
babyloniorum pernicies quando fuerit. 180.33.a
babyloniorum impietas. 666 63.a
babyloniorum dij stolidi. 200.43.a
babyloniorum regnum cur primū appelletur. 654.40.a
babyloniorum regnum cur malleum vniuersæ terræ nuncupatum. 410.36.b
babyloniorum rex, homo dolosus & iniquus cur dictus. 138.15.b
Baculo qui vtantur. 747.47.b
Baltasar, quale sit nomen. 590.61.b
baltasar filius regis Nabuchodonosor plaga diuina interfectus est. 581.63.a
baltasar ad senectutem peruenire cur non permissus. 503.61.a
Bama, locus, ex impietate erga idola, celebris factus. 470.40.a
baptismatis gratia sola hominē purgare potest. 151.24
Basan, dedecus sonat. 173.20.b
Basiliscus, animal quàm sit venenosum. 212.25.b
basiliscus, fera valdè robusta. 212.23.b
Beati qui sint. 268.10.b.201.54.a.200.16.b.261.52.b 760.64.b.253.55.a
beati, omni reprehensione sunt vacui. 258.8.b
Beel quid sit. 234.34.b
Beelamon quid significet. 366.40.b
Beelphegor quid sit. 234.31.b
Bellum fieri deus cur permittat. 506.22.b
Benedicere quid sit. 201.11.b
benedictiones lex quibus contineat. 414.28.a
benedictionis fructus qui metant. 245.22.a
beneficia in alios collata, in ipsum beneficij autorem reuertuntur. 148.30.a
beneplacitū Dauid bonā voluntatē appellat. 176.13.b
beneuolentia dei erga Mosen quæ. 30.27.b
beneuolentia dei erga genus humanum. 45.37.a
Beniamin adolescens quis sit. 174.7.a
benignitas dei quām magna. 89.55.b.192.32.a.257.16.b
Bestiæ cuius causa creatæ. 677.16.b
bestias & reptilia deus ad quid creauerit. 4.20.b
bestias cur formidemus. 4.45.b
Bethel ita cur cognominatus. 9.48.a
Bethleeem vbi sita. 714.40.a

Bethleem olim Effrata dicta. 270.59.b
Bona deus quibus distribuat. 177.39.a
bona è muliere exorta sunt. 728.15.a
bona nostra per quos sint prædicta. 530.13.b
bonitas dei quanta. 28.7.b.122.1.a.15.34.a.507.40.a 642.11.a.658.34.b
bonorum finis quis sit. 627.50.a
bonorum penuriam Ieremias paupertatem nuncupat. 419.61.b
bonum quid significet. 348.13.b
Boreales partes cur sint inhabitabiles. 187.23.b
Bosor carnem significat. 327.3.b
Bouis nomine Esaias quos appellet. 716.47.b
Brachium in sacris literis & potentia dicitur. 614. 71.a.130.26.a.207.61.a.& 1.b. & dei filius vocatur. 704.41.b
Bruchus, rore ingruēte, abscedere nō potest. 664.4.a

C.

Caath filij qui fuerint. 735.3.a
Cades sanctum sonat. 118.10.b
Cain quomodo interpretetur. 16.57.b
cain qua lege damnatus. 15.55.b
cain quamobrem tristatus fuerit. 12.57.b
cain vxorem quámnam habuerit. 13.5.a
cain tam graui pœna deus cur affecerit. 11.36.a
Caius Iulius Cæsar, primus Romanorum Imperator fuit. 586.56.b
Calamitas audaciam adfert. 726.7.a
calamitas quàm sit vtilis. 750.46.b
calamitates æquo animo ferendæ sunt. 61.44.a
calamitates Dauid noctes appellat. 99.37.b
calamitates tenebris similes sunt. 286.30.a
calamitates quid efficiant. 719.56.b
calamitatum communio consolationem quibus adferat. 503.52.a
Calamus allegoricè scripta diuina significat. 338.61.b
Calcaneum quid significet. 147.26.a
Calicē Dauid & supplicium vocat 95.48.a. & domini morrē siue passionē. 249.6.b.243.29.b.98.21.b
Caluitium luctum indicat. 406.57.a
Calumnia superborum dura est. 261.29.a
Candidi rebus & factis qui sint. 347.58.a
Canem Dauid diabolum appellat. 109.24.a
Cantica canticorū quid tradant. 297.34.& 298.30.b
cantica, quæ Epinicia dicuntur, quid ostendant. 299. 36.a
canticum quid sit. 703.27.a
cantus, deo ingratus est. 290.20.b.& 636.14.b
Capita mouere, quorum sit proprium. 419.20.b
Cappadoces, Mosech vocantur. 505.24.b
Caprarum iecur diu mobile. 742.7.a
Caprea cognomen dorcadis vnde habeat. 358.24.a
caprea allegoricè videntem significat. 318.36.b
caprea figuram fidei cur obtineat. 319.23.b
caprearum natura quæ sit. 319 24.b
captiuitatis tempus quando fuerit expletū. 581.59.b
Caritas. 100.61.b
caritas deus est. 318.30.a
caritas timorem foras mittit. 316.22.b
caritatis erga deum vis & efficacia quæ sit. 363 31 b
de Carnibus comedendis certam legem deus cur tulerit. 15 25.b
carnis voluptas, doloris causa est. 326.17.b
carnis voluptati dolor naturaliter est contunctus. 326.16.b.
Carmelus quid sit. 744.42.a
Casia quid sit. 142.3.a
Castigatio quid efficiat. 257.39.b
Cedar, filius Ismaelis. 409.35.a
Cedri natura quæ sit. 463.32.a
cedros dei Dauid principes sublimes vocat. 105.63.b
Cedrus homines diuitijs & honoribus superbos designat. 293.38.
Centenarius numerus perfectißimus est. 352.37.b
Centuriones qui dicantur. 775..49.b
Ceruicalia membris quietem adferunt. 450.3.a
Cerui in sitim vnde accendantur. 137.3.b
ceruorum natura quæ sit. 102.50.b.118.13.b 137.2.b.,319.24.& 53.a
Cetus, fera mortifera. 646.25.a
Chaldæi Prophetæ bestiæ nuncupantur. 437.4.b
Chamos, Moabitarum idolum. 405.35.b
Chanaan B. Iesus expugnauit. 273 26.b
chanaan ab auo Noe seruitutis cōdēnatus est. 453.27.b
Chas sacræ literæ Aethiopiam appellant. 231.63.b
per Cherubim quid sit intelligendum. 12.38.b.428. 27.a.444.27.b
Christiani vnde dicti. 13.45.b.471.54.b.512.7.b
Christi caput quod sit. 347.11.b
Christi corpus, Ecclesia est. 249.10.a
Christi crux, tristis quibus sit visa. 214.38.a
Christi membra quæ sint. 349.11.a
Christi nomen quorum sit commune. 117.15.a
Christi qui dicantur. 231. 63 a. 669.26.b. 736.53.a
Christus à principio quos elegerit. 168.61.a
Christus vbi sit in cœlum assumptus. 446.46.a
Christus quomodo sit excisus. 545.34.a
Christus baptizari cur voluerit 362.22.a
Christus cuius sit filius. 310.45.b
Christus obedientiam vnde didicerit. 98.25.a
Christus quomodo eruditus. 98.58.b
Christus Iudæis quando traditus. 32.17.a
Christus vbi sit natus. 270.61.b.654.51.b
Christus, vnitatis effector est. 366.41.a
Christus se gustantibus vitā æternā tribuit. 215.13.b
Christus quando natus. 180.57.b.546.42.b
Christus doctrinam suam cur aquam appellauerit. 81.65.b
Christus vbi crucifixus. 463.17.a
Christus pontifex noster quomodo dicatur. 736.43.a
Christus seipsum veram vitem cur appellet. 370.33.a
Christus in sacris literis sol nuncupatur. 181.1.a 715.27.b.
Christus pro quibus mortuus. 46.14.b
Christus secundùm carnem ex quo natus. 20.26.b 21.33.a. 23.43. & 47.b. 28.2.a. 33.51.b. 84.28.a. 99.24.a.110.56.a.160 52.a.193.13.b.199.13.a. 208. 38.a.220.14.b.220.20.b.239.53.a.243.52.& 59.a. 328.34.b.395.51.a.462.44.b.639.64.b. 714.50.a 732.51.a

Christus

Christus, dux noster secundum humanitatem dicitur. 586.37.b
Christus in templum quando sit introductus. 729.50.b
Christus ad suos Apostolos qua vigilia noctis peruenerit. 210.16.b
Christus, dei & potentia, & sapientia est. 214.52.a
Christus, lapis angularis est. 145.6.b
Christus seipsum pastorem nominat. 110.12.b
Christus doctrinam suam vnde sit exorsus. 81.28.a
Christus quatenus homo est, Dauidis filius nuncupatur. 81.30.a
Christus doctrinæ & miraculorum initium quando fecerit. 70.54.a
Cibus infantibus quis maximè congruens. 708.45.a
iucundus Cibus quibus sit iniucundus. 176.19.b
Circumcisio deo quæ grata. 61.45.b
circumcisio cordis peccati est ablatio. 506.35.a
circumcisio cordis, iustitiæ est perfectio. 528.62.b
Cithara deo quæ gratissima. 220.53.b
Citium, Cyri oppidum. 597.27.a
Ciuitas super cœlos fundata, quæ & qualis sit. 204. 34.a
ciuitas Dauidis quæ vocata. 759.27.a
ciuitatem Dauid piorum statum nuncupat. 134.29.b
Clamorem Dauid mentis alacritatem vocat. 262. 13.b.281.8.a.280.12.a
Clementia dei quanta. 429.49.b.498.11.a
Cœlestis imaginem quis gestet. 7.47.b
cœlestium ordines qui sint. 227.3.a
Cœli panis vnde dictus. 33.43.a
cœli militia quæ sit. 779.2.a
in Cœlo qui sint. 206.48.a
cœlorum potentiæ quæ sint. 123.48.b
cœlos multitudinis numero Dauid cur nuncupauerit. 289.1.a
cœlos Dauid cœlestes potentias vocat. 219.28.b
cœlum prius deus vnde creauerit. 4.21.a
cœlum posterius vnde factum. ibid.
cœlum cuius sit figura. 7.11.b
cœlum, thronus dei est. ibid.
cœlum vnúmne, an duo. 3.63.a
cœlum terra est præstantius. 706.43.a
cœlum obstupescere quomodo dicatur. 369.24.b
Cogitationes praua vnde proficiscantur. 607.41.b
Colli cur testis dictus. 9.50.a
collum humilitate circundatum quid sit. 308.53.b
Columba, quale sit animal. 18.59.a
columbæ natura quæ sit. 613.53.b
columbæ pennas Dauid spiritus sancti gratiam vocat. 172.7.b
Commotio montes abripit. 523.9.a
commotio vrbes in pulueremredigit. ibid.
Concordia fraterna nihil iucundius. 272.39.a
Concupiscendi vis vbi sita sit. 381.17.b.278.33.a
concupiscentia detestanda. 226.2.a
Confessionem Dauid gratiarum actionem vocat. 253. 31.b
Conscientia nihil potentius. 306.51.a
conscientiæ iudicium ineuitabile. 24.24.b
Conspectus dei solus ad afflictos liberandos sufficit. 121.20.b
Consuetudo, altera natura est. 383.29.b
consuetudo cum nuru adulterio grauior est. 477. 7.a
consuetudo malorum quàm perniciosa. 613.61.a
Consumptionem Dauid omnis generis supplicia nuncupat. 161.18.b
Contrarios detestari, quorum sit proprium. 278.43.b
Conuentum Dauid conspirationem in malis vocat. 166.38.a
Cor quando aggrauetur. 29.14.a
cor vbi situm sit. 311.9.a.607.40.b
cor totum deo consecrare, quorum proprium. 91.35.b
cor vbera cooperiunt. 454.46.a
in Corde mentis præcipua sedes est. 301.39.a
cordis conuersio ad deum, liberatio est à peccandi licentia. 202.10.a
cordis altitudo non solùm viris sanctißimis est perniciosa, sed etiam impijs. 270.41.a
Core abigne, è cœlo missо, consumptus est. 234.21.a
Coreni qui sint. 781 23 b
Cornu in sacris literis quid significet. 207.44.b. 272.4.a.289.34.b.498.58.b
Cornuta animalia cornibus contra aggredientes vtuntur. 207.46.b
Corporibus deus castigationes cur infligat. 469.36.b
corporis & sanguinis Dominici qui sint participes. 742.28.b
corporis robori non fidendum. 124.63.a
corporis sensus, animæ fores & fenestræ sunt. 379.26.a 342.29.a
corpus, animæ recedente, tabernaculo simile est quod destruitur. 724.23.a
corpus humanum vnde constet. 429.46.a
corpus humanū, tabernaculum nuncupatur. 724.22.a
Correctio à deo adhibita, beneficij mater est. 689. 18.a
Corui deum quomodo inuocent. 287.3.b
Corus, triginta medimnorum est. 529.30.b
Creare, dei proprium est. 379.48.b
Creatura, creatoris serua est. 405.41.b
Crucem Christus gloriam suam vocat. 239 43.b
Cubiculum, deus mentem vocat. 302.14.b
Cultus diuinus benedictionem operatur. 170.41.b
Cupiditas praua, viatoris nomine cur appellata. 750. 1.b
Currentibus vbi maxima facilitas. 233.47.b
Currus Pharaonis mystice quid sint. 308.58.a
Custodes cœlestis ciuitatis qui sint. 344.14.a
Cyprus quale sit genus arboris. 338.48.b
Cyrus, primus Persarum rex. 588.50.b.& 676.1
Cyrus cur dicatur beatus. 276.34.a
Cyrus Babyloniorum siue Assyriorum regnum euersum ad Persas transtulit. 544.40.

D.

DAemones hominum cæde delectantur. 769. 32.a
dæmones, hominum hostes sunt. 171.27.a
dæmones, dei inimici sunt. 181.7.b
dæmonum lætitia, hominum est interitus. 482.63.b

Damascenorum feritas. 631.24.a
Damascum diuina scriptura pro gentilibus ponit. 358.4.b
in Dan altaria quis primùm extruxerit. 639.23.a
Daniel quid significet. 590.61.b
daniel quale sit nomen. ibid.
daniel visiones diuinas vbi conspexerit. 426.14.a
daniel leonum ora ligauit 212.28.b
danieli nomen Baltasar quis imposuerit. 543.58.a
danielis modestia. 543.58.a
Darius ex quo natus. 434.13.b.567.23.a
darius ab Alexandro Macedonum rege in Cilicia victus est. 578.6.a
Darum quid significet. 472.5.a
Dauid epilepsiam cur simulauerit. 743.7.a
dauid Goliath gladium deo consecrauit. 124.58.b
dauid philosophiam suam vbi aperuerit. 743.46.a
dauid quid significet. 333.1.b
dauid Saulem fugitans, ad quem venerit. 165.37.a
dauid seipsum psalterium & citharam nominat. 158.2.b.238.51.b
dauid, ter vnctus fuit. 114.51.b
dauid primùm vbi vnctus. 114.53.b
dauid secundò vbi vnctus. 114.54.b
dauid tertiò vbi, & quando vnctus. 114.55.b
dauid à quo vnctus fuerit. 114.53.b.114.55.b 100.11.a
dauid à quo regiam electionẽ fuerit cõsecutus. 100.12.a
dauid insidias Saulis quomodo declinauerit. 160.31.a
dauid quando mortuus. 759.40.a
dauid quamdiu regnauerit. ibid.
dauid seipsum et Ezechiam cur sanctum appellet. 202.35.b
dauid ter vnctus cur fuerit. 748.13.a
dauid vectigal à quibus sumpserit. 196.3.a
dauid vbi sepultus. 759.29.a
dauid semel vnctus fuit, bis autem Rex pronunciatus. 747.22.a
dauid maiorem pacis rationem habuit, quàm victoria contra hostes. 85.57.a
dauidem deus, cùm pastor esset, regem fecit. 246.61.a
dauidi quæ molestiæ acciderint. 131.23.b
dauidis ciuitas quæ vocata. 759.27.a
dauidis cura pro populo suo quæ fuerit. 85.56.a
dauidis filius Christus est, secundum carnem: dominus autem illius, secundum diuinitatem. 242.40.a
dauidis lenitas & mansuetudo. 753 38.a
dauidis patientia. 132.53.a
dauidis sepulchrum quam habuerit figuram. 759.32.a
Debbora in virorum contumeliam, prophetiæ donum consecuta est. 76.61.a
Dedecus, peccati fructus est. 173.21.b
dedicationem domus Dauid humanæ naturæ instaurationem vocat. 118.60.b
Deficere quis dicatur. 258.24.b
Dei auxilium inexpugnabile est. 791.3.b
dei auxilium solum ad res tristes consumẽdas sufficit. 163.58.a
dei beneuolentia quanta sit. 371.46.b.374.27.a
dei benignitas & clementia. 413.26.b
dei ciuitas supra quos ædificata. 221.39.a
dei cognitio omnium bonorum caput est. 496.52.b
dei cura erga humanum genus. 547.1.a
dei dispensationes non sunt curiosè inquirendæ. 664.45.
dei facie quis dignus. 726.35.b
dei filij qui sint. 112.29.b
dei filij dij appellantur. 274.56.a
dei flumen quid sit. 167.63.b
dei inimicus quis sit. 242.14.b
dei magnitudo infinita est. 290.5.b
dei misericordia erga humanum genus. 226.29.a
dei natura videri non potest. 444.14.b
dei natura immutabilis est. 225.18.a
dei nomen quibus optabile. 153.35.b.& 244.26.b
dei nomen quos castiget. 244.28.b
dei nomen, gloriæ nomen est. 727.19.a
dei nomen pluris faciendum, quàm propria salus. 726.16.a
dei nomen credentes sanctos efficit. 221.32.b
dei obliuio, impietatis causa est. 440.53.b
dei obliuio, peccati conciliatrix est. 150.10.a
dei oraculorum meditatio, sempiternus cibus est. 165.24.b
dei pœna quæ sit. 193.57.a
dei potentia quanta. 36.4.b
dei præsentia inuisibilis est. 101.19.b
dei prouidentia quibus in rebus cernatur. 262.64.b
dei regnum in opere est. 256.49.a
dei regnum perpetuum est. 218.15.b.231.12.a.259.14.b.285.31.a 386.37.b.557.53.a.570.35.b.576.21.b.290.61.a
dei regnum mutari non potest. 214.10.b
dei sententiæ resisti non potest. 494.23.a
dei sermo gladio acutior est. 710.40.a
dei seruum nominari, summus honor est. 749.54.a
dei thronus æternus est. 741.29.b
per dei timorem virtutis possessio augetur. 268.11.b
Delere quid sit. 600.48.a
delicati qui sint. 416.41.b
delicta ferre, philosophorum est. 743.19.b.
per Dentes qui intelligendi. 332.6.b
in Deo gloriandum est. 230.25.b
cum Deo nemo comparari potest. 179.57.b.198.54.b.& 246.48.a.
deo nihil est difficile. 635.31.b
deo nihil est occultum. 51.47.b.166.23.b.175.21.b 176.4.b.386.15.a.514.17.b
deo non obedire quàm sit periculosum. 646.54.b
deo omnia sunt possibilia. ibid.
deo omnia sunt subiecta. 727.40.b
deo, omnium bonorum copiam omnibus largiri, quàm facile sit. 229.25.b
de deo diuina scriptura quomodo loquatur. 261.61.b
deos Septuaginta quos appellent. 148.10.b
deo soli fidendum. 63.59.a.615.56.a.712.26.b 735.7.8.b
Derelictionem Dauid quam appellet. 107.15.b
Desertum Dauid gentes nominat. 118.50.a
Desiderium promptitudinem efficit. 261.6.b
Desipientium proprium quid sit. 561.12.a
Deum Dauid fortitudinem vocat. 101.8.a

deum

deum laudare, piorum est. 272.22.b
deum quibus rebus veneremur. 169.62.b
deum qui quærant. 253.58.a
deum quis tentet. 61.17.a
deum semper laudare quos deceat. 123.44.a
deus ab hominibus quid differat. 709.24.a
deus à Iacobo patriarcha quomodo cõspectus. 428.59.b
deus Angelis quantum præstet. 208.6.b
deus à nobis non hostias, sed animi feruorem & studium requirit. 615.35.a
deus Abraamo quomodo se videndum præbuerit. 428.46.b
deus affectuum expers est. 702.50.b.709.16.a
deus benedicẽs, sermones operibus confirmat. 470.33.b
deus, benignitatis fons est. 203.33.b
deus, bonorum abyssus. 141.28.a
deus, egenus cur factus. 136.26.a.562.2.b
deus cur homo factus. 336.57.a.732.57.a
deus cur dicatur zelotes. 709.32.a
deus seipsum dominum omnipotentem, & dominum virtutum cur nominet. 680.42.a
deus & bona largitur, & pœnas infligit. 192.1.a
deus iustitiæ fons est. 107.47.b
deus fons salutis. 173.51.a
deus fons est æternæ vitæ. 369.40.b
deus hominum felicitate gaudet. 211.11.b
deus humanam naturam cur assumpserit. 99.54.a & 180.4.b
deus impassibilis. 708.53.b
deus incorporeus est. 15.48.a.190.19.a.258.25.a.261.59.b.573.12.b.682.51.a.649.41.a.709.38.a
deus in rubo, non autem in alia planta cur apparuerit. 28.44.a
deus in templo Hierosolymis quomodo habitauerit. 762.44.b
deus in terra cum hominibus versatus cur fuerit. 654.10.a
deus incorruptus est iudex. 706.28.b
deus misericors est. 233.53.a
deus misericordiam & veniã quibus cõcedat. 113.14.a
deus, morum, non generis iudex est. 268.61.b
deus mutari non potest. 214.27.a
deus natura semper rex est. 214.30.a
deus naturam habet inuisibilem. 197.47.a
deus non corporis robore, sed bonis actionibus delectatur. 287.16.b
deus non modò piorum, sed etiam impiorum curam gerit. 287.19.b
deus non Iudæorum tantùm deus est, sed etiam gentium. 458.13.a
deus nullo termino circumscriptus est. 210.39.a
deus omnia cur condiderit. 274.39.b
deus omnia verbo creauit. 227.28.b
deus omnibus & vbique præsto est. 179.26.a.227.43.b.277.53.b.378.31.a.528.41.b.618.18.b
deus omnibus cœlitibus præstat. 206.56.b
deus totius naturæ creator est. 186.24.b.217.40.a 225.19.a.227.61.b
deus omnium statera & mensura vtitur. 421.24.b
deus patiens est. 660.41.a
deus populum instar pastoris gubernat. 195.39.a
deus prædonio quos celebret. 113.16.a
deus propriè rex Israelitarum dicitur. 289.60.b
deus quam legem habeat. 408.4.b
deus, quatenus est homo, mittitur; quatenus verò deus est, Patri coæqualis est. 682.30.b
deus, quatenus homo est, frater nominatur. 109.43.a
deus, quo homo est, eo primogenitus dicitur; quo verò deus est, vnigenitus. 208.50.a
deus, quatenus est homo, vitiis est: quatenus autem deus est, agricola est. 196.56.a
deus quibus benignus & liberalis. 202.61.b
deus quibus in domibus cognoscatur. 145.43.b
deus quibus terribilis. 207.7.a
deus quibus adsit. 285.8.b
deus quibus faueat. 130.18.b
deus quomodo Dauidis filius, & quomodo dominus Dauidis. 287.59.b.& 520.15.a
deus quomodo homo factus. 345.18.b
deus quomodo mortem passus. 345.56.b
deus quomodo derelictus. 107.12.b
deus quorum curam gerat. 112.13.b.248.8.a
deus quorum sit portio. 356.60.b
deus quos confundat. 112.14.b
deus quos elegerit, & Apostolatus gubernacula crediderit. 144.28.b
deus re benedicit, sermone verò benedicitur. 274.33.a
deus Rex est, & Regis filius. 180.17.b
deus sacerdotio, secundum humanitatem, fungitur. 243.63.a
deus secundum naturæ legem genitus est. 241.37.a
deus secundum humanam naturam seruus est. 520.9.a
deus seipsum zelotem cur appellet. 34.19.b
deus seipsum filium hominis nuncupans, appellationem vnde acceperit. 496.47.a
deus seipsum virũ & sponsum cur appellet. 608.14.a
deus serui formam ex quo acceperit. 683.6.a
deus solus colendus & adorandus. 194.47.a
deus supplicijs quos subijciat. 213.10.b
deus tempus numerare vnde consueuerit. 425.26.a
deus verus iudex est. 198.37.a
deus, viuentium deus est, non mortuorum. 274.55.a
deus vnus est. 274.12.b
Dextera in sacris literis auxilium significat. 139.60.a
dexteram Dauid bonam actionem nuncupat. 239.29.a.& 251.37.b
Diaboli fallacia. 281 31.a
diaboli imperium quid euerterit. 173.11.b
diaboli ministri qui sint. 242.15.b
diabolum Dauid potentem appellat. 181.34.b
diabolum sacra scriptura draconẽ nominat. 497.32.a
diabolus Christum morte multauit. 173.10.b
diabolus deum calumniatus est. 180.42.b
diabolus seipsum deum appellauit. 493.12.b
diabolus serpens appellatus. 10.5.b
Didragma quid sit, & quantum valeat. 50.1.a
Diei septimo præter cæteros deus cur benedixerit. 8.32.a
diem malam Amos vltionis & pœnarum diem vocat.

cat. 637.4.a. Dauid verò illam & æternum supplicium appellat. 216.14.a. & iudicij diem. 147.34.a
Differentia idoli & similitudinis. 34.41.a
Dij propriè qui appellentur. 148.23.b
Dilectio & timor in omnibus subditis dominantur. 698.45.a
dilectio fortis est, sicuti mors; & dura instar æmulationis. 364.45.b
dilectio in quem conueniat. 698.46.a
dilectus quis dicatur. 140.43.b
Diluculum Dauid Saluatoris nostri humanitatem vocat. 238.59.b
Disciplina Christi quibus molesta. 301.47.b
disciplinæ diuinæ per totum terrarum orbem quomodo distributæ. 669.48.a
Diuina eloquia lilia dicuntur. 350.27.a
diuina interdum per ænigmata cur scribantur. 585.18.a
diuina natura omnium captum superat. 350.19.b
diuina natura incomprehensibilis est. 762.14.b
diuina natura quomodo fiat comprehensibilis. 327.33.a
diuina omnibus proponenda. 602.26.a
diuina quibus obscura. 423.1.
Diuinationes dæmonum opera sunt. 384.53.a
diuinis eloquijs nihil dulcius. 347.12.a
diuinis literis nihil suauius. 349.12.b
diuinitas auro cur comparata. 346.15.a
diuinum numen affectuum expers est. 243.31.a.373.47.b.437.15.a.598.45.b
Diuitiæ humanæ fluxæ sunt. 148.16.b
ob Diuitias non exultandum. 230.24.b
diuitijs non fidendum. 735.7.b
Docendi argumenta Ecclesiæ doctores vnde sumant. 346.6.b
Doctrinæ diuinæ sermo in sacris literis aqua dicitur. 715.10.b
doctrinæ fontes vnde emanent. 301.40.a
doctrinam bonorum dogmatum vnde recipiamus. 201.46.a
Doim Abimelech apud Saulem in eadem sacerdotum irritauit. 153.5.a
Doim Iudæorum vrbem euertit. 153.51.a
Dolentium proprium quid sit. 282.13.a
Dolorem quæ adferunt, ea nocti & tenebris similia sunt. 579.19.b
dolores inferorum qui dicantur. 248.44.a
dolores mortis & inferni Dauid internecina pericula nuncupat. 101.29.a
doloris & iniquitatis sedes à Dauide Iudæi appellantur. 216.34.b
Dolus calcaneum nuncupatur. 136.63.b
Dominus ad Apostolos in qua noctis vigilia venerit. 165.41.b
dominus cur fortis appelletur, & in bello potens. 112.26.a
Domos diuina scriptura Ecclesias appellat. 146.47.a
domum dei B. Paulus fidelium cœtum nuncupat. 215.14.a
domus dei quæ sint. 173.64.a
domus patris Sponsæ, id est, Ecclesiæ quæ sit. 335.53.a
Ducenarius numerus quid denotet. 366.43.a

E.

EBrietatem ex vino, Dauid indignationem nuncupat. 193.56.a
Ecclesia cur nigra & pulchra appellata. 304.1.& 39.b.305.27.a
ecclesia, dei domus est. 326.50.a
ecclesia, Christi sponsa est. 365.58.a
ecclesia præcones vnde acceperit. 179.35.b
ecclesia quid offerat. 243.64.a
ecclesia quomodo diuisa. 145.33.b.& 146.49.a
ecclesia vna est. 145.30.b.219.61.b.349.46.a
ecclesia vnde conflata. 109.56.a.135.20.b.142.19.b 304.31.b.510.16.a
ecclesiæ caput, Christus est. 241.56.b
ecclesiæ corpus quodnam. 241.57.b
ecclesiæ credentium Christo, vineæ appellantur. 322.32.b
ecclesiæ custodes sunt sancti Prophetæ & Apostoli. 326.51.a
ecclesiæ facies specie quidem ipsa est dignitas sacerdotalis, intelligentia verò est ipse sponsus. 303.50.a
ecclesiæ filij qui sint. 143.27.a
ecclesia super quam petram fundata. 145.8.b
ecclesiæ hæreticorum spinis similes sunt; fidelium verò odorato lilio. 314.47.a
ecclesiæ magistri, dei filij sunt. 712.44.a
ecclesiæ mater quæ sit. 353.21.b
ecclesiæ multæ quomodo dicantur. 145.38.b.& 349.51.a
ecclesiæ ornamenta vnde sint, 332.1.b
ecclesiæ sanctitatis fontes à Christo reportat. 272.24.a
ecclesiã magnam Christus quã appellauerit. 109.19.b
ecclesiam quis fundauerit. 146.3.a
Ecstasin Dauid peccatum appellauit. 121.46.b
Edem quid significet. 9.20.a
Edom Esau nominatus est. 199.49.a.& 513.54.b
edom terram significat. 327.2.b.620.26.b
Egasion gaber quid sit. 763.14.b
Elam gens, Assyrijs proxima. 505.8.b
Electos Dauid vocat Abrahã, Isaac & Israelẽ. 206.28.b
Eliacim quamdiu regnauerit. 536.3
Elias, sancti spiritus gratia, viduæ puerum in vitam reuocauit. 229.54.b
Eliphaz, rex Themanitarum. 408.36.a
Eliphaz in qua ciuitate regnauerit. ibid.
Elisæus filium Sunamitidis spiritus insufflatione viuum effecit. 229.57.b
Eloquium Dauid promissionem vocat. 260.39.b
eloquia diuina margaritis similia sunt. 329.52.b
Enac vnde oriundus. 14.45.a
Enaglim quid designet. 531.10.a
Engaddi quid significet. 311.41.b.& 531.9.a
Enoch deus cur transtulerit, & à mortalium v.ta seiunxerit. 13.39.a
Enos ex quo natus. 13.37.b
Ephod quid sit. 77.56.a.731.18.b

Ephod quid significet. 77.64.a
Ephraim & Manasses filij sunt Ioseph. 193.2.b. 195.60.a
ephraim ex quo natus. 637.29.a
Equus plurali numero equestres copias significat. 308.55.a
Erroris commentationes, fenestræ vocantur. 379.24.a
Esau appellationem suam vnde sortitus. 9.21.a
esau deus cur odio fuerit prosecutus. 698.15.a
esau cur Edom appellatus. 599.51.b.640.33.
Esebon quid significet. 359.56.a
Euangelium quibus primùm prædicatum. 459.57.b
euangelium ante mundi consummationem per Heliam prædicabitur. ibid.
εὐδοκία in sacris literis bona dei voluntas appellatur. 87.58.b
Euilad Marodach, post obitum regis Nabuchodonosor, Babyloniorum rex constitutus est. 545.11.b
Eunomij arrogantia. 579.54.b
eunomij error. 34.35.a.197.9.b.718.15.b
eunomij partes qui consectantur, ij pro salubribus herbis pestifera venena ouib. submiñistrãt. 306.5.b
Euphratæ qua lingua vtantur. 77.44.b
Euphrates vnde fluat. 9.46.b
Exitum Dauid Orientem vocat. 187.20.b
Experientiam Dauid incendium appellat. 99.38.b
Ezechias mortis sententiam cur acceperit. 119.14.a
Ezechias Assyrios cuius virtute vicerit. 119.29.b
Ezechias sacco indutus contra Assyrios deum precatus est. 119.60.b
Ezechiel prophetiam suam quando sit exorsus. 423.33.& 434.60.a
Ezechiel captiuitatis regis Iechoniæ socius fuit. 525.32.b
Ezechiel cum Iechonia in captiuitatem abductus est. 440.48.b

F.

FAciem Dauid gubernationem appellat. 152.14.a
Faui mellis, qui in doctorum labris gestantur, qui sint. 337.40.a
Felices deus quos appellet. 261.52.b
felicitatis inconstantia. 129.9.b.157.27.a
felices qui sint. 233.3.b
Femora allegoricè quæ appellentur. 357.31.b
femur percutere, quorum sit proprium. 396.51.b
Fenestræ, per quas Sponsus, id est, Christus perspicit, quæ sint. 320.32.& 56.b
Ferrum ære robustius. 544.2.b
Festum primorum fructuum quod sit per Ficum quid intelligendum. 321.43.a
Fide in deum nihil est validius. 539.4.b
fideles deus quos appellet. 81.51.a
fideles nos quos appellemus. 610.62.a
fides, infidelitatis corruptio est. 344.57.a
fides sola ad salutem consequendam non sufficit. 220.11.a
Figura circularis conuersione non indiget. 427.52.b
Filiæ Hierusalem quæ sint. 304.63.b
filij Cedem genus vnde ducant. 486.14.b
filij Enac vnde oriundi. 61.63.a
filij Israel vt pedes in AEgyptum inferrent, quis fuerit in causa. 197.18.a
filij Israel in AEgypto lutum humeris ferre cogebantur. 197.30.a
filios dei Dauid deos vocat. 206.52.b
filios dei Moses quos appellet. 13.1.b
filios procreare omnibus hominibus optatissimum est. 113.57.a
filios tonitrui Dauid Apostolorum collegium appellat. 117.59.b
Fimbriæ aureæ diuersa gratiarum dona significant. 303.62.a
Finis cuiuslibet hominis quis sit. 209.19.b
Firmamentum qua die factum. 252.64.a
Flamma in memoribus quomodo accendatur. 199.50.b
Flumen dei quid sit. 167.63.b
flumina Dauid aliàs præcones verbi diuini appellat. 221.31.a. aliàs aquarum lapidis riuos. 233.1.a
fluuios Dauid quos vocet. 214.18.b
Fœcundi qui sint. 720.10.b
Fœdera, quæ fiunt adhibito Dei iureiurando, non transgredienda. 756.21.a
Fœnum, herba sterilis. 706.60.a
fœnum vnde pinguefiat. 706.8.b
Fœtus in vtero matris quomodo nutriatur. 453.38.b
fœtus per vmbilicum augetur & perficitur. 295.17.
Fons vitæ quis sit. 129.3.a
fontem Prophetici sermo aquam nominat, quæ è saxo scaturijt. 186.34.a
Fornicationem Dauid idolorum cultum vocat. 184.6.b.235.44.a
Fortitudini animi non fidendum. 124.64.a
fortitudo Ananiæ, Azariæ, & Misaelis quæ fuerit. 549.8.b
fortitudo Machabæorum. 140.49.a
Foueam Ezechiel mortem appellat. 504.62.b
Fratres in Euangelio qui appellentur. 314.20.a
Fructum mendacem Oseas vanam spem nuncupat. 617.47.b
fructus quomodo alantur. 228.6.b
fructus terrent in nobis qui sint. 709.32.b
Frugalem vitam propter regnum cœlorum qui agunt, liliis similes sunt. 314.3.b
frugalitas cum iustitia melior, quàm iniusta affluentia. 130.21.a
Frumenti adeps quid sit. 287.41.b
Fugientium proprium quid sit. 103.25.a.382.15.b
Funes Dauid dæmoniminfidias vocat. 98.46.b.& 257.50.a
funiculum Dauid terræ dominationẽ vocat. 231.35.a
funiculum Sacra Scriptura sortis diuisionem vnde appellet. 673.16.a
Furor quid sit. 704.57.b
furor qualis sit. 176.43.b.680.57.b
Futura prædicere, Prophetarum proprũ est. 781.63.a
futura vt præterita dicere, Prophetæ proprium est. 624.55.a
futurarum rerum cura gerenda. 147.31.b

G.

Gabrielem Daniel dominum quomodo appellauerit. 592.30.a
Galaad quid sit. 162.37.b.239.46.a
galaad testimonij migrationem significat. 332.44.b 351.31.a
Galgala quid sit. 610.17.b
galgala quid significet. 71.26.a.75.29.a
Gemere & sibilare, miserorum proprium est. 405.52.b
Generatio infidelis quæ sit. 709.59.a
generatio ventura quando fuerit. 179.33.b
Gentes canibus olim similes, nunc filij facti sunt. 16.52.b
gentes filij cur appellentur. 702.39.b
gentes Dauid dæmonum agmen appellat. 93.29.a
gentes deus per quos deduxerit. 236.4.b
gentes vt deum adorarent, qui fuerint in causa. 203. 44.a
gentilium mos in bellis. 505.5.b
gentibus per quos salus data. 530.52.a
gentium benedictio cum Isaaci promissione cur coniuncta. 428.53.b
gentium Ecclesia cur filia nuncupata. 142.32.a
gentium princeps quis sit. 711.53.b
gentium vocationem quis primùm prædixerit. 144. 15.a
Geon quis nominatus. 758.44.a
Gigantes diuina scriptura quos appellet. 14.38.a
Glacies vnde fiat. 289.38.a
Gladius ad hostes vlciscẽdos accommodatissimus est. 711.12.b
gladius dei videri non potest. ibid.
gladium malignum Dauid irruentiũ feritatem vocat. 283.3.b
gladius, secundum spiritum, verbum dei est. 711.36.b
Gloriæ mater sanctitas est. 290.38.a
Gog gentes quid docuerit. 525.62.a
Gog Scythicarum gentium Rex est. 637.37.b
Goliath longitudo quæ sit. 14.54.a
Gomor quid sit. 33.57.a.529.31.b
Gotholiæ peruersitas. 776.19.a
Græcorum mos in puerorũ capillis resecandis. 47.56.b
Gramen, herbæ sterilis. 706.60.a
Gratia, donum dei est. 123.18.a
gratia diuina pios nonnunquam cur deserat. 253.37.b
gratiam diuinam quis consequatur. 106.50.b
gratiam diuinam vnde hauriamus. 201.47.a
gratiarum dona varia sunt. 301.55.b 302.3.a
gratiam deus quibus largiatur. 222.19.a
gratia saluati sumus. 225.47.b
gratia spiritus sancti Dauidis lingua pro instrumento vsus est. 162.21.b
gratia spiritus sancti mœrentes & afflictos consolatur. 264.22.b
gratia vitæ causa est. 718.53.b
Greges verum naturæ dicuntur. 307.33.b
per Grossos, quos ficus profert, quid sit intelligendum. 321.44.a
ex Gulæ vitio omne intemperantiæ genus nascitur. 344.37.a
Gutta quid sit. 141.55.b 142.2.a
guttur cibos gustat. 513.41.a

H.

Habacuc prophetiæ munus quando susceperit. 604.42.
Habitaculum sanctum quid sit. 705.59.a
Hadrach, vrbs Arabiæ. 688.34.b
Hæreditas vera quæ sit. 163.44.b.
hæreditatem Christus gentium regnum appellat. 98.30.b
hæreditatem veram deus quibus se daturum promiserit. 163.48.b
hæres communiter Ecclesia dei nominatur. 86.34.b
hæres singulariter, anima pietati assuefacta dicitur. ibid.
Hæresis detestanda. 43.3.b
hæretici quo nomine appellandi. 72.5.b
Hebraica lingua, sacra est. 16.64.b
hebraica lingua vnde dicta. 17.18.a
hebræi annum quomodo numerent. 587.4.a
hebræi primum mensem quomodo appellent. 680.13.b
hebræi vnde dicti. 17.21.a.& 532.63.a
hebræis seruis libertas quando donetur. 49.13.a
hebræis festum τῦ πάσχα sub profectionis figura celebrare Deus cur præceperit. 31.44.b
Hedera, herba qualis sit. 405.57.a
Heli pontifex vnde oriundus. 735.23.b
Helias ante mundi consummationem cur venturus. 702.32.b
Hermon quid sit. 272.6.b
Herodes paterno genere Ascalonites, materno Idumæus erat. 587.30.b
Hieremias & Daniel in lacũ coniecti fuêre. 134.33.a
hieremias suæ prophetiæ initiũ quando fecerit. 424. 32.& 604.41.
Hiericho, vrbs palmarum dicta. 74.33.b.790.38.a
Hieroboami pater quis fuerit. 606.13.a
hieroboam quando regnauerit. 630.39.a
hieroboam in Dan primò altaria excitauit. 639.23.a
Hierosolyma à rege Nabuchodonosor obsessa fuit. 196.39.a
hierosolyma fluuiorum terra appellata. 715.59.a
hierosolyma gentium nomen habet. 184.33.b
hierosolyma, filia Sion. 184.31.b. 651.12.a
hierosolymam Dauid ciuitatem sanctam nominat. 174.48.a
hierusalem cœlestis portæ sunt Ecclesiæ terrenæ. 204. 38.a
hierusalem cur læna nuncupata. 466.14.a
hierusalem cur se solam appellet. 416.13.b
hierusalem cur virtus nuncupata. 594.19.a
hierusalem Dauid munitionis ciuitatem vocat. 163. 30.a
hierusalem dei passio illustrem reddidit. 417.19.a
hierusalem deus ciuitatem sanguinum nuncupat. 476.13.a
hierusalem deus per quem sit vltus. 555.42.b
hierusalem exusta à Iebusæis instaurata est. 74.45.a
hierusalem ficus appellata. 670.18.a
hierusalem

hierusalem Habacuc montem vmbrosum appellat. 668.51.a
hierusalem lebetem Dominus nuncupat. 494.21.a
hierusalem Nabuchodonosor depopulatus est. 650.38.b
hierusalem quando capta. 523.36.b.508.31.a.488.11.a
hierusalem quid significet. 318.22.a.& 351.3.a
hierusalem vbi sita. 472.10.a
Hin quid sit. 38.62.b.435.38.a
hinnuli capreæ cur doctrinæ vbera vocentur. 334. 2.a
hinnuli capreæ inter lilia cur pascantur. 334.4.a
hinnulus nouum significat. 358.26.a
Hircanum, vltimum ex Asamonibus principem sacerdotum Herodes interemit. 587.25.a
hircus, ariete velocior. 578.2.a
Hominis præsentis vitam Dauid seculũ vocat. 183.27.b
homines à scorpionibus pungi, & à serpentibus morderi Deus plerunque cur permittat. 4.54.b
homines Deus cur formarit. 209.14.b.455.9.a
homines Deum benedicentes, verba illi tantùm afferunt, operibus illum afficere nequeunt. 170.32.b
homines gentilia cognomenta ex patria cognatione imponunt. 567.9.b
homines natura interitui obnoxij sunt. 251.45.a
homines pios sacra scriptura sanctos lapides appellat. 495.25.a
homines quid requirant. 538.53.a
homines vapori similes sunt. 133.6.b
homines viui à pictis quid differant. 133.12.b
de hominibus Deus quam curam gerat. 248.19.b
hominum alij virtutis, alij vitiorum sectatores sunt. 10.35.b
hominum cædes quomodo fiat. 750.10.a
hominis natura vita paradisi digna effecta, cùm maiora concupiuisset, excidit à bonis, quibus donata erat. 205.43.b
hominum naturam Deus quomodo finxerit. 258.24.a
hominum regnum caducum est. 251.49.a
hominum salus ex quo pendeat. 675.31.b
hominum vita varia est. 759.46.a
homo ad cuius imaginem creatus. 6.20.a.& 494.22.b
homo, caput mulieris. 81.12.b
homo lucerna dicitur. 102.20.b
homo mortalitate minor factus est Angelis. 91.21.a
homo postremò creatus. 553.64.a
homo solus ex omnibus animantibus, leges transgreditur. 289.14.a
Hortus, in quem Sponsus, id est, Christus descenderit, quis sit. 350.25.a
hortus nucis quis. 355.28.a
Hostias Dauid rationis compotes dicit. 218.48.a
Humana natura ob trãsgressionem detestabilis facta. 721.53.b
humana omnia caduca sunt. 547.10.a
humana torrenti similia sunt. 355.46.a
humanæ naturæ breuitas. 91.7.a.133.49.a.283.14.a
humanæ res velut vmbra sunt. 324.35.b
humanitas dei quanta. 31.59.a. 371.46.b
humanitas dei erga Noe quæ. 15.30.a
humanum regnum caducum est. 259.13.b
Humiles & pauperes iustificare, ad sacerdotes pertinet. 148.19.b
humilitas, bonorum parens est. 562.51.a
humilitas, beata est possessio. ibid.
Hymnorum cantus deo gratior est sacrificijs. 177.18.b
ad hymnos canendos, nox accommodatissima est, 272. 36.b

I.

Iacob à Deo cur dilectus. 698.15.a
Iacob Dauid deum cur appellet. 286.34.a
Iacob etiã Israel dictus est. 53.54.a.513.56.b.231.64.b
Iacob filios suos execratus, quomodo benedixerit. 25. 4.b
Iacob in Hebron corpus suũ sepeliri cur iusserit. 25.11.a
Iacob Israel quando primùm dictus. 273.54.a
Iacob lapidem, quẽ capiti supposuerat, cur inunxerit. 21.41.b
Iacob vxores quot habuerit. 21.53.b.22.47.b
Iacobi semen deus cur elegerit. 33 50.b
Iacobi patriarchæ virtus. 619.24.a
Iacobum patriarcham Dauid Sem omnium finium terræ vocat. 167.64.a
Iacob, Aegypti rex fuit. 611.50.b
Iberes, Thobel appellantur. 505.24.b
Idola abominationes & offensiones nuncupantur. 436.48.b
idola cur aquæ deserti appellentur. 370.60.a
idola quid sint. 480.35.b
idololatria in sacris literis fornicatio dicitur. 371. 30.b.455.61.a.& 20.b.610.36.a
idolorum cultoribus nihil stupidius & dementius. 248.15.a.667.46.b
ex idolorum cultu fructus quis percipiatur. 614.38.b
idolorũ memoriã Ieremias spinas nuncupat. 372.41.b
idolorum natura & vis quæ. 369.37.b.& 614.42.b
idolorum materia vnde constet. 273.53.b
idolum à similitudine quid differat. 34.41.a
Idumæi genus suum vnde ducant. 19.10.a.199.48.a. 379.56.a.468.413.b.51.4.b.487.7.b.640.32.705. 10.b
idumæi vnde dicti. 640.32.
idumæos diuina scripturis illustres reddidit. 406.34.b
Iebusæi Hierosolymam incoluerunt. 163.21.a
Iechonias captiuus abductus fuit. 209.13.a
iechonias filius Ioacim. 424.1.
Ieddidia quid significet. 752.30.a
Ieiunare deus præcepit. 688.49.a
ieiunium animæ malè habenti, salutaris medicina est. 624.34.b
Ieremias duplici gratia præditus fuit. 368.3.a
ieremias propheticam gratiã à deo adeptus est. ibid.
ieremias sacerdotalem gratiam vnde traxerit. ibid.
Ieroboam originem vnde duxerit. 193.64.a
ieroboam vitulum in Bethel collocauit. 407.13.a
Ierosolymæ templum post Danidem & Asaph ædificatum est. 185.39.a
ierusalem deus thronum gloriæ appellat. 384.24.b
ierusalem figurate Carmelus nuncupatur. 373.38.b
ierusalẽ Ieremias & Ezechiel liberẽ vocant. 368.20.b

Iesus,filius Naue,minister Moysi. 69.10.a
Iezabel viro suo,tanquam mancipio,vsa est. 634.23.a
Iezrael quid sit. 607.16.a
Ignauia,peccati causa est. 420.35.b
ignis aqua non extinguitur. 288.64.b
ignis in sacris literis Babyloniæ regem designat. 293.37.
ignis vis qualis & quotuplex. 228.1.a.219.2.b
Imaginatiua vis quid sit. 359.21.a
imaginem terrenam quis gestet. 7.45.b
imago Dei quid sit. 5.32.b
imago diuina exprimi non potest. 60.55.a
imago figuras,non res habet. 544.9.b
imbris natura quæ sit. 191.20.b
immundus quis sit. 45.23.b
impietas. 58.31.b
impietas quotuplex sit. 490.42.a
impietas filiorum Israel. 77.15.b
impietas Phegor. 58.10.a
ob impietatem qui sunt mortui, quomodo vinificari dicantur. 711.32.a
impietatis radix quæ sit. 96.43.b
impij ab Angelis deseruntur. 205.64.a
impij in sacris literis qui appellentur. 81.28.b
impij quomodo resurgent,& quomodo non. 82.54.a
impij à bonorum collegio abhorrent. 700.23.a
impiorum amicitia & cognatio fugienda. 81.37. & 61.b.786.62.b
impiorum locus quis sit. 724.51.b
impios Deus execratur. 87.37.a
impius à bestia nihil differt. 740.61.b
improbitatis similitudo sæpè pristinorum peccatorum reminiscitur. 481.21.a
improborum felicitates,miseræ dicendæ. 129.61.a
imprudentia quid sit. 307.48.b
per imprudentiam qui agant. 11.57.a
impuri qui sint. 45.8.a
Incircuncisi qui dicantur. 506.2.a
incorporeas creaturas Deus simul cur produxerit. 11.4.b
Indignantium proprium quid sit. 404.7.a
Infelix quis dicendus. 667.42.a
inferni ventrem Ionas ceti aluum nuncupat. 646.24.a
infernus satiari non potest. 667.12.a
inferorum dolores qui dicantur. 248.44.a
Infideles nomen Deiterret. 221.33.b
infirmitatem Dauid impiorum impetus vocat. 171.65.b
infirmitatem sentire, sanitatis principium est. 371.51.b
Ingratitudo,quàm turpe crimen. 188.41.b
ingressus Dei Dauid gubernationes appellat. 173.43.b
Iniqui contemnendi. 433.25.b
iniquitatem Dauid peccatum vocat. 150.24.b
iniquitatis torrentes Dauid cunctos inimicorum impetus nuncupat. 101.32.a
iniquus à quomiserrimus censendus. 97.34.b
iniustitia cum potentia coniuncta maximam perniciem efficit. 261.30.a
Insidias clandestinas Dauid obscurũ appellat. 95.5.a
insidiatores fugiendi & execrandi. 116.28.b
insipiens quis dicatur. 147.11.b
Intellecta,plurium consensus corroborat. 534.21
intemperantia quid sit. 307.62.b
interitus puteum Dauid ineuitabilem pœnam vocat. 156.17.b
inuidia. 588.27.b
Ioab Deum alloquentem Salomon cur occiderit. 759.64.a
ioab Abnerem quomodo occiderit. 747.30.b
Ioachaz geminum nomen habuit. 535.47
ioachaz patrem quem habuerit. 537.16.a
ioachaz quamdiu regnauerit. 425.17.b
Ioacim,etiam Iechonias dictus. 424.1
ioacim,filius Iosiæ. 367.41
ioacim vbi & quando interfectus. 425.50.b.466.61.a
Ioannes ortum qualem habuerit. 729.48.a
ioannes turtur appellatur. 322.13.b
ioannis Euangelium inaccessam continet theologiam. 530.37.b
Iob originem vnde traxerit. 23.44.a
Ioel prophetiam suam quando inceperit. 604.30. & 623.16.
Ionadab filius quis fuerit. 400.13.a
Ionam in fugam quid impulerit. 644.40.b
ionas à facie Dei cur fugerit. 722.9.b
ionas,Christi typus. 646.27.a. 722.52.a
ionas prophetiam suam quando inceperit. 604.32
Ioppe quid significet. 722.26.b
in Iordane Deus baptizatus est. 181.49.a
Iosaphat originem vnde trahat. 244.1.a
Ioseph ac Ephraim vna eademque tribus fuit. 193.1.b
ioseph adulterij causam sustinens, laqueos quomodo declinárit. 211.47.b
ioseph fratribus suis ad primum conspectum cur se præbuerit durum. 24.56.a
ioseph non secundum, sed primum ex fratribus cur acceperit obsidem. 24.4.b
iosepho fratres cur inuiderint. 23.51.a
ioseph patri seruitutem suam cur non significauerit. 24.18.a
ioseph per seruitutem regnauit. 134.47.b
ioseph scyphi fabulam ad quid commentus. 24.37.b
ioseph suo generi in Aegyptum dux fuit. 231.23.b
Iosiæ familiares qui fuerint. 223.39.a
iosiæ iustitia. 223.2.a
iosiæ regis pietas. 216.60.b. 277.25.a. 535.46.
iosias à quo, & vbi interfectus. 404.62.b
iosias ex quo natus. 670.56.
iosias quamdiu regnauerit. 425.14.b
posti Iosiam quis regnauerit. 425.16.b
iosias rex ex impio patre natus,per omnem virtutem incessit. 277.22.a
iosias liberos quales habuerit. 367.35
iosias patrem qualem habuerit. ibid.
iosias populum in pristinam pietatem reduxit. 222.59.b
Iosue Græcis quomodo vocetur. 33.33.b
Iouem Aegyptij Ammona vocant. 406.5.a
Ir Græca lingua vigilantem significat. 558.8.b
Ira castigatio vocatur. 119.56.a

ira etymologiam vnde habeat. 25.25.b
iracundia quid sit. 307.55.b
ira natura quæ sit. 176.43.b
iram dei sacra scriptura motum vocat ad puniendum peccatores. 704.51.b.709.43.a
iratorum affectio. 112.55.b
Isaac,Idumæorum pater. 49.32.b
isaac semen deus cur elegerit. 33.50.b
isaac,typus diuinitatis. 20.3.a
isaac,vrgente fame, in AEgyptum proficisci deus cur prohibuerit. 20.39.b
isaaci promissio quid contineat. 428.51.b
Ismael Godoliam interfecit. 402.34.b
ismaelis posteri qui sint. 199.49.a
ismaelitæ vnde orti. 17.30.a
Israel Amos cur virginem appelleт. 635.55.a
israel Beniamin filium suum cur vocauerit lupum racem. 27.6.b
israel cur vitis frondosa appelletur. 616.50.b
israel deus per prophetas vineam nuncupat. 716.38.b.452.28.b
israelem deus proprium populum appellat. 273.17.a
ex Israel qui nati sunt,non omnes Israelitæ sunt. 397.35.b
israelitæ qui dicantur. 273.60.a.& 512.41.b
israelitarum idololatria. 434.49.a
israeliticum populũ à seruitute AEgyptiorum quando liberauerit. 40.14.b
Itinera Christi,diuinæ doctrinæ sunt. 715.21.a
itineris nostri dux deus est. 202.55.a
Iubilatio,vincentium vox est. 207.21.b.217.19.a. 220.37.b
Iubilæum Iudæi vocant quinquagintæ annorum numerum. 425.4.a
iubilæus quid significet. 49.15.a
Iuda & Beniamin sub vno rege vixerunt. 611.20.b
iudæa,spelunca hyænæ appellata 382.52.a
iudæ filiæ quæ dicantur. 146.32.a.219.55.
iudæ iniquitas. 700.15.a
iudæ tribum deus cur elegerit. 193.8.b
Iudas dux à Christo electus. 156.13.a
iudas quem prodiderit. 156.1.b
Iudæam quis vastauerit. 623.29.b
Iudæi à libertate cur exciderint. 210.41.b
iudæi canum ordinem cut sint sortiti. 161.50.b
iudæi cur patres nuncupati. 702.38.b
iudæi cùm orant,ad Meridiem respiciunt. 526.47.b
iudæi,dei cura destituti,ex liberis serui facti sunt. 197.40.b
iudæi diuinam potentiam quando didicerint. 237.11.b
iudæi genus vnde ducant. 513.53.b
iudæi Idumæorum cognati sunt. 513.57.b
iudæi impietatis pœnas quando dederint. 185.2.b
iudæi,inimici dei sunt. 136.15.b
iudæi leonum cubilia dicuntur. 335.40.b
iudæi linguam Christum crucifixerunt. 160.43.b
iudæi perfectam dilectionem erga Deum nunquam habuerunt. 369.9.a
iudæi post reditum amplissimi fuerunt. 211.3.b
iudæi prima captiuitate capti sunt. 541.11.a
iudæi pro vero dei inanima simulachra colebant. 537.44.b
iudæi qua morte perierint. 156.33.a
iudæi quibus tubis vtantur. 221.4.a
iudæi vnum templum,atque vnum altare habuerunt. 200.28.a.510.9.b
iudæis, Antichristo adueniente, Helias Domini aduentum prædicabit. 600.23.b
iudæis insania familiaris est. 222.7.a
iudæis reditus per quem donatus. 236.3.b
iudæorum amentia. 534.25.
iudæorum arrogantia, propter cognationem Abrahæ. 453.2.b
iudæorum calamitas quamdiu grassata. 579.25.b
iudæorum genus vnde constet. 263.53.a
iudæorum impietas. 479.16.a
iudæorum ingratitudo erga Apostolos. 130.65.a
iudæorum multitudinem Dauid tauros cur appelleт. 174.7.b
iudæorum perfidia. 84.23.a
iudæorum perfugium vbi fuerit. 210.14.a
iudæorum populus diabolo similis est. 90.50.b
iudæorum principes Dij appellantur. 198.33.a
iudæorum regio cur penitus vastata. 721.34.b
iudæorum segnities in rebus diuinis. 580.62.b
iudæorum vrbem Doim euertit. 153.51.a
iudæos captiuitate deus quando condemnauerit. 425.40.a
iudæos libertate quis donauerit. 676.1.
Iudicare,solius Dei proprium est. 148.12.b
Iudices cur Dij appellentur. 36.13.a.198.39.a
Iudicia Dauid iustas dei sententias appellat. 255.60.b
iudicia dei,abyssus multa. 164.14.a
iudicij vallem Ioel vallem Iosaphat nuncupat. 629.25.a
iudicium dei nemo subterfugere potest. 187.24.b
Iuramenti puteus vnde dictus. 9.47.a
Iurisiurandi violatio, impietatis caput est. 685.65.a
Iusiurandum Daniel quodnam appellet. 583.60.a
Iusti æterna requie perfruentur. 290.15.a
iustiproprium est, suum cuique tribuere. 285.34.b
Iustitia,æternæ vitæ conciliatrix est. 385.54.b
iustitia cum benignitate miscenda. 770.58.a
iustitia pacem constituit. 699.35.b
iustitia sempiterna,deus est. 216.33.a.& 585.48.b
iustitia studio & meditatione discenda. 717.40.a
iustitia,vitæ causa. 719.6.a
iustitiæ fons,deus est. 107.47.b.700.55.b
iustitiæ fructus,salus est. 271.59.b
iustitiæ posæsio quàm grata. 86.33.a
iustitiæ viam primùm quis inceperit. 202.3.b
iustitiam qui consequantur. 216.47.a
Iusto bellum qui infert,non obsequitur mandatis dei. 262.47.b
Iustorum consilium Dauid piorum collegium vocat. 244.31.a

Iustos in grauissima pericula incidere deus cur permittat. 245.54.a
iustus à deo nunquam derelinquitur. 130.31.b.& 131.17.a
Iuuencas populorum Dauid quos appellet. 174. 8.b
iuuenculas tympanistrias Dauid puellas vocat virginitatem exercentes. 173.52.b
iuuenes imperfecti dicuntur. 214.16.a
iuuentus ad vitia procliuis. 253.55.b
iuuentus virtutibus ornata, canicie præstantior est. 736.17.b
iuuentutem corrigere, quorum proprium. 253. 58.b
iuuentutem suam Dauid exitum ex AEgypto vocat. 176.9.b

K.

Καθόλῳ *quid sit.* 779.12.a

L.

LAbijs solis qui vtuntur, eos diuinæ literæ condemnant. 269.36.
Labra & genæ, sermonis instrumenta. 346.2.b
Lachrymari & lugere, peccatorum est. 272.24.b
Lacus miseriæ sacræ literæ maximà discrimina vocant. 134.1.b
lacus pro morte. 282.19.a
Lætitiam à fide omnes cur non acceperint. 220. 27.a
Lamech viros quot interfecerit. 13.29.a
lamech homicida, homicidij pœnas cur non dederit. ibid.
Lamentatio commiserationis & amoris indicium est. 417.39.a
lamentatio, ob peccata, iucundissima. 431.18.a
Lamentatio quando vtilis & necessaria. 443.2.a
Lampine quid sit. 744.49.a
Lapis à ludæis reprobatus, Christus est. 545.3.a
Laqueum Dauid leonum lacum vocat. 169.38.b
Laterculum quid dicatur. 755.24.b
Latitudinis puteus cur ita nuncupatus. 9.43.a
Laudantium propositum deo gratius est hymnis. 286. 57.b
Laudes veræ quæ sint. 148.26.a
laudibus veris quis dignus. 148.28.a
laudis hostiam Dauid hymnos vocat; preces verò promissiones. 149.12.b
laudis nomine Dauid quem appellet. 108.11.a
Leæna, regium animal. 571.59.b
Lectulus Salomonis quid sit. 329.18.a
lectus quietem indicat. 290.16.a
Legem primus quis acceperit. 11.41.a
leges à præceptis quomodo differant. 190.16.b.& 468. 52.a
legis cultus deo ingratus. 148.61.a.& 149.1.b
pro Legis sacrificijs quid consecrandum. 134.63.b
Legislator vtriusque testamenti vnus est. 307.54.a
Leo quis sit. 724.50.a
leo regnum significat. 427.16.a
leo regium animal. ibid.
leonem Dauid diabolum vocat. 109.24.a
Lepra corporis vnde constet. 773.18.b
lepra vnde gignatur. 45.53.b
lepram discernere ad quem spectet. 44.45.b
Leui, pater trium filiorum. 735.2.a
leui, sacerdotum primus fuit. 612.39.
Leuitæ sacerdotibus inferiores sunt. 274.18.a
leuitarum officium. 50.32.b
Lex à testimonio quid differat. 190.16.b.& 253.41.a
lex lucerna appellata. 260.10.a
lex maledictiones quibus contineat. 414.28.a
lex naturalis vnde constet. 333.23.b
lex ordinatrix est status Reipublicæ. 105.17.a
lex per quem lata. 179.9.b
lex per quos data. 1.15.b
lex quibus posita. 768.55.b
lex vniuersa vnde pendeat. 685.60.a
Lia in impietate educata fuit. 22.38.a
de Libano Sponsus, id est, Christus quos vocet. 335. 35.b
libanus Hierusalem designat. 118.29.a.293.38.329. 33.b.339 8.a
libanus mons in Palæstina altissimus. 182. 14.a
Liberationem ab afflictionibus Dauid lucem appellat. 102.18.b
Libertas omnibus rebus anteponenda. 35.20.b
Libidinis odor quibus iucundissimus. 301.46.b
Lignum crucis cur dicatur salutare. 9.29.a
lignum vitæ, lignum cognitiuum boni & mali cur nuncupatum. 9.34.a
Lingua verax animæ salutem comparat. 379.32.a
lingua mendax animæ interitum procurat. ibid.
linguam dolosam Dauid quam nominet. 153.47.a
linguæ parietes duo. 280.33.a
linguam Dauid acuto gladio comparat. 158.50.a
Lobna, Iudææ ciuitas. 788.33.a
Locustæ, rore ingruente, in arbutis considunt. 664. 4.a
locustarum arma quæ sint. 625.52.b
Longanimitas dei. 28.7.b
longanimitatem dei diuina scriptura somnum appellat. 368.7.b.& 414.55.a
longanimitatem deus gladij thecam nuncupat. 472. 19.b
Lucerna quid sit. 385.24.b
Lucis necessitas. 2.44.b
lucem deus qua die fecerit. 288.47.b
Luctus cum lætitia non miscendus. 63.47.a
luctus Syrenarum quis dictus. 651.56.a
luctus immodicus prohibitus. 62.39.b
Lugentibus panis appositus, eos ipsos lugentes propter luctum ad dolorem concitat. 615.24.b
lugentibus lux appellatur tenebræ. 385.31.a
Lumbos præcingere cur iubeamur. 485.47.a
Lumen luminaribus attributum est. 288.49.b
Luminaria qua die facta. 228.57.b.288.47.b
Luna corpora comburit. 65.44.a

luna lumen suum vnde mutuetur. 354.50.a
luna qua die producta. 2.40.a
lunæ cursus quot diebus & horis conficiatur. 587. 10.a
lux vera Christus est, eiusque conspectus. 107.62.a. 138.42.b.345.18.b

M.

MAcchabæi à sacerdotali tribu oriundi sunt. 462. 36.b
Macedones à quibus victi. 139.25.a
Macedonicum regnum propter celeritatem hircus appellatum. 578.1.a
Maclet quomodo interpretetur. 760.59.b
Magistratus non suis commodis, sed subditorum vtilitati inseruiant. 72.53.b
Magnitudo dei, infinita est. 290.5.b
Maiorum pietas posteris quantum prosit. 788. 29.a
Malachias Hebraica dictio est, Latina lingua Angelus dicitur. 699.34
Malachias seipsum Angelum cur appellauerit. 699. 49.a
Malam diem Dauid supplicij diem appellat. 192. 36.b
Malitia non naturæ, sed voluntatis opus est. 377. 45.b
Mallei proprium est, comminuere quæ percutiuntur. 410.38.b
Manasses, tribus nomen. 239.47.a
Manasses quid significet. 162.37.b
Mandata diuina custodire quis debeat. 238.31.b
mandata diuina qui impleant. 259.23.b
Mandragoræ vis quæ sit. 361.21.a
Mandragoram qui hauserunt, corporis motiones non sentiunt. 361.28.a
Manetis partes qui consectantur, ij pro salubribus herbis pestifera venena ouibus subministrant. 306. 5.b
Manifesta quibus videantur obscura. 346.58.b
Manna quid significet. 33.39.a
Mansuetudinem Dauid mediocrem pœnam appellat. 211.10.a
mansuetudo multorum bonorum conciliatrix. 129. 53.a
in Manu dei sunt omnia. 519.9.a
manum Dauid diuinam potentiam vocat. 264.11.a. & 283.34.a
manum sacræ literæ filium dei appellant. 704.41.b. & 711.45.a
manus abscisio quid significet. 48.29.a
manus complicatas capiti imponere, lugentium est. 371.22.a
Marcionis error. 644.10
Marcionis partes qui consectantur, ij pro salubribus herbis pestifera venena ouibus subministrant. 306. 5.b
Mare arenam veretur. 228.42.a
mare Daniel vitam vocat; ventos autem mare impellentes, rerum mutationes. 571.24.b
mare pars est terræ. 289.28.a
mare rubrum, typus Baptismatis. 659.1.b
mare rubrum quibus salutem, & quibus contrà supplicium attulerit. 233.55.b
mare rubrum bifariam diuisum. 275.17.a
B. Maria puritate Cherubim & Seraphim antecellit. 352.8.a
B. Maria vellus appellatur. 328.21.b
Maris miraculo nullum maius. 191.23.a
maris profundum quid sit. 173.23.b
Martem Græci quomodo arment. 480.2.a
Massepha quid significet. 76.24.b
Matutina custodia, vltima hora noctis est. 270. 17.a
matutina susceptio, nostri Saluatoris aduentus est. 107.60.a
Matrem Dauid Hierosolymam appellat. 240. 24.b
Matrimonij autor, deus est. 700.49.a
Mattathias sociorum fortitudo. 140.50.a
mattathias vsitatum gentibus suis cultum restituit. 139.30.a
Mazuroth, stellæ nomen. 779.21.b
Medi etiam Persæ dicti. 578.41.a
Medici spirituales qui sint. 719.21.a
medicina, deo nolente, nihil potest. 767.54.a
medicina hominibus à deo data. 767.52.a
Meditatio oraculorum dei, sempiternus cibus est. 165. 34.b
meditatio per vocem fit. 260.1.a
Medorum imperium Cyrus ad Persas transtulit. 602. 44.b
Melchisedech & sacerdos, & rex fuit. 243.45.a
melchisedech gentium sacerdos. 243.34.a
melchisedech genus suum vnde traxerit. 17.47.b
Melchom, Ammonitarum idolum. 407.63.b.632.11.a 671.15.b
Mellis dulcedo quibus cognita. 215.17.a
Mens humana mulieris vtero similis. 720. 7.b
mens, præstantissima pars animæ. 311.51.a.364.45.a
Mensam Dauid lætitiam vocat. 176.26.b
Mensem vnde appellemus. 4.42.a
mensium numerum vnde discamus. ibid.
Mensura & pondere deus omnia administrat. 685. 13.b
Mentis alacritas spiritus gratiam attrahit. 261. 24.b
mentis modestia nullum sacrificium deo gratius. 152. 5.b
mentis sedes præcipua in corde est. 301.39.a
Mesrem sacræ literæ AEgyptum vocant. 231.64.b
mesrem, cuius filius. 192.53.b.231.60.b
Mesores deus quos appellet. 238.23.a
Micheas prophetiam suam quando exorsus. 604.30.
Michol Dauidem cur irriserit. 749.20.a
Michol cur sterilis permanserit. 749.32.a
Milites, regibus vngues sunt. 460.54.a
militum exercitus Dauid quos nominet. 172. 47.a
militum reges Dauid quos appellet. 172.51.a

Millenarius numerus in Christo perfectionem significat. 366.37.a
Minæ dei non contemnendæ. 647.24.b
minas Ionas malitiam cur appellauerit. ibid.
ex Minis dei quæ vtilitas percipiatur. 720.13.b
Mirtus quid sit. 681.7.a
Miseri qui sint. 216.8.a
Misericordia, dei donum est. 675.33.b
misericordia dei quàm magna. 226.29.a.236.19.b
misericordia nostra vnde scaturiat. 201.44.a
misericordiam & veniam deus quibus concedat. 226.43.b.113.14.a
misericordiam dei qui consequantur. 202.23.a.& 728.21.b
Moab qui dicantur. 599.59.b
Moab, filius Loth. 705.11.b.& 199.12.a
Moabitæ genus suum vnde ducant. 48.10.b.673.48.a. 705.11.b
Moabitarum deus quis. 19.63.a
Modestia Dauidis in petendo. 120.11.b
Modi piè viuendi quotuplices. 113.34.a
Mœrentes calamitates suas conqueri vbi soliti. 275.34.b
Molas Dauid dentes appellat. 159.3.b
Moloch, Ammonitarum idolum. 779.53.b
Monile quid sit. 309.9.b
Mons Bethel cœleste indicat domicilium. 318.35.b
mons sanctus quis. 222.45.a
montes ad Aquilonem siti, scelerum occasiones appellantur. 495.17.b
per Montes Bethel quid intelligendum. 319.17.a
montes conuallium qui dicantur. 325.27.a
montes Dauid quos appellet. 221.38.a.143.21.b.143.46.a
montes deus cur fecauerit. 228.55.a
montes deserti qui. 187.21.b
montes Israel, in quibus depascimur, qui sint. 480.20.b
montes qui Aquilonem expellunt, qui. 145.21.b
montes sancti, supra quos pietatis fundamenta sunt iacta, Apostoli sunt. 204.1.a
monti Sionis qui dicantur similes. 146.31.a
Morbo Laborare molestum est. 453.34.a
Morientium figura qualis. 26.54.b
Mors Domini quibus formidabilis. 25.63.b
mors immatura cur dicatur mala. 633.48.a
mors satiari non potest. 667.12.a
mors leo nuncupatur. 724.50.a
mors Pontificu, humani peccati est solutio. 58.39.b
mors per peccatum in mundum intrauit. 151.33.a
mors, quæ bello, quàm quæ famis telis oppetitur, opprobrior est. 421.46.a
mors vnde cognoscatur. 744.8.b
à Morte medici neminem liberare possunt. 205.24.b
mortem Dauid lacum nominat. 119.44.a.& 116.8.b
mortis laqueos Dauid insidias vocat. 101.38.a
mortis vmbram, Amos magna pericula nominat. 635.34.b
mortui dei benignitatem percipere non possunt. 205.31.b
mortui Domini qui sint. 721.38.a
mortui non lugendi. 120.5.a
mortui quomodo resurgant. 721.25.a
mortuorum sacrificia à Græcis quomodo nuncupantur. 234.36.b
mortuos Dauid quos appellet. 248.14.a
Mosen exilis vocis & blæsioris linguæ, deus quamobrem fecerit. 28.49.b
mosem interficere Angelus quare voluerit. 30.54.a
moses alienigenam vxorem cur duxerit. 28.1.a
moses calceamentum soluere cur iussus. 28.48.a
moses cœlum & terram quare inuocet. 706.39.a
moses, mediator inter deum & homines. 707.14.a
mosi in rubo quis apparuerit. 28.5.a
Mulier vnde formata. 76.56.a
ex Muliere nasci, humanæ naturæ est. 241.38.a
mulierem ex Adami latere cur formauerit. 10.3.a
mulieres voluptatibus diffluentes, vaccæ Basanitidis nuncupantur. 634.16.a
Mundi qui sint. 44.4.a
mundus aliquando ager nuncupatur. 218.40.b
aliquando mare. 716.54.a
Munerum corruptela iustitiam corrumpit. 97.48.a
Musca nihil odiosius. 771.52.a
musca quolibet stimulo vehementior. 430.29.b
Mutationem Dauid diuinæ dexteræ pœnam vocat. 189.24.b
Myrrha, mortalitatis est symbolum. 334.36.b
myrrha, mortuorum propria. 334.22.a
Myrrhæ mons quid designet. ibid.
myrrham Dauid Domini crucem appellat. 142.1.a
Mysteria diuina quibus pateant. 338.10.b,& 113.4.b

N.

NAbal quid significet. 744.20.a
Nabla & cythara quid differant. 763.40.b
Nabo, idoli nomen. 406.14.b
Nabuchodonosor contra Iudæos exercitum quando duxerit. 541.5.a
nabuchodonosor cur regno expulsus. 561.3.a
nabuchodonosor, seruus appellatur. 403.39.b
nabuchodonosor Ieremias Dei gladium vocat. 406.62.a
nabuchodonosor ferinam vitam egit. 561.35.a.565.20.b
nabuchodonosor in obsidenda ciuitate Ierusalē quamdiu perduraverit. 413.22.a
nabuchodonosor leo nuncupatus. 373.6.a.374.2.b
nabuchodonosor Rege nullus truculentior extitit. 196.31.a
nabuchodonosor Regis stultitia. 541.10.b
nabuchodonosor Regis superbia. 555.50.a
nabuchodonosor Sedeciæ oculos effodit. 447.20.b
nabuchodonosor Sedeciæ filios, ipso spectatore, interfecit. ibid.
nabuchodonosor, ex calamitatibus sibi à Deo propter arrogantiam illatis, quid vtilitatis perceperit. 561.43.b
nabuchodonosor singularis ferus appellatus. 196.26.a
nabuchodonosor somnium quando somniauerit. 541.13.a
Nabuzardan Ieremiæ lupum vocat. 374.3.b
Nadab igne diuino cur consumptus. 43.58.a
nadab quid sit. 358.61.b
Nagem notum significat. 472.6.a
Nageth regio meridionalis. 398.35.b
per Nardum quid intelligendum. 339.60.b
Nardus quid sit. 338.50.b
Naris ablatio quid significet. 48.27.a
Nathan, filius Dauidis. 780.52.a
Natura dei & sancti spiritus vna est. 277.44.b
natura diuina affectuum expers est. 513.12.b.& 265.25.a
natura diuina circumscribi non potest. 171.8.b.& 527.1.b
natura diuina humanam induit. 429.35.a
natura diuina videri non potest. 219.41.a
natura diuina, cùm oculis cerni non possit, quomodo potentia illius consideretur. 219.49.a
natura humana ad cuius imaginem facta. 305.62.a
natura humana caduca. 210.56.b.249.28.a.791.3.b
natura humana cùm sit fragilis, qui fiat, quod diuturnam vitam ducamus. 226.32.b
natura sensibilium quæ velocissima. 227.45.b
naturam diuinam nemo potest assequi. 165.7.b
naturam vnam omnes sortiti sumus. 533.44.a
Nauigandi scientia quàm sit vtilis. 229.53.a
Naum prophetiæ nunus quando susceperit. 604.33.
Nautæ astrorum ortus & occasus vnde didicerint. 457.a
Nazareorum lex quæ. 735.46.a
Nebrod, primùm sibi Babylonem subiecit. 655.5.b
Neemiæ Artaxerxis Regis pincerna vrbi Hierusalem portas imposuit, & mœnia erexit. 586.6.b.531.55.b
Nemo hominum immunis à peccatis. 51.45.a
nemo est, qui non diuina gratia indigeat. 125.14.a
Nemrod post diluuium primus regnauit. 374.49.b
Niniue, Assyriorum metropolis. 410.27.b
Niniuen propheta Naum leonum habitaculum appellat. 662.13.b
Nix vnde fiat. 289.38.a
Noctem Christus tentationum obscuritatem nuncupauit. 98.57.a
noctes in sacris literis plerunque calamitates appellantur. 85.18.a
noctis tenebras diluculum dissoluit. 612.34.a
noctis hora vltima, matutina est custodia. 270.17.a
Noe ebrius, ebrietatis culpæ pœnas cur non dederit. 15.41.b
Noe filij orbem terrarum in quas partes diuiserint. 436.52.a
Noe inter feras vitam agens, incolumis euasit. 212.30.b
ex Noe, qui orti. 57.38.b
Noe quid significet. 16.61.b
Noe seminarium generis humani. 15.51.a
Noe vnde oriundus. 57.37.b
Nomen diuina scriptura gloriam vocat. 531.48.a
nomen diuinum in veteri instrumento singulari numero cur pronuncietur. 60.45.b
Non omnes æqualiter peccant. 112.17.b
Nox ab externis tumultibus libera. 86.23.a
nox ad cogitandum aptissima. ibid.
nox ad hymnos canendos accommodatissima. 272.36.b
nox & dies à se inuicē tempus mutuantur. 104.15.b
Nubem & caliginem propheta Ezechiel inscitiæ tenebras appellat. 510.7.a
nubes in sacris literis homines diuina gratia dignati appellantur. 158.39.b
nubes vnde constent. 273.54.a.& 379.58.b
nubis nomine Dauid quos appellet. 239.8.a
Numisma subæratum quid sit. 457.22.a
Nuptialia commercia ratione perficiuntur. 544.49.a
Nuptias legibus quis sanxerit. 22.2.b

O.

OBed, pater Ieſe. 734.11.b
Oblinio dei, peccati conciliatrix. 150.10.a
oblutio dei impietatis causa est. 441.53.b
Obscuritatis causa in scriptura quæ. 734.32.a
Oculi auditu præstantiores sunt. 706.18.a
oculi corporū, colorum iudices sunt. 422.31.
oculorum occæcatio quid designet. 48.26.a
per Oculos Ecclesiæ scripta Prophetarum intelligenda sunt. 331.18.b
OEstrus quid sit. 430.29.b.& 610.42.b
Og ferreo lecto cur vsus. 275.46.a
ὀιωνισμὸς quid sit. 779.13.a
Ollam sacræ literæ propœna accipiunt. 162.63.b
Opem à deo qui consequantur. 130.36.a
Opera bona deus à nobis requirit. 381.12.a
Operum incredulitatis mortificatio, est fidei perfectio. 344.56.a
Ophir quid sit. 763.18.b
Ophitarum, hæresis pessima. 777.61.b
Ophitæ vnde Essæni appellati. ibid.
Ophni & Phinees Arcam in suorum auxilium educentes, iniquitatis pœnas luerunt. 193.17.a
ex Opibus quæ mala prodeant. 375.26.a
Opisthotonus insanabilis quid sit. 710.9.a
Orandum omnibus in locis. 227.21.a

Ordinarij qui dicantur. 568.15.a
Ordines eorum, qui saluantur, qui sint. 351.34.b
Os Dauid mentis alacritatem vocat. 261.23.b
Oseæ deus cur iußerit, vt vxorem meretricem duceret. 606.14.b
Oseas prophetiam suam quando exorsus. 649.12.& 604.28.
Oßa tropicè ratiocinationes appellantur. 88.50.a
Oues Domini qui. 238.43.a
oues occisionis quis pascat. 601.20.b
ouium pastor vnus est, Deus. 511.14.b
Oza, quòd manum admouerit ad Arcam fulciendam, punitus est. 782.35.a
Ozan plaga à deo immißa cur fuerit mortuus. 748.25.b
Ozan, filius Aminadab. 748.34.b
Ozias quamdiu regnauerit. 630.39.a

P.

PAce nihil à deo nobis maius datum est. 718.61.a
pacem deus quibus largiatur. 202.8.a
Palæstina quibus regibus regnantibus pace perfruita. 144.45.a
palæstinæ vrbes incolarum plenæ sunt. 515.30.b
Palestini alienigenæ cur nuncupati. 199.64.a
palestini quam vsurpent linguam. 77.45.b
Palmarum ciuitas quæ. 790.38.a
palmites Christus quos nuncupet. 370.39.a
Panis, cibus maximè necessarius. 589.60.b
panis parentantibus ingratus est. 616.26.b
panis quibus offeratur. 234.48.a
Paradisi fons in quot flumina diuisus. 143.33.b
Pardos Christus quos appellet. 335.42.b
Parentes quis primùm defleuerit. 16.60.b
parentes venerari quis doceat. 16.7.a
parentum natura erga liberos. 618.58.a
Parentum virtus filijs peccantibus plerunque prodest. 240.12.b
Paries noster quis. 320.24.b
Pascha quid sit. 590.19.a
pascha quomodo interpretetur. 31.57.b
Passer ob ægritudinem somnum abigit. 224.15.a
Passionem Christus quo tempore pertulerit. 40.18.b
Pastoris proprium munus est, non seipsum, sed oues pascere. 509.35.a
Patientia pauperum æterna. 93.54.a
patientia probationem parit. 720.3.a
Patriarcharum vxores omnes cur steriles. 20.19.b
Patrum prauitas filijs pœnam adauget. 240.14.b
patrum proprium quid sit. 758.31.b
Pauli zonam Agabus accepit. 627.35.b
pauli misericordia & humanitas. 443.7.b
paulus. 348.46.b
paulus Christum gestauit. 333.46.a
paulus seipsum Christi seruum cur nominet. 164.5.b
paulus ex qua tribu ortus. 174.8.a
paulus in mentis excessu quando fuerit. 174.13.a
Pauperem Dauid quem appellet. 223.29.b
paupertas omnibus diuitijs præferenda. 773.26.b
Pax bello contraria. 356.26.b
pax nostra Christus est. 718.52.a.520.8.b.729.38.b.783.2.a
pax diuinitus data. 718.55.a
pax quid sit. 330.42.a
pax vera quæ sit. 269.27.a
Peccantibus correctio quomodo adhibenda. 490.24.a
peccare, iniquorum est. 743.19.b
peccare quàm sit malum. 44.6.a
peccata deus quibus remittat. 585.34.b
peccata vnde nascantur. 685.41.b
peccati agnitio, pudoris est initium. 471.22.b
peccati agnitionem quid sequatur. 233.62.a
peccati fructus quis. 253.24.b.372.14.b
peccati memoria vehementiùs homines pios pungit, quàm hostes. 178.15.a
peccati pœna post mortem immedicabilis est. 754.58.b
peccati pœnam sacra scriptura plumbum appellat. 685.54.b
peccati pondus plumbo grauius. 685.36.b
per Peccatores diuina scriptura hœdos intelligit. 307.55.a
peccator respiscens, vitam ex respiscentia percipit. 465.12.b
peccatores fœni instar florentis extinguuntur. 213.50.b
peccatores quibus confidere debeant. 508.33.b
peccatores quid efficiant. 150.41.b
peccatores, respiscere nolentes, nullam consequentur veniam. 452.1.a
peccatores sacra scriptura quos appellet. 81.30.b
peccatorum animæ iudex quis esse debeat. 44.46.b
peccatorum est, lachrymas profundere. 272.24.b
peccatorum remißio solâ Baptismatis gratiâ largitur. 150.59.a
peccatorum reprehensio, quæ vtilitatis causa fit, bona est. 453.31.a
peccatum à muliere cœpit. 728.14.a
peccatum, dei odium conciliat. 699.35.b
peccatum linguam ligat, & os oppilat. 152.49.a
peccatum nullam habet vim naturalem. 151.37.a
peccatum in mundum per quem intrauerit. 161.31.a
peccatum per quem natum. 56.34.b
peccatum quid significet. 41.16.a
Pecora vbinam libenter versentur. 378.57.b
Pelta quid sit. 491.34.a
Pennas Dauid prouidentiæ vires appellat. 211.51.b
Pœnitentiæ locus post hanc vitam nullus. 88.12.b
Pepercisse, sapientis & moderatæ cogitationis est. 744.15.a
Persæ in puniendo omnium barbarorum crudelissimi sunt. 572.29.a
persæ vnde dicti. 661.51.a
persarum lasciuia. 47.3.b
persarum reges, Arsacidæ vnde nominentur. 593.27.a
persarum regnum primùm quis obtinuerit. 572.40.a
persarum regnum quis deleuerit. 57.41.b
persarum rex primus quis. 604.44.
persicum regnum vrso simile esse cur dicatur. 572.27.a
Personarum acceptio nulla est apud deum. 706.27.b

Perspicua quibus videantur obscura. 346.60.b
Pestes qui dicantur. 613.59.a
pestilentiarum filij qui. 595.16.a
pestilentias scriptura quos appellet. 81.28.b
pestis cur dicatur mala. 633.48.a
Petra, Christus est. 71.15.a
petra, fidei pietas, veritatisque professio dicitur. 323.33.a
petra solida nouum testamentum appellatur. 323.24.b
petræ nomine Christus cur appelletur. 53.34.a
petra quando scissa. 171.42.b
Petrus, Apostolorum princeps. 349.24.a
Phacee, Romeliæ filius. 144.47.a
Pharan quid sit. 714.43.a
Pharao allegoricè diabolum designat. 309.7
pharao cur draco nuncupatus. 497.30.a
pharao draconis, id est, diaboli superbiam æmulatus est. 503.57.b
pharao naturâ an malus. 29.42.a
pharaonem Dauid & draconem nuncupat, & superbum. 186.13.a.207.29.a
pharaonis exercitus quis. 704.51.a
pharaonis nomen proprium est Ephree. 404.8.b
pharaonis nomen regiam dignitatem significat. ibidem.
Phares quid denotet. 23.25.b
Phasec, Græcè pascha dicitur. 396.40.a
Phegor simulachri locus dicitur. 234.33.b
Philosophia in quo sita. 708.24.a
Phœnices, Syrorum lingua vtuntur. 77.45.b
Pietas ædificari non potest, nisi impietas sit diruta. 92.43.a
pietas omnibus rebus anteponenda. 570.59.b
pietas, omnium bonorum conciliatrix est. 124.7.b
pietas quid valeat. 49.21.a
pietatem nihil obscurare potest. 567.54.b
pietatis fundamenta quæ sint. 203.63.b
Pigritia. 343.27.a
Pij deum vbi quærant. 538.63.b
pij medicis tanquam dei ministris vtuntur. 767.49.a
pijs quilibet locus est consecratus ad dei cultum. 737.42.b
Pilatus contra diuinam legem in sacrum dei templum Imperatorum imagines noctu intulit. 588.9.b
Piorum amicitia quantum prosit. 784.30.a
piorum hominum honor, seruire deo est. 164.3.b
piorum mater quæ sit. 326.59.a
piorum Rempublicam Dauid quam appellet. 219.54.b
Plantæ qua die creatæ. 25.64.a
plantis deus quare non benedixerit. 4.11.b
Plausus, vincentium est. 221.34.a
Pluuia in sacris literis doctrina appellatur. 171.58.b.511.64.b
Pœna, diuinæ cognitionis magistra est. 438.9.a
pœnas deus cur minetur. 605.29.
pœnitendi ianua quibus clausa. 88.17.a
pœnitentia dei quid sit. 739.28.b.758.2.b
pœnitentia, impietatis cognitio est. 711.31.a
pœnitentia quibus conueniat. 14.23.b
pœnitentiæ verus finis quis sit. 647.4.b
pœnitentiam Dauid pœnæ cessationem appellat. 235.8.b
pœnitentiam diuina misericordia sequitur. 677.18.b
Pollicitationes ad exitum perducere, in nobis situm est. 525.11.a
à Pontificibus ordinati gratiam spiritualem consequuntur. 58.10.b
Populum dei Dauid Christi faciem nuncupat. 201.10.b
populus desertus quis vocetur. 470.50.b
populus electus quis. 124.36.a
Porta iustitiæ, deus est. 252.3.a
portas æreas, & vectes ferreos Dauid ineluctabilia mala nuncupat. 237.6.a
portas dei Dauid Ecclesias appellat. 222.39.b
Ποσαπλῶς quid significet. 165.55.a
Possessio diuinæ scientiæ ad perfectionem solanum sufficiat. 84.7.b
Postulare, hominum est. 229.16.a
postulationem Dauid obsecrationẽ appellat. 263.59.b
Potentes potenter examinantur. 765.4.b
potentia dei quanta. 14.59.a.& 36.41.b
potentia diuina, perpetua est. 273.16.a
cum Potentia omnia efficere, deo proprium est. 207.60.a
Potestates diuinæ, igniti lapides dicuntur. 495.22.a
Præcepta Ionæ voluntatem dei nuncupat. 648.33.a
præcepta vera per quos didicerimus. 239.11.a
Prædicatores verbi diuini, equi dicuntur. 716.45.a
Primis nostris parentibus de ligno vitæ comedere deus quare prohibuerit. 12.28.b
primogenitus quis sit. 31.23.b
primus homicida quis. 11.35.a
Princeps exercitus dei quis. 71.35.a
principes huius vitæ à deo quantum differant. 286.53.a
principes & reges vincula muri dicuntur. 449.9.b
principes Dauid Apostolos appellat. 173.51.b
principes imperium ad tempus habent. 286.2.a
Principum pietas subditis quantum prosit. 547.21.b
principum gentium caput quod. 771.52.b
Probatio spem parit. 720.4.a
Procrastinationem auxilij Dauid obliuionem appellat. 96.19.a
Promptitudinem quid efficiat. 261.6.b
Prophanum quid sit. 742.40.b
Prophetæ cur nubes appellentur. 683.17.a
prophetæ non omnia norunt. 740.17.b.749.38.a.773.31.a
prophetæ parabolis vtentes diuinas prædictiones cur proferant. 770.31.a
prophetæ proprium quid. 534.42.
prophetæ speculatores nominantur. 376.20.a
prophetam in errorem inductum punire, non est iusti iudicij. 451.20.b

Prophetarum filios diuina scriptura quos appellet. 771.51.b
prophetarum inopia. 773.20.a
prophetia aquilæ similis est. 427.20.a
prophetia duplex est. 512.38.a
prophetia spiritus sancti donum est. 426.1.a
prophetis laboriosa imponuntur. 435.21.a
Propitiatorium, Christi mysterij ænigma fuit. 714.8.a.
Proselyti qui appellentur. 215.28.b
προσόχθισμα quid significet. 771.41.a
Prosperis successibus non fidendum. 598.41.a
Prouerbia Salomonis quid contineant & doceant. 297.30.b.298.22.b
Prouidentia dei quibus in rebus cernatur. 262.64.b
prouidentiam qui tollunt, damnantur. 672.59.a
Prudentes Dauid volatilia appellat. 545.5.b
prudentia, pars virtutis. 10.22.a
prudentia qui maximè indigeant. 137.60.a
prudentia terrena fluxa est. 721.25.b
Psalmus primus Dauidis quid complectatur. 81.19.a
psalterium Symmachus lyram appellat. 197.1.a
Pudor, peccati fructus est. 372.14.b
pudor salutem procurat. 258.57.a
Pugnare à quo simus edocti. 282.48.b
Pulchritudo dei quæ. 141.58.a
Puluinaria membris quietem adferunt. 450.3.a
Punientis dei cognitio, consolatio est ijs, qui puniuntur. 438.51.b

Q.

Quæ labore parta possidetur, iucundissima sunt. 423.13.
Quærere, bestiarum est. 229.18.a
Quæ sit causa, vt semina in terra recondita augeantur & crescant. 721.6.b
Quas aues diuina scriptura cœli volatilia appellet. 191.40.b
Quercetum, ferarum receptaculum est. 42.21.a
Quercus natura quæ. 472.18.a
Qui à calamitatibus liberati sunt, quibus verbis vti conueniat. 201.44.b
qui à diuina spe pendent, in otio & pace vitam ducunt. 129.56.b
qui absque metu deum irritant, metuendi non sunt. 433.25.b
qui calamitatibus oppressi sunt, ij diem nocte obscuriorem iudicant. 504.51.a
qui columbæ specie volant, gratiam spiritus sancti desiderant. 155.31.b
qui dei regnum custodiunt, æternam vitam recipiunt. 259.15.b
qui deo confidit, plantæ, quæ continuò irrigatur, similis est. 386.13.b
qui deum quærunt, expugnari non possunt. 230.44.b
qui firmam spem in deo constituunt, quid consequantur. 211.27.b
qui gratia dei custoditur, vinci non potest. 682.18.a
qui idola adorant, ijs nihil est dementius. 483.7.a
qui ira perciti sunt, preces delinquentium respuunt. 176.51.a
qui iustitiam colunt & exercent, quid præmij consequantur. 131.9.b
qui mandatis diuinis obtemperat, quam laborum mercedem consequatur. 262.60.a
qui piè viuere cupiunt, quid credant. 10.51.b
Quomodo Dauid in omnem terram deum benedicat. 114.41.b
Quos beatos celebrare deceat. 124.33.a
Qui spiritum adorant, quomodo eos orare oporteat. 227,27.a

R.

Raab & Chananæa, & meretrix fuit. 204.62.a
raab meretrix per fidem salutem consecuta est. 732.62.a
Rabbath, vrbs Arabiæ. 408,3.a
Rachel patris idola cur furata. 22.34.b
rachelis pietas. ibid.
rachelis sepulchrum vbi sit. 396.13.b
Rationalis quid proprium. 10.30.b
Reblatha quid sit. 375.54.a
Rebus diuinis opera danda. 81 21.a
Redemptionis precium in hac vita quod. 147.57.a
Regem suorum subditorum curam gerere decet. 113.61.b
reges Ezechiel vites appellat. 461.17.a. Ieremias verò leones. 369.50.b
reges propter imperium aquilæ nomine appellantur. 461.5.a
regibus id sunt milites, quod bestijs vngues. 575.19.a
regibus quid maximè conueniat. 542.2.a
regis proprium est, subditos iustè regere. 221.36.b
Regni nomine quis appelletur. 271.58.a
regno everso, etiam magistratus, qui sub eo degunt, commutantur. 503.48.a
regnum suum Dauid maximè illustre vnde reddiderit. 133.22.b
Regum, docere proprium est. 259.39.b
Reipublicæ statum scriptura diuina sæpè ciuitatem nominat. 145.54.a
Religio, autor est omnium bonarum actionum. 287.18.b
Renes tropicè in sacris literis cogitationes nuncupantur. 89.43.b.381.16.b.420.34.a.184.26.a.14.36.a.278.32.a
Rephan, idoli nomen est. 636.32.b
Reptilia in terræ antris latere deus cur velit. 4.48.b
Res aduersæ æquo animo ferendæ. 129.60.a
Resina quid sit. 405.36.a.378.64.a
Rex Dauid vnde natus. 734.10.b
Rhamnus quid sit. 159.29.b
Rhapsaces in deum conuicia cur iactauerit. 154.46.a
rhapsaces Iudæorum exercitum occidit. 153.22.a
rhapsaces vnde oriundus. 154.45.a
Rhegma genus suum vnde ducat. 492.29.a
Rhos quomodo interpretetur. 521.6.a
Riuuli diuina aqua referti, qui sint. 167.56.b
Roboami tempestate tribus diuisæ fuerunt. 272.28.a
Romani vnde dicti. 661 52.a
romanorum ciuitas vnde constata. 572.56.b
romanorum Imperator primus quis fuerit. 586,56.b
romanorum regnum robustissimum. 545.43.b.572.63.b
romanorum regnum cur ferrum appellatum. 84.36.a
apud Romanos magister quis appelletur. 755.28.b
Ros Hermon quantus. 272.5.b
ros vitalis quis dicatur. 721.59.a.& 11.b
ros vitalis sancti spiritus in sacros Apostolos vbi missus. 773.10.b
Ruben inter decem tribus primogenitus fuit, Simeon secundus. 396.56.a
Rubicundi qui sint. 347.60.a
rubicundus quid significet. 345.28.b
Rubri maris diuisio. 32.53.b
Ructus cibum sequitur. 263.64.b
de Ruth historia cur scripta. 732.49.a

S.

Saba, natio AEthiopica est. 522.17.a.181.63.a
saba genus vnde ducat. 492.29.a
gens Saba quæ sit. 763.21.b
Sabair quid significet. 595.49.a
Sacerdotali officio in Salomonis templo primùm quis functus. 781.19.a
sacerdos typus temperantiæ. 48.11.a
sacerdotes, angeli sunt, alijs Dei voluntatem annunciantes. 699.44.b
inter Sacerdotes & alios homines quod sit discrimen. 247.19.b
sacerdotes, medici dicuntur. 378.63.a
sacerdotes Ieremias pastores nuncupat. 410.25.a
sacerdotes prophetæ Habacuc boues appellat. 670.1.b
sacerdotes quamdiu imperauerint. 399.4.a
sacerdotibus cur vinum interdictum. 43.7.b
sacerdotibus, certam legem de nuptijs Deus cur præscripserit. 48.9.a
sacerdotibus legitima reddenda sunt. 701.41.b
sacerdotio Deus quomodo fungatur. 243.63.a
sacerdotium, spiritus sancti donum est. 426.1.a
sacerdotum & Leuitarum differentia quæ. 781.42.a
sacerdotum officium. 50.29.b
sacerdotum ordo, est tanquam Ecclesiæ facies. 142.62.a
Sadoc genus suum vnde ducat. 736.57.a
sadoc per Salomonem sacerdotium accepit. ibid.
Saculum in sacris literis quid significet. 489.54.b 35.30.b
Sagenarum exiccatio curam & studium significat. 531.13.a
Sagittas potentiæ, Dauid suppliciorum celeritatem appellat. 264.26.b
Sal quid significet. 295.12.
ex Sale nullus nascitur fructus. 77.12.b
Salire & transilire, proprium est capreæ & lasciuientis cerui. 319.12.a
Salmanasar, Assyriorum rex. 480.58.a
Salomon, Dauidis filius ex ea quæ fuit Uriæ. 298.20.b
Salomon Ioab deum alloquentem cur occiderit 759.64.a
Salomon quomodo interpretetur. 328.54.a. 787.1.a
Salomon quamdiu regnauerit. 764.28.b
Salomoni conciliatrix cultus idolorum quæ fuerit. 764.36.a
Salomonis pietas. 784.39.b
Salomonis sapientia. 759.30.b
Salomonis volumina quot. 297.30.
Saluatoris studia quæ. 92.56.b
Salus à Deo quomodo impetretur. 150.25.a
salutem qui consequantur. 202.16.a
salutis fons quis. 173.51.a
Samaria vnde dicta. 767.18.b
samaritani vnde nomen habeant. 767.10.b
Sampson flagitiosam vitam agens, spiritualem gratiam quomodo sit assecutus. 731.9.a
sampson propter ebrietatem gratia priuatus est. 768.10.a
Samuel, filius Annæ. 713.34.a
samuel quid significet. 735.40.b
samuel regno cur priuatus. 739.46.b
samuel rex, rusticus fuit. 738.11.b
samueli per somnia prophetandi munus donatum est. 535.17.
Sancta quæ appellentur. 762.35.a
in Sancta anteriora quibus licuerit ingredi. 418.34.a
in Sancta sanctorum ingredi cui licuerit. ibid.
sanctitas, gloriæ mater est. 290.38.a
sanctitatis fons quis. 586.28.a
sanctorum mors, somnus appellatur. 721.43.a
sanctorum proprium quid sit. 289.55.b
sanctos Dauid quos nominet. 149.3.a
sanctuarium Dauid templum nuncupat. 199.30.b
sanctuarium, quod Dauid ædificaturum promiserat, post eum quis erexerit. 209.10.b
sanctus sanctorum, Christus est. 586.7.a. & 588.56.b
Sanguis vuæ quid sit. 708.13.b
de Sanir & Aermon Sponsus, id est, Christus quos vocet. 335.37.b
Sanir quid significet. 336,5.b
Sanitatis principium quod sit. 371.51.b
Sapphirus lapis qualis. 349.23.a
Sapientes qui sint. 775.31.a
sapientiæ fons, deus est. 416.30.a
sapientiam deus quibus suppeditet. 542.56.b
sapientissimæ rerum intelligentiæ est, occulta aperire & ostendere. 760.9.b
Satan aduersarium significat. 757.58.a
Satorem deus quem appellet. 238.24.a
Saul aspidi similis. 159.48.a
saul non hostem, sed familiarem & beneficij autorem persecutus est. 156.63.a
saul quando interfectus. 740.50.b
saul superbus. 279.54.a

Sauli Dauidis fugam quis annunciauerit. 115. 22.a.& 116.59.a
Sauli Dauidis fuga quando annunciata. 115.21.a
Saulis ingratitudo. 130.60.a.279.20.a
Saulis inuidia. 742.7.a
Scientia, dei donum est. 702.55.b
Sedecias, captiuus abductus fuit. 209.13.a
Sedecias quamdiu regnauerit. 525.34.b
Segor quid significet. 19.50.a
Segregare se quis dicatur. 381.52.b
Seir & Moab finitimi. 487.5.a
Seir, mons Idumeæ. 513.3.b
Semina deijcere, agricolæ proprium est. 735.23.a
Semina in terra recondita vt augeantur & crescant, causa quæ sit. 721.6.b
Senarius creationis mundi numerum continet. 353. 36.a
Senectus Dauidi perfectio dicitur. 214.13.a
Senectutem suam Dauid seruitutis tempus nuncupat. 179.10.a
Senes, perfecti dicuntur. 214.14.a
Sennacherib Assyriorum rex contra Iudæam bellum mouit. 96.16.b
Sennacherib impietas. 96.21.b.& 659.26.a.661. 25.a
Sennacherib Iudææ vrbes obsidione expugnauit. 423. 38.
Sennacherib Lachidem, aliasque Iudææ vrbes obsidione cinxit. 650.35.a.& 38.b
Sennacherib à quo interfectus. 555.46.b.605.26.
Sensus corporis, animæ fenestræ sunt. 320.17.a
Sephila campestris regio. 398.34.b
Septenarius multitudinis numerum significat. 712. 30.b.& 755.14.b
Sepulchra Dauid secus infernum nuncupauit. 280. 38.b
Sepultura, mortis puluis cur dicatur. 108.39.b
Sermo dei gladio acutior est. 710.40.a
Sermo diuinæ doctrinæ in sacris literis aqua nominatur. 715.10.b
ex Sermonibus diuinis quam vtilitatem consequamur. 81.22.a
Serpens, animal mutum, cum Eua quomodo locutus. 10.36.a
Serpens, bestiarum sapientissimus est. 752.42.a
Serpens, figura peccati. 56.36.b
Serpens, organum inimici veritatis. 10.38.a
Serpens, minister diaboli. 44.16.b
Serpens prudens dicitur, vt callidus & versutus. 19. 33.a
Serpentes, pro capitis defensione, totum corpus obijciunt. 307.52.b
Serpentes vbi degant. 289.64.a
Serpentum commemorationi etiam piscium natura congruit. 289.63.a
Serui formam deus ex quo acceperit. 683.6.a
Seruum dei nominari, summus honor est. 749.54.a
Seruus, quale nomen. 241.41.b
Seth ex quo natus. 13.37.b
Sexagintæ qui dicantur. 329.19.a.& 329.21.a
Sicemitarum vrbem quis deleuerit. 612.41.b
Sichima quid. 162.25.b.& 239.38.a
Signa scriptura quæ appellet. 4.53.a
Signum, quod deus in Cain posuit, quodnam. 13.1.a
Sim Græcè robur significat. 499.14.b
Simeon præcipuus autor fuit structurarum in Ioseph insidiarum. 68.29.b
Simeoni benedictionis occasio quæ fuerit. 68.21.b
Similitudo ab idolo quid differat. 34.4.a
Simonia prohibetur, Gratis accepistis, gratis date. 565.42.a
Singularis ferus quis dictus. 196.28.a
Sinus dei, bonorum thesaurus est. 185.55.b
Sion quid significet. 330.12.b.331.21.a
Sion, crucis & resurrectionis locus est. 271.47.b
Sion, mons sanctus est. 138.41.b
Sionem Dauid piorum Rempublicam vocat, & turres ipsius homines omnibus virtutum generibus cumulatos. 146.42.a
Sionis nomen Apostolus de cœlesti ciuitate accepit. 145.18.b
Socrates à quibus ad mortem condemnatus. 237.30.a
Sodoma cur igne consumpta. 71.58.b
Sodoma sola naturalis legis doctrina fruebatur. 458. 27.b
Sodoma tempore antiquior est Samaria; impietatis doctrinaï unior. 458.29.a
à Sodomitis genus qui ducant. 710.28.a
Sol ad laborem somno oppressos excitat. 702.3.b
Sol, causa metiendi temporis. 208.59.b
Sol diem quomodo efficiat. 4.33.a.228.63.b
Sol & amplitudine, & splendore cæteris cœli luminibus antecellit. 354.6.b
Solistitiæ quis dictus. 216.34.a
Sol lunæ radios obtundit. 274.48.b
Sol omnium stellarum splendidissimus. ibid.
Sol præpostero ordine cucurrit. 106.30.b
Sol qua die productus. 2.40.a
Sol secundum pulchritudinem quem imitetur. 104. 48.b
Sol secundum velocitatem quem imitetur. ibid.
Solem & lunam deus eodem tempore fecit. 182.29.a
Solitudinem incultam sacræ literæ gentes nominant. 171.48.a
Somnum Dauid patientiam vocat. 140.1.b.193.55.a
Somnus hominibus quietem præbet. 268.35.a
Somnus in sacris literis mors appellatur. 664.18.a. 136.50.b
Somnus mortem inducit. 255.33.b
Somnus pro quiete aliquando accipitur. 268.34.a
Somoron mons vnde nomen habeat. 767.17.b
Sophoniæ prophetiam suam quando inceperit. 604. 40.
Sortes vel tempora Dauid rerum vicissitudines appellat. 121.36.a
Species domus dei quæ sit. 172.1.b
Specula quid sit. 331.22.a
Spem in deo fixam qui habeant. 166.47.b
Spes in solo deo collocanda. 85.44.a.89.9.a
Spina in sacris literis peccatum appellatur. 122.55.a
Spirituales ab Apostolo appellantur ij, qui perfecti sunt. 321.56.a

Spiritus

Spiritus diabolici fructus quis sit. 292.37
Spiritus diuini fructus, est continentia. ibid.
Spiritum extollere, quorum proprium. 405.53.b
Spiritus gratiæ quid proprium. 517.29.a
Spiritus irrigationem Deus hominibus per quos adferat. 239.10.a
Spiritus natura quæ. 228.1.a
Spiritus malus, mala voluntas appellatur. 618.59.b
Spiritus pro anima. 281.55.b.& 286.12.a
Spiritus salutis Euangelicum præconium nuncupatur. 720.3.b
Spiritus sancti affectiones, oculi Domini cur appellentur. 341.49.b
Spiritus sancti benignitas variis modis erga prophetas vim suam ostendit. 660.4.a
Spiritus sancti dignitas. 282.44.a
Spiritus sancti doctrina, turturis vox appellatur. 322. 3.a
Spiritus sancti domus quæ sit. 362.48.a
Spiritus sancti flumina aquarum irrigationem imitantur. 81.61.a
Spiritus sancti potentia & vis, ros vitalis nuncupatur. 721.53.& 63.a.& 1.b
Spiritus sancti vires, diuersæ sunt. 142.12.b
Spiritus sanctus à Deo virtus nominatur. 174.48.b
Spiritus sanctus contumelia afficitur, cùm sacri libri contumelia afficiuntur. 292.40.
Spiritus sanctus dux nuncupatur. 357.37.a
Spiritus sanctus quis sit. 783.35.b
Spiritus sanctus sub columbæ specie cur descenderit. 362.28.a
Spiritus sanctus vnus est, licet eius dona sint varia. 346.42.a
Sponsa cur non alba, sed dealbata dicatur. 363.1.a
Sponsa columbæ nomine cur nuncupata. 321.51.a
Sponsa cur soror dicta. 341.10.b
Sponsa cur perfecta, columba, propinqua, & soror appellata. 337.7.a.342.53.b
Sponsa, id est, Ecclesia capreæ cur assimilata. 334.23.b
Sponsa, id est, Ecclesia quomodo Apostolis assimilata. 308.2.b
Sponsa, formosa & columba dicta. 322.48.a
Sponsa horti nomine cur appellata. 338 54.a
Sponsa immaculata & pulchra cur euaserit. 335.1.b
Sponsa lilio similis est. 314.59.a
Sponsa sponsum, sororis filium cur appellet. 310. 24.b
Sponsa sponsum, pomum cur nominet. 314.37.b.315. 52.a
Sponsa sponsum hinnulo ceruorum cur comparet. 318. 32.b.319.1.b
Sponsa sponsum lectum nominat. 312.45.b
Sponsæ ædes quæ intelligenda. 313.8.a
Sponsæ commendatio qualis. 312.7.b
Sponsæ emissiones paradiso malorum punicorum cur comparentur. 338.43.b
Sponsæ vestimenta quæ sint. 337.54.b
Sponsæ mater cœlestis Hierusalem est. 305.37.b
Sponsæ nomine diuina scriptura quos appellet. 354. 32.a.355.17.a.393.2.b.393.11.a.363.60.a
Sponsæ nomine populus; sponsi verò rex intelligitur. 292.15.
Sponsæ nomine Ecclesia appellatur. 296.48.
Sponsæ propinqui, viri perfecti sunt. 341.47.a
Sponsæ vbera capreæ hinnulis curæ assimilata. 333. 59.b
Sponsam Domini ex veteri nouam, ex turpi formosam, ex nigra candidam qui reddiderint. 306.2.a
Sponsi amici qui sint. 309.61.b
per Sponsi crura, Apostolus Petrus intelligendus est. 349.24.a
Sponsi dona maiora sunt, quàm ministrorum. 309. 32.b
per Sponsi lectulum quid accipiendum. 238.39.b
Sponsi oculi qui sint. 348.50.b
Sponsi voluntas quæ. 318.56.a
Sponsus, id est, Christus è retibus seruos suos quomodo respiciat. 320. 38.a
Sponsus per fenestras, id est, per nostros sensus quomodo respiciat. 320.28.a
Sponsus pomi nomine cur appelletur; sponsa verò lilij. 314.28.b
Sponsus se campi florem, & conuallium lilium cur vocet. 313.36.b
Sponsus Ecclesiæ, Christus est. 337.58.a.& 297.1.
Sponsus & sponsa qua differentia lilium appellentur. 324.22.b
Sponsus, vitis & palma quomodo dicatur. 360.2.a
Squama in piscibus, apud homines fides est. 44.12.a
Stella à stella in claritate differt. 354.22.b.& 601. 52.a
Struthio, animal solitarium. 380.56.a
Stultum sacra scriptura impium vocat. 693.13.a
Stultus quis dicatur. 147.11.b
Subditi nomina sua vnde accipiant. 661.50.a
Subditi Principes sequuntur. 476.4.b
Subditorum, discere proprium est. 259.39.b
Subditorum multitudini non fidendum. 124.64.a
Subditos diuinus Habacuc oues nuncupat. 670.41.a.
Ieremias autem eos agnos & hœdos appellat: principes arietem. 412.4.b
Superbi, ægrotis similes sunt. 548.15.a
Superbia cur contumelia appellata. 504.18.b
Superbia, iniustitia dicta. 638.61.b
Superbia nullum vitium execrabilius. 493.55.a
in Superbiam qui incidant. 254.34.b
Superborum & iniustorum finis qualis. 129.54.a
Superborum proprium quid sit. 270.50.b
Superbos Dauid quos appellet. 256.11.b
Superbus contumeliosus est. 504.18.b
Supplicijs Deus quos subijciat. 213.10.b
Supplicium Deus gladium appellat. 472.18.b.& 473. 13.a
Supplicium cur plumbum nuncupatum. 477.40.
Susa, Persarum metropolis. 577.46.a
Suspirantibus columbarum vox similis est. 439.14.b
Sydonij Deum quem habuerint. 767.44.b
Syrenarum filiæ, diuina scriptura dæmones nuncupat. 411.19.a
Syrenarum luctus quid dictus. 651.56.a
Syrorum regnum Dauid bestiæ nomine cur appellet. 577.44.b

T.

Tabernaculorum conuallem Dauid Israelitarum regionem vocat. 162.27.b
tabernaculum Dei Dauid Hierosolymam nominat. 163.30.b
tabernaculum quid sit. 116.14.b.114.20.b.137. 39.b.138.40.b
tabernaculum ex lignis & lapidibus Solomon Hierosolymæ edidit. 271.10.a
tabernaculum ex corpore & anima Spiritus sancti gratia in Bethleem contexuit. ibid.
tabernaculum sibi ædificari Deus cur præceperit. 37. 4.a
Tauros Dauid sacerdotes & scribas nuncupat. 108. 65.a
Templa eburnea quæ. 142.5.a
templum Apostolus Paulus fidelium cœtum appellat. 749.48.b
templum Dei perpetuum. 415.43.b
templum Dauid Dei scabellum appellat. 419.3.a.527. 31.b
templum mysticè interpretatum quid sit. 727.38.a
Tempus Syri & Hebræi calamitates nominant. 198. 9.a
tempus totum in quot dies resoluatur. 712.31.b.713. 9.a.735.15.b
Tenebræ fugiendæ. 44.14.a
tenebræ quid. 2.63.b.553.32.a
tenebrarum necessitas. 2.62.b
tenebras quid producat. 3.12.a
in Tenebris qui viuant. 85.19.a
Tentationem & murum Dauid insidias vocat. 102. 27.b
tentationes hominibus instar noctis superueniunt. 256.50.b
Terra aquis vndique cincta est. 228.21.a
terra immobilis. 228.9.a
terra quando mota. 171.41.b
terra quando creata. 2.51.a
in Terra qui sint. 286.50.a
terra, scabellum pedum Dei quomodo dicatur. 7.13.b
terra quomodo perhorrescat. 396.24.b
terræ pluuium Deus cur suppeditet. 228.19 b
terram bonam Deus quam appellet. 238.25.a.352. 30.b
terram imam Ezechiel, cùm de Rege Nabuchodonosor loquitur, mortem appellat: cùm de diabolo, in extrema deiectionem. 503.44.a
terram Iordanis Dauid promissionis terram nuncupat. 138.10.a
terram mensuris subijcere quorum proprium. 331. 36.a
trans Terram quæ sint maria. 181.42.a
terram tempore Crucis quis commouerit. 171.48.a
terram viuentium Dauid futuram vitam vocat. 116. 48.a
Terreni fructus in nobis qui sint. 709.32.b
Terror potentiæ morte euertitur. 505.62.b
inter Testamentum vetus & nouum quæ sit conuenientia. 413.55.b
Testudo è quo genere animalium. 620.37.a
Theman & Hebræorum & Syrorum lingua vocem significat. 340.62.a. Græcè verò meridiem sonat. 472 5.a
Theman, Idumeæ vrbs. 487.1.b
Tharsis, ciuitas quæ. 522.19.a.644.27.b.763 61.b
Tharsis gaudij contemplationem significat. 348. 25.a
Thetlathphalasar, Assyriorum rex. 480.58.a
Thuris colli quid significet. 334.22.a
Thus, diuinitatis est symbolum. 334.37.b
thus omnium aromatum præstantissimum. 337.36.b
Tigris & Euphratis fluuiorum meatus Deus cur voluerit ignotos. 9.56.b
Tigris vnde fluat. ibid.
Timor Dei quid efficiat. 720.9.b
timor Dei sanctus est. 105.37.a
timor cui conueniat. 244.35.b.398.46.a
per Timorem Dei, virtutis possessio augetur. 268.11.b
Titus ciuitatem Hierosolymam diripuit. 161.23.b
Tonitru vnde proficiscatur. 443.14.b
Τὸ ὦῤ quid significet. 610.6.b
Topazius quid sit. 261.64.a
Tophet, idoli nomen est. 398.8.b
tophet quid significet. 377.21.b.779.49.b
Torcularia in sacris literis Ecclesiæ appellantur. 90. 41.a.200.12.a
Torrentes Dauid Iudæos vocat. 243.31.b
Torris quid sit. 683.4.b
Tribulatio patientiam operatur. 356.5.a
tribulatio quos comitetur. 262.1.b
Tribus quando diuisæ. 265.24.b.434.31.a
tribus Ephraim idolorum cultum quanti fecerit. 190.52.b
tribus Iuda quo Rege regnante pace perfruita. 144. 46.a
tribuũ principes cognomines vnius patris filij erant. 272.39.a
Τρίσαγιον qui dicantur. 704.1.b
Trophæa victoriæ indicia sunt. 185.6.b
Tuba quid denotet. 53.22.a
tubam Dauid doctrinam vocat. 220.65.b
tubam sacræ literæ vocem nuncupant. 220.59.b
tubis nos qualibus vtamur. 221.8.a
Turtur, amisso coniuge, viduam vitam transigit. 308. 3.a
turturis natura quæ. 309.61.a
turturis vox Spiritus sancti doctrina vocatur. 322. 3.a
Tyriorum deus, Baal fuit. 767 43.b
Tyrus impietatis magistrum & autorem diabolum habuit. 493.5.b

V.

Valentini partes qui consectantur, ij pro salubribus herbis pestifera venena ouibus submini strant. 506.5.b
Vallis lachrymarum, locus qualis sit. 200.23.b
Vanum quid appelletur. 255.29.b
Vates doctrinam quibus attulerint. 146.26.b
Vaticinantis officium quod sit. 79.22.
vaticinatio, rerum futurarum est. 168.18.a
Vbera, lactis receptacula dicuntur. 301.33.a
per Vbera quid intelligendum. 333.56.b
vbera mysticè quid significent. 301.48.a
Venandi rationes Dei variæ sunt. 742.32.a
pro Venenis Deus laudandus. 727.30.b
Venerem Iudæi cœli reginam vocabant. 404.30.a
venerem Græci quomodo appellent. ibid.
Venti vnde fiant. 289.38.a
ventus quomodo fiat. 189.52.b
ventorum natura omnium sensibilium velocissima. 227.45.b
super Ventorum pennas Deus vehitur. 227.49.b
Ventrem Dauid cogitationum cellã appellat. 120.56.b
Verax quis sit. 286.60.a
Verba mens discernit. 513.40.a
verba mollia aures quando titillent. 450.5.a
verba occulta grauiora, quàm quæ propalam proferuntur. 87.26.b
verbo Dei cuncta creata. 227.28.b.585.30.b.258. 23.a.727.44.b
Veritas à mendacio quid differat. 542.8.b
veritatis expertes, rerum naturam discernere nesciunt. 283.56.b
veritatis lux quibus illuxerit. 220.31.b
veritatis lux ex quo illuxerit. 238.6.b
veritatis spiritus quis sit. 489.42.b
Vestes pellicea allegoricè quid significent. 12.13.a
vestes pellicea quæ sint. 12.31.a
Vetus testamentum vmbra est noui. 235.50.b
Via bona Christus est. 375.62.b
via diuina ad cœlum nos ducit. 465.69.b
viæ latitudinem Dauid facilitatem vocat. 255.61.a
viæ multæ, Apostoli sunt. 375.61.b
viam Dauid actiones nominat. 147.46.b
Victimam Propheticus sermo sæpè iniquorum cædem vocat. 671.33.b
Victoriæ proprium quid sit. 144.14.b
Videndi facultatem diuina scriptura oculos appellat. 5.50.b
Videri à facie Dei quid significet. 137.14.b
Vigilias Dauid noctis diuisiones vocat. 189.39.a. Ieremias autem excitationem ad vindictam. 368.6.b
Viginti sicli vncias quot conficiant. 435.29.a
à Vijs diuinis deflectere, quorum proprium. 268.28.b
Vincere, omni quiete iucundius est. 290.24.a
victos Dauid quos appellet. 171.20.b
Vineæ nomine qui appellentur. 365.55.b
vineam diuina scriptura populum appellat. 670. 24.a
vini intemperantia, omnium malorum mater est. 563.24.a
vini vsu non malus est, sed abusus. 624.5.a
vinum allegoricè quid significet. 303.54.b
vinum Dauid supplicium vocat. 187.36.b
Vir, gloria Dei. 6.62.a
Virga ex Iesse, Bethleem est. 242.42.b
virgam Deus potestatem nuncupat. 185.25.a. Dauid verò regale sceptrum. 185.25.a
ex Virgine nasci, supra naturam est. 241.39.a
virginibus mos est, vt verborum curam gerant. 294. 48.
virginitatem violatam quid sequatur. 479.7.b
Viri diuini nomina diuina ab efficacia & actionibus imponunt. 582.14.b
virorum & mulierum eadem natura. 76. 54.a
virum iustum Dauid oliuam multo fructu onustam vocat. 153.23.b
Virtus in altum erecta, dulcissimum fert fructum. 213.57.b
virtus in sacris literis margaritis comparatur. 685. 32.b
virtus nobilitate maiorum longè est præstantior. 756. 6.a
virtutes variæ sunt. 713.14.a
virtutis athletas quid decoret. 142.5.b
virtutis partes quæ. 89.33.a
virtutis precium quod. 97.52.b
virtutis proprium quid. 113.52.b
virtutis via laboriosa. 254.32.a
virtutis via quibus iucunda. ibid.
virtutis viam Dauid Dei fortitudinem appellat. 225. 7.a
virtutum matres, sunt animæ Dei studiosæ. 713. 15.a
virtutum operationes à Spiritu sancto datæ sunt. 284.28.b
Vis sensitiua, est receptaculum naturalis rerum visibilium cognitionis. 339.10.a
Visionis puteus cur eo nomine appellatus. 9.41.a
Vita futura cur requies nuncupata. 213.9.a
vita futura sæculum dicitur. 416.8.a
vita hominum diuersa est. 146.42.b.& 759. 46.a
vita hominum perfecta quanta. 264.49.b
vita humana ab insomnio nihil differt. 184.5.a
vita humana supra terram tentatio est. 311.47.b
vita humana testæ similis est, quæ tam iam est recidenda. 724.31.a
vita humana caduca est. 210 9.b. 254.18.b. 258.49.b. 286.9.a. 544.10.b. 702.37.a
vita humana, fœno & flori similis. 226.13.b
vita, nox est. 354.3.b.
vita, quæ domi transigitur, pietatis conciliatrix est. 167.46.a
vita secundum Deum quibus necessaria. 268.12.b
vita secundum legem acta, fiduciam adfert. 256.53.a
vitæ causa quæ sit. 718.53.b.& 719.6.a
vitæ delicias qui amplectuntur, ex breuibus deliciis perpetuum dolorem percipiunt. 284.3.a
vitæ æternæ fons, Deus est. 569.40.b
vitam æternam qui consequantur. 560.4.b
vitam Christus quibus largitus. 164.10.a
vitam Deus hominibus quasi stadium proposuit. 29. 58.b
vitam præsentem Dauid diuersorium nuncupat. 156. 37.a
vitam tranquillam qui traducant. 263.27.b
per Vites florentes quid intelligendum. 321.44.a
Vitio semper carendum. 42.26.a

vitù inimica quæ sit. 196.27.a
vitù vera, Christus est. 109.54.a.360.18.b
Vituli ante cornuum productionem imbecilles sunt. 498.61.b
vitulus Libani quis. 118.31.a
vitulos Dauid sacerdotum & scribarum subditos appellat. 108.2.b
Viuentes Dauid quos appellet. 248.15.a
viuentium proprium quid. 119.50.b
viuorum regio Dauidi quæ dicatur. 248.56.b
Vmbilicus quid sit. 178.45.b.295.16
Vmbra Christi, Christiana est Respublica. 215.24.a
Vnanimes Dauid quos appellet. 171.16.b
Vngitur Christus secundum humanitatem Spiritu sancto. 586.28.a
vnguentum Christi omnium suauissimum. 301.35.b
Vngues regij milites appellantur, qui extremam corporis partem obtinent, ducibus subiecti. 460.54.a
Vngulæ diuisio quid significet. 43.33.b
Vnicornem Dauid diabolum vocat. 109.24.a
Vnusquisque pro mentis optione præmia feret. 433.40.b
Vocem Dauid Spiritus sancti gratiam appellat. 118.15.a
Vociferatio quid. 115.28.b.& 123.54.a
Volucrium quæ immunda. 44.9.a
Voluntates diuina cura sequitur. 539.21.a
Voluptas carnis, doloris causa est. 326.17.b
voluptate Deus quos impleat. 229.29.b
voluptati carnis dolor naturaliter est coniunctus. 236.16.b
voluptuarij spinis similes sunt. 314.7.b
Vota Dauid promissiones vocat. 164.20.a
votorum species multæ sunt. 52 11.a
Vouendum non temerè, sed votum factum præstandum. 52.2.b
Vox quorum motu distinguatur. 346.3.b
Vpupa alas habet corpore maiores. 685.54.b
Vriel Hebræorum lingua montem Dei significat. 528.4.b
Vsura, auaritiæ species. 464.13.a
Vtilitas sperandi in Deum quæ sit. 420.59.a
Vuas quis primùm expresserit. 15.44.b
Vulpecularum nomine quid indicetur. 324.25.a
vulpes quosnam appellet scriptura. 324.22.a
Vultus Ecclesiæ quis sit. 142.59.
Vxorem repudiatam qui ducit, mœchatur. 790.28.a
vxores non repudiandæ. 700.4.b

X.

XErxes nauali pugna ab Athenienſibus victus, turpiter domum rediit. 572.47.a

Y.

YPhul, rex Assyriorum. 480.9.a

Z.

ZAcharias diuinissimi Ioannis pater. 701.6.a
Zacharias & Aggæus vno eodemque anno prophetandi munus obierunt. 679.35.a.& 604.42.
Zara quid denotet. 23.27.b
Zelum Ezechiel idolum vocat. 441.35.a
zelum Zacharias diuinam iram nuncupat. 687.4.b
zelus quid sit. 34.28.b
Zonam Dauid Dei virtutem nuncupat. 167.19.b
Zorobabel, administrator fuit, non rex. 209.14.a
zorobabel captiuos è Babylone in patriam terram reduxit. 164.6.a
zorobabel, Christi figura fuit. 164.5.a.& 684.13.a
zorobabel cur Oriens nominatus. 686.64.a
zorobabel ex Dauidica stirpe procreatus. 639.57.b 683.60.b.609.7.b
zorobabel, filius Salathiel, vir pietate insignis. 372.4.a
zorobabel non rex, sed populi & exercitus ductor fuit. 519.50.b.520.43.a
zorobabel Salomon nuncupatus. 268.1.a
zorobabel templum Salomonis, à Babylonijs solo adæquatum, erexit. 267.62.b
zorobabel vbi & quando natus. 655.5.a
zorobabel vnde nomen sortitus. ibid.
zorobabel vrbem Hierusalem post reditum è Babylone restaurauit. 531.52.b.

FINIS INDICIS TOMI
PRIMI OPERVM THE-
ODORETI.

CATA-

CATALOGVS BEATI
THEODORETI OPERVM, QVAE IN
HOC TOMO PRIMO CONTINENTVR.

In
Geneſin. 1.
Exodum. 27.
Leuiticum. 40.
Librum Numerorum. 50.
Deuteronomium. 59.
Ieſum, filium Naue. 69.
Librum Iudicum. 74.
Pſalterium. 81.
Cantica canticorum. 299.
Ieremiæ prophetiam. 367.
Baruch prophetiam. 413.
Ieremiæ lamentationes. 417.
Ezechielem. 425.

In
Danielem. 537.
Oſee. 606.
Ioel. 623.
Amos. 630.
Abdiam. 641.
Ionam. 643.
Micheam. 649.
Nahum. 660.
Habacuc. 665.
Sophoniam. 671.
Aggæum. 676.
Zachariam. 679.
Malachiam. 699.

QVIBVS HAC EDITIONE NVNC RECENS ACCESSERE.

In
Canticũ Moſis in Exitu. 703.
Canticum Moſis in Deuteronomio. 706.
Canticum Annæ, matris Samuelis. 712.
Canticum Abacuc. 713.
Orationem Eſaiæ. 717.
Preces Ionæ. 722.
Precationem Ezechiæ. 723.
Precationẽ triũ puerorũ. 725.

In
Hymnum trium puerorum. 727.
Canticum Marię Dei genitricis. 728.
Precationem Zachariæ. 729.
Precationem Simeonis. ibid.
Librum Iudicum.. 731.
Librum Ruth. 732.
Libros Regum. 734.
Libros Paralipomenon. 780.

BEATI THEODORETI

EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,

Ioanne Pico Præside claſsium inquiſitoriarum Senatus Pariſienſis interprete.

IN GENESIN.

Genes. 1. *IN principio creauit Deus cælum & terram.*

SCRIPTVRA ſacra docendi rationem metiri conſueuit ex diſcipulis: ac perfectis perfecta proponere, rudibus autem elementa, eorumque facultati conuenientia. Quum ergo conſpicuam creaturam Deum conſtituerẽt Aegyptij, quibuſcum Iſrael diutiſsimè conuerſatus impietatem hanc imbiberat, neceſſariò quæ de creatura ſcire expediat, illis proponit, ac diſertè docet, illam habuiſſe initium, & ab vniuerſitatis Deo creatam eſſe. Nec tamen theologicum ſermonem prætermiſit. Dum enim dixit, cælum, terram, & alias res omnes creatas eſſe, horumque opificem eſſe Deum vniuerſorum demonſtrauit, theologiam ijs qui tunc erant ſatis idoneam propoſuit. Nam illorum declarauit originem, at huius reperire nequiuit initiũ. Ideoq; quum Deum norit æternum, quem vniuerſi creatorem appellauit, creatoré inquam bonum, ſapientiſsima concordia quod theologicum eſt, cum phyſiologico copulauit. Siquidem qui hæc docebantur, didicerant aliàs, Exo. 3. e. ,, Deum eſſe æternum. Diuinus enim Moſes à ,, Deo omnium miſſus in Aegyptum, iuſſus eſt dicere tribulibus ſuis, Qui eſt, miſit me ad vos. Iſtud autem, Qui eſt, æternitatem ſignificat. Conſtat porrò ſtudioſis, illa priùs quàm hæc eſſe dicta. Illam enim diſciplinam eis Aegyptũ adhuc incolentibus exhibuit, hęc autem componebat in deſerto.

2 Quamobrem non meminit creationis angelorum?

Qui lege regebantur, ſolidæ vel conſtantis fidei nihil habebant. Mox enim poſt plura & ineffabilia miracula, imaginẽ vituli Deum deſignauerunt. Quòd ſi tam facilè ſibi Deos finxerunt è iumẽtorum ſimulacris, quid non perpetraturi fuiſſent, inuiſibilis naturæ notitiam aſſecuti? Huiuſce rei gratia Deus vniuerſitatis conditor, neminem veterum allocutus eſt per angelum, vſque ad tempora integerrimi Abrahæ. Primùm enim ſub Agar diuinus Moſes meminit angeli, idq; iuſtiſsima de cauſa. Nam Agar typum gerebat veteris Teſtamenti, ſecundum diuinum Apoſtolum. Agar enim (inquit) ,, Gal. 4. d. Sina mons eſt in Arabia, coniunctus ei quę nũc ,, eſt Ieruſalẽ. Quũ igitur per angelos data ſit lex ,, (Diſpoſita enim, ait, per angelos in manu me- ,, Gal. 3. c. diatoris: Et iterum, Si qui per angelos dictus ,, Heb. 2. c. eſt ſermo, fuit firmus) aptiſsimè profectò Deus ,, omnium per angelum ſeruitutis meminit, & quæ ad puerum procreandum pertinebant, effatus eſt. Quòd autem naturã creationis participem habeant angeli atque archangeli, & ſi quid aliud eſt incorporeum, excepta ſancta Trinitate, ſcriptura diuina nos docet apertè. Siqui- ,, Iſa. 148. a. dem, Laudate (inquit) eum omnes angeli eius, ,, Laudate eum omnes virtutes eius. Quia ipſe ,, dixit, & facta ſunt. ,,

3 Præcedúntne angeli creationem cæli & terræ, an vnà cum eis creati ſunt?

Superfluas equidem huiuſmodi quæſtiones exiſtimaui. Nam quid iuuabit noſſe, quando conditi ſint angeli? Noui etiam, quòd diuinus Apoſtolus præcipiat admirãdo Timotheo, Denuncia quibuſdam, non aliter docere, neq; in- 1. Timot. 1. a. tendere fabulis & genealogijs interminatis. ,, Quòd autem angeli ſubſtantiam habeant circunſcriptam, nemo (vt arbitror) repugnabit: quum Dominus dixerit, ſingulos homines ſubeſſe ſingulorum angelorum imperio. Vi- ,, dete enim, inquit, ne contemnatis vnum ex mi- ,, Mat. 18. b. nimis, qui in me credunt: quia angeli eorum ,, vident ſemper faciem patris mei, qui in cælis ,, Deu. 32. a. eſt. Quinetiam cuique genti proprium angelum præeſſe, affirmat ſcriptura: verbi gratia, ,, Statuit terminos gentium pro numero angelorum Dei. Si igitur hic iſtis, ille verò illis præfectus eſt, ſinguli verò homines ſub vnius, videlicet angeli, cura degunt, certum eſt, angelos determinatæ eſſe ſubſtantiæ. Quòd ſi verum eſt iſtud, ſicuti profectò eſt, loco vtique opus habebunt. Nam ſola diuinitas, veluti

minimè circunſcripta, loco non eſt obnoxia. At ſi quod circunſcriptum eſt, in loco eſt, qui ſit, vt angelos ante cælum & terram extare arbitrentur? Nam ſi non ſit in rerum natura quod comprehendat, quomodo eſſe poſſit quippiam quod comprehendatur? Sed aiunt quidam, neceſſario dicẽdum priùs angelos extitiſſe quàm cælum & terram. Si enim angeli (inquiunt) non extabant, quomodo Deus omnium laudabatur? Verùm qui hæc dicunt, non animaduertunt, quòd hoc ſermone angelos carere principio aſtruunt. Nam ſi Deus omnium laudatoribus indigebat, & hos ſemper habebat laudatores, coæterni igitur erant angeli cum Deo omnium. Quòd ſi non ſemper erant, ſed Deus eos condidit, quando id expedire iudicauit, erat igitur ſæculum quoddam, quo Deus vniuerſorum illos prædicatores non habebat. Non indiget ergo Dominus Deus laudatoribus, quippe qui natura nullius indigeat: ſed ſola bonitate ductus, angelis, archangelis, & vniuerſæ creaturæ largitus eſt, vt eſſet. At verò quo miniſterio fungebantur angeli, qui creationem præcedebant: quum nullus eſſet, qui indigeret aut adiuuaretur eorum opera? Siquidem in miniſterium hominum, Deo omnium ſubeſſe dicuntur. Cuius rei teſtis eſt diuinus
Hebr.1.d. ,, Apoſtolus, inclamans, Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi pro-
,, pter eos qui hæreditatem capient ſalutis? Conſtat igitur quòd nos quidem illorum opera indigemus, Deus verò nullius indiget, quum ſit bonitatis abyſſus, voluerit autem ijs qui omnino non erant, elargiri facultatem vt eſſent. Cæterùm qui angelos præcedere cælum & terram aſtruunt, pro firmo & inuicto fundamento nobis proponunt illud, quod ipſi Iob Deus
Iob.38.a. ,, omnium conditor dixit, Quando creabam
,, aſtra, laudabant me angeli mei. Et non aduertunt, die quarta vnà cum ſole & luna Deum omnium aſtra produxiſſe. Illud porrò ſcire neceſſe eſt, omnia quæcunque extant (excepta ſancta Trinitate) naturam habere creationi obnoxiam. Hoc autem conceſſo, ſi quis angelorum turbas ante cælum & terram conditas eſſe dixerit, non offendet verbum pietatis. At verboſis contentionibus inſiſtere, quæ
2.Timo.2.b. ,, ad nihil aliud proſunt, quàm ad ſubuerſionem
,, audientium, expreſsè prohibet diuinus Apoſtolus.

4 Si terra erat, quomodo creata eſt? Ait enim qui ſcripſit, Terra autem erat.

Gene.1.a. Leuis nimium & ſtolida quæſtio. Nam qui
,, dixit, In principio creauit Deus cælum & terram, non æternam dixit eſſe terram, ſed poſt cælum aut cum cælo creatam eſſe. Alioqui nec abſolutè dixit ſcriptor, Terra autẽ erat: ſed quod ſequitur ſubiunxit, terra autem erat inuiſibilis & incõpoſita, hoc eſt, creata quidem eſt à Deo omnium conditore, ſed adhuc inuiſibilis erat, aquis nempe circundata: & incompoſita, eò quòd nondum ornata erat germinibus, neque conſita pratis, nemoribus & ſegetibus.

5 Non docuit nos Moſes, Deum creaſſe aquas.

Equidem quum dixerit, Terra autem erat ,, *Ibidem.*
inuiſibilis & incompoſita, & tenebræ erant ſu- ,,
per abyſſum, demonſtrauit, cum terra creatas ,,
ſimul eſſe aquas. Et Deus omnium quum de
ſabbato legem ferret, ſic ait, Sex diebus opera- ,,
re, ſeptima verò ſabbatum & requies Domino ,,
Deo tuo. Sex enim diebus creauit Dominus cę ,, *Exo.20.b*
lum & terram, & mare, & omnia quę in eis ſunt. ,,
Ita vt ſit in aperto, quòd quicquid in eis eſt, viſibile ſit aut inuiſibile, ſenſu aut intellectu cõprehendatur (excepta diuina ſubſtantia) naturam habet creationis participem. Item per di- *Pſal.145.a.*
uinus ille Dauid quum diciſſet, Beatus, cuius ,,
Deus Iacob adiutor eius: ſpes eius in Domino ,,
Deo ipſius, qui fecit cælum & terram: ſubiun- ,,
xit, Mare, & omnia quę in eo ſunt. ,,

6 Cuiuſnam igitur luminis expers ſtatim inuentus eſt locus ille, qui erat in mundo, vt tenebræ eſſent ſuper abyſſum.

Animaduertendum eſt, quòd ſi quid erat ante hunc ſenſibilem mundum, in lumine certè erat. Neque enim dignitates angelorum, nec vniuerſi cęleſtes exercitus in tenebris agebant, ſed in lumine & in omni ſpiritali lætitia. Quibus nemo repugnabit, qui lumen ſupercæleſte inter bona promiſſa recipit, de quo lumine Salomon ait, Lumen iuſtis perpetuum eſt. Et Apoſtolus, Gratias agentes Deo patri, qui nos ido- ,, *Col.1.b.*
neos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumi- ,,
ne. Quum igitur imperio diuino creatum ſit cælum, omnibus, quę intra eius ambitum continentur, circumfuſum, corpus quidem habens continuum, quod poſſit ea quæ foris ſita ſunt, ſeparare ab ijs quæ intra ſe comprehendit, neceſſariò locum quem complectitur, tenebroſum reddidit, externũ ab eo lumen excludens. Nam tria concurrere oportet in vmbra: lumen, corpus, & locum minimè lucidum. Tenebræ igitur huius mundi propter cæleſtis corporis vmbram prouenẽre.

7 Si Deus lumen creauit, quomodo tenebras ei addidit, quum hæc inuicem aduerſentur?

Sunt quidem inter ſe contraria, ſed hominibus ambo neceſſaria. Illud enim hominum operibus & laboribus confert, & apparere facit ea quæ videntur, adhortaturque ad collaudandum horum autorem. Tenebræ verò quieſcere faciunt, & reparant hominem, ſoluta laſſitudine, quam ex labore contraxit. Similiter homines domum cogunt, beſtijs verò præbent occaſionem pabuli. Et hoc apertè nos docet diuinus Dauid: Poſuiſti (inquit) *Pſal.103.c.*
tenebras, & facta eſt nox. In ipſa pertranſi- ,,
bunt omnes beſtiæ agri, catuli leonum rugi- ,,
entes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. ,,
Exortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubi- ,,
libus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad o- ,,
pus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad ,,
veſperam. Et his ita dictis admiratur magni- ,,
ficentiam creatoris, inquiens, Quàm magnifi- ,,
cata ſunt opera tua Domine? Omnia in ſapientia feciſti. Didicimus igitur apertè, tenebras eſſe neceſſarias. Quòd autem non ſint ſubſtantia, ſed res quædam accidentaria, facile eſt intelli-

intelligere: nempe quòd ſint cæli & terræ adumbratio. Quamobrem oriente lumine euaneſcunt tenebræ. Lumen autem ſubſtantia eſt & ſubſiſtit: & quum occiderit, rurſum oritur: & quum abierit, reuertitur. Quemadmodum enim corpus noſtrum eſt ſubſtantia, vmbra verò, quam facit, accidens eſt, non ſubſtantia: ita cælum & terra (quæ maxima ſunt corpora) ſubſtantiæ ſunt diuerſæ: quæ verò ab his manat vmbra, lumine non apparente, vocantur tenebræ. Lumen autem emergens, tenebras delet. Itaque cæli & terræ vmbra tenebras producit: quæ oriente lumine rurſum diſſoluuntur. Non ſunt igitur tenebrę ſubſtantia quędam increata, neque etiam ſubſtantia creata: ſed vſus quidam neceſſarius, ab his quæ facta ſunt prouenientes, & ſapientiam Dei prædicans. Ecce enim propheta Deum vniuerſorum etiam ab
,, his laudat: Qui feciſti (ait) lumen, & præpara-
,, ſti tenebras: aptiſsimè quidem vtrunq; poſuit, faciendi verbum adaptans lumini, & dictione præparandi vtens circa tenebras. Sunt enim accidens quoddam, quod & conſiſtit & diſſoluitur. Proinde tres illi pueri beati creaturam omnem prouocantes ad laudes diuinas, diei noctem coniunxerunt, & lumini tenebras addiderunt. Nam horum ſucceſsibus tempus menſuratur, & hominum vita ſubſiſtit.

8 Qualiſnam ſpiritus ferebatur ſuper aquas?

Quibuſdam videtur fuiſſe ſpiritus ſanctus, qui viuificabat & fœcundabat aquarum naturam, præfigurans quodam modo gratiam baptiſmi. Verius autem putauerim, quòd hic aërem vocet ſpiritum. Nam quum diciſſet, Deũ creaſſe cælum & terram, & aquarum meminiſſet ſub nomine abyſsi, neceſſariò & aeris mentionem fecit, à ſuperficie aquæ ad cælum vſq; permeantis. Aeris enim natura eſt, vt circa inferiora corpora feratur & agitetur. Aptiſsimè autem verbum iſtud, ferebatur, ſubſtãtiam aeris mobilem indicat. Quòd ſi quis huic interpretationi non aſſentitur, propterea quòd ſcriptum eſt, Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas,
Gen.1.a. ,, *Pſa.147.b.*,, audiat beatum Dauid dicentem de Deo omnium conditore, Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Certum eſt, quòd ventum ipſe vocauerit ſpiritum, etſi verbo non expreſſerit. Siquidem euro aut notho flante, aqua congelata diſſolui ſolet & liquefieri.

9 Cuinam dixit Deus, Fiat lux, & fiat firmamentum?

Non præcipit Deus alteri cuidam creare: ſed quæ non ſunt, vocat, ita vt hic præceptum ſit ipſa voluntas. Omnia enim, ait, quæcunq; voluit, Deus fecit. Quòd ſi creando voce quadam
Pſal.113.b ,, vſus eſt, certum eſt, hoc non elementorum inanimatorum cauſa, ſed inuiſibilium virtutũ gratia factum eſſe: vt ſciant, quòd ipſo iubente, ea quæ non ſunt, ſubſiſtunt.

10 Quamobrem autor hoc addidit, Et vidit Deus quòd bonum erat, &c.

Vt perſuadeat ingratis, non aſpernari, quæ ſententia diuina vocat bona.

11 Eſtne vnum cælum, an duo?

Quum ſcriptura diuina doceat, in principio Deum creaſſe cælum & terrã, deinde poſt lucis creationem ſecunda die dicat firmamentũ factum eſſe, imperitiæ plena videtur eſſe huiuſmodi quæſtio. Oportebat enim ex temporis ratione & ipſo creationis modo, cælorum diuerſitatem noſſe, & vnum luce prius, alterum verò poſt lucem: & illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc autem ex aquis creatũ eſſe. Nam inquit, Fiat firmamẽtum in medio aquæ, quod ,, *Gene.1.d.*
per mediũ ſeparet aquas ab aquis. Sic enim ab ,,
ipſa re, cæli ſortiti ſunt appellationem. Siquidẽ quum ex aquarum fluida ſubſtantia compoſitum ſit, & natura fluida, condenſata & conſolidata fuerit, firmamentum nominatum eſt. Deinde quia ſurſum collocatum eſt, prioris cæli vſum commodo noſtro perficiens, cęli nomen ſortitum eſt. Bifariam autem Deus omnium diuiſit aquarum naturam: & quaſdam ſurſum collocauit, quæ ſuo liquore atque frigiditate non ſinerent corrumpi firmamentum ab igne luminarium. Reliquæ verò aquæ deorſum remanſerunt, quæ ſuis vaporibus aerem foueant exuſtum & exiccatum ab igne ſuperiore. Qui igitur non credit ſecundum eſſe cælum, ſemitam rectam tranſgreditur: qui verò plures numerare conatur, adhæret fabulis, poſtpoſita diuini ſpiritus doctrina. Pluraliter autem diuina ſcriptura cælos nuncupat, dicens, Cæli cælorum: quoniam hebraica lingua neque cælum, neque aquam ſingulari numero nouit appellare. Reperire autem eſt ſimilia multa inter dictiones græcas. Nullus enim ciuitatem Athenam ſingulari numero vocitare ſolet, ſed pluraliter Athenas. Similiter & Delphum ciuitatem nemo vocat, ſed numero plurali Delphos. Non ergo tanquam plures ſint cæli, ita locuta eſt ſcriptura: ſed hebraicæ linguæ ſeruato idiomate. Quod quidem in alio pſalmo manifeſtius nos docet, illius linguæ prætermiſſo idiomate, dũ inquit, Cælum cæli Domino. Ita vt ſatis con- ,, *Pſa.113.d.*
ſtet, quòd quemadmodum cælum iſtud nobis eſt pro tegmine, terra verò pro pauimento: ita cælum quod videmus, pro tegmine ſuperpoſitum cælum habet.

12 Cur, vnam quum dixerit congregationem aquarum, multas poſtmodum innuit? Congregata eſt (inquit) aqua quæ ſub cælo erat, in congregationes ſuas. *Geneſ.1.b.*

Vna quidem eſt aquarum congregatio, quoniam inter ſe maria conueniunt, quędam deorſum per meatus ſubterraneos decurrentia, alia ſecundum ſuperficiem terræ. Sed plurali numero congregationes dixit, quoniam aliud eſt mare Indicum, aliud Ponticum, & aliud Tyrrhenum. Item aliud eſt Propontis, aliud Helleſpontus. Similiter alius eſt Aegæus ſinus, alius Ionicus. Præter hæc autẽ omnia adhuc eſt maximum mare, quod nonnulli vocant mare Atlanticum, quidam verò Oceanum appellant. Hac de cauſa ſcriptura ſacra congregationem vnam aquarum, veluti coadunatam appellauit: congregationes verò, tanquam diſtinctas.

13 Qua de cauſa Deus herbas non eſculentas iuſſit germinare?

Multa ſunt animalium irrationaliũ genera,

quędam fera,alia iumenta appellata:& nonnulla reptilia,alia volatilia. His igitur omnibus animalibus eſcam præparauit Deus, quæ etiam in hominum vſum condidit,& ſtatim eis propter nos pabulum dedit: Qui producit,inquit, Pſa.103.b. ,, fœnum iumentis,& herbam ſeruituti hominũ. Quod igitur huic inutile eſt, alteri maximè cõgruit, & alia conueniunt hominibus. Ad hæc præuidens Dominus, quòd homines in morbos prolaberentur,vtpote qui ſententiam mortis propter peccatum receperant, iuſsit terram herbas producere non tantùm eſui aptas, ſed etiam morbis depellendis. Et hoc diligentius quis noſſe poterit ab his qui medicinæ artem exercuerunt,quòd hæ quæ videntur eſſe venenoſæ,morborũ remedia continent. Permixtæ enim alijs herbis morbi depulſiuæ fiunt, & ſanitatem procurant.

14 Luminaribus creatis ad quid priùs facta eſt lux?

Dominus Deus tum ex his quę nõ ſunt,tum ex his quæ ſunt,creare ſolet. Nam prius cęlum ex nihilo creauit,poſterius autem ex aqua fecit. Sic & terram,quæ priùs non erat,produxit: genera verò arborum & ſeminum germinare iuſſit. Igitur & lucem creauit quemadmodum ei libuit. Sicuti verò firmamento diſtinxit aquarum naturam, & quaſdam ſurſum collocauit, reliquas deorſum reliquit: ſic lucem illam diſtinguens pro arbitrio ſuo, luminaria magna & parua condidit.

Gen.1.b. *15 Quid hoc eſt, In ſigna & in tempora: & in annos & in dies?*

Sol ortu ſuo atq; occaſu dies facit: quum autem percurrerit auſtrales atq; aquilonares partes, annalem circulum perficit. Idemq; ſolſtitia efficit,quæ tempora ſcriptura diuina nominat. Tranſiens enim ab æquinoctio ad aquilonem,ver facit:& inde rediens ad eoſdem termi nos,æſtiuale ſolſtitiũ producit:procedente autem eo inde ad meridiem, autumnus naſcitur: & inde reuertens, hyemem producit. Ex curſu autem lunę mẽſium numerum diſcimus. Nam ex curſu triginta dierum menſem appellamus. Siquidem & lunam vocant menſem. Quod autem dicitur, In ſigna, non intelligimus ſecundum opinionem quorũdam ſtultorum. Siquidem vanam illam de cuiuſque natiuitate diſceptationem, nec Pythagoras, nec Socrates, nec Plato,nec Stoici receperunt. Quòd ſi qui in fabulis educati ſunt, huius fabulæ impietatem execrantur, quis diuinis ſermonibus credens hęc non modò impia,ſed valde etiam fatua recipiat? Signa igitur vocat ſcriptura diuina,quibus cognoſcamus tẽpus opportunum ſeminãdi,plantandi,purgandi,& ligna cædendi ad nauium & domuum conſtructionem idonea. Inde etiam nautę didicerunt,quando opportunè nauem ſubducere vel impellere conueniat, & quando vela pãdere aut contrahere oporteat. Experientia enim ipſos docuit aſtrorum ortus & occaſus. Sæpe etiam nos quoque hac ratione cognouimus cometam aut barbatam ſtellam. Atque etiam, ſi placet, impetum hoſtium nouimus, aut locuſtæ incurſum, aut iumentorum vel hominum cladem futuram. Hæc igitur ſigna vocauit ſcriptura, non illa planè dementiæ atque impietatis plena.

16 Quare Deus creauit plantas ante luminaria, poſt illa verò condidit animalia?

Oculos habent animalia, nec lucis exceſſum ferre potuiſſent. Lux verò diſtributa in parua & magna luminaria conuenientem oculis animalium ſplendorem reddit: plantarum autem natura ſenſus prorſus eſt expers.

17 Cur Deus non benedixit plantis, animalibus autẽ dixit, Creſcite, & multiplicamini, & quæ ſequuntur? Gene.1.c.

Deus pro nutu ſuo ſtatim vniuerſam terram repleuit pratis, ſegetibus, & alijs omnis generis herbis & arboribus:cætera verò animalia bina creauit. Vnde meritò benedictionem eis largitus eſt, vt per multiplicationem quædam replerent maria, paludes & fluuios, quædam aẽrem,nonnulla verò terram.

18 Ad quid Deus creauit beſtias & reptilia?

Pueri tum terriculamentis tum etiam loris & virgis indigent.Et per illa quidem ipſos terremus, per hæc autem erudimus, honeſtatem omnem eis procurantes. Quum igitur Dominus Deus animaduertiſſet nos ad ignauiã procliues, beſtias & reptilia condidit, veluti lora quædam & terriculamenta: vt per ea nos terrens ad ſe traheret,atq; eius auxilium imploraremus. At quemadmodum qui perfecti ſunt, terriculamenta huiuſmodi & lora contemnũt: ſic qui in virtute educati ſunt,beſtiarum incurſus minimè formidant. Siquidem Adæ, priùs quàm peccaſſet, aſsiſtebant beſtiæ obſequium profitentes. Et rurſum, ipſum Noë ingredientem arcam, leo, pardus, & reptilium atrociſsima quæque ouium more ſequebantur. Et Danieli aderant leones, qui alioqui famelici accedere tamen ad eum non audebant, eò quòd in illo characteres diuinam imaginem præ ſe ferentes conſpicerent.Itidem vipera quæ dentes iniecerat in manum Apoſtoli, quum nihil peccato tenerum aut molle in eo reperiſſet, mox reſilijt,& in ignem ſe cõiecit, ſupplicium quodammodo de ſe ipſa ſumens,quòd corpus ſibi nullatenus conueniens, adorta eſſet. Nos autẽ ideo beſtias formidamus,quia virtutem negligimus. Et ob id Deus ſocordium etiam hominum curam agens, eas in remotiora loca relegauit, & ijs nocturnum tempus ad eſcam quærendam largitus eſt. In ipſa enim nocte (ait) ,, Pſal.103.c pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ. Reptilibus ,, verò antra terræ præbuit, vt in eis latentia humano generi non nocent. At ne beſtias, velut ab his prorſus illæſi, contemnamus, quaſi nullarum ſint virium,nonnunquam permittit Deus duos aut tres è multis milibus (prout ſapientiſsimè noſtra diſpenſat) vel à ſcorpionibus pungi,aut à ſerpentibus morderi:vt nos veriti, ne quid ſimile patiamur, Deum creatorem in auxilium inuocemus,obſecrãtes, vt illa omnium malorum depultrice prouidentia nos tueatur. Præterea & ad alia beſtiæ non ſunt nobis inutiles. Nam ex eis medici pharmaca nõ pauca componunt, ad morbos propulſandos. Ne quis

quis igitur beſtijs per ſe conſideratis de creatore conqueratur,ſed vtilitatem inueſtiget. Siquidem ipſum etiam corpus humanum, quamuis formoſum, temperatum, & varia partium vtilitate præditum, mucco tamen & ſputo ac fœtido ſtercore non caret. Nullus tamen ſanæ mentis ex his animal vituperat. Neque enim abſque his agere vitam poteſt, ſed per hæc firmum eſt & vegetum. Siquidem eget pituita, ſanguine, & vtraque bile. At quemadmodum per hæc conſiſtit: ſic per eadem dilabitur. Vnius enim horum exceſſu aut defectu enecatur animal.

Gene.1.d. *19 Cuinam dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram?*

Execrandi quidam hæretici dixerunt, Deum hæc locutum eſſe angelis & improbis dæmonibus: non intelligentes ſtupidi homines huiuſmodi,quid ſibi velit illud, Ad imaginem noſtram. Subſtantia enim Dei & eius imago non eſt eadem cum ſubſtantia angelica. Ille enim æternam habet naturam,hi verò opificem & creatorem habent ipſum, à quo acceperunt vt eſſent. Dæmones autem etiam ſpontè conuerſi ſunt ad malitiam. Extremæ igitur demen tiæ eſt, fateri vnam imaginem eſſe dæmonum improborum & immenſæ bonitatis. Iudæi verò ad aliam ſe conuerterunt inſaniam. Aiunt enim, Deum vniuerſorum ſibijpſi dixiſſe, Faciamus hominem, eorum more quibus imperia ſumma credita ſunt. Nam & magiſtri equitum & imperatores plurali numero conſueuerunt dicere,Iubemus,ſcribimus,& mandamus, & quæ ſunt huiuſmodi. At inſani non animaduerterunt, quòd plurima Deus omnium effari Gen.6.c. ,, ſoleat ſingulari numero. Tempus enim,inquit, Ibidem b. ,, vniuerſi hominis venit coram me. Et, Pœnitet me feciſſe hominem. Item, Non erunt tiDeut.32.c. Eſa.43.c. ,, bi Dij alij præter me. Et,Ecce ego facio noua, Eſa.41.d. ,, quæ mox oriuntur. Et, Aperiam in montibus ,, fontes,& in herbis flumina. Et in vniuerſa plane ſcriptura diuina licet audire Deum omnium ſingulari numero loquentem. Rarò autem pluraliter ſermonem format,niſi quum innuit numerum perſonarum trinitatis. Etenim quũ Gen.11.b. ,, linguas confunderet, non dixit ſingulariter, ,, Deſcendam:ſed,Venite,deſcendentes confundamus ipſorum linguas. Et hoc igitur loco, quoniam Deus animal rationale formabat, quod poſtea renouaturus erat poſt multas generationes, ſanctæ trinitatis inuocationibus ſacroſanctum baptiſma inſtituens, quum fabricaturus eſſet naturam cui hęc myſteria crederentur, obſcurè identitatem ſubſtantiæ & perſonarum numerum aperuit. Dum enim inquit, Dixit Deus, communionem diuinæ naturæ explanauit: ſubiungens autem illud, Faciamus, expreſsit numerum perſonarum. Similiter quum iterum ſingulari numero dixit, Imaginem, eandem eſſe naturam oſtendit. Non enim dixit, Ad imagines: ſed, Ad imaginem. Quum autem dixit, Noſtram,numerum hypoſtaſeon manifeſtauit. Deum enim, qui prænoſcit omnia,quę nondum facta ſunt,tamquam iam facta, & qui præuidebat incarnationem & inhumanationem vnigeniti, quodque ex virgine eandem naturam ſumpturus eſſet, quam ſibi coaptaret & vniret in vnam perſonam Dei & hominis, intellexiſſe dicendum eſt non immeritò, vnam adorationem ab vniuerſa creatura offerendam: vnde iuſta de cauſa & ipſam velut generis fundamentum ſummo honore dignatus eſt.In primiſque creationis conſilium ineundo, vt quod in creatore rationale erat, præmonſtraret, deinde perſonarum numerum inſinuando, vt qui laudes & hymnos oblaturus erat ſuper terram, theologiæ ænigmata ſumeret: tanquam igitur autor huiuſmodi creationis, maiorem erga creaturam humanitatem præfecit. Hoc ipſum & illuIob 10.b. ſtris Iob, ipſum alloquens, clamat,Manus tuæ ,, fecerunt me, & plaſmauerunt me. quibus ver- ,, bis vſus eſt Dauid. Hoc ipſum etiam ſanè nouit, qui ſancto baptiſmate dignus habitus eſt: nempe, quòd is qui formauit, ſaluauit: & qui ſaluauit, formauit. Ad hæc & ipſe creator per Ieremiam & Eſaiam ait, Quoniam nos lutum, ,, Eſa.64.c. ipſe verò formator noſter. Atqui diuinam na- ,, turam neque manus habere neque conſilio aut præmeditatione egere, profitemur, vt (ex Platonicis fabulis) ſecundum eam quam conceperit ideam, opus conſtruat:ſed vnumquodque horum maiorẽ Dei ſolicitudinem demonſtrat erga animal huiuſmodi.

20 Quid illud eſt, Ad imaginem?

Quidam vocauerunt imaginem Dei, id quod eſt in anima inuiſibile, ſed non rectè dixerunt. Si enim inuiſibile animæ, imago Dei eſſet, multo magis angeli, archangeli, & vniuerſæ naturæ ſanctæ & incorporeæ, vtpote à corporibus prorſus liberatæ, inuiſibilem & impermixtam naturam poſsidentes, vocarentur imagines Dei. Quidam nimium ſimplices corpus humanum aiunt factum eſſe ad imaginem Dei: quoniam audiunt vocem diuinant dicentem, Aperi oculos tuos, & vide: & incli- 4. Reg.19.c. na aurem tuam, & audi. Et, Olfecit Dominus ,, Gen.8.d. odorem ſuauitatis. Et illud, Os Domini locu- ,, Eſai.1.c. tum eſt iſta. Et, In manu eius ſunt fines terræ, ,, Pſa.94.a & ſimilia.In quo ſtolidi non animaduerterunt, ,, Dominum Deum humano more hominibus loqui, audientium infirmitati ſermones accommodantem. Et quoniam oculis videmus, virtutem eius per quam videt, ſcriptura vocat oculos: & rurſum audiendi facultatem vocat aures, quoniam hiſce partibus audimus: & mandatum Dei, os. Verùm oportebat eos non ſolum ſuprà dicta verba audiuiſſe, ſed etiam ea quæ docent Deum incircunſcriptum. Quò enim (inquit) ibo à ſpiritu tuo? & quò à ,, Pſa.138.b. facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu il- ,, lic es: ſi deſcendero ad infernum, ades, & quæ ,, ſequuntur.Et Samaritanæ Dominus dixit,De- ,, Ioan.4.d. us ſpiritus eſt, & oportet eos qui adorãt ipſum, ,, in ſpiritu & veritate adorare. Si autẽ Deus ſpi- ,, ritus eſt,ſimplex igitur,incompoſitus, & figurã non recipiens. Atqui ſuperuacuum eſt, iſtud in longum producere ſermonem. Satis enim pa-

ret horum insania. Hunc igitur locum, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem
» nostram, aliqui doctores ita intellexerunt, nempe Deum omnium, quum creaturam sensitiuam & intellectiuam creasset, hominem postremò formasse, veluti sui quādam imaginem, medium illum ponendo inter animata & inanimata, sensitiua & intellectiua: vt vtraque quidem tam animata quàm inanimata vsum illi veluti tributum quoddam præberent: naturæ verò intellectiuæ, dum hominis curam gerunt, beneuolentiam erga creatorem demonstrarent. Hoc enim etiam diuinus Apo-
Heb.1.d. » stolus dixit, Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis? Et Do-
» » Ma.18.b. minus in Euangelijs, Videte, ne contemnatis vnum ex pusillis istis minimis. Amen dico vobis, quòd angeli eorum quotidie vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Nonnulli dixerunt, ad imaginem Dei creatum esse hominem, secundum facultatem dominandi, argumento clarissimo vsi ex eo quod creator
Gen.1.d. » subiunxit, Et dominetur piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs & vniuersæ terræ, & omnibus reptilibus repentibus super terram. Quemadmodum enim ipse omnium tenet imperium: ita dedit homini dominium animalium irrationalium. Facillimè autem reperiuntur & alia, in quibus homo Deum imitatur. Siquidem ad imitationem Dei creatoris homo construit domos, parietes, ciuitates, portus, naues, naualia, currus, & alia infinita, veluti imagines & figuras cæli, solis, lunæ, & stellarum, item hominum & animalium irrationalium formas. Infinita tamen est in ratione condendi diuersitas. Nam Deus omnium ex ijs quæ sunt & non sunt, creat, idque sine labore & tempore: quia simul atque voluerit, producit quod ei placuerit. Homo verò materia opus habet, indiget instrumentis, consilio, tempore & labore, ac solidis artibus ad opus construendum. Siquidem architectus indiget fabro ærario, faber autem ærarius metallis & carbonibus: similiter & omnes qui ligna cædunt, ijs qui plantas aut terram excolunt. Atque hoc pacto ars vnaquæque ab alijs artibus vsum earum mutuatur: veruntamen homo, dum ita quippiam construit, imitatur quodammodo creatorem, velut imago archetypum. Imago enim archetypi figuram habet: verùm quum membrorum speciem habeat, actiones tamen non habet. Caret enim anima, per quam mouetur corpus. Rursum ad instar Dei omnium conditoris, regnat homo & iudicat. verùm Deus accusatoribus aut testibus minimè indiget, quando iudicat. Sic enim Cain condemnauit, tanquam sceleris eius inspector. Homo verò in iudicando testibus opus habet & accusatoribus, quum ignoret quæ perpetrata sunt. Et sic homo vocatus est
1.Cor.11.b » Deus, quia imago Dei appellatus est. Vir enim, ait, non debet velare caput, quum sit imago & gloria Dei. At Deus omnium conditor naturam habet diuinam, non appellationem nudam: homo autem, velut imago, tantùm nomen habet, quum ipsa re careat. Sic & incircunscriptum esse, vere & propriè pertinet ad Deum omnium: imitatur autem id quodammodo mens humana, in momento perlustrans orientem & occidentem, aquilonem & meridiem, cælestia & subterranea, non re vera, sed sola rationis imaginatione. Deus autem secundum substantiam suam & sapientiam & virtutem minimè circunscribitur. Inuenire etiam poterit quispiam imitationem aliam aptiorem & conuenientiorem in anima humana. Habet enim ipsa facultatem rationalem & vitalem in se: & mens quidem producit sermonem, concurrit autem cum sermone spiritus, non generatus quidem, quemadmodum sermo, sed perpetuò consequens sermonem, & cum eo, dum editur, concurrens: sed huiusmodi adsunt homini tanquam imagini. quamobrem nec sermo nec spiritus per se subsistit. At in sancta trinitate tres intelligimus hypostases, easque sine confusione vnitas & per se subsistentes. Nam ante sæcula genitus est à patre Deus verbum, inseparabilis autem est à genitore: & proficiscitur à Deo & patre Spiritussanctus, qui & intelligitur in propria hypostasi. Omnia enim operatur, inquit, vnus
1.Cor.12.f. » & idem spiritus, diuidens sua cuique prout
» vult. Verum de his non debet prolixiùs dici,
» quòd huius rei infinitas demonstrationes reperire licet in sancta scriptura. Quidam ad imaginem Dei hominem creatum esse arbitrati sunt, secundum potentiam animæ inuisibilem, non intelligentes quòd & angelus inuisibilis est, similiter & dæmon. Quibus respondendum est id modò, quòd inter homines masculus & fœmina secundum corpus & animam eandem sortiti sunt naturam. Cur igitur Paulus virum quidem imaginem Dei dixit, non etiam mulierem, si secundum partem animæ rationalem homo est imago
» 1.Cor.11.b Dei? Inquit enim, Vir quidem, quum sit
» imago & gloria Dei, non debet velare ca-
» put: mulier autem gloria viri est. Si ergo qui non debet velare caput, imago Dei est, profectò quæ velatur, non est imago Dei, quantis eiusdem animæ sit particeps. Quomodo ergo homo est imago Dei? Secundum imperium & potestatem. Quod perhibere videtur etiam vox diuina, quæ dicit,
» Gene.1.d. Faciamus hominem ad imaginem & simili-
» » tudinem nostram. Et modum subiungens
» » ait, Et dominetur piscibus maris & vola-
» » tilibus cæli & bestijs terræ, & reliqua. Quemadmodum enim Deus omnibus imperat, sic homo ijs quæ sunt super terram. At quamobrem mulier non dominatur prædictis, sed virum habet pro capite, quæ tamen reliqua sub potestate tenet: vir autem non subiectus est mulieri? vnde rectè beatus Paulus ait, solum virum imaginem & gloriam Dei esse, mulierem verò gloriam viri. Ego verò vehementer admiratus sum eos, qui assequi ista non potuerunt: sed hominem ad imaginem

ginem Dei creatum esse dixerunt, partim quidem propter imperium & potestatem, partim verò secundum ratiocinandi vim, partim autem secundum partem animæ intellectiuam (de his intelligo, qui apertè locuti sunt) quum tamen eos animaduertisse oporteret, quòd solus homo dicatur imago Dei esse. Siquidem
Gen.1.d » in eius creatione sic ait, Faciamus hominem ad
» imaginem nostram. Et rursum in historia Noë dicitur, quòd ad imaginem Dei fecit homi-
1.Cor.11.b » nem. Et beatus Paulus ait, Vir non debet velari, quum sit imago & gloria Dei. Quòd si solus homo ex omnibus creaturis imago Dei est, peculiarem quandam rationem huiusce denominationis esse oportet, non solùm ob facultatem intellectiuam aut rationalem, quarum participes esse virtutes inuisibiles dicimus. Imò neque ob facultatem dominandi, quam etiam competere virtutibus inuisibilibus beatus Paulus inquit, Quoniam in ipso creata sunt
Col.1.e » omnia, quæ in cælis sunt & super terram, visi-
» » bilia & inuisibilia, siue Throni, siue Domina-
Ephe.3.b » tiones, siue Principatus seu potestates. Simi-
» liter quum ait, Vt innotescat nunc Principa-
» tibus & Potestatibus in cælestibus. Vnde & contrarias potestates ita vocat, tanquam quæ ceciderint ex illis ordinibus. Non enim, in-
Ephe.6.b » quit, est nobis colluctatio aduersus carnem &
» sanguinem, sed aduersus Principatus & Pote-
» states, & aduersus mundi rectores tenebra-
» rum huius sæculi. Sic & angeli vocantur, Et
Dan 10.d. Michael (ait) princeps vester. Dictum est au-
Gen.1.b » tem & de luminaribus, Luminare maius in
» dominium diei, & luminare minus in do-
» minium noctis. Quod Dauid potestatem
Psal.135.b » appellauit, dicens, Solem in potestatem di-
» ei, lunam & stellas in potestatem noctis. Quomodo igitur fieri poterat, vt homo diceretur imago Dei, secundum quippiam eorum quæ sunt communia multis creaturis, quum tamen ipse solus à Deo dicatur esse imago? Itaque perspicuum nobis est, certam quandam causam esse oportere, cur ita solus appelletur, cuius nulla reliquarum creaturarum sit particeps, vt cui talis appellatio minimè conueniat. Est autem, vt antea dixi, priùs discutiendum, vbi consistat illud, Ad imaginem, in corpore, an in anima. Et in primis videamus, quibus vtantur, qui prius asserunt, è quorum numero est Melito, qui scripta reliquit, quibus asserit Deum corporeum
» esse. Membra enim Dei appellamus, quum
» reperimus, oculos Dei respicientes terram, &
Gen.8.d » aures eius intentas esse ad preces iustorum. Et,
Esa.1.c » Olfecit Deus odorem suauitatis. Et, Os Do-
» mini locutum est ista, & brachium Dei, & ma-
» nus & pedes & digitos: è quibus statim inferunt, hæc nihil aliud docere, quàm formam Dei. Quomodo verò, aiunt, visus est Deus Abrahæ, Mosi, & similibus? An non formam habens? Et qualem formam? An non humanam? Et coaceruant mille loca, quibus membra Dei appellantur. Aduersus quos certandum est primùm ex dictione scripturę. Et ex aduerso opponimus his, qui præter scripturam nihil nosunt, scripturæ verba eorum opinioni contraria, ex Zacharia dicente, Septem oculi Domi-
» Zach.4.e ni respiciunt super vniuersam terram. Quod
» si Deus septem oculos habet, nos autem duos tantùm, non ad similitudinem eius creati sumus. Sed neque nos præditi sumus alis, quum tamen de Deo dicatur nonagesimo Psalmo,
Psal.90.a Sub pennis eius sperabis. Quòd si Deus pen-
» nas habet, nos autem sumus animalia minimè pennata, non factus est homo ad imaginem Dei. At quomodo cælum, quum sit sphæricum & semper voluatur, thronus Dei esse potest, vt ipsi existimant? Imò etiam terra quomodo scabellum pedum eius? Respondeant nobis. Vtique enim oportet, illud quod à genubus vsque ad plantas protenditur, esse corpus comprehendens intermedium hoc spatium, quod intercedit inter cælum & terram. Quum autem terra sit in medio totius mundi, & contineatur ab ipso (vt demonstrationibus linearibus constat) apud nos sunt plantæ Dei, an apud antichthonas? Et an vniuersam terram nostram replent, aut etiam plus comprehendunt, minusue extenduntur pedes eius propter maria & flumina, aut etiam in aquis incedunt? Sed quomodo is, cuius tantum cælum thronus est, ac terra pedum scabellum, inuenitur deambulare in paradiso, aut apparet Mosi in vertice montis Sina? Et quomodo ille, qui talia de Deo existimauerit, non stultus dicetur? Deinde quum multa dixerit, ad euersionem eiusmodi opinionis, subijcit, Qui verò asserit illud, Ad imaginem, non in corpore consistere, sed in anima rationali, dogma statuet non contemnendum, comprehendens quæ facultates sint ipsius. Nam quæ in homine est facultas cognoscendi, iudicandi, bene merendi, agendi quæ iusta sunt, fortitudinis, &, vt semel dicam, omnis boni effectrix, à Deo creata est, ad imaginem. Quòd autem non forma corporis, sed actiones repræsentent nobis imaginem Dei, apertè Apostolus in epistola ad Corinthios dicit. Quemadmodum portauimus
» 1.Cor.15.f imaginem terreni hominis, ita portemus &
» imaginem cælestis. Et imaginem quidem ter-
» renam portat, qui secundum carnem viuit, & perficit opera carnis: imaginem verò cælestis, qui spiritu mandata corporis mortificat. Quemadmodum Deus longanimis est, ita homo longanimis habet se ad imaginem Dei. Iustus & sanctus est Dominus, condolens & misericors: Igitur qui amat iustitiam & sanctitatem, & peragit atque obseruat præceptum istud Saluatoris, Estote misericor-
» Luc.6.c des, quemadmodum pater vester misericors est: &, Estote perfecti, sicut pater vester cæ-
» Matt.5.g lestis perfectus est, sit imago Dei per omnia.
Et dominetur (inquit) piscibus maris, & vo-
» Gen.1.d latilibus cæli, & iumentis atque vniuersæ ter-
» ræ, & omnibus reptilibus repentibus super
» terram. Animaduertendum est, quod silentio
» prætermissum est, non vniuersa animalia propter hominem creata esse, sed ea demum quibus dominari dicitur, nempe pisces maris, volucres cæli & pecora terræ: fortasse etiam & reptilia

ptilia terræ,propter neceſſarium vſum pharmacorum,quę ex ijs conficiuntur:non tamen propter hominem cete illa grandia, & feræ terreſtres.Alioqui quum data eſt homini hæc poteſtas,earum quoq; nomina addita fuiſſent. Atqui non reperimus in ſcriptura ſerpentium genus inter reptilia collocatum , ſed inter feras.

Gen.3.a ,, Serpens enim(inquit)erat callidiſsimus omniũ
,, beſtiarum. Et in Actis Apoſtolorum,Vipera il-
,, la quæ Paulũ momorderat , ab eius manu pen-
Act.28.a ,, debat : & ſubiungit , Videntes autem Barbari
,, pendentem beſtiam. Et in Leuitico vide inter
quæ collocet reptilia , & quòd minimè numeret inter ea quæ nũc ita de more vocantur:Hęc
Leui.11.c ,, (inquit) comedite ex reptilibus & volatilibus
,, quæ gradiuntur quatuor pedibus , ſed habent
,, longiora retrò crura , per quæ ſaltare poſsint
,, ſuper terram:hæc comedite,velut bruchum &
,, ei ſimilia , locuſtam & ei ſimilia , attacum & ei
,, ſimilia,ophiomachum & ei ſimilia. Omne re-
,, ptile ex volatilibus,ſi quadrupes fuerit,erit vo
bis abominationi,& in eis polluemini. Non do
minatur igitur homo cete illis grandibus,neq; beſtijs,quæ fortaſſe ab initio nõ propter ipſum creata ſunt.Et ſimile quippiam his quę deſcribuntur hîc ſub hominis eſſe dominio, in octa-
Pſal.8.b ,, uo Pſalmo dicitur, Omnia ſubiecisti ſub pedi-
,, bus eius,oues & boues vniuerſas,inſuper & pe-
,, cora campi : Volucres cæli & piſces maris,qui
,, perambulant ſemitas maris. Nam & hîc cete & feræ prætermiſſæ ſunt.

21 Quamobrem ſupra cæteros ſeptimo diei benedixit Deus?

Vnuſquiſque dierum,reliquorum peculiarem quandam creationem ſortitus eſt. Quum igitur ad diem ſeptimum Deus creaturam omnem conſummaſſet, diei ſeptimo in creationis locum largitus eſt benedictionem: ne ſolus ille dies præ cæteris honore careret. Poſuit autem iſtud,Sanctificauit eam,pro,ſegregauit.Sępe enim hoc ita intellectum reperitur in ſcriptura diuina. Nam & de Medis ait, Sanctificati ſunt,& ego duco eos,hoc eſt, ad hoc ſegregati. Maximè autem Iudæis iſta ſcribens, neceſſariò poſuit hoc,Sanctificauit eam : vt maiore cultu
Exo.20.b ,, proſequantur ſabbatum. Hoc enim in legibus
,, ſanciendis inquit,Sex diebus creauit Dominus
,, Deus tuus cælum & terram,ſeptimo autem die
,, requieuit ab omnibus operibus quæ patrauit,
Gen.2.a ,, & benedixit ipſum ſeptimum diem. Et, Con-
,, ſummauit Deus die ſexta opera ſua , quæ fece-
,, rat,& requieuit die ſeptima, & quæ ſequuntur: demonſtrans quòd ſexto quidem die peregerat omnia, nempe nihil eis noui adiecturus (ſiquidem in eis nihil deſiderari putabat) ceſſauit autem ab opere die ſeptimo. Hac autem de cauſa diem hunc feriatum addidit, in quo nihil planè creauit, vt otio illo diurno certum eſſet,eo omnia eſſe perfecta. Qui enim primo,ſecundo,tertio, quarto, quinto & ſexto die ſemper noui quippiam creauerat , quum nihil deeſſe arbitraretur , otio ſeptimi diei docuit creationem perfectam eſſe. Vnde & ſeptem diebus circulum omnem dierum concluſit, quum hoc tamen ipſum ſex diebus facere potuiſſet , quibus creationem conſummauerat: vt ſex quidem dies ſignificatio ſint eorum quæ creata ſunt, ſeptimus verò omnia perfecta eſſe,& in eis nihil deſiderari. Deinde ne quis exiſtimaret,ſeptimum diem inutilem & ſuperfluum eſſe, quòd in eo Deus nullum opus fecerit, quemadmodum nonnulli feriatos dies deteriores cenſere ſolent,ne quid tale de ſeptimo die exiſtimaretur, ſubiecit , Et benedixit ,, Gen.2.d
Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit eum. In quo 2.a
demonſtrauit, quòd illum diem non inutilem putabat ad creandum, ſed ad quietem accommodatum ſtatuit. Itaque benedixit ei,qui reliquos quidem dies, aliquid in eis creando,ſummo honore proſecutus eſt : ſeptimum autem, quòd index ſit opus abſolutum eſſe,ob id Sanctificauit eum, dixit, pro eo quod eſt, ſegregauit: ad hæc vt illius diei ceſſatione creationem adeptam eſſe finem demonſtraret.

22 Quid eſt, Fons autem aſcendebat à terra, & irrigabat vniuerſam faciem terræ? Gene.2.e

Summatim iterum Moſes, quæ pertinebant ad creationem, recenſuit, & docuit Deum elementa quæ non erant, produxiſſe, eaque ab inuicem ſeparaſſe , & vnum quodque horum exornaſſe pro arbitrio, & quòd terra, nullo eam colente , neq; nubibus vllis pluuiam effundentibus,germinauit, quemadmodum creatori libuit , irrigata videlicet ab humore & vapore, qui ſupererat à ſeparatione aquarum. Sic enim Aquila interpretatus eſt, Et ebullitio aſcendebat è terra,& irrigabat vniuerſam faciem terræ. Hoc dicere voluit,quòd terra incõpoſita creata eſt.neque enim quicquam produxerat ex ijs quę Deus poſtea produci iuſsit.vtpote quũ nemo eſſet,qui terrã coleret:nec etiã plueret,quſi nondum hoc Deus iubere cæpiſſet.Vnde & rationem ſubiungens ait,Fons autem aſcendebat ,,
è terra,& reliqua.ac ſi diceret,Ex ipſa terra ſca- ,,
turiebant aquæ, quæ per eam fluebant,& ita vniuerſam terram tegebant.

23 Si ex inſufflatione Dei creata eſt anima, erit vtique anima ex ſubſtantia Dei. Gen. 2

Extremæ impietatis eſt & blaſphemiæ ſententia huiuſmodi.Nam per hoc ſcriptura diuina facilitatem creandi demonſtrauit. Præterea etiam ipſius animæ naturam obſcurè declarauit: nempe ipſam eſſe ſpiritum creabilem,inuiſibilem & intellectiuum, expertem craſsitudinis corporeæ. Hoc autem animaduertere oportet , in primisque intelligere , pulmonem , & muſculos eum comprimentes & conſtringentes, atque pulmoni innatam arteriam, & palatum,& os, deinde hoc modo inſufflationem excepiſſe. Quòd ſi diuinum numen incorporeum eſt,poteritne Deo conuenire inſufflatio?

24 Qua de cauſa Deus plantauit paradiſum mox expulſurus inde Adamum, propter peccatum?

In primis Dominus Deus nõ ſolet condemnare ex preſciẽtia. Quapropter tranſgreſsionẽ Adæ

Adæ præuidens,bona illi conceſsit.Deinde,voluit illum cognoſcere beneficia diuina , vt ijs priuatus odio graui proſequeretur peccatum, per quod tantis bonis careret.Præterea conueniebat iuſtum agonothetam , athletis virtutis, proponere præmia victoriæ. Quamobrem & Mat.25.c
,, de regno,inquit, Venite benedicti patris mei,
,, poſsidete regnum vobis paratum à conſtitu-
,, tione mundi.

25 Quinam in cælo paradiſum eſſe dicunt?

Quum diuina ſcriptura dicat, Produxit etiã Gen.2.b ,,
,, Deus è terra omne lignum viſu pulchrum , &
,, bonum ad veſcendum , nimis eſt improbum, relicta ſpiritus doctrina proprijs opinionibus Ibidem. ,,
adhærere. Et plantauit Deus paradiſum in Edẽ
,, ad orientem. Quidã paradiſum ipſum dici putant Edem, alij verò locum vniuerſum, in quo paradiſus erat: vnde & Adam formatus eſt: & denominatus eſt Adam , ex eo quòd ortus ſit à terra illa quę eſt in Edem. Edem enim rufum ſignificat. Quemadmodũ & Eſau, qui pro lenticula rufa vendidit primogenita ſua, appellationem ſortitus eſt. quod verius eſt.

26 An lignum vitæ & lignum ſcientiæ boni & mali ſecundum intellectum accipienda ſunt, an ſecundum ſenſum corporeum.

E terra orta eſſe huiuſmodi ligna, perhibet ſcriptura. non igitur alterius ſunt naturę quàm reliquę plantę. Quemadmodum enim lignum crucis ſaluare dicitur, propter ſalutem naſcentem ex fide quæ de eo eſt: ſic & iſta ligna ſunt quidem plantæ è terra natæ , ſed propter diuinam ſententiam , alterum ex ijs lignum vitæ nominatum eſt : alterum verò, quia per ipſum ſentiri cæpit peccatum , appellatum eſt lignum cognitiuũ boni & mali. Et circa hoc ipſi Adæ certamen indictum eſt. Lignum autem vitæ veluti quoddam vitæ præmium propoſitum erat obſeruanti mandatum. Ita etiam Patriarchæ & locis & puteis cognomina dederunt , & illũ quidẽ vocauerunt puteũ viſionis,nõ quòd videndi facultatẽ cõferret,ſed quòd apud eum apparuerit Dominus omniũ. Itẽ puteum latitudinis,quoniã ſæpenumero, quierãt ex Geraris, dimicauerãt pro alijs puteis, at propter hũc nõ interpellauerunt eos qui illũ conſtruxerũt.Sic & puteum iuramẽti, quòd apud illũ iuramenta præſtita ſunt. Sic & Bethel cognominatus eſt, hoc eſt, domus Dei, quia apparuit ipſi Iacob in illo loco creator omnium. Et collis dictus eſt teſtis, non quòd ille animatus eſſet , ſed quòd apud illum locũ inter ſe fœdera inierunt.Similiter aqua viua vocatur baptiſma,nõ quòd aqua baptiſmatis aliam habeat naturam,ſed quia per illam aquam diuina gratia donat vitam æternã. Ita lignum vitæ diuina ſententia vocatum eſt, & lignum cognitiuum ſcientiæ boni & mali,eò quòd inde cæpit eſſe ſenſus peccati. Vnde qui fructum prohibitum guſtauerunt , tanquam præcepti tranſgreſſores , conſcientiæ pœnas luerunt.

27 Ergóne notitiam habebant boni & mali, antè quàm prohibitum fructum attigiſſent?

Quomodo fieri poterat,vt ij qui colloquio diuino dignati, & ad imaginem diuinam creati erant , cuius vtilitas eſt diſcretio boni & mali , notitiam boni & mali non haberent? Quomodo verò dediſſet legem abyſſus ille iuſtitiæ, ijs qui notitiam huiuſmodi à natura non haberent: neque intelligerent bonum eſſe , ſeruare præceptum: perniciosum verò tranſgredi? Habebant igitur ſine dubio notitiam, ſed experimentum poſtea ceperunt.

28 Quomodo igitur poſt eſum agnouerũt quòd nudi eſſent , qui ante eſum nihil tale ſenſerant?

Pueri iuniores veſte nudati erubeſcere natura non ſolent:paulatim autem creſcente corpore , quum mens poſtea propriam naturam exerere cæperit , adulti iam non patienter ferunt ſe nudari:ſed erubeſcunt,& contegũtur. Quòd ſi quis veſtem eis abſtulerit, genitalia manibus abſcondunt. Multum autem iuuat,ad abolendum hunc pudorem , conſuetudo viuendi. Siquidem nautę nudi nauigantes,& qui lauantur, dum ſe nudos mutuò conſpiciunt, hoc pudore ibi non ducuntur. At ſi quis eos nudauerit extra balneas,vehementer erubeſcunt. Ita de Adam & eius vxore ſentiendum eſt: qui ſtatim vbi formati ſunt,nempe infantes & ingenui,nulláque peccati macula polluti , non afficiebantur verecundia ſine amictu agentes. At periculo facto, quaſdam partes corporis ſolijs occultauerunt. Nam dum adhuc conſuerẽt folia,audierunt vocem Dei deambulantis,& ſub arbore latitarunt, non alia videlicet, quàm vnde folia decerpebant. Hæc autem erat, de qua præceptum acceperant, vt Propheta inquit, in medio ligni paradiſi. De eo autem quum manducaſſent , etiam folia texebant , propterea quòd ſuæ nuditatis eos puderet. Vniuerſa autẽ erant folia ficus. Certè ſine controuerſia arbor illa erat ficus, de qua præceptum acceperant. Sed nõ aſſentiuntur quidam,præ nimia, vt mihi videtur,ſimplicitate: qui putãt oportere, nouum quoddã eſſe lignũ,non attendentes, quòd non ligni qualitate, neq; nouitate cibi peccata cenſentur,ſed ex præcepto dato:cuius tranſgreſsio quantulacunque pari reprehenſione digna eſt.

29 Quî fit, vt Moſes aſſerat Tigrim & Euphratem è paradiſo fluere , quos aiunt nonnulli è montibus Armeniæ ſcaturire? Gene.2.b

Videre licet & alia flumina aliunde quidem egredi, deinde in terram quibuſdam ductibus fluentia, iterum ſurſum ſcaturire , quod & his fluminibus accidit . Exeunt enim illinc , vt ait ſcriptura diuina : poſtea per quoſdam meatus ſubterraneos tranſeuntia,ibi originẽ aliam ſumunt. Quod quidem non fruſtra omnium Deus ita diſpenſauit , ſed vt amputaret ſuperfluam hominum curioſitatem. Nam ſi paterẽt eorum omnes meatus , quidam vtiq; conarentur,eorum ripas proſecuti, locum paradiſi perluſtrare:ſed fruſtrarentur optatis, & longitudine itineris feſsi , atque neceſſariorum penuria laborantes,modò in aſpera loca incidentes,modò in deſerta, interdum in manus crudeliũ & barbarorum hominum deuenirent.Hęc igitur

præui-

præuidens misericors Deus, ignotos illorum meatus reddidit.

30 Cur ex latere Adæ mulierem formauit?

Volebat creator naturæ ad concordiam adducere vnumquodque genus. Hac de causa ipsum Adam è terra formauit, ex eo verò mulierem: vt & eandem in illis esse naturam demonstraret, & naturalem quandam beneuolentiam mutuam in illis insereret. Si enim rebus sic se habentibus, viri cum mulieribus contendunt, & mulieres cum viris, quid non admisissent, si aliunde mulierem formasset? Sapienter igitur eos distinxit, & rursum copulauit. Nuptię enim in vnum conciliant hominum genus. Erunt, inquit, duo in carnem vnam. Atque hoc verum
Gene.2.d *Mat.19.a* *Mar.10.a* *1.Cor.6.d* *Epho.5.g* esse testatur, quod inde nascitur. Siquidem per conuersationem nuptialem fructus vnus ex ambobus oritur, ab hoc quidem seminatus, ab illa verò enutritus, cõsummatus autem ab opifice naturæ.

Gene.3. *31 Si prudens erat serpens, ob id laudandus erat: quũ prudentia sit pars virtutis.*

Multa nomina dicuntur æquiuocè. Nam & idola gentium Deos vocauerunt, quum tamen magis propriè dictum sit de dæmone, qui per idolum operatur. Stolidi quoque imperitè eos qui fabulis studuerunt, sapientes appellarunt.
1.Cor 1.d Sic & scriptura diuina dicit, Stulta huius mun-
1.Cor.1.c di elegit Deus, vt confundat sapientes. Et rur-
Iere.4.e sum, Vbi sapiens? Et per prophetam, Sapientes sunt ad malè agendum. Et hic sanè serpentem prudentem nominauit, vt callidum & versutum. Sic enim Aquila interpretatus est, Et serpens erat versutus præ omnibus animalibus agri, quæ à Domino Deo creata sunt.

32 Quum serpens facultate loquendi careat, quomodo allocutus est Euam?

Serpens erat organum inimici veritatis. Et hoc declarauit Dominus in Euangelijs diuinis. Quum dixisset enim Iudæis, Vos ex patre
Ioan.8.f Diabolo estis, subiunxit, Ille homicida erat ab initio. Diabolus igitur per serpentem allocutus est Euam. Quum enim à Deo omnium accepissent imperiũ in vniuersa irrationalia, Diabolus ministerio vnius animalium subditorũ, laqueum tetendit, hoc pacto suasu faciliores componens insidias. Quod autem Diabolum ministerio serpentis operantem scriptura diuina serpentem appellet, testatur Esaias, clamans, Die quadam vibrabit Deus gladium
Esa.27.a suum sanctum, magnũ & fortem aduersus draconem, serpentem fugientem, qui est in mari.
Luc.10.c Dominus quoque sacris discipulis dixit, Ecce dedi vobis potestatem contra spiritus, vt amboletis super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.

Gene.3.b *33 Quid est hoc, Aperti sunt oculi amborum?*

Quòd etiam ante esum non habebant oculos clausos, satis constat ijs qui volent attendere. Quomodo enim mulier lignum vidisset & cibo pulchrum & oculis gratum atque formosum (id enim licet intelligere) si non habuissent oculos apertos? Vocauit igitur diuina scriptura sic, sensum illum peccati. Mox enim post admissum peccatum stimulatur conscientia.

34 Quam ob rem punitur serpens, quum sit Diabolus, qui decepit?

Maledictionem Deus propriè intulit ei, qui malum perpetrauit. Nam & ille serpens appellatus est, qui talem à Deo omnium conditore naturam non accepit. bonus enim creatus est, & vnà cum incorporeis virtutibus conditus. At vbi sponte in nequitiam declinauit, tum honore priuatus est, quem ab initio sortitus erat: & in terram proiectus, maledictionem recepit. Itaque videntes serpentem repere, & volutari super terram, maledictionis antiquæ recordamur: & discimus, quanta mala peccatum accersat, non solùm his qui illud admittunt, sed & illis qui subseruiunt. At ipse quidem serpens nullum inde damnũ accepit, quum ita gradi natus sit, (hanc enim habet à natura motus speciẽ. Nihil autẽ naturale, molestum videtur esse) homo verò multum inde commodi consequitur.

35 Quare Deus serpentem creauit, quum prænosset illum futurum organum nequitiæ?

Hoc ipsum & de homine quispiam dicere posset. Præuiderat enim Deus, quòd ille præceptum transgressurus esset. Cæterùm diabolo perfacile erat, alterius bestiæ ministerio fallere.

36 Cur Deus creauit diabolum, quum sciret illum talem futurum?

Deus vniuersam naturam incorporeorum creauit, rationalẽ eam & immortalem efficiẽs. Rationalis autem proprium est, libero arbitrio potiri. Horum autem alij beneuolentiam erga creatorem conseruauerunt, reliqui verò declinauerunt in malitiam. Quod & inter homines reperire licet. Nam alij sunt virtutis amatores, alij verò nequitiam exercent. Si quis igitur de improborum creatione conqueratur, priuat vtique virtutis athletas præmijs victoriæ. Si enim in electione voluntatis non haberent desiderium virtutis, sed natura immutabiles essent, ignoti essent egregij pietatis athletæ. At quum voluntas habeat optionem bonorum & malorum, hi meritò victoriæ coronam consequuntur, illi verò pœnas luunt, pro ijs quæ volentes admiserunt.

37 Quum Deum vocetis bonum, cur tantam seueritatem illi tribuitis? Crudelitatis enim est & sæuitiæ, modicum ob cibum tantum supplicium inferre, non solùm his qui deliquerunt, sed etiam his qui ex illis orti sunt.

In primis hoc sibi persuasum habere debẽt, qui piè viuere statuerunt, Omne id quod ab omnium Deo fit aut præcipitur, sanctum & iustũ esse, & bonum, & ad hominum vtilitatem institutum. Si enim confitemur, ipsum hæc omnia habere, proculdubio quæ ab ipso dispensantur aut iubentur, talia esse existimanda sunt. Deinde sciendum est, Omnem legem, licet de minimis quibusdã statuat, quid agendum sit, parem habere vim cum ea quæ maxima præcipit aut prohibet: sed præcipuè legem omnẽ diuinam. Verbi gratia, Qui transgreditur legem quę circunciſionem iubet, proximo nullum damnũ
Gen.17 infert, nihilominus legislator ait, Omnis ma-
sculus

sculus incircuncisus, & qui nõ fuerit circunci-
sus octauo die, interimetur. Et qualem homici
dis & adulteris pœnam statuit, talem huic indicit. At quoniam verisimile est, infames hæreticos, palàm scripturę veteris aduersarios, hãc legem fugillaturos, ex euangelica legislatione eã demõstrabo. Reperimus enim in illis legibus,
Eum qui lasciuè mulierem inspexerit, fornicationis reum esse: & qui temerè irascitur, reum
Mat.5.e.d esse iudicij: qui verò fratrẽ appellauerit Raca, accusatione teneri: qui verò stultum, gehenna dignum esse: & qui iurauerit, licet verum dicat, diaboli sociũ fieri. Cur igitur hunc legis euangelicę latorem bonum appellant: immitem verò antiquæ legis autorem? Nam hæc, illorum sententia, sunt illis crudeliora præceptis. Verùm quòd ista audeãt, illorum blasphemiæ est. Nos autem & has & illas leges ab vno Deo latas esse dicimus: sed diuersitatem efficit, eorũ quæ lege iubentur, qualitas. Velut enim præceptor sapiens, imperfectis imperfecta, & perfectis perfecta proposuit. Præterea verò considerandum est, quòd primis legum transgressoribus alia sine venia supplicia infliguntur, vt alij punitione conspecta transgredi non audeant. Quod & factum est circa legem de sabbato latam. Eum enim, qui die sabbati ligna colligere ausus erat, & ita primus legem transgredi, populus vniuersus lapidauit. Id enim Deus præceperat: vt qui suis manibus de nocente supplicium sumpserant, deinceps legem transgredi reformidarent, tanquam supplicij causam. Longo verò post tempore, quum permulti legem de sabbato latam violauerint, id legislator patienter tulit. Sic & Cain, qui fuit primus homicida, intolerabili affecit supplicio: vt tam hi qui tunc temporis erant, quàm qui postea nati sunt, talia perpetrare non auderent. Posterioribus tamen temporibus, licet homicidæ multi fuerint, non protinus pœnas inflixit. Conueniebat igitur Adamum, qui primus legem acceperat, & eam quidem leuissimam (omnis enim generis fructuum Deus illi dederat copiam, vnius tantùm esu interdixerat) luere pœnas delicti, ad vtilitatem generis humani. Quod si præ multa iracundia Deus (vt ait execrandus ille Marcion) pauculam ob escam supplicio mortis affecit, quomodo omnibus hominibus ad impietatem & transgressionem extremam delapsis extrema supplicia non inflixit: sed filium suum dedit, & per crucem & passionem salutem concessit. Hæc autem dico, aduersus eos qui arbitrantur, Deum ira quadam permotum ista perpetrasse, ignorantes mysterium dispensationis. Certum enim esse puto, ijs qui doctrinam diuinam didicerunt, Deum omnium per imprudentiam nihil agere solere. quoniam affectus hic proprius est eorum, qui mutabilem habent naturam. Sed Deus, quæ nondum facta sunt, perinde nouit ac si iam facta essent. Quapropter præuidens & præsciens ipsum Adam mortalem futurum ob violatum mandatum, talem eius naturam iam antè composuit: & in masculeum & fœmineum corpus formauit. Hæc siquidem est corporum mortalium & procreatione liberorum indigentium ad conseruationem generis, constructio. Nam immortalis natura non opus habet fœmineo sexu. Hac de causa creator incorporearum creaturarum numerum simul produxit: mortalia verò animalia bina cuiusque speciei creauit masculum & fœmellam, quibus postea crementi benedictionem donauit: Crescite enim inquit, & multiplicamini,
Gene.1.c. Sic & hominem formauit, masculum & fœminam: eandemque benedictionem illis dedit, Crescite, & multiplicamini, & replete ter-
Gen.1.d. ram, & in eam imperium habete. Hæc igitur præuidens Deus omnium, non solùm eos ita formauit, sed etiam de edẽdo legem eis dedit: Ecce enim, inquit, dedi vobis omnem herbam
Ibidem. feminiferam ferentem semen, quod est super vniuersam terram: & omne lignum quod habet fructum in se ferentem semen, vobis erit in cibum & omnibus volatilibus cæli, & omni reptili repenti super terram, quod habet in seipso animam viuentem. Et omnem herbam viridem dedi vobis in escam. Hæc enim dixit Deus Adæ, ante præceptum. Mortali enim creaturæ necessarius est cibus. Nam immortalis natura cibo non indiget. Id quod *Ma.22.c.* Dominus docens ait, Post resurrectionem nuptijs non tradentur, sed sunt sicut angeli in cęlis. Igitur minimè procedit ab ira tale supplicij, sed dispensatio est summæ sapientię. Nempe Deus sapientissimus talem tulit sententiam, vt humanum genus prosequeretur odio peccatum, tanquam mortis causam: hoc pacto procurans illi odium aduersus peccatum, & præparans ei salutis remedium, quod per inhumanationem vnigeniti, resurrectionem à mortuis & immortalitatem ei peperit. Quid igitur seueritatis habet hæc sententia, Terra es, & in ter-
Gen.3.c. ram reuerteris? E terra, inquit, formaui te, & multo meliorem naturam tibi præstiti: at postquam seruare præceptũ meum noluisti, in priorem reuertere naturam. Num leue tibi videtur esse peccatum? Dederat ei plantarum omnium potestatem, vnius solius manducationem prohibuerat: ille verò reliquis omnib. prætermissis, ex hac prima & sola arbore fructum decerpsit. Hoc enim & Dominus Deus illi objicit:
Gen.3.b. Quis enim, inquit, tibi indicauit, quòd nudus esses: nisi quia de ligno comedisti, de quo solo præceperã tibi ne comederes? Declarauit etiam hoc Diabolus, per hæc quæ dixit Euæ, Quare
Genes.3.a. Deus dixit, ne cõederetis de omni ligno, quod est in paradiso? Quod si sciebat illos comedisse, nunquam existimaret, eos præceptum accepisse de omnibus arboribus. Non igitur modica est hęc trãsgressio. Primùm enim de eo sum pserunt, de quo solo sumere prohibiti erant.

38 Quamobrem, quum Deus dixisset, Quacunq; die comederis ex hoc ligno, morte morieris, non confestim mortuus est, vbi transgressus est mandatum?
Gene.2.c.

Contraria est hęc accusatio. Nam paulò antè Deum crudelem vocabatis, nunc autem ipsum clementię & humanitatis accusatis. Atqui conueniebat, eũ laudare potiùs ob eius bonitatẽ,

quàm

quàm accusare. Solet enim duriora minari, sed pœnas minis leuiores infligere. Quod quidem sæpius reperire licet apud scripturam diuinam. Cæterùm hic sententiam mortalitatis appellauit mortem. sic enim interpretatus est Symmachus, Quacunque die comederis de ligno hoc, mortalis eris. Siquidem post sententiam diuinam, per singulos (vt ita dicam) dies mortem expectabat. Sic qui crediderunt Christo & Domino, & enecti sunt, viuunt, expectantes
Rom.8.e „ resurrectionem & regnum cælorum. Spe enim
„ salui facti sumus.

39 Quid per vestes pelliceas intelligendum sit.

Qui allegorias persequuntur, pelles aiunt esse carnem mortalem. Quidam verò alij è corticibus arborum eas comparatas fuisse dixerunt. Ego verò neutrum horum approbo: hoc enim nimis curiosum, illud verò valde fabulosum. Quum enim scriptura diuina dixerit, corpus formatum esse ante animam, quomodo fabulosum nõ est, dicere, Deum illis dedisse carnem mortalem post transgressionem mandati? Verùm curiosè inquirere, vnde pelles Deus habuerit, & ob id nouam amictus speciem excogitare, supersluum esse mihi videtur. Sunt igitur amplectenda, quæ scripta sunt, & sciendum, quòd omnium creatori nihil deerat. Sed admirari oportet perennem eius bonitatem. Quippe qui etiam delinquentium curam gerat, nec vestimentis necessarijs carere nudos permittat. Quæsitum est, quæ sint vestes pelliceæ. Nam si ex animalibus occisis facta sunt indumenta, perspicuum est, quòd occisorum animalium genus defecerit, quum Deus paulò antè masculum & fœminam creasset, nec adhuc vlli partus extitissent. Præterea nemo existimare potest, Deum animalia iugulari præcepisse: quando nondum esus carnium erat permissus hominibus. Multo minus decet nos arbitrari, Deum vestes, quæ non erant, produxisse: qui homine creato desijt quicquam creare, quod non esset, quasi in ipso creationem vniuersi mũdi concludens. Constat igitur, Deum pelliceas vestes non creasse ex nihilo. Sed fortasse ignorabant (vt verisimile est) qui talia quærunt, quòd pelles non solùm illæ dicũtur, quæ ab animalibus auferuntur, sed etiam quæ ab arboribus, quas cortices appellare permulti consueuerunt. Igitur Adam indumenta confecit ex arboribus habentibus cortices aptas ad vestimenta componenda, Deo menti illius suggerente, quomodo id perageret. Sed quid existimare debemus esse vestes illas pelliceas? Valde quidem stolidum est & anile, Deoque minimè dignum, arbitrari Deum pelles animalium iugulatorum aut aliter mortuorum accepisse, & inde pelles illas cõsuendo, coriarij more, in vestimenti formam redegisse. Rursum, vt vitetur hæc absurditas, dicere vestes illas pelliceas nihil aliud esse quàm corpus, probabile quidẽ est, & ad assensionem præstandam efficax: at hoc non est certum neque verum. Si enim pelliceæ vestes sunt carnes & ossa, quomodo an-
Gene.2.d „ tea dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis,
„ & caro de carne mea? His igitur ambiguitatibus obruti nonnulli, asseruerunt, vestes pelliceas esse mortalitatem illam, qua circumdati sunt Adam & Eua, morti propter peccatum addicti. Sed isti non facilè probare possunt, quomodo Deus, & non multò magis peccatũ, mortalitatem pariat transgressori. Præterea necesse est eos dicere, carnem & ossa propria ratione non esse corruptibilia, quum postea patres nostri propter peccatum mortalitatis condition em acceperint. Cæterùm, si Paradisus est locus quidam diuinus, exprimant quomodo illic vnumquodq; membrum, alioqui non frustra creatum, propriam vim exercet: & de naso quidem, qui apud Aquilam & Symmachũ dicitur vultus, à Septuaginta verò pars ea formati hominis, in quam Deus sufflauit spiritum vitæ. Non igitur oportet adhærere nudæ literę scripturæ, tanquam verę: sed thesaurum in litera latentem quærere: eò quòd ipsa litera diuinæ scripturæ interdum falsum dicat.

Hoc vnũ, si nuda litera attendatur, ex nõ sensus latens.

40 Quid illud est, Ecce Adam factus est vt vnus ex nobis? Gene.3.d

Quum Diabolus dixisset, Eritis sicut Dij, cognoscentes bonum & malum: Adam verò suscepisset sententiam mortis, quia transgressus erat mandatũ, Deus omnium hoc ἐφωνικῶς dixit, demonstrans promissionis Diabolicæ mendacium. Prohibuerat autem ipsi Deus, nõ accipere de ligno vitæ, non quòd inuideret homini vitam ęternam: sed vt peccati cursum cohiberet. Pœna igitur illa, medicina est, non mors. Reprimit enim peccati impetum. Nam mortuus iustificatus est, ait, à peccato. Iussit au- „ Rom.6.b,
tem Deus, Adam è regione Paradisi agere, vt pristinam vitam dolore carentem reuocans in memoriam, odio prosequeretur peccatum, tanquam autorem laboriosæ & ærumnosæ vitæ.

Non est credendum, Cherubim dicere, virtutes quasdam inuisibiles, vt quidã existimant. Quoniam inuisibilis natura nihil illic contulisset: quum visio sensibilis esse debeat, quæ ipsum Adam instituit. Non igitur gladius ille flammeus naturaliter igneus erat, sed visu talis: neque Cherubim erant animalia, sed talia videbantur. Siquidem & Ezechiel Cherubim videt habentes quatuor facies: quum tamẽ inuisibilis natura quadruplicem faciem non habeat. Sed Cherubim vocat illud omne, quod potentia præditum est. Sic dicit, Qui sedet su- „ Psal.98.a
per Cherubim, hoc est, qui potenter regnat. Et, „ „
Ascendit super Cherubim, & volauit, hoc est, „ Psal.17.a
aduenit cum multa virtute. Illud igitur, Et sta- „ Gene.3.d
tuit Cherubim, dixit, vt indicet potentẽ quandam & terribilem visionem & formam, perinde ac si quædam animalia in ingressu Paradisi collocasset, quibus inde Adam arceretur.

Hic fortè debet esse alia quæstio, vbi tuti, Quid per Cherubim intelligendum.

41 Si tristatus est Cain, non susceptis eius oblationibus, ergo pœnitentiam egit. Nam pœnitentium est tristitia. Gene.4.

Angebat illum non peccatum suum, sed fratris prosperitas. Id enim Aquila significauit, dicens hunc in modum, Et iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Et dixit Dominus ad Cain, Ad quid isthæc iracundia tibi?

Quod

42 Quod signum Deus apposuit Cain?

Ipsa Dei sententia, quę prohibebat illum occidi, signum erat: & ipsa membrorum concussio, notum manifestumque eum reddebat.

43 Quam vxorem habuit Cain?

Certum est, fororem duxisse in vxorem. hoc enim tunc temporis non damnabatur, quum nulla lex esset, quæ istud prohiberet. Erat alioqui impossibile, aliter augeri genus humanum. Voluit autem Deus ex vno viro & vna muliere subsistere vniuersas hominum gentes. Primùm quidem, vt eandem esse naturam cognoscant, ex vno genere prognati: deinde, vt in cordiam coirent, tanquam ex vna radice florentes. Nam si, quum Deus hæc omnia administret, multæ tamen cædes admittuntur, quid non perpetrassent, si è diuersis patribus ortos se esse existimassent? Huius rei gratia vnum quidem virum è terra formauit, & ex eo vnam creauit mulierem, & ex eorum genere repleuit vniuersam terram. Hanc igitur ob causam Deus ab initio permisit fratrum commixtionem: at postquam creuit humanum genus, huiusmodi nuptias, tanquam iniquas, prohibuit. Et ob id vnà cum Noë & filijs eius, Deus conseruauit eorum vxores in arca, vt eorum liberi consobrinis copularentur.

Gene.4. *44 Quosnam interfecit Lamech?*

Non duos, vt quidam putauerunt: neque ipsum Cain, vt alij fabulati sunt: sed vnum, &
Gene.4.d „ hunc iuuenem. Virum enim, inquit, occidi in
„ vulnus meum, & adolescentulum in liuorẽ meum: hoc est, virum agentem iuuenilem ætatem. Pœnam tamen euasit, propter peccati confessionem: & contra se ferens sententiam, euitauit sententiam diuinam.

45 Quem in locum Deus omnium transtulit Enoch?

Non inquirenda sunt, quæ silentio sunt tradita: sed veneranda, quæ scripta sunt. Ego verò puto, Deum omnium hoc fecisse, ad consolandos virtutis athletas. Quum enim Abel primus iustitiæ fructus, immaturus adhuc radicitus abscissus esset, nullaque resurrectionis spes tum homines consolaretur, transtulit omnium Deus ipsum Enoch sibi gratissimum, eumque seiunxit à mortalium vita: vt quicunque piè viuere statuerit, animaduertat, quanto in honore habendus sit: quum Deus omnium, qui iustus est, & iustè gubernat vniuersa, Enoch honore prosecutus sit, Abel quoque ornamento carere non permittet. Hac de causa illum quidem occidi conspexit, Enoch autem transtulit: vt huius prædicatione futurã indicaret resurrectionem. Qui enim in hac vita virtutis remunerationem non fuerit adeptus, illam in altera vita certò consequetur.

46 Quare, quum Adam peccasset, iustus Abel primus mortuus est?

Debile voluit esse mortis fundamentum. Si enim Adam prior obijsset, firmiore fundamento mors niteretur, primum mortuum excipiẽs peccatorem. Quia verò primum recepit eum, qui iniustè occisus erat, dubium fundamẽtum habet.

47 Quosnam Moses vocauit filios Dei? Gen. 6.

Quidam nimis stupidi & stolidi existimarunt eos angelos esse, putantes suæ forsan intemperantię patrocinium habituros, si angelos eiusdem criminis reos tenerent. Oportebat autem eos audisse Deum omnium ita dicentẽ. Non permanebit spiritus meus in hominibus „ Gen.6.d.
istis in ęternum, quia carnes sunt. Erunt autem „
dies illorum, centum viginti anni: & inde per- „
spicere naturam incorpoream carnes non habere, neque angelos vitam habere tempore definitam: immortales enim creati sunt. Et quæ sequuntur, sub eandem sententiam cadunt. Videns enim, inquit, Dominus Deus, quòd cõ- „ Ibidem.
pletæ essent nequitiæ hominum super terram, „
& quòd vnusquisque omni tempore in corde „
suo intentus esset ad mala, pœnituit Deum „
quòd fecisset hominem super terram. Et di- „
xit Deus, Delebo hominem quem feci, à fa- „
cie terræ, ab homine vsque ad pecus, & à re- „
ptilibus vsque ad volatilia cæli. quia pœnitet „
me quòd fecerim ipsos. Et ipsi Noë dixit ite- „
rum, Finis vniuersæ carnis venit coram me. Gen.6.c.
Quia repleta est terra iniquitate ipsorum, ec- „
ce iabefactabo eos & terram. Hæc vtique o- „
mnia indicant, homines esse eos qui vitam iniquam amplexi sunt. Quòd si angeli filiabus hominum permixti essent, homines ab angelis essent iniuria affecti: quia vi horum filias corrupissent. Iniuriam quoque passi essent à Deo creatore, eò quòd angelos illi seruientes non puniret. Verùm hæc, vt arbitror, ne pater quidem mendacij dicere auderet. Multis enim docuit sacra scriptura, tum homines deliquisse, tum aduersus eos diuinam sententiam esse latam. Nam quum narrasset Moses, quomodo Seth ex Adam natus esset, ex Seth Enos, subiunxit, Ille sperauit inuocare nomen „ Gen.4.d.
Domini Dei. Quod quidem Aquilas inter- „
pretatus est sic, Tunc cæptum est vocari in nomine Domini. Subindicat autem sermo ille, quòd propter pietatem primus hic diuinam appellationem sortitus est, & à cognatis vocatus est Deus, vnde & qui ex eo nati sunt, vocati sunt filij Dei: quemadmodum & nos à cognomine Christi Domini nostri nuncupamur Christiani. Quòd si quis hunc intellectum non recipit, propterea quòd hæc interpretatio ab Aquila profecta est, Deum audiat dicentem per prophetam Dauid, Ego dixi, „ Psal.81.b
Dij estis, & filij Excelsi omnes. Et, Deus ste- „ Psal.81.a.
tit in synagoga Deorum, in medio autem De- „
os dijudicat. Sic enim appellat principes & „
magistratus, vt sequentia declarant, Quous- „
que iudicatis, quod iniustum est, & personas „ Ibidem.
peccatorum sumitis? Iudicate orphano, & iu- „
stificate viduam, humilem & pauperem, & quæ „
sequuntur. Et iterum, Deus Deorum Domi- „ Psal.49.a.
nus locutus est, & vocauit terram. Illi ipsi nem- „
pe digni habiti sunt hac appellationis gratia. „
Sic & legislator ait, Dijs non detrahes, & prin- Exod.22.d.
cipibus populi tui non maledices. Illi igitur „
tãquam pij & boni cognominati sunt filij Dei. Separatum enim erat genus Seth, & non permiscebatur cum cognatione Cain, propter il-

latam ab omnium Deo maledictionem. Multo autem pòst tempore (nam post annos plus bis mille diluuium induxit Deus) videntes filias cognationis Cain speciosas, & illecti (vt verisimile est) instrumentis musicis ab eis excogitatis (Tubal enim inter eas florens psalterium & citharam inuenerat) permixti sunt illis, & contaminarunt suam nobilitatem: & eadem perpessi sunt, quæ Israelitæ: qui quidem Madianitarum filiabus permixti, impietatis eorum participes facti sunt, & diuinam
Psal.105. e. vltionem pertulerunt. De his diuinus Dauid
,, inquit, Permixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus
,, eorum. Sic & hi qui ex Seth genus duxerunt, olim quidem, vt virtutum studiosi, vocabantur filij Dei: verùm impurarum mulierum pulchritudine capti confuderunt familias, alioqui distinctas, & pro fructu hæreditario omnem nequitiam acceperunt. Hoc tamen animaduertendum est, quòd diuinus sermo non simpliciter peccatum eorum damnat, sed cura & studio quæsitam iniquitatem reprehendit. Hoc
Gen.6.a. ,, enim significat, quod ait, Vnusquisque meditatur in corde suo studiosè ad mala peragenda
,, vniuersos dies. Qui enim ægrè ferunt, oblatam sibi esse peccandi occasionem, à nequitia tamen victi per mentis ignauiam, posteà dolent & lugent, mediocrem quãdam aliquatenus habent excusationem. Qui verò declinant prorsus ad intemperantiam & malitiam, subseruire facientes affectionibus rationem, vt etiam excogitent alias nequitiæ ideas, & hoc non semel aut bis, sed per totam vitam, qua venia digni sunt? quod suppliciũ illis debetur? Certè non leue, vtpote, quum seipsos exitio deuoueant.

Gen.6. *48 Quos vocat scriptura diuina gigantes?*

Aiunt quidam, eos esse qui multos annos vixerunt. Nonnulli verò dicunt esse Dei osores, & Dei aduersarios homines. Qui hæc sic intellexerunt, non dicunt illos, grandiora cæteris hominibus habuisse corpora. Ego verò quum audio scripturam diuinam dicentem de Enac, quòd à gigantibus oriundus erat: & de Og, quòd cubile ipsius ferreum erat, habens lõgitudinem nouem cubitorum, & latitudinem quatuor cubitorũ, & quòd iste existimatus est
Num.13.5. esse de familia Raphaim: item quum audio exploratores narrantes, quòd eramus in conspe,, ctu eorum tanquam locustæ: & Deum confir,, mantem hos sermones, & dicentem, Tradide*Amos.2.c.* runt Amorrhæum, cuius altitudo erat táquam
,, cedri, & robustus vt quercus: & de Goliath, quòd longitudinem habebat sex cubitorum & palmi: arbitror fuisse quosdam prægrandes homines, Deo hoc sapienter dispensante, vt cognoscant, Deum tanquam omnipotentem creatorem, tantã hominibus distribuisse mensuram. Perfacilè enim erat ei etiam maiores homines creare: sed vt superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet, non dedit hominibus maxima corpora. Nam si exiguis corporibus prædíti non contra se modò, sed contra Deum creatorem attolluntur, quid non commisissent, si maxima corpora sortiti essent?

49 Quare longo tempore viuebant antiqui?

Vt longiore temporis spatio augeri numero possent. Nam propter hoc etiam plures vxores ducebant. Statim igitur à condito mundo, & etiam post diluuium vsque ad tempora patriarcharum, longæui erãt. Postea quàm autem terram repleuerunt, diminutus est deinceps annorum numerus.

50 Cur diluuio multitudinem hominum deleuit? *Genes.7.a.*

Delere sobolem Cain voluit: & quia piorũ tribus illi permixta erat, ob id supplicij particeps fuit. Volens enim Deus principiũ quoddam nouæ vitæ facere, conseruauit ipsum Noë & liberos eius cum vxoribus: Noe inquam virum pium & iustum, & è piorum familia ortum, & qui permixtionem iniquam summo odio habebat. Non autem (vt ferunt quidam) ira quadam & pœnitentia ductus Deus hæc egit. Hæ sunt enim humanæ passiones, à quibus natura diuina prorsus est libera: maximè quum pœnitentia conueniat eis, qui periculo facto rerum conditionem didicerunt. Ignorantes enim quod futurum est, antea consultant: tum periculo facto discentes quòd non rectè deliberauerint, pœnitentia ducuntur. Deus autem perinde videt ea quæ multas post generationes futura sunt, ac si iam euenissent. Hinc fit, vt tanquam præuidens & præscius omnia dispenset. Quomodo ergo pœnitentia cadat in eũ, qui sua præscientia regit vniuersa? Quare pœnitentia Dei nihil aliud est, quàm mutatio dispensationis eius. Pœnitet me (in-
1. Reg.15.b. quit) quòd constituerim Saul regem, pro eo ,,
quod est, statui illum deponere, & alterum creare. Sic & in hoc loco, Pœnitet me fecisse hominem, hoc est, decreui perdere hominum genus. Verùm, quum homo sit semen totius generis, ipsum Noë naturam hominis adhuc retinentem conseruauit. Et quia animalium irrationalium genera in vsum hominum creata erant, etiam hæc cum hominibus deleuit, exceptis his quæ in arca cum Noë seruata sunt. Mandauit enim Dominus Deus, bina ex vnaquaque specie animalium immundorum seruari, & mundorum animalium septena. Nam quum hominibus esset permissurus manducare carnes, & homines pij sacrificaturi essent illi, maiorem numerum mundorum animalium custodiri iussit: nempe tres coniugationes, ad augmentationem generis: vnum verò animal reliquum, ad sacrificandum. Statim enim vbi cessauit vltio, Noe sacrificium obtulit Deo, gra
,, *Gen.8.d.* tiarum actioni conueniens: Ex omnibus (in,, quit) pecoribus mundis & ex omnibus volati,, libus mundis. Ita vt certum sit, hac de causa Deum iussisse, ex vnaquaque specie mundorũ animalium septena in arcam introduci: vt Noë vnum animal offerens ex vnaquaque specie nõ perimeret coniugationes.

51 Quid manducabant in arca bestiæ?

Constat, fœnum & semina manducasse. Di- *Genes.6.d.*
xit enim Deus ad Noë, Tu verò sumes tibi ex ,,
omnibus

,, omnibus cibis quos comeditis, & coaceruabis
,, apud teipsum: & erunt tibi & illis esui. Hoc au,, tem etiam hominibus edere, lege præcepit: Ec*Genes.1.d.* ce enim dedi vobis omnem herbam seminife,, ram producentem semen, quod est super vni,, uersam terram, & omne lignum habens in se
,, fructum producentem semen, hęc erunt vobis
,, in cibum, & vniuersis bestijs terræ, & omnibus
,, volatilibus cæli, & vniuerso reptili repenti su,, per terram, quod in se habet animam viuẽtem:
,, & omnem herbam viridem dedi vobis in escã. Ita vt manifestum sit, quòd & homines & animalia ab esu carnium abstinebant: pro alimento verò, fructibus è terra nascentibus vtebantur. Illud autem σπέρμα σπόρμα, id est, producentem semen, interpretatus est Aquila ἐσπαρμένον σπόρμα, id est, semen productum.

Genes.8.a. *52 Quomodo intelligendum sit illud, Et recordatus est Dominus Noe.*

Scriptura diuina loquitur, prout hominibus expedit, & pro captu auditorum varias habet loquendi formas. Quemadmodum ergo pœnitentia in Deo, est administrationis diuersitas, Pœnitet enim me, quòd constituerim Sa*1. Reg.15.b.* ul regem, pro eo quod est, decreui alium in
a. ,, eius locum constituere: Sic & hîc, Pœnitet mẽ,
,, quòd feci hominem, pro eo quod est, statui
Gen.6.b ,, hominibus inferre exitium. Hoc igitur, Re*Gen.8.a.* ,, cordatus est Dominus Noë, non pristinam ob,, liuionem designat, sed maximam ipsius humanitatem denotat: quòd summo erga eum amore iusserit, infinitam illam & immensam copiam aquarum quàm citissimè exhauriri. Ac quò maiorem immensæ suę bonitatis significationem præberet, addidit, Quòd etiam
Ibidem. ,, recordatus sit omnium pecorum & vniuersorum volatilium & reptilium, quæ erant cum illo in arca. Nostra autem causa etiam his consu*Psal.103.b.* lere dignatus est, quod & magnus ille Dauid
,, clamat, Qui producit fœnum iumentis, & her,, bam seruituti hominum. Et iterum, Homines
Psal.35.a. & iumenta saluabis Domine. Propter nos enim
,, etiam nostra curat.

Gene.8.d. *53 Quid est, Olfecit Deus odorem suauitatis?*

Excepit ipsius Noë promptitudinem animi, non quidem hoc nidore delectatus (Nihil enim peius olet, quàm ossa exusta) sed offerentis animum laudans. Non enim partes corporeas habet Deus, vt illi nares etiam tribuere possimus. Nam per nares fit olfactus. Remunerat igitur illum benedictione: & cùm esset semen generis, & radix naturæ atque secundus Adam, largitur ipsi benedictionem, quam con*Gen.9.a.* ,, fecutus erat ille statim vbi formatus est. Cre,, scite, & multiplicamini, & replete terram, &
,, subiugate eam. Et timor & tremor vestri e,, rit super omnes bestias terræ, & super omnia vo
,, latilia cæli, & super omnia quæ mouentur su,, per terrã, & super omnes pisces maris: quæ sub
,, manu vobis dedi. Et euenit, vt dictum est. Reformidãt enim vniuersa animalia etiam ipsam cæli vmbram, siue natatilia, siue terrestria, siue volatilia. Postmodum dedit illi legem edendæ carnis, præcipiens carnibus vesci, quemadmodum & holeribus.

54. Quamobrem in illa cibi mutatione sanguinem inhibuit?

Apertius docuit in lege: Quod enim homi- *Leuit.7.c.&*
ni est anima (inquit) hoc animalibus irratio,, *17.d.*
,, nalibus est sanguis. Itaque qui sine sanguine carnes sumit, vtique tanquam holus manducat. holus enim anima caret. Quòd si cum sanguine sumpseris, animam manducas. Propterea & hoc loco dixit, Veruntamen carnem in ,, *Gen.9.a.*
sanguine animæ non comederis. Etenim san,,
guinem animarum vestrarum requiram de ma,,
nu omnium bestiarum, & de manu hominis
fratris sui requiram animam eius. Hîc insinuat resurrectionem: non quòd bestias, contra omnium opinionem, vocaturus sit in iudicium, & de his supplicium sumpturus, eò quod homines deuorarint: sed vt congregaturus corpora ab ipsis consumpta, & illa suscitaturus. In ,, *Psa.94.a*
manu enim eius sunt omnes fines terræ. & est ,,
illi facile vndecunq; corpus nostrum congregare. Et hîc quidem indicat illud sub ænigmate, per Ezechielem autem clarius resurrectionem prædicauit.

55 Cur planè de carnibus edendis legem tulit?

Mox vbi creasset hominem, dedit illi terræ fructus, iubens illum vesci fructu seminum & arborum: post diluuium autem pretiosiorem cibum illi confert, iubens occidere & comedere volatilia, & natatilia, & terrestria animalia, affectum affectu repellens, & leuiori curans grauiorem. Præuidens enim Deus, homines in extremam dementiam lapsos, hæc omnia animalia pro Dijs habituros, permisit illorum esum, vt impietatem illam cohiberet. Summa enim est insania, adorare quod comeditur. Propterea verò animalia quædam immunda dixit, alia verò munda: vt illa, quæ immunda sunt, pro Deo colere exhorrescant: quæ verò munda sunt, quia comeduntur, non adorent.

56 Qui fit, vt Noë non sit redargutus, quòd se inebriarit? *Genes. 9.*

Ab experientia proficiscebatur hæc passio, non ab intemperantia. Nam ille primus ex hominibus compresso vitis fructu, ignorans non solùm quantum esset bibendum, sed etiã quomodo sumendum, nempe quòd priùs temperari debeat, & sic potari, incidit in ebrietatem. Quòd verò nudatus est, nihil noui pertulit. Etenim etiam nunc quidam dormientes nudantur, somno sensum eripiente. Quum verò somno etiam accedit ebrietas, multò magis cognoscendi facultatem adimit.

57 Quum nondum vlla esset lata lex, qua iuberet honorare patrem & matrem, quomodo Cham vt reus parricidij damnatur?

Deus leges naturæ necessarias sanciuit, vt creator: & ita Cain condemnauit, quoniam ipsum natura docebat, cædẽ esse contra legem. Atqui ille vsus dolo, fratrem à parentibus procul abductum interfecit. Deo autem interro- *Gene.4.b.*
gante, Vbi est Abel frater tuus? negauit: sciens ,,
proculdubio se facinus admisisse. Conuictus ,,
autem à iusto iudice, confessus est se grauius

Ibidem. peccasse, quàm vt veniam mereretur. Maior est enim (inquit) iniquitas mea, quàm vt mihi condonetur. Verùm Adam quoque quum diuinam præsentiam sensisset, latere conatus est, quasi cognoscens, furari malum esse. Ita & Cham parricidij reus habitus est, tanquã transgressus legem naturæ. Nam quòd natura doceret, venerari & colere parentes oportere, testificantur fratres ipsius Cham: à quo quum intellexissent quod patri acciderat multo cum pudore retrò gradientes patrem operuerunt, vt minimè viderent, vnde erant prognati: Itaque meritò benedictionem à patre acceperunt. Sed *Gene.9.c.* cur scriptura, quum dixisset, Et erant filij Noë qui ab arca egressi sunt, Sem, Cham, & Iaphet, addidit, Et Cham ipse est, pater Chanaan? Nam si opus erat mentionem facere filiorum, omnium vtique oportebat, & non solius Chanaan, qui etiam erat impius, vt historia declarat. Volens enim spiritus diuinus ostendere similitudinem patris & filij, eum quodammodo à suis fratribus pietate distinguit, adijciés, Ipse Cham pater est Chanaan. Genere siquidem erant omnes filij Noë. solus autem iste moribus non erat filius, sed sui similis filij pater. Quamobrem ad maiorem demõstrationem positum est istud, Ipse pater est Chanaan. Qui hæc dixit Hebræus, etiam id tradebat, & ratione confirmabat, Primum Chanaan verenda aui sui vidisse, suoque solùm patri narrasse tanquam de seneridentem. Itaque si Cham fratrum similis fuisset, non debebat impiè ad patrem accedere, sed obiurgare eum qui primus viderat, & illudebat. Verùm ipse quoque persuasus, & accessit & vidit, fratribusque renuntiauit. Sed hæc viderentur esse fabulosa, nisi & hoc quod *Gen 9.d.* sequitur, demonstrationis vim haberet: Et suscitatus est à somno suo, inquit, & cognouit quæcunque fecerat ei filius suus iunior. Cham autem non erat eius filius iunior, sed secun- *Gen.10a.* dus. Sem enim, inquit, & Cham & Iaphet. Quòd si filium minimum demonstrare volebat, Iaphet nominasset. Quoniam verò aui non modò nepotes, sed eos etiam qui ab his longa serie nascuntur, solent filios appellare, Chanaan nepotum minimum dicit scriptura cognitum fuisse à Noë, sceleris huius autorem fuisse. Et quòd hoc ita se habeat, subiungit statim diui- *Gen.9.d.* nus sermo, & ait, Maledictus Chanaan: seruus erit, seruiens fratribus suis. Quòd si quis miretur, quamobrem Cham, quum ipse esset impius, eandem cum filio maledictionem non est sortitus, cognoscat, quòd si hanc sortitus esset, videlicet, Seruus seruiens erit, seruitutis etiam participes fuissent fratres eius. Nam ex maledictione, fratres quoque Chanaan serui fuerunt eorum, quorum seruus declaratus est Chanaan.

58 Quare, quum Cham deliquisset, filius eius maledictionem susceperit?

Post sedatum diluuium omnes pariter benedictionis diuinæ participes facti sunt. Temerarium igitur existimauit Noë, maledictionem illi inferre, qui benedictionem diuinam consecutus erat. quamobrem eius filio maledictionem intulit. Est autem supplicium iustum. Quia enim quum filius esset, in patrem deliquit, ob id per filij maledictionem pœnas luit. Adhæc considerandum est illud, quòd etiam si ipse maledictionem suscepisset, in totum genus maledictio ea peruagata fuisset. Verum, minimum filium eiusmodi castigatione increpauit. Hoc autem sciendum, quòd verba iusti, non maledictio, sed prophetia sunt. Nam quum Israel ex Sem genus ducens, Palæstinam occupaturus esset, quam olim incoluerant, qui ex Chanaan descenderant, in maledictionis formam, prophetiam effert, prædicens quidem futura, deterrens autem posteros, ne peccent in parentes. Id quod nos apertè docet benedictio Sem, Bene- *,, Ibidem.* dictus, inquit, Dominus Deus ipsius Sem. Et erit Chanaan seruus eius. Non enim hoc duobus indicauit, sed ipsi soli Sem. Et ipsius quidem Iaphet multiplicem progeniem prædixit, ipsius verò Sem pietatem. Nam Deum prophetauit habiturum in tentorijs Sem: habitauit autem apud patriarchas, qui ex Sem orti sunt: & apud prophetas, qui ex illis descenderunt: & in primis in tentorio, posteriùs Ierosolymis. Et hæc prophetia certissimum finem habuit, mysterium dispensationis: tum quia Deus verbum Dei & patris filius vnigenitus incarnatus est & homo factus, tum quòd carnem, quam accepit ex semine Dauid & Abraham, templum suum nominauit. Illi enim, patriarchæ videlicet & prophetæ, ex Sem originem duxerunt: At seruitus autem Chanaan in Gabaonitis finem accepit.

Hic deesse videtur quæstio, quæ potest esse huiusmodi, Quodnam est illud bitumẽ?

Dixerunt quidam è magistris, bitumen esse calcem viuam: ignorantesque (vt verisimile est) fontes in Assyria existentes, putauerunt ex calce viua turrim ædificatam esse. Ego verò diligenter didici ab ijs qui illinc veniunt, esse fontes qui hanc materiam cum aqua effundunt: & in ædificijs in aqua construendis & compingendis coctilem laterem componunt: hocque pacto turrim ædificatam esse aiunt. Et qui huius rei inspectores fuerũt, effregisse particulam aliquam affirmant, & probè nouisse bitumen esse coctilibus lateribus substratum: asserentes alioqui penuriam esse lapidum in Assyria, & ob eam rem lateribus vti pro lapidibus. Atqui sine lapidibus quomodo calx viua confici possit?

59 Quænam lingua est antiquior?

Nomina ipsa indicant. Adam enim, & Cain, Abel, & Noë, propria sunt linguæ Syriacæ. Syrorum enim mos est, terram rubram appellare Adam. Interpretatur ergo Adam, terrenus aut pulueroſus: & Cain, possessio. Hoc enim Adam laudans Deum dixit, Possedi ho- *,, Gen.4.a.* minem per Deum. Et Abel idem est, quod luctus. Primus enim ille visus est mortuus, & primus parentibus luctum attulit. Noë verò, idem quod requies.

60 Vnde capit igitur Hebraica lingua?

Vocem Hebraicam arbitror esse sacram. Quemadmodum enim in templis Græcorum quidam sunt literarum characteres peculiares, quos sacros appellarunt: sic Deus omnium per Mosem donauit hanc linguam, non naturalem, sed ad docendum aptam. Siquidem quum reliqui omnes loquantur lingua gentis suæ, in qua nati fuerint, & nati in Italia, Italorum vtantur voce, qui in Græcia, voce Græcorum: qui in Perside, Persarum: & qui in Aegypto, lingua Aegyptiorum loquantur: nihilominus nulli pueri Hebræorum reperiuntur, qui statim Hebraica lingua vtantur, sed eorum apud quos nati sunt. Deinde quũ parum adoleuerint, docentur literarum characteres, & discunt literis scripturam diuinam, Hebraica voce scriptam. Quod puto beatum Dauid indicasse octogesimo Psalmo, Linguam *Psal.80.a.* quam non nouerat, audiuit. Sed quidam dicunt ab Heber Hebraicam linguam appellatam esse, & illum solum in pristina lingua permansisse: indeque Hebræos esse dictos. Ego verò puto, appellatos esse Hebræos, ex eo quòd Abraham patriarcha, quum è regione Chaldæorum veniret in Palæstinam, fluuium Euphratem pertransijt. Hebra enim Syrorum lingua idem dicitur quod Euphrates. Quòd si Hebræi denominarentur ab Heber non solùm illos oportebat sic appellatos esse. Permultæ enim nationes ab Heber originem ducunt. Et vt reliquas omnes prætermittam, ex eo orti sunt Ismaelitæ, & qui ex Cetura, Idumæi, Amalecitæ, Moabitæ atque Ammonitæ, & qui Carram habitant, ex Nachor & Labam genus trahentes. Nullus tamen illorum Hebraica lingua vsus est. Sic verò & ipse Abraham vocabatur, vt testis est diuina scriptura. Nam post captiuitatem Lot, denuntiauit quispiam Abram obuiam facto, vt veniret. Ego autem istud reperi in Hebræo sermone positũ ἐβρεῖ. Hebri autem Græca lingua formatum fit Hebræus. Nam & illo loco vbi Aegyptia de *Gen.39.c.* Ioseph dixit, Introduxisti nobis puerũ Hebræum, vt illuderet nobis, in Hebræo sermone ponitur Hebri. Sed de hoc contendere, superfluum est. Nullũ enim ex verbo pietati detrimentum accedit, siue hoc siue illud recipiamus.

61 Quidam ferunt, Pharaonẽrem habuisse cum Sara.

Quantæ igitur curæ fuit Abraham Deo omnium si Deus vidit eius vxorem adulterio stupratam? Cur tanta & tam formidanda minatus est Pharaoni & vniuersæ domui eius, si noluit cohibere congressum illum iniquum? Etiam ipse Pharao ignorationem pro defensione proponit, & expostulat cum Abraham, quòd vxorem suam vocauisset sororem: & ostendit, quòd non eam acceperit, vt ea contumeliosè vteretur, sed quòd eam in vxorem ha- *Gen.12.d.* bere vellet: Quid hoc enim fecisti mihi, quia vxor tua est? Cur dixisti, soror mea est? Et ecce nunc vxor tua coram te, accipe eam, & abi. Et non solùm dixit, sed etiam opere complet, & omnimoda solicitudine dignum æsti- *Ibidem.* mauit. Præcepit enim (inquit) Pharao viris de Abraham, vt deducerent illum & vxorem eius, & omnia quæcunq; possidebat. Constat ergo, quòd rapta Sara statim dispensator omniũ Pharaonem obstrinxit morbo, qui libidinem eius fregit: & venator habens intra retia prædã, capta frui nõ potuit, quia morbus non permisit.

62 Et qua de causa hoc loco scriptura silentio prætermisit, Saram illæsam esse seruatam: in historia verò Abimelech, hoc apertè declarauit?

Sara tunc erat paritura Isaac. Ne igitur semen Abrahæ suspectum esset, illic manifestè declarauit scriptura diuina, quòd Abimelech illam non attigisset. Hinc tamen & inde sciendum est, Deum etiam barbaros docuisse, adulterium esse prauum & vltione dignum. *,, Gen.20.e* quod Pharao quoque patefecit: qui obiurgauit Abraham. Et Abimelech Deum omnium sic allocutus est, Domine, gentem insciam & iustam interficies? Nónne mihi ipse dixit, Soror mea est? Et ipsa dixit mihi, frater meus est? In corde puro & iustitia manuum hoc fe- *,, Ibidem.b.* ci. Addidit etiam Moses responsionem Dei. Dixit enim (inquit) Deus ad Abimelech per somnium, Et ego scio, quòd in corde puro hoc fecisti: & peperci tibi, vt non attingeres illam, ne peccares in me. Hac de causa non permisi te illam tangere. Nunc redde viro vxorem: quia propheta est, & orabit pro te, & saluaberis tu & vniuersa domus tua. Quòd si non reddideris, scito quòd morieris tu. Docet quoque nos diuinus sermo, quòd amatores iustitiæ, qui per ignorantiam peccaturi erant, Deus peccare non permittit: igitur neque Pharaonem. Quia verò probior erat Abimelech (vt verisimile est) Pharaone, illum erudiendo peccasse docuit, nequitiæ tamen & delicti non dedit illi veniam: sed expectauit, vt ille qui iniuria affectus erat, illam repeteret. Apparitione tamen benigna illum prosecutus est, & blandis sermonibus admissam iniquitatem indicauit. Dixit autem Abimelech Abrahæ, Quid cõsideraſti, vt faceres mihi rem *,, Ibidem.c.* istam? Dixit autem Abraham, Dixi, ne fortè non colatur Deus in loco isto, & me interficient ob vxorem meam. Etenim reuera soror mea est ex patre, non ex matre. & verè soror mea: nempe filia patris mei est, verum non est filia matris meæ.

63 Vnde Melchisedec genus traxit? *Heb. 7.a.*

Quum diuinus ille Paulus dicat, sine patre, sine matre, & sine genealogia, quis veritatem huius rei nosse potest? Verisimile est autem, illum esse ex illis gentibus, quæ Palæstinam incolebant. Nam ille tum rex tum sacerdos erat: rex quidem Salem, sacerdos autem Dei omnium. Erat enim, ait, sacerdos Dei altissimi. Vn- *,, Gen.14.d* de etiam Abraham patriarcha obtulit ei spoliorum decimas: & quum iustus esset & amicus Dei, ab illo benedictionẽ consequitur. Typum enim gerebat sacerdotij Dominici. Ideóque Abrahæ panes, vinum, & massam farinæ vicissim dedit, prout moris erat vnicuique Deo omnium talia offerre. Animaduertebat enim & in hoc typum patefieri.

64 Quomodo fidelis appellatur Abraham, quum dixerit Deo, In quo cognoscam hoc quòd possidebo eam? *Gen.15.b.*

Istud, In quo cognoscam hoc, non diffidentis est, sed modum posſidendi scire desiderantis. Quum enim videret multa hominum milia Palæstinam incolentium, discere volebat, quo pacto dominium illius terræ accepturus esset, num iure belli, an sine armis: & an viuentibus illis, an expulsis aut prorsus eiectis. Hac de causa sacrificio finito Deus omnium in-
Ibidem, c. quit, Cognoscens cognosces, quòd semen tuum incola erit in terra aliena & non sua: & seruituti subijcient eos, & affligent illos atque huiliabunt quadringentos annos. Gentem verò cui seruierint, iudicabo ego. postea verò egredietur huc cum sarcinis multis. Tu verò decedes ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Quarta autem generatione reuertentur huc. Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque nunc. Ex responsione diuina formam interrogationis
Gen.15.b. cognoscere licet. Nam postquam dixit, In quo cognoscam, quòd possessurus sim eam: didicit, quàtum temporis incolæ futuri essent, & quàm miserè tractandi, & quanta tandem prouidentia Dei excipiendi, tum supplicio sumendo de his qui illis bellum inferre vellent, tum eorum bonis fruendo: & quòd Abrahã nulla horum experientia accepta, in pace è vita discessurus esset. Didicit quoque rationem dilationis, ne quis suspicaretur, ob numerosam incolarum multitudinem Dominum Deum non potuisse illis tradere dominium illius terræ. Dixit au-
Gen.15.c. tem sic, Nondum adimpleta sunt peccata Amorrhæorum vsque nunc. Nondum, inquit, exitio digna perpetrarunt. Non decet autem ante peccatum ex præscientia pœnam infligere. Quòd autem illis tẽporibus essent viri pij, cõstat ex Melchisedec & Abimelech, & his qui incolebant terram Hebron. Illi enim patriarcham magnopere venerati sunt. Audiuntur itaque clamantes, Rex es tu à Deo apud nos.
Gen.23.d. In electis monumentis nostris sepeli mortuum tuum.

65 Quare Deus præcepit sacrificari sibi vaccam trimam & hœdum trimum? & reliqua.

Genes.15. Hæc erant illorum ænigmata, quæ familiæ erant obuentura. Siquidem sacrificio peracto, subiunxit, Cognoscens cognosces, quòd
Gen.15.c. semen tuum peregrinari debeat in terra non sua. & addidit, Quarta verò generatione reuertentur huc. Propterea ex quadrupedibus mundis tria, & vnumquodque eorum sacrificari præcepit, ad significandas tres generationes, quæ in incolatu permansuræ erant. Turtur autem generationem illam denotabat, quæ ex Aegypto egressa velut auolauit, & habitauit in deserto. Huiusmodi enim auis est amans deserti. Columba autem generationem aliam innuebat, quæ terram promissam accepit. Mansuetum enim est hoc animal & domesticum. Quamobrem hæc quidem minimè diuisit, vt liberationem à seruitute significantia. Quadrupedes autem partitus est, eò quòd indicarent, quàm malè tractandi erant in Aegypto. Aues autem illæ, quæ supra portiones diuisas volitabant, quas quidem patriarcha à sacrificijs abigebat, sententiam Aegyptiorum significabant, qua omnes cædere decreuerant. Quam tamẽ irritam Dominus Deus reddidit, volens ea firma rataque esse, quæ Abrahæ promiserat. Sicut enim in figura aues illas prædatrices expellebat Abraham: sic Abrahæ honor represit Aegyptios. Quod autem dicitur, visum esse circa solis occasum clibanũ fumantem, & lampades ignis, significabat, susceptа esse sacrificia: & præterea, Deum omnium fore conspicuum circa finem prædicti temporis. Nam in igne visus est Mosi legislatori, deinde vniuerso populo. Docebat etiam quòd posthac animalia huiusmodi per legem erant offerenda. At quidam ferunt, quòd Deus volens demonstrare promissionem suam firmam esse, de more, qui tum obtinebat, pactiones iniuit. Solebant enim (inquiunt) sacrificio bipartito sic pactiones iuramento firmatas contrahere. Ego verò vtrunque posui, vt quisque recipiat, quod sibi verius videbitur.

66 Permulti intemperantes inde suæ lasciuiæ sumunt occasionem, quòd patriarcha Abraham concubina sit vsus.

Vnumquodque opus iudicatur ex facientium intentione. Sic igitur & circa Agar contemplemur. Si enim attendamus patriarcham concupiscentiæ inseruientem, rem reprehensione dignam vocabimus. Si verò vxor naturæ suæ infirmitatem declarans, & à creatore sterilem sibi factum esse vterum dicens, exponensque quanto liberorum desiderio teneatur, rogauit ea de causa Abraham, vt cum Agar congrederetur, quò ipsa liberos inde susciperet, quid peccauit Abraham? Maximè, quum neque natura neque lex vlla tum scripta plures ducere vxores prohiberet: ipsa verò coniunx sterilis obsecraret virum, ancillæ permiscerі: non vt voluptati inseruiret, sed amborum naturæ consuleret, ipsique reipsa vocarentur genitores. Verùm quæ secuta sunt, fidem eius rei faciunt. Quum enim Agar grauida esset, superbiendi occasionem inde accepit, & in dominam suam magna procacitate vtebatur: quod ægrè ferens Sara, apud patriarcham conquesta est, illam non rectè agere: ille verò valde grauiter ferens petulantiam ancillæ, neque expectans donec illa peperisset puerum, quem in vtero gestabat, tradidit illam vxori puniendam. Ecce inquit, ancil-
Gen 16.b la tua in manibus tuis: vtere ea prout tibi placuerit.

67 Quare Deus iusſit ipsum circuncidi?

Quum Deus prædixisset incolarum, pie-
Genes. 17. tati custodiam aliquam molitur: ne hominibus impijs permixti, maculent nobilitatem, sed in signum intuentes, indelebilem memoriam eius, qui dedit illud, conseruent. Atque hoc esse verum, testatur desertum. Nam quum in eo vixissent quadraginta annos, superfluam existimabant circuncisionem: nempe à cæteris gentibus segregati, & seipsos gubernantes. Quando verò postea ingressi sunt terram promissam, tunc iterum Deus omnium præcepit Iesu filio Naue, circuncidere omnes, & ita dominium terræ tradere. Erant enim futuri proximi populis alienis, quamobrem indigebãt necessariò signo quodam, quo illos distingueret ab alienigenis nationibus. Quod si Iudei gloriantur de circuncisione, certò sciant, quòd non solus patriarcha circuncisus est, sed etiam Ismaël semiseruus, & vernaculi, & Argyronitæ: similiter & Idumæi, & qui ex Cetura orti sunt. Aegyptij quoque didicerunt ab Israelitis circuncidi. Non igitur circuncisio iustos reddit. Illi enim omnes tanquam impij à diuina scriptura notantur. Ergo neque Abraham circuncisio iustificauit, sed fides illum iustum declarauit, & illustriorem reddidit virtus. Circuncisio autem data est veluti signum fidei.

Gene.18. *68 Scriptura diuina perhibet, angelos comedisse in tentorio Abrahæ.*

Eadem quoque scriptura asserit, quòd viros Abraham vidit. Si ergo literam nudam attendamus, viri, nõ angeli, comederũt: si verò mentem explicemus, visi sunt comedere. Quemadmodum enim illi, naturæ quũ sint incorporeæ, tamen & ipsi & eorũ Dominus visi sunt habere corpora (ita enim apparuerũt) sic visi sunt edere, non cibum inferentes in os & ventrem (neq; enim corpora habebant) sed consumebant cibum prout illis placuit. Extremæ enim dementiæ est, rationem arcanorum curiosè indagare.

69 Cur Lot non est accusatus, quòd filiabus se miscuerit?

Quando ita se habet, vt homines soleant illis ignoscere, qui per ignorantiam delinquunt, nemo profecto merito Lot reprehenderit ob illam mixtionem. Nesciebat enim quid ageret. Ebrietas verò nonnullam habet reprehensionem, venia tamen temperatam. Siquidem valde ægrè ferens & anxius se omnibus simul bonis, & vxore etiam sua spoliatum esse, vino animi ægritudinem consolabatur: præsertim quũ filiæ vinum illi largius affunderẽt, quod struebatur, ignorabat, sed ad leniendam mitigandamque tristitiam, id fieri suspicabatur. Illę verò prorsus à crimine sunt immunes: quia quũ vidissent quatuor ciuitates & vniuersos pagos in ignea pluuia exarsisse, habitatores autem Segor terræ hiatu absorptos (nomen enim ipsum id significat, & Segor interpretatur terræ hiatus) arbitrabantur vniuersam prorsus naturam hominum interijsse. Quumque præsentem solitudinem attenderent, & præuiderent senectutis imbecillitatem, humano generi semẽ excogitare voluerunt, & sibiipsis consolationẽ aliquam. Hac ratione ductæ, non vt libidini inseruirent, auxilium vini acciuerunt: quumque patri sensum maiore copia vini ademissent, illum seminis autorem declauerunt.

70 Qui fit, vt Deus illegitimam commixtionem non prohibuerit?

Præuidebat impietatem generis humani. Moabitæ enim colebant Chamos, Amonitæ Moloch. Ne igitur Israëlitę cum illis, vt cognatis, impietatis essent participes, Deus non prohibuit illegitimas nuptias: vt hoc pacto execrandos illos & abominabiles Iudæis redderet. Hoc autem Deus omnium declarat, præcipiens per Mosem legislatorem, Ammonites & *Deut.23.* Moabites non ingredientur ecclesiam Domini, vsque ad decimam generationem, & vsque in sęculum.

71 Nimia præcipitatione factum videretur, quòd Ismaël adhuc tenellus è domo paterna sit egressus cum matre sola & vitre aqua. *Gene. 21.*

Hoc proculdubio virtutem Abrahæ demon- *Gene.21.b*
strat, cui quũ Sara dixisset, Eijce ancillam, & filium eius: morem illi non gessit. Vbi verò iussit Deus, statim verbis opus suppeditauit: & hęc, beneuolentia quadam ductus erga Ismaëlem. Quum enim Deus prolem ex Sara denũtiasset, inquit, Ismael iste viuat in conspectu tuo: ve- *Gene.17.e.*
runtamen valde diligens puerum, fecit quod Dominus præcepit, & sic promissionibus diuinis credidit: quia non datis illi seruis, ancillis, auro, vel argento, è domo iussit abire puerum: sed matre sola cum panibus paucis & vtre aquę. Iam enim certa erat præcipientis promissio, qua Deus promiserat eis, effecturum se puerũ in gentem magnam, dignam vtique eius agricultura. Quod etiam adimpleuit. Nam simul atque fleuit puer, potum desiderans, angelus à Domino missus puteum ostendit plenum aqua potabili. Quod autem prolem numerosam dederit, vt pollicitus erat, testificãtur ea quæ sunt ante oculos. A finibus enim Aegypti vsque ad Babyloné huius progenie desertum abundat. Cæterùm Abraham religione ductus locis indidit nomina, & agro plantato iuxta puteum iuramẽti, inuocauit illic nomen Domini, quod est, Deus æternus.

72 Quare Deus tentauit Abraham, quum omnia præsciat?

Non vt disceret ipse, quæ sciebat, sed vt ignorantes doceret, quàm iusta de causa patriarcham diligeret: hac de causa tres dies & totidem noctes amoris diuini periculũ in eo fecit. Nam patriarcha medius inter naturam constitutus & fidem, quum vtrinq; prehensaretur, fidei dedit palmam victoriæ. Deus autem patefaciẽs eius pietatem, sacrificium cohibuit. Qui enim prohibẽt sacrificari sibi animalia irrationalia, quomodo sacrificium tale pertulisset? Siquidem hanc ob rem Iudæos sine intermissione notat, & clamat per Prophetã Dauid, Sacrifi- *Psalm.105.*
cauerunt filios suos & filias suas dæmonijs: Et effuderũt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum: quos immolauerunt sculptilibus Chanaan. Itidẽ & per *Ezech.16.b.*
Ezechielem, Accepisti filios tuos & filias tuas, quas genuisti mihi, & obtulisti eos amatoribus tuis. Deinde demonstrans absurditatis excessum, subiunxit istud, Præ fornicatione tua vniuersa. Quomodo ergo is, qui damnat eos qui talia perpetrant, filium vnigenitum à patre sibi sacrificio oblatum pertulisset? Verùm hæc

erant vmbra dispensationis pro nobis factę. Pater siquidem Filium dilectũ obtulit pro mundo. Isaac enim typus erat diuinitatis, aries autẽ humanitatis. Tempus autem ipsum æquale. quia tres dies & tres noctes vtrobique.

Gene.24.a 73 *Quid hoc est, Pone manũ tuam super femur meũ?*

Connubij contrahendi causa mittebat seruum præcipuum, sciens progeniem Chanaan maledictam esse, suam verò cognationem adeptam esse benedictionem. Quum ergo in semine tum benedictionem tum promissionem bonorum suscepisset, illic seruum apponere manum iussit, vbi fidei signum recepit. Credens enim promissionibus diuinis, accepit signaculum circuncisionis. Illic autem manũ adhibere iussit, vt & promissionis diuinæ & circuncisionis memor, matrimonio cũ alienigena contracto nobilitatem dominicam non inficeret. Aduertendũ est autem, quòd manus ad femur apposita est, at iusiurandum per Deum omniũ
Gen.24.a conditorem præstitum est: Adiuro te, inquit, per Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorẽ filio meo Isaac de filiabus Chananæorũ, apud quos ego habito. & quæ sequuntur. Prudentissima verò fuit serui interrogatio: qui reueritus iusiurandum, sibi claras volebat esse nuptiarũ
Ibidem. pactiones. Si enim (inquit) puella desponsata nolit huc venire, sed iubeat sponsum ad illam accedere, visne filium tuum ad gentem illam reuerti? Verùm Abraham patriarcha probè nouerat, quòd ipse illinc educendus esset diuina sententia: verùm de nuptijs legem à Deo acceperat. Itaq; quum esset in religione piè educatus, voluit filio ex propria cognatione vxorem desponsari: illudque prohibet fieri, quod diuina lege potissimũ erat inhibitum. hoc autem diuinæ permittit prouidentiæ, qua confisus seruus profectus est. At verò non dubitando protulit orationem illam, vt quidã nimium simplices existimant: sed quum Deum illius coniugij autorem habuisset, signa quædam sibi demonstrari postulabat, per quæ scire posset, an coniugium Deo placeret. Signum autem erat, non pulchritudo corporis, neque quicquã aliud ex ijs quæ splendida putantur: sed hospi-
Gen.24.b talitas affabilitas, & animi mansuetudo. Erit enim, inquit, virgo illa, cui quum dixero, Inclina mihi tuam hydriam, vt bibam: & dixerit mihi, Bibe domine, & camelos tuos potare faciam, donec bibere desinant, quam præparasti puero tuo Isaac: & in hoc cognoscam, quòd feceris misericordiam cum domino meo Abraham. Quum enim tam insignibus ornamentis cumulatus esset patriarcha, volebat & sponsam congruere moribus soceri, ne contentionem aliquam aut controuersiam parerent mores contrarij. Quòd autem hæc coniectitia non essent, sed fidei & religionis argumenta, primùm demonstrat accurata compositio deprecationis, deinde expectatio voluntatis diuinę. hoc enim
Gen.24.c docet diuina scriptura: Vir autem obseruabat illam, & tacebat, vt sciret an Dominus direxisset viam suam, an non. Quumque illa hausisset aquam, & camelis præbuisset fluentum, expectabat ille, vt videret, an omnibus præberet, quantum opus erat, quemadmodum postulauerat. Adaquatis autem camelis, statim protulit desponsationis symbolum. Quum autem agnouisset genus & cognationem domini sui, gratissimo animo vir ille cœpit adorare Dominum, & dixit, Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non dereliquit testamẽtum suum & misericordiam suam à domino meo Abraham: & me deduxit in domum fratris domini mei. Vniuersa autem hæc ipsius collocutio pietatem animi declarat. Similiter & quæ post illam collocutionem sequuntur, eandem denotant intentionem. Contractis enim nuptijs per parentes puellæ, ipse mox adorauit Dominum. Et quæ sequuntur, eiusdem sunt sententiæ: Ne retineatis, inquit, me. Dominus enim direxit viam meam.

Ibidem.
Gen.24.g

74 *Quamobrem vxores patriarcharum erant steriles? Nam Sara sterilis erat, & Rebecca: similiter & Rachel atque Lia. Videns enim, inquit, Dominus quòd despiceretur Lia, aperuit eius vuluam.* Gene.29.d

Volens Deus cõponere genus Israëliticum, ostendit illud nõ naturali successione, sed gratia & fauore multiplicãdum. Hanc autem prouidentiam adeptum est genus illud, quia Christus Dominus vnigenitus Dei filius inde secundum carnem nasci debebat.

75 *A quo Rebecca scire voluit sortes infantum quas in vtero gerebat?*

Quidam aiunt, ipsam abijsse ad Melchisedec, nempe summum sacerdotem Dei altissimi, virum nobilem & pietate insignem. Verùm quum patriarchę consueuissent in locis, in quibus habitabant, construere Deo altaria quædam, verisimile est illam ad vnum ex his ingressam, supplicasse Deo omnium, & ita nouisse, quæ futura erant.

76 *Quare Deus prohibet Isaac proficisci in Aegyptũ, fame præsertim ad hoc impellente?* Gene.26.a

Dominus Deus per omnia demõstrat sapientiam suam atque prouidentiam. Etenim permisit patriarcham Abraham ingredi Aegyptum, non quòd eum alere non posset: sed vt Aegyptijs patefaceret viri pietatem & religionem, & prouocaret illos ad imitandam patriarchæ virtutem. Filium autem eius manere iussit, eiúsque rerum necessariarum copiam suppeditauit: demonstrans, quòd hæc etiam patri largiri poterat, quæ filio abundè præbuit. Quum enim omnes in summa inopia & necessariorum penuria constituti essent, & terra nihil produceret, multiplicem ille fructum accepit.

77 *Qua de causa volebat Isaac dare benedictionem ipsi Esau?* Gene.27.

Hoc volebat secundum legem naturæ. Esau enim primogenitus erat: primogeniti verò & primam & duplicem portionem accipiebant. Auxit etiam amoris occasionem, quòd officiosus erat patri: Venatio enim illius, inquit, erat illi in cibum. Obsequium autem potest etiã crudelissimos quosque mitigare: maximè patrem, patrem inquam humanissimũ. Ceterùm repe-
Gen.25.a

reperimus etiam diuinum Apostolum copiosis benedictionibus remuneratum esse eos, qui illi obsequium præstitissent.

78 *Vnde Rebecca certior facta est, Iacob consecuturum esse benedictionem, eiusque rei tantam habuit fiduciam, vt dixerit, Super me sit maledictio tua fili mi: tantùm audi vocem meam.*
Gene.27.b

Prænouerat ex Deo omnium authore, quòd maior seruiturus esset minori. Vnde confidens illi prophetię, omnem mouit lapidem, vt Iacob benedictionem paternam consequeretur.

79 *Quare Deus non reuelauit ipsi Isaac voluntatem suam?*

Vt patefieret prouidentia Dei erga Iacob. Quod satis constat ex eo, quòd Isaac modis omnibus conabatur benedicere Esau: sed gratia Dei contrà quàm putasset Isaac, transtulit benedictionem super Iacob, quod etiam intellexit ipse Isaac. Nam quũ operam omnem dedisset, & misisset Esau venatum, & Iacob illi cibũ offerret, sæpius interrogabat, Es ne tu Esau primogenitus meus? Nec solum rogabat, sed etiã manus corpori admouebat. Pòst Esau ingresso stupefactus Isaac, ob id quod factum erat, nõ est indignatus, quasi à filio deceptus esset: sed intentionem diuinam agnouit, & quam dederat benedictionem confirmauit.
Gen.27.c

80 *Quid? An non visus est Iacob mentiri, quum dixit, Ego sum Esau primogenitus tuus?*
Ibidem.

Emerat priuilegia primogenituræ. verè igitur seipsum appellabat primogenitum.

81 *Sed quænam est benedictionis interpretatio?*

Ex ipso secundũ carnem nasci debebat Christus Dominus, qui erat expectatio gentiũ, & totius mundi saluator & Dominus. Ob id dixit
Gen.27.d patriarchæ quæ sequuntur, Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Quòd autẽ sæpenumero scriptura diuina mundum appellet agrũ, testis est Dominus in sacris
Ma.13.c Euangelijs, quum parabolã interpretatur: Ager enim, inquit, est mundus: qui autẽ seminat bonum semen, est Filius hominis. Obserua igitur in Iacob salutem vniuersi orbis. Quamobrem deprecatur illi rorem cæli & pinguedinem terræ: quæ quidẽ facili & superficiario literæ sensu denotant supernam gratiam, & bonorum è terra nascentium abundantiam, sed secundum interpretationem agri, indicant Domini Christi, per rorẽ quidem, diuinitatem: per pinguedinem autem terræ, humanitatẽ à nobis acceptã. Etenim beatus Dauid hæc prædicens, inquit,
Psal.71.b Et descendet vt pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Quemadmodum enim ros inuisibiliter quidem descendit, deorsum autẽ cõsistens manifestò apparet: sic Deus, quum sit inuisibilis, per carnem visus est super
1.Ti.3.d terrã, & cum hominibus conuersatus est, & apparuit in carne, secundum diuinum Apostolũ. Frumentum autem & vinum sunt ænigmata diuinorum mysteriorum. Et huic interpretationi
Gen.27.d consentiunt, quæ sequuntur, Et seruiant tibi
Psal.17.c gentes. Omnes enim gentes seruient illi: vt inquit diuinus Dauid. Et adorabũt te principes. Reges enim, inquit, & insulæ dona afferent. Reges Arabũ & Saba dona adducent, & adorabũt eum omnes reges terræ. Hanc quoq; benedictionem confirmauit quando misit eum Mesopotamiã, Eris enim, inquit, in turbas populorũ, & dabit tibi Dominus benedictionẽ Abrahę patris mei. Quæ nã autẽ esset benedictio, facile est discere volẽti. Abrahę enim dixit Deus omniũ,
Gene.22.d In semine tuo benedicẽtur omnes gẽtes terrę.
Gene.28.a

82 *Cur Iacob tantas benedictiones adeptus, fratrem fugit, & solus, rebus necessariis carens, abit peregre?*
Gene.28.

Prouidentia diuina manifestiùs declaratur in rebus quę videntur aduersæ. Nam quibus omnia prosperè cedunt, non perinde intelligunt, quantis bonis fruantur. Hac de causa Iacob aufugit, & solus peregrinatur, vt locupletissimus rediens & ipse experiatur quanta sit Dei omniũ prouidentia, & alios doceat hanc Dei solicitudinem. Quam quidem apparitione sua confestim Deus declarauit. Ostendit enim ei scalam ad cælum vsq; pertingentem, & sanctos angelos ascendentes & descendentes. Ipse verò Dominus sursum consistens confirmabat eum, & metum expellebat. Declarabat autem angeli mini sterium diuinum. de quibus beatus Paulus in-
Hebr.1.d quit: Nónne sunt omnes administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis? Horum autem vnumquodq; poterat securũ reddere patriarchã. Docetur enim nihil negligenter & sine cura ab omniũ Deo administrari: sed ipsum omnia dispensare, sanctorũ angelorum vtentem ministerio. Ei quoq; largitus est benedictionem, quam & patri & auo præbuerat, tum de multiplicando semine, tum de ortu Domini totius mũdi:
Gene.28.c Benedicentur, inquit, in semine tuo omnes tribus terræ. Postmodũ illi pollicetur, se supradicta curaturum. Ecce enim (inquit) tecũ sum, cu-
Ibidem.c stodiens te in omni via qua ambulaueris. Et reducam te in terrã hanc, quia non te derelinquã, donec cõpleuero omnia quæcũq; locutus sum.

83 *Quamobrem Iacob inunxit lapidem?* Gene.28.d

Bona sua munificentissimo Domino cõmutauit. Nam quum erexisset lapidem, quem capiti suppossuerat, perfudit eum oleo. Quod etiam nunc fieri solet à permultis vxoribus fidelium, qui Christo crediderunt. Nam consueuerunt in templis diuinis oleo vngere adytorum cancellos, & sanctorum martyrum thecas, ad demonstrandam animi pietatem. Atqui non respuit etiam minima benignissimus Dominus, gratam habens operis intentionem.

84 *Multi sibi prætexunt occasionem lasciuiæ, quòd quatuor vxores Iacob habuit.*

Vniuscuiusq; facti scopus inquirendus est. Sic enim iudicantes reperiemus quidẽ patriarcham Iacob sibi Rachel solã despõsasse, & præter animi voluntatẽ Liam attigisse. Mox igitur, vt dolũ sensit, ægrè tulit, & cum socero questus est. Balę verò permixtus est, nõ voluptatis gratia, sed vt coniugẽ placaret. Nam quũ Rachel angeretur, qp liberis careret, stolideq; diceret,
Gen.30.a Da mihi liberos, alioqui moriar: piè quidem obiurgauit illam patriarcha, & docuit, quiinam esset naturæ creator: & quòd nuptiæ non darent

Ibidem. darẽt liberos,ſed qui nuptijs legẽ dedit Deus.
,, Dixit enim ad illam, Nũquid ego ſum tibi pro
,, Deo,qui te fructu ventris priuauit? Attamen illam placare volens, poſtulationi annuit. Petierat enim ab eo,vt ancillę permiſceretur,vt puerum,qui ex illo naſceretur,ſuũ vocaret. Idem & in Delpha contigit. Rurſum enim Lia,quum parere deſiiſſet,rogauit eum,vt in agrum illum ſemen immitteret. quod quidem nullam libidinem denotat, ſed viri manſuetudinem, qui vxoribus inſeruire ſtudebat. Ad hæc etiam illud aduertendum eſt, tunc temporis nondum datam eſſe vllam legem, quæ multiplices nuptias prohiberet, & quòd feliciſſimi tũc exiſtimabantur, qui multorum liberorum patres erant. Et quòd hoc verum ſit, diuinæ teſtificantur promiſsiones. Nam Abrahę dixit Deus omnium, Reſpice in cœlum, & intuere ſtellas, ſi po
Gen.32.c ,, teris eas numerare. Et ſubiunxit, Sic erit ſemen
,, tuum. Et iterum, Efficiam ſemen tuum, vt are-
,, nam quæ eſt in litore maris, quę non poteſt nu-
,, merari præ multitudine. Nihil autem tale illi promiſiſſet, niſi copioſam ſobolem quàm maximum bonum eſſe exiſtimaſſet.

85 Cur vxores mutua zelotypia tenebantur?

Imperfectiores erant, & hominis impij filiæ: nempe qui ſtatuas Deos nominabant. Hac de cauſa Deus, quum leges conderet, tales nuptias
,, prohibuit: Non accipies, inquit, vxorem zelo-
,, typam aduerſus ſororem ſuam.

86 Quare ſcriptura meminit fortunæ?

In ſcriptura piorum hominum diuinę inſtitutiones ſpiritus eloquia ſunt: reliqua autẽ verba hiſtorico more proferũtur. Non ſolùm igitur ſermo ipſe ſpectandus eſt, ſed quę etiam loquitur perſona. Porrò verbum proſperæ fortunæ non eſt verbum Iacob, ſed vxoris eius Liæ: quæ,vt dixi,in impietate fuerat educata, & parum in diuinis inſtituta. Sic & pater eius inquit,
Leuit.19.f Auguratus ſum. Atqui diuina lex prohibet augurijs vti. Quare nemo putet, huiuſmodi ſermones eſſe ſcripturæ diuinæ. Siquidem diuiniſsimus Moſes,vt qui hiſtoriam ſcribat, verba quæ ab impijs prolata ſunt, inſeruit, quemadmodum & verba Pharaonis blaſphemiæ plena.
Exod.5.a ,, Non noui Dominum, & Iſraël non dimittam.
Qui quidem ſermo non eſt diuini ſpiritus, ſed
4.Reg.18.f. regis impijſsimi. Eodem modo rurſum audi-
,, mus Sennacherib dicẽtem, Ne te decipiat Deus
,, tuus, in eo in quo illi credidiſti, dicens, Liberabit Dominus Ieruſalem de manu mea. Veruntamen ne diſcamus inde blaſphemare, ſed potiùs blaſphemiam damnare.

Gene.30.c *87 Sed ipſe Iacob dixit ad Laban, Benedixit Dominus ob pedem meum.*

Clara eſt huius dicti ſententia. Pedem enim vocauit aduentum, perinde ac ſi dixiſſet, Propter aduentum meum & ſolicitudinem meam Deus tibi bona impertiuit. Ille enim animaduertẽs pietatẽ meam, omnimoda benedictione proſecutus eſt, quæ abs te mihi cõmiſſa ſunt.

Gene.30.d *88 Qua de cauſa virgas decorticatas bibentibus ouibus apposuit?*

Quemadmodum quum procreandorũ liberorum deſiderio tenebatur, ſpem procreandæ ſobolis nõ poſuit in nuptijs, ſed in Deo, qui nuptias legibus ſanxit: ſic & virgis corticem detraxit, non illis quidem confidens, ſed opem diuinam expectans. Vnde factũ eſt, vt ei apparuerit angelus Domini, & eum audierit dicentem,
Intuere oculis tuis, & vide hircos & arietes a- ,, *Gen.31.b*
ſcendentes ſuper capras, & eos quidem albos& ,,
varios, cinericeos & ſparſos. Vidi enim quę fa- ,,
cit tibi Laban. Ego enim ſum Deus tuus, qui ,,
apparui tibi in loco diuino, vbi vnxiſti mihi titulum, & votum illic mihi vouiſti. Quum enim ,,
animalia fuſca & varia filijs Laban commiſſa eſſent, & greges illorum trium dierum itinere diſtarent, Deus, qui certat pro iniuriam paſsis, oſtendit illi variegatos arietes & hircos coëuntes cum fœmellis: vt cognoſcas per experientiam, quanta prouidentia fruuntur, qui confidunt in Deo omnium autore. Notandum eſt autẽ, quòd quum ſuprà dixiſſet, angelum ſibi apparuiſſe, ,, *Ibidem.*
eundem eſſe Deum demonſtrauit. Ego enim
(inquit) ſum Deus, qui apparui tibi in via. Vi- ,,
derat autem angelos quidẽ aſcendentes & deſcendentes per ſcalam, Dominum verò cacumini eius innixum: quem hîc & angelum nominauit & Deum: Deum inquam, quòd naturâ talis ſit: angelum verò, vt ſciamus non eſſe Deum patrem qui apparuit, ſed vnigenitũ filium. Siquidem pater cuiuſnam angelus eſſe poſsit? Filius autem tum Deus tum magni conſilij eſt angelus. Nam ipſe nobis annuntiauit myſteria pa- ,, *Ioan.15.c*
tris. Quæ enim, inquit, audiui à patre meo, no- ,,
ta feci vobis. Sic Deus angelũ nominauit eum, ,,
qui Iacob accerſiuerat.

89 Quis idolorum ſubreptorum ſcopus? *Gene.31*

Quidam dixerunt, Rachel ſubripuiſſe idola, propter animi ſtudium, quo adhuc amplecteba
tur illa. Ego verò contrarium puto, quòd ea furto abſtulerit, quia volebat patrem liberare ab impio dæmonum cultu. Pietatem enim eius ſatis docet ſcriptura diuina. Recordatus eſt e- ,, *Gen.30.c*
nim, inquit, Deus Rachel, & exaudiuit eam, & ,,
aperuit vuluam eius. Quum enim audiuiſſet à Iacob, Nunquid ego tibi ſum pro Deo, qui te ,, *Gen.30.a*
priuauit fructu ventris? vehemẽtiores Deo pre- ,,
ces obtulit, & adepta eſt, quod poſcebat. Atque etiam poſt partum pietatem ſuam demonſtrauit. Dixit enim (inquit) Rachel, Abſtulit à me ,, *Gen.30.e*
Deus opprobrium & vocauit nomen illius Io- ,,
ſeph, dicens: Addat mihi Deus alterum filium. ,,
Quomodo igitur hoc in Deum affectu prędita, idolis, quę non ſunt Dij, inſeruire potuiſſet? Verùm arbitror & aliud per hæc ſignificari. Typum enim Dei omnium gerebat Iacob. Nam duos populos Deus habuit, ſeniorem quidem, habentem ſuper cor velamen: iuniorem verò, decore fidei exornatum. Ita Iacob duas vxores habebat, Liam videlicet, quę oculos habebat infirmos: & Rachel, ſpecie pulchram & viſu valde formoſam: & ſeniorem liberis abundantem, iuniorem verò ſterilem. Nam ex gentibus cõgregata eccleſia ſterilis erat quondã, ſed poſtea liberis fœcũda facta eſt. Lætare enim (inquit) ſte- *Eſai. 54.a*
rilis, quæ non paris. Erũpe, & clama, quę nõ par- ,,
turis. quoniam plures erunt filij deſertæ, quàm ,, *Gal.4.d*
eius quæ virũ habet. Quoniam igitur eccleſia, ,,

quæ

quæ Deo Saluatori credidit, primitiuum errorem radicitus extirpauit, huius autẽ typus erat Rachel, furata eſt idola patris, vt in eo quoque veritatem adumbraret.

Gene.31.g *90 Quid eſt hoc, Iurauit Iacob per timorem patris ſui Iſaac?*

Timorem Iſaac vocauit pietatem ipſius, hoc eſt, Deum. Geſtabat enim ille in animo timorem Dei.

Gene.32. *91 Quamobrem luctatur angelus cum Iacob?*

Illum fiducia roborat, qui fratrem metuerat. Quapropter etiam illi victoriam conceſsit, di-
,, cens, Nónne me ſolum viciſti, & hominem ti-
,, muiſti? Ne verò ſuperbiret, quòd ſibi Deum ſuperaſſe videretur, attactu femoris ſe volentẽ victum eſſe indicauit. Tactu enim torporem induxit. At quum ſenſiſſet Iacob virtutem eius qui apparuerat, poſtulauit ab eo benedictionẽ: qui & dedit illi quod petierat, & nomen immu
Gen.32.f ,, tauit. Non enim amplius, inquit, vocabitur no-
,, men tuum Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum.
,, Quia prævaluiſti contra Deum, etiam contra homines potens eris. Indicauit etiam cauſam
,, victorię: Ne timueris enim, ait, hominem, quum
,, ego tibi victoriam cõceſſerim. Quum verò expergefactus eſſet, femur remanſit ſtupidum, & claudicabat: ne putaret, id quod viderat, eſſe imaginationem nudam, ſed exactius noſſet myſterij veritatem. Ob id etiam quum quęſiuiſſet ab angelo, qui vocaretur, non ſolùm reſponſo fruſtratus eſt, ſed etiam obiurgatur, tanquã ex-
Ibidem. ,, cedens metas naturæ. Ad quid enim queris, ait,
,, nomen meum, quum hoc ſit admirabile? Notandum eſt etiam hic, quòd eundem, & homi-
Ibidem. ,, nem & Deũ vocauit. Prævaluiſti enim, ait, con-
,, tra Deum, & aduerſus homines potens eris. Et
,, vocauit nomẽ loci illius Phanuẽl, Id eſt, Viſio-
Ibidem. ,, nem Dei. Vidi enim Deum facie ad faciem, &
,, ſalua facta eſt anima mea. Et ortus eſt ei ſtatim
,, ſol, poſtquam tranſgreſſus eſt Phanuël. Per hęc omnia docemur, quòd etiam hoc loco vnigenitus Deus apparuit ipſi Iacob.

92 Vnde Iob originem traxit?

Ab Eſau. Hoc enim docet quæ de eo ſcripta
Iob.1.a ,, eſt hiſtoria: Vir enim erat, inquit, in regione
,, Huſitide. Hoc itidem demonſtrauit & beatus Moſes, qui deſcribens ſucceſsiones eorum qui
Gen.36.c ,, regnauerunt ab Eſau, ſic ait, Mortuus eſt Ba-
,, laach & regnauit pro eo Iacob, filius Zaræ de
,, Boſra. quæ omnia conſentiunt, cũ hiſtoria Iob.

Gene.37. *93 Quare fratres Ioſeph inuiderunt ei?*

Ioſeph diligebatur à patre, quòd tum minimus natu eſſet, tum filius Rachel, & virtute præſtans. Inuidebant ergo fratres, quia videbant eum anteferri. Et in primis quidem tentauerũt ei conflare odium paternum, multis aduerſus eum conuicijs vtentes: ſed quum intentione ſua fruſtrati eſſent, eum interficere voluerunt: poſtremò conſilio inito prodiderunt. Manipulorum autẽ ſomnium denotat futuram frumenti cauſã adorationem. Siquidem frumenti gratia in Aegyptum profecti fratres, ſecundum prophetiam eum adorauerunt.

94 Quare Thamar ornata meretricio habitu ſoc- *Gene.38.*
rum decepit?

Illuſtre nimium erat genus Abrahæ, propter eam, quã colebat pietatem. Quod probè ſciens Thamar, dabat operam, vt ex ea progenie liberos procrearet. Quum igitur ſocer non eam deſponſaſſet filio ſuo poſtremo, metuens ne decederet, quemadmodum & fratres eius, coacta eſt illa furari procreandæ ſobolis occaſiones, eò quòd illas palàm ſumere prohiberetur. Præterea redarguit illa ſocerum ſuum: qui quum minimè temperans eſſet, eam tamen temperantiam ſeruare cogeret. quod etiam ille iudicans patefecit. Nam quum illam grauidã deprehenſam morti addixiſſet, poſteaquam nouit vnde prægnãs eſſet, illam innocentem declarauit, ſeipſum verò condemnauit. Iuſtior enim, inquit, ,, *Gen.38.f*
eſt Thamar, quàm ego: propterea quòd nõ tra- ,,
didi illam filio meo Sela. Indicant autem quæ ,,
ſecuta ſunt, ſobolis cauſa, non voluptatis hoc commentum eſſe. Neque enim poſtea Iudã aut alium quempiam attigit: ſed cõtenta fuit vocari mater eorum, qui ex illo ſemine naſcerentur.

95 Quid indicabat, quod circa Zaram & Phares ,, *Ge.38.g*
accidit?

Denotabat duos populos, Phares videlicet populum Iudaicum, Zara verò gentes quæ crediderunt. Nam ante legem etiam erant plerique pietatis alumni, ſecundum fidem, non ſecundũ legem viuentes. Quocirca Zara tale vitæ genus demonſtrans, manum porrexit. Permulti enim fuerunt ante legem pietatis & virtutis ſtudioſi. Funiculus autem coccineus antiquorum ſacrificia denotabat. Etenim etiam illi ſacrificijs Deum placabant, verbi gratia, Abel, Enoch, Noe, & Melchiſedec, Abraham etiam, Iſaac & Iacob. Deinde quum ille manum ſubtraxiſſet, egreſſus eſt Phares. Lex enim intercedebat, & erat media inter eos qui legem præcedebant, & illos qui poſt eam fuerunt. Propterea beatus Paulus inquit, Lex autem ſubintrauit: docens, ,, *Rom.5.d*
quòd etiam ante legem ſecundum fidem iuſtificabantur: atq; etiam poſt legem gratia ſplenduit. Sed & Dominus ſecundũ carnem ex Phares natus eſt. Quorum enim, inquit, & ex qui- ,, *Rom. 9.a.*
bus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper ,,
omnia Deus. Et in epiſtola ad Hebræos, Mani- ,, *Hebr.7.c*
feſtum eſt, quòd ex Iuda ortus ſit Dominus no ,,
ſter Ieſus Chriſtus. Quod etiam beatus Mat- ,,
thæus genealogiam eius conſcribens, docuit. Hanc autem enarrationem texuit beatus ille, docere volens Iudæos, famoſiſsimam illã progeniem Dauid ex mulieribus alienigenis conſtare: ne extollerentur aduerſus eos qui ex gentibus crediderunt, quaſi nobilitatem integram ſeruarint.

96 Quum Lia velut in cultu pietatis adhuc imperfecta dixerit, Proſpera fortuna vſa ſum, quomodo deſcribens hiſtoriographus ea quæ pertinent ad Ioſeph, dixit, Vir erat bene fortunatus?

Lege verba quæ præceſſerunt, & reperies ſo- *Gene.39.a.*
lutionẽ. Nam quũ dixiſſet, Dominus erat cũ Io- ,, *Ibidem.*
ſeph: intulit, Et erat vir bene fortunatus: poſtea ,,
ſubiun-

,, ſubiunxit,Et erat in domo apud dominum Ae-
,, gyptium. Sciebat autem dominus eius, quòd
,, Dominus erat cum eo, & quòd Dominus diri-
,, gebat,quæcunque ille agebat.Per omnia igitur
,, bene fortunatus erat. quia Dominus erat cum
,, illo.Ipſe enim dirigebat,quę ab illo fiebãt.Hoc
ipſum etiam, enarrans quæ illi in carcere acci-
Gen.39.d. ,, derant,dixit. Omnia,inquit,adminiſtrabantur
,, per manum Ioſeph.quia Dominus erat cum eo,
,, & quæcunque faciebat,Dominus dirigebat in
,, manibus eius.

Gen.39. *97 Quomodo præfectus coquorum, quum eſſet eunuchus, vxorem habebat?*

Vt plurimùm quidẽ eunuchos & exciſos ſub eodem nomine vocant: veriſimile tamen eſt,etiam eunuchum vxorem habere,quę domi rem familiarem curet.

98 Qua de cauſa, tanto tempore elapſo, nec Ioſeph certiorem fecit patrem de ſeruitute, neque Deus illam reuelatione patefecit ipſi Iacob?

Quoniam, ſecundum quod Abrahæ prædictum erat, denuntiauerat Deus ipſi Iacob, deſcenſurum illum in Aegyptum vnà cum filijs & nepotibus. Qui ſi ſciuiſſet,quæ filio ſuo Ioſeph acciderant, procul dubio miſſo redemptionis pretio reduxiſſet. Hac de cauſa Deus non magnopere curauit, quòd lugeret, quò diſpenſationem adimpleret, & eos in gratiore vitæ ratione poſtea cõſtitueret.Nam ipſe etiam Ioſeph
Gen.45.b. ,, docet fratres, diſpenſationem Dei : Vt viuere-
,, tis,inquit, miſit me Deus ante vos,vt nutrirem
Pſa.104.b. ,, populum multum. Quod etiam Dauid non ta-
,, cuit : Et vocauit famem ſuper terram,& omne
,, firmamentum panis contriuit. Miſit ante eos
,, virum,in ſeruum vænundatus eſt Ioſeph. & reliqua. Atqui ſi patriarcha filij ſeruitutem nouiſſet,illum vtique redemiſſet,redemptus autẽ carcerem nunquam intraſſet:atque ita minimè interpretatus eſſet ſeruis illis ſomnia: Hæc autem niſi interpretatus eſſet, minimè innotuiſſet Pharaoni: incognitus autẽ, per ſomnia prophetiam non aperuiſſet : hoc autem non facto, regimen Aegypti nunquam illi fuiſſet creditũ: quod niſi accepiſſet, minimè patriarcham vnà cum familia adduxiſſet in Aegyptum. Igitur à poſtremo euentu diſpenſationis diuinæ declaratur intentio.

99 Nequaquam igitur peccauerunt fratres: quoniam inſeruierunt diſpenſationi diuinæ.

Opus illorum æmulatione & inuidia plenũ erat,Deus autem, quum ſit ſapiens, nequitia illorum vſus eſt in contrarium finem. Quibus enim artibus illi conati ſunt impedire ſomniorum euentum, iiſdem Deus ſomnijs cõſummationem impoſuit.

Gen.42. *100 Cur ſtatim viſis fratribus ſe duriorem præbuit?*

Memor Ioſeph eorum quę in illum commiſerant,quum Beniamin non videret,ſuſpicatus eſt,eos tale quippiam etiam in illum perpetraſſe.At vbi cognouit illum ſupereſſe, cum venia tum omnimoda ſubuentione illos excepit.

101 Quam interpretationem habent hæc, Ψομ θομ φανεχὶς

Arcanorum interpretem allocutus eſt verbis interpretationem deſiderantibus, vt aperiret ſomnia.

102 Qua de cauſa ſecundum è fratribus, & non primogenitum recludi mandauit? Gen.42.

Nouerat animũ ipſius Ruben, & probè ſciebat quanta defenſione pro eo vſus eſſet apud fratres, & quantum laboraſſet pro eius ſalute. Quia verò Simeon ipſi Ruben non adfuit, iure præcepit eum recludi. Nihilominus abeuntibus fratribus illum omni ſtudio curauit.Interea verò dum hæc agerentur, conſcientia illorũ non ſinebat illos quieſcere : ſed in memoriam
reuocabat nequitiam in fratrem admiſſam.Di- ,, Gen.42.d
cebat enim(ait)quiſque eorum fratri ſuo, Ve- ,,
rè peccauimus aduerſus fratrem noſtrum:quia ,,
contempſimus afflictionem animæ eius, quan- ,,
do deprecabatur nos,& nõ exaudiuimus eum. ,,
Propterea venit in nos hæc vniuerſa calamitas. ,,
Opportunè verò Ruben redarguebat eos. Di- ,,
cebat enim(ait)illis, Nónne inter loquendum ,,
vobis dicebam, ne quid offenderetis puerum: ,,
& non audiuiſtis me. Ecce nunc ſanguis eius ,,
repetitur.Inde conſtare poteſt apertè,conſcientiæ iudicium eſſe ineuitabile. Refricat enim memoriam ſceleris ante duos & viginti annos admiſsi.

103 Quare pater noluit committere Beniamin ipſi Ruben? Gene.42.

Suſpectus illi erat propter illegitimum congreſſum, & petulantiam in cubile patris commiſſam. Ignorabat autem,quantum laboraſſet pro conſeruando Ioſeph.

104 Quid hoc eſt, Augurio auguratur apud ſe? Gene.44

Qui volunt augere crimen furti,vaticinij inſtrumentum poculum appellant, quod etiam
ipſe Ioſeph dixit,Ignoratis quòd quiſquam au- ,, Gen.44.e
gurando auguratur ſicut ego? Hæc autem di- ,,
cebat, non quòd vaticinio aut augurijs vteretur,ſed ſermonem effingens ſecundum materiam ſubiectam. Conuenit autem admirari exquiſitam eius loquendi rationem. Neque enim ſimulando,augurandi peritiam ſibi tribui paſſus eſt, ſed cuipiam alteri, cui ſumma imperij cõmiſſa eſſet. Non enim dixit,Auguror:ſed, ,, Ibidem.
Augurando auguratur quiſquam ſicut ego?

105 Ad quid fabulam ſcyphi commentus eſt? Gene.44.

Ioſeph experiri volens animum fratrum, & liquido noſſe an Beniamin calumniam paſſum defenderẽt,ob id in eius ſaccum ſcyphum abſcondit. At vbi non tantùm patrocinari, ſed & pro eo certare illos perſpexit, perſona eius qui imperaret depoſita,fraternũ vultum exhibuit, fratreſque trepidantes & tantùm non terram ſibi dehiſcere exoptantes,ipſe bono animo eſſe
iuſsit dicens, Nunc igitur ne timueritis, neque ,, Gen.45.b
durum vobis videatur, quòd vendidiſtis me. ,,
Nam vt viueretis,miſit me Deus huc ante vos: ,,
blandoq; ſermone deducens illos hortabatur,
Ne iraſcamini, inquit, in via,pro eo,ac ſi dixiſ- ,, Gen.45.g
ſet, ne talia perpetretis, qualia in me auſi eſtis committere.

106 Cur Aegyptiorum pecora & prædia regi Pharaoni comparauit? Gene.47.

Inopia

Inopia frumenti laborantes neque nutrire pecora volebãt,nec agros ſeminare.Hęc igitur accepta tempore famis,poſtea reddidit,lege lata,vt annui reditus quinta pars regi perſolueretur : vt tempore famis repoſita haberent vnde viuerent. Solam verò terram ſacerdotum immunem ab ea præſtatione reliquit. Tantopere venerabantur homines impij eos qui non erant Dij. At verò ſacerdotes Dei viuentis non gaudent hac immunitate.

Geneſ.49. *107 Quare Iacob ſepeliri mandauit corpus ſuum in Hebron?*

Non quòd dę ſepultura valde ſolicitus eſſet,vt quidam putarunt:ſed vt familiã ſuam cõſolaretur, & doceret, Dominum Deum traducturum illos omnes ex Aegypto,& daturum illis terram promiſſam.Eundem autẽ ſermonem
Gen.50.d. ,, Ioſeph clarius expreſsit, qui moriẽs ſic ait, Ec-
,, ce,ego morior: ſed viſitãdo viſitabit vos Deus,
,, & reducet vos è terra iſta in terram de qua De-
,, us iurauit patribus noſtris Abraham,Iſaac,& Ia
,, cob. Et iureiurãdo Ioſeph aſtrinxit filios Iſra-
,, ël,dicens,Quũ viſitando viſitabit vos Deus,ef-
,, feretis etiam hinc oſſa mea vobiſcũ. Ita vt certum ſit,& illum & hunc denuntiantes reditum hæc præcepiſſe de ſepultura.

Geneſ.48. *108 Quid eſt hoc, Et adorauit Iſraël ad ſummitatem virgæ ſuæ?*

Iſraël quum eſſet ſenex & infirmus, decumbebat in lecto:ſed vbi filium aduẽtare audiuit, ſurgens ſedit,& baculo innitebatur, dextra apprehendens ſummitatem eius,conuertens vultum verſus filium,promiſsione de ſepultura facta,adorauit,inclinans caput ad virgam.Ac primum quidem ſomnium Ioſeph cõpletum eſt. Vidit enim ſolem & lunam & vndecim ſtellas adorantes illum.Pręterea decem tribuum ſubiectionem indicat: quod & diuinus Apoſtolus
Heb.11.d. ,, dixit,Fide Iacob vnumquenq; filiorum Ioſeph
,, benedixit, & adorauit ad ſummitatem virgæ
,, ſuæ. Dedit autem illi duplicem ſortem. Nam
Gen.48.a. ,, dixit prophetizans, Ephraim & Manaſſes, vt
,, Ruben & Simeon erunt mihi. Quumque Ioſeph pręferret Manaſſem,veluti ius primogenituræ accepturum, & vtrunque ſtatuiſſet ſecundum ordinẽ,permutato ordine patriarcha manus impoſuit : nempe dexteram ſuper iuniorẽ, & ſiniſtram ſuper ſeniorem. Quumque Ioſeph arbitraretur,Iacob ignoranter hoc facere,pro-
Gen.48.d. ,, pter imbecillitatem oculorum,& diceret, Non
,, ita pater. Iſte enim eſt ſenior: audiuit,Scio fili,
,, ſcio:& hic erit in populos,& exaltabitur:ſed fra
,, ter eius iunior maior erit illo. Animaduertendum eſt autẽ, paſsim primogenitis præferri natu poſteriores. Etenim ipſi Cain præpoſitus eſt Abel,& ipſi Iaphet antepoſitus eſt Sem, quũ eſ-
Gene.10.c. ſet ſecundus: (Frater enim,inquit,Iaphet maioris)& Iſmaëli prælatus eſt Iſaac,& ipſi Eſau prælatus eſt Iacob: & Iudas atque Ioſeph antepoſiti ſunt ipſi Ruben,& Ephraim ante Manaſſem,itidem & de reliquis qui poſtea ſecuti ſunt. Nam & ipſi Aaron prępoſitus eſt Moſes,& Dauid ſeptem fratribus ſuis, licet omnium natu poſtremus eſſet. Cæterùm patriarcha Iacob per pro-
phetiam docuit ſepulturæ cauſam. Ecce enim, ,, Gen.48.d.
inquit, ego morior, & Deus erit vobiſcum, & ,,
reducet vos in terram patrum veſtrorum. ,,

109 Quomodo Iacob dicitur filijs benedixiſſe, quum nonnullis maledixerit?

Poſtrema verba patriarchæ neque ſunt maledictiones neq; benedictiones,ſed prophetia.
Congregamini enim,inquit,vt annuntiem vo- ,, Gen.49.a.
bis, quid contingere vobis debeat in extremis ,,
diebus. Meminit etiam quędam ab illis admiſ- ,,
ſa : non vt filij puniantur ob ſcelera in patrem commiſſa, ſed ſermonem effingens in formam maledictionis & benedictionis ad communem
quorumcunque vtilitatem. Et primùm ipſi Ru Ruben.
ben exprobrat petulantiam & audaciam eius, & in cubile paternum nequitiam. Cuius rei cauſa, poſteros eius paucos fore prædicit. hoc
enim ſignificat quod ſequitur, Tanquam aqua ,, Gen.49.c
non feruesces,pro eo ac ſi dixiſſet,non calefies
ad procreandum multos. Increpans autem Si- Simeon, & Leui.
meonem & Leui,ac ægrè ferens Sichimitarum interitum,deprecatur ne ſit particeps nequitiæ illius. Maledicit autem non ipſis, ſed eorum prauis affectibus, iræ videlicet & furori. Iram autem vocauit deſiderium, quoniam ab hoc etymologiam habet ira. Nam qui iraſcitur, deſiderat vlciſci de inimico. Et hoc ſupplicium,
prophetia erat. Diuidam enim, inquit, eos in ,, Gen.49.a
Iacob, & diſſeminabo eos in Iſraël. Atqui tri- ,,
bus Leuitica propter ſummum honorem diſperſa eſt, ita vt in vnaquaque tribu ſint Leuitę & ſacerdotes. Qui propriam ſortem non acceperunt : quia de fructibus aliorum metunt & decerpunt : & in qualibet tribu quædam ciuitates illis diſtributæ ſunt,& definitus numerus cubitorũ terræ ante vrbes ſitæ. Tribus autem Simeon ſortem diſtinctam non habuit, ſed ſecundum prophetiam patriarchę erat inter alias
tribus diſperſa. Iudæ verò multas laudes per- Iuda.
currit, Iuda, laudabunt te fratres tui. Manus ,, Gen.49.b
tua ſuper humerũ inimicorũ tuorum. Adora- ,,
bunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda, è ,,
virgulto fili mi aſcendes, decumbens dormies ,,
vt leo, & velut catulus leonis. Quis excitabit ,,
illum? Sed nullum horum ipſi Iudæ conuenit, ,,
verùm tribui ab illo exortæ. Regia enim erat hæc: quum in primis Dauid regnauerit, deinde qui ex ipſo deſcenderunt. Et aliarum omnium tribuum erat potentiſsima. Etenim quando rex Dauid iuſsit numerari populũ,quadringẽta milia reperit in tribu Iuda,in alijs verò tribubus tantùm nonaginta. Atque etiam in deſerto connumerati, plures inuenti ſunt, quàm in cæteris tribubus. Veruntamen quod in hac prophetia egregium eſt, completum eſt in Chriſto Domino:qui quidem è virgulto ortus eſt ſecundum patriarcham Iacob, & ſecun-
dum Eſaiam prophetam, Egredietur virga de ,, Eſa.11.a.
radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet.Illi ,,
etiam quadrat,quod dicitur, Decumbens dor- ,, Gen.49.b
mies vt leo, & velut catulus leonis. Quemad- ,,
modum enim leo dormiens terribilis eſt: ſic mors Domini formidabilis fuit & morti & Diabolo. Leonem enim & catulum leonis ipſum

vocauit,tanquam regem & regis filium,& tanquam Deum & Dei filium. Et secundum humanitatem ex Dauid ortus est, & tanquam Deus ante sæcula ex Deo patre genitus est. Hæc autem clausula, Quis excitabit illum? ineffabilem eius potentiam declarat. Ipse enim se suscitauit, secundum prophetiam suam, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Prænuntiat etiam tempus aduentus illius, Non deficiet princeps ex Iuda,& dux de femore eius,donec veniat qui mittendus est: & ipse est expectatio gentium.Hoc aduentus Domini indicium est clarissimum. Nam vt prophetia adimpleretur, defecerunt non tantùm Iudæorum reges, sed principes sacerdotũ & prophetæ. Siquidem quũ Saluator noster nasceretur, reges ex alia tribu imperabant, vt æternus rex declararetur: qui erat gentium expectatio, secundum promissionem ab omnium Deo patriarchis factam. Etenim Deus omnium promiserat Abrahæ, Isaac,& Iacob,in semine ipsorum se benedicturum omnes gentes terræ. Quod & hoc loco patriarcha Iacob benedicés Iudæ patefecit. Non deficiet enim,inquit,princeps ex Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse est expectatio gentium. Deinde demonstrans populũ ex gentibus & Iudæis compositum, Alligans, inquit, ad vitem asinam eius, & pampino vitis pullum asinæ eius. Quòd autem Israel diceretur vitis, omnes prophetæ docent. Etenim Dauid dixit, Vineam ex Aegypto transtulisti, &cætera. Et Esaias, Vinea facta est dilecto in cornu, in oleo pingui. Et per Ieremiam dixit omnium Deus, Ego autem plantaui te vineam frugiferam, & totam veram. Et per Mosem, De vinea Sodomorum vinea eorum.Et Dominus in sacris Euangelijs,Homo quidam plantauit vineam, & tradidit illã agricolis, & peregrè profectus est. Pullum autem appellat,populum gentilem,tanquam indomitum & rectore carentem. Hoc enim etiam Dominus obscurè dixit,præcipiens Apostolis,vt abirent in vicum è regione situm, & soluerent asinam alligatam & pullum eius, super quem nullus hominum sedit. Neque enim patriarcha, neque legislator, neq; propheta, solicitus fuit de salute gentium: sed diuini Apostoli,iussi docere gentes & baptizare in nomine Patris & filij & Spiritussancti, soluerunt quidem asinam,hoc est humanã naturam, vinctam catenis peccati: soluerunt etiam pullum, nempe populum ex illa natum: & imponentes illi vestimenta sua,hoc est gratiam quam erant consecuti,(Quicunque enim in Christo baptizati sunt, Christum induerunt) mansuetum reddiderunt pullum antea indomitum: & super eum sedere fecerunt Dominum, & alligauerunt eum viti, hoc est, sibijpsis. Ex Iudæis enim erant Apostoli. Nec illi tantùm, sed & septuaginta discipuli, & ter mille quos apud se piscatus est primus Apostolorum, & quinquies mille, & multæ myriades, de quibus Iacobus ter beatus cum Paulo diuinissimo loquitur. Non tantùm igitur Apostolis adhæserunt, qui crediderunt, sed & Apostolorum discipulis.

Ibidem.
Ioan.2.c.
Gen.49.b.
Ibidem.
Psa.79.b.
Esa.5.a.
Iere.2.d.
Deu 32.d.
Luc.20.b.
Mar.11.a.
Mat.28.d.
Gal.3.d.

Quod præuidens patriarcha dixit, Alligans ad vitem asinam eius, & pampino vitis pullum asinæ eius. Deinceps quoque prædicit passionem, Lauabit in vino stolam suam,& in sanguine vuæ amictum suum. Postea demonstrans lętitiam ex passione procedentem, Oculi eius gratiosi præ vino. Poculum enim passionis,lætitia est totius orbis. Quòd autem passionem sic appellauerit, testis est Dominus, dicens, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Itidem & filijs Zebedæi dixit, Potestis bibere calicem,quem ego bibiturus sum? Gratia autem illa oculorum lætitiam, quæ secuta est passionem, indicat. Nam post passionem & resurrectionem missi sunt in vniuersum orbem discipuli, salutem afferentes credentibus. Doctrinæ verò decorem atque splendorem candidissimis dentibus comparat: Candidi enim, inquit, dentes eius plùs quàm lac. Hæc vniuersa patriarcha prædixit, dum Iudæ benediceret. At ipsius Zabulon habitationem prædixit fore maritimam. Agriculturam autem Issachar prophetizauit. Quantum attinet ad Dan,quorundam opinione prædixit, quæ gesta sunt à Samsone. Ex hac enim erat tribu, & connumeratus est inter iudices. Propterea inquit, Dan iudicabit populum suum, tanquam vna tribus in Israel. Nonnulli verò dicunt, illum prædixisse ea quæ pertinent ad Laisam, modò Paneada vocatam. Repentè enim quidam erumpentes ex hac tribu vrbem hanc aggressi,illam vi ceperunt, atquè occuparunt, & suam illi denominationem indiderunt: vocarunt enim illam Dan. Ego verò arbitror, spiritum diuinum per patriarcham vaticinatũ esse, quæ spectabant ad Saluatorem nostrum,& eadem prophetia elocutum esse, quæ concernunt Antichristum. Nam illi valde conueniunt,quę scripta sunt. Dan enim, inquit, iudicabit populum suum,sicut & vna tribus in Israel. Quemadmodum enim, ait, Saluator & Dominus noster exortus è tribu Iuda,saluaturus est orbem: ita serpẽs pernicios̃us egredietur ex tribu Dan. Siquidem hoc dicit,Fiat Dan serpens in via residens, & in semita, mordens vngulam equi. Et cadet eques retrorsum, expectans salutem Domini. Ob id enim quòd omnimodis circunuentionibus vtens conatur prædari deceptos in exitium, assimilat ipsum serpenti cuidam iuxta semitam latenti, & transeuntes interficienti. Puto autem illum corpus vocare equum, sessorem verò animam. Retrorsum verò cadere, denotat mortem supinam iacentem. Solet enim esse eiusmodi morientium figura. Per vngulam autem,dolum innuit.Ex eo enim quòd quosdam decipit, alios vehementer affligit, per equum corpus indicauit: quo per morsum labefactato statim mors sequitur, quæ spei fructum adfert expectantibus: cuius spei fructus est salus. Prænuntiat ipsi Gad futuras ab incursionibus latronum insidias. Ita enim dicit, Piratarum dolus prædabitur ipsum iuxta pedes. Similiter & frugiferam regionem Asser prædicit, & Nephthalim in multitudinẽ augendum. Hoc enim dixit, Stipes ascendens

Gen.4.b.
Ibidem.
Mat.26.d
Mat.20.e
Gen.49.b
Zabulon.
Issachar.
Dan.
Gen.49.d.
Iudic.18.
Gad.
Gen.49.e
Aser.
Nephthal.

& augens

Gen.49.c. & augens in procreandi ratione venustatem. Postmodum quum recẽsuisset inuidiam in Ioseph & varias insidias, prouidentiam diuinam laudat, per quam aduersarios vicit. Contrita sunt enim, inquit, cum potentia ipsorum iacula, & dissoluti sunt nerui brachiorum & manuum ipsorum, per manum potentissimi Iacob.Illinc est,qui corroborauit te Israël,à Deo patris tui. Et auxiliatus est tibi Deus meus, & benedixit te benedictione cæli desuper, & benedictione terræ omnia producentis. Propter benedictionem vberum & vuluæ,& benedictionem patris tui & matris tuæ,prævaluisti super benedictionem montium permanentium, & supra desiderium collium æternorum. Erunt in capite Ioseph & in vertice fratrum, quorum dux fuit. Per hæc omnia Deum suum extulit, qui illum superiorem declarauit fratre illi bellum inferente: & inexpugnabilem filium demonstrauit, tot fratrum insidijs oppugnatum. Hanc, ait, prouidentiam consecutus es,recipiens mercedem obsequij tui erga parentes.Hoc enim dicit, Propter benedictionem vberum & vuluæ,& benedictionẽ patris tui & matris tuę. Studiosus erat curator senectutis paternę. Quę autem illi acciderunt, sibi matrique esse communia dixit. Huius enim prouidentiæ fructum consecutus esset is, si non antè è vita decessisset. Tandem precatur illi celsitudines illas, vt ipse sit apud omnes illustris. Prævalebis enim, inquit, supra benedictionem montium permanentium, & supra desiderium collium æterno-

Ioseph.
Ibidem.

rum. Erunt, in capite Ioseph & in vertice fratrum, quibus præfuit. τὰς ὑ θύρας interpretatus est Aquila, colles. Et quia colles & montes procul videntur, horum instar precatur ipsum Ioseph innotescere, & supra omnes conspicuum esse. Vocauit autẽ Beniamin lupum rapacem, propter id quod accidit eius tribui. Quare subiunxit,Mane comedet, & vespere dabit cibum. Nam in primo & secundo conflictu qui vicerant,postea prorsus perierũt, exceptis quibusdam admodum paucis, quos victores miserati, dare quidem illis vxores propter iusiurandum verebantur, sed alia ratione præparauerunt illis nuptias. Sciendum est autem, nonnullos hanc prophetiam diuino Paulo aptasse: qui instar lupi vastabat Ecclesiam, ingrediens domos: postea verò spiritualem cibũ orbi tradidit. Quum hæc Iacob dixisset, & propriam mortem indicasset,Moses dixit, Et extollens pedes super cubile, defecit: & appositus est ad populum suum: his nempe verbis obscurè insinuans spem resurrectionis. Si enim homines prorsus interirent, & non transirent ad aliam vitam,minimè dixisset, Appositus est ad populum suum. Hoc autem ipsum Deus etiam omnium dixit Abrahæ, Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona. Et inde Dominus reprehendit Sadducęorum incredulitatem, quum inquit, Quòd autem resurgant mortui,non legistis, Ego Deus Abraham, Isaac,& Iacob? Deus non est Deus mortuorum sed viuentium. Ipsi gloria in sæcula, Amen.

Beniamin.
Genes.49.d.
Ibidem.
Gen.15.c.
Mat. 22.

BEATI THEODORETI
EPISCOI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS.

IN EXODVM.

1 QVOMODO intelligendum est istud, Creuerunt vt plebs multa?

Exod.1.a. NON contumeliosè posuit hoc, vt quidam intellexerunt:sed numerosam multitudinem declarauit. Sic
Ibidem. enim ait, Adeò creuerunt, vt per vniuersam illam terram sparsi essent. Sic etiam Aquila interpretatus est. Quod & per subsequentia innuitur: Multiplicabat enim, inquit, ipsos terra. Et paulò pòst, Quanto magis eos affligebant,tantò plures efficiebantur, & supra modum crescebant.

Exod.1.d. *2 Quid est hoc, Quoniam obstetrices metuebant Deum construxerunt sibi domos?*

Quum Pharao præcepisset obstetricibus, perdere masculos, illæ, quia Deum reuerebantur, legi non paruerunt: nec voluerunt esse ministræ huius cędis puerilis. Hac de causa Deus illas remunerare volens, copiam bonorum eis largitus est.

Exod.2.

3 Vnde sciebat filia Pharaonis, puerum esse Hebræum?

Ex circuncisione cognouit illud. Vnde constat, quòd Aegyptij tẽporibus illis minimè circuncidebantur: postea verò Hebræos imitati circuncisionis legem amplexi sunt. Ob id etiam Deus omnium per Ieremiam ait, Visitabo super omnes circuncisos præputium illorum, super Aegyptum & super filios Edom, & quæ sequuntur.

Iere.9.g.

4 Quamobrem vxorem alienigenam Moſes duxit?

Exod. 2.

Typus erat Chriſti Domini: qui,quum ex Iudæis ſecundum carnem natus eſſet, eccleſiam Gentium appellauit ſponſam ſuam.

5 Quidam ferunt, angelum apparuiſſe Moſi in rubo.

Huius loci lectio declarat, quis ſit,qui viſus
Exod.3.a.,, eſt.Apparuit enim (inquit) ipſi angelus Domi
,, ni in flãma ignis rubi. Et paulò pòſt, Vt autem
,, vidit dominus, quòd accederet ad videndum,
,, vocauit illũ è medio rubi. Et rurſum poſt pau
,, ca, Et dixit illi, Ego ſum Deus Abraham,Deus
,, Iſaac, & Deus Iacob. Et mox addidit, Auertit
,, autem Moſes vultũ ſuum. Metuebat enim in
,, tueri præſentiam diuinam. Et ſubiunxit, Vi
,, dens vidi afflictionem populi mei,qui eſt in Ae
,, gypto,& clamorẽ eorum audiui,& reliqua. Et
,, iterum.Ego ſum,qui ſum.Hęc dices filijs Iſra-
Exod.3.e.,, ẽl, Qui eſt, miſit me ad vos. Vniuerſus ille lo
cus demõſtrat,Deum eſſe,qui apparuit. Voca
uit autem illum,Angelũ,vt cognoſamus, quòd
is,qui viſus eſt, non eſt Deus Pater (cuius enim
angelus eſſet Pater?) ſed vnigenitus filius: qui
magni conſilij eſt angelus: qui ſacris diſcipu-
Ioan.15.c.,, lis dixit,Omnia quæcunq; audiui à Patre meo,
,, nota feci vobis. Quemadmodum autem ange
li nomen poſuit, non quidem volens miniſtro
rum quempiam innuere, ſed perſonã vnigeniti
demonſtrare: ſic iterum ipſius tum naturã tum
potentiam prædicat, inquiens ipſum dixiſſe,
Exod.3.e.,, Ego ſum,qui ſum, Et, Ego Deus Abrahã,Deus
,, Iſaac, & Deus Iacob. hoc mihi nomen æternũ,
,, & monimentum generationum.Hæc autem &
ſubſtantiam diuinam indicant, & æternitatem
atque perpetuitatem demonſtrant.

6 Quid ſibi vult, ardere rubum & non exuri?

Dei virtutem atque humanitatem prędicat, quòd ignis inextinguibilis rubum aridum nõ conſumebat. Ego verò arbitror, etiam alia ſignificari,nempe Iſraelem Aegyptiorum inſidiis appetitum,non eſſe ſubiugandum,ſed aduerſarijs ſuperiorẽ futurum:Item,vnigenitum humanitatem aſſumentẽ & virginalem vterũ inhabitantem,immaculatã ſeruaturũ eſſe virginitatem.Cęterùm nonnulli dicũt, Deum in rubo, & nõ in alia planta apparuiſſe: ne quis poſſet ex rubo Deũ affingere.Erat enim veriſimile,Iudęos hoc auſuros eſſe,ſi in alia planta apparuiſſet.

Exod.3.b. *7 Quare iuſſus eſt Moſes calceamentum ſoluere?*

Dicunt nonnulli, vt ſolicitudines ſeculares abijceret,huic mortali vitæ adhærentes. Nam pelles, vnde conficiuntur calceamenta, mortuæ ſunt. Alij verò dicunt, vt ex nuditate pedum ſanctificaret terram.Sed neutram ego ſententiam amplector. Nam primùm quidem,quũ neque pontifex neque propheta creatus eſſet, deinde verò quum Deus locum illum ſanctificaſſet,& proinde ſanctum appellaſſet,ſuperuacaneum eſſe puto,dicere,Moſem pedibus locũ ſanctificaſſe.Duo igitur arbitror per hoc ſignificari: primum quidem,vt religioſiorem hac ratione illum redderet:deinde verò,vt prædoceretur qua ratione oporteat ſacerdotes in tabernaculo deſeruire. Nudis enim pedibus illi ſacrificia diuina peragebant.

8 Quum Deus prænoſſet contumaciam Pharaonis, cur ab initio non punuit illum?

Satis aperuit,quòd prænouerat.Scio enim,in- ,, Exod.3.g.
quit,quòd nõ dimittet vos Pharao rex Aegypti ,,
vt eatis,niſi per manum validam. Extendamq; ,,
manum meam, & percutiã Aegyptios. Verùm ,,
quum Deus bonus ſit & humanus,non vult pu
nire ex ſola præſcientia, ſed expectat operum conſummationẽ: & ita omnibus oſtẽdit,quàm iuſtè puniat.Alioqui etiã longè æquius eſt,Pharaonis nequitiam patefieri, quàm Deum crudelem appellari. Nam ſi puniuiſſet,antè quàm redarguiſſet,crudelis vtiq; viſus eſſet & iniquus: nunc autem perſpicitur Dei longanimitas,& Pharaonis impietas atque feritas conuincitur.

9 Quare Deus pro primo ſigno dedit virgæ mutationem in ſerpentem? Exod.4.

Quia Pharao,quum natura eſſet animal rationale, crudelitate vſus eſt contra Hebræos, & quod in ipſo diuinum erat, beluinũ eſſe declarauit:ideo præcepit Deus,virgam,qua illum flagellauerat,in ſerpentem mutari,ad conuincendam illius feritatem & maleuolentiam aperiendã. Siquidem maledictioni ſerpẽtis hoc quoq; adiunctum eſt, Inimicitias ponam inter te & ,, Gen.3.e.
mulierem, & cætera. ,,

10 Quid ſignificat, quòd manus reddita eſt leproſa?

Familia Iacob in pietate educata,profecta eſt Exod.4.b.
in Aegyptum, ſed illic impietatem Aegyptiorum didicit: libera verò ab illorum ſeruitute, Deum omnium agnouit. Indicat ergo per manus alterationem, illorũ ſpurcitiam & lepram, & viciſſim emundationem. Deinde Dominus Deus & aliud diſpenſabat. Nam quum de leprarum generibus legem laturus eſſet,leproſos etiam vocat immundos. At nihil eſt immundum,quod non ſit voluntarium. Alia verò per hæc diſpenſans, his vſus eſt legibus: quæ (Deo volente) quum eò loci peruenerimus, ipſum dixiſſe demonſtrabimus: Legiſlatoris manum infecit lepra, docens eos qui plenius inſtructi ſunt,horum nihil eſſe immundũ. Nam dextera quæ admiranda illa perpetrarat,quum priùs fuiſſet leproſa,ſignis diuinis inſeruiuit,& elemẽta mutauit. Quæres Moſem etiam admonuit, non ſuperbire debere, ſed agnoſcere naturam, cum recordatione dextræ lepra priùs infectæ.

11 Quum omnium Dominus Moſis miniſterio ſit vſus,cur exilis vocis & tardioris linguæ fecit illum? Exod.4.c.

Quoniam iſtud potentiam diuinã magis illuſtrabat. Quemadmodũ enim piſcatores, publicanos, & cerdones veritatis prædicatores & doctores pietatis creauit: ſic per vocem infirmam & linguam tardam cõfudit ſapientes Aegypti.

12 Quomodo ſit intelligendum, Ego indurabo cor Pharaonis? Exod.4.c.

Deo perfacile erat,poſt primã contumaciam illum tradere exitio:ſed Deus vtẽs inenarrabili longanimitate,moderatas illi caſtigatiões inflixit: hæ verò renitens cor eius reddiderunt. Exiſtimans enim Pharao,Deũ non poſſe grauioribus illũ afficere ſupplicijs,mediocria flagella cõtẽpſit.Atq; id ita ſe habere,docet hiſtoria.

Nam

Exod.5.a.,, Nã vbi primùm audiſſet diuina verba, Dimit
,, te populum meum, vt mihi ſacrificet in deſer-
,, to,ſecum meditatus dixit, Quis eſt Dominus,
,, vt audiam vocem eius?Non noui Dominum,&
Iſraël non dimittam. Poſtmodum virga in ſer-
Exod.7.b. pentem mutata,inquit diuina ſcriptura, Et ob-
,, firmatum eſt cor Pharaonis, & nõ audiuit eos,
,, quemadmodum locutus erat eis Dominus. Et
,, mox addit, Dixit autem Dominus ad Moſem,
,, Aggrauatum eſt cor Pharaonis, vt nõ dimittat
,, populum. Vtraq; verò iſta,nempe,Et obfirmatum eſt cor Pharaõis,&,Aggrauatũ eſt cor Pharaonis,denotant ſponteneã animi voluntatem. Aggrauatur enim cor,quando à nequitia pertrahitur. Quod nos apertè docet beatus Dauid,
Pſal.37.a.,, Iniquitates meę ſupergreſſę ſunt caput meum,
,, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Et
Zach.5.c.,, Zacharias perſpexit, Iniquitatem plumbi talen
,, tum in ore ferentẽ. Cor autem cõtumaciter ſe
gerens,obfirmari dicitur,quaſi reluctans Chriſto Domino, & inconſultè volęs eius virtutem ſuperare. Cor enim piũ cedit & ſubijcitur,quẽ-
Pſa.36.a.,, admodum admonet Propheta dicẽs, Subditus
,, eſto Domino,& ora eum. Cor autem reſiſtens & quaſi lapideum, induratur. Vnde Deus omniũ
Exe.11.c.,, per prophetam Ezechielem de Iudęis dixit, Et
,, auferam ab illis cor lapideũ.Propter hoc quoq;
beatus Moſes,dum poſt victoriam caneret can-
Exo.15.a.,, tionem,de Pharaone & Aegyptijs,ait,Deſcẽde-
Ibidem.c.,, runt in profundum,quaſi lapis.Et iterum,Sub-
,, merſi ſunt quaſi plumbum,in aquis vehemẽtibus.Et quoniã aggrauatũ erat cor eorum,ſubmerſi ſunt quaſi plumbũ: quia verò obdurue-
rat,deſcenderũt in profundũ quaſi lapis. Quòd autem reluctatio cordis atq; duritiesà nobis ipſis ,,pcedat,teſtatur diuinus Apoſtolus, dicẽs,
Roman.2.a. Ignorãs,quòd benignitas Dei ad pœnitentiãm
,, te adducit:ſecũdum duritiã autem tuam & im-
,, pœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ &
,, reuelationis iuſti iudicij Dei:qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. Ad hęc illud quoq; animaduertendum eſt, quòd ſi Pharao naturâ malus fuiſſet, nunquã animum mutaſſet. Nunc autem videmus ipſum caſtigatione quidẽ emollitum,lõganimitate verò diuina induratũ. Nam
Exo.8.g.,, caſtigatus obſecrabat Moſen,Orate, inquiens,
Exo.9.f.,, pro me. Et rurſum, Dominus eſt iuſtus: ego &
,, populus meus impij. Ceſſante verò ſupplicio aggrauabatur, & mandatis diuinis contradicebat. Et illata plaga muſcarum caninarũ, in Aegypto ſacrificare Deo iuſſit:quum Moſes diuinus diceret,nõ poſſe hoc facere propter Aegy-
Exod.8.f.,, ptios:Sacrificabimũſne,inquiẽs,ea quæ ab illis
,, pro Dijs coluntur,& hoc pacto lapidib. obruẽt
,, nos atq; interficient? Tandem permiſit eos in deſertum abire, & ſacrificare. Præterea quũ oraſſet Propheta, & muſcam illam euanuiſſe de-
Exo.8.g.,, clararet, Aggrauauit,inquit,cor eius etiam hac
,, vice, & noluit dimittere populum. Idemq; ac-
Exo.9.a.,, cidit,pecoribus peſte moriẽtibus. Sciuit enim,
,, inquit,Pharao, quòd ex omnibus pecoribus filiorum Iſrael ne vnum quidem animal periſſet.
,, Et aggrauatum eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum: demonſtrans per hæc omnia arbitrij libertatem. Atq; etiam quum oſtendiſſet, quomodo illata ſit ipſis puſtularum afflictio, qui morbus etiam incantatores & maleficos occupauerat, ita vt non poſſent ſtare in conſpectu Moſæ præ vlceribus (pudebat enim eos vlceribus affligi, & ſibijpſis non poſſe ſuccurre-
re) ſubiunxit, Et indurauit Dominus cor Pha- ,, Ibidem.c.
raonis, & non audiuit eos,quemadmodum ſta- ,,
tuerat eis Dominus. Et paulò pòſt dixit ad ,,
Pharaonem, In hoc conſeruatus es, vt oſten- ,, Ibidem.
dam in te potentiam meam, & vt annuntietur ,, Rom.9.d
nomen meum in vniuerſa terra.Et iterum poſt ,,
pauca dixit, quæ ſequuntur, Videns Pharao, ,,
quòd ceſſaſſet pluuia, grando & tonitrua, ad- ,,
didit quoque Pharao vt peccaret,& aggrauauit ,,
cor ſuum, & ſeruorum eius: & indurauit cor ,,
Pharaonis, & non dimiſit filios Iſraël, ſicuti ,,
dixerat Dominus Moſi. Hæc autem dictio, ſicuti dixerat, præſcientiam Dei indicat, perinde ac ſi dixiſſet, Nihil horum Deus omnium ignorauit, ſed ab initio prædixerat. Hæc autem vniuerſa recenſuit, docere volens, neque Pharaonem fuiſſe naturæ prauæ, neque Dominum Deum animum eius durũ & reluctantem effeciſſe. Nam qui modò in hanc, modò in illam partem inclinat, demonſtrat ſponteneam animi voluntatem. Cæterùm,vt aliquo adducto controuerſiam diſſoluamus,aduertendum eſt,quòd ſol vi caloris ſui ceram quidem liquefacit,lutũ verò exiccat: & illam quidem emollit,hoc autem indurat. Quemadmodum ergo ſol iſte vna & eadem virtute contraria operatur: ſic ex longanimitate Dei omnium nonnulli capiunt vtilitatem, alij verò damnum: & illi emolliuntur,iſti verò indurantur. quod & Dominus declarauit in ſacris Euangelijs: In iudi- ,, Ioan.9.g.
cium,inquit,ego in hunc mundum veni,vt qui ,,
non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. ,,
Non quòd per hoc declaretur,talem fuiſſe Domini ſcopum (neq; enim huius rei gratia venit, vt reddat, eos qui vident,cæcos) ſed quod factum eſt indicauit. Ipſe enim vult omnes ho- ,, 1.Tim.2.b
mines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis ,,
venire. Quum igitur humana natura arbitrij ,,
libertatem habeat, qui crediderint, ſaluabuntur: qui verò non crediderint, gehennæ ſibi fiunt authores. Sic & Iudas, qui Apoſtolus erat, poſtea excæcatus eſt: diuinus autem Paulus, quum antea cæcus eſſet,poſtea viſum recepit. Sic per aduentum Saluatoris, Iudęorum plurimi excæcati ſunt, gentes autem viſum receperunt. Non tamen ob id, quòd quidam aduerſarij non erant crediturí, dicendum eſt, diſpenſationem Saluatoris noſtri ſecundum carnem non extitiſſe. hoc enim priuaret orbem ſalute. Sic & perdiuinus Simeon dixit, ,, Luc.2.e.
Ecce poſitus eſt hic in ruinam,& in reſurrectio- ,,
nem multorum in Iſrael, & in ſignum cui con- ,,
tradicetur. Veruntamen hoc ignorare non ,,
oportet, quòd Deus omnium præſentem vitam ſtadium hominibus eſſe declarauit, vt qui certant in eo, proprium ſcopum declarent: in futuro verò ſæculo iuſtè iudicans, illos vt victores athleras coronabit, hos verò puniet, tanquam authores nequitiæ. Et quia non omnes credunt, eſſe aliquam aliam vitam futu-

ram, Deus omnium etiam in hac vita quosdam palàm punit flagitiosè viuentes, & vicissim alios religionis studiosos non mediocriter collaudat. Quapropter diuinus Apostolus quos- Rom.9.c. dam iræ vasa, nonnullos vasa misericordiæ nominauit: quia per illos declaratur Deus, nempe dum iustè punit, tanquam Dominus: per hos autem, dum virtutis studiosos omnimoda cura & prouidentia prosequitur. Quod & in medicis, qui corpora curant, perspici potest: qui cauterijs & incisionibus vtuntur circa latentes humores, & morbum acerbiorem reddunt, educentes & amouentes malos humores, & latentes affectus manifestant. Sic & Deus vniuersi cogitationes improbas castigationibus reuelat. Idque Israëli dixit in Deu- Deu.8.a. ,, teronomio, Et recordaberis cuncti itineris, ,, per quod adduxit te Dominus Deus tuus qua- ,, draginta annis per desertum: vt affligeret te, ,, atque tentaret te, & nota fierent, quæ in tuo ,, animo versabantur, vtrum custodires manda- ,, ta illius, an non. Afflixit itaque te, & fame te ,, macerauit, & reliqua. Sicut ergo medici multis præsentibus quæ sunt incurabilia amputant, non tam vt malè affectis succurrant (sciunt enim illorum morbum esse incurabilem) quàm vt doceant discipulos rationem medendi: Ita Deus Pharaonem crudelissimo & ferino animo vsum omnigenis supplicijs subiecit, planè docens omnes homines, quòd ipse creaturam regat, qui iustè tueatur iniuriam passos, & nocentes in iudicio puniat. Quod Exo.9.c. ,, & Pharaoni dixit, In hoc conseruatus es, vt Rom.9.d. ,, ostendam in te potentiam meam, & vt annun- ,, tietur nomen meum in vniuersa terra. Quòd autem passim euulgata sit gestorum memoria, testatur Raab meretrix, quæ explorato- Iosue 2.b. ,, ribus dixit, Timor vestri cecidit super nos. ,, Audiuimus enim, quòd Dominus Deus ve- ,, ster exiccauerit mare rubrum ante faciem vestram. Testantur etiam id alienigenæ, qui 1.Reg.4.b. procul arcam intuentes, vociferabantur. Væ ,, nobis: hic est Deus, qui percussit Aegyptum.

13 *Quare Deus Israëliticum populum hæc pati permisit?*

Vt odio prosequerentur non tantùm Aegyptios & illorum Deos, à quibus talia passi erāt, & vt diligenter parêrent his quę mandarentur à Deo. Nam si miserijs illis afflicti nihilo minus recordabātur deliciarum Aegypti, & sæpenumero illuc redire conati sunt, quis illis nullam molestiam passis persuadere potuisset, vt Aegyptum relinquerent?

Exod.4.f. 14 *Cur Angelus voluit interficere Mosem?*

Vxor Mosis arbitrabatur ob id factum esse, quia puerorum alter non esset circuncisus secundum legem Hebræorum: vnde protinus eum circuncidit. Quidam autem aiunt, id in causa fuisse, quòd Moses missus ad liberandos gentiles suos, coniugem itineris sociam habere voluit. Quos vtique animaduertere oportebat, ꝙ Moses demonstrare volens socero suo, vxorem se non contemnere, neque illi alteram præferre, illam assumere coactus est: non quòd perfunctoriè præceptum diuinum exequeretur. Nam mox occasioné nactus ab Angelo, iussit illam ad suos familiares reuerti. Atque hoc ita esse, docet historia. Nam statim ab egressu Aegypti, quum pertransissent mare rubrum, & peruenissent ad montem Sina, accessit ad eũ socer cum vxore. Sic itaque narrat historia, Accepit au- ,, Exo.18.a. tem Iethro socer Mosis Sephoram vxorem Mo- ,, sis, quam remiserat, & duos filios eius: & ve- ,, nit post Mosem in desertum. Veruntamen a- ,, liud quippiam moliebatur Angelus, dum gladium euaginatum ostentabat. Siquidem Moses, alioqui magnus, metuebat Pharaoné. quod sæpius manifestauit, modò dicens, Quis sum ,, Exod.3.c. ego, vt vadam ad Pharaonem regem Aegypti? ,, modò inquiens, Præpara tibi alium idoneum, ,, Exo.4.d. quem mittes. Et rursum, Exilis vocis & tar- ,, Ibidem. dæ linquæ sum ego. Minabatur ergo illi pœ- ,, nas Angelus, metum metu repellens, maiore videlicet minorem: perinde ac si per hunc ensem nudatum dixisset, Si Pharaonem timuisti, me multo magis timebis, qui modo inuisibili possum te vulnerare.

15 *Quidnam hoc est, Et nomen meum, Dominus, non indicaui illis?* Exod.6.a.

Ostendit, quanto honore quantaq; beneuolentia sit eum prosecutus. Quippe qui Patriarchas celauerat nomen suum, hoc ipsum aperuit Mosi. Dixit enim illi, Ego sum, qui sum. Hoc au- ,, Exod.3.d. tem nomẽ apud Hebręos dicitur inenarrabile. ,, Prohibetur enim apud eos lingua pronuntiari, scribiturq; quatuor literis, & ob id τετράγραμμον appellatur. Inscribebatur etiam illud in lamina aurea, quę vittæ capitis alligata pendebat ad frontem pontificis. Samaritani vocant illud nomen Iabe: Iudæi verò, Ia.

16 *Qua de causa non tantùm patrem vxoris Aaron, sed etiam sororem nobis indicauit?*

Tribum regiam cum sacerdotali miscẽdam docet. Naasson enim filius erat Aminadab, filij Aaram. Aaram autem filius erat Phares, filij Iuda. Atqui Naasson princeps erat tribus Iuda, ex horum cognatione. Non igitur frustra cōmixtionem futuram ostendit sacerdotalis tribus cum regia: sed patefecit quòd Christus Dominus ex vtraque tribu natus sit, & secundum humanitatem rex & pontifex appellatus.

17 *Quomodo Moses fuit Deus ipsius Aaron?*

Quemadmodum Deus imperabat Mosi, ita Moses ipsi Aaron. Quamobrem etiam Aaron vocatus est propheta Mosis.

18 *Ad quid permisit Deus incantatoribus eadem facere, quæ Moses?*

Reperiuntur etiam nunc impij quidam, qui dicere audent, diuinum Mosem admiranda illa fecisse arte magica. Quare Deus concessit incantatoribus, vt quædam facerent, quæ Moses faciebat: vt patefieret discrimen. Etenim mutabant illi etiam virgas in serpentes, sed virga Mosis illorum virgas deuorabat. Mutabant etiam aquam in sanguinem, sed aquam in pristinam naturam reducere non poterant. Ranas quoq; produxerunt, non tamen ab illis potuerunt liberare domos Aegyptiorum. Concessit

itaque

itaque Deus incantatoribus, vt hęc facere possent, vt Aegyptios castigarent: non tamen dedit illis, vt vltioné sedarent. Nam dum à Deo puniretur Aegyptiorum rex, non fuit contentus plagis à Deo illatis, sed præcepit incantatoribus, vltionem augere. Itaque per eos Deus illum affligebat: quasi verò dixisset: Quia plecti te delectat, tuorum etiam seruorum opera te castigabo, & per tuos te plectam. Quum autem illum vehementius indurari videret, hariolorum illorum facultatem cohibuit: vt qui maiora animalia, nempe ranas, antea produxerant, crabronem minutulum educere non possent, sed plagam illam esse digitum Dei confiterentur. Verùm illorum corpora pustulis etiam afflixit, vt tum illi tum fatuus eorum rex cognoscerēt, quòd non tantùm plagas à Deo immissas auferre non possent, sed etiam illi cum reliquis plecterentur. Impudentissimum igitur est dicere, Mosem magicè miranda illa perpetrasse: quum clamarent magi, signa virtutis esse diuinæ. Si enim erat imaginarium, quod per Mosem gerebatur, illos quoque similiter effingere oportebat, & artificij socium conuincere: verùm disertè confitentur, hoc esse digitum Dei.

Exod.7. 19 *Cur hanc primam aquæ plagam intulit Deus?*

In primis, quia valde gloriabantur Aegyptij de flumine suo, & hunc pro Deo habebant: vt qui parem vsum illis præberet, quem nubes. Deinde, propter pueros Iudęorum in illum demersos. Fluuius enim ille mutatus in sanguinẽ conqueritur de cæde puerorum per eos commissa. Hac de causa aquæ illorum ebullierunt ranas, pro pueris in illas demersis. Nam pueri incessu ranas quodam modo imitantur: & quia nondum solis pedibus niti possunt, manibus supplent pedum imbecillitatem. Computruit autem terra ex ranis. siquidem putruerunt & corruptæ sunt Aegyptiorum cicatrices prę multiplici nequitia.

20 *Si vniuersa aqua mutata est in sanguinem, quomodo Aegyptiorum incantatores suis maleficijs eadem fecerunt, quæ Moses?*

Erat illis mare proximum: fluuialis autem aqua tota conuersa erat in sanguinem. Licebat ergo illis, aquam è mari allatam in domum regiam, in colorem sanguineum conuertere: Deo nempe id concedente, propter iam dictas causas. Sed hoc notandum est, Mosem produxisse ex aquis ranas, & cyniphes è puluere, muscas autem caninas vnde volebat, vt discerent Aegyptij, Deo esse perfacile, etiam sine terra & sine aquis producere quæ libuerit. Hac de causa prædixit etiam illa supplicia, ne casu fortuito arbitrarentur illa contingere: sed intelligerēt, esse plagas à Deo illatas.

Exod.9. 21 *Quare grandinem illaturus denuntiauit illis, vti pecora domum cogerent?*

Dominus, quum sit humanissimus, misericordiâ temperat supplicia. Alioqui etiam nouerat, quosdam esse venia dignos. quod non ta- Exod.9.d ,, cet scriptura diuina: Qui enim, ait, ex seruis ,, Pharaonis timuit verbum Domini, pecora sua ,, domum coëgit. Qui verò verbum Domini neglexit, pecora dimisit in agris. Grandinem au- ,, tem & fulgura immisit illis, ostendēs, quòd ipse sit Dominus omnium elementorum. Etenim tam Aegyptij quàm Græci existimabant quosdam Deos esse cęlestes, alios terrenos, alios subterraneos. Et hos quidem imperare terræ, illos verò mari: & alios in montes, alios in agros imperium habere. Quapropter etiam Syrus dicebat, Deus montium, Deus Israël, & Deus conuallium. Ob id meritò Deus omnium non solùm per fluuium & terrã, sed per aërem & mare castigauit illos: & fulmina cælitùs illis immisit, docens, quòd ipse sit omniũ creator & Dominus. Quod & beatus Moses dixit, Vt cogno- ,, Exod.9.f scas, quòd Domini sit terra, & tu & serui tui.

22 *Cur interfecit primogenita Aegypti?* Exod.12.

Propterea quòd Israëlem primogenitũ Dei, Pharao nimis duræ subiecerat seruituti. Hoc enim etiam ipse Dominus Deus dixit. Filius ,, Exo.4.e meus primogenitus Israel. meritò procul du- ,, bio primogenita Aegypti morti tradidit. Non est tamen ignorādum, quòd primogenitus fratres etiam habet. Primogenitus enim est, è multis primus. Cognoscat ergo Israël, quòd primus quidem Dei populus appellatus est, gentes autem quæ Deo crediderunt, nō tantùm salutem consecutæ sunt, sed etiam obtinuerũt iura primogenituræ. Populus enim, inquit, populum ,, Gene.25.c superabit, & maior seruiet minori. ,,

23 *Quid conqueruntur nonnulli, Deum Hebræis præcepisse, vt peterent ab Aegyptiis vasa aurea & argentea, & vestes, & eos spoliarent. Sic enim Symmachus interpretatus est τὸ σκευάσατε.* Exod.12.a

Permultum laboris sustinuit in Aegypto populus Israëliticus, conficiendis lateribus & cōstruendis parietibus ac ciuitatibus. Quamobrem voluit Dominus Deus illi laborum mercedem rependere: proinde ista præcepit. Et ne quis putet iniquum esse, ab Aegyptijs mercedem reposcere, quum Pharao populum Israëliticum afflixerit. Nam Aegyptij quoq; eiusdem iniquitatis erant socij, sæuitiam regis secuti.

24 *Quare præcepit Hebræis ad fugam præparatis celebrare festum Pascha?* Exod.12.

Perpetuam seruari voluit salutis memoriam. Propterea dum leges conderet, inquit, Quum ,, Deut.6.d interrogauerit te filius tuus, dicens, Quid est Pascha? Respondebis, quòd hodierna die Do- ,, minus Deus eduxit patres nostros ex Aegypto, ,, & redemit primogenita nostra, quando perdi- ,, dit & percussit primogenita Aegyptiorum. ,, Hac de causa præcepit, festum hoc celebrare, ,, & hoc sub profectionis figura: Sint, inquit, ,, Exod.12.b renes vestri accincti, & calciamenta vestra ,, in pedibus vestris, & baculi vestri in manibus ,, vestris, & comedetis illud cum velocitate. Pa- ,, scha enim Domini est. Pascha verò Philo inter- ,, pretatus est διαβατήρια, id est, sacrificia quæ pro transitu fiunt: Iosephus autẽ ὑπέρβασιν, id est, trāsgressioné: Symmachus verò ὑπερβάσεις, id est, transgressiones: Theodotion, φασέχ, Hebraica voce non mutata. Significat autem nomen Hebraicum, saluationem primogenitorũ. Siquidem iusserat, accepto hyssopi fasciculo

sanguine mactatæ ouis tincto postes & limen vngere: vt qui instabat ad perdenda primogeni ta Aegyptiorum, aspecto sanguine præteriret domos Hebræorum. Non quòd incorporea na tura huiusmodi signis egeret, sed quia conueniebat, vt per symbolum intelligerent illi prouidentiam diuinam: & nos, quum agnum immaculatum sacrificamus, cognosceremus antè descriptum fuisse typum. Mandat igitur illis, vt accipiant non tantùm ex ouibus agnos anniculos: sed etiam ex capris hœdos: non vt simul vtrunque immolent, sed vt is qui ouem habet, agnum immolet: qui verò caret oue, sacrificet hœdum. Denuntiat autem, vt hoc fiat decima primi mensis, vt præparét ante festum: & sacrificent decimaquarta die sub vesperam. Sub hanc enim vesperam etiam Christus Dominus traditus est Iudæis. Et cum lactucis agrestibus ipsum mãducari iusserit, in memoriam durissimæ seruitutis & acerbissimæ vitæ in Aegypto transactæ. Per azyma verò indicat, non tantùm diligentiam proficiscendi, & cibi promptitudinem, sed etiam quòd nullum Aegyptiacę vitæ vestigium inferre conueniebat. Sic enim Dominus interpretatus est, Cauete, in- Mat.16.a
„ quiens, à fermento scribarum & pharisæorum. Mar. 8.b
„ Præcepit quoque, numero sufficientes ad esum agni simul immolare pascha, docens eos fraternam charitatem, & erga pauperes misericordiam. Et propter id admonet, vt reliquiæ carnium comburantur, nec seruentur in posterum diem, hoc pacto compellens illos accersere egenos, ad festum communiter celebrandum. Luc.12.a
Hæc autem vniuersa mysteriorum nostrorum sunt ænigmata. Nam & nos vngimus agni nostri sanguine non tantùm limen, sed vtrunque postem, purgantes & sanctificantes exteriùs linguam & labra, interiùs autem & secundum intellectum, pro limine, rationalem partem: & pro vtroq; poste, facultatem irascendi & concupiscendi. Docet autem nos etiam comedere non cruda aut elixa, sed igne assata. Neque enim literam tantùm attendimus, sed mentem scrutamur: non quidem vt diuinis sermonibus humanam interpretationem superinducamus (nam hac de causa Esaias quosdam notauit, velut permiscentes aquam vino) sed igne tantùm diuino, hoc est, gratia sanctissimi spiritus vtamur. Quòd autem vetat, carnium quippiam relinqui in crastinum, sic intelligimus, quòd futura vita symbolis non indiget. Ipsas enim res tunc intuebimur. Ossa verò conterunt agni, qui malè intelligentes eloquia diuina, ad suam impietatem illa detorquere conantur. Cæterùm in eo beneuolentia diuina prædicatur, quòd non tantùm ex ouibus, sed etiam ex hœdis sumere iubet. Nam non tantùm pro iustis, sed etiam pro peccatoribus Christus Dominus pertulit passionem. Et ita nos intelligere debere, ipse docuit, dum assimilauit congregationem sanctorum agnis, peccatorum autem cœtum hœdis. Hœdum enim lex iussit offerre pro peccato. Et ex his qui diuinorum mysteriorum sunt participes, nonnulli cum agno cõmune quippiam habent, qui videlicet perfectam virtutem obtinent: alij verò, qui per pœnitentiam peccatorum maculas delent, magis accedunt ad hœdum. Sic & Saluator noster nõ frumentaceis tantùm panibus, sed & hordeaceis pauit eos qui conuenerant. Nobis quoque Dominus præcepit, habere lumbos præcinctos, pedes calceatos, & lucernas ardentes, more seruorum expectantium dominum suum. At Hebræi quidem, velut ab Aegyptijs liberati, & in terram Chananæorũ introducti, hanc habuere figuram: nos autem, tanquam ex hac vita in alteram translati. Quapropter adhortatur nos diuinus Paulus, clamans, Expurgate ve- „ 1.Cor.5.b
tus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut „
estis azymi. Et subiunxit, Etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Et „
addidit, Itaque festum celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitię & ne- „
quitiæ: sed in azymis synceritatis & veritatis. „
In superioribus indicauit omnium Deus, saluandas esse gentes: nam & proselytos iussit esse participes paschæ. γῆωρεαν enim aduenam appellauit, & eum pari iure donauit. Ait enim, Leui.19.g
Sit quasi indigena terræ. Quòd autem præci- „
pitur, vt agnus ille in vna domo manducetur, obseruant fideles, qui in sola ecclesia diuina sumunt mysteria, execrationi habentes hæreticorum cœtus. Cæterùm primogenita boum & ouium Dominus Deus lege iussit offerri, in memoriam reuocans, primogenitorum ipsorum saluationem: quum ipse alioqui victimis non egeret, sed Hebræorum commodum procuraret, quemadmodũ & lex ipsa innuit. Quũ „ Exo. 13.e
interrogauerit te, filius tuus dicens, Quid est „
hoc? Respondebis ei, In manu forti eduxit nos „
Dominus de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nam quum induratus esset Pharao, & nollet „
nos dimittere, occidit Dominus omne primo- „
genitum in terra Aegypti, à primogenito homi- „
nis vsque ad primogenitum iumentorum. Id- „
circo ego immolo Domino omne quod aperit „
vuluam masculini sexus: & omnia primogenita „
filiorum meorum redimo. Erit igitur quasi si- „
gnum in manu tua, & monimẽtum perpetuum „
ante oculos tuos. In manu enim forti eduxit te „
Dominus ex Aegypto. Siquidem vnumquodq;
istorum in gratiam & commodum populi fiebat, non autem Dei.

25 Quidam ferunt, diuisum fuisse mare rubrum duodecim sectionibus, & vnamquanque tribum seorsum transisse. idque putant beatum Dauid his verbis dixisse, Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Psal.135.b

Ego verò existimo, bifariam tantùm fuisse mare diuisum, quemadmodum scriptura diuina docet, dicens, Aqua autẽ erat tanquam mu- „ Exo. 14.f
rus à dextris, & murus à sinistris: latamq; viam „
fuisse, & numero transeuntium conuenientem. Deduxit enim, inquit, eos in abyssо, sicut in de- „ Psal.105.b
serto. Quod videtur indicare facilitatem viæ „
patentis. Non tamen ille prior intellectus verbo pietatis aduersatur. Vtrunque enim est opus diuinum & admirandum: sequi tamen debemus indubitatę scripturæ veritatem. Tradidit autem iustissimus iudex exitio aquarum Pharaonem

Pharaonem cũ toto exercitu: quia per aquam interemerat infantes Hebræorum.

Exod.15.
26 Qualenam erat lignum, quod aquam dulcem reddidit in Marath?

Superfluum atque stultum est, quærere, quæ silentio tradita sunt. Nobis autem sufficit cognoscere, aquam, quæ priùs erat amara, per lignum in dulcem mutatam esse qualitatẽ. Quæ res saluationem nostram præfigurat. Crucis enim salutare lignum, mare gentium amarum, dulce reddidit.

Corin.10.a
27 Quomodo intelligendum est illud, quod ab Apostolo dictum est, Omnes in Mosem baptizati sunt, in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spirituali sequente eos petra. Petra autem erat Christus?

Vetera typum gerebant recentium, & vmbræ lex assimilabatur, gratia verò corpori. Quum igitur Aegyptij persequerentur Hebræos, qui mare rubrum transeuntes, ab Aegyptiorũ permolesto dominio vindicati sunt, mare præ se fert typum lauacri, nubes autem typum spiritus, Moses autem Christi Saluatoris, crucis autem virga, & Pharao Diaboli typum gerit. Similiter Aegyptij dæmonum figuram præ se ferunt, manna verò cibi cælestis: aqua autem, quæ de petra egressa est, typũ sanguinis Saluatoris. Quemadmodum enim illi, vbi mare rubrum transierunt, cibo peregrino & aqua inopinata fruebantur: Ita nos post salutarem baptismum participes sumus diuinorum mysteriorum.

1.Cor.10.a
28 Quamobrem Petra vocata est Christus?

Quia typus erat Christi Domini. Sic & mare dictum est baptisma, quamuis nullus in eo sit baptizatus. Nam populus Israëliticus puluere potiùs aspersus, quàm aqua, pertransijt illud.

Psal.77.c
29 Cur propheta vocauerit manna panem angelorum?

Propterea quòd angelorum ministerio datum sit illud. Nam incorporea natura cibo non indiget. Sic etiam appellatũ est panis cæli: quia de sursum veniebat, non ex ipso cælo sed ex aëre. Quo pacto volucres cæli dictæ sunt, quæ per aerem volant.

Exod.16.
30 Quare vocatum est manna?

Eò quòd Israëlitæ statim vbi conspexissent illud, à se mutuò quærebant, Quid est hoc? Vnde talem appellationem indiderunt, Quid hoc? Id enim interpretatur manna: & ita docet histo-
Exod.16.c „ ria: Videntes enim, inquit, filij Israël, dixerunt
„ alteri, Quid est hoc? Ignorabant enim quid esset. Vnde in nomen versa est interrogatio. Erat autem veluti placenta melle permixta. Sic interpretatus est Symmachus, ὡς ἄμυλος ἐνμέλιτι,
Exod.16.g „ id est, velut bellarium mellitum. Gomor autẽ mensura erat Hebraica, quæ vt docet legislator, decima pars erat trium mensurarum. Secundum verò Iosephum continet tres cotylas Atticas cum dimidia.

31 Cur manna seruatum in crastinum diem corrumpebatur?

Propterea quòd in legem committebatur. Nam docere volens eos, vitæ rationem à curis liberam, pollicitus est illis, suppeditaturum se singulis diebus escam necessariam: illi verò diffidẽtes, portionem aliquam eius, quod collegerant, in posterum diem seruauerunt. quæ propterea computruit. Quòd enim non mannæ vitio id accideret, fidem facit sabbatum, in quo integrum seruabatur, quod pridie collectum esset: Illud item, quod multis seculis in arca conseruatum est incorruptum.

32 Quare diebus sabbati non largiebatur manna? Exod.16.

Quum hominibus lege præcepisset, quiescere die sabbati, docuit illos ipso facto seruare præceptum. Non tamen cursum naturæ sistere voluit. Oritur enim sol & luna. Itidem & nubes pluuiam fundunt. Flant quoque venti, mulieres pariunt, & cætera animalium irrationalium genera.

33 Quibus armis vtebantur, quum pugnarent aduersus Amalech? Exod.17

Quum Aegyptij demersi essent, eorum corpora vnà cum armis in littus depulsa sunt: quæ illi spoliantes, ad bellicos vsus sumpserunt.

34 Qui fiebat, vt extensis manibus Mosis, Israël vinceret: remissis autem illis, vinceretur? Exod.17.c

Dum extendebat manus Moses, præ se ferebat typum eius qui crucifixus est pro nobis. Declarata est igitur sub illa figura vis ipsius veritatis. Quemadmodum enim seruo manus extendente cecidit Amalech: ita quum Dominus manus extendit, dissoluta est acies Diaboli. In illo verò bello Iosue (Ἰησοῦς Græcis dicitur) cum Saluatore nostro cognominis, trophæum seruauit, tam in eo quòd hanc appellationem adeptus est, quàm ob id quòd vsus est opera delectorum virorum, sicuti Christus Dominus sacrorum Apostolorũ vsus est ministerio.

35 Quid illud est, Eritis mihi populus peculiaris præ gentibus omnibus: Mea enim est vniuersa terra? Exod. 19.a

Creator inquit, omnium & Dominus ego sum, & tanquam creator omnium curam habeo: sed vos veluti populum quendam electũ ipse mihi consecraui. Hoc enim subiunxit, Vos „ Ibidem.
autem eritis mihi regale sacerdotium, gens „
sancta. Quemadmodum & Leuitas, qui etiam „
erant Israëlitæ, reliquis tribubus prætulit, & ad officium diuinum consecrauit: non quòd reliquas tribus negligeret, sed per hos illorum curam gereret. Sic & semen Abrahæ, Isaac & Iacob elegit, in primis quòd ex illis secundum carnem Christus Dominus oriturus erat, deinde quia per hosce posteris eorum patefacturus erat suam potentiam, & edocturus omnes homines cognoscendi Dei rationem. Quum hæc ergo dixisset Dominus, omnis populus re- „ Exod 19.a
spondit, & dixit, Cuncta, quæ dixit Deus, facie- „
mus, & obtemperabimus. Hoc pactum popu- „
li subscriptioni cuidam instrumenti simile est. Proinde contra conuentionem propriam committentes, maledictionibus in lege contentis obnoxij facti sunt: à quibus Christus Dominus vindicauit credentes in ipsum. Christus enim, inquit, redemit nos de male- „ Gal 3.b
dicto

„ dicto legis, factus pro nobis maledictum. Dictionem autem hanc περιούσιος, id est, substantialis siue peculiaris, Symmachus interpretatus est ἐξαίρετος, id est, electus.

Exod.19.e 36 *Qua de causa non sanctificari tantùm, sed & lauare vestimenta iussi sunt, quando legem receperũt?*

Manu ducit eos ad spiritalia per ea quę corporea sunt, & timorem illis ingerit, religiosioresque reddit illos. Ex ijs enim colligebat, longè magis expurgandum esse animum. Propter ea tubarum voces, soni tonitruum, caligo & fulgura, & ignis in vertice montis & fumus infinitus emittebantur: vt per hæc omnia cor illorum lapideum emolliret. Et quia plagas quidem Aegyptijs illatas conspexerant, ipsi verò castigationis periculum nullum fecerant, ideo per hæc terret illos, vt pueros: vt non solùm eum diligant, propter immẽsa eius beneficia, sed illum timeant, ne supplicijs afficiantur. Qua de causa de sacerdotibus etiam
Ibidem.d. „ dixit, Sacerdotes qui appropinquant Domino
„ Deo, sanctificentur: ne forte recedat ab illis
„ Dominus. Quum enim versimile esset, illos magis confidere, vtpote quibus commissum esset officium diuinum, ostendit quanto sublimiores terrenis illos esse conueniat, quibus diuinum munus creditum est.

Exod.20.a 37 *Quomodo intelligendum est illud, Non erunt tibi Dij alieni, præter me?*

Qui trinitatis vnam substantiam confitẽtur, diuinę vocis legem obseruãt. Nihil enim aliud pro Deo coli permittũt, excepta diuina natura. Qui verò errorem sequuntur Arrij atque Eunomij, manifestè in legem diuinam committunt: confitentes quidem vnum filium, sed creatum esse asserentes, & à diuina substantia alienum.
„ Quum autem Deus dicat, Non erunt tibi Dij
„ alij, præter me, isti profecto Deum alium introducunt.

38 *Quî differunt idolum & similitudo?*

Idolum nihil repræsentat, quod subsistat: similitudo verò est alicuius imago & effigies. Quum ergo Græci quidam formas minimè subsistentes effingunt, veluti Sphingas, Tritonas, & Cẽtauros, Aegyptij verò κυνοπροσώπους, id est, homines canino vultu, Bucephalos, tales rerum non subsistentium fictiones, idola vocat: similitudines autem, rerum subsistentium imagines, veluti solis, lunæ, stellarum, hominũ, beluarum, reptilium, & his similium. Quæ omnia vetat adorare aut colere. Atqui non temerè prohibuit vtrunque: sed quia sæpe contingit, quosdam humano metu perterritos, tam idola quàm similitudines adorare, non tamen animo colere, propterea docuit vtrunque esse impium.

Exod.20.a 39 *Quid sibi vult, Deus est zelotes?*

Lex sustinet personam viri, populus autem personam vxoris. Quod nos Deus etiam do-
Esa.50.a „ cuit, per Esaiam dicens, Quisnã iste est liber re-
Iere.3.f „ pudij matris vestrę? Et per Ieremiam, Quemad-
„ modum mulier contemnit virum suum: sic cõ-
„ tempsit me domus Israel & domus Iuda, dicit
Iere.3.a „ Dominus. Et rursum, Si dimiserit vir vxorem
suam, quæ profecta sit ad alterum virum, nun- „
quid reuertetur ad priorem vltra? Nunquid nõ „
polluta erit mulier illa? Tu autem fornicata es „
cum amatoribus multis: tamen reuertere ad „
me, dicit Dominus. Apostolus autem ait, Lex „ Rom.7.a
dominatur homini, quãto tempore viuit. Quæ „
enim sub viro est mulier, viuente viro alligata „
est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta „
est à lege viri: ita vt non sit adultera, si fuerit „
cum alio viro. Sic vos mortificati estis legi per „
corpus Christi: ita vt sitis alterius, qui ex mor- „
tuis resurrexit. Quamobrem Deus seipsum ap- „
pellat zelotem, humano more loquens, vt terreat homines, & illos sapere cogat. Sicut enim vir ignauam habens vxorem, admonere solet illam his verbis, Zelotypus sum: videre nõ possum te cum altero viro loquentem: ita Dominus Deus volens à cultu Dæmonum illos abalienare, non tantùm seipsum zelotem appellauit, sed & ignem consumentem. Quòd autem tam ardens sit amoris zelus, Deus ipsemet de-
monstrauit, per Ezechielem dicens, Propterea „ Ezec.16.e
auferetur zelus meus à te, hoc est, Quum te di- „
ligerem, vtebar zelo: vbi verò te repuli, zelum extinxi. Idem & per alium prophetam declara-
uit, Non visitabo super filias vestras, quũ forni- „ Ozea.4.d
catæ fuerint: & super sponsas vestras, quũ fue- „
rint adulteratæ. Est igitur zelus amoris index.

40 *Quomodo ius seruatur illæsum, quum filij plectuntur pro patribus?*

Apud Dominum Deum maiores sunt cõminationes quàm pœnæ, quod ex scriptura diui-
na facilè perspicitur. Omnis enim, inquit ma- „ Gen.17.b.
sculus incircuncisus, qui nõ fuerit circuncisus „
octauo die, delebitur. Reperimus tamen mul- „
tos circũcisos, varijs modis in deserto perijsse: incircũcisos autem, seruatos esse, & promissiones maioribus factas esse consecutos, quos in Galgalis Iosue circũcidit. Sic & familijs fermẽtum habentibus interitum minatus est, non tamen pro modo minarum supplicium sumpsit. Hoc quoq; loco terret illos minis, qui filios di-
ligunt, & eorum curam habent, & ait, Reddens „ Exod.20.a
peccata patrũ in filios vsq; ad tertiam & quar- „
tam generationem, his qui oderunt me. Quòd „
autem nudam literam attendere, nõ sit religioni consentaneum, Deus ipse demonstrat, legem
contrariam statuens, nempe, Non moriẽtur (in- „ Deut.24.c
quit) filij pro patribus, nec patres pro filiis: sed „
vnusquisque pro peccato suo morietur. Et per „ Ezec.18.a
Ezechielem prophetam ait: Quæ est parabola „
vestra, quum dicitis, Patres comederunt vuam „
acerbam, & dentes filiorum obstupuerũt? Viuo „
ego, dicit Dominus, si vltrà erit hæc parabola: „
sed obstupescent dentes eorũ qui comederunt „
vuam acerbam. Quoniam meę sunt omnes ani- „
mæ. Et quæ sequuntur, eiusdem sunt sententiæ. Ego autem verius puto, clementiam diuinam comminationes præ se ferre. Adiectum est
enim istud, His qui oderunt me: hoc est, patien- „ Exod.20.a
tia vtor erga patres qui deliquerunt, itidem & erga filios. Si verò nepotes & posteri patrum & maiorum nequitiam secuti fuerint, suppli-
cium sumam: Faciens, inquit, misericordiam „ Ibidem.

„ in milia & myriades, his qui diligunt me, & ob-
„ seruant mandata mea. Reperiet autẽ quispiam ipso facto diuinorum eloquiorum veritatem. Quinta enim generatione, inquit, filij Israël ascenderunt ex Aegypto: nihilominus non luerunt pœnas, qui in Aegypto coluerant Deos Aegyptiorum, neque patres illorum neque aui illorum: isti tamen qui maiorum illorum secuti sunt inpietatem, supplicium passi sunt: quia post tanta beneficia accepta, & tam multa miracula edita, non abiecerunt impietatem. Horum autem filij, qui Deum Saluatorem dilexerunt, promissa facta maioribus obtinuerunt. Et in eo perspicitur certitudo promissionis patribus factæ, quòd gentes per semen Abrahę consecutæ sunt benedictionem. Minatur ergo illis supplicium, quia vitulum erant adoraturi.

Exo.20.a 41 *Quid sibi vult, Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum?*

Quidam prohiberi dicunt, ne quis res vanas, hoc est, idola nomine Dej vocet, alij, ne quis iurando mentiatur. Ego autem puto, diuinam legem statuere, ne quis nomẽ Dei pronuntiet sine aliqua ratione, veluti docendi aut orãdi, aut alia quadam necessitate. Solẽt enim nõnulli etiam ludentes & ridentes, vt venerit in linguam, reuerendũ nomen Dei proferre. Hoc arbitror diuina lege prohiberi. Si enim permulti consueuerunt, pretiosiorem vestem diebus festis reseruare, multò iustius est, diuinum nomen precibus atque docendi officio consecrare.

Exod.20.b 42 *Quare sabbatum quiete honorauit?*

Beneuolè populum instruxit. Subiunxit e-
„ nim, Vt requiescat seruus tuus & ancilla tua,
„ bos tuus & subiugale tuum, & omne iumẽtum
„ tuum, & aduena qui peregrinatur apud te.

43 *Sed cur non alio die sabbatum celebrari iussit?*

Hoc ipsum & de alio die quisqiam quærere posset, quare Deus illum elegisset, & non alium. Res tamen ratione non caret, etiam idonea ad fidem faciendam Iudæis, alioqui parẽ credulis. Nempe, quòd Deus omniũ sex diebus vniuersa creauit, septimo verò die nihil fecit, sed hunc diem benedictione honorauit, quemad-
Exo.20.b „ modũ subiungitur, Sex diebus Dominus Deus
„ tuus creauit cælum & terram & mare, & omnia
„ quæ in eis sunt. Et requieuit die septimo, &
„ sanctificauit illum.

Exod.20.d 44 *Quid illud est, Si mihi construxeris altare ex lapidibus, non ex sectis lapidibus ædificabis illud. Quod enim excisum manu super ipsum ascenderit, polluetur?*

Nemo (credo) negabit, quin vterentur ferro qui ligna tabernaculi concinnabant: itidem qui aurum, argentum aut æs fabrefaciebant. Quòd autẽ & sacerdotes gladiorum auxilio victimas immolabant, excoriabant, & diuidebant, nemo in dubium reuocat. Quærendum ergo nunc est, quo pacto ferrum non polluebat hæc vniuersa, lapides autem sectos polluebat. Certum quidẽ est, alia ex alijs confirmari. Etenim quum Israelitę quadraginta annos permãserint in deserto, continenter abeuntes & loca mutantes, ideo vetat è lapidibus fabrefactis altare construi: ne, quum hi terram promissam obtinuissent, in aris illis vicini dæmonum sacrificia celebrarent. Quamobrem præcipit ex terra, aut è lapidibus, quales natura produxit, altaria construi. Nam vtrunque facilè dissoluitur. Verùm ipsa lex docet, post ædificatum templum non licuisse alibi sacrificare. Si verò lex sacrificare vetabat extra templum, eadem ratione altare fieri prohibebat. Et ne longè petam exẽplum, ad conuincendos impios, quum Elias ille magnus in mõte Carmelo sacrificare coactus esset, lapides natiuos composuit totidem numero, quot erant tribus, & super his victimam obtulit: vt quàm citissimè dissolui posset ædificium illud, & nemo alius in eo loco sacrificium offerret.

45 *Quamobrem perforari iussit aurem Hebræi serui, libertatem recusantis?* Exod.21.a

Docet illos rebus omnibus anteponere libertatem. In dedecus ergo eius qui postposita libertate seruitutem amplectitur, signum hoc accipere iussit. Adhæc indicat etiam signũ illud auditus organo appositum, seruum omnem obedientiam pręstare debere. Quod autem applicabatur ad ostium, significat, ne foras quidem egredi licere illi, iniussu domini.

46 *Cur adiectum est, Et seruiet illi in seculum, quum determinata sit humana vita?* Exod.21.b

Constat inde, quod ὁ αἰών, id est, seculum non semper tempus infinitum significat: sed
quandoque definitum. Ita etiam beatus Dauid „ Psal.89 b
inquit, Seculum nostrum in illuminatione vul- „
tus tui. Itaque sic appellauit humanæ vitæ spa- „
tium.

47 *Qua de causa iussit, eum fugere, qui inuitus homicidium commisisset?* Exod.21.e.

Quia mederi volebat eorum animis ad cædes propensis: instruens illos, quòd si scelus præter voluntatem admissum, quempiam reum constituit, multò magis ille supplicio dignus est, qui dedita opera cædem admiserit. Præterea prudentiores illos reddit, qui ligna secant aut eiaculãtur lapides. Pręterea & illos instruit, qui aliud quoduis opus tale exercent: vt vereantur & timeant, ne vel præter animi voluntatem quempiam procul aut cominùs stãtem lædant. Fuga quoque eius qui interfecit, mitigat iram cognatorum occisi viri.

48 *Quid est, ἐξεικονισμένον, id est, effigiatum?* Exod.21.

Ferunt, quum corpus in vtero perfectè formatum fuerit, tunc fœtum animari. Etenim Creator priùs formauit corpus Adæ, tum illi animam insufflauit. Statuit ergo legislator, quòd si mulier grauida abortiuum fecerit in rixa, si effigiatus infans egrediatur, hoc est formatus, factum illud homicidium vocandum: autoremque sceleris, pœnas homicidij luere debere. Si verò partus egrediatur informis, homicidium non censendum: quia nondum animatum erat, quod abortiuum editum est: reum tamen de damno teneri.

Quare

Exod.21. *49 Quare iubet occidi taurum cornupetam?*

Vt ex animalibus irrationalibus doceat homines rationales, quàm graue ſcelus habeatur homicidium.

Exod.21. *50 Cur is qui vitulum furripuit, quintuplum ſoluere iubetur: qui verò ouem, quadruplum?*

Grauiora delicta atrociore ſupplicio ſunt
Luc.12. „ plectenda. & ita Dominus docuit: Cui enim,
„ inquit, multum datum eſt, multum exigetur
„ ab eo.

Exod.22.d *51 Quomodo intelligendum eſt illud, Dijs non detrahes?*

Iudices appellat Deos, propterea quòd ad imitationem Dei omnium, commiſſum eſt illis iudicandi munus. Et hoc clariùs docuit pro-
Pſal.81.a „ pheta Dauid, dicens, Deus ſtetit in ſynagoga
„ Deorum: in medio autem Deos dijudicat. Iudi-
„ cate egeno & pupillo: humilem & pauperem iu-
„ ſtificate. Eripite pauperem, & egenum de ma-
„ nu peccatoris liberate. Deinceps accuſans illos, ſubiunxit, Neſcierunt, neque intellexerunt:
„ in tenebris ambulant. Poſtea pateſaciens illorũ
„ ambitionem, ait, Ego dixi, Dij eſtis, & filij excel-
„ ſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemi-
„ ni: & ſicut vnus de principibus cadetis. Sic &
Exo.22.d „ hoc loco, Dijs non detrahes, & principi populi
„ tui non maledices.

Exod.22.d *52 Quare vetat edere carnes à beſtijs captas?*

Docet illos manſuetiorem agere vitam, quæ nihil ferinũ habeat. Denuntiat etiam, ne priùs beſtias mactent, & ita manducent. Quapropter paulò pòſt iubet etiam inimicorum curam habere, & inimici bouem errantem non præterire, ſed reducere domũ eius: & ſubiugale inimici, quod ceciderit, leuare: & eiuſmodi mutuis beneficijs amicitiam conciliare. Per hęc autem docet, quòd idem eſt veteris & noui teſtamenti legiſlator: & quòd is qui legem hanc condidit, euangelicam quoque donauit.

Exod.23.c *53 Quid ſibi vult illud, Non apparebis in conſpectu Domini Dei tui vacuus?*

Accedens ad Dominum Deum tuum adorandum, pro tua facultate offer munera. Quibus verbis inſtruimur, quòd ſi locupletes ſumus, eleemoſyna pauperibus præſtita Deum orare debemus: ſi verò paupertatẽ elegerimus, animam bonis minimè vacuam, ſed copia virtutum locupletatam geramus.

Exod.23.c *54 Quale nam eſt feſtum meſſis primarum frugum, & feſtum conſummationis ſub finem anni?*

Pentecoſten appellat feſtum primorum fructuum, & Scenopegiam feſtum conſummationis in exitu anni. Quod docuit, dum iſta ſub-
Ibidem d. „ iunxit, Tribus temporibus anni apparebit om-
„ ne maſculinum tuum in cõſpectu Domini Dei
„ tui, hoc eſt, in feſto paſchæ, pentecoſtes, & ſce-
„ nopegiæ. Cæterùm paſcha reuocat nobis in memoriam exitum ab Aegypto, & præſtitam liberationẽ: pentecoſte verò, ingreſſum in terram promiſſionis. Illic enim qui ſeminauerant, primitias frugum obtulerunt. Nam in deſerto edebant panem non cultum nec ſeminatum. Scenopegia verò, tranſactam in deſerto vitam repręſentat. In tentorijs enim continenter habitauerunt quadraginta annos. Itidem præcepit, diebus illis feſtis cõuenire in templum diuinum, vt beneficiorum diuinorũ memoriam renouent, & concordiam atq; amicitiam concilient: & eiuſmodi feſta ritè celebrantes, ſacris & delubris dæmonum non delectentur, ſed in templo Creatoris, omnia bona ſuppeditantis, feſtiua fruantur beatitudine.

55 Quid ſignificat, Non immolabis cum fermento ſanguinem ſacrificij mei? Exod.23.d

Panes non fermentatos altari offerebant, fermentatos autem offerre prohibet, ex ſenſibilibus docens nos ea quę pertinent ad intellectũ. Quum enim panis azymus, id eſt, minimè fermentatus ſit extemporalis, fermentatus autem habeat aliquid fermenti veteris, prohibet lex, ne quid Aegyptiacę doctrinę rebus diuinis admiſceatur. Quemadmodum & Dominus ſacris Mat.16.a
diſcipulis dixit, Cauete à fermento ſcribarum „
& Phariſæorum. „

56 Quomodo ſit intelligendum illud, Non coques agnum in lacte matris ſuæ? Exod.23.e

Sæpiùs admonui, quòd per omnia doceat illos humanitatem. Quidam ergo aiunt, legem vetare, ne quis animal nuper natum edat: alij verò, ne cum lacte materno coquatur. Nam hac ratione videtur quodam modo matrem etiam coquere. Prohibet autem, & quod natum eſt ex ea. Statuit etiam, quum quis nidum auicularum inuenerit, ne matrem cum pullis deprædetur, eò quòd iſtud ſit delere genus auium.

57 Quem habet intellectum, Numerum annorum tuorum complebo? Exod.23.f

Determinatam quidem prædixit eſſe hominum vitam, ſed hîc pollicetur, ſe facturum, vt ad longam ſenectutem perueniat.

58 Quid ſibi vult, Mittam ante te veſpas? Exod.23.f

Quemadmodum Aegyptijs immiſit ranas, crabrones, & caninas muſcas: ita Chananęis & reliquis gentibus veſpas. In quo declaratur immenſa potentia Dei: qui minutorum animalcu lorum miniſterio ſuccurrit ſuis, & eorum aduerſarios perdit. Quod etiam à beato Dauide Pſal.80.e
dicitur: Si populus meus audiſſet me, Iſraël in „
vijs meis ambulauiſſet: Pro nihilo inimicos eo- „
rum humiliaſſem, hoc eſt, quàm facillimè de- „
leuiſſem eos, qui bellum illis inferebant. „

59 Quî fit, vt Deus non ſteterit promiſſioni, qua pollicitus erat ſe daturum illis terram vſque ad fluuium Euphratem? Deut.1.a

Clariùs hoc Deus elocutus eſt per Ezechielem prophetam. Tandem enim ait, Loquar ſu- „
per gentem & regnum, vt ædificent & plantent. „
Quòd ſi gens illa conuerſa cæperit iniquè age- „
re, non adducam ſuper eam cuncta bona quæ locutus ſum, & reliqua. Introduxit igitur illos Deus in terram promiſſam: poſteà quàm verò noluerunt ſeruare legem diuinam, non præſtitit illis vniuerſam, ſed reliquit quoſdam, qui cũ illis aſsiduè pugnarent, vt oppugnati vincerentur. Et hoc diſertè narrat hiſtoria Iudicum. Hos tamen ſubiecit regi Dauid. Nam alienigenæ ſoluerunt illi tributa, Syria Damaſci, & Syria Suba. Salomon quoque quandiu piè vixit, eo potitus eſt imperio: vbi verò declinauit ad impietatẽ, priuatus eſt imperio. Et talibus ſe darũ promiſit, præcepta & legẽ obſeruantibus.

Exod.25.a. *60 Quare iuſſit conſtrui tabernaculum?*

Rationem reddidit ipſe Dominus Deus, in-
„ quiens, Et conficies mihi ſanctuarium, & ap-
„ parebo apud vos. Facieſque iuxta omnia quæ
„ ego demonſtraui tibi in monte, iuxta ſimilitu-
„ dinem tabernaculi, & iuxta ſimilitudinem o-
„ mnium vaſorum ipſius. Quum enim dediſſet legem in monte Sina, veriſimileque eſſet, quoſdam exiſtimaturos, diuinum numen loco circunſcribi, iuſsit ſibi conſtrui tabernaculum, vt inde apparens doceret populum cultum pietatis. Sicut enim accepta terra promiſsionis templum ædificari ſibi iuſsit, legeſque dedit celebrandorum ibi diuinorum officiorum, ne arbitrium ſuum ſecuti in his peragendis, prolaberentur in erroneum cultum pernicioſorum dæmonum: ita peregrinantibus illis ac deſertum tranſeuntibus, tabernaculum ædificari ſibi præcepit, quod facilè transferri poſſet: in quo preces & ſacrificia offerrent. Et hęc eorum gratia geſta ſunt. Siquidem quum magnus
Exo.32.a. „ ille Moſes per multos dies in monte moraretur, Aaronem ita ſunt allocuti, Fac nobis Deos,
„ qui præcedant nos: Et imagine vituli confla-
Ibidem. „ ta, ducentes choreas acclamabant, Hi ſunt Dij
„ tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Aegypti: Tabernaculum hoc fieri mandauit Deus, & proficiſcentibus illis præire iuſsit: & tibia canentibus ſubſiſtere: quò ſacerdotes in eo ſacrificia peragere poſſent. Illud autem præ ſe ferebat creationis ſpeciem. Quia ſicuti Dominus Deus cælo terraque creatis medium expandit firmamentum, & ſuperiora diſtinxit ab inferioribus: Ita tabernaculum quidem vnum extrui præcepit, quod triginta cubitorum longitudinem haberet, latitudinem verò decem, in cuius medio velum extenderetur, inſtar firmamenti, quod diſtingueret tabernaculum iſtud in duas partes: & partem illam quæ erat oſtium verſus, vocauit Sancta: ſecretiorem autem partem velaminis, appellauit Sancta Sanctorũ.
Pſa.113.d. „ Et ſicut Dauid dicit, Cælum cęli Domino, ter-
„ ram autem dedit filijs hominum: ita velaminis pars erat exterior, & pars interior: intra quam ſemel in anno duntaxat Pontifici licebat ingredi. Erantque ibi effigies Cherubim, virtutes incorporeas repræſentantes: in quorum medio conſiſtebat arca, tabulas legis continens, & vrnam manna refertam, & virgam Aaronis, quæ fronduerat. Cui ſuprapoſitum erat propitiatorium, alis ipſorum Cherubim obumbratum: & in eo ſic apparebat Deus omnium. Nam quum natura diuina ſit informis & minimè figurata, inuiſibilis & incircunſcripta, cuiuſmodi ſubſtantiæ imagines effingere, ſit prorſus impoſsibile, ſymbola liberalitatis eius immenſæ intrò recondi iuſsit. Nam tabulæ legem eſſe datam indicabant, virga verò ſacrificium, manna autem cibum quo in deſerto vſi ſunt, & panem non manufactum: propitiatorium verò prophetiæ ſymbolum erat. Nam inde oracula reddebantur. Quemadmodum enim ex magnitudine & pulchritudine creaturarum, proportione quadam autoris ipſarum præſtantia perſpicitur: ita per hæc declaratur eius munificentia. Pars igitur illa tabernaculi ſecretior, quia cęleſtia referebat, vocata eſt Sancta Sanctorum. Cuius rei veritas ſatis aſstruitur per diuinum Apoſtolum, ita dicen-
tem, Non enim in manufacta Sancta Chriſtus „ Heb.9.f.
introiuit, exemplaria verorum: ſed in ipſum „
cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. „
Et iterum, dum de ſpe diuina diſputat, iſta ſubiunxit, Quam ſicut anchoram habemus tu-
tam ac firmam, & introeuntem vſque ad inte- „ Hel.5.d.
riora velaminis. Et pars illa veli interior præ „
ſe ferebat imaginem cæleſtium, exterior autem terreſtrium: ideoque in eam ſacerdotes continenter ingrediebantur. Lucebat autem verſus partem meridionalẽ lucerna ſeptifida, ſeptem habens lychnos, numerum dierum ſeptimanę denotantes. A parte autem ſeptentrionis erat menſa aurea, ſuper quam Dominus apponi iuſſit duodecim panes, & phialas aureas thure plenas & alijs odoramentis. In medio verò lucernæ & menſæ poſitum erat thuribulum aureũ, quod excipiebat oblata incenſa. Perſpicuum autem eſt iſta fuiſſe ſuperflua, Deoque omnium minimè grata: ſed illa permiſiſſe celebrari, vt conſuleret Iudæorum infirmitati. Vnde etiam in exteriore parte tabernaculi ſacrificia fieri iuſsit, quaſi pars interior ijs non indigeret. Nos autem ſacrificium interiora penetrans celebramus, offerentes Deo incenſum cum lumine lucernarum & myſtica ſanctæ menſæ conſecratione. Cæterùm facile eſt cognoſcere, quòd longitudo tabernaculi triginta cubitorum eſſet, latitudo verò decem. Pars enim auſtralis viginti tabulis erat conſtructa, totidemq; pars illa quæ aquilonem reſpiciebat (σανίδας enim, id eſt, tabulas, οὐ τύλους, hoc eſt, columnas interpretes alij vocauerunt). Quum autem vnaquæque tabula ſeſquicubitalis eſſet, profectò viginti tabulæ triginta cubitos implebant. Similiter & pars occidẽtalis ſex tabulis eiuſdem menſuræ conſtructa erat, & duobus angulis: è duodecim autem cubitis inde cõfectis decem interiorem latitudinem perficiebant, duo verò alij cubiti vtrinque latera copulabant. A parte verò orientis oſtium conſtrui præcepit, vt ſol oriens, quaſi modo quodam adorans veſtibulum tabernaculi, radios ſuos illic conſeſtim emitteret: ij verò quibus ſolum Deum adorare mandatum erat, à tergo ſolem haberent, ad tabernaculum conuerſi: & ita non ſolem, ſed huius creatorem adorarent. Tabernaculum igitur erat tabulato ſimile, aſſeres habens quacunque ex parte ſibi coaptatos: qui quidem aſſeres habebant etiam baſes argenteas, itidem & capitella: vtraque autem erant deaurata intus & foris. Tegebanturq; varijs texturis, diuerſis tinctis coloribus, nempe aliæ purpureo, aliæ roſaceo ſeu cocco tincto, aliæ hyacinthino, atque aliæ byſsino candente tinctæ erant. qui quidem colores ſubindicabant quatuor elementa. Nam hyacinthus ad naturam aëris accedit, roſaceus autem color ſeu cocco

tinctus ad naturam ignis : purpureus autem mare denotabat, in quo enutritur concha, vnde color eiusmodi sumitur. byssus autem terram referebat, vnde nasci dicitur. Superponebantur q́ue pelles variæ, ac stragula è pilis confecta, quæ arcerent tam pluuiam quàm ardorem. Hæc itaque vniuersa sacerdotibus erant summo ornamento, populo verò admirationi, propter varietatem figurarum. Instruebantq́; sacerdotes ipsos, quomodo oporteat animam decorare, & illâ ornamẽto virtutis circundare. ὑποδύτην aũt appellat palliũ interiꝰ, ἐπενδύτην verò vestem exteriorem, quam hyacinthinam esse iusit, & Poderem appellauit, eò quòd ad extremitatem vsq; pedum porrigeretur. Huic autem appẽdebat sacerdos tintinabula aurea, corymboſq́ue instar mali punici, ingressurus adytum & secretiorem partem tabernaculi, ex eorum sono resonantis, memoria recolens eũ, qui isthæc mandauerat, & eiusmodi sacrificium suscipiebat : quò maiore cum timore sacra munera obeat. Propterea & aëris colorem referebat vestis illa talaris: q́ue ob id erat hyacinthina, vt attolleretur illam intuens. Capiti verò imponebatur κίδαρις, id est, insula, quæ cælum repræsentabat. Et frontem tegebat ταινία, quam Septuaginta mitram appellauerunt. Cui annexa erat in medio lamina aurea, insculpta inenarrabili nomine Dei, quod Hebræi vocãt quadriliterum. Quæ reuerentiam quandam demonstrabat: Inscribes enim, inquit, Sanctuarium Domini. Iusit quoq; ipsi fieri vestem exteriorem, quam Septuaginta vocauerũt Superhumerale. in libro autem Regnorum Ephod, Hebraica lingua ipsam vocari reperimus. Hæc habebat ab vtroque humero duos lapides valde pretiosos, quibus erant inscripta tribuum nomina. Supra pectus autem erat indumenti genus, quod Rationale vocabatur, tegens cor partem rationalem. Quod quidem Rationale duodecim lapides habebat aptatos. Quo quidem vestimento cognoscebatur, victoriáne an clades bello immineret : vt perspicuum est ex historia Regnorum. Nam quum alienigenæ inuaderent populum Israel, antè confligere Saul non est ausus, quàm vidisset victoriæ omina. Accesit enim, inquit, ad Ephod. Deinde quum victoriam futuram animaduertisset, addidit, Reduxit Ephod : & ita populum armari iussit. Propterea quum dixisset Deus omnium, Et impones Rationale iudicij supra pectus Aaron, & aptabis illud superhumerali, subiunxit, Et impones illi significationem & veritatem. Hoc autem ipsum indiciorum certitudinem ostendit. Cæterùm non est ignorandum, Dominum sapientissimum per signa corporea studuisse commodo eorum, qui crassioris adhuc erant ingenij, nec ad ea, quæ intellectualia sunt, peruenire poterant. Nos autem per illud Rationale intelligimus contemplationem intellectualium, per superhumerale verò operationẽ virtutis. Cæterùm per copulationem & consonãtiam Rationalis cum superhumerali, cõcordiam fidei & bonæ operationis: ex eo verò quòd priùs imponebatur superhumerale, postea Rationale huic aptabatur, intelligimus, operationem bonam facere gradum ad contemplationem.

Exo.28.f.

61 Qua de causa sacerdotes victimis manus imponebant, postea sacrificabant? *Exod. 29.*

Non omnibus victimis manum imponebant, sed illis q́ue pro ipsis offerebantur, & maximè pro peccato. Cæteris autem victimis hi qui offerebant, manus imponebant. Hoc autem ipsum indicabat, hostiam illam in eius locum qui eam offerebat, suffici, vt quæ pro ipso moreretur. Notandum est autem, quòd vitulus offerebatur pro Pontifice, similiter & pro vniuerso populo : pro Principe verò hircus, & pro quoque homine capra. Offerebant enim principi masculum, subdito verò fœminam: quoniam ab initio mulierem ipsi Adæ Deus subiecit. Cęterùm vitulus qui pro peccato immolabatur, exurebatur extra castra. Qua de causa etiam Christus Dominus, vt diuinus Apostolus ait, extra portam passus est: & figuræ veritatem restituit. Offerebatur autem ad altare omentum. hoc enim inquit, Adipem ventriculo adiacentem, & ambos renes, & eorum adipem, & lobum hepatis, quem alij interpretes superfluum nominauerunt. Sunt autem hæc ænigmata passionum nostrarum. Nam adeps ventriculum tegens morbum gulæ significat: renes autem, voluptates sub ventre latentes: lobus autem hepatis, facultatem irascendi denotat. huic enim adhæret receptaculum bilis. Quæ omnia sacrificare iubet, & eorum improbas actiones veluti morti dari. Statuit quoque armum dextrum hirci mactati offerendum, innuens virtutem actiuam, tanquam dextram & optimam esse Deo offerendam. Panis autem & laganum, ac libamen vini, fructus è terra nascentes indicant: quorum primitias offerre Deo sanctum est.

Heb.13.b.
Exo.29.b

63 Quid sibi vult, In odorem suauitatis est oblatio Domino? *Exod.29.e.*

Ab humanis quæ sunt diuina docet. Nam quum plerunque bonis odoribus delectemur, sacrificium secundum legem factum appellauit odorem suauitatis. Verùm litera nuda non est attendenda, vt etiam demonstrat natura diuina, q́ue incorporea est, & grauis odor ossium combustorum. Quid enim peiùs olet, quàm illa? Alij tamen interpretes loco, suauitatis odorem, gratissimum, dixerunt.

63 Quamobrem statuit ex vnaquaque victima pro salute oblata, sacerdotem sumere dextrum armum atque pectusculum. *Exod.29.*

Per pectusculum desiderat in sacerdote facultatem rationalem & contemplatiuam. Tegitur enim cor à pectusculo. Et per armum dextrum, requirit in eo dextram agendi facultatem. Non enim sufficit sola fides ad salutem, sed operibus indiget ad perfectionem.

64 Quid est hin? *Exod.29.g.*

Genus est mensuræ vini & olei apud Hebræos.

Continet autem, vt ait Iosephus, duas choas Atticas. Cui credendum est in eiusmodi rebus, vt probè cognoscenti gentis illus mensuras.

65 Quomodo intelligemus illud, quod dum leges conderet de sabbatis, dixit, Est enim signum inter me & filios Israël in generationibus vestris? *Exo.31.c.*

Quemadmodum quum daret Abrahæ circunciſionem, inquit, Et erit signum inter me & vos: sic sabbati legem ferens, ait, Est signum inter me & filios Israël in generationibus vestris. Nouum enim genus politiæ, legislatoris memoriam perpetuam conseruat. Quemadmodum enim notæ greges & pecora distinguunt & declarant, sic leges eximiæ in Hebræorum republica à malis eos arcent, & legum autorem semper præsidere demonstrant. *Gen.17.b.* *Exo.31.c.*

66 Cur Aaron effinxit populo vitulum? *Exod. 32.*

Intentio facti potiſsimùm est attendenda. Sic enim re discussa, Aaronem à venia non prorsus alienum reperiemus : maximè, quum frater eius quadraginta dierum moram traxisset in vertice montis, insaniente populo, & in Aegyptum redire volente. Primùm enim eorum impetum verbis reprimere tentauit : vt autem vidit, eos nulla ratione adduci posse, postulauit à mulieribus ornamenta aurea, affectum affectu repellens, nempe cupiditatem pecuniæ & ornamentorum opponens insano dęmonum cultui. Atqui ne inuentum quidem istud rabiem illorum extinxit, quin compulsus sit vitulum effingere. Hanc rationem quum esset secutus, clementiam diuinam obsecrauit, ne pœnas daret. quòd perdiuinus Moses in Deuteronomio patefecit : Deprecatus sum enim, inquit, Dominum pro Aarone fratre meo, & non est mortuus. *Deu.9.d.*

67 Quem intellectum recipiat illud, Et nunc dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq́; te in gentem magnam? *Exod,32,c.*

Verba huiusmodi Deum nulli passioni obnoxium esse demonstrant, eiusq́ue benignitatem. Nam qui ad aliquid agendum ira ducitur, ijs etiam indignatur qui illum admonent. Deus autem dixit, Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Atqui nemo expectat monentem, vt irascatur, sed vt mitigetur potiùs. Hæc igitur verba, Dimitte me, dixit, pro eo quod est, Cohibe me. Quia quum eximius ille Moses ignoraret iniquitatem populi, hanc Deus illi patefecit, atque vt pro eo intercederet, excitauit. Verba autem hæc, faciam te in gentem magnam, prædicunt quæ ad nos pertinent. Siquidem quod tunc non est factum, post aduentum Saluatoris nostri completum est. Verùm Moses, quanuis Deus hæc sufficere dixisset quantum ad legationem pro populo obeundam, non tamen se idoneum existimauit ad placandam iram Dei: sed preces etiam obtulit, faciens patriarcharum mentionem, & iurisiurandi illis præstiti: & ne pacta dirimerentur, supplicauit.

68 Quare contriuit tabulas? *Exod. 32.*

Existimauit populum non esse dignum legislatione diuina. Quum enim tabulæ eiusmodi dotalium instrumentorum formam haberent, sponsa verò in ipso limine thalami nuptialis ad committendum adulterium declinauerit, iure profectò dotales literas effregit. Hoc tamen aduertendum est, omnium Deum, qui supplicationem exaudierat, supplicium distulisse. Quapropter addidit, Qua autem die, visitabo illos, adducam super eos omnem hanc iniquitatem eorum. Quod accedit ad illud Apostoli, Ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundùm opera eius. Cæterùm quum legislator audisset, quòd Deus omnium nollet amplius conuersari cum illis, propter eorum duritiam, quodq́ue semper reluctabantur, sed angelum illis præfecturus esset, scire voluit, cuinam demandata esset illorum cura. Obsecrauit autem Deum, ne cõseruus pro duce daretur illis, sed dominus ipse dux eorum esset. Quum autem Deus optimus hanc illi gratiam se facturum promisisset, Moses, veluti amore quodam probo inebriatus rogauit Deum, quod humanum captum superabat: nempe, vt naturam & substantiam diuinam, alioqui inuisibilem, videret. quod erat impossibile. Deum enim nemo vidit vnquam: quemadmodum Dominus ait. Diuinas tamen dispensationes atque effectus (ita enim intelligere debemus posteriora Dei) intueri licet ijs, qui perinde ac Moses virtute perfecti sunt. Et hoc non quomodolibet, sed vbi collocati fuerint ab ipso Deo in petra, quæ solidam fidem & non imperfectam significat. Sed illud, per foramen petræ. Quod quidem foramen denotat oculum fidei, ipe contemplantem ea quę sensibilibus oculis sunt inaccessa & inuisibilia. *Exod. 32.* *Exo.32.g.* *Rom.2.a.* *Ioan.1.c*

69 Quid denotat velamen positum super faciem Mosis? *Exod. 34. d.*

Habemus interpretationem Apostoli : Nam vsque in hodiernum diem, ait, quum legitur Moses, velamen positum est super cor eorum non reuelatum. quoniam in Christo euacuatur. Quando verò conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Quemadmodum enim legislatoris facies impleta est gloria diuina, ita vt splendor inde procedens fulgure clarior non sineret obuios aduersum intueri, sed compellebat illos aut vultum auertere, aut claudere oculos, & ea de causa Moses velamine semper vtebatur, quum populum alloqueretur : quum autem se cõuerteret ad Deum, nuda facie erat: Sic Iudæi attendentes nudæ literæ legis, gloriam minimè vident, sed solum velamen intuentur. Qui autem accesserunt ad gratiam sancti spiritus, liberati sunt à velamine, & speculantur gloriam, qua Moses impletus est. Hoc ipsum etiam dicit beatus Paulus, Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem *2.Cor.3.d* *Ibid.m.*

dem imaginem transformamur à gloria in gloriam,tanquam à Domini ſpiritu. Sicut enim, ſpeculum nitidum inſpicientium formas repręſentat: ita corda munda Dei gloriam ſuſcipiunt. Quapropter etiam Dominus dixit, Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Et quo pacto Iudas, quum Diabolum admiſiſſet,in ſeipſo ſupplicium illius expreſsit: ita qui accedit ad gratiam diuinam, ſplendoribus inde manantibus relucet. Sic etiam qui in tenebris ſedet,tenebroſus efficitur: qui verò in ſole,lucidus. Similiter qui Deo adhæret, Dei ſimiles characteres recipit.

Mat.5.a.

70 Vndénam habuerunt ligna Set him?

Erant tabulæ denûm cubitorum: quas veriſimile eſt, ditiores ex Aegypto tranſportaſſe, quum inde egreſsi ſunt. Pretioſos autem lapides, aurum, argentum & æs ab Aegyptijs acceperunt, quum eſſent receſſuri. Nam ex mandato diuino, petijt mulier à vicina ſua, & à contubernali ſuo,vaſa argentea & aurea, ac veſtimenta: & ſpoliauerunt Aegyptios. Quapropter oblationes Deus omniû appellauit primitias, tanquam ſpoliorum præcipua.

Exod.3.g. & 11.a.

71 Quod gratia donum conſecuti ſunt ſocij Beſeleel?

Donum peritiæ ædificandi. Quædam enim eſt induſtria texendi,alia colendi agros, alia medendi. Vnaquæque tamen harum donum Dei eſt,ad vſum hominum conceſſum.

72 Quamobrem prima die primi menſis Deus iuſſit erigi tabernaculum?

Propterea quòd eodem ferè tempore Deus creaturas condidit. Cuius rei fidem facit arborum germinatio. Germinet, inquit, terra herbam virentem, ferentem ſemen ſecundum genus & ſimilitudinem ſuam:& lignum fructiferum faciens fructum, cuius ſemen in ipſo ſit, ad ſimilitudinem, iuxta genus ſuum ſuper terram. Incipiente enim vere prata florere ſolent, ſegetes ſemina concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de cauſa Deus etiam ſub idem tempus liberauit populum Iſraël à ſeruitute Aegyptiorum. Et Gabriel archangelus ſanctæ virgini Mariæ lætum nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Chriſtus Dominus ſalutarem pertulit paſsionem. Non immeritò ergo Dominus omnium prima die primi menſis tabernaculum erigere iuſsit, tum quòd totius mundi figuram referebat, tum vt populus ſe præpararet ad feſtum Paſchæ, quod primum celebrare lex præcipiebat Iudæis. Tunc quoque primum feſtum hoc erant celebraturi in deſerto. Nam ſecundus agebatur annus, ex quo vindicati erant à ſeruitute.

Gene.1.b.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS.

IN LEVITICVM.

1 QVA de cauſa Deus offerri ſibi ſacrificia præcepit?

DE his diximus multis in locis, non tantùm in his quæ contra Græcos ſcripſimus, & aduerſus hæreſes: verùm & in libro de Nuptijs: præterea in enarrationibus prophetarum, & epiſtolarum Apoſtolicarum commentarijs. Nihilominus hoc quoque loco dicam in ſumma, Deum eiuſmodi ſacrificijs prorſus non indigere: cui quidem ſententiæ non valde repugnabunt (vt arbitror) etiam hi qui parum ſapiût. Quòd autem hæc ſacrificia Deus non expetat, ipſe per multos prophetas docuit. Cæterùm quia populus,qui longa per tempora vitam in Aegypto tranſegerat, dæmonibus ſacrificare didicerat, permiſit Deus ſacrificia,vt illum ab hoc nefando dæmonum cultu vindicaret,quo quidem magnopere delectabatur, quẽadmodum teſtificantur ea quæ circa vitulum acciderunt. Hoc autem ipſum & per Ezechielem prophetam patefecit: Vidi te ſanguine tuo perfuſam vitam producere. Dicit itaque:vbi animaduerti te ſummam capere voluptatem de ſanguine ſacrificiorum, permiſi hoc te frui deſiderio. Præterea hoc præcepto aliud quoque ſalutare medicamentum comparauit illis. Nam ea ſibi ſacrificari iuſsit,quæ pro Deo coluntur ab Aegyptijs: nempe de numero quadrupedum vitulum, capram, & ouem: E volatilibus autem, turturem, & pullos columbarum. Atqui non ignoramus alia fuiſſe permulta (animalia) quæ pro Dijs habebãt Aegyptij, verùm ex his manſuetiora ſacrificijs Deus addixit: reliqua verò appellauit immunda: vti hæc quidem execrati tanquam impura, ne pro Dijs colerent: illa verò

Ezec.16.a.

verò vt ſacrificijs deſtinata ne deos putarent, ſed eum ſolum adorarent, cui conuenit iſthæc offerri. Quia verò nonnulli locupletes erant,alij verò inopes: illis quidem vitulũ vel agnum aut capram offerre præcepit,his verò par turturum,aut duos pullos columbarũ: pauperrimis autem ſimilam exiguam oleo perfuſam. Temperatam enim pro cuiuſque facultatibus condit legem.Et horum quędam appellauit dona, nempe quæ pio quodam erga Deum animo, & non ex neceſsitate legis offerrentur. nonnulla verò ſacrificia ſalutaria: quod quidem nomen indicat ab ægritudine vel alijs quibuſdam moleſtijs liberationem. Porrò offerebantur ſacrificia pro peccato,pro delicto,ac pro ignoratione. Peccatum autem, cuiuſdam legis tranſgreſsionem ſpontaneam ſignificat: delictum, iniquitatem ex aliqua circunſtantia contingentem.Poteſt enim ita cadere,vt quiſpiam præter opinionem accedat ad leproſum vel mortuum, aut ſeminifluum. Ignoratio verò manifeſtam continet interpretationẽ:quia non omnes ſciunt leges.Nam animi vitia natura docebat:quę verò ſolis Iudæis conueniebant, opus habebãt præceptore. At verò quid ſignificent exiguæ quædam particulæ (ſacrificiorum) veluti inteſtinum ventris,renes, & adiacens illis adeps, atq; fibra hepatis,diximus. Cęterùm ſacrificiũ quod offerri ſolebat pro peccato, ſine thure & oleo offerebatur. Carent enim alimento lucis, qui ſedent in tenebris peccati:& qui lugere debent,expertes ſunt lætitię. Siquidem ex prophetæ ſententia, oleum exhilarat faciem. Neque prædíti ſunt odore bono, qui nequitiæ fœtorem minimè reliquerunt. Cùm autem lex contineret vmbram futurorum, & non ipſam imaginem rerum ſecundum opinionem diuini Apoſtoli, qui etiam dixit eos, qui viuebant ſub lege, tanquam exemplari & vmbræ cæleſtium deſeruire,nihil abs re me facturum arbitror, ſi dixero eos,qui ſe Deo offerunt, illarũ varij generis hoſtiarum irrationaliũ eſſe ſimiles. Nam qui vitam poſſeſsionibus omnibus & curis vacuam amplectuntur, ſe totos cõſecrant Deo omnium, & ſeipſos exhibent in holocauſtum & hoſtiam,nihil huic vitæ reliquum facientes,ſed omnia referentes ad vitam æternam. Qui verò ſunt his inferiores, quædam diſtribuunt altari, nonnulla ſacerdotibus, reliqua ad corporis vſum concedunt. Quidam itaq; ouium manſuetudinem offerunt: alij vitulorum facilè parentium more, toto complexu ferũt ſuaue iugum Domini:alij capras imitati,quod ex vſu quotidiano ſuperfluit, veluti quoddam lac, indigentibus largiuntur, iuxta ſtatutum Apoſtolicum, quo dicitur: Vt copia veſtra illorum inopiam ſuppleat. Nonnulli continentiam turturũ adferunt,& perinde fugiunt ſecundarum nuptiarum copulam. Alij pullorum columbinorum inſtar clementia atq; ſimplicitate exornant animum. Atqui columbas iam adultas mactari minimè conſtituit, propterea quòd eiuſmodi animal ſit ad coeundum calidiſsimum: ſed harum pullos adhuc ſimplices & innoxios,qui copulam necdum ſenſerunt. Et quemadmodum patriarcha volatilia non diuiſit, ita nec legiſlator ea iubet diuidi. Nam qui volant, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum,collocantes illum tum in terrenis,tum in cæleſtibus,ſed totum ſurſum ferunt. Hoc itaq; modo ſacrificia ſi intelligamus,legem reperiemus infirmitati Iudęorum valde congruam,talemq; legum ſanctionem Euangelicę perfectioni non inutilem. Hæc autem ita intelligenda eſſe diuinus Paulus nos edocuit,qui citata lege de bobus, ſubiunxit: Nunquid ſcriptum eſt quòd qui arat, in ſpe debet arare: & qui triturat,in ſpe fructum percipiendi? Quod igitur in lege ſenſibile eſt atque ſuperficiarium,quadrat Iudæis: quod autem eſt ſpiritale, conuenit ijs qui viuendi rationem Euangelicam ſunt amplexi. Neque debemus ignorare (animalia) ea quæ cedebant in holocauſtum, maſcula fuiſſe. Virilis enim ſexus propria eſt perfectio: quæ verò pro peccato mactabantur, erant fœminea. Quòd ſi quæ in nobis eſt princeps animi facultas,debilitata fuerit,imperant affectiones. Hoc quoque notandum eſt, quòd pro peccato non offerebantur agni,ſed capri:quod in ſacris Euangelijs indicat dominus Chriſtus, qui iuſtos quidem agnis aſsimilat, hœdis autem peccatores. Offerebantur etiam è volatilibus holocauſtomata: vnde poſſunt etiam inopes integram atque philoſophicam agere vitam. Et ſicuti nec pellis nec fimus quadrupedũ offerebantur Deo,ſic etiam volatilium ventriculus & pennæ, procul ab ambitu altaris mittebantur. Nec tamen hæc temere proijciebantur, ſed mittebantur in quendam locum mundum, in quẽ & cineres altaris reponi ſolebant. προβόλων autem, id eſt, ventriculum Theodotion appellauit πρὸ φύσεως, id eſt, folliculum. Aquila verò interpretatus eſt πρὸ στιλίσεως, hoc eſt, alimentariam partem, quæ quidem cibum recipit, & reliquis partibus corporis ſuppeditat: vnde factum eſt vt ſeptuaginta προβόλων ipſam vocitauerint, ἃ πε δὴ προσλαμβάνουσα πρὸ φορᾶς: nempe quæ cibum aſſumat. Sed notandum eſt ſimilam illam offerri ſolitã, itidem & panes in clibano coctos, & in ſartagine frixa lagana nominauit ſacrificium, vt demulceret inopes, ne ferrent iniquo animo quòd animalibus carerent. Nec minus hoc eſt annotãdum, quòd eum, qui offert animal, hominem vocat. Homo (inquit) ex vobis qui obtulerit donum Domino, ex armentis bobus aut ouibus offeret illi. Illum autem qui ſimilam adfert, vocat animam. Si enim anima (inquit) offerat donum ſacrificij Domino, ſimila erit donum eius. Rationalis enim offert irrationale, & inanimatum anima. Prohibet autem offerri panes fermentatos: dixi quam ob cauſam: nihil enim habere conuenit quod Aegyptiacam conuerſationem ſapiat. Prohibet quoque offerri mel ad altare, eò quòd apis (vt quidam ferunt) in locis impuris ſedeat, & vndecunque conficiendi mellis occaſiones coaceruet. Nonnulli verò dixerunt inde nos inſtrui, ex proprijs laboribus perſoluenda eſſe ſacrificia, ex conſilio Salomonis, quo dicitur: honora Dominum ex iuſtis

1.Cor.9.b.

Pſal.103.b.

2.Cor.8.c.

,, iustis laboribus, & præbe primitias illi de
,, fructibus iustitiæ. At fructus apis à labore no-
,, stro non procedit. Quæ quidem verba nihil
accuratum continent. Siquidem mellis confectio non caret hominis industria. Quidam enim excolendæ terræ dant operam, nonnulli curant oues, alij mercaturæ student, alij verò melli conficiendo incumbunt. Quamobrem sub nomine fermenti vetustatem nequitię subobscurè significari puto: apis autem nomine voluptatem prohiberi. Iubet tamẽ eorum primitias offerre sacerdotibus, quoniam hi sunt qui pro peccatis nostris preces offerunt: vnde per
Oze.4.b.,, prophetã de ipsis ait: Peccata populi mei comedunt. Mandat etiam sacrificia sale conspergi, per hoc animæ dijudicandi facultatem innuens: quo quidem sale carebat sacrificium Cain:
,, propterea audiuit ab vniuersorum Deo: Ne-
,, quaquam rectè obtuleris, neque rectè diuiseris. Diuinus etiam Apostolus statuit inquiens: Ser-
Colo.4.b.,, mo vester semper sale sit conditus. Necnon A-
,, postolis Dominus dixit: Vos estis sal terræ. ꝙ si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Præcipit autem offerre quascunq; victimas quæ noxa notaque carent, licet sint multiplices, & sub varijs formis offerantur: ex quibus docet in omni vitæ genere vitio carere oportere. Nempe illos qui virginitatem amplexi sunt, secundum leges virginitatis conuersari debere: qui verò iugum nuptiarum elegerint, propter mutuam societatem illarum coniugationem non maculare, qui vitam asceticam prætulerint, regulam integritatis obseruare: Et vt in summa dicam, tam diuites quàm inopes, tam seruos quàm potentes in suis quosque ordinibus incorruptam atque irreprehensibilem vitæ rationem tenere. Verùm ex ijs quæ mactabantur (demptis holocaustis) partes nonnullæ offerebantur ad altare, reliquę verò carnium portiones in vsum offerentium distribuebantur. Holocaustis tamen imponebantur ea quæ particulatim offerebantur, veluti renes, adeps, ac hepatis fibra. è quibusdam autem sacrificijs etiam lumbus, aut (ex aliorum interpretum sententia) cauda. Qui enim sumus imperfectiores, integerrimis & omni virtute præditis vtimur intercessoribus, quorum opera preces nostras offerimus. Qui verò victimam offerebat, imponebat super caput eius manus, tanquam suas ipsius operationes (per manus enim denotantur actiones) pro quibus equidem hostiam offerebat. Præcipit autem à sanguine & adipe abstinere, sed ea sibi offerri, eò quòd ille vitæ causa sit, illa verò virtutem innuat, amboque
Leui.4.a. Deo dedicare sit iustissimum. Porrò iubet sacerdotem qui in legem aliquam commiserit, vitulum immaculatum sacrificare, offerreque ad altare ea quæ prædiximus: carnes autẽ cum simo & pelle extra septa cremare: quod quidem indicat peccatum à sacris cancellis esse longè alienum. Quòd si populus vniuersus tale crimen admiserit, similem hostiam offerri statuit, docens quanta sit sacerdotij dignitas, quam vniuerso populo parem fecit. Principem autem qui prætergressus fuerit legem aliquam, nõ vitulum, sed hircum aut caprum anniculum offerre iubet. Tam procul abest à sacerdotali dignitate is, cui corporeum imperium commissum est. Sin autem qui peccauit, nec sacerdos sit nec princeps, capram mactare iubetur. principis enim oblatio masculus est, subditi verò fœmina: vt in superioribus diximus. At illum qui aliquod immundum ex his quæ prohibita sunt tetigerit, aut quempiam iurantem cùm audijsset, eum iusiurandum fallentem non coarguerit, aut cum iureiurando adhibito se quidpiam facturum aut oblaturum Deo promisisset, re non præstitisset quod verbo pollicitus erat, illum inquam in primis peccatum redimere iubet, tum ouem aut capram offerre, atque ita Deum sibi propitium reddere. Quòd si fuerit pauper, præcipit offerre par turturum, aut duos pullos columbarum: si verò his careat, exiguam similam sine oleo & thure adferre. Oleum enim lætitiam indicat, thus autem suauem odorem: quorum vtroque priuatur peccatum. Itaque commodissimè coniunxit eum qui tangit immundum, cum eo qui celat iusiurandum fallentem. Sicut enim qui purus est, si tangat quidpiam immundum, polluitur: ita peccati peierantis est particeps, qui non corripit illius mendacium. Atqui conuenit admirari bonitatem domini, qui promittentem se quidpiam oblaturum, promissionemq; iureiurando firmantem, non vt ingratum nec tanquam peieratorem plectit, sed illum sanat modica mulcta.

2 Quid est hoc, Anima quæ per obliuionem erra- Leuit.5.b.
uerit inuita circa ea quæ sanctificata sunt Domino?

Sepenumero contingebat quempiam negligentia lapsum opportuno tempore non offerre quæ Deo sunt consecrata, veluti primogenita, primitias, promissa. hunc ergo qui tam negligenter deliquerit, grauiùs punit. Primum enim iubet illum exoluere quod Deo debetur, addita iusti pretij quinta parte: tum pro delicto arietem in sacrificium offerre quinquaginta siclos valentem, & ita peccati remissionem consequi. Hæc itaque & horum similia cùm statuisset de ijs qui peccant inuiti, præcipit eos qui sponte peccauerint, aut depositum acceptum denegauerint, aut iniquitate quadam vtentes periurio peccatum atrocius reddiderint, in primis restituere his qui passi sunt iniuriam, quæ iniquè abstulerunt, & præter sortem quintam eius partem: & sic posteaquam arietem obtulerint, Deum sibi propitium reddere. Quod quidem beatus Zachæus præstitit. Reddidit enim quæ rapuerat iniquè, quadrupla: deinde bonorum suorum dimidium distribuit pauperibus.

3 Quare victimam quæ pro sacerdote offertur, pror- Leuit.4.
sus cremari præcepit?

Vt integritatem sacerdotis demonstraret, qui non aliquatenus, sed totum planè se dedicauerit Deo vniuersorum.

4 Quamobrem in holocaustorum loco victimas quo- Leuit.6.d.
que sacrificabant, quæ pro peccato solent offerri?

Ad

Ad demulcendos oblatores, vt cognoscant se non esse alienos à sanctis cùm per pœnitentiam sanantur: ob idque vocauit sancta Sanctorum.

Leuit.6. *5 Quidnam illud est, Qui tetigerit carnes illas, sanctificabitur?*

Reuerentiam illos docet, ac iubet assistere rebus diuinis cum timore, & procul à sacris stare. Hunc autem qui ausus appropinquare guttas sanguinis receperit, præcipit in templo sedere, quasi sui Dominus amplius non sit: assidere inquam, non vt sacra faciat, sed vt aliquo alio munere fungatur. Propterea vestimenta quæ guttis huiusmodi sanguinis respersa fuerint, lauari iubentur: vasa verò si fuerint ænea, fricari diligenter: sin fictilia, conteri.

Leuit.7.b *6 Cur prohibet edere sacra seruata in tertium diem, pœnamque infligit transgredienti legem, asserens irritum esse sacrificium illud?*

Vult eos non solos epulari, sed etiam egenis de carnibus elargiri: idcirco prima quidem & secunda die de carnibus illis sumere iubet: & quæ supersunt, igni mandari: vt necessitate compulsi, pauperes conuiuij sui socios habeant.

Leuit.7.c *7 Quæ de causa prohibet eum qui tetigerit semini-*
fluum, leprosum, morticinium, aut aliquid aliud im-
mundum, vesci carnibus hostiæ?

Per hæc leuia grauiores curat affectiones: Si enim ex lege naturalia polluunt, quanto magis ea quæ procedunt à voluntate dicentur esse proprièe contra legem facta? & hanc dicendi rationem tenere testificantur subsequentia. Nam cùm præcepisset adipem omnẽ offerri ad altare, adipem cadauerum & aliorum animalium à bestijs captorum segregauit in vsum hominum. Erat igitur immundus ille, qui talem adipem attigerat, quamobrem clarum est inde de alijs per alia legem condere.

Leuit.8.c *8 Ad quid dexteram sacerdotis aurem, at dex-*
tram manum similiter & pedem vngebat sanguine &
oleo?

Hæc bonorum nostrorum typum gerebant: nempe sanguis typum sanguinis salutaris, oleum autem typum sacrosancti chrismatis. Auris dextera, probatæ obedientiæ signum erat: at verò manus & pes, probarum operationum figuram præ se ferebant. Hac itaque de causa tum dextera manus tum pes dexter vngebantur. siquidem sunt & sinistræ actiones, & obedientia damnosa.

Leuit.10.a *9 Quomodo intelligi debet, Ignis alienus?*

Historianos docuit dum primò sacrificium celebraretur, igne diuino victimas absumi, quem quidem ignem inextinctum Dominus Deus præceperat conseruari, & illi noctu diuq; suppeditari ligna, ne manufactus ignis admisceretur igni diuino. Posteaquam ergo Nadab & Abiud filij Aaron igne manufacto illato legem hanc transgressi sunt, ignis diuinus consumpsit eos. Ex quibus docemur non debere nos extinguere spiritum, sed accendere gratiam quam accepimus, extraneumque nihil ad sacram scripturam inuehere, contentosque doctrina Sancti Spiritus, abominari hæreses, quarum fautores nonnulli verbis diuinis fabulas addiderũt, alij suas commentationes impias sententiæ scripturæ prætulerunt.

10 Quare sacerdotibus interdixit vino? Leuit.10.b

Non prorsus interdixit illis, sed eo solùm tempore dum ministrant. per vices enim fungebantur munere: nonnulli quidem certis diebus, alij verò aliis diebus. Atqui sacerdotem Apostolus sobrium esse præcipit, & diaconos non multo vino deditos. Et scribens ad Timotheum, iubet vti modico vino propter crebras infirmitates. Nam integer esse debet sacerdos, tanquam is cui creditum sit supplicandi munus pro populo. Igitur legislator Moyses statim vt vidit caprum concrematum esse extra templum Dei, succensuit ipsis Eleazar & Ithamar, his verbis: Cur non comedistis hostias pro
,, Ibidem.d. peccato in loco sancto, quæ Sancta Sanctorum
,, est? Nónne Dominus hoc vobis dedit ad edendum, vt auferatis peccatum cœtus, & pro eo
,, rogetis in conspectu Domini? Hinc rursum
,, docemur, nos qui edimus ea quæ offeruntur à populo, & non secundum legem viuimus, nec pro illis citra formidinem Domino supplicamus, supplicium esse laturos à Deo, quod obscurè significans Dominus Deus ait: Peccata populi mei comedunt.

11 Quid sibi vult, diuidens vngulam, & rumi- Leuit.11.
nans?

Arbitror vngulæ diuisionem significare bonarum actionum & contrariarum discretionem: præterea viuendum esse non tantum præsenti vitæ, sed etiam futurę. Et illi quidem distribuenda quæ sunt necessaria: huic autem omnia, animam & corpus, & quæ spectant ad illud. Ruminans autem, diuinorum eloquiorum innuit meditationem. Quemadmodum enim ouis & similia animalia assiduè cibum ruminant, sic impiger, & qui Deum diligit, ad Deum
,, Psal.118. vniuersorum vocem extollit. Quomodo di-
,, lexi legem tuam domine? tota die meditatio
,, mea est. Itaque sicut inter animalia, quædam & vngulas diuisas habent & cibum repetunt: quædam neutrum habent, velut asinus, mulus, equus, & ipsæ feræ bestiæ: alia bisulca quidem sunt & ruminant veluti bos: nonnulla non ruminant quidem, sed diuidunt vngulam, vt camelus & lepus: sic & inter homines quosdam reperire licet perfectos, qui diuinorum eloquiorum meditationem vnicè complectuntur, & quæ spectant ad virtutem, curant diligenter: quosdam autem imperfectos, qui diuina quidẽ eloquia voce tenus pronunciant, sed (Cameli more) vngulã diuidere nequeunt. Nonnullos qui pietatem ac religionẽ nondum gustauerũt, nec amplectũtur eloquia diuina, bonorum tamen operum sunt studiosi. Alios denique tum fidei tum operationis bonæ sint prorsus expertes. Porro animalium aquatilium illa vo-

citat munda, quæ ſquammis & pinnis prædita ſunt, & hæc aquis ſupernatant, quæ verò non ſunt eiuſmodi, deorſum & humi volutantur. Mundi ſunt igitur, qui animum ad terrena non appellunt, ſed pennis fidei præditi, ornamento virtutis ambiuntur. Quod enim in piſcibus eſt ſquamma, hoc apud homines eſt fides, his nos circuntegit beatus Paulus, pennas gratiæ & arma ſpiritus appellans. De volucribus autem illas aſſerit eſſe immundas, quæ ſunt rapaces, quæque cadaueribus paſcuntur, & gaudent tenebris: erudiens nos, vt abſtineamus ab auaritia, putidunque peccati fomentum abhorentes, tenebras odio proſequamur. Quòd autem
Actor.10.b hæc non præter rem ſic intellexerimus, Actorum teſtificatur hiſtoria. Vidit enim (inquit) magnus ille Petrus ſindonem quatuor initijs demiſſam, in qua erant omnia quadrupedia terræ & volatilia: audiuitque vocem dicentem: Surge Petre occide, & manduca. Deinde cùm ille dixiſſet: Nequaquam Domine, quia nihil vnquam comedi quod eſſet cómune aut immundum: ait Dominus Deus: Quæ Deus purificauit ne communia dixeris. At hæc dicta eſſe gratia Cornelij, qui cùm eſſet gentilis, ſaluari cupiebat, ſubſequentia demonſtrant. Dominus quoque dixit Apoſtolis: Multi venient ad vos in veſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces. Et Iudeis: Genimina viperarum. Et Apo
Philip.3.a
Actor.20.e ſtolus: Videte canes. Presbyteris etiam Epheſiorum: Scio quòd poſt diſceſſum meum ingre-
Hierem.5.c dientur ad vos lupi rapaces. Necnon prophetæ quoſdam equos depereuntes equas nominant: alios verò ſerpentes, & pullos aſpidum volantium. Rurſum Dominus: Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Item: Vbi cadauer ibi congregabuntur & aquilæ. Quapropter conſonat interpretatio (noſtra) ſententiæ ſcripturæ diuinæ: talemque nos ex his coniecturam capimus. Et ex iiſdem aliud vtilitatis genus allatum eſt Iudæis: Atqui dum animalia terrena volatilia atque aquatilia bifariam partitus eſt, munda quædam & altera nominans immunda, ſuadet nobis ne quicquam horum eſſe Deum putemus. Quo enim modo quis ſanæ mentis Deum nuncuparit id, quod aut tanquam immundum ſummo cum odio auerſatur, aut quod vero Deo oblatum tandem ipſe comedit?

Leuit.11.e.f. *12 Quare ſi quidpiam immundum ecciderit in vas teſtaceum, iubet illud conteri, ſin ciderit in vas aneum aut ligneum, aut ſuper ſaccum aut veſtem, ea præcipit aqua lauari?*

Hinc etiam conſtat natura nihil eſſe immundum, ſed certam ob cauſam immunda quædam, & alia munda dixiſſe. Quòd ſi natura quædam eſſent impura, tam ænea, quàm lignea vaſa conteri conueniret. At quoniam alia de cauſa ipſa vocauit immunda: quæ ſunt magis pretioſa, lauari præcipit, viliora verò conteri. Hac quidem ratione legem immunditiæ confirmans, patefacta nihilominus legis intentione. Eam ob rem etiam clibanos & ollas pedatas deſtrui iubet, ſi quod ex huiuſmodi animalibus immundis in ea lapſum fuerit. Necnon aquam quę in vaſis eſt, immundam aſſerit ſi cadauer aliquod in ea deciderit: aquam verò fontis aut lacuſtrem non item. talibus enim leuia ſupplicia præſcribit. Diſcimus itaque quantũ malum ſit peccatum, cùm veram pollutionem conteri mandet.

13 Quamobrem ſi ſuper ſementem ſine aqua ecciderit cadauer, non polluit ſementem: ſi verò cum aqua, declarat eam immundam? Leuit.11.f

Quoniam liquefactus cruor promptiùs inuadit ſementem. Varijs autem modis animalia dicit immunda, quæ ſuper ventrem volutantur: è quorum numero ſerpens eſt author mali, & miniſter Diaboli.

14 Cur eam quæ marem peperit, quadraginta dies Leuit.12. *imputam eſſe dixit, quæ verò peperit fœminam, bis totidem?*

Diſcutiendus eſt legis ſcopus. Nam frequenter alia pro alijs docet: quod & hoc loco facile eſt perſpicere. Si enim quæ peperit, eſt immunda: vtique etiam illa quæ eſt grauida, impura eſt. Arbitror igitur legem iubere illam requieſcere, vt quæ mirum in modum laborauerit, & acerbos dolores pertulerit. Quòd ſi lex hiſce verbis ſimplicibus fuiſſet concepta, nunquam à Venere continuiſſent viri. vbi verò mulierem immundam eſſe didicerunt, communicationem vitabant, ne fierent impuritatis participes. Lex igitur impuritatis verbo appetitionem ipſam extinguit. Diſcrimen autem illud dierũ quidam ſic interpretati ſunt, nempe grauiùs laborare mulieres dum fœminam pariunt, propterea legem duplicatum tempus illis indulſiſſe.

15 Quid ſibi vult lex lata de lepra? Leuit.13.

Per affectiones corporeas indicat morbos animæ: & per ea quæ non ſponte committuntur, arguit ſpontanea. Si enim naturalia quodammodo videntur eſſe impura, quanto magis ea quæ manant à voluntate? Porrò varias lepræ ſpecies ediſſerit, quia ſunt etiam multa peccatorum diſcrimina: Et ſicuti lepræ quædam eſt origo, ita & peccati. Quemadmodum itaque ſacerdos lepram diſcernit, ita peccatorum animæ iudicem ipſum ipſe opportet. Lepram autem appellat illam varietatem coloris: ſic anima quæ vitio fit proxima, lepram ipſam producit.

16 Cur prorſus leproſum appellat mundum? Leuit.13.b.

Hæc quoque lex plena eſt humanitatis. Sicut enim aſſeruit eſſe vas impurum, in quod cadauer cecidiſſet, non ita ſi lapſum eſſet in fontem aut lacum: ſic illũ qui vario colore reſperſus, ab alijs quidem ſeparat, vtpote qui ſpem purificationis habeat. qui verò penitus albus eſt, hunc cum cæteris conuerſari iubet, ne per totam vitam ab alijs hominibus ſegregatus degat. Et hoc continet figuram rerum ſpiritaliũ. Siquidem lex diuina ne edere quidem permittit cum fidelibus peccãtibus: cum infidelibus autem ad conuiuium inuitantibus manducare non prohibet. Sic itaq; diuinus Apoſtolus ait:

Si quis

,, Si quis infidelium vocat vos, & vultis ire, omne quod vobis appoſitum fuerit edite, nihil
,, diſcernentes, Et quæ ſequuntur. De fidelibus
,, autem peccantibus inquit ita: Si quiſpiam qui
,, frater nominatur, fuerit fornicator, hactenus
,, cum eiuſmodi non edere. Et iterum: ſubducite vos ab omni fratre inordinatè ambulante.
Talis igitur ei ſimilis eſt, qui aliquatenus eſt leproſus: infidelis autem ei qui colorem omnem naturalem perdidit. Atqui cum talibus & colloquimur & conuerſamur: cum illis verò nequaquam. Cuius rei teſtis eſt diuinus Apoſtolus: Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri: Si is qui frater nominatur inter vos, ſit
,, fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut
,, maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum e-
,, iuſmodi nec cibum ſumere. Mundum nihilominus eum dixit, qui totus euaſit albus: non quòd ſano ſit corpore, ſed quòd ſecundum legem inquinare non poſſit accedentem ad ſe.

Leuit.13.f *17 Quare leproſum eſſe iubet aperte capite?*

Vt notus ſit, & ne fiant impuritatis participes qui accedunt ad illum. ita de peccantibus Apoſtolus inquit: Subducite vos ab omni fratre
,, inordinatè ambulante, & non ſecundum tradi-
,, tionem quam acceptiſtis à nobis. Et ſi quis fra-
,, ter nominatur, &c. hactenus cum huiuſmodi
,, non edere.

Leuit.13.f.g. *18 Quo pacto veſtimentis ineſſe lepra poterat?*

Complures illis Deus prębuit inſtructiones: Mox & de leproſis domeſticis ſic ait: Quando-
,, cunque intrabitis in terram Chananæorum
,, quam ego do vobis, dabo etiam tactum lepræ
,, in domibus terræ quam poſſeſſuri eſtis, &c. Ex his autem docet plagas eſſe à Deo miſſas interdum in veſtimenta, interdum in domos immiſſas: quæ quidem inenarrabilem Dei beneuolentiam demonſtrant. Dum enim peccarent homines, veſtimentis aut domicilijs plagas infligebat, hocque pacto ſanitatem conferebat poſſeſſoribus illorum. Cæterùm domui leproſæ ſimilis eſt domus Iſraël: de qua qui peccauerant, tanquam infecti lepra lapides ſublati ſunt, quandoque per Aſſyrios, aliquando per Babylonios, interdum Macedonum opera. Et quia adhærenti lepra laborabant, illorum domum dirui funditus iuſſit legislator. Impuri ſunt ergo qui introeunt in cœtus illorum, quaſi leproſam in domum ingrediantur.

Leuit.14. *19 Quid ſignificant duo paſſeres, qui in purificatione leproſi offeruntur?*

Salutaris paſſionis typum continent. Nam quemadmodum ex paſſeribus illis alter mactabatur, alter ſanguine mactati tinctus ſoluebatur: ita dominus Chriſtus pro humanitate lepra inquinata crucifixus eſt, carne quidem perferente mortem, diuinitate verò paſſionem humanitatis ſibi accommodante. Iam verò ſicut leproſus demonſtratur ſplendidus & purus vbi circunſperſus fuerit ſanguine paſſeris immolati mixto aqua pura cum ligno cedrino, hyſſopo & cocco retorto: ita qui credit Chriſto ſaluatori, ſacroſancti baptiſmatis aqua luſtratus, peccatorum maculis abſtergitur. Porrò lignum cedrinum quod corruptioni minimè eſt obnoxium, repræſentat diuinitatem paſſionis expertem: coccinum verò retortum, humanitatem ex anima & corpore conſtantem: hyſſopus autem calorem & ſuauem odorem Sancti Spiritus. Per hæc qui baptizantur, ab animæ lepra liberantur. Hemina verò olei ſignificat vnguentum ſpiritale: Oleumque quo inunguntur auris dextera, manus & pes dexter, innuit auditum quidem dedicatum eſſe dextris ſermonibus, manum autem & pedem dextris operationibus. Oleum verò immiſſum capiti, conſecrationem mentis indicat. At qui leproſus perdurat, expellitur ab Eccleſia.

20 Quamobrem ſeminiſluum dicit immundum? Leuit.15

Iam dixi, nimirum per naturalia nos inſtruere de vitijs animi, & ex illis nos docere, hæc quàm ſint atrocia. Nam ſi fluxus naturalis impurus eſt, quanto magis aduerſatur legi laſciuia? Docet quoque talium eſſe vitanda ſacrificia. Dixit enim immundum eſſe, qui patientem fluxum ſeminis attigerit. Quia nullis ex his quæ naturaliter eueniunt, reuera immundum eſſe lex oſtendit illis. Siquidem vbi ſeminiſluus fictile vas tetigerit, illud conteri iubet: ſin æneum aut ligneum, aqua defricari. Atqui ſi verè immundus erat qui ſic erat affectus, oportebat etiam hæc vnà cum fictilibus conteri. Sic etiam qui inciderit in ſomnium, impurum eſſe ait, ſimiliter eos qui lege nuptiarum ſe contingunt, cùm tamen ipſe de nuptijs le-
,,Gen.2.d gem tulerit. Propter hoc, inquit, relinquet ho-
mo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: ,,
& erunt duo in carnem vnam. Quo igitur mo- ,,
do eum aſſerit impurum, qui ſecundum legem permiſcetur? Sed conſtat quòd eum qui ſecundum legem miſcetur, modeſtiam docet, & quòd liberorum procreandorum cauſa, nó voluptatis gratia, huiuſmodi contactus fiat. hanc ob rem eos, qui permiſcentur, impuros appellat, & purgari præcipit, vt aſſiduitatem congrediendi cohibeat purificandi ſui pigritia. Diuinus autem Apoſtolus ſcribens ad perfectos ait: honorabile connubium & torus immacula- ,,
tus, fornicatores autem & adulteros iudica- ,,
bit Deus. ,,

21 Qua de cauſa dicit eam eſſe immundam, quæſan- Leui.15.e *guinis ſuperfluitatem naturaliter excernit?*

Quæ diximus de ſeminiſluo, eadem de eiuſmodi muliere dicenda ſunt: ad hæc ne quis cũ talibus commiſceatur. Ferunt enim quidam ex eo contactu gigni tabem & lepram, hac ſuperfluitate depaſcente bene formatã corpora, propterea dicit illum immundum, qui talem mulierem attigerit. Atqui breuibus harum legum cauſas patefecit, dum ait: Docebitis ergo fi- ,,Leuit.15.
lios Iſraël, vt caueant immunditias, & non mo- ,,
riantur in ſordibus ſuis, cùm polluerint taber- ,,
naculum meũ quod eſt inter eos. Quòd ſi quæ ,,
non ſponte committuntur, aſſerit polluere, quanto magis deteſtanda ſunt voluntaria? Et hæc quidẽ valde congruebant illis, vtpote maximè

ximè lasciuis, & propemodum (hanc ob rem) decertantibus. Itaque quòd leue est dum prætermittitur, si obseruetur, paratiores efficit ad potiora.

Leui 16.a 22 *Quando summus sacerdos ingrediebatur in Sancta Sanctorum?*

Propitiationis die: quã celebrari statuit Deus decima die septimi mensis: Loquere ad Aaron fratrem tuum ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur: quia in nube apparebo super propitiatorium. Constat ex hoc loco quòd Deus peculiarem sui præsentiam exhibebat in propitiatorio, suamq; bonitatem demõstrabat non in caligine, fumo & igne sicuti populo Israël, sed in nube perlucida conspiciebatur. Docuit quoque ritum sacrificiorum quibus vteretur pontifex ingressurus adyta. Iussit enim vitulum sacrificare pro peccato & arietem in holocaustum: & hæc quidem pro se offerre, pro vniuerso autem populo duos hircos pro peccato sumere, & arietem vnum in holocaustum: præcepitque hircos sorte distingui: & vnum quidem sacrificari, alterum autem in solitudinem mitti. Quod quidam non rectè intelligentes, emissarium illum esse dæmonem quendam arbitrati sunt, quia dixit, Vnum domino, & vnum emissario. Sed hoc præ nimia stoliditate putauerunt. Qui Exod.20.a enim fieri posset, eum qui dixit: Non erunt tibi alij Dij præter me, & non adorabis, neque seruies alteri Deo præter me: Dæmoni cuidam parem indulgere victimam? Atqui conueniebat illos cognoscere sensum, nempe Deum hircum etiam illum qui soluitur, offerri sibi iussisse. Statuet (inquit) hircum viuum coram domino, vt fundat preces super eum, & emittat illum in solitudinem. Hoc autem satis innuit, quòd hircus ipse dictus sit emissarius, tanquam qui emittatur in desertum. nec non illud ipsum denotant quæ sequuntur: Et assumet hircus super se iniquitates ipsorum in desertum. Verùm Symmachus τὸν ἐξαπομπαῖον de hirco abeunte, & qui emittitur in desertum intepretatur: Aquila autem de hirco qui soluitur in solitudinem. Non igitur Deo cuipiam aut dæmoni mittebatur, sed ambo quidem offerebantur Deo, sed vnus mactabatur, alter autem assumptis peccatis populi in solitudinem emittebatur. Quemadmodum enim in purificatione leprosi, vno passere mactato alter illius sanguine tinctus liberabatur: ita duobus hircis oblatis pro peccatis populi, vnus sacrificabatur, alter emittebatur. Hæc nihilominus typum gerunt Christi domini, dum tamen hæc duo animalia non pro duabus personis accipiantur, sed pro duabus naturis. Cùm enim per vnum hircum adumbrari commodè non posset tam mortalitas quàm immortalitas Christi domini (nam hircus mortalis est solùm) necessariò duo mandati sunt, vt ille qui mactabatur, carnis passibilem naturam præfiguraret: qui verò soluebatur, diuinitatis indicaret naturam impassibilem. In hunc quoque modum beatus Dauid prædicens Christi domini passionem, resurrectionem, & ad cælos ascensionem, ait: Psal.67.b Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, dum transires per desertum, terra commota est: etenim cæli distillauerunt. Atqui dum Christus crucifigeretur, nouimus terram esse commotam, & petras confractas. Cælum autem per solis obtenebrationem declarauit impietatis excessum. Desertum verò mortis erat figura. ob id enim dixit, dum transires per desertum. Porrò nemo existimet ineptum, hircos præfigurare passionem Christi, cùm ipsum Ioannes appellauerit agnum, sed perpẽdat potiùs quòd non pro iustis tantùm, sed etiam pro peccatoribus seipsum obtulerit. Ipse itaque Dominus comparauit hœdis cœtum peccatorum. Statuet enim (ait) agnos à dextris, hœdos autem à sinistris. Et in lege pro peccato offerebatur hœdus. Necnon ipse dominus æneum serpentem sui ipsius esse figuram dixit. Sicut enim Moyses ,,Ioan.3.d (ait) exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quamobrem si non quadrat hircorum figura, multo minus figura serpentis. Hæc ergo prænunciant terræ salutem: introductio verò hirci peccatum abducentis in desertum, Iudæis erat gratissima: quia reducebat illis in mentem scelus in deserto sæpius admissum, & inenarrabilem domini beneuolentiam: per quam iustis supplicijs euitatis in terram promissam ingressi sunt. Hæc ita fieri mandauit. Instruit præterea quà pontificem ingredi conueniat in Sancta Sanctorum. Adducet enim (inquit) Aaron vitulũ pro peccato suo: accipietq; thuribulum plenum prunis ignis ab altari quod est in conspectu Domini, & implebit manus thymiamate subtiliter compositi. Et intrabit intra velum: & thymiamate super ignem posito in conspectu Domini, vapor thymiamatis operiet oraculũ quod est supra propitiatorium: & nõ morietur. Ex hoc loco manifestum est non oportere extra velum mittere thymiama. Quod quidem nos etiam docuit beatus Lucas, enarrans quæ gesta sunt tempore Zachariæ patris Ioannis baptistę: Illo enim tempore ingressus fuerat ille Sancta Sanctorũ, & Angelorũ visione fruebatur. Adhęc mandauit sanguine vituli & hirci aspergere digito è regione oraculi septies: Et quia septem diebus vita concluditur, & quotidie (vt verbo dicam) modicũ aut grauiter delinquimus, pro peccatis illis diebus commissis, sanguinis aspersio numero par offerebatur: Statuitque non eos tantùm, sed etiam tabernaculum expiari. Expiabit enim (inquit) Sancta ab immunditijs filiorum Israël, ab præuaricationibus eorum, & cunctis peccatis ipsorum. Iuxta hùnc ritum faciet in tabernaculo testimonij quod ædificatum est inter eos in medio impuritatis ipsorum. Inhibuit etiam quenquam adesse interea dum pontifex sacrificium illud peragit. Notat etiam tempus quo isthæc celebrari deceat. Decima die mensis (septimi scilicet) affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, siue indigena siue aduena, qui pere-

grinatur inter vos. In hac die expiatio erit vestri atque mũdatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini, Sabbatum sabbatorum requies erit vobis. Et affligetis animas vestras lege perpetua. Sabbata sabbatorum dixit, quemadmodum Sancta Sanctorum. Nam hoc festum longè celebrius est sabbato. Deinde subiungit: Semel in anno facietis iuxta ritum, quem constituit Dominus Moysi: Cæterùm hoc præfigurat dispensationem Saluatoris nostri secundum carnem. Sicut enim semel in anno Pontifex ingrediens in Sancta Sanctorum sacrificium istud peragebat: ita dominus Christus vbi semel passionem salutarem pertulit, ascendit in cælum æterna redemptione inuenta, vt perhibet diuinus Apostolus.

Leuit.17.a,b 23 *Quare prohibet pecudes esculentas immolari procul à Tabernaculo?*

Nouerat quorundam impium animum, qui dæmonibus essent victimas oblaturi: propterea constituit vt quicunque vellet vitulum, ouem, aut capram immolare, adduceret ad fores Tabernaculi, & sanguinem effunderet, & domi de carnibus sumeret. qui verò hoc non fecisset, tanquam cædis reum accusari præcepit. Sanguis enim, ait, reputabitur homini illi, & delebitur anima illius de populo ipsius. Quòd autem lex eius sit intentionis quam dixi, subsequentia docent: Adolebit enim, air, adipem in odorem suauitatis domino. Et nequaquam vltrà immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimũ sempiternum erit vobis in generationes vestras. Ista lex in hunc vsque diem viget apud Iudæos. Nam pontifex immolat esculenta animalia. Prohibuit etiam edere sanguinem, & rationem subiecit: Anima enim (inquit) omnis carnis sanguis illius est: & ego dedi vobis illum, vt expietis super altare pro animabus vestris. sanguis enim eius pro anima illius expiatur. Propterea dixi filijs Israël. Nulla vestrũm anima sanguinem edet. Ne aduena quidem, qui peregrinatur apud vos, edet sanguinem. Sicut enim tu (inquit) immortali anima præditus es: sic animal irrationale sanguinem habet loco animæ. Tua igitur gratia præcipit ratione carentem animam, hoc est, sanguinem offerri pro tua anima rationali & immortali. Hunc autem si edis, animam comedisti. Rationalis enim animę locum ille obtinet. idcirco talem esum cædem appellauit. Eandem ob causam arcet ab edendis animalibus mortuis, eò quòd sanguis non fuerit distractus ab animali.

Leuit.18. 24 *Quidam arguunt leges latas de nuptijs, aiuntque illa à Deo esse interdicta, quæ nusquam vnquam acciderunt. quis enim ferat vt matri suæ permisceatur, aut conuersetur cum pecore?*

Nunquam Deus interdixit eò, quod à nemine tentatum est: & quòd ita se res habeat, testimonio est huius legis procœmium. Sic enim ait: Iuxta consuetudinem terræ Aegypti, in qua habitastis, non facietis: & iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis: nec in legibus eorum ambulabitis. Hæc autem vbi dixit, docet quæ perpetrata sunt ab eis, & talia prohibet agere. Quòd autem similia permulta perpetrentur, testes sunt etiam Persæ, qui in hunc vsque diem non sororibus solùm, sed etiam matribus ac filiabus nuptiarum lege permiscentur. Itidem & alia scelera plures admittunt.

25 *Quid hoc est, Non dabis de semine tuo, vt seruiat principi, a nec polues nomen meum sanctum: ego Dominus?* Leuit. 18.c a alias idolo Moloch.

Hebraica litera habet Moloch: quod reliqui interpretes annotauerunt. Hoc autem erat idolum. Propterea Deus inquit per Prophetam: Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi in deserto quadraginta annis filij Israël? Et tamẽ recepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras quas fecistis vt adoraretis eas. Inhibet ergo ne filios suos offerãt idolis in ministerium sacrorũ: vel (vt quidã aiunt) prohibet ne dent pueros suos alienigenis principibus, vt sint illorum serui vel armigeri: ne participes fiant impietatis eorum.

26 *Quidnam illud est, Ne vos abominetur terra cùm eam polluueritis, sicut abominata est gentes quæ vos præcesserunt?* Leui.18.d

Ne vos execretur quemadmodum execrata est Chananæos: pro eo ac si dicat: Sicut eos interemi propter multa scelera, tradidique vobis terram illorum, ita vos plectam vbi similia perpetraueritis.

27 *Quomodo intelligendum, Iumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus: Nec seres vineam tuam diuersò semine: & Veste è duobus adulterata, non indueris?* Leui.19.d

Frequenter admonui, per sensibilia docere quæ spectant ad animum. prohibet ergo diuersorum generum coitum: veluti equi & asini: ne ab irrationalibus animalibus ad rationem præditos transeat illegitima permixtio. Eandem ob causam vestem ex lana & lino contextam vocat adulteram, instruens cõtrarias operationes minimè quadrare. Et quòd per id non vestem sed operationem adulteram innuat, probant velamenta Tabernaculi ex varijs pannis comparata. Sic intelligendum est quod dicitur de vinea. Apostolus quoque contrahere societatem cum infidelibus prohibet, dum ait: Nolite iugum ducere cum infidelibus. ,,2.Cor.6.e

28 *Quid est, Non facietis στρογγύλα ex coma capitis vestri, neque corrumpetis faciem barbæ vestræ, neque facietis ob animam incisiones in corpore vestro, neque figuras aut stigmata facietis vobis?* Leui.19.f

Quidam dictionẽ illam στρογγύλα interpretati sunt capillos de industria crispos factos. Ego verò existimo per legem aliud interdici. Nam moris est apud Græcos in pueris capillorũ extremitates nõ attõdere, sed finere capillos promitti, & aliquanto pòst tẽpore eos dæmonibus dedicare. Consueuerant etiã radere barbam cũ aliquem elugerent, & genas incidere in honorem defunctorum. Nec non aliquas corporis partes acu perforabant, & nigro vestiebantur in

tur in reuerentiam dæmonum. Hæc igitur diuina lege sunt interdicta.

Leuit.20.a *29 Quidnam est, ἐγγαστρίμυθος, id est, magus?*

Quidam à dæmonibus agitati, simplices multos deceperunt quasi loquerentur: quos Græci ἐντερομάντεις, id est, ex intestinis vaticinantes appellarunt: tanquam ex interioribus dæmon videatur vocem emittere.

Leuit.21.c *30 Quamobrem sacerdotibus alias leges de nuptijs præscribit?*

Quoniam temperantiæ typum sacerdotem esse oportet: & vt illud hominum genus syncerum permaneat, nulla contumelia præbens occasionem conuitiari volentibus.
1.Tim.3 b Propterea diuinus Apostolus iubet Dei ministrum testimonium habere bonũ etiam ab extraneis: vt non in opprobrium, inquit, incidat, & in laquem
Deut.23.c diaboli. Hac de causa scortum Israëliticum in-
Leuit.21.b terfici iubet: filiam autem sacerdotis consimilis sceleris ream flammis exuri. Imò propter querulosam Iudæorum naturam, ne filiæ quidem sacerdotis quæ maculam aliquam habeat in corpore, permittit ministrare. Per affectiones non sponte susceptas prohibẽs eas quæ procedunt à voluntate. Verbi gratia, oculorum occæcatio, inopiam cognoscendi significat: auris amputatio, inobedientiam: naris autem ablatio, facultatis discernendi priuationem: manus abscisio, in agendo socordiam: hocque modo reliqua sunt intelligenda. Idcirco victimas omnibus membris integras offerre iubet: per ea quæ offeruntur, instruens offerentes vt habeant animæ sinceras operationes. Inter cætera verò interdicit genitalium abscisionem, aut contusionem. existimat enim eum bonis abundare debere, qui curat diuinum ministerium.

Leuit.21.d *31 Cur primogenita pecorum post octauum diem offerri iussit?*

Nouerat quosdam gulę vitio laborare, quodque forsan intuentes primogenitum obesum esse ac speciosum, illud essent retenturi: propterea primò natum offerri præcepit.

Leuit.23 e *32 Quid innuit, Non comedetis spicas nouas tostas, donec vos obtuleritis dona Deo vestro?*

Terra Palæstinæ cùm sit calidior, fructus fert præmaturos. Idcirco mandat ne quis antea spicas nouas audeat torrere assare atq; edere, quã ex ijs Deo manipulum obtulerint. Iubet autem hunc offerri die Paschæ: tum ex ea die septem hebdomadibus numeratis, festum Pentecostes celebrare. Sic enim ait: Et numerabitis vobis à crastino die sabbatorum, ab ea die qua manipulum separationis obtuleritis, septem hebdomadas integras. Atqui festum pentecostes memoriam renouabat introitus in terrã promissionis. Tum enim serere cœperunt & metere. Nam in deserto vescebantur manna labente de cælo. Instruens his verbis quo ritu tum Paschę tum Pentecostes solennitatem celebrare oporteat. docet etiam quæ sint agẽda septimo mense. Nempe prima die mensis festum tubarum peragere iubet, quo recolebatur tubarũ memoria quę erant in monte Sina, quando Deus omniũ dabat Legem: Vox enim (inquit) tubæ intensè sonabat. Exo.19.e Decima verò die septimi mensis ieiunare præcipit. Illam enim diem apellat diem propitiationis: Affligetis enim, inquit, animas vestras à die nona mensis à vespera vsque ad decimum diem mensis, vesperi sabbatizabitis sabbata vestra: Et omnis anima quæ afflicta non fuerit eo die, peribit anima illa à populo suo. Alioqui nunc hac ipsa die Iudæi non præ se ferunt tristitiam, sed rident, ludunt, ac ducunt choreas, ac verbis & rebus obscœnis vtũtur directò cum Lege pugnantes. At decimaquinta die mensis legem condit de celebranda Tabernaculorum solennitate, non vsque ad septimum diem solùm vt in alijs festis, sed & septem diebus octauum addi iubet. Dies, inquit, octaua celebris & sancta erit vobis, & offeretis holocausta Domino, collecta est. omne opus seruile non facietis vobis. τὸ δὲ ἐξόδιον, id est, collecta, festorum indicat finem. Porrò festum tabernaculorum, vitę in deserto transactæ memoriam refricat: quod etiam legislator non subticuit: Quia in tabernaculis habitare feci filios Israël dum educerem illos è terra Aegypti. Propterea præcepit ornare domos ramis arborum: & cum alijs ramis numerauit viticem, velut indicem lętitię, & extinguentem voluptatem. aiunt enim ipsam, siue edatur, siue substernatur, extinguere flammam voluptatum. Verùm non more medico iussit vti his ramis viticis, sed vt sub eius nomine temperantiæ monimentum adnecteret.

33 Quomodo intelligendum est illud, Qui maledixerit Deo, portabit peccatum: Qui verò nominauerit nomen Domini, morte moriatur? Leuit.24.c

Deprehẽsus est quidam qui Deum omnium blasphemauerat: nondum autem lex erat scripta de blasphemia: propterea legislator hanc legem seruari iussit. Postera itaque die Moyses interrogauit Dominum, quid pati deberet perniciosus ille. Dominus autem illum lapidibus obrui pręcepit: primosque lapides mittere qui audijssent blasphemiam. Itaque de blasphemia legem tulit, Deumque vocauit ęquiuocè, eum qui talis falsò nominatur: cui quidem qui detrahit, hunc peccare asserit, nulla tamen pœna condemnat. Non enim peccat pius dum blasphemat Deum, qui falsò Dei nomen vsurpat, sed qui credit in eum, & tamẽ conuitiatur. blasphemat enim, peccatum igitur eiusmodi blasphemiam appellauit: non propter eius cui blasphemia infertur, dignitatem, sed propter eius qui blasphemat, opinionem, quia non vt Deum falsò nominatum, sed tanquam verum Deum blasphemat. Hunc autem qui verum Deũ blasphemat, lapidibus interimi mandauit. Meritoque hisce de blasphemia legibus, homicidij legem aptauit: quia blasphemator creatorẽ cùm interficere non possit, lingua ferit.

34 Cur oculum pro oculo abscindi, & dentem pro dente, & quæcunque similia præcepit.

Non hæc lege sanciuit, vt ea paterentur, sed ne admitterent quę prohibita sunt. Metus enim patiendi, libidinem agendi coercet. Leuit.24.d

Quam

Leuit.25. *35 Quam ob causam anno septimo terram serere prohibet?*

Hac lege plectit eorum animum insatiabilem. Nam ideo seminabant, vt plus haberent: terra verò minimè quiescens, exiliores fructus afferebat. Quare constituit anno septimo non seminatam manere terram. quæ autem spontè nascerentur, ea prohibuit vindemiare aut metere, vt illos humanitatis officia doceret. Voluit enim vt viduę, orphani, & aduenę vnà cum ipsis essent illorum fructuum participes. Præter hæc aliud etiam tractatur. Nam hoc anno nomina rescinduntur, & Hebræi serui donantur libertate. Idcirco statuit vt annus iubileus cum cessatione celebretur. quod quidem nomen remissionem atque libertatem significat, iubileumque vocant annum quinquagesimum. Numerabis enim, ait, septem hebdomadas annorum, & annũciabitur voce tubæ in vniuersa terra vestra decima die mensis propitiationis: in qua, inquit, die propitius ero vobis, & delicta vobis remittã. In ea prædicabitis annum remissionis. Deinde pręcipit vt hoc anno, qui vendidit agrum, vendicet similiter domos in agris existentes. Item vsuras rescindi, & seruos hebræos manumitti: quoniam erat verisimile quosdam fore molestos debitoribus suis, tanquam hoc ab illis procederet. Atqui ne de alimento necessario dubitarent, vtpote qui terram non excolerent annis remissionis, magnificis pollicitationibus eos placauit. promisit enim anno sexto suppeditaturum se non duplum solùm prouentum & cum fœnore reddentem vnde ali possint anno sexto & septimo, sed ad octauum vsq; annum sufficientem. Seretis enim, inquit, octauo anno, comedetisque veteres fruges vsq; ad nonum annum, donec nouæ fruges terræ nascantur, comedetis veteres veterum. Tum facta mentione dominationis suæ, confirmat Legem. Mea enim est terra. nam vos aduenæ & incolæ estis coram me. Ego, inquit, eam vobis donaui. Itaque tanquam dominus hanc legem condo.

36 Quidnam illud est, Decem mulieres coquant pa-
Leuit.26.d. *nes suos in clibano?*

Tanquam terræ inhiantibus leges statuit & minatur: Nam secundum Legem conuersantibus vbertatẽ terræ promittit: è diuerso transgrediẽtibus, fructuum sterilitatem, & hostium incursionem minatur, atq; extremam paupertatem. hoc itaq; vult hîc innuere, nempe, Tanta vos excipiet inopia, vt decem mulieres in vno clibano panes faciant ob rerum necessariarum penuriã. Hoc enim etiam subdidit: Comedetis, & non saturabimini.

Leuit.26.e. *37 Quid sibi vult, Tunc sabbatizabit terra, & placebunt sabbata eius omnibus diebus solitudinis suæ?*

Quod subsequitur, huius loci interpretatio est. Ait enim. Et vos eritis in terra hostium vestrorum. Siquidem septuaginta annos seruierunt in Babylone. Atqui à regno Saulis vsque ad captiuitatem cumulantur trecenti nonaginta anni, quorum septimam partem faciunt septuaginta. Hoc ergo vult dicere: Septuaginta annos terra manebit inculta, & non seminata, vobis terram alienam incolentibus: propterea quòd vnà cum reliquis etiam sabbati præceptum transgressi estis. Hoc enim subiunxit: Et sabbatizabit terra (festa) quæ non sabbatizabat cùm incoleretis eam. Comminationem quoque alteram addidit: Et inducam formidinem in cor eorum, qui relicti fuerint in terra hostium suorum, & terrebit eos sonitus folij volantis, & fugient vt hi qui fugiunt à conspectu belli. Et quæ sequuntur. Sed hęc prophetia finem accepit. Nam cùm obsiderentur à Chaldæis, multique in conflictu occubuissent, multi perijssent fame, captiuis Babylonẽ translatis: qui manus hostium euitarant, in Aegyptum confugerunt, incursionem Chaldæorum metuentes. quod diuini Hieremiæ prophetia manifestè demonstrat. Post illas tamen comminationes dulcia promisit, & inter cætera reditum à captiuitate, non quidem ob eorum merita, sed propter maiorum suorum pietatem. Et recordabor fœderis Isaac & Iacob, & fœderis prioris quando eduxi eos de terra Aegypti, de domo seruitutis in conspectu gentium omnium, vt essem illorum Deus. Ego sum Dominus. Siquidem ob promissiones factas patribus illorum, inquit, iniquitatem eorum suffero: vt cognoscant omnes gentes per incredibilia miracula, quantæ sint illi mihi curæ, & quòd populus meus vocentur. Verùm priùs mentionem fecit de Iacob: quoniam illorum omnium solus erat progenitor. Isaac enim Idumæorum quoque (pater erat) Abraham autem & Ismaëlitarum, & eorũ qui à Cethura descenderunt. quamobrem ab imo ducens initium, gradatim ascendit ad Abraham, cum quo pepigerat ab initio fœdera.

38 Quid est hoc, quicunque votum vouerit, exoluit pretium vitæ suæ domino? Leuit.27.

Promissionem appellauit votum, cùm alioqui vocetur à multis τάγμα, id est, res definita & destinata. Hanc autem legem apud nonnullos barbaros reperias esse obseruatam. Nam eorum qui degunt in pascuis plerique comparant infantem ingenuum, quem postea Deo offerunt. Itaque de eo legem tulit Deus: Qui cùm nollet esse quosdam promittẽtes se daturos Deo pretiũ pro seipsis, qui diminuto pretio promissa fallerẽt: statuit maris pretium esse quinquaginta didragmorum, fœmellæ verò triginta: exceptis tamen senibus ac iuuenibus: mediam enim ætatem definiuit, quæ est à vicesimo quinto anno ad quinquagesimum: iunioribus autem atque senioribus aliud pretium statuit. At inopes sacerdotum iudicio reliquit: vt illi pro ratione facultatum pretia præscribant. Porrò animalia ratione carentia, quę consecrata fuerint ab offerentibus, mutari prohibet: & ne tale quid admittant, pœnam infligit. Si enim (inquit) permutans mutauerit illud: & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino. Animalium autem immundorum iussit sacerdotes taxare pretium. Idem de agro domoque præcepit.

pit. Necnon didragmi valorem præfixit, statuitque valere obolos viginti: tametsi interpretes nonnulli didragmum ſtaterem vocarunt.

Quæ verò Deo dicata ſunt, redemptioni non eſſe obnoxia mandauit.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,
IN LIBRVM NVMERORVM.

Numer. 1. *1 QVARE iuſſit Deus numerari populum?*

VT veritatem ſuæ promiſſionis demonſtraret. Dum enim promitteret Abrahæ, dixit: Multiplicãs multiplicabo ſemen tuum tanquam ſidera cæli: & ſicut arenam quę eſt in littore maris. Oſtendit itaque ſuæ promiſſionis veritatem: quia ex ſeptuaginta quinque qui deſcenderant in Aegyptum, ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta viri numerati ſunt bello idonei, vtraque ſemota ætate tam immatura quàm prouectiore, ſimiliter & genere fœmineo, atque Leuitica tribu: neq; enim hęc adnumerata eſt cùm cæteris. Docens hoc Deus à ſua proficiſci potentia, etiá per Eſaiam prophetam ait: intuemini in Abraham patrem veſtrum, & in Saram quę peperit vos, quia vnus erat, & vocaui eum, & benedixi illi, ac multiplicaui eum.

Gen. 16. c. Eſai. 51. a. Num. 1. 5.

2 Ad quid Leuitarum numerus?

Num. 1. 5.

Erat velut imperantium. decet enim eos qui præſunt ſubditis, eſſe pauciores, cùm potiſſimum ab onere militandi immunes, ſoli cultui diuino darent operam.

3 Quo pacto tribus Iuda, maximè cùm eſſet regia, numero vincebat omnes tribus?

Num. 1. c.

De tribu quidem erant regia, ſed omnes iuxta tribum Leuiticam miniſtrabant: alij rem curantes, reliqui his ſubſeruientes. Decebat autem regiam tribum numero antecellere, tum ob benedictionem Chriſti Domini, qui carnem ex ea tribu ſumpturus erat: tum vt hi qui reges crearentur, reliquas tribus tueri poſſent. Conſtituit quoque ſacerdotes cum tribu regia, collocans tribũ Iuda verſus orientem cui coniunxit cum arca ſacerdotes. Ipſi verò Dan diſtribuit ſeptentrionem. A facie enim boreæ, inquit, attendentur mala contra omnes inhabitantes terram. Diximuſque in benedictionibus Iacob, è tribu Dan oriturum quendam perniciоſum, qui Chriſtum ſe dicens, contraria nomini ſuo perageret, & ſibi nullo modo competentia vendicaret. Porrò iuſtiſſima de cauſa cõceſſerunt Iudæ plagam orientalem: quoniam de ipſo Chriſto Domino diuini vates inclamant: Ecce vir, Oriens nomen illi. Et, timentibus me orietur ſol iuſtitiæ, & ſanitas ſub alis eius. Et ſedentibus in tenebris & in vmbra mortis, lux orta eſt eis.

Hier. 2. c. Zach. 6. c. Mal. 4. a. Eſai. 9. a.

4 Quænam erant officia ſacerdotum, & quæ Leuitarum?

Num. 3.

Ipſe Deus omnium docet. Dixit enim Dominus (ait) ad Moſem: Accipe tribum Leui, & ſiſtes eam coram Aaron ſacerdote, & miniſtrabunt ei, & obſeruabunt cuſtodias eius, & cuſtodias filiorum Iſrael coram tabernaculo teſtimonij vt exequantur opera quæ pertinent ad tabernaculum, & cuſtodiant omnia vaſa tabernaculi teſtimonij, & cuſtodias filiorum Iſraël & cuncta opera ſpectantia ad tabernaculum. Et dabis Leuitas Aaron fratri tuo & filijs eius ſacerdotibus. Ipſi ſunt donum datum à filijs Iſrael. Et conſtitues Aaron & filios eius ſuper tabernaculum teſtimonij: & obſeruabunt cultum ſacerdotij ſui, & omnia quæ ſunt altaris, & quæ intra velum continentur. Alienus qui attigerit, morietur. Ex hoc ergo loco docemur officium quidem ſacerdotum eſſe, vt victimas offerant: Leuitarum autem, partim vt ſacerdotibus miniſtrent, partim vt cuſtodiant tacernaculum. In ſubſequentibus autem oſtendit, quæ munera ſint familiæ Caath, quæ familiæ Gerſon, & quæ Merari familiæ.

5 Quamobrem Deus præcepit recenſeri primogenita populi?

Num. 3. f.

Poſteaquam vniuerſam tribum Leui diuinis conſecrauit officijs, eamque liberauit ab onere militandi, veriſimile erat quoſdam è reliquis ægrè laturos, quòd hi eſſent antepoſiti. Suadet ergo Dominus Deus anxijs illis ſe nihil iniquum ſtatuiſſe. Cùm enim veſtra gratia interfecta ſint Aegyptiorũ primogenita, veſtra ſunt conſeruata. Horum igitur vice, ad miniſteria mea peragenda ſortitò Leuiticam tribum elegi: & pro primogenitis pecorum veſtrorum, primogenita animalium ad Leuitas ſpectantium. At cùm plures reliquarum tribuum primogeniti

primogeniti reperirentur, quàm Leuitæ: conſtituit vt quiſque qui poſt æquatum numerum reperiretur, quinque ſiclos ſacerdotibus penderet, ſiclo obolis viginti taxato: talemque numerum vocauit ſanctum, tanquam ad diuina ſegregatũ, & non cum omnibus conuerſantem. Alibi verò appellat obolos viginti didragmũ, quod quidem didragmum à Domino velut primogenito poſtulatum eſt.

Mat. 17. d.

Numer. 4. *6 Cur è vaſis ſacris quædam hyacinthino tegi iuſſit amictu, quædam verò purpureo?*

Sola hyacinthina tegmina pertinebant ad vaſa pretioſiora. color autem ille cœlum denotat: quapropter interiora velaminis hiſce ſtragulis contegi iuſſit: exteriora verò nõ eiuſmodi ſed purpureis: quia cœlum pœnas nullas habet, terra verò propter legum tranſgreſſiones ſupplicia continet. At verò purpura regni eſt indicatiua, cùm diuini numinis regnum diuinum ſit, origine carens & interitu. Idcirco exterior tabernaculi ſuperficies hyacinthinis ſtramentis atque purpureis tegebatur. Præmonẽs autem familiam Caath ſtatuit vt antea ſacerdotes adyta introeuntes, arcam & reliquam ſupellectilem prædictis teguminibus operirent, & ita portarentur à familia Caath: ne videntes quæ tangere nefas eſt & videre, ex ſolo conſpectu morte plecterentur.

Numer. 5. *7 Quem vocat immundum ſuper anima?*

Eum qui tetigerat mortuum, aut ad oſſa defuncti proximè acceſſerit.

Nume. 5. a. *8 Quare præcepit leproſos & ſeminiſluos extra caſtra degere?*

Ab exiguis nos inſtruit ad maiora. Si enim qui tangit mortuum, eſt immũdus, quanto magis qui interficiendo mortuum effecerit? Itidem ſi leproſus immundus, quanto magis qui varias nequitiæ ſpecies admiſerit? Et ita per ſeminiſluum damnatur fornicatio. Nam ſi id quod inuitus quis patitur, execrãdum eſt, multo magis quod quis ſponte committit.

Nume. 5. a. *9 Quid hoc eſt, Si vir ſeu mulier commiſerit ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere?*

Humana vocat leuiora peccata: quia cùm hominum natura mutationi ſit obnoxia, ab omnibus immunem eſſe peccatis eſt impoſsibile. Nemo enim, inquit, purus eſt à ſorde, nec ſi vita eius fuerit vnius diei. quapropter diuinus ille Dauid, inclamat: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo vllus viuens. Solus enim Dominus Chriſtus etiam vt homo macula caret. Eſaias proclamat: Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Vnde factum eſt, vt aliena peccata aſſumeret, cùm propria non haberet. Ille ſiquidem peccata noſtra tulit, & pro nobis afflictus eſt. Et Ioannes ille magnus: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Propterea dicitur inter mortuos liber, tanquam mortem iniuſtè paſſus ſit. lex ergo diuina crudit eos qui mediocriter peccauerunt. Iubet enim cum qui in cõtractibus quibuſdam alteri damnum intulerit, priùs redimere peccatũ: tum quod reliquum eſt, damnum paſſo reſtituere, addita ſorti principali quinta parte. Si verò contigerit iniuriam paſſum antè decedere quàm ſatiſfecerit is qui damnum dedit, hæc propinquo eius exoluere præcipit. Proximum autem appellat eum qui genere illum contingit. Itaque ordo generis eſt iſte: primo loco filius, deinde filia, poſtea patris frater, tum frater aui. Quòd ſi nullus horum extet, propinquior cognatus. ſi verò ne cognatus quidem reperiatur, Deo prædicta offerri ſtatuit. Hoc enim dixit: Si autem viro non fuerit propinquus cui reddatur delictum, quod commiſſum eſt in defunctum, delictum domino ſarcietur, & erit ſacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, vt ſit placabilis hoſtia. Conſtituit etiam vt ſacerdotes edant primitias quæ offeruntur: Nam primitiæ populi, erant Leuitæ: Leuitarum autem primitiæ, ſacerdotes. Tanquam ergo primitiæ primitias accipiebant.

Mat. 5. 7. Iob. 15. b. Pſal. 142. Eſai. 53. c. Ioan. 1. d. Pſal. 82.

10 Quare farina hordeacea offerebatur ab ea, quæ ſuſpecta erat de adulterio?

Num. 5. b.

Ipſe Dominus interpretatus eſt. Eſt enim, inquit, ſacrificium zelotypiæ, ſacrificium recordationis, ſacrificium in memoriam reducens peccatum: vnde nihil olei vel thuris in eo ſtatuit haberi. carebat enim tum odore bono, tum lumine iuſtitiæ. Hoc tamen fieri lege præcepit Dominus Deus, quia cædis plenum illorum animum cognoſcebat. Itaque ne ex ſola ſuſpicione coniuges ſuas interficerent, iuſſit adulterij ſuſpectam ad ſe adduci, nempe qui cuncta probè norit, etiam quæ clam geruntur. Adducet enim, inquit, ſacerdos & ſiſtet coram Domino mulierem, & accipiet in vaſe fictili aquam mundam viuam coram Domino, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi teſtimonij, & mittet in aquam. Et aperto capite mulieris dabit in manus illius ſacrificium recordationis, & ſacrificium zelotypiæ. In manu verò ſacerdotis erit aqua redargutionis, in quam maledicta cõgeſsit. Iſta porrò fieri mandauit, ipſam mulierem ſuſpectam perterrens, vt confiteatur, ſi forte peccauerit, & per pœnitentiam remiſsionem conſequatur. Idcirco illam aperto capite Deo preſentari iubet, docens omnia nuda eſſe & aperta in conſpectu eius, & nihil eorum quæ gerimus, illum latere. Quòd autem ad terrendam illam hæc celebrari iuſſerit, indicant ſubſequentia. Adiurabitque illam ſacerdos, & dicet ei: Si quiſpiam tecum non dormiuit, neque tranſgreſſa es vt polluereris erga virum tuum, immunis eſto ab aqua redargutionis maledictionibus plena. Si verò cùm eſſes ſub viro, polluta es, aut dormiuit tecum alius quàm vir tuus, tradat te Dominus in maledictionem & iuſiurandum in medio populi tui: concedatque vt concidat femur tuum, & intumeſcat vterus tuus. Præcepit quoq; vt mulier conſentiat maledictioni, & dicat: fiat fiat. Vt etiam maledictio ſcribatur, & deleatur aqua, quam bibat mulier illa. Verùm ante omnia ſacrificium offerri iuſsit, hoc eſt farinam hordeaceam. Deinde docet mulierem huiuſmodi ſi fuerit innocens, incolu-

Hebr. 4. d.

mem ſeruatam iri: ſin rea fuerit, quamuis latés, maledictionis vim experturam, quia vterus effringetur, & femur contabeſcet. Per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur. Τὸ δὲ ὄφλιον, id eſt, iuſiurandum ita intelligendũ eſt, vt cùm quis grauia & intolerabilia patitur. Siquidem nonnulli iurantes dicere ſolent: Non patiar ego, quæ ille paſſus eſt.

Numer. 6. *11 Quid eſt hoc: Quicunque ſummũ vouerit votum, nempe conſecrare ſanctimonium Domino?*

Votorum ſpecies erant permultę. Quidam enim victimam pollicebantur, quidam pecunias: alij ſeipſos deuouebant: alij certorum dierum numero ſe vinum non bibituros, nec caput raſuros. Huius generis erant de quibus diuus Iacobus diuino Paulo dicebat: Sũt quidam votum habentes in ſeipſis, hos aſſume, & ſanctificare cum eis, & impende in illos, hoc eſt, præbe tu victimas quæ ſecundum legem offerri ſolẽt pro illis, vt tollas ſuſpicionem. De iſtis hîc lex ſtatuit: & iubet eos qui talem promiſſionem emiſerint, etiam ab aceto, vua, & acinis abſtinere cunctis diebus voti ſui (votum autem appellat promiſsionem) & non radere caput donec compleantur dies quas vouerit Domino: ſanctumque vocat nutrientem comam, tanquam qui conſecrarit illam Deo. Hoc enim ait: Sanctus eſt qui comam nutrit, & capillum capitis omnibus diebus voti ſui Domino, pro eo ac ſi dicat: Qui conſecrat ſe Domino, ne radat comam donec promiſsioni finem impoſuerit. neque antè permittit accedere ad mortuum ſeu fratrem ſeu quempiam alium. Licet enim ex improuiſo contingat aliquem intereſſe dum quis decedit, neceſſe tamen habet vniuerſum abradere capillum, idque non prima die ſolùm, ſed etiam ſeptima: vt capilli qui nouaculam effugerint, intra ſeptem dies creſcentes auferantur. Poſtea iubet octaua die offerre duos turtures, vnum pro peccato, alterum in holocauſtum, & agnum vnum pro delicto. Ex quo accuratiùs diſcimus illum appellare victimam pro delicto, quæ pro peccatis non ſponte neis offertur: improuiſus enim eſt caſus eius qui repentè quodam moriente incurrit pollutionem. A capite verò præcipit numerum ſupputari dierum promiſſorum. Quia non computabuntur, inquit, priores dies, propterea quòd pollutum ſit caput voti ipſius. Declarauit quoque quaſnam victimas offerre deceat eum qui purificationis votum impleuerit, nempe agnum in holocauſtum, & ouem pro peccato. Sexus enim ſunt fœminini hoſtiæ quæ pro peccato offeruntur: quoniam obtenebrata parte rationali, maiores ſumit vires peccatum. Nihilominus & arietem immaculatum in ſalutem atque caniſtrum azymorum offerre mandauit: tum interea dum ſacrificium peragitur, capillos ſupponi ſacrificio ſalutari. Armus autem coctus qui ponitur in manibus vouentis, & à ſacerdote capitur, denotat actum promiſſum eſſe conſummatum. operationem enim completam armus coctus ſignificat. Cæterùm hæc non fruſtra lege cauta ſunt, ſed vt doceat non paruam eſſe adhibendam diligentiam, nec temere vouendum eſſe: Et vbi vouerint, eſſe præſtandum. Ex his etiam nos docet, vt ſanctimoniam impollutam conſeruemus. Qui enim macula aliqua perfuſus eſt, ſuperna indiget purificatione: quod beatus Paulus ſcribens Galatis dicebat: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Poſt hæc inſtruit ſacerdotes quo pacto benedicere debeant, & quòd nomen diuinum ſuppeditat accedentibus benedictionem: Inuocabunt, inquit, nomen meum ſuper filios Iſrael: & ego Dominus benedicam eis. Profert etiam ipſa benedictionis verba: Benedicat te Dominus, & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam ſuper te & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Ex his autem docemur, oportere eos qui benedictionem conſequi volunt priùs diuina dona poſtulare, quod quidem ſignificatur per illud, Benedicat tibi. Deinde donata conſeruare: ſubdidit enim: Et cuſtodiat te. Secunda verò benedictio, Dei ac ſaluatoris noſtri apparitionem prænunciat: Oſtendat enim (inquit) Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Nam miſericordiæ plena eſt Dei atque ſaluatoris noſtri diſpenſatio ſecundum carnem: quapropter reconciliationes etiam erga Deum nobis largitus eſt, quod & conſtare poteſt ex benedictione ſequenti: Conuertat Dominus vultum ſuum ad te. De hac pace beatus Paulus ait: Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ diſſoluens inimicitias in carne ſua. Hæc igitur vbi de benedictione propheta diſſeruit, & expoſuit quo pacto tabernaculum vnxit, & quæ principes tribuum obtulerunt, poſtmodum declarauit qua ratione diuinam vocem auribus audiuit è propitiatorio: quod alis ipſorum Cherubim tegebatur. Neque iſta ſcripſit ambitiosè: ſed vt doceat Dominum Deum pontificibus ſemel in anno illuc introeuntibus ſuam gloriam quantum humana capere poteſt natura, demonſtrare ſolitum.

Psal. 21. Gal. 4. 6.

12 Quamobrem cùm præcepiſſet ſanctificari Leuitas, ſtatuit vniuerſum corpus illorum pilis denudari? Num. 8.

Pili mortuum quidpiam repreſentant: mortui enim ſunt, neque dolorem ſentiunt. Veram ergo vitam vult eos habere qui miniſtrãt Deo, nec mortui quicquam aut malè olentis geſtare: quod & admirandus Paulus docet: Cum Chriſto enim, inquit, crucifixus ſum: viuo autem iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus. Diuinis enim operationibus ipſe me conſecraui.

13 Cur à viceſimo quinto anno vſque ad quinquageſimum præcipit Leuitas miniſtrare? Numer. 8.

Quoniam prima ętas non habet plenam bonorum ac malorum diſcretionem: poſtrema verò debiliore eſt corpore. Secernit igitur tum iuuentutem tum ſenectutem: illam quidem ob imbecillitatem animi: hanc verò propter corporis infirmitatem.

14 Quare non poterat celebrare Paſcha qui macula- Numer. 9. tus erat ſuper anima?

Peccatum

Peccatum huiuſmodi coniunctam habet excuſationem. Nam tales angore animi depreſsi propter quoſdam è familiaribus ſepulturæ traditos, immundi erant ex legis ſententia. veriti ergo ne celebrantes Paſcha, committerent in præceptum de immundis traditum, & in contrarietatem legum prolaberentur, cauſam detulerunt ad legiſlatorem: At ille non auſus eſt reſpondere donec conſuluiſſet dominum. Siquidem in hoc delictum inciderat Ieſus filius Naue, qui ante hanc conſultationem Gabaonitas exceperat. Quapropter ſtatuit Dominus Deus, vt qui prolapſi ſunt in hanc pollutionem, aut procul habitant, & propterea decimaquarta die primi menſis Paſcha celebrare non poſſunt, peragant illud decimaquarta die ſecundi menſis. Iuſsitque aduenas eiuſdem conditionis eſſe. Lex enim, inquit, erit vobis vna tam aduenæ quàm indigenæ terræ. Ex quibus prænunciat vocationem gentium.

15 Quomodo debet illud intelligi: Clangetis tuba ſignificanter, quando mouebimini: quando verò congregabitis cœtum, ſine ſignificatione tuba canetis? Num. 10.

1. Cor. 14. b. Sapientiſsimus Paulus ait: Niſi ſignificantem vocem dederit tuba, quis præparabit ſe ad bellum? Erant igitur varij ſoni: vnus qui requieſcendum, alter qui proficiſcendum eſſe ſignificabat. Et cùm vnica tuba ſonabat, conuocabat principes: duæ verò populum ac principes. Soliſque ſacerdotibus erat datum canere tuba, quia vocationem diuinam tuba denotabat. Hoc enim ſubiũxit: Si exieritis ad bellum de terra veſtra contra hoſtes qui dimicant aduerſus vos, ſignificabitis tubis: & erit recordatio veſtri coram Domino, & ſeruabimini ab inimicis veſtris. Et in diebus lętitiæ veſtræ, & in feſtis veſtris, & neomenijs veſtris canetis tubis ſuper holocauſtis, ſacrificijs, & ſalutaribus veſtris. Et erit vobis in recordationem corã Domino Deo veſtro: Ego Dominus Deus veſter. Siquidem Deus cùm in monte Sina legem daret, intenſa tubarum voce auditum illorum informauit: vnde per ſonum tubarũ, illius apparitionis ſuæ memoriam refricat. Itaque beatus Dauid canens ait: Canite in Neomenia tuba in inſigni die ſolennitatis veſtræ. Per hæc etiam nos docemur cùm vniuerſum populi cœtum congregamus, canere tuba, ſed non ſignificanter. Obſcurè enim propter non initiatos diſſerimus de diuinis myſterijs: his verò ſemotis, initiatos ſapienter erudimus.

Num. 10. d. *16 Quare diuinus Moyſes cùm in Exodo ſocerum ſuũ appellaſſet Iethro, nunc vocat eum Raguelem?*

Binominis erat, ſicut Iacob, qui & Iſrael, vt Simon Petrus, velut Thomas qui dicitur Didymus, vt Thaddæus, qui etiam Leui. huius itaque Raguelis filius erat Iobab.

Pro Thaddeus legendum videtur Matthæus.

Num. 11. *17 Quænam erat populi murmuratio?*

Aegrè ferebat itineris moleſtiam.

Ibidem. *18 Qua de cauſa peccantibus mox pœnas infligit?*

Lex initium capiebat: idcirco neceſſe erat tranſgreſſorum ſupplicio cæteros prudentiores effici. Timor enim ſubditis valde cõuenit. Pœnæ verò coniuncta erat clementia. Nam qui reſipiſcebant, beneuolentiam experiebantur. Statim ergo vt ignis diuinitus illatus partem caſtrorum conſumpſit, tum omnes confugerunt ad preces, popoſcit legiſlator remiſsionem. Hanc clementiſsimus Dominus contulit. Quòd autem neceſſariò de his eſſent ſumenda ſupplicia, ſequentia teſtificantur, quia confeſtim vbi ceſſauit punitio, renouare cœperunt memoriam Aegypti, alliorum, ceparum, & cæterorum, quorum deſiderium appetitio gulæ ſubminiſtrabat. Iuſta igitur de cauſa Moyſes cum illorum ingratitudine contulit munificentiam diuinam, ipſius Manna texens hiſtoriam, quo pacto non ſolùm loco panis erat, ſed etiam obſonij vicem ſupplebat. Frangebant, inquit, in mola, & terebant in mortario, concoquebant in olla, & inde faciebant tortulas. Inquinatis autem illis ſuccenſet Dominus Deus, Indignatur etiam propheta, & inclamans ait: Quare afflixiſti ſeruum tuum, vt deuolueres iram populi tui ſuper me? Nunquid ego concepi populum hunc, aut peperi illum, quia dicis mihi, Defer illum in ſinu tuo, quaſi nutricius portet puſionem ſugentem vbera, in terram de qua iuraui patribus eorum? Ex his patefecit illorum imperfectionem ac ſtoliditatem, dum eos comparauit infanti, qui nihil aliud poſsit aut velit quàm lac ſugere. Et quia verba indignantis erant acerba, ſicut & ſequentia, quæ eiuſdem ſunt animi, docetur à Deo quòd non humana virtute, ſed gratia diuina populum gubernet. Ait enim illi: Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos noſti eſſe ſeniores populi, & ſcribas eorum, & ſtabunt illic tecum: & auferam de ſpiritu tuo, & ponam in illis, & ſuſtinebunt tecum impetum populi huius: nec ſolus portabis eos. Ex his verbis didicit legiſlator ſe gratiam adminiſtrationi ſufficientem accepiſſe, propterea dixit: Auferam de ſpiritu tuo. Non quòd aliena virtute vel gratia indigeret, hoc dixit, ſed vt illum doceret quòd accepiſſet gratiam ad vſum ſufficientem. Cæterùm elargiendo ſeptuaginta viris, nullo modo Moſis gratiam imminuit, ſicuti res geſtæ teſtificantur. Nam & in regendo populo & in prodigijs edendis eadem quæ geſſerat antea, peragere non deſijt. Quemadmodum enim qui ex vna lucerna infinitas accendit, illam non minuit vt his lucem impertiat, ita Deus omnium elargiens de gratia Moyſis ſeptuaginta viris, non diminuit illi conceſſam gratiam. Siquidem & cùm multæ myriades ab vno ſacerdote baptizantur, & donum diuinum accipiunt, ſacerdotis gratiam non minuunt: nec dum à Pontificibus ordinantur permulti ſacerdotalem dignitatem accipientes, ordinantis gratiam vllatenus imminuunt. Aſſenſit tamen Dominus ſententiæ ſerui: Dixit enim illi: Elige quos noſti.

19 Quare, cùm Deus promiſiſſet ſe daturum carnes, propheta reſpuebat? Num. 11.

Quia non propheta ſolùm, ſed & homo erat. Edoctus eſt autem à Domino Deo, ne hæſita-

ret cùm quid Deus promitteret. dixit enim ei: Nunquid manus Domini est inualida? Iam nosces an sermo meus anteuertat te an non. Liberalitati tamen se daturum pollicentis supplicium adiunxit. Nam vbi dixisset: Vsque ad mensem edetis carnes, donec egrediatur per nares vestras, subdidit: Et erit vobis in nauseam. vel vt Symmachus, in cruditatem. Nam ἀδηφαγίαν morbum attulit, & pluribus tanquam plaga diuinitùs illata mortem: quapropter diuinus ille Dauid intulit: Adhuc escæ erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos, & occidit plures ex illis. Meritò ergo sapientissimus Paulus admonet: Et carnis curam ne feceritis ad concupiscentiam.

Num. 11. 20 *Quamobrem septuaginta statim vt præfecti sunt, prophetabant, postea verò minimè?*

Eph. 4. b. & 1. Cor. 12. b. Non vaticinandi sed gubernandi causa præponebantur: quod munus etiam inter charismata spiritus relatum est. vnde beatus Paulus, cum Apostolis, cum Prophetis, cum doctoribus, & gratijs sanandi, subueniendi & gubernandi munera collocauit, hoc autem gratiæ dono septuaginta dignati sunt, & quædam prædixerunt, vt constaret populo diuinum munus illos esse consecutos.

Num. 11. f. 21 *Cur Eldad & Medad vaticinati sunt cùm non essent de numero septuaginta virorum?*

Verisimile est illos dignitate pares fuisse cum ipsis septuaginta, & ob id donum illud esse adeptos: innuunt autè hæc verba: Illum qui nouit occulta, scire qui probi censeantur. Sic Actor. 10. f. & tempore Cornelij, diuina liberalitas præoccupauit hominum ministerium. Siquidem antequam essent baptizati, dedit illis gratiam Sancti Spiritus. Perspicitur autem hoc loco candor legislatoris, quia cùm Iesus non per inuidiam dixisset: Domine prohibe illos: suspicatus ait: Ne zelaueris me. Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? Itaque probus ille Iesus non inuidia ducebatur: sed existimans rem esse contumacia & tyrannide plenam, vsus est his verbis: Quòd verò hac affectione careret, satis probat laus illius. Sic enim ait: Et respondens Iesus filius Naue electus, qui assistebat Moysi, dixit: Domine Moses prohibe illos.

Nume. 12. 22 *Quanã intelligenda est mulier Aethiopissa, quam accepit Moses?*

Iosephus quidem ait Moysen cùm in regia educaretur, in bello contra Aethiopes ducem creatum esse, partaque victoria regis illius filiam duxisse. Apollinarius autem fabulam finxit hac longè fabulosiorem. Inquit enim post Sephoram illum duxisse Aethiopissam, vt esset figura Christi Domini, qui post Israeliticam, Gentium Ecclesiam desponsauit. Atqui Sephora etiam erat extranea. Non est ergo diuini Spiritus fabulas fingere, sed contrarij. Tantam enim habuit curam ingenuitatis legislator post vocationem suam, vt ingressurus Aegyptum, eam domi reliquerit. Nã posteaquam illinc egressus est, accesit ad eum socer adducens eam vnà cum liberis. Et addidit: Quòd post dimissionem adduxit eam. Sephoram igitur appellauit Aethiopissam. Siquidem Saba gens est Aethiopica. Euangelista enim ait: Regina Aethiopum surget, & condemnabit generationem istam. Regnorũ autem historia nuncupauit eam Reginam Saba. Porrò Saba gens, Homoritarum appellatur, quibus vicini sunt Madianitæ. Cùm ergo Aaron Israëlitidem duxisset, Moyses autem alienigenam, exorta pusillanimitate quadam, hoc illi exprobrauit: Sed integritatem legislatoris confirmat fratrum proteruia, nempe cùm alia carerent accusatione, vxoris probrum obiecerunt. Verbisq; meis attestatur sententia iustissimi iudicis: inquit enim: Si fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in tota domo mea fidelissimus est. ore enim ad os loquor ei. In specie & non per ænigmata gloriam meam videt. Et quare non timuistis detrahere seruo Moysi? Planè verax est ille qui dicit: Mihi vindicta, ego rependam: dixit Dominus. Itaque per hæc & per illa docemur non vlciscendum esse de his qui inferunt iniuriam, sed expectandam sententiam diuinam, quæ maximè consolatur iniuriam passos: quemadmodum & tunc tacente Mose Mariam lepra percussit. Luc. 11. d. Nume. 12.

23 *Quare cùm ambo conuitiati essent, illa sola pœnas luit?* Numer. 12. c.

In primis quia grauius erat delictum vxoris. Masculo enim tum natura tum lex fœminã submittit. Deinde veniam aliquam merebatur Aaron, nimirum vt prouectior ætate, ac pontificiam dignitatem obtinens. Præterea quoniam leprosus secundum legem immundus esse videbatur: Aaron autem radix erat sacerdotum & origo, propterea Deus parem ei pœnam nõ infixit: sed per vxorem terruit illum, simul & erudiuit: quia prior hoc beneficium adeptus, iniuriã passum deprecatus est, vt precibus hanc cladem auerteret: quod ille non neglexit, sed confestim supplicationẽ obtulit. Tum clementissimus Dominus docuit se nõ iudiciario more sed paterno illum erudijsse. Nam ait: Si pater eius conspuens spuisset in faciem illius, an non immutaretur? Septem diebus separabitur extra castra, postea reuerteretur: Habet autem & annexum honorem hæc ignominia, quia non priùs loco motus est populus, quàm hæc à plaga liberata fuerit.

24 *Quam ob causam exploratores mitti mãdauit?* Num. 13.

Vt cùm prænossent fertilitatem terræ, consequi tam vberes fructus optarent. alioqui dubitantes & claudicantes absque vlla excusatione plecterentur.

25 *Quare filium Naue appellauit Iesum cùm illum ad explorandum mitteret?* Ibidem.

Quoniam erat figura veri Iesu, qui imitatus est exploratores in peragenda salute nostra. Sicut enim exploratores præ se ferebant habitum & vocem gentium quas explorabant: ita Deus verbum, humanam induens naturam, illius vtens lingua salutem nostram procurauit.

26 *Quam*

Ibidem. d. 26 *Quam dicit esse generationem Enach?*

Hic (vt verisimile est) propter magnitudinẽ corporis famatissimus erat & vulgatissimus: Genere verò patrem omnino repræsentabat.

Nume. 14. d 27 *Quid hoc est, Implebit gloria Domini omnem terram?*

Prænunciat repulsionem Iudæorum, & orbis salutem: & iureiurando vaticinium confirmat. Viuo enim, inquit, ego: & viuit nomen meum, & implebit gloria Domini vniuersam terram. Secundum alios autè interpretes, Quia implebit omnem terram gloria Domini.

Ibidem. c. 28 *Cur profert sententiam contra omnes enumeratos, demptis Caleb filio Iephone, & Iesu filio Naue, qui præterquam quòd vera retulerant, pia suadebant populo?*

Mat. 21. d Huic sanè sententiæ conferenda est illa quæ prolata est in Euangelijs: Auferetur à vobis regnũ, & dabitur genti facienti fructus eius. Nam qui per incredulitatem ceciderunt in deserto, Iudæorum infidelium figuram gerebant: gentium verò quæ crediderunt, figuram referebãt incircuncisi pueri, qui illorum loco terram adepti sunt patribus promissam.

Nume. 15. 29 *Ad quid tam multa per legem inculcat de ijsdem sacrificijs?*

Vt per affinitatẽ conditarum legum firmam ipsarum memoriam efficiat.

Nume. 15. c. 30 *Quid est illud: Anima quæ fecerit in manu superbiam?*

Cùm lege sanxisset quam victimam offerre deberent qui peccarunt inuiti, nunc de sponte peccantibus legem condit. Varia sunt autem peccata. Nam quidam propter infirmitatem animi insultũ afflictionum sustinere nequeunt, & cedentes vincuntur. alij verò ex alia circunstantia prolabuntur in peccata. Sunt etiam quidam qui leges diuinas aspernantur, & hos per arrogantiam peccare dicit, veluti sponte contemnentes leges. Talem deleri dixit, & causam subdidit: Quia verbum Domini fecit irritum, & præcepta Dei dissipauit, attritione atteretur anima illa. peccatum enim illius in ipsa. Qui enim per imbecillitatẽ superatur ab affectionibus, postea luctu & lachrymis veniam aliquam meretur. Qui verò peruersa amplectitur contemptis mandatis diuinis, omni defensione caret.

Ibidem. d 31 *Qua de causa lapidari iussit eum qui die sabbati ligna collegerat?*

Vt eum qui primus legem ausus esset prætergredi, ne fieret author transgrediendi leges. huius enim castigatio, metũ omnibus incussit.

Ibidem. 32 *Ad quid mandauit eis Deus, vt fimbrias vestimentorum vittas hyacinthinas apponerent?*

Color hyacinthinus, cœli colorem imitatur. Illos ergo meminisse volebat legislatoris, nempe qui omnia quidem repleat, propriè tamen cœlũ incolere videatur. Cœlum enim, inquit, cœli Domino. &, Qui habitat in cœlis, irridebit eos. quod non minus lex docet. Videbitis, inquit, fimbrias, & recordabimini mandatorum Domini, vt faciatis ea: neque diuertetis post cogitationes vestras aut oculos vestros, quos sequimini.

Psal. 113. Isai. 2.

33 *Quòd Core seditionem mouerit aduersus legislatorem, ratione fortasse non caret, nam erat ex tribu Leuitica: Dathan verò & Abiron ac Eliab, cùm ducerent originem è Ruben, quam seditionis occasionem habuerunt?* Numer. 16.

Ruben erat primogenitus, existimabantque primogenito sacerdotium competere: nec animaduertebant progenitorem ipsorum primogenitorum propter iniquum facinus cecidisse.

34 *Quid sibi vult, Ne intendas in sacrificium eorum?* Nume. 16. c

Certabatur de sacerdotio: & vtrique incensum erant oblaturi. Porrò vtebantur Domino Deo pro iudice. Indignatus ergo propheta propter authores seditionis, iudicem obtestatur ne susc ipere velit quod à seditiosis contra legem offerretur: eumque vocat in testimonium æquitatis suæ: Ne attendas (inquit) sacrificio illorum. nullius ipsorum rem desiderabilem accepi: neque quempiam eorum afflixi. cuius rei testimonium ipso facto cõfirmauit iudex. Recedite enim, inquit, de medio congregationis huius, & delebo eos vnà. Denuo verò probus Moses patefecit mansuetudinem suam. Nam prouolutus inuocabat iudicem: Deus Spirituum, & vniuersæ carnis: si vnus homo peccauerit, num in omnem terram desæuiet ira Domini? At humanissimus Dominus exaudita supplicatione serui, iussit à seditiosis reliquos secerni: & cùm annuisset terræ vt hiaret, tentoria simul cum viris demersa monstrauit: & qui per mare medium ambulauerant, in terram absorpti sunt. Est enim perfacile creatori viam siccam in mari conficere, & contrà terra pro mari vti in supplicium. Siquidem Aegyptios interemit aqua: Dathan verò & Abiron ac reliquos terræ fluctibus obruit. Illos igitur viuos tradidit inferno, cœtum autem Core igne consumpsit.

35 *Quare Deus eorum thuribula, qui sacrificauerant, altari præcepit affigi?* Nume. 16. f

Ad arguendos eos qui contra sacerdotium committere quid auderent: & ad confirmationem eorum, qui constituti sunt ad sacra peragenda. Hæc enim subiunxit: Vt sit monimentum filijs Israël ne quis alienus, qui non est de semine Aaron, accedat ad offerendum incensum coram Domino. Hanc etiam ob causam virgam quæ fronduit, reponi iussit in arcam. Rursum lege statuit vt sacerdotes sacra celebrent, Leuitæ verò subseruiant, nec accedant ad altare, aut ad sacra vasa tractanda. Postea docet quænam sacerdotes sumere sibi conueniat. Nam primitias vini, frumenti, olei & panis, sibi oblatas iubet edere sacerdotes. Et nihilominus oblationes & primogenita ipsos iterum capere statuit: animalium quidem immundorum definito redemptionis precio. Redemptio enim, inquit, vsque ad mensem durabit. Redemptionis autem æstimatio quinque siclorum erit: pro singulis verò siclis, viginti soluentur oboli. At primogenitorum animalium

lium mundorum ſanguinem ad baſim altaris effundi iuſſit,& adipem offerri: carnes autem illos accipere,ſicuti pectuſculum & armum à reliquis ſacrificijs accipiunt. Porrò pactum ſalis, communicationẽ appellauit: quoniá ſecũdum
1.Cor.9.b „ diuinũ Apoſtolum, Qui aſsident altari, de altari participant. Quidam autem aiunt, propterea, quòd præceperat aſpergi ſale ſacrificia. Deinde oſtendit quòd ſacerdotes & Leuitæ ſumant decimas fructuum tam de terra quàm de ouibus & bobus naſcentium. itidem & mercaturę aut alterius negociationis. Sed Leuitas decimarum decimas ſacerdotibus offerre debere, & horum quidem in omni loco participes eſſe: quæ verò ſeparantur ex ſacrificijs pro ipſis, in templo edere. Vocat autem decimas mercedem in vtilitatem populi cedentem. Nam interea dum ædificatis, inquit, mercaturam exercetis, aut domi vitam agitis, hi pro vobis omnibus ſeruitio meo aſsiſtunt. Hoc enim ait: hæc eſt merces veſtra pro miniſterijs quæ mihi exhibetis in tabernaculo teſtimonij.

Nume.19 *36 Quomodo ſunt intelligenda quæ de vacca rufa expreſsè cauta ſunt?*

Hanc quidem offerri pro peccato populi lege cauit: verùm præfigurat ſalutarem paſsionem, quæ mundi peccatum abſtulit. Sed vaccam rufam offerri præcipit, vt corpus terrenũ prænotet: quia nomen Adæ terram rubram ſignificat, ex qua corpus ipſius formatum eſt. Quòd autem vacca macula carebat, expertem peccati Chriſtum Dominum innuit. Quòd vacca iugum ſubijſſe non debeat, Chriſti libertatem ſubindicat. Iugum enim denotat ſeruitutem. Atqui dominus cum ab eo poſtularetur
Mat.17.d „ didragmũ, inquit: Num liberi ſunt filij? Quòd verò vacca mactatur extra caſtra, paſsionẽ ſaluatoris extra portam peractam præſignat. Sed hæc manifeſtiùs docet diuinus Apoſtolus in e-
Heb.13.b „ piſtola ad Hebræos. Totamque vaccam vnà cum pelle & reliquis cremari mandauit: quia omnia quæ pertinebant ad Chriſtum Dominũ, erant munda. Lignum cedrinum, crucis erat figura. Sicut enim illud immune erat à corruptela, ita lignum crucis viuificat. Coccinum autẽ typus erat ſanguinis dominici. Hyſſopus etiam aderat, quia calor viuificus diſſoluit frigiditatem mortis. Eum tamen qui cremauit vaccam, impurum eſſe dicit vſque ad veſperam: ad denotandum eos qui Chriſtum crucifixerunt Dominum. Atq; huiuſmodi cinere aqua permixto circunſpergi præcepit eos qui acceſsiſſent ad mortuos, aut eorum oſſa attigiſſent, aut ali-
„ quo alio eſſent polluti. Et homo, inquit, qui nõ
„ fuerit purificatus, peribit anima illa de medio
„ congregationis, quia expiationis aqua non fue-
„ rit luſtratus. Ita Dominus in ſacris Euangelijs
„ ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu
„ Sancto, non ingredietur regnum cælorum.

37 Quare tam eum qui aſpergit, quàm aſperſum dicit eſſe immundum vſque ad veſperam?

Quoniam impurus erat ex lege qui tangebat oſſa defuncti. Igitur reuera purificatio non erat, quia per Chriſtum eſt vera purgatio. Impurum autem eſſe, ex lege eſt. Atqui lex gratiam prefigurabat. Hi verò erant immundi vſque ad veſperã, id eſt vſq; adfinem legis. Nam dilucido ſimilis eſt aduentus Domini. Sedentibus e-
„ Eſa.9.a nim in tenebris & in vmbra mortis, lux orta eſt,
„ ſicut ait Eſaias Propheta. Et alibi dixit Deus:
„ Mal.4.a Timẽtibus me, orietur ſol iuſtitię, & ſanitas in
„ alis eius, & rurſus: Ecce vir, oriens nomen illi.
„ Zach.6.c

38 Quamobrem Dominus Deus ſuccenſuit Moyſi & Aaron, quando aquam eduxit è petra? Nume.20

Ipſis de morte ſororis dolentibus inſtabant filij Iſraël murmurantes ob aquæ penuriam. quapropter moleſtè ferentes eorum petulantiam, ambiguis vſi ſunt verbis dum educerent aquam. Sic enim ait legislator: Audite me incredituli: Num ex hac petra potero vobis aquam
„ educere? propterea Dominus Deus contra eos
„ ſententiam tulit, dixitque in hunc modum:
Quia non credidiſtis mihi vt ſanctificaretis me
„ coram filijs Iſraël, idcirco vos non introduce-
„ tis multitudinem hanc in terram quam dedi
„ illis. Hoc ipſum canens Dauid ait: Et vexatus
„ eſt Moyſes propter illos, quia exacerbauerunt
„ ſpiritum eius, Et diſtinxit in labijs ſuis. Nam
„ iratus illis, ambiguè ſermonem protulit. Eratque non mentis ambiguitas, ſed linguæ. Hoc
„ enim dicere videtur, Et diſtinxit in labijs ſuis.
Sciendum eſt tamen Deum aliud procurantem hanc tuliſſe ſententiam: quod ſuo loco monſtrabimus.

39 Qua de cauſa Deus inſtituit, vt per æneum ſerpentem ſanarentur ſerpentum morſus? Nume.21.b

Iſtud etiam ſalutarem paſsionem prefigurat. Nam per ſerpentem natum eſt peccatum: vnde & maledictionem accepit à Deo omnium. Erat itaque ſerpens figura peccati, atq; maledictionis. Poſteaquam igitur Dominus Chriſtus in
„ Rom.8.b „ ſimilitudine carnis peccati apparuit, inquit di-
„ uinus Apoſtolus, corpus enim verè ſumpſit,
„ peccatum autem nõ fecit, nec inuentus eſt do-
„ lus in ore eius: præſignatur paſsio ſalutaris per
„ ſerpentem æneum. Quemadmodum enim ſerpens æneus erat imago ſerpentum, non tamen illorum venenum gerebat: ita filius vnigenitus corpus quidem habebat humanum, ſed peccatorum macula carebat. Et ſicut à ſerpentibus morſi, ſerpentem intuentes ſanabantur: ita qui vulnerati ſunt à peccato, paſsioni ſaluatoris noſtri ſine vlla dubitatione credentes, mortem ſuperant, & vitam æternam conſequuntur.

40 Si vates erat Balaam, cur interrogabat Dominum? Num 22.b

Ille quidem non verum Deum interrogabat: reſpondit ei tamen Deus, non is qui rogatus fuerat, ſed quẽ ignorabat. Venit enim (inquit)
„ Deus ad Balaam, & dixit ei: Quid ſibi volunt
„ homines iſti apud te? Non quòd cauſam ob
„ quam venerant neſciret: ſed vt ex verbis vatis nactus occaſionem iuberet quid faciendum eſſet.

41 Quare cùm prohibuiſſet illum ire, rurſum abire iuſſit? Num.22.c.d.

Deſiderio promiſſarum pecuniarum captus, denuo rogauit, an ſibi cum illis qui miſſi fuerant,

rant, abeundum eſſet, exiſtimans Dominum Deum pœnitere potuiſſe. itaque permiſit abire, tantum non dicens, Abi quidem, quoniam ita deſideras: ſcito tamen te non eſſe locuturũ quæcunque ſtatuiſti.

Ibidem.d.e *42 Qua de cauſa cùm proficiſci iuſſiſſet, profectionem impedit per Angelum?*

Perterret illum tam aſini voce præter naturam emiſſa, quàm Angeli viſione, vt cognoſcat quantam populi curam Deus gerat. Aiunt nonnulli Angelum illum eſſe Michaëlem, qui populo præerat.

Ibidem. *43 Quam vim habebat maledictio vatis inuito Deo?*

Nullarum equidem erat virium, quia falſa erat quæ de eo habebatur opinio. Verùm quia propter iniquitatem continuam populus percutiebatur plagis à Deo immiſsis: ad illorum imbecillitatem diſpenſauit Dominus Deus, quæ per Balaam geſta ſunt: Nam vt à Deo eruditi non putarent propter maledictiones vatis calamitates euenire, non permiſit vatem maledictionibus vti, amputatis hoc modo ſtultorũ occaſionibus. Itaque licet vim aliquam habuiſſent maledictiones vatis, facile tamen erat ei qui fabricatus eſt omnia, illas declarare vanas: vt perſpicuum eſt his qui diuina didicerunt.
Pſal.32. „ Dominus enim, inquit, diſsipat conſilia gen-
„ tium, reprobat cogitationes populorum, & re-
„ probat conſilia principum: conſilium autem
„ Domini manet in æternum. Balaam nihilominus qui Dei prouidentiam didicerat, ſacrificijs perſuadere nititur (ita coniectans) ſe vnum eſſe ex ijs qui falsò ſibi nomen aſſumunt, quos mutabiles appellant, qui illos obſeruant. Hoc tamen rectè cecidit. Indicat autem verè illum inſtrui voluiſſe quid eſſet agendum. quapropter os impurũ accepta virtute Spiritus Sancti
„ eloquitur quæ non vult: & clamat: Quomodo
„ maledicam cui non maledixit Deus? & qua ra-
„ tione deteſter quem non deteſtatus eſt Domi-
„ nus? Prænunciat etiam futura: Ecce populus
„ habitabit ſolus, & non computabitur inter gen
„ tes. Quis exactè recenſuerit ſemen Iacob? aut
„ quis numerabit populum Iſraël? Deinde optat
„ cum illis habere ſocietatem. Moriatur anima
„ mea cum animabus iuſtorum, & fiat ſemen meũ
„ vt ſemen illorum. At verò Balac indignatus & ſuſpicans & ipſum Balaam dediſſe benedictionem, quia viderat multitudinem Hebræorum, abduxit illum in alterum locum vnde partem
Numer.23.c. populi tamen videre licebat. Et meritò rurſum
„ Spiritus Sanctus per illum ait: Non eſt Deus
„ quaſi homo vt mentiatur: nec vt filius homi-
„ nis, vt obliuiſcatur eorum. Dicẽtne, & non fa-
„ ciet? Loquetur quidpiam, & non ratum erit?
„ Mutationi (inquit Balaam) aut alterationi non
„ eſt obnoxia natura diuina more hominum: Ad
„ benedicendum aſſumptus ſum: benedicam,
„ nec diuertar.

Nume.24. *44 Quid illud eſt, Quaſi gloriam Monocerotis?*

Monoceros eſt animal habens vnicum cornu in capite, de quo Dominus Deus cum Iob
„ loquens ait: Volẽtne tibi ſeruire monoceros? Per hoc animalis robur indicans, & quòd ſeruitutem ferre nequeat. Quidam ergo voluerunt huic aſsimilare Dominum Deum. Ego verò arbitror hoc de populo dictum eſſe, nempe quemadmodũ monoceros vnicum habet cornu, ſic populus verè pius vnicum Deum adorat. Idcirco beatus Dauid dixit: in te inimicos
„ noſtros ventilabimus cornu. Quomodo verò
„ intelligere debeamus vnicum Deum, ſæpenumero diximus. Illud porrò: Non eſt augurium
„ in Iacob, nec diuinatio in Iſraël: non regnat
„ peccatum, nec augurum obſeruatio. Dominus
„ enim Deus tum futura prædicit per prophetas ſuos, tum ſuppeditat quid agendum.

43 Quid ſignificat, Non perrexit Balaam vt conſueuerat in occurſum augurum? Nume.24.

Cùm experientia didiciſſet ſe arte vana vtentem nihil proficere, (immenſo enim pondere grauior eſt qui linguam ſuam vertit ad quæcunque libuerint) non amplius vſus eſt ſignis conſuetis, ſed linguam ſuam ſecreuit in obſequium Dei. Nec tamen ignorandum eſt quibuſdam placuiſſe, nihil illum prædixiſſe de Saluatore noſtro. qui vtique debuerunt intelligere, ipſi quoque Nabuchodonoſor licet impijſſimo, aduentum Dei ac Saluatoris noſtri reuelatum eſſe. Videbat lapidem exciſum ſine
„ Dan.2.c „ manibus, qui percuſsit imaginem, & contriuit
„ aurum, argentum, æs, ferrum, ac teſtam, ortusq;
„ creuit in montem magnum, & tegebat vniuer-
„ ſam terram. Qui igitur per illum iſta prædixit,
„ per hunc etiam ſalutem orbis prænunciauit, vt & apud gentes huiuſmodi prenunciationes cõſeruarentur. Huic autem prædictioni teſtimonium adfert rerum ipſarum exitus. Nam qui ortus eſt ex Iuda, non tantùm duces Moab, ſed & filios Seth omnes pauit: filij verò Iſraël omnes homines. Noë ſiquidem oriundus eſt ex Seth: ex Noë verò vniuerſa hominum natura. Prædixit itaque Macedonum victoriam aduerſus Perſas. Egredietur enim ait de manu Ce-
„ thim, & affligent Aſſur, & profligabũt Hebræos.
„ Alexander quidem deleuit regnum Perſarum: Antiochus autem dimicans contra Iudæos, tũ metropolim cepit, tum diuinum templum deſertum reddidit. Igitur prędictiones huiuſmodi non erant fallaces diuinationes, ſed à virtute ſanctiſsimi Spiritus procedebant. Qui enim mandauit aſinæ vt præter naturã humana voce loqueretur, is hunc in modum per linguam vatis futura prædixit: Erat enim, ait, Spiritus
„ Dei in illo. Idem contigit & iniquo Sauli: vnde
„ propter rem inopinatam factum eſt prouerbium: Nónne etiam Saul inter prophetas? Cùm
„ igitur falſus vates tantam à Deo accepiſſet experientiam, alios contrà Deum machinatus eſt dolos. Nam probè ſciens illos inuictæ fortitudinis eſſe qui proteguntur à Deo, excogitauit in filios Iſrael impietatem, in quam prolaberentur per intemperantiam, vt propter impietatẽ diuino denudati auxilio, captu faciliores fierent. Perſuaſit itaq; Madianitis, vt non viri ſed mulieres cum illis decertarent, quæ armorum vice corporis venuſtate & verborum illecebris eſſent præditæ, vt illarum pulchritudine capti, ac ver-

ac verborum lenocinijs illecti, illorum idolis inseruirent. Quod nos docuit beatus Moyses post partam contra Madianitas victoriam, obiurgans eos qui venati erant mulieres. Sic enim ait: Quare venati estis fœminam omnem? Illæ enim iuxta verbum Balaam præbuerunt occasionem filijs Israël vt deficerent à Deo, & verbum Domini contemnerent causa Phegor: & facta est plaga in populo Domini. Porrò Phegor nomen est idoli. Huius impietatis diuinus Dauid meminit: Et initiati sunt Belphegor, & comederunt sacrificia mortuorum. Hanc ob rem præcepit Deus vt hostili animo prosequerentur Madianitas: Quia hostiliter, ait, se gesserunt in vos & coætaneos per idolum Phegor. Sed cùm populus peccasset, suspensi sunt principes, vt qui malum ab ipsis nõ depulissent. Illud autem, Exaltabitur super regnum illius: Symmachus ita interpretatus est, & exaltabitur super hoc Rex eius. Innuunt autem hæc verba, quòd qui militabant contra Og, vincent, propter Regem secundũ carnẽ ex ipsis oriundum.

Nume.26 *46 Quare denuo recensĕri populum Deus præcepit?*

Quia iam tulerat sententiam contra prius numeratos, quorum filios introducturus erat in terram promissam, quos quidem asseruerant ipsi fore captiuos. Iussit item eos recẽseri, vt suæ benedictionis vim perspicuam redderet, nimirum sublatis etiam patribus eundem superesse numerum.

Nume. 26.f. *47 Cur Deus mandauit sorte diuidi terram?*

Vt litem & controuersiam omnem tolleret, tanquam Deo per sortem terrã diuidente. Ita enim veluti quadam sententiarem decerni Deo visum est. Hoc ipsum fecerunt etiam diuini Apostoli antequam Spiritus Sanctus aduenisset. mittentes enim sortes Deum omnia cognoscentem deprecati sunt, vt demonstraret vter

Ephe.1.b. esset dignior. Diuinus Paulus de nobis loquitur hunc in modum: In quo sorte vocati sumus præfiniti secundum voluntatem eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

Nume.27.d *48 Ad quid Dominus Deus præcepit Moysi, vt imponeret manus suas super Iosue, cùm ipsemet testificetur eum in se habere Spiritum Dei?*

Illud ipsum sub Cornelio accidit. Nam post acceptam Sãcti Spiritus gratiam baptizati sunt. Quinetiam Dominus Christus cùm omnia charismata Sancti Spiritus quatenus homo suscepisset antequam natus esset, accesit vt baptizaretur à Ioanne: seruique manum imponi capiti suo iussit: & tum accepit Spiritum Sanctum in specie columbæ venientem super se. Itidem Apostoli per insufflationem dominicã Spiritum Sanctum adepti acceperunt gratiam Sancti Spiritus è cœlo venientem. Cæterùm vt populo persuasum esset illum à Deo ducem esse creatum, impositæ sunt super eum manus legislatoris. quod quidem fecit Moyses ex præcepto Dei. Impones enim, inquit, manus tuas super » eum: quem statues coram Eleazaro sacerdote, » qui initiabit illum coram omni multitudine: » & dabis gloriam tuam super eum, vt obediant » ei filij Israël: Et stabit coram Eleazaro sacerdote, pro eo ac si dixisset, distribues honorem tuum illis duobus & per rationale indicij quod humeris adiacet Eleazari, discet quid fuerit agendum. Ex his autem discimus quomodo hi qui à pontificibus ordinantur, spiritalem gratiam consequuntur. Hic enim dixit Deus, Dabis gloriam tuam ei. Porrò conuenit admirari prophetam, vtpote qui cùm haberet filios, fratrem, & nepotem ex fratre, nullum horum ducem præfecit, sed Deum secutus, quem ipse decreuit, ordinauit. Post hæc repetito festorum *Num.28,29.* ac sacrificiorũ cultu legem fert de his qui do- *30.* mino Deo quidpiam offerre spoponderint: in primisq; statuit omnem promittentem, opere promissum implere. Qui verò sub potestate patris agẽtes promiserint, patrem promisionem firmare debere: qui si à promittente dissentiat, eam quæ promiserit, non teneri. Si autem ea denunciante non consenserit aut tacuerit, præstare promissa debere: quod quidem etiam in ea constituit quæ coniuncta est viro: nimirum vt consensu viri confirmetur promissum.

49 Qua de causa legislator interfici iussit mulieres Madianitarum, quæ virum cognouerant? *Nume.31.*

Eò quòd impietatis dogmata didicissent, & eos inquinare possent, qui illas bello cepissent.

50 Quare legislator describi mandauit stationes? *Nume.33*

Vt posteri cognoscerent Dei prouidentiam, qui traducens filios Israël per arida loca, suppeditauit eis rerum necessariarum copiam.

51 Cur ad obitum pontificis præscribit ei reditum qui nolens interfecit? *Num.35.c.d*

Quia mors pontificis secundum ordinem Melchisedech, erat humani peccati solutio. Ille reduxit in paradisum eos qui illinc exulabant. Porro temporis illius spatio fuga homicidæ, propinquorum emolliebat animum, ac cædis plenam libidinem refrenabat. Quod autem ait, post obitum pontificis de exulantibus cessare vindictam, satis valet ad persuadendum propinquis in reliquum iram extinctam esse debere: quasi mortuus sit pontifex, quo viuente delictum est admissum: Legislator autem hunc tam delicto quàm vindictæ præfinierit terminum.

52 Quam ob causam statuit tribus esse discretas? *Num.36 a.*

Vt sincerum conseruaretur semen Iuda, per quod Deus benedictionem gentibus pollicitus erat. communicabant tamen inter se regia tribus ac sacerdotalis, propterea quòd Christus Dominus secundum humanitatem rex futurus erat & pontifex.

BEA-

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,
IN DEVTERONOMIVM.

1 QVAM ob causam quintus liber legislatoris dictus est Deuteronomium?

POSTEA QVAM Dominus Deus eduxit populum ex Aegypto, legem dedit in monte Sina, secundum quã ipsi conuersari debebant. Tum ãno secundo mandauit vt acciperent terram, quam promiserat maioribus illorum se daturum. Illis verò repugnantibus, neque hoc facere volentibus, iurauit nulli eorum qui numerati erant à legislatore, se daturum terram illam: sed eos vniuersos in deserto deleturum. Transactis igitur annis quadraginta, illisque iuxta decretum diuinum interemptis, recenseri iussit eorum filios eandem agentes ætatem quã illi tum quando sunt supputati. Hosee Deus introducturus in terram quam erat pollicitus, docet ministerio prophetæ legem, quam patribus eorũ transgressoribus explanauerat. Quare Deuteronomium continet recapitulationẽ eorum quæ lege cauta sunt & gesta in libris Exodi, Leuitici & Numerorum. Notat etiam tempus & locum vbi & quando huic iuuenum multitudini doctrinam proposuit. Trans Iordanem enim, in- » quit, in deserto, ad occidentem, quadragesimo » anno, vndecimo mense, prima die mensis, post- » quam ipse percusserat Seon Regem Amorrhæo » rum, & Og Regem Basan. Quòd autem nõ secundam legem dederit, sed priùs latam in memoriam reduxerit, docet hoc libri procemium, » Cœpit enim, inquit, Moyses explicare legem » hanc, dicens: Dominus Deus noster locutus est » nobis in Horeb. Deinde cùm retulisset, quo pacto præceperat Deus vt terram ingressi iure hæreditario possiderent eam: subiunxit quod » eo tempore dixerat: Nempe ego solus tot myriadibus præesse non possum: & propterea con » stitui, inquit, millenarios & centenarios, vt e- » os haberem imperij socios: Porrò has leges refricat, propterea quòd constituerat Iosue filium Naue in ducendo populo successorem: ostendens quòd superstes adhuc alijs præfecturam crediderat, & quòd ei libenter parendum erat, iussaque peragenda. Reuocat etiam illis in mentem quomodo Deus iusserat vt possiderent terram quam promiserat, & qua ratione visum erat illis vt prius exploratores mitteren- » tur, quodque reuersis illis, ac de terra illa veritatem renunciantibus, non credidissent Deo, qui saluarat eos, ac consequi terram neglexissent, ita vt prouocarent Dominum Deum ad sententiam ferendam aduersus omnes illorum myriades, eorum neminem ingressurum terram illam dempto Caleb filio Iephone. Is, in- » quit, videbit eam, & dabo illi terram ad quam » ascendit, & filijs eius, propterea quòd studio- » sus fuit eorum quæ pertinent ad Dominum. » Huius tamẽ solius mentionem fecit: Iosue verò velut principem ducem ac prophetam ordinauit: quod ex sequentibus satis constat. Nam cùm dixisset, Et iratus est in me Dominus Deus. » vobis enim tumultuantibus, non vt æquum e- » rat obsecutus sum mandato diuino, & ea de » causa prohibitus sum introducere vos in ter- » ram illam. Recolit itaque quæ sibi dicta fuerint à Deo: Iosue filius Nun minister tuus hic » ingredietur illuc: ipsum corrobora, quoniam » is sorte diuidet terram Israëli. Hæc autem di- » cit vt doceret illum à Deo ducẽ esse creatum, » ne denuo de imperio seditionem mouerẽt. Exponit autem eis quemadmodum postea pœnitentia ducti voluerũt gerere bellum aduersus Chananæos, & quo pacto Deus prohibuerit eos: qui tamen audacia permoti, & præter mandatum diuinum ascendẽtes rediere victi. Item quantum temporis in solitudinem consumpserint circumeuntes terram illam inaccessam, & aquis carentẽ. Quibus perlatis ad Idumæos & Moabitas contendentes responsum non acceperũt. Et qua ratione Seon & Og Reges Amorrhæorum cum toto exercitu & vrbium ac villarum habitatoribus interemit. Refertq; corporis ipsius Og magnitudinem. Cubile enim, » inquit, ipsius nouem cubitorum habebat ma- » gnitudinem, & latitudinem cubitorum qua- » tuor. Deinde suadet & consulit vt custodiant diligenter mandata Domini. Audi enim (in- » quit) Israël iustificationes & iudicia quæ ego » doceo vos hodie, vt faciatis ea, & viuatis: & in- » gressi possidete terram quam Dominus Deus » patrum vestrorum dat vobis. Postea necessariò » idoli Beelphegor palàm facit mentionem, & eorum qui propter impietatem illam perierũt in deserto: tum ex aduerso ponit ob oculos beneficia diuina. Quæ enim, ait, est gens, cui »

tam

tam propinquus sit Deus, sicut nobis adest Dominus Deus noster in omnibus in quibus eum inuocauerimus? Præcipit autem non solùm eos seruare leges diuinas, sed & filios ac nepotes in cultu pietatis educare, & à puero in mandatis diuinis erudire. Deinceps recolit quo pacto verbũ Dei omnium se conspicuum illis præbuit, apparens quidem per ignem, nullam tamen sui speciem exhibens. Hoc enim dixit: De medio ignis vocem verborum vos audistis, similitudinem autem non vidistis, sed tantùm vocem. Cæterùm hæc dicit instruens eos ne simulacrum vllum fabricent, neque tentent vnquam diuinam imaginem effingere, cùm archetypi speciem minimè viderint. Vnde subiunxit iterum: Ne nominaueritis neque feceritis vobis ipsis similitudinem sculptilem, omnẽ imaginem, similitudinem maris aut fœmellæ, similitudinem omnis bestiæ ex ijs quæ sunt super terram, similitudinem omnis auis volatilis volantis sub cœlo, similitudinem omnis reptilis quod reptat super terram, similitudinem omnis piscis, qui sunt in aquis deorsum. Hæc omnia, inquit, in vsum vestrum condidit Deus. Extremæ igitur est dementiæ, imagines creaturarum nobis deseruiẽtium Deos facere. Addidit etiam ista: Ne respicias in cœlum, & videas solem & lunam, & omnem ornatum cœli, deceptus adores eá, & colas ea. Largitus est ea Dominus Deus tuus omnibus gentibus quæ sub cœlo sunt. Hæc enim (ait) creator condidit in vsum hominum. Ne putes ergo Deos esse, quæ Deus omnium segregauit vt inseruirent vsibus hominum. Sic enim & reliqui interpretati sunt: Quæ præparauit Deus tuus aliorum causa sub vniuerso cœlo. Præterea terret eos comminationibus, vtpote si fuerint ausi trãsgredi legem diuinam, & componere similitudinem cuiusquam eorum quæ sunt, & in Deum erigere, se dispersurum eos in vniuersam terram, & quòd tanquam serui falsò nominatos Deos sint adoraturi. Postmodum ex comparatione omnipotentem Dei virtutem ostendit. Interrogate enim dies antiquos, inquit, qui fuerunt ante te, ex die qua Deus creauit hominem super terrã, etiam vsq; ad summum cœli, si factum est iuxta verbum istud, si tale quid audistis, si gens aliqua audiuit vocem Dei viuentis loquentis de medio ignis, quomodo tu audisti, & vixisti. Narratque qua ratione liberauit eos à dura Aegyptiorum seruitute. Consequenter eos docet vt Deus è cœlo cũ eis sit collocutus, ac de medio ignis vsus voce leges condiderit: vt nullam imaginem construant inuisibilis Dei: imò persuadet esse planè impossibile diuinam imaginem exprimere. Non enim solùm est inuisibilis naturæ, sed prorsus incircunscriptæ. Dominus enim (ait) Deus tuus est Deus in cœlo, & super terram deorsum, nec est præter eum. Sciendum tamen est cuncta hæc prophetam non vnica die edisseruisse, sed compluribus illis diebus doctrinam hanc proposuisse: quò fit vt sæpius eosdem sermones replicet, vt continua repetitio firmiorem reddat memoriam. Mox ab hac disputatione recitat ea quæ spectant ad vrbes, ad quas cõfugere iussit, qui prolapsi fuerint in homicidium non spontaneum. Explicat inde se denuo congregasse populum, & non aliam legem dedisse, sed in illla ipsa legum sanctione eos erudijsse, qui non poterant per infirmitatem ætatis exaudire. se denique ipsa prophetę verba docuisse: Dominus enim (inquit) Deus vester pepigit vobiscũ fœdus in Horeb. Non cũ patribus vestris inijt Dominus pactum hoc, sed vobiscum. Nam cùm illi propter trãsgressionem perierint, his verò terram patribus promissam daturus esset, hisce datam esse legem asserit. Deinceps enarrat præcepta quorum intellectum explicauimus cùm Exodum interpretaremur: vbi etiá docuimus quæ fuerit sabbatinæ cessationis intentio. Inquit enim, Vt requiescat seruus tuus, & ancilla tua, ac subiugale tuum. Quemadmodum enim, inquit, eorum opera perpetuò frueris: ita saltem semel in septem diebus hebdomadę serui, ancillæ, ac subiugalia quiete fruantur. Tum mentione factæ seruitutis Aegyptiacæ compassionem excitat: Quoniam seruus eras (ait) in Aegypto, & inde te Dominus eduxit cum manu potenti & brachio excelso: propterea constituit Dominus Deus tuus vt obseruares diem sabbatorum, & sanctificares eam. Expertus es duritiem seruitutis: memor horum, mitis & clemens esto erga subditos: & si continua quiete fruere, concede illis septimum diem hebdomadę. Interea tamen opus spiritale nõ prohibuit: dixit enim, Omne opus seruile non facietis. Demptis his quæ fiunt animi causa, velut lectio, sacrorum eloquiorum auscultatio, psalmorum sacræ decantationes, & horum similia.

2 Quomodo debet illud intelligi, Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est? Deut. 6.

Frequenter diximus dictiones istas, Dominus, & Deus, naturæ diuinæ, non distinctionis personarum esse significatiuas: has verò, pater, filius, & Spiritus Sanctus, proprietates indicare. Verùm Iudęis adhuc infirmis hæc exacta theologia exhiberi non poterat: quoniam inde dicendi plures Deos occasionem cepissent. Idcirco nomen diuinum in veteri testamẽto singulari numero pronunciatur, nihilominus habet trinitatis occultas significationes. Hæc enim clausula, Dominus Deus tuus, Dominus vnus est, vnitatem substantiæ innuit, & personarum numerum demonstrat: semel enim posuit hoc verbum, Deus: bis autem istud, Dominus.

3 Quid significat illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo? Ibidem.

Manifestè nos docuit Dominus neminem posse duobus dominis seruire: Et hoc igitur loco docemur dilectionem non scindere: in dilectionem Dei, & dilectionem auri: in dilectionem Dei, & vxorum: in dilectionem Dei, & liberorum: sed totam dilectionis vim creatori Deo consecrare. Deinde secundum creatorem quę vnicuique sunt vtilia impartiri: veluti liberis, fratribus, & amicis. Siquidem pertinet etiá ad dilectionem Dei, hæc præstare. Qui enim diligit me (inquit) mãdata mea seruabit: Mandata verò Dei ista præcipiunt.

Deut. 6.c. *4 Quare lex iubet, vt iurent per Deum?*

Ne iurent per falsòs Deos. Idem enim per prophetam dixit: Si abstuleris nomina Baalim de ore tuo, & iurgueris, Viuit Dominus, cum veritate. Et hîc, vbi dixit: Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, & adhærebis illi, & per nomen eius iurabis, subiunxit: Non ambulabitis post Deos alienos, qui sunt ex dijs gentium quæ in circuitu vestro sunt.

Ibidem. *5 Quis est intellectus huius: Non tentabis Dominum Deum tuum?*

Mat. 4. b. Dominus hoc ipsum exposuit in sacris Euãgelijs. Nam cùm Diabolus dixisset, Mitte teipsum è sursum deorsum, ait: Non tentabis Dominum Deum tuum. Tentat autem Deum, qui sine ratione obijciens se periculo quidpiam agit.

Deut. 7. *6 Cur lex prohibet contrahi connubia cum extraneis confinibus?*

Lex non eget explanatione, cùm seipsam interpretetur. Ait enim, Quia seducet filiũ tuum à me, & seruiet dijs alienis. Necessariò tamen aperit etiam eis rationem diuinæ solicitudinis. Non enim eò quòd numero vinceretis cæteras gentes (ait) vos elegit Dominus, sed propter maiorum pietatem, & promissionem eis factam. Deinde vt verum id esse demonstret, subdidit: Deus verax est, custodiens pactum, & misericors diã exercens erga diligẽtes eum, & custodientes mãdata illius, in mille generationes. At cùm essent infirmi, & lacte vescerentur, nec essent capaces auditores æternorum bonorum, pollicetur eis sobolis multiplicationem, terræ fertilitatem, fœcunditatem gregis & armenti: corporum denique bonam valetudinem, ac in bellis victoriam. Postea renouat memoriam in deserto transactæ vitæ, & causas illius subijcit oculis: Afflixit enim te, inquit, & fame laborare fecit, pauitque te manna, vt te certiorem faceret, quòd nõ in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei, sit homo victurus. Ex quibus alioqui discimus non grauiter ferre si in calamitates inciderimus, sed bono animo complecti diuinas dispensationes, expectantes à tentationibus liberationem. Alia quoque beneficia recensет: Vestimentia tua non sunt vetustate consumpta, nec subtriti pedes tui, en quadragesimus annus est. Et nosces in corde tuo, quòd sicut homo erudit filium suum, sic Deus tuus eruditit te. Et custodies mandata Domini Dei tui, vt ambules in omnibus vijs eius, & timeas illum. Post tentationem consolatio, post correptionem suauis recreatio, in proficiscendo fames & deliciæ, labor & corporis prospera valetudo, necessariorum inopia & incorruptarum vestium & calceamentorum copia sufficiens. Tandem hortatur vt vincentes, sue fortitudini victoriam non adscribant, sed suppeditanti vires ac propugnatori Deo.

Deut. 9. *7 Quosnam vocat filios Enac?*

E Gigantibus erant oriundi, sicuti narrat historia. Hoc enim dicit: Populum numerosum proceræ magnitudinis, filios Enac, quos tu vidisti & audisti. Quis resistet in faciem filiorum Enac? Adiecit autem orationi hæc verba: Quos tu vidisti & audisti: vt illis in memoriam reduceret exploratores illius terræ, qui dicebant: Nempe eramus in conspectu ipsorum tanquam locustæ. Hoc modo superbiam de sua fortitudine conceptam reprimens, admonet eos ne de donis animi glorientur. Ne dixeris, inquit, in corde tuo, Nempe propter iustitias meas introduxit me Dominus vt possiderem terram hanc optimam. Nam propter impietatem gentium illarum Dominus deleuit eos à conspectu tuo: non autem propter iustitiam tuam, neque propter sanctitatem cordis tui ingrederis tu ad possidendam terram. Ista porro dixit duo moliens apud se, tum vt modestè se gereret, tum vt auxilio diuino tribuerent omnia. Prædicit etiam illos eadem perpessuros quæ gentes illæ, si consimilia perpetrent. Opportunecque refricat transgressiones in deserto commissas, ad confirmandam orationem, nimirum illos non esse possessuros terram ob iustitias suas. Memineris, inquit, & ne obliuiscaris quoties irritaueris Dominum Deum tuum in deserto. Adduxit itaq; nunc in medium adorationem vituli, & quòd ob illorum impietatem contriuerit datas à Deo tabulas, vehementique vsus supplicatione Deum placauerit illis, & Aaron alioqui grauiter iratum. Aduersus Aaron enim, ait, vehementer iratus est Dominus, vt perderet illum: & deprecatus sum pro Aaron tempore illo. Et reliqua gesta percurrens, inquit: Et nunc, Israël, quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in omnibus mandatis eius, & ferias Domino Deo tuo ex toto corde tuo? Et ne suspicentur Deum ista propterea legibus cauere, quòd victimis indigeret, subintulit: Ecce domini Dei tui est cœlum, & cœlum cœli, & terra, & omnia quę continentur in eis. Veruntamen præelegit Dominus patres vestros vt eos diligeret: & elegit semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus. Ex his doceмur proborum virorum filios frui bonis propter maiorum pietatem. Aperit præterea quænam circuncisio sit Deo grata. Circumcidite enim, ait, duritiem cordis vestri, & ceruicem vestram ne indуretis amplius. Hæc autem dicebantur ijs qui præputium nondum habebant amputatum. Iosue enim filius Naue transmissо Iordane circuncidit eos in Galgalis. Atqui licet minimè essent circuncisi, non præcipit vt circunciderent præputium, sed duritiem cordis & ceruicem duram. Siquidem longè præstantior est circuncisio cordis. Eadem de re dominus Deus instituit accusationem aduersus eos per Hieremiam propheram. Omnes enim gentes (inquit) carne sunt incircunciſæ: verùm domus Israël incircunciſa sunt corda. Hier. 9. g.

8 Quomodo intelligitur illud: Dominus enim Deus vester, ipse Deus deorum est, & Dominus dominorum? Deut. 10.

Deos appellat iudices. Dijs enim, inquit, non detrahes, & principi populi tui non maledices.

ledices. Et vbi septuaginta dixerunt, Adduces eum in iudicium: qui secuti sunt Aquilam & Symmachum interpretati sunt, Adduces eum ad Deos, vocantes Deos, iudices. Horum Deorum ipsum esse Deum asserit, non autem falsorum Deorum. Sed hæc iam pluribus explanauimus.

Deut. 12. *9 Quisnam intellectus huius: Non facietis omnia quæ nos facimus hic hodie, singuli quod sibi placet?*

In omnibus locis in quibus tentoria fixerat, obtulerant domino Deo sacrificia, ædificatis altaribus exrudi lapide, idque antequam constructum esset tabernaculum. Eo verò composito, non ita diuina sacrificia peragebant, non quòd vno tantum in loco illa celebrarent, sed in vnaquaque mansione. Siquidem spatio quadraginta annorum in solitudine consumptorum continenter migrabant. Prohibet igitur in terra promissionis hæc fieri: ne occasionem inde capiant falsis dijs sacrificandi. Denunciat autem & admonet vt in eo loco quem elegerit dominus Deus, sacrificia celebrent, mactent, & precentur. Erit enim, inquit, locus, quem elegerit dominus Deus vester vt inuocetur ibi nomen eius, illic offeretis omnia quæ ego præcipio vobis hodie, holocausta vestra & victimas. Donaria verò reliqui exposuerunt spontanea, id est, quæcunque offerre sponte volueritis. Vbi verò inhibuit offerre sacrificia in omni loco, carnes edere volentibus permisit, in vrbibus quidem in quibus morantur, sacrificante sacerdote, & sanguine super terram effuso: iussitque vt sine discrimine tam mundi quam impuri carnibus vtantur huiusmodi: docens hæc sacrificia non esse diuina, sed communia. Nam ex sacrificijs non licebat immundis hominibus quicquam sumere. Vnde meritò subiunxit: Edite illud, veluti capream aut ceruum. Aut eius generis animalia munda quidem erant, non tamen offerebantur in sacrificium.

Deut. 12. c. *10 Cum lege cauerit offerri decimas sacerdotibus, qui sit vt dixerit, Non poteris in vrbibus tuis edere decimas frumenti tui, vini tui, & olei tui?*

Duas rerum decimas dedicari præcepit, vnã Leuitis offerri, alteram autem vendi, & pretium eius in cõuiuium illorum, & curam viduarum, orphanorum & aduenarum insumi. Epulari verò iussit eos in loco sacro. Porrò sapientissimus dominus ista lege complexus est, liberans eos ab errore falsorum Deorum. Cùm enim doctor impietatis humano genere gulę & voluptatum illecebris subiugato, festis dæmonum ludicra permulta miscuisset, is qui sagacissimus est, Israelem ab illo errore liberare desiderãs, etiam de his quæ pertinent ad festa, leges scribit, sacrificia permittit, instrumenta musica tolerat, & iubet epulari, vt talibus illectamentis idolorum cultum impium amputet.

Ibidem. d. *11 Ad quid tam frequenter interdicit esum sanguinis?*

Ipsemet legislator asserit sanguinem animalis esse ipsius animam. Existimo tamen & alium esse legis scopum, nempe vt cruentum eorum sanet animum. Si enim manducare sanguinem animalium ratione carentium, est animam edere, quanto scelestius erit animam rationalem à corpore separare?

Deut. 13. *12 Qua virtute propheta qui contraria docet, edit miracula?*

Permittente Deo dæmones operantur. Sic & medici Pharaonis prodigium virgæ, fluuij & ranarum ediderunt: ita concedente sapientissimo Deo ad arguendam operantis insaniam. Iussit enim vt plagas à Deo missas augerent ipsi, qui tamẽ dissoluere supplicia nõ poterant: imò ne muscas quidẽ abigere. Nam quæ Deus concesserit, ea sola operati sunt: quod etiam hic declarauit. Cùm enim dixisset: Si surrexerit in te propheta, aut qui somnium somniasse se dicat, vsque ad hunc locum, quia tentat vos dominus Deus vester & ex tota mente vestra. Nimirum permissu Dei pseudopropheta prodigiosa facit. Instruimur autem non attendendum esse signis, quando is qui edit illa, pietati contraria docet. Statuit itaque vt pseudopropheta interficiatur, & liberetur populus à praua doctrina: delebitis enim, ait, peruersum illum à vobis ipsis. Et quia poterat accidere vt frater amicus aut cognatus huic inseruiens errori conaretur alijs imponere, necessariò de eo legem tulit, & constituit vt sit notorius impietatis ille magister, & in eum primum lapidem mittat ille qui huiusmodi sermones audierit, & ita populus vniuersus pernicioſum illum lapidibus obruat: vt horum supplicio sapiant alij.

Deut. 14. *13 Quid sibi vult: Non augurabimini, neque caluitium imponetis in medio oculorum vestrorum super mortuo?*

Arcet eos à moribus impiarum gentium. Et per hanc dictionem οὐ φοιβήσετε, id est, non augurabimini, explosit vaticinia. Illum enim falsum vatem Pythium appellabant Phœbum. Per ista verò, Non facietis caluitium in medio oculorum vestrorum super mortuo: luctum immodicum prohibet. Quidam enim extrancarum gentiũ pilos capitis abradebant, & hos offerebant mortuis, alij pilos barbę, alij supercilorum. Lex diuina prohibuit ista fieri. Duas autem decimas omnium rerum seponi iussit, vt hic manifestè declarauit, quando constituit vt populus duas decimas offerret, vnam Leuitis, alteram in rationem epularum faciendarum. Decimam enim, inquit, addecimabis vsque huc in loco quem elegerit dominus Deus tuus, vt inuocetur nomen eius ibi. Quòd si vnica esset decima, quomodo fieri posset vt eam Leuitæ caperent, & eadem in conuiuium offerentium expenderetur? Verùm satis constat eum decimam vnam Leuitis distribuisse, alteram autem offerentium epulis, quod quidem subsequentia demonstrant. Si enim, ait, longior abs te fuerit via, vende, vsque ad hunc locum, Et tu, & Leuita qui est in vrbibus tuis. Deinde statuit de his quæ donari debent Leuitis. Post tres annos asferes omnem decimam, vsque ad hunc locum, & comedent & saturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis, quæ egeris. Iosephus inde nactus occasionem, aut potius Iudæorum morem, probè

probè sciens, quippe cùm esset Iudæus, asseruit legem constituisse vt tres offerrentur decimæ, vna Leuitis, altera pupillis & viduis, tertia in epulum offerentium.

Deut. 15. d. *14 Quare primogenitum mutilatum prohibet offerre?*

Ab animalibus ratione carentibus instruit homines ratione præditos, consummatę debere esse sapientiæ ad omne opus bonũ apparatæ.

Deut. 16. *15 Quænam azymorum ratio?*

Lex docuit nos, ait enim: Septem diebus comedes panem afflictionis: quoniam in labore egressi estis ab Aegypto. Sed iam abunde de hoc diximus, cùm Exodum interpretaremur.

Deut. 16. d. *16 Quid hoc est: Iuste persequeris quod iustum est?*

Iuxta viri iusti intentionem (inquit) non ob vanam gloriam, neque propter humanum aliquod emolumentũ, sed ipsius boni gratia. Sunt enim quidam qui animo quidem nihili faciunt quod iustum est, tamen propter eos qui reuera complectuntur illud, simulant honore se prosequi quod iustum est.

Deut. 17. b. *17 Quid sibi vult hoc: Si verbum tuum discernere nõ possit inter sanguinem & sanguinẽ, inter causam & causam, inter tactũ & tactum, & quæ sequuntur?*

Si iudicando non posis, inquit, inuestigare verũ, aut probare sit ne corpus leprosum (hoc enim tactum vocat) neque discernere posis an vitiligo sit an lepra: ne damnaueris neque iudices ex coniectura: sed ad locum diuinum confuge, & sacerdoti rem expone, aut ei cui tum deducẽdi populi cura commissa fuerit: & quod ille iusserit, exequere. Quòd si quis inflatus superbia responsis pontificis aut iudicis obtemperare noluerit, morte mulctetur, & sit alterius vtilitatis exemplar.

Deut. 17. d. *18 Qua de causa statuit ne princeps multiplicet equos?*

Psal. 32. Vult eos soli Deo fidere. Qua propter beatus Dauid inclamat: Non saluatur Rex per multam virtutem: & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem: in multitudine virtutis suæ non saluabitur.

Deut. 21. c. *19 Quamobrem præcipit captiuam certo dierum numero lugere familiares suos, tum copulari cum eo qui illam bello subiugarit?*

Non vult miscere luctum cum lætitia, nec cum risu lachrymas. propterea iussit puellam illam sumere triginta dies ad lugendum, atque ita finito luctu participem esse conuersationis nuptialis. Præterea viri libidinem reprimit, iubens non voluptatis affectum, sed societatis rationem attendere. Quòd si post copulam repudiet illam, solui præcepit matrimonium, eamq; consequi libertatem pro mercede copulæ.

Deut. 21. d. *20 Qua de causa parentum accusationem aduersus filium instituit an vult esse communem?*

Quia veritatem accusationis comprobat accusantium concordia. Cõtingit enim plerunque patre sine causa filium deferente, matrem contradicere, & econtra conquerẽte matre patrem reluctari. vbi verò rem eandẽ ambo deferunt, perspicua est accusationis veritas, propter quam interfici iubet eum qui sic delatus est.

Deut. 22. a. *21 Quare statuit vt is qui pullos auium repererit, eos capiat: progenitores autem dimittat?*

Humanitatem docet. Si enim parẽtes capiat relictis pullis: intereunt planè, cùm desit qui nutriat eos. Sin autem hos & illos venando capiat, peribit vtique genus auium, si omnes talia committant.

Ibidem. *22 Cur hortatus est coronam addi domui?*

Subsequentia docent, inquit enim: Et non committes cædem alio inde labẽte. Siquidem cùm ratione nos cohonestauerit, ea vult nos vti quando rei necessitas exigit, & omnibus consulere, nec imprudenter omnia Deo committere, sed pro viribus nostris enitentes auxilium inde sperare: sicuti dum seminamus, nõ colliocamus fiduciam in terra, sed benenolentiam diuinam præstolamur: Et dum medicis vtimur, certò scimus à Deo procedere, quæ per eos confertur, sanitatem. Tantùm enim valet ars, quantum voluerit is qui donauit illam.

Deut. 22. b. *23 Quid hoc est: Non seres vineam tuam variis, ne sanctificetur quod natum fuerit, & semen ipsum vna cum gemmine vineæ tuæ?*

Et inexplebilem auiditatem amputat, & agricolis ipsis prouidet. terra enim sata diuersis seminibus, exiliores fructus producit. Præcipit ergo neque permixta semina mitti, neque varias vites inseri. Deinceps indicta mulcta, transgressori castigat lucri cupiditatem. Nam iubet vt hæc offerat. Siquidem ait, Vt non sanctificetur quod natum est.

Deut. 22. d. *24 Cur iisdem pœnis plecti iubet eum qui desponsatam alteri corruperit, quibus adulterum?*

Quoniam spõsaliorum symbola concurrunt in ea: vnde etiam ipsam vxorem appellauit. Humiliauit enim vxorem proximi. Hunc in modum sancta quoque virgo nuncupata est vxor ipsius Ioseph. Ne timeas, ait, accipere Mariam coniugem tuam.

Deut. 23. a. *25 Propter quid eum cui contrita sunt aut excisa virilia, arcet ab ingressu ecclesiæ?*

Sterilitas animæ per hæc denotatur. Alienum enim est à Deo, fructus bonorum operum non producere. Alioqui non solùm in hominum genere, sed & in pecoribus tale quidpiã admitti prohibet, propterea quòd ad multiplicationẽ generis creatæ sint hæ partes genitales. Verùm sicuti sterilitatem interdicit, ita fructum malum repellit. Non enim ingredietur ex meretrice natus in Ecclesiam Dei.

Deut. 23. a. *26 Quare non ad certum tempus, sed in perpetuum vetat eos cõmunicare cum Moabitis & Ammonitis?*

In primis propter infectam eorum radicem, cùm ex illegitimo congressu nati sint. Deinde propter impietatem ad quam tentauerunt adducere Israëlitas, adornantes vxores, & per eas ad cultum idolorum illos venantium instar allicientes. Cum Idumæo tamen & cum Aegyptio conuersari iubet post tertiam generationem: & cum hoc tanquam cum fratre, cum illo verò tanquam benefico tempore opportuno. Vrgente enim fame patres nostri accedentes acceperunt ab Idumæis alimenta. Lex igitur docet nos antiqui beneficij non obliuisci.

Ibidem. c. 27 *Quid hoc est: Nam Dominus Deus tuus deambulat in castris tuis?*

Aër aliquo fœtore perfusus solet pestem vt plurimùm producere. Idcirco mandat agentibus in exercitu, vt quæ egeruntur, in terram defodiant. Et ne non credentes damnum aliquod inde sentirent, necessariò subdidit: Quia Dominus Deus tuus deambulat in castris tuis. Et rationem subijcit: Vt egrediaris tu, & tradat tibi hostem tuum ante faciem tuam. Ex eo nos docet nihil agere debere quod sit indecorum. Hoc enim subinfert: Vt sancta sint castra tua, & non inueniatur in te rei cuiusquam deformitas.

28 *Quid significant hæc, Initians, initiatus, & initiata?*

Quemadmodum nos appellamus eos fideles qui sunt mysteriorum diuinorũ participes: ita gentes vocabant initiatos qui dæmonum quorundam imbuti erant mysterijs. τελέσφορον igitur dicit ẽum qui sacris imbuit: τελισκόμενον verò, qui sacris imbuitur.

Deut. 23. d. 29 *Quid est hoc: Quæ egrediuntur de labiis tuis, seruabis?*

Vbi promiseris aliquid Deo, exstimans debi tam esse pollicitationem, da operam vt quamprimùm eam præstes. Hoc enim ait: Non tardabis reddere votum tuum, quoniam requirens requiret Dominus Deus tuus à te: & erit tibi peccatum. Postea docens esse in facultate animi promittere aut non, subiunxit. Si autẽ nolueris vouere, non erit tibi peccatum. Vnde etiam beatus Dauid: Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea: & locutum est os meum in afflictione mea. Denuo ferens legem de lepra meminit Mariæ dicens: Memineris quæ fecerit Deus tuus ipsi Mariæ in via. Innuens fuisse plagam à Deo missam, quam peccantibus ipsis infligebat Deus, & rursum pœnitentiam agentibus cessare faciebat. Cæterùm soluit ambiguitatẽ super commintione in filios. Dixit enim: Non morientur patres pro filijs, neque filij pro parentibus. Quisque ob proprium peccatũ morietur. Nam erat verisimile patres consulere filijs quæ conferebant: nihil autem iuuare propter illorum incredulitatem, & filios patribus meliores esse.

Deut. 25. 30 *Quare cum Deus præceperit delinquẽtem vapulare quadraginta plagis, Iudæi vna minus inferunt?*

Quia maior numerus vapulantem infamat. Si enim ceciderint eum pluribus, deformis abibit frater tuus in conspectu tuo. In eo transgredi legem permittunt, ne exactum obseruantes numerum, etiam nolentes vapulantem infament pluribus plagis illatis.

Ibidem. b. 31 *Quid est, Non alligabis os bouis triturantis?*

Huius deductionis sublimiorẽ intellectum nobis aperuit diuinus Paulus. Attamen ipsum per se propositum valde pium est. Siquidẽ periniquum est, terram arantem, & messem cum labore triturantem, fructus non esse participem.

Deut. 25. e. 32 *Qua de causa conspui iubet fratrem defuncti sine liberis, vxorem eius ducere nolentem?*

Necessitatem diligẽdi fratris adfert ab infamia. Satius enim erat affectione naturali permotum consulere mortuo. Sed quia non omnes naturæ legem reuerentur, infamiæ pœnam necessariò ipsis imponit.

Ibidem. d. 33 *Cur mandat deleri prorsus Amalec?*

Erant impij, & fratres oderant. Nam cùm ab Esau genus ducerent, primi suscepерunt bellum aduersus Israëlẽ, qui tamen procul erat, & nec dum attigerat terminos illorum. Deinde clariùs præcepit duas decimas separari, & sic ait: Cùm compleueris decimare omne id quod nõ- *Deut. 26.* dum erat decimatũ ex frugibus terræ tuæ, anno tertio secũdam dabis decimam Leuitæ, aduenæ, viduæ, & pupillo: & comedent in vrbibus tuis, & saturabuntur. Atqui quòd non vnica die propheta doctrinam hanc proposuerit, ista demonstrant. Præcepit enim Moyses & *Deut. 27.* senatus Israël dicẽtes: Cauete vt impleatis omnia præcepta hæc, quæ ego præcipio vobis hodie. Postmodum iussit Dominus Deus Iordane transmisso duos erigi lapides ingentes calce leuigatos, & illis hæc mandata inscripsi: tum in monte Gebal ædificari sibi altare ex lapidibus naturalibus & rudibus, & præscripta sacrificia peragi, & præter alia veluti quoddã sacrificium pacificum & salutare, postremò epulari, Deum erga illos beneficum hymnis prædicantes.

Deut. 27. & 28. 34 *Qua de causa subiecit eos maledictionibus & benedictionibus?*

Cùm Dominus Christus perfectam sciẽtiam traderet perfectis, pollicitus est implentibus istaregnum cœlorum, transgressoribus autem gehennam comminatus est. At verò Iudæis humi repenti præditis animo, & terrena sapiente, terrenas maledictiones & benedictiones indulsit. Qui enim ne conspicuis quidem miraculis credebant, quomodo susceпissent quæ spectãt ad vitam futuram? Notandum est autem benedicendi facultatem concessisse tribubus ex liberis oriundis, & ibidem vnà cum populo tribum sacerdotalem connumerasse. Insuper tribum Ioseph duplicem velut vnicam benedicere iussit. Ad maledicendum verò semiseruos constituit, & cum ipsis propter numerum tribuum collocauit Ruben & Zabulon: illum, vt qui in scelus prolapsus erat: hunc, velut postremum filiorum Liæ. Itaque ante alia omnia maledici iubet eos, qui sunt erga diuinum numen impij, & simulacra manufacta adorant. Secundo loco eos qui delinquunt in matres. Aequum enim est, secundum Deum eos colere per quos consecuti sumus vt essemus. Tum illos qui cæcis illudunt, & eos à vera via seducere nitũtur. Et vt semel dicam, omnes qui prædicta mãdata prætergrediuntur. Sacerdotibus autem hæc pronunciantibus iussit populum subinferre, fiat: veluti subscriptionem quandam tabellæ vocem hanc ab ipsis referentis. At verò mandata diuina seruantibus omnimodas confert benedictiones, tum incolentibus vrbes tum ruri habitantibus, nempe filiorum prosperitatem & multitudinẽ, gregum & armentorum fœcunditatem, terræ fertilitatem, tranquillitatem vitæ, in bellis denique victoriam, & his similia.

Addidit

Addidit etiam corporis spiritalẽ benedictionem: Constituet te Dominus sibi populum sanctum, sicut iurauit patribus tuis. Adiecitque talem definitionem: Si exaudieris vocem Domini Dei tui, & ambulaueris in vijs eius. Qui enim isthæc viderint aut audierint, metuent secum reputantes prouidentiam diuinam qua fruimini. Porrò illud, Esse in caput, & non in caudam, imperantem & non seruientem vult dicere. Hoc enim subdidit, Et eris supra, & non subter. Postea subijcit & maledictiones contraria prædictis benedictionibus continentes: videlicet, angustiam, duritiem, inopiam, morbos, miseriam, famem, pestem, bellum, in bello succumbere, pluuiarum penuriam, sterilitatem terræ, (significat enim hoc terra ferrea, & cœlũ æneum) insuper quæ contingere solent in obsidione. Duces vxorem, & vir alius eam accipiet: Aedificabis domum, & non habitabis in ea: Plantabis vineam, & non vindemiabis eam. Mactabitur corã te vitulus, & non comedes ex eo: & quę sequũtur, eiusdẽ sunt sententię. Adiũgit etiãcõminationes vlcerũ, & varias affectiones, &(quod omnium grauissimũ est) mancipationes. Aduena, inquit, qui est apud te, ascendet supra te: tu verò descendes deorsum. Obscurè per hæc innuens, vocationem gentium ad cultum diuinum: & ipsorum Iudæorum incredulitatem prædicens ipsis: & eam quæ postea cõtigit, ab Assyrijs, Babylonijs, Macedonibus, & tandem à Romanis obsidionem, & calamitates illius. Comedes enim, inquit, filios ventris tui, carnes filiorum tuorum ac filiarum tuarum quos tibi donauerit Deus, tempore angustiæ & afflictionis tuæ, qua te affliget inimicus tuus: & reliqua alia quæ post euentum rei Hieremias propheta retulit in lamentationibus ab eo scriptis. Nec solùm comminatus est ista transgredientibus mãdata diuina, sed alia similia comminatus est eis, seruitutem Aegyptiacam, quam erant experti, cuiusue impressam habebant memoriam. Qui enim te mancipauerunt, ait, tradent te.

Ibidem. e. 35 *Quare maledictiones istas & benedictiones patribus eorum non concessit?*

Habet igitur liber iste præter cæteros nouam quandam doctrinam: quod etiam propheta notauit. Nam cõpleto sermone de maledictionibus & benedictionibus, subiunxit: Hæc sunt verba testamenti, quod mandauit Dominus Moysi, vt constitueret cum filijs Israël in terra Moab, præter fœdus quod pepigerat cum ipsis in Horeb. Introducturus enim illos in terram promissam, bonorum pollicitationibus blãditur, & pœnarum comminationibus terrefacit eos, omnem denique tentat meatum, vt eorum sanet animos.

Deut. 28. 36 *Qui fit vt plures sint maledictiones quam benedictiones?*

Improbi serui non tam mouentur promissionibus libertatis, quàm plagarum comminationibus.

Deut. 29. 37 *Quomodo intelligendum est illud: Non dedit Dominus Deus vester vobis cor intelligens, nec oculos videntes, neq; aures audientes vsq; in hodiernũ diem?*

Intelligi debet quemadmodũ & istud: Tradidit illos in reprobum sensum, & tradidit eos *Rom. 1. d.* in passiones ignominiæ. Et, Indurauit Domi- *Exo. 10. g.* nus cor Pharaonis. Bonorum enim author est Deus, malorum autem minimè. Nam quid sit agendum ostendit, & contraria dissuadet, non tamen cogit animum humanum, sed libero suo arbitrio dimittit. At quoniam geri contraria permittit quæ prohibere posset, non tamẽ prohibet, ne vi & necessitate quadam fieri videatur quod agitur (quod enim à virtute procedit, tum laudatur quando voluntarium est) permissionem talem causam appellauit. Huic simile est quod in Euangelijs diuinis dictum est, Ex- *Ioan. 12. f.* cæcauit oculos eorum, & cor indurauit. Itaque cuniculum omnem mouit vt saluté consequerentur, edendo miracula, mutilata membra curando, nutriendis illis in deserto, & elementis imperãdo. Non igitur causa est incredulitatis eorum. Quamobrem verò testimoniũ prophetarum Euangelista citauit? Vt manifestum faceret, Deum nihil horum ignorasse, sed multo antè prænosse. Auditu enim, inquit, audietis, sed non intelligetis: videntes videbitis, & non cognoscetis. Sic intelligi debet quod hoc loco positum est: Non dedit Dominus vobis cor in- *Esa. 6. e.* telligens, nec oculos videntes, neque aures audientes vsq; in hodiernum diem. Si verò Deus non concessit illis facultatem videndi, audiendi, aut ratiocinãdi, cur maledicit & plectit non sponte delinquentes? Atqui superfluum puto de hoc prolixius disputare: perspectum enim est etiam valde stupidis, quod is qui talem doctrinam proponit, non adimit visum, sed suppeditat & illustrat, ac rectam viam ostendit. quod quidem constat ex sequentibus: Non enim vobis solis propono fœdus istud, & maledictionẽ hanc, sed etiam his qui vobiscum ambulãt hodie in conspectu Domini Dei vestri, & his quoque qui nondum sunt vobiscum hodie. Porrò qui posterorum curam habet, quomodo potest præsentes qui legem excipiunt, negligere? Item ad quid leges præscribit intelligere non valentibus? Hoc itaque sciendum est, sæpenumero prophetas vti humano more loquendi tãquam notiore. Solent enim nonnulli seruos aut discipulos obiurgãtes dicere: Excæcauit Deus animum tuum, aut surdas tibi reddidit aures. Tale quidpiam egit hîc propheta, & vsitatis verbis stupiditatem eorum increpauit.

Deut. 29. e. 38 *Qui debet intelligi, Si quis audierit verba maledictionis huius, & benedixerit in corde suo dicẽs, Pax mihi sit: nempe in seductione cordis mei ambulabo?*

Hic sermo describit eum qui se cõtumacem reddit aduersus mandata diuina. Multi enim per ignauiam committunt in legem diuinam: Plures etiam per contumaciam & superbiã aspernãtur mandata. Huiusmodi hominem subiecit velut aduersariam viam eligẽtem, & erroneam rectæ viæ præferentem: cui quidem extremum cõminatur interitũ, vt omnibus tum videntibus tum audientibus sit impietatis exemplum. Præterea instruẽs eos Deum nihil eorum latere quæ clàm fiunt, subdidit: Abscõdita

» Domino Deo veſtro, manifeſta verò vobis, &
» filijs veſtris: quaſi diceret: Vos cognoſcitis quæ
» conſpicuè geruntur, ita mihi patet vel ipſi cogitationum motus. Deinceps introducit pœni-
Deut.30. » tentię ſermonem. Si enim, inquit, mandata di-
» uina tranſgreſſus in maledictiones incideris, &
» in captiuitatem redactus ſubieris iugum ſerui-
» tutis: ac poſtea reſipiſcens ſeruitutis cauſas in
» quirens legiſlatorem tibi propitium reddide-
» ris: ille miſericordia motus reducet te, & reſti-
» tuet tibi terram paternam. Quod quidem ſæ-
penumero factum eſt, vt clariſſimè patet ex libro Iudicum, & hiſtorijs Regnorum, & Paralipomenon. Poſtremò tamen debacchãtes in ſa-
Nota hic au- luatorem, in vniuerſam terram & mare diſperſi
thoris huius ſunt: & iam quadringenteſimus annus agitur
libri ſecalum ex quo non ſunt reuocationem conſecuti. Ce-
terùm obſeruãdarum legũ facilitatem ſubiicit
» oculis. Mandatum enim quod ego præcipio ti-
» bi hodie, non ſupra te eſt, nec procul poſitum,
» non in cælo, vt poſsis dicere: Quis noſtrum va-
» let in cælum aſcẽdere, vt deferat illud ad nos,
» vt audientes illud impleamus? Neque trãs ma-
» re poſitum, vt cauſeris & dicas: Quis poterit
» traijcere mare, & illud ad nos adducere: vt poſ-
» ſimus audire & facere quod præceptũ eſt? Non
eſt tibi opus alis ad volandum, aut nauibus ad
proficiſcendum, vt diſcas quid agere debeas.
» Sed prope te eſt verbũ valde in ore tuo, in cor-
» de tuo, & in manibus tuis vt compleas illud. In-
dicat autem per os, eloquiorum diuinorũ
meditationẽ: per cor verò, promptitudinem ani-
mi: per manus ipſorum executionem mãdato-
Rom.10.b rum. Hoc ipſo teſtimonio vſus eſt diuinus Pau
» lus: Si enim confeſſus fueris in ore tuo Domi-
» num Ieſum, & crediderit in corde tuo quòd
» Deus eum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Cor-
» de enim creditur ad iuſtitiam, ore autem con-
» feſsio fit ad ſalutem. Propoſuit quoque obſer-
uationis legum & tranſgreſsionis præmia, nem-
pe vitam & mortem.

Deut.31.b.c. *39 Quare poſt ſeptennium librum hunc illis legi præcepit legiſlator?*

Non licebat illis per ocium, cùm bellum gererent, vrbes obſiderent & inde poſt victoriam terram diuiderent per tribus, per populos, per regiones, & in ſingulos, deinde ædificarẽt, terram colerent, & alia peragerent, quæ facere oportet eos qui terræ peregrinę dominium adipiſcuntur. Idcirco anno ſeptimo cùm his curis liberati fuerint, hanc fieri lectionem præcipit.

Deut.32. *40 Quæ de cauſa iuſſus eſt conteſtari cœlum & terram?*

Non quòd animata ſint, & ratione prædita: ſed quia creaturas omnes comprehẽdunt. Hoc
» idem fecit Eſaias propheta: Audi enim, inquit,
» cœlum, & auſculta terra, quia Dominus locu-
» tus eſt. Itidem & diuinus Hieremias: Obſtu-
» puit enim (ait) cœlum propter hoc, & contre-
» muit terra vehemẽtius, inquit Dominus: Quo-
niam ergo vocauit ea in teſtimonium comminationis, meritò poſt tranſgreſsionem legum cõtremuiſſe dicuntur & obſtupuiſſe. Sic Iacob & Laban tumulum vocauerunt tumulum teſtimonij: Abraham patriarcha & Abimelech Rex Geraræ puteum iuramenti: eò quòd cum iureiurando inijſſent fœdera. Gene.21.d

41 Quomodo intelligendum eſt illud: Ego prouocabo vos propter non gentem, & propter gentem inſipientem in iram vos mittam? Deut.32.c

Non gens erant infinitę aliæ nationes Chriſto ſaluatori credentes, quæ quondã inſipientes erant & ſtultæ: vt beatus Paulus inquit: E- Ad Tit.3.a
» ramus enim aliquando etiam nos ſtulti, increduli, errantes, inſeruientes deſideriis & voluptatibus varijs, & quæ ſequuntur. Quemadmodum
» ergo vos vno Deo relicto, plures falſos Deos antepoſuiſtis: ſic ego relicto vno populo cõferam omnibus gentibus ſalutem. Verùm illi coluerunt eos qui verè non erant dij, nec tamẽ Deos efficere potuerunt: At ego gentes inſipientes implebo ſpiritu diuino: vos autem videntes contabeſcetis inuidia.

42 Quomodo debet hoc intelligi: Lætabuntur gentes cum populo eius, & confirment eos omnes Angeli Dei? Deut.32. Varia eſt lectio tã apud Hebræos, quàm apud Septuaginta.

Non tãtum Iudæorum multæ myriades crediderunt in Chriſtum Dominum, ſed etiam ex gentibus per orbem diſperſis maxima multitudo credidit: verùm qui crediderunt ex Iudæis, doctrinam attulerunt gentibus. Siquidem erãt ex Iudæis diuini Apoſtoli. Hæc prænuncians propheta ait: Lætamini gentes cum plebe eius,
» id eſt, cum his qui ex Iudæis crediderũt: & con-
» firment eos omnes Angeli Dei, nempe illos qui
in ipſum crediderunt. Nam quando natus eſt ſaluator noſter, chorus Angelorum laudabat
» beneuolentiam diuinam, inclamans, Gloria in Luc.2.b
altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ
» voluntatis: Partum quoque ſine ſemine & con-
» ceptione futurum prædixit Gabriel archange-
lus: & in certamine cõtra diabolum initio aderant Angelorum multitudines: Accedentes e- » Mat.4.b
nim, inquit, Angeli miniſtrabant ei. Necnon »
intererant paſsioni, & poſt reſurrectionẽ ſedebant in monumento, dixeruntque mulieribus:
Quid quæritis viuentem cum mortuis? Et poſt » Luc.24.d
aſcenſionem ad cœlos dixerunt ſacris Apoſto-
lis: Quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ie- » Acto.1.b
ſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ita ve- »
niet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in »
cœlum. Cornelio etiam indicauit Angelus Actor.10
quæ ſibi à magno illo Petro imminebant. Similiter diuinus Apoſtolus dum nauigaret, his
qui ſimul nauigabant dixit: Apparuit mihi An- » Acto.27.d
gelus Dei, cuius ego ſum. Et ſimilia non pauca »
reperiet quiſpiam, ſi velit. Cæterùm hæc vbi
propheta dixit dẽ credentibus, prædicit etiam infidelium ſupplicia & eorum ſcelera ſubijcit
oculis: ſic enim ait: Quia ſanguinem filiorum »
ſuorum vlciſcetur, vindicabit & retribuet: & »
purgabit Dominus terram populi ſui. filios au- »
tem Dei vocauit ſanctos, quos interfecerunt homicidæ. Nam vt prætermittas cædes prophetarum, & paſsionem Domini ſalutarem, ſtrenuum illum Stephanum interemerunt: fuſte Iacobum magnum occiderunt: ad libidinem eorum alterum Iacobum Herodes diſtẽdit, multaque alia homicidia perpetrare auſi ſunt: & domos

domos credentium Deo publicauerunt. quod
Cap.10.g. declarauit diuinus Apoſtolus in epiſtola ad He
» bræos: rapinam bonorum veſtrorum cum gau-
2.Theſ.2.d. dio ſuſtinuiſtis. Scribens quoque Theſſaloni-
» cenſibus ſic ait: imitatores eſtote ſanctorum
» qui ſunt in Iudæa: eadẽ enim & vos paſsi eſtis
» à contribulibus veſtris, ſicut & illi à Iudæis, qui
» & dominum Ieſum occiderũt, & proprios pro-
» phetas, & nos perſequuntur, & Deo non placẽt.
» & omnibus hominib. aduerſantur. De ijſdem
Mat.21.d. quoq; Dominus accuſauit eos in parabola vi-
» neæ. Nempe quòd ex ſeruis vnum ceciderunt,
» alterum occiderunt, alium lapidauerunt: pro-
» pterea diſperſit eos per vniuerſam terram.

43 Cur ob leue delictum iuſſus eſt Moyſes procul aſpicere terram, populum autem prohibitus introducere? Deut.32.g.

Per hæc docet nos Dominus ſe ſummã virtutem à perfectis exigere: & cùm erga alios homines grauiter peccantes ſit longanimis, ſanctis tamen hanc veniam non concedere: quod
Sapient.6.a. quidem ſapiens dixit aliquis: Tenuiſſimus ve-
» nia & miſericordia dignus, potentes autem po-
» tenter torquebũtur. Et Dominus in ſacris Eu-
» angelijs: Cui modicum datũ fuerit, modicum
» exigetur ab eo. Nec tamẽ hoc eſt ignorandum,
Dominum ex alijs alia moliri: ſicuti profectò
non permiſit hunc ſummum prophetam introducere populum in terram promiſsionis, ne illum tanquam Deum colerent Iſraëlitæ. Qui enim anima carentia pro dijs habuerant, & imaginem vituli Deum appellauerant: multo magis profectò eũ vt Deum venerati fuiſſent, cuius miniſterio tãta ſunt adepti. Eadem de cauſa ſepulchrum eius latere voluit, qui noſtra ſapienter adminiſtrat Deus. Porrò ſciendum eſt
Luc.16.g. Moyſen repræſentare legem, eamque nomine
» Moyſis vocitari. Habẽt, inquit, Moyſen, & pro-
» phetas. Et, Vſque in hodiernum diem quando
» legitur Moyſes. Et, Regnauit mors ab Adam
» vſque ad Moyſen. Sicut enim Eſaiam appella-
mus non prophetam ſolùm, ſed etiam librum illius, & Hieremiam ac Ezechielem, non homines tantùm, ſed etiam eorum libros, & Apoſtolum non ſolùm ipſum veritatis præconem, ſed & illius librũ, & eo modo lex cognominata eſt Moyſes. Ieſus autem filius Naue typum gerit ſaluatoris vniuerſæ terræ. Quemadmodum ergo Moyſes eduxit populũ ab Aegypto, Ioſue verò ipſum in terram promiſſam introduxit: Ita lex ab impietate liberat credentes. Euangelica autem gratia introducit eos in regnum cœlorum.

Deut.33. *44 Quomodo ſunt intelligendæ benedictiones tribuum?*

Meminit in primis propheta apparitionis diuinæ, quæ contigit in monte Sina. Dominus e-
» nim, ait, ex Sina venit, & apparuit nobis in Seir,
» & illuxit è monte Pharan cum millibus Cades,
» id eſt, ſanctis. A dextris eius Angeli cum eo.
» Tam in ſolitudine Pharan quàm in Seir diuina
prouidentia fruebãtur. Cades autem hic dicit non deſertum intelligẽs, ſed interpretationem nominis. Cades enim hebraica voce ſanctum ſignificat. Inquit ergo multa millia Angelorum vnà fuiſſe cum Domino cùm illos ſua prouidentia regeret. Sed neceſſariò addidit. Et o-
» mnes ſanctificati ſub manibus eius, & hi ſub te
» ſunt. Nam licet naturæ ſint inuiſibilis, ſub tuo
» tamẽ degunt imperio, cùm te creatorem agno-
ſcãt. Porrò prædicit quòd is qui nunc elegit Iſraëlem, paulò pòſt omnes etiã gentes ſit vocatu
rus, & amborum rex & princeps futurus ſit. E-
» rit enim, ait, apud dilectum princeps congre-
» gatis populis cum tribubus Iſraëlis. Hæc vbi
» dixit, primùm benedicit Reuben, ſoluit pater-
nam maledictionem, opponens fraternum amorem ſceleri in patrem admiſſo. Poterat autem tanquam legiſlator maledictionem in benedictionem cõmutare. Viuat Reuben, & non Hic varia lectio.
moriatur, & ſit multus numero. Siquidem cùm
» dixiſſet pater: Defeuesces velut aqua, hoc eſt
» non calefies ad multiplicandam ſobolem, meritò poſterorum multitudinem illi precatur.
Deinde tranſcendens ordinem, Iudæ confert benedictionem propter Dominum hinc ſecundum carnem oriundum. Certum eſt enim, inquit diuinus Apoſtolus, quòd ex Iuda ortus ſit
Dominus noſter. Prænunciat etiam regnum Dauidicum. Exaudi, inquit, Domine vocem
» Iuda, & ad populum ſuum redeat. Manus eius
» dijudicabunt ei, & eris ei adiutor contra ho-
» ſtes eius. Poſteaquam regiam tribum benedi-
» xit, tranſit ad ſacerdotalem. Date Leui manife-
» ſtos ipſi, & veritatem illius vero ſancto. Hume-
ro ſacerdotis imponebatur rationale, quod cõ- Sacerdotum integritas.
tinebat manifeſtationem & veritatem. nam
per illud multa declarabantur. Claris autẽ co-
hæret veritas propter certitudinem declaratorum. Quem tentauerunt in tentatione, & con-
» uitiati ſunt ei ad aquam contradictionis. Me-
» minit eorum quæ in illum & fratrem commiſ-
ſa ſunt. Qui dicit patri ſuo & matri ſuę: Non vi-
» di te, & fratres ſuos non nouit. Cuſtodiuit elo-
» quia tua, & pactum tuum obſeruauit. Integri-
» tatem ſacerdotum exponunt hæc verba. Nam
omnia quæ ſpectant ad vitam, debet ſacerdos contẽnere, & in miniſterio diuino aſsiduè verſari, propterea nullã ei dedit hæreditatem, nec
per legem conceſsit, vt ei poſſeſsionem habere liceret: ſed cauit vt ab omni populo primitiæ atque decimæ ei præſtarentur, vt à curis huius vitæ liberati, ſanctè peragant ordinatam ſanctificationem. verbi gratia, Aaron primo pontifici non fuit conceſſum vt filios defunctos curaret. Sic itaque ait: Perficientes ſeipſos docebũt
» Iacob iuſtificationes tuas, & legem tuam Iſrae-
» lem, & imponent incenſum in ira tua perpetuò
» ſuper altare tuum. Quod factum eſt dum incre
» paretur populus. Nam Aaron offerens incen-
ſum cohibuit mortem quæ à Deo mittebatur.
Inde poſtulat ipſis benedictionem: Benedic
Domine fortitudinem eius, & opera manuum
» eius ſuſcipe. Qui enim Deo miniſtrant, valetu-
» dine corporis opus habent, ne quid obſit ani-
» mi prõptitudini. Proſterne lumbos inſurgenti-
» um inimicorum eius: & qui odetũt eum, ne cõ-
» ſurgant. Per hæc tyrannorum audaciam repri-
» mit, & in memoriam reducit ea quæ paſsi ſunt
Core, Dathan & Abiron, qui ſeditionem moue
rant in ſacerdotes.

Deut. 33.b. *45 Quare posuit quarto loco Beniamin, cum postremus esset?*

Illius tribus erat metropolis, in qua ædificatum est templum. Quapropter meritò post sacerdotalem tribum sacram ædem collocauit. Hoc autem ipsa benedictio proloquitur: Dilectus enim, inquit, à Domino habitabit cõfidenter. Et causam fiduciæ demonstrat: Et Dominus obumbrabit illi omnibus diebus, & inter humeros eius requiescet. Accedens enim ad templum diuinum perpetua illius prouidentia fruebatur. Istud autem: Inter humeros illius requiesceat, de Deo dixit, vt qui Hierosolymis construi templum iusserit. In illo enim peculiariter apparebat. Postea benedicit tribus Ioseph, duabusque tribubus simul confert benedictionẽ. De benedictione Domini terra eius. De pomis cœli, & rore, & de abyssis fontiũ deorsum, opportunę sint fruges à conuersionibus solis. De congregatione mensium, de vertice montium principatus, & de vertice collium æternorum. Precatus est ea quæ donantur è cœlo, & fructus qui præstantur à terra, quos irrigant pluuiæ, rores fouent, concoquit sol secundum opportunitatum & mensium discursus. Producit autem illos terra nõ solùm plana, sed etiam montosa. Ad confirmandam benedictionem inserit mentionem Dei, qui apparuit in rubo: asseritq; illum iure primogenituræ eam cõsecutum esse: & ob id ait tribum bipartitam esse, vnamq; duas fieri. duplam siquidem portionem accipiebant primogeniti. Et vt tribuum ostenderet potentiam, cum tauro & monocerote comparauit eas: & iuxta benedictionem auitam prætulit Ephraim ipsi Manassę. Ipsis verò Zabulon & Issachar, illi quidem in regione maritima habitãti, huic autem vt terram incolenti, deprecatus est in bellis victoriam & auxilium diuinum, ac bona è mari prouenientia. Gentes enim, inquit, exterminabunt, & inuocabunt illic, ac immolabunt sacrificium iustitiæ: Diuitias marinas sugent, & mercaturam habitantium iuxta mare. Siquidem qui proximi sunt mari, non tantùm suis fructibus, sed & bonis vndecunque allatis fruuntur. At verò Gad comparat cum Leone: De quo patriarcha Iacob sic ait: Piratarum dolus insidiabitur ipsi Gad, sed ille parabit insidias pedibus eorum. Cognominauit Dan catulum leonis exilientem è terra Basan. Nam ex inopinato irruentes in ciuitatem Laissam, hanc ceperunt, & interfectis habitatoribus eius suum esse domicilium declarauerunt. Ipsi verò Nephthalim tam terræ quàm maris fœcunditatem denunciat, cùm is mare incoleret, habens à noto Galilæam: quod is qui & propheta & Euãgelista est, dixit. Terra Zabulon & terra Nephthalim, & reliqui maritimam gentium Galilæam inhabitantes, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Symmachus abundantiam acceptorum interpretatus est satietatem beneplaciti: quæ eandem habent sententiam. accepta sunt enim quæ bene placent. Postremò ipsi Asser terræ fructus vberes & diuitias marinas exopotát. Istud enim: In oleo tinget pedem suum, ac ferrum & ęs erit calceamentum eius, bonorum copiam significat.

46 Quamobrem non benedixit Simeoni? Deut. 33.b

Fraternus amor Ruben fuit illi benedictionis occasio. Nam illius ergò liberatus est à maledictione. Leui similiter ob magnum illum Moysen benedictionem adeptus est: quandoquidem tribus illa quæ dissoluebat aliorũ maledictiones, multo magis suam soluebat. Porrò Simeon nullam habuit ansam maledictionis, vt benedictionem consequi deberet. Ego verò arbitror eum authorem fuisse præcipuum structarum in Ioseph insidiarum: quod inde conijcere licet, quia vir ille admirandus alios omnes (fratres) dimitti iusserit, hũc autem solum cõprehendi, vinciri, & in carcerem trudi. Sed hic nihilominus benedictione nõ caruit, quia non solùm peculiarem cuique tribui dedit benedictionem, sed omni populo communem. Habitabit enim, ait, Israël confidẽter solus super terram frumenti & vini, & cœlum tibi roscidum erit. multaque alia benedictioni addidit. Finitis igitur benedictionibus ostendit Deus prophetæ terram vniuersam, quam ingredi ipsum prohibuit. Quæ quidẽ res præfigurat id quod à saluatore nostro dictum est: Multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quę auditis, & non audierunt.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,

IN IESVM FILIVM NAVE.

ET factum est post mortem Moysi serui Domini, vt loqueretur dominus ad Iesum filium Naue ministrũ Moysi dicens: Moyses seruus meus mortuus est. Nunc ergo surge, & transi Iordanem tu & omnis populus iste, in terram quam ego daturus sum illis. Docuit nos sapientissimus Paulus, testamentum vetus noui
1.Cor.10.c fuisse figuram. Hæc enim omnia, inquit, in figura contingebant illis scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorũ deuenerunt. Et scribens ad Galatas sic ait: Scriptum est quòd Abraham duos filios habuit, vnum ex ancilla, & vnum ex libera. Sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est: qui verò ex libera, per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, & quæ sequuntur. Non quòd reijciat historiam, sed vt veritati figuram reddat, Abraham Deo, duas vxores duobus testamentis, filios populis. Sic & hoc loco per Moysen debemus intelligere legem: per Iesum, eiusdem cum illo nominis saluatorem. Quòd autem lex appellata sit Moyses, iam demonstrauimus, vsi testimonio scripturæ diuinæ. Habent enim, inquit, Moysen & prophetas. Et, Vsq; in hodiernũ diem quando legitur Moyses, velamen positũ est super cor eorum. Quemadmodum igitur defuncto secundũ historiam Moyse, Iesus populum introduxit in terram
Roma.10.a promissam: ita finita lege Iesus noster apparẽs, populo pio regnum cœlorum aperuit. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et lex quidem & prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt: à diebus autem Ioannis regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiũt illud. Sed quomodo nomen ministri quadrat Domino nostro Iesu Christo? Inquit enim de Iesu filio Naue: Dixit Dominus Iesu filio Naue ministro Mosis. Audimus quoque Apostolum dicentem: Dico autem Iesum Christum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum. Et rursum: Vbi autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt filiorũ adoptionẽ reciperemus. Factus igitur sub lege sic declaratus est minister circũcisionis. & Iudęis, inquit in hunc modum: Si Moysi credideretis, crederetis & mihi. Nam de me locutus est ille. Siquidem illi dixerunt Iesu filio Naue: Sicut in cunctis obediuimus Moysi, sic obediemus & tibi.

1 Cur Deus cum promisisset se daturum illis vniuersum locum quem calcauissent vestigio pedum suorum, nempe desertum & Libanum vsque ad fluuium magnum Euphratem, non præstitit quod erat pollicitus? Cap 1.

Verba sunt clara, nec multa interpretatione indigent. Nam dictum est in primis: Omnem locum quem calcaueritis vestigio pedum vestrorum, dabo vobis. Verisimile est eos sub duce Iosue terram aliam non calcauisse. Itaq; deductio planè soluit quæstionem, quia deduxit eo modo quem dixerat Moysi, cui non quocunq; casu promissionem emiserat, Sed si seruaueritis mandata mea, & ceremonias meas. Illi ergo mox delinquentes, quod promissum erat non plenè sunt adepti. Diuini autem Apostoli non solùm obtinuerunt ea loca quæ calcauerunt, sed etiam illa in quibus eorum doctè scripta lecta sunt: & desertum olim, paradisum diuinum reddiderunt. De huiusmodi deserto dixit Esaias: Lætare desertum, & pagi illius. Et Dominus per illius linguam promisit se facturum, desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Hoc desertum fuisse quondam vt Carmelum ait. Possederunt quoque veritatis præcones Libanum, quo videtur obscurè significare salutẽ gentium, quoniam Hierusalem dicta est etiã Libanus. Aquila enim, inquit, amplis alis prædita statuit ingredi Libanum, & amputauit tenellas cedros ac cupressos. Aquilam enim λαγίον appellauit, Libanum Hierusalem, tenellas verò cedros & cypressos Regem & principes. Hos non solùm exploratores & duces emisit Iesus noster: verùm sicuti qui ab Iesu filio Naue missi sunt exploratores, credentem meretricem seruauerunt, dato ei pro signo salutis, funiculo coccineo: ita nostri saluatoris Apostoli meretricem, id est in varijs idolis recumbentem ecclesiam ab intemperantia pristina reuocarunt, & bonis æternis dignam effecerunt, non funiculo coc-
Immo Psal. 106.
cineo

cineo vtentes vt signo, sed sacratissimo sanguine salutem comparantes. Neq; verò quisquam existimet ipsam Raab esse figuram indignam
Ad Tit. 3.a ecclesia, verùm audiat Apostolum dicentem: Eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruiẽtes desiderijs & voluptatibus varijs, in nequitia & inuidia agentes, odibiles, odio prosequentes inuicem. Et iterum: Sed tũc vt ignorantes Deum seruijstis ijs qui natura nõ sunt dij. Et alibi: Eratis aliquando tenebræ, nũc
2. Cor. 6. b. autem lux in Domino. Et alio in loco: Nolite errare: Neque fornicatores, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque idololatræ, neque auari, neque fures, neque maledici, neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Deinde subijcit: Et hæc eratis aliquãdo, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Sic & Raab antea quidem erat meretrix, fideliter autem excepit exploratores: Et cùm Rex præcepisset vt traderentur, non paruit, sed oc-
Iosue 2. cultauit eos: credidit enim Deo Hebræorũ: eiusque fidem verba satis ostendunt: Scio enim, inquit, quòd Dominus Deus vester tradidit nos in manus vestras. Audiuimus enim quia Dominus Deus exiccauit mare rubrum à facie vestra cùm exiretis ab Aegypto: & quæcunque fecistis duobus regibus Amorrhæorum qui erãt trans Iordanẽ, Seon & Og, quos perdidistis. Itaque nos vbi audiuimus, obstupuimus corde nostro, nec superest spiritus in aliquo nostrûm à facie vestra, quia Dominus Deus vester est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum. Quapropter verus est sermo ille quem Dominus Deus locutus est de Pharaone. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam, & vt annuncietur nomen meũ in vniuersa terra. Nam per ea quæ facta sunt aduersus illum, innotuit omnibus Hebræorum Deus. At verò pactiones exploratorum valde consonant veritati. Quicunq; enim (dixerunt) egressus fuerit ostium domus suæ foras, ipse sibi reus erit, & nos innocentes erimus quantum ad verbũ tuum. Nobis autem salus per ecclesiam prouenit, qui verò sunt extra illam, non fruuntur æterna vita. Quæ supersunt in historia, præfigurant veritatem: Nam cùm essent transituri Iordanem dixit Dominus ad Iosue: Hodierna die incipiam exaltare te in conspectu filiorum Israel: hoc ipsum tempore veritatis etiam factum est. Sicut enim Iesus filius Naue ex miraculo apud Iordanem edito innotuit esse vir à Deo dilectus: ita Iesus noster post Iordanem & susceptum à Ioanne baptisma, doctrinæ & miraculorum fecit initium. At quibusdam videbitur forsan ineptum illud, Hodie incipiam exaltare
Ioan. 17.a te, si Domino saluatori nostro applicetur. Sed audiant illum patri dicentem: Pater, clarifica me ea gloria quam habebam apud te priusquã
Philip. 2.b mundus esset. Apostolus quoque ait: Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Exaltatus porrò non est adeptus quod prius non habebat, sed patefecit quod habebat, vtpote qui ignorabatur esse filius Dei omnium, declaratus est talis, patre apud Iordanem dicente: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Sacerdotes etiam qui portabant arcam fœderis domini, repræsentãt Ioannem Baptistam. Erat enim ille sacerdos, & pontificis filius. Sicut ergo sacerdotibus gestantibus arcam Iordanem primùm ingressis, cum Iesu duce & propheta populus omnis transijt: Ita planè vbi Ioannes incepit baptizare, & Iesus saluator sanctificauit naturam aquarum, populus pius per sacrosanctum baptisma regnũ cœlorum introijt. Duodecim autem viri ac totidem numero lapides de signabant chorũ Apostolorum. Iidem enim erant opifices & fundamenta: Super ædi- Ephe. 2.b
ficati, inquit, super fundamentum Apostolorũ & prophetarum. Et rursum idem Apostolis ait: 1. Cor. 3.b
Ego tanquam sapiens architectus fundamentũ posui. Cæterùm πῆγμα, id est, cõdensationem Symmachus interpretatus est ἄσκωμα, hoc est, tumorem more vtris inflati. Retẽtus enim impetus aquarum instar vtris tumescebat, & in fastigium attollebatur: quia terminus ab opifice positus quouis adamãtino muro fortius ipsam retinebat. Et paschæ transitus factus est, quia cùm decima die transijssent, decimaquarta festum paschæ celebrauerunt: Siquidem & in veritate post salutare baptisma, agni immaculati sumptio, participatio peragitur.

2 Quomodo debet illud intelligi: Secundo circuncidit filios Israël? Cap. 5.

Hæc verba veritatem quàm maximè prænũtiant. Nam his qui Mosaicam circuncisionẽ susceperant, præcones Euangeliorum dixerunt: Credite, & baptizetur vnusquisque vestrũ in nomine Domini nostri Iesu Christi, & accipiutis promissionem Spiritus Sancti. Hanc cir- Col. 2.b
cuncisionem non manu factam appellauit Apo Roma. 2.
stolus. Et alibi: Circuncisio cordis (ait) in spiritu, non in litera. Qui igitur secundò circunciduntur, veritatem præfigurant, cùm alioqui secundum carnem bis circuncidi sit impossibile. Sententia tamen quæ colligitur ex superficie literæ, hoc innuit. Nempe quemadmodum Deus ab initio dedit hanc legem Abrahæ, ita secundò præcepit ipsi Iosue, vt circuncideret eos qui non erant circuncisi. Lugendi sunt itaque Iudæi, qui nequeunt intelligere circuncisos quidem in varia supplicia prolapsos interijsse, incircuncisos autem seruatos esse: & illos patres perijsse, hos autem filios recepisse, quod erat promissum. Ita nos qui sumus filij, regnũ cœlorum accepimus: Iudæi verò qui patrum locum tenebant, bonis æternis exciderunt, & à cognatione patriarcharum sunt expulsi. Idcirco conueniebat Iudæos intelligere circuncisionem non esse rem necessariam. Siquidem Dominus Deus prædicens Abrahæ tempus incolatus eius, iussit vt circunciderent: vbi verò liberati sunt ipsi ab Aegyptiorum seruitute, & degerunt vitam in deserto, non postulauit vt hæc lex seruaretur, neque pœnas transgressionis exegit: quoniam apud se viuebant, non permixti nationibus alienis: nõ egebant signaculo circuncisionis.

At verò postea cùm introduxit illos in terram promissam, circuncidi præcepit, ne per conuersationem cum extraneis pietas labefactaretur. Si enim contigerat quẽpiam decipi, facile erat perspecta nota in gregem recipi: sicut oues aliquo signo notatæ si errent, reperiuntur.

Cap. 5. *3 Cur ipsos circuncidi iussit cultris lapideis?*

Circuncidendorum ingens erat numerus, & circuncisionem fieri celeriter oportebat, & ita celebrare solennitatem paschæ. Erat ergo verisimile eos qui vixerant in deserto tantũ temporis, paucos habuisse cultros ferreos. Alioqui repræsentant etiam illi cultri lapidei nostram
1. Cor. 10.b circuncisionem. Petra enim est Dominus Christus. Bibebant enim, ait, de spiritali consequente petra: petra autem erat Christus. Ipse quoq;
Heb. 4.c. dictus est gladius. Viuus enim, ait, sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti. at salutaris illius doctrina nobis offert circuncisionem. Cæterùm historia nos docet plures in Aegypto natos non fuisse circuncisos, metuentibus forte parentibus infantium interitum si circuncidissent illos. Omnes itaque (vt verbo dicam) incircuncisi permanserũt exceptis paucis qui nati sunt in deserto. Locus autem appellatus est Galgala, quod nomen libertatẽ denotat. Tunc dixit Deus omnium: Hodie abstuli à vobis opprobrium Aegypti, quę verba liberationem significant ab Aegyptiaca seruitute & impietate, & promissæ terræ adoptionem. Nos verò discimus quòd qui sacratissimum baptisma meruerit, & circuncisionem (spiritalem) suscipit, peccati contumeliam deponit.

Cap. 5. d. *4 Quis esse putandus est princeps exercitus Domini?*

Aiunt quidam visum fuisse verbum diuinũ: ego autem arbitror esse Michaëlem archangelum: vbi enim deliquissent, dixit Deus vniuersorum: Non ascendam tecum, quia populus sit dure ceruicis: sed mittam Angelum meum ante faciem tuam, qui præcedet te. Hunc puto modò conspectum fuisse ab Iesu, bono animo illum esse iubentem, & certiorem facientem de suppetijs.

5 Quomodo igitur vsus est verbis Deo competentibus, vtpote, Solue calceamẽtum pedum tuorum, quia locus in quo stas, sanctus est? Ibidem.

Quoniam dixerat ei Deus omnium: Quemadmodum fui cum Moyse, etiam ero tecum: propterea quæ audierat Moyses, audit & iste: vt confidentior euadat, velut eandem dignitatem assecutus.

Cap. 6. c. *6 Quamobrem vrbem Hiericho anathema esse iussit?*

Hanc vrbem primam post traiectum flumen ceperunt. Sicut ergo præcepit eis vt offerrent primitias fructuum: ita mandauit offerri primitias spoliorum. Præterea exerce vult eos per has leges ad obseruandas leges necessarias. Patefacit autẽ eis potentiam suam in vrbe prima capiunda sine armis aut machinis, quæ dissoluta est solo tubarum sonitu: vt cùm in acie vincerentur, agnoscerent se succumbendi dedisse occasiones, nempe diuinas leges contemnentes.

Cap. 6, d. *7 Qua de causa Raab cum esset extranea, habitauit inter filios Israel, sicuti docet historia?*

Istud etiã præfigurat ea quæ nostra sunt. Inquit enim Dominus: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere: & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Propterea dum legem conderet, etiam dixit: Vna lex erit aduenæ & indigenæ. Idcirco legislator Moyses non prohibuit Aegyptios, qui cũ filijs Israël abire voluerunt. Conueniebat itaque velut oleastrum in bonam oliuam inseri, quemadmodum inquit Roma. 11. c.
beatus Paulus.

8 Quid est: In primogenito suo fundabit eam, & in extremo filiorum ponet portas eius? Cap. 6. in fi.

Quoniam hæc ciuitas erat dicata Deo, meritò euersa erat: absurdum enim esse putabat fieri commune, quod Deo donatũ est. Maledixit autem ijs qui illam instaurarent: ita vt qui decretum prætergredi tentaret, iaciendis quidem fundamentis primogenitum liberorum abijceret: adhibendis autem portis extremum. Huiusque maledictionis facit mentionem historia Regnorum.

9 Quare castigatus est omnis populus, cum Achan furtum commisisset? Cap. 7.

Qui surripuerat, putabat perinde latere Deum, ac homines. voluit igitur Deus & hunc reprehendere, & omnibus incutere metum, vt qui diuinarum legum sunt obseruatores, coarguant transgressores, alioqui infligendi supplicij sint futuri participes. τὴν δὲ ψιλὴν Aquila στολὴν, hoc est togam interpretatus est: Iosephus autem χλανίδα, id est balteum: regulam verò massam auream. Constat autẽ ex hoc loco quòd quæ dicitur à prophetis vallis Achor, obruta est lapidibus. Etenim Emecachor, vallis Achor interpretatur.

10 Ad quid præcepit Deus, vt prius struerent insidias contra ciuitatem Hai? Cap. 8.

Docet etiam fideles vsos esse commentis humanis, nempe vt auxilio diuino. Cùm enim solo tubarum sono primam vrbem cepissent, meritò sanè discunt certare, labori incumbere, & suppetias diuinas expectare. Confestim ergo dimicantibus illis succurrit Deus, & fugientes omnes violentis fulminibus & grandine consumpsit. Porro γαισὸν quo latẽtes in insidijs excitabat Iosue, ἀσπίδα, id est, clypeum interpretatus est Iosephus, itidem & Symmachus.

11 Quidam arguunt prophetam crudelitatis, eo quod omnes prorsus trucidaret, & reges crucifigeret. Cap. 8. f.

Qui prophetam arguit, arguit etiam illum qui ita præcepit. Ipse enim per Moysen prophetam iussit omnes penitùs interfici qui terram incolebãt, nempe qui internecione digna commisissent, & deuenissent ad extremam nequitiam. Quam ob causam olim diluuiũ induxit, ac Sodomam & Gomorrham igne consumpsit. Iussit quoque propheta principes calcare pedibus ceruices Regum, vt audaciores facti alacrius in acie consisterent. Hoc ipsum etiã Dominus noster Iesus mandauit. Ecce enim, ait, dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Vtinam ergo nobis detur facultas conculcandi

candi pedibus ceruices aduersariorum.

Cap. 9. d. *12 Quare damnauit Gabaonitas ad ligna cædenda, & aquam ferendam?*

Fefellerãt tam habitu quàm verborum mendacio. Et cùm oporteret consulere Dominum Deum, postea cum illis inire fœdera, credẽtes eorum verbis mendacibus persuasi sunt, & fœdera iureiurando firmauerunt. Atqui præceperat vniuersorum Deus omnes illos interfici. Medius igitur Iosue relictus inter præceptum diuinum & iusiurandum emissum, declarat eos ministros sancti sacrificij, non quòd contumeliosum sit seruire Deo, sed valde honorificum. Oportebat autem id quod prædixerat Noẽ, finem accipere. Inquit enim: Maledictus Chananaan puer, seruus erit fratrum suorum. quæ prophetia impleta ast in Gabaonitis.

Gen. 9. c. d.

Cap. 10. c. *13 Quid sibi vult: Nonne hoc scriptum est in libro iustorum?*

Volens author docere nos huius prophetæ virtutem, nempe quòd solo verbo progressum luminarium magnorum cohibuisset, donec vicisset pro dignitate imperij: suspicatus ne quis verbis non adhiberet fidem, dixit hoc inueniri in antiquo commentario. quare constat ex hoc loco posterorum quempiam alium librum hunc conscripsisse, ex alio libro capta occasione. Istud porrò præfigurat etiam prodigiosum facinus saluatoris. Sicut enim pugnante propheta sol stetit, ita dum saluator noster morte

Mat. 27 c. sua mortem dissolueret, sol meridie continuit radios suos, & tenebris repleuit terram.

Cap. 11. d. *14 Quomodo debet illud intelligi: A Domino factum est vt indurarent cor suum, & occurrerent in bellum aduersus Israël, & trucidarentur, nec veniam vllam mererentur, sed delerentur, quemadmodum dixerat Dominus Moysi?*

Quantum ad reliquos populos Deus Israëli dederat legem, vt si obsidentibus Israëlitis oppidum aliquod legationem mitterent illi & amicitiam postularent, susciperent legationem, & obsidionem soluerent, inita pace cum illis. Hoc igitur sermone docemur Deum omnia cum trutina & mensura gubernantem, permisisse istis vt exaduerso pugnarent contra Israëlem, ne consequerentur vllam veniam, sed iuxta diuinam sententiam delerentur.

Cap. 13. *15 Quamobrem Moyses quibusdam sortes terræ distribuit, aliis vero Iosue?*

Hoc denuo veritatem præfigurat. Siquidem ijs qui citra Iordanem portiones acceperunt, Moyses terram diuisit. qui verò trans Iordanẽ partes adepti sunt, Iosue. Et illi quidẽ qui per Moysem acceperunt hæreditatem, Iudæorum figuram referunt: qui verò per manum Iosue, repræsentant gentes quæ crediderunt. At quoniam Israël est primogenitus, per manum Mosis primogeniti sortes sunt consecuti: nempe Reuben, Gad & Manasses: qui tamen & ipsi velut strenui milites cæteris præeunt. Quãdoquidem qui crediderunt ex Iudæis, salutem gentibus attulerunt. Assumpti sunt nihilominus & Iebusæi & Chananæi, aliæque gentes extraneæ, & habitarunt cùm Israele. Huiusque loci veritatem reperire licet. Non enim omnes salutare verbum receperunt, sed quidam tam ex Iudæis quàm Græcis restiterunt indurati, in ijsdẽ tamen vrbibus & pagis nobiscum habitantes: quos si quis Iebusæos, Cethæos & Chananæos appellarit, non errauerit. Et hac quidem cognominatione digni sunt, qui celebrant abominanda hæresum dogmata. Propterea diuinus Paulus ait: Nunc autem nondum videmus ipsi omnia esse subiecta. Et iterum: Oportet enim ipsum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis.

1. Cor. 15. d.

16 Qua de causa Chaleb postulauit Hebron? Cap. 14. d.

Cùm pietate polleret, cæteris omnibus antepositus hanc vrbem, in qua quàm optimi patriarchæ habitauerunt, & sepulti sunt. Porro constat ex eius sermone eos post septennium in bellis consumptum terram diuisisse. Sic enim ait Chaleb: Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses seruus Domini à Cades Barne ad explorandam terram. Et nunc enutriuit me Dominus quemadmodum dixit vsque ad hunc quadragesimum quintum annum ex quo locutus est Dominus ad Moysen. At post sententiam Dei aduersus sexcenta millia virorum latam, triginta & octo annos transegerunt in deserto: quare septem desiderantur anni ad conficiundum annos octoginta quinque: quod etiam prædixerat omnium Deus per diuinissimũ Moysem: Introducet te Dominus in terram quam promisit patribus tuis: & post septem annos recitabis hanc legem vniuerso populo. Verùm notandum est eum Hierusalem appellare Iebus, quam asserit ipsi Beniamin sorte obuenisse. Simeon autem dispersam habuit sortẽ. Obuenit enim, ait, hæreditas eius in medio sortis filiorum Iuda. Deinde cùm ciuitates recensuisset, subiunxit: Hæc est hæreditas tribus filiorum Simeon. Quoniam portio hæreditatis filiorum Iuda vincit numerum illorum, nacti sunt filij Simeon hæreditatem in medio sortis ipsorum.

17 Quare perdiuinus Iosue, cum aliis terram diuideret, sibi non distribuit aliquam portionem, sed vrbem nomine Thamnasachar accepit a populo? Cap. 19. d.

Imitatus est in eo modestiam Domini. Discite enim, ait, à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Extremam itaque expertus est inopiam, ita vt ne domum quidem haberet. Filius, inquit, hominis non habet vbi reclinet caput suum. Cùm autem eiusdem nominis Iosue typus esset ipsius, partem sibi non impertiuit, sed eam quæ oblata est accepit: docens eos qui in aliquo magistratu sunt constituti, non suis commodis sed vtilitati subditorum inseruire debere.

Mat. 11. d.

18 Cur in tribu Iuda, in tribu Beniamin, & in tribu Symeon vrbes concessit sacerdotibus? Cap. 21.

In deserto quoque dum iter facerent sacerdotes, adiuncti sunt tribui Iuda. Siquidem tam sacerdotes quàm tribus Iuda sinistram sortiti sunt partem: & hìc denuo eandem hæreditatẽ cum tribu Iuda sunt consecuti. Aloqui permixtæ fuerunt etiam hæ tribus, cùm primus pontifex Aaron filiam Animadab duxerit, & Iodaë præclarissimus pontifex sororem Ochosiæ.

Has

Has autem tribus misceri permisit Dominus Deus, propterea quòd is qui secũdum carnem è tribu Iuda nasci debebat, non rex solùm, sed etiam pontifex appellatus est. Illos autem apud tribum Beniamin habitare conueniebat, cùm in illa tribu ædificandum esset templum diuinum. Accepitque ciuitates nonnullas à tribu Symeon, eò quòd sors illius esset templo proxima. Quemadmodum enim fructuum è terra nascentium & pabulorum decimas concessit sacerdotibus & Leuitis: sic & vrbium veluti decimas assignari præcepit. Has sanè patriarcha Iacob se donaturũ Deo decimas pollicitus erat. Horum enim, inquit, omniũ quorum decimam non dederis, decimam tibi præstabo. Paternum igitur debitum exoluit populus, non donum obtulit. Præterea illorum

Cap. 22. terræ portionem comprehendebat. Finito autem bello, factaque diuisione discesserunt qui trans flumen sortes acceperant: sed priusquam fluuium traijcerent, construxerunt ingens altare: cuius ædificationis intentionẽ cùm ignorarent qui de nouem reliquis erant tribubus, suspicantes talem structuram ad impietatem tendere, statuerunt planè antepositã cognationi religione contra illos bellum inire. Verùm sapientissimus Iosue, & Eleazar miserunt Phinees, velut eum qui zelo vehementi vltus erat impietatem in deserto, vt reduceret eis in memoriam maiores illorum, & beneficia diuina: admissæque iniquitatis admoneret. At vbi audierunt illud altare pio animo structum esse, vocarique monimentum diuisionis recens factæ, nimirum vt posteri exhibere possent illud in argumentum aduersus eos qui vellent illos à diuinis comitijs & solennitatibus excludere, admodum læti recesserunt, laudantes Deum ob fraternam pietatem, & communem omniũ tranquillitatem. Hoc etiam nunc Iudæi scire & confiteri deberẽt, altare suum non fuisse verum altare, sed verum altare præsignasse. Itaq;

Cap. 23. decessurus vita propheta, vt conuocauit vniuersos, admonuit illos eorum quæ debuit, & maximè ne matrimonia contraherent cum extraneis qui inter illos habitabãt: tanquam hæc commixtio datura sit impietatis occasionem: & huic adhortationi comminationes addidit.

Si enim (inquit) hoc feceritis, cognoscetis quòd Dominus non addet vt deleat gentes istas à facie vestra, sed erunt vobis in laqueos & scandala in lateribus vestris, & in fudes ante oculos vestros, donec disperdamini ab hac terra bona, quam dedit vobis Dominus Deus vester. Sed hæc manifestius nos docet Iudicũ historia. Nouimus etiam causam propter quam non acceperunt dominium vniuersæ terræ sicuti promiserat Deus. Amplexi sunt enim impiarum gentium cognationem, quarum impietatem imitantes, spoliati sunt auxilio diuino, & eis seruire compulsi sunt. Porrò admirandus & philosophia plenus est de obitu illius sermo.

Ego enim (ait) abeo viam, qua omnes qui sunt super terram. Subijcit autem oculis eorum certitudinem diuinæ prænunciationis: Et cognoscetis in corde vestro & anima vestra, quòd ne vnum quidem verbum ceciderit ex omnibus sermonibus prospera promittentibus, quos locutus sit vobis Dominus Deus vester, omnia quæ dixit vobis, præstitit vobis. nihil ex ipsis dissonum extitit. Veritatem, inquit, promissionum diuinarum didicistis ex beneficijs præstitis. Impleuit enim quæ pollicitus erat. Hinc discite comminationum certitudinem. Hoc enim subiunxit: Et eueniet, vt quo modo venerunt super vos omnia verba bona, quæ locutus est Dominus super vos, ita super vos adducet Dominus omnia verba mala, donec penitùs deleat vos ab hac terra bona quam dedit vobis Dominus, propterea quòd transgressi estis pactum Domini Dei vestri quod pepigit vobiscum. Volens autem eos docere hæc non esse humana verba, subiunxit: Quia hæc dicit Dominus Deus Israël. Meminitque ipsius Tharæ patris Abrahæ & Nachor, in quo fecit mentionem ipsius Nachor propter genus maternum ex quo Rebecca, Lia & Rachel. Deinde docet quòd Thare coluerit Deos alienos, & propterea Dominus Deus segregauit Abraham, quem transtulit in hanc terram. Insuper addidit ingressum Iacob in Aegyptum, & exitum opera Mosis confectum, necnon editum in mari miraculum, vitam transactam in deserto, Amorrhæorum internecionem, insidias Balac, & benedictiones contra voluntatem Balaam donatas, inauditam fluminis traiectionem, & insurgentes hostes deletos, omnis denique generis bonorum fruitionem. Suadetque vt ab alienorum Deorum cultu liberari velint, & soli Deo creatori ac saluatori seruire. Proposuit autem illis optionem: Eligite enim, ait, vobis ipsis hodie cui seruiatis: aut dijs patrum vestrorum, qui habitarunt trans fluuium: aut dijs Amorrhæorum, inter quos hodie habitatis in terra ipsorum. Et sic alijs proposita eligendi facultate, animi sui declarat pietatem. Inquit enim: Ego verò & familia mea seruiemus Deo, quia sanctus est: Postmodum cùm populus respuisset cultum falsorum Deorum, promittens soli seruatori Deo seruire. Iosue perdiuinus ita suspicatus ait illis: Non poteritis seruire Domino, quia Deus sanctus est, & zelo vos prosequitur, non feret iniquitates vestras & peccata vestra quando dereliqueritis Dominum, & seruieritis Dijs alienis: & abiens affliget vos & consumet pro beneficijs quibus vos affecit. Ne putetis etiam iniquè agendo ijsdem beneficijs posse frui. Nouit enim Dominus Deus non solùm bonis afficere, sed etiam plectere transgressores. Tale igitur animi votum amplexis illis, & Domino seruire promittentibus, necessariò subdidit: Testes estis contra vos quòd elegeritis Dominum ad seruiendum ei. Hoc præterea docet historia, eum postquam admonuisset illos vt se liberarent à cultu Deorum alienorũ, & de religione leges dedisset, hęc non reliquisse sine literis, sed scriptis eorum memoriam conseruasse.

19 Quare cum erexisset lapidem, dixit: Lapis iste vobis erit in testimonium, quia is audiuit omnia quæ dicta sunt a Domino, quæ locutus est vobis hodie? Cap. 24. f.

Lapis quidem expers eſt animæ: verùm ad arguendos illos qui anima præditi ſunt & ratione, vtitur eorum teſtimonio quę carent anima ſecutus morem antiquum. Nam Iacob & Laban inito fœdere, colliculum appellarunt teſtem pactionum. Cæterùm quantum conferat princeps pius & amans Dei, perſpicuum facit hiſtoria. Seruiuit enim (ait) Iſraël Domino cunctis diebus Ioſue, & ſeniorum qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue, & qui nouerant omnia opera Domini quę fecerat Iſraëli. At poſt obitum eorum declinarunt ad impietatem, vt apparere poteſt ex calce hiſtoriæ: ſed impietatis ſuæ luerunt pœnas: quia diuino priuati auxilio redacti ſunt ſub iugum ſeruitutis, habueruntq́; pro Domino Regem Moabitarũ. Veruntamen humaniſsimus dominus promiſsionis patribus eorum factæ memor, decem & octo annis definiuit tempus ſeruitutis.

Gene. 31. f.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVÆSTIONIBVS AMBIGVIS,

IN LIBRVM IVDICVM.

QVEMADMODUM regnorum liber rerum multarũ & variarũ narrationem continet, vocatur autẽ Regna, propterea quòd recenſet ea quæ temporibus Regum contigêre populo: ita liber iſte Iudicum appellatus eſt, quia docet illa quæ tempore quo populus regebatur à Iudicibus, euenerunt. Initium autem huius hiſtoriæ arbitror eſſe recapitulationem quandã fortiter geſtorũ ab Ieſu filio Naue. Meminit enim Adonibezec, belliq́ue aduerſus illum geſti, & quomodo victus ſit atque deletus. Mentionem quoque facit terræ Hebron ipſi Caleb diſtributæ, necnon trium Gigantum interfectorum, nempe Seſe, Achiman & Tholom: quos filios Enac appellauit. Atq; probabile eſt tum illorum cædem fuiſſe prænunciatam, poſtea verò completam.

Iudic. 1. b

1 *Si iam tunc euerſa fuit Hieruſalem, qui fit vt Dauid cum regnaret, iterum illam obſidione ceperit?*

Viciſsitudines rerum permultas paſſus eſt populus, vt conſtare poteſt ex Iudicum hiſtoria. Nam interdum vincebant, aliquando vincebantur: Interdũ imperabant extraneis, quandoque ſeruiebant illis. Quare perſpicuum eſt Hieruſalem priùs exuſtam, ab Iebuſæis ſub duram populi ſeruitutem redactis inſtauratam fuiſſe. Porrò librum hunc poſterioribus temporibus ſcriptum eſſe ſuſpicor, argumẽtum ex eo capiens, quòd hiſtoria ciuitatem vocet Hieruſalem, quod nomẽ illi poſterius inditum eſt, cùm antea Iebus diceretur.

Iudic. 1. c. d

2 *Quid ſibi vult hoc: Da mihi redemptionem aquæ, redemptionem ſuperiorum, & redemptionem inferiorum?*

Qui ſecuti ſunt Symmachum, irrigationem aquæ interpretantur, & pro ταπεινῶν, id eſt, humilium, πεδινῶν, id eſt, campeſtrium dixerunt. Suggeſtum eſt autem ab Othoniele viro ſuo vt poſtularet terram bonam. petijt ergo irrigationem aquę, & adepta eſt quod poſtularat, non ſolùm terram planam, ſed etiam mõtoſam. Nam illud ſecundũ cor ſuum, deſiderabilem & gratiſsimum ſignificat. ſuperiora autem montana vocauit, plana verò inferiora.

Iudic. 1. d

3 *Qui fit vt hoc loco ſocerum legiſlatoris vocet Iobab, qui in ſuperioribus hiſtoriis Iethro & Raguel appellatus eſt?*

Intellige ſecundum Septuaginta. nam in Hebræo non eſt Iobab.

Iam dixi Iobab eſſe filium illius (nempe Iethro) Socerum autem eum vocauit, tanquam fratrem vxoris. multi enim tales appellare ſolent ſocellos. Ipſius ergo Iobab filij, nepotes ſunt Iethro.

Ibidem.

4 *Quam dicit vrbem palmarum?*

Hiericho. arbitror autem illam ſic appellatam ob fructum. Nam in proximo ſuperiore libro, mox vbi populus traieciſſet flumen, author ait: Comederunt azyma de fructu terræ, & ea die defecit manna poſteaquam manducauerunt de frugibus terrę, nec vltrà adfuit manna filijs Iſraël. meſſuerunt enim eodem anno terram palmarum. Itaque ſecundus liber Paralipomenon referẽs à quibus captiuæ ductæ ſint decem tribus è tribu Iuda, ſic ait: Et collocauerunt eos in Hiericho vrbe palmarum iuxta fratres ſuos.

Ibidem.

5 *Quomodo debet intelligi: Et erat Dominus cum Iuda, & poſſedit montem: nam eos poſſidere non potuit qui vallem incolebant; quia Rechab edixerat eis?*

Hæc non habentur in Hebraica verſione.

Meminit paſsim ſcriptura diuina Rechab tanquã valde pij viri, cuius religio ad poſteros etiam dimanauit. Ait hunc in animo habuiſſe vt vallem tribui Iuda relinqueret, ipſe verò montem occuparet (Nam erat is de tribu Iuda, ſicuti docet liber Paralipomenon) Verùm exiſtimo illum eis conſuluiſſe vt vallem fugerent tum propter incolarum impietatẽ, tum ob vicinum mare: Siquidem qui mari ſunt proximi adnauigantes è longinquis regionibus excipiunt. Atq; etiam ipſi nauigatoriam artem vehementur amplectuntur. Atqui conuerſatio cum extraneis ducta, iuſtam viuendi rationem corrumpit.

Ibidem.

6 *Quare non omnes vrbes ceperunt, ſed ingens extranearum gentium numerus habitauit cum eis?*

In primis propter ignauiam minimè potiti ſunt vniuerſa terra, deinde ob immodicam auaritiam. Subiecit enim, ait, Chananæum tributo, nec delendo deleuit eum. quod dixit author de vnaquaque tribu. Præterea tranſgreſſi ſunt legem diuinam, ac dijs alienis ſeruierũt: quapropter ſapientiſsimus Dominus Chananæorum gentem non prorſus interemit, ſed plures prope illos habitare permiſit, vt expugnati, & in ſeruitutem redacti, procedens ab errore damnum ſentirent, & confugerẽt ad conſeruatorem Deum, eiuſq́ue beneficijs fruerentur. Quòd autem non humanis adductus commentis hęc dicam, ſed ab ipſa edoctus hiſtoria, mox patefaciam. Aſcendit enim Angelus Domini à Galgalis. Galgala verò dictus eſt præputiorum locus, quod nomen Hebraica voce ſignificat libertatem. Inde mittit Angelũ refricans illis traiectionem fluminis, & natorũ circuncisionem. Poſtea quædam ab Angelo dicta recenſet: Dominus reduxit vos ab Aegypto, introduxitq́; in terram quam iureiurando firmauerat ſe daturũ patribus veſtris, & dixit vobis: non rumpam fœdus meum quod pepigi vobiſcum in ſeculum. Et vos non inibitis fœdus cũ his qui habitant in terra iſta, neque Deos illorum adorabitis, ſed eorum ſculptilia contereris, & aras eorum euertetis. Verùm non audiſtis vocem meam quando hoc egiſtis. Et ego, ait, non addam vt migrare faciam populum, hunc quem expulſurum me dixeram à conſpectu veſtro: ſed erunt vobis in captionem, & dij eorum vobis erunt in ſcandalum. Tranſgreſsi eſtis legem meam, inquit, neque ſeruaſtis præcepta mea. Pacem inijſtis cũ peccati magiſtris, & dijs illorum ſeruijſtis, adepti eſtis quod expetebatis, & meſſuiſtis grana ſeminum veſtrorum. Qui enim metu mortis fugiebant è bello, vobis inferre bellum non deſinent, eorumq́; dij mancipabant animas veſtras. Hæc vbi dixit Angelus, fleuit populus. vnde locus ille, flentiũ locus appellatus eſt. Ex eo verò conieci maiorem partem eorum quæ dicta ſunt, eſſe recapitulationem geſtorum ſub Ioſue: quod ait author: Et dimiſit Ioſue populum, & abierunt filij Iſrael quiſq; in locum ſuum & hæreditatem ſuam ad poſsidendam terram. Et ſeruiuit populus Domino omnibus diebus ſeniorum qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue, qui nouerant omne opus inſigne, quod peregit Dominus in gratiam Iſraëlis. Refert etaim quot annos natus deceſſerit, & vbi ſepultus ſit. Addidit prętcrea, quòd ſurrexerit generatio altera poſt eos: qui non norant Dominum, nec opus ab eo geſtũ Iſraëlis ergô: qui etiam cum Chananæis, Phereſæis & reliquis extraneis conuerſantes, cum illis contraxerunt connubia, ex quo conſortes impietatis effecti ſunt: coluerunt enim Baalim & Aſcaroth. Ex his itaque diſcimus quantum iuuet ſubditos pietas principũ, quantumq́ue noceat carere principe, aut è diuerſo principum improborum regi imperio. Hoc ipſum etiam proximè ſequẽs docet hiſtoria. Suſcitauit enim illis (ait) Iudices dominus, & liberauit eos de manu deprædantium eos. Et quãdiu ſuſcitabat illis Iudices, dominus erat cum Iudice, qui eximebat eos de manu hoſtiũ ſuorum omnibus diebus Iudicis. At paulò pòſt quàm deceſsiſſet Iudex, deflectebant, & deteriores efficiebantur patribus ſuis, ita vt ſequerentur Deos alienos, quos colebant & adorabant. Alteram etiam cauſam eſſe puto propter quam non obtinuerunt integram terram promiſſam, quæ eſt huiuſmodi. Nam obſeruatio legalis politiæ anguſtiſsima terra contenta erat, quia ter in anno lex ſtatuerat cunctos feſta celebrare in vnum locum cõuenientes, in quo templum diuinum conſtruxerant: vbi etiam primitias, decimas, primogenita ouium, & alia ſacrificia offerre iuſſerat. Quocirca non abs re concluſit eos in arctum locum, vt facilè vel ipſi pigri ad ędem conſecratam adeundam excitari poſſent.

Iudic. 3.

7 *Quomodo intelligẽdus eſt locus ille: Has gentes reliquit Ioſue, vt tentaret in illis Iſraëlem, nempe cunctos qui nõ nouerant omnia bella Chanaan, verum ob generationes filiorum Iſraël, vt doceret eos bellum. Verum qui fuerant ante illos, hæc non nouerunt.*

Cùm duce Ieſu filio Naue bellum gereretur, vincebat populus, non ſecundum artem militarem inſtructus, ſed ſuperno fretus auxilio. Mittam enim, inquit, examina veſparum ante vos, quæ interiment Chananęum & Cethęum, & reliqua. Itaque miſsis è ſurſum fulminibus & grandine lapidis modum excedente, conſumpſit aduerſarios. Ait ergo ſe non planè cunctos terrę illius habitatores perdidiſſe duce Ieſu filio Naue, vt poſteri eius experientia cognoſcerent quantam illorum curam gereret Deus, & neceſsitate belli compulſi, dominũ ad pugnandum pro illis implorarent. At verbo tentandi Symmachus ait eum voluiſſe exercere illos, & artẽ bellicã edicere. Hac enim dictio πειράζειν, hoc eſt tentandi, qua vſi ſunt Septuaginta, non indicat Deum quidpiam ignorare. Siquidem non ea de cauſa tentabat Abraham, vt Abrahæ notitiam perdiſceret: quia illo in loco Deus ſatis docuit ſe noſſe quòd Abraham mandaturus eſſet filijs ſuis ac familiæ & poſteritati ſuæ, vt obſeruarent omnia Iudicia Domini Dei. Quapropter ipſe non tentat vt ediſcat, imò vt ignorantes doceat. Quemadmodum ergo dederat mandatum ad exercendam Adæ rationem, ita hoc loco nonnullas reliquit gentes, vt horum perſpecta eſſet impietas: iſtud enim eſt quo dicitur, Vt tentaret in ipſis Iſraëlem, & cognoſceret an obtemperaturi eſſent mandatis, quæ

præceperat patribus eorum per manum Mosis. Quinetiam res ipsæ docẽt eos in causa fuisse, cur non prorsus liberati sint ab impijs illis gentibus. Nam Iosue licet vrbe careret, propugnaculis, ac militibus in arte bellica exercitatis, nihilominus viginti & nouem reges percussit, ducibus Hiericho & Hai non numeratis: Qui verò superuixerunt ei, quanuis munitis vrbibus abundarent, ac diuitijs quamplurimis, spolijs & qualibet armatura, nec non muris, & vallis, ob suam tamen impietatem reliquias gentium superare non potuerunt.

Iudic. 3. b *8 Quomodo Othoniel potest esse frater Caleb & filius Cenes, cum ipse Caleb sit filius Iephone?*

Verisimile est Iephone binominem esse, vocarique etiam Cenez. Probabile quoque est eos cùm eiusdem essent matris, diuersos tamẽ patres habuisse: & ipsum quidé Caleb habuisse Iephone pro patre, post cuius obitum mater nupserit ipsi Cenez, ac pepererit Othonielem. Quòd autem appellarit Hiericho vrbem palmarum, constat ex his quæ gesit Eglom. Profectus est enim, ait, Eglom, & percussit filios Israël, & possedit vrbem palmarum. Et paulò pòst: Et discessit Eglom ab idolis quæ erant in Galgalis. Et dixit Aod ad Eglom: Est mihi secretus sermo tecum habendus, O Rex. Galgala verò non distant procul ab Hiericho. φλόγα δὲ hoc est flammam autem, appellauit ferrum gladij: παραξιφίδα δὲ τὴν λαβὴν, id est capulũ. Hoc enim innuit: Et accepit gladium à dextro femore suo, & infixit in ventrem Eglom, ac subintulit capulum post flammam, & defluxit pinguedo in capulum.

Iudic. 4. *9 Quæ gesta sunt apud Iabin regem Asor, recensẽt historia Iosue. Si ergo interfectus est ab illo, quomodo multo post tempore insurrexit in Israëlem?*

Alius erat ille, & alius iste. Et cùm essent eiusdem nominis, eodem regno potiebantur. Verisimile est autem hunc illius esse filium. Multos enim reperias qui nominibus patrum suorum appellantur, verbi gratia, Constantini imperatoris filius primogenitus dictus est Constantinus.

Ibidem. *10 Atqui retulit historia Iabin, non solum ipsum Iabin interfectum fuisse, sed etiam vrbem Asor exustam.*

Non est alienũ à verisimili, vrbem illam tum euersam fuisse, postea verò instauratam. Verùm quanuis hoc loco faciat mentionem Asor, non tamen asserit ipsum Iabin in ea habitasse, sed in vrbe Haseroth. Notandum porro est eum posteros Iethro vocare Cinæos.

Ibidem. & 5. *11 Quisit vt mulier prophetizet?*

Quia virorum ac mulierum eadem est natura. Nam ex Adam formata est mulier, & particeps rationis effecta est, sicut & ille. Quapropter etiam inquit Apostolus: In Christo Iesu nõ est masculus aut fœmina. Quemadmodũ Moyses propheta fuit, ita & Maria prophetissa. Existimo enim Debboram in contumeliam virorum prophetię donum adeptam esse. Nam cùm ex viris nullus inueniretur dignus, qui Spiritum Sanctum promereretur, hæc donum sanctissimi Spiritus est consecuta. Atque tam clarè constabat eam esse nactam gratiam supernam, vt ne Barac quidem absque ea progredi auderet in aciem. quod quidé ipsa silentio non præterijt in cantico suo: Defecerunt potentes in Israël, donec surrexit Debbora mater in Israël. Declaratq; contribulium suorum impietatem. Elegerunt Deos nouos tanquam panem hordeaceum. In quo summam illorum amentiam per similitudinem arguit. Vt enim compos mẽtis non habeturis qui triticeis panibus hordeaceos anteponit. ita supra modum stupidus est, qui falsos Deos vero Deo præfert. Perspicuam autem illam facit animi cõfidentia. Si videro, ait, hastatorum quadraginta millia, tamen cor meum pròpensum est in acies Israëlis. Hæc autem firmauit lex diuina. Si enim videris quòd Dominus Deus tuus pugnet pro te. Porrò non solùm pauperibus, sed etiam his qui de suis opibus gloriantur, præcipit vt extollant Deum. Potentes, inquit, populi benedicite Dominum: & qui ascenditis super asinos, emittite vocem instar eorum, qui exaudiuntur in medio lætantium. Illic ius dicent Deo. Cæterùm Maspha rusticos & agrestes interpretantur, Daroth autẽ priuationem visus. Quod autem dicitur extolli in potente, discimus ab historia quo pacto Dominus Deus vtens paterna dilectione, populum delinquẽtem tradebat extraneis veluti virga quadam atque flagello castigans eum: & vicissim pœnitentia ductus exercebat misericordiam, ac omnibus modis succurrebat. Exempli gratia, post acceptum Deboræ ministerio beneficium, conuersus ad impietatem tradidit Madianitis. Deinde post illã castigationem omni solicitudine eos excepit, postea quàm primùm impietatem illorum per quendam prophetam coarguisset. Commemoratis itaque beneficijs quæ acceperunt, postea cuiusdam Angeli ministerio corroborans Gedeonem iubet vt hostes feriat.

Iudic. 6. b. c *12 Quid sibi vult: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israëlem de manu Madian?*

Cùm adhortatus esset eum Angelus ad cogendum exercitum, & ineundum bellum, dixit ei Gedeon: Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos cuncta mala ista? Et vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, ac dixerunt: De Aegypto reduxit nos Dominus. Nunc autem repulit nos Dominus, & tradidit in manus Madian? Quoniam ergo memor erat mirabilium Dei, firmamq́ue de Deo tenebat opinionem, illum, si vellet, eos facilè liberare posse à calamitatibus quibus detinebãtur, meruit vt audiret ab Angelo, Proficiscere in robore fidei huius, & vinces. Neq; dãnet quisquã ea quæ sequuntur: non enim velut diffidens de Deo dixit: Familia mea humillima est in tribu Manasse, & ego minimus in domo patris mei: sed vt de se modestè sentiens. quapropter Angelus gratam habens hanc responsionem, ait: Dominus tecum erit, & interficies Madian, sicut virum vnum. Confestim ergo dictis fidem adhibẽs obtulit victimas. Sed Angelum honorem Deo debitum non surripuit, verùm sacerdotis officio fungens vbi virga percussisset petram, igne prodigioso hostiam accendit.

Iud. 6. c. *13 Quare Deo iussit offerri vitulum qui pro Baal nutriebatur?*

Quia traducebat eos ab errore ad veritatem. propterea tum aram illius euerti, tum etiam lucum abscindi præcepit. Decebat enim eum qui talem gratiam erat adeptus, non solùm pium esse, sed alijs quoque pietatis esse magistrum.

Iud. 6. g. *14 Quid significabat vellus illud quod rorem suscipiebat?*

Postulauit in primis Gedeon vt rore perfunderetur vellus, tota verò terra sicca permaneret: post hæc autem vt humectaretur terra, solum autem vellus rore careret. Quæ verba innuunt Israëlitas quondam gratia potitos esse, sicuti vellus rore, at postea vniuersam hominum naturam adeptam esse spiritalia dona, quibus tanquam rore vellus Israël priuatus est.

Iud. 7. b. *15 Cur eos solum in aciem descendere iussit, qui more canis biberant?*

Dominus Deus rationem aperuit. Multus enim, inquit, est populus tecum vt tradam Madian in manu eorum, ne quando glorietur Israël contra me dicens: Manus mea liberauit me. quapropter cùm maxima pars abijsset, eos assumi iubet qui remanserant iuxta fluuium: è quibus cùm plures celeriter se demittentes genu flexo biberent, trecenti verò per ignauiam hoc non agentes manu aquam ori admouerent, hos solos vt ignauos & socordes iussit in hostes irruere, vt omnibus perspectum esset auxilium diuinum. Hunc in modum ministerio duodecim piscatorum publicanorum, & vnius coriarij, dæmonum exercitum fudit & naturam conseruauit humanam. quamobrem Esaias propheta componens illos cum istis ait, Virgam infidelium dissipauit Dominus sicut in die Madian. Sicut enim hoc loco nudis vsus est militibus sinistra quidem gestantibus lucernas in vrnis latentes, dextra verò tubas: ita sacros Apostolos misit nudos in vniuersam terram ferentes lucernam miraculorum, & prædicationum tubam.

Iud. 8. f. *16 Quid est, Fecit illis Ephod, & statuit illud in ciuitate sua Ephratha?*

Contra legem erat quod factum fuit. Nam solis sacerdotibus Ephod vti licebat. per illos enim reuelabatur quid facto opus esset, Gedeonis tamen intentio minimè vergebat ad impietatem, sed cùm esset princeps & dux exercitus, volebat cognoscere per Ephod quid agere deberet. Atqui nihilominus hoc populo versum est iniquitati. fornicatus est enim cunctus Israël post illud ibi: & factum est Gedeoni & domui eius in scandalum. Ephod autem interpretatus sum in Exodo superhumerale, cui copulabatur rationale. Per illudq́ue iudicabatur quis in bello victor futurus esset. Quod clarius cognoscitur ex regum historia. Cùm enim extranei coegissent exercitum, præcepit Saul sacerdoti vt afferret Ephod: tum vbi cognouisset hostes esse perturbatos, declaratamq́ue victoriam: Reduc inquit, Ephod. Constat ergo texturam quandam fuisse quæ sacerdotibus circumponebatur prænunciantem quid agere conueniret. Aquila verò vocauit illud ἐπένδυμα, hoc est, superindumentum, vel superiorem tunicam. Cæterùm ex his quę contigerunt Abimelech & Sichimitis, discimus improbam consensionem interitum afferre vtentibus ea, & tandem in dissensionem desinere. Siquidem qui liberos Gedeonis interfecerant, mutuis plagis perierunt.

Iud. 9. f. *17 Quid hoc est, Conspergebat eam sale?*

Hoc denotabat sterilitatem: quoniam ex sale nullus fructus nascitur. Sed hoc vtique notandum est, quòd breuibus inducijs vsi mox redibant ad seruiendum Idolis. Addiderunt enim, inquit, filij Israël, vt facerent malum in conspectu Domini, & coluerunt Baalim & Astaroth, Deos Sidonis, Moab, & Amon, Deos denique extranearum gentium. At cùm Deus ira permotus suscitasset in illos Regem Ammonitarum, clamauerunt ad Deum conseruatorem seipsos accusantes, quòd relicto benefico ac vero Deo & Domino, falsos Deos coluissent. At posteaquam benignus Dominus ingratum eorum increpauit animum (multiplicem enim prouidentiam eius sæpius experti, idolorum cultum præposuerant) & comminatus est se nullas post hac laturum suppetias: Non addam, inquit, vltra vt liberem vos, ite & inuocate Deos quos ipsi uobis elegistis, & liberent vos in tempore afflictionis vestræ, vbi inquam suas iniquitates confessi sunt, alienosq́ue Deos abstulerunt è medio, seruientes Domino, beneficentiam eius persenserunt.

Iud. 12. c. d. *18 Quid illud est, Dicite tessera?*

Qui erant de tribu Ephraim, ægrè ferentes quòd in bello contra Ammonitas gesto non essent adhibiti socij, prælium inierunt aduersus Iephthe: qui missis quibusdã impediuit ne flumen traijcerẽt. Et cùm eum circunuenire tentarent, simulata tribuum aliarum lingua, præcepit vt interrogarentur verbum quoddam ex cuius pronunciatione arguerentur. Quemadmodum itaque οσφοῖνοι, Syri, Euphratęi, Palestini ac Phœnices, lingua Syrorum vtuntur, longè tamen diuersa est singulorum loquendi proprietas: ita sunt quidem Hebrææ duodecim tribus, sed vt verisimile est, habebant suа Idiomata, non aliter quàm illa Syriaca. Nam (vt Syrus refert) alijs spicam appellantibus Sembla, qui sunt de tribu Ephraim, ex quadam consuetudine dicunt Sembel, vt aiebant. Hoc probè sciens Iephthe pronunciare iussit, & conuictos interemit. *Vulgata habet schibboleth & sibboleth.*

Iud. 11. f. g. *19 Quamobrem permisit Dominus Deus mactari filiam Iephthe?*

Stolida nimium erat Iephthe pollicitatio. Animaduertere enim debebat (vt fieri poterat) canem vel asinum illi primum occurrere posse, quæ tamẽ ex lege immunda sunt animalia. Dominus igitur Deus per illum eruditus cæteros, vt prudenter & discretè promissiones suas emittant, cædem hanc non cohibuit. Quòd tamen huiusmodi victimas damnet, testis est

Psal.105 beatus Dauid inclamans: Et immolauerunt filios suos & filias suas dæmonijs: & infecta est terra in sanguinibus. Et quæ sequuntur: Ipse quoque Dominus Deus per Ezechielem prophetam ait: Et accepisti filios tuos & filias tuas quos genuisti mihi, & obtulisti illos amatoribus tuis: hoc præter fornicationem tuam. Atque vt indicaret impietatis superlationem, addidit: Quod non cogitaram, nec ascenderat in cor meum. Quinetiam Abrahæ dilectionem erga Deum cùm exercere vellet, præcepit vt sacrificaret filium: cumque ipsius iusti demonstrasset animum, ne mactaretur inhibuit. Reliqua declarant ipsius Iephthe imperfectionem. Nam cùm promisisset se oblaturum in sacrificium quicquid primùm occurreret, vt vidit filiam hoc conmisisse, & vestem scidit, & acerbè defleuit, eique spatio primùm ad lugendum concesso, mox eam immolauit. Quo longè melior erat filia: Si enim, inquit, de me os tuum aperuisti ad Dominum, fac mihi sicut exijt ab ore tuo, pro eo quòd tibi fecit Dominus vltionem de hostibus tuis de filijs Ammon. Vt ergo doceret dominus Deus quo pacto emittendæ sint erga eum promissiones, immolationem non compescuit. Deinceps historia nos instruit, Iudic.13.c quænam sit Angelorum in Deum beneuolentia. Nam diuinus Angelus Manuæ hædum offerre sibi volenti dixit, Si me cogis, non comedam de panibus tuis. Si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Esca, inquit, non indigeo: sacrificium non suscipio. Hoc enim Dei, illud autè humanæ naturæ proprium. Ego verò nec instar hominis opus habeo cibo, nec honorem Deo debitum rapio. Vnde perspicuum est Angelos humaniter ab Abraham exceptos modo quodã altero propositam escam consumpsisse.

FINIS.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRI INTERPRETATIO,
In omnes Dauidis Psalmos,

AB ANTONIO CARAFA, E GRAECO IN Latinum sermonem conuersa.

ARGVMENTVM.

MIHI quidem præ cæteris diuinis oraculis optabile fuit, magni Dauidis vaticinationem interpretari: omnes enim homines religionis alumni, & vrbani, & solitudinis incolæ egregiam operam huic parti nauarunt: Non minus autem qui humanis occupationibus implicantur, dies noctesque Dauidicos versus in ore habent, Deum rerum omnium auctorem decantantes & corporis perturbationes componentes: etenim sacra scriptura temperans vtilitatem carminis suauitate gratam admodum, & amabilem doctrinam hominibus proposuit. Licet videre plerosque, aut nihil, aut parum de alijs diuinis libris mentionem facere: sed de cœlesti diuini Dauidis harmonia multos multis in locis, & in domibus, & in vicis, & in compitis meminisse: cantusq; suauitate seipsos demulcere: & per hanc animi delectationem, vtilitatem consequi. Propterea igitur hanc primam volui vaticinationem exponere: atque ingeniosis mercatoribus eam, quæ in profundo est, vtilitatem proponere; vt canentes simul, & rerum, quæ canuntur, sententiam inspicientes, duplicatum fructum percipiant. Sed hanc nostram promptitudinem non siuerunt ad finẽ peruenire ij, qui à nobis aliorũ sacrorum voluminum explanationes efflagitarũt. Nanq; imposuerũt nobis nõnulli, vt canticum Canticorũ exponeremus: Aliqui verò vaticinationẽ desiderati viri desiderauerũt cognoscere: Alij verò diuini Ezechielis: Quidã autem duodecim Vatum prædictiones obscuritate inuolutas, enucleari sibi contenderunt. Postquam igitur dedit nobis Deus vniuersitatis, qui cæcos sa-

Daniel hebraicè desiderium sonat

cos sapientiam docet, & mysteria detegit, qui dedit os homini, facitq; surdum, & mutum, perspicacem, & oculis captum: Postquam inquam dedit, vt commentarios earũ rerum, quæ à se dictæ sunt, ad finem perduceremus, age, diuina inuocata gatia, quæ cæcos ad vaticinandi scientiam, per viam, quam ignorarunt, & per semitas, quas nescierũt, iter præbet: eisq; qui iam diu obsurduerunt, intelligentiam diuinorum sermonum suggerit, oculisq; tenebris, & nubibus obductis visum suppeditat; audacter etiã huiusce vaticinationis expositionem aggrediamur. Sed nemo hunc nostrum laborem superuacuum existimet: quòd & alij ante nos hanc eandem prouinciam susceperunt: cum enim in varios incidissem cõmentarios, qui partim in allegoriam cum multa sanctitate abibant: partim verò vaticinationem quibusdam historijs adaptabant, vt Iudæis potius interpretationem conscriberent, quàm fidei alumnis; solertis hominis esse putaui, & horum, & illorum superuacuam copiam fugere: quæcunque quidem priscis historijs cohærebant, his hæc accommodare etiam nunc: Prædictiones autem de Domino Christo, & de Ecclesia è gentibus conflanda, necnon de Euangelica Republica, deq; Apostolicis prædicationibus, non alijs quibusdam ascribere: id quod Iudei facere solent qui malitiæ assueti sunt: & suæ infidelitatis excusationem contexunt. Satis enim ex se potest rerũ testimonium deducere ad veritatem interpretationis eos, qui illam reperire desiderant. cuius gratia non admodum laboriosa erit nobis prædictionis expositio: siquidem rerum euentus dilucidam facit vaticinationem: studebimus autẽ ijs, qui vtilitatem exoptant, vt prius quam ad interpretationem deueniamus, Psalmorum propositum declaremus.

Sciendum est igitur, proprium vaticinationis esse, non solùm futura prædicere: verum etiam, & præsentia, & præterita narrare: quandoquidem diuinus Moses, quæcunq; à prima origine à Deo vniuersitatis condita sunt, & ab eo formam ceperunt, manifestissimè nobis aperuit: non ab hominibus hanc doctrinam, sed à gratia spiritus sancti edoctus: Prædixit etiam præsentia, sicut Pharaonis mala, quæ inferebantur: & Israëli affluentiam mannæ: carnisq; communicationem. Vaticinatus est etiam ventura, Domini Christi aduentum, Hebræorum dissipationem, gentium salutem: Sic etiam diuinus Dauid, qui primus post hunc vaticinationem conscripsit, meminit beneficiorum, quæ à Deo vniuersitatis in nos iam olim collata fuere: & quæ longis pòst seculis futura sunt, præmonstrat. Non modò autem vtitur verbis hominis vaticinantis, sed etiam admonentis, & legislatoris: & modò doctrinam affert de moribus, modò de præceptis: & interdum Iudæorum calamitates deplorat: interdum gentium salutem præcinit. Passim verò Domini Christi cruciatum: reditumq; in vitam, vaticinatur: & prædictionis varietate ijs, qui attentè audire volunt, plurimũ affert voluptatis. Psalmos autem non omnes ipsius, quidam esse dixerunt: sicut etiam de inscriptionibus iudicant: nam alios Idithumo ascribunt: alios Aethamo: nonnullos filijs Coræ: & aliquos Asapho: cùm & eos vates esse ab historia Paralipomenon didicerint. Ego autem de his non multum contenderim. Quid enim refert, siue huius omnes, siue illorum aliqui sint: cùm constet diuini spiritus afflatu vniuersos esse conscriptos? Etenim non ignoramus, & diuinum Dauidem vatem fuisse: & illos itidem vates ab historia Paralipomenon nuncupari. Vaticinantis autem est, linguam præbere ministram gratiæ sancti spiritus: vt legitur in Psalmis. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Psalm. 44.

Vincat tamen plurium sententia: plures enim scriptores Dauidis asserũt esse: Quoniam autem etiam inscriptiones Psalmorum quidam falsas esse dixerũt, necessarium puto, etiam de his pauca percurrere. Mihi quidem temeritas videtur, inuertere inscriptiones, quæ à prima origine vsq; ad Ptolemæi tempora delatæ sunt, qui post Alexandrum in Aegypto regnauit: quas inscriptiones septuaginta interpretes omnes se-

niores in Græcam linguam transtulere, sicut alias omnes sacras scripturas. Supra centum, & quinquaginta annos ante interpretationem Ptolemaicam, mirabilis ille Esdras edidit in lucem libros cœlestis gratiæ plenos, qui quidem cùm propter Iudæorum incuriam, tum verò ob impietatem Babyloniorum diutius deprauati permansere. Si igitur Esdras diuino numine afflatus horum voluminum memoriam illis hominibus renouauit; etiam hi septuaginta viri non sine Sancto spiritu hæc opera in Græcum sermonem conuerterunt: Inter cætera verò sacra volumina etiam inscriptiones interpretati sunt. Rem quidem nimiæ temeritatis, & confidentiæ plenam arbitror, falsas illas existimare, & nostras rationes vi Sancti Spiritus sapientiores iudicare. Hoc autem apertius ostendit singularis Psalmorum explanatio.

Diapsalma etiam variis modis exposuerunt: nonnulli enim intermissionem Spiritus Sancti potentiæ suspicati sunt esse: aliqui vaticinationis commutationem: quidam verò cantus vicissitudinem. Vnus autem Aquilæ argumento vsus, pro diapsalmate posuit, semper, *existimans præcedenti versui hoc connectendum esse: sicut in tertio Psalmo. Post illa verba, Vox mea ad Dominum, & exaudiuit me de monte sancto suo: inuenimus adiunctum diapsalma. Aquila verò sic coniunxit, Et exaudiuit me ex monte sancto suo semper: Et sic deinceps, anteriori carmini adscribit* semper, *vnam efficiens sententiam. Ego autem, & septuaginta, & cunctos alios diuinæ scripturæ expositores, diapsalmate vsos esse, inueniens, iniustum arbitror tot, talesq; despicere viros: & vnius tantùm sententiæ adhærere: Quam ob rem carminis mutationem suspicor significare diapsalmatis scripturam. Cùm enim magnus Dauid choros instituisset, Deoq; hymnorum musicam attulisset, non illi quidem aliquem fructum quærens, sed vtilitatem populo concilians; palam est, feciße, vt cum aliqua harmonia & chori concinerent, & ij, qui instrumentis vtebantur, vocem ederent consonantem. Quinetiam cantiones ipsæ multas habent modorum vices: lyræ quoque, & citharæ suas habent pulsuum varietates. Est etiam in tibijs multa huius generis discrimina videre. Diapsalma igitur videtur mihi innuere, vt dixi, cantus vicissitudinem. Exactam verò interpretationis cognitionem nouit ille, qui hanc posuit inscriptionem, & si quis alius, illius instar, diuini spiritus lumen accepit. Sciendum est autem ijs, qui studiosè Psalmos lectitant, temporis ordinem non seruare: Sed quidam ex illis, veteres amplectentes historias, secundum locum sortiti sunt: qui verò recentiores continent historias, prius ordinati sunt, tertius enim Psalmus titulum habet narrationis contra Absalonem: Centesimus verò quadragesimus primus contra Saulem: Quantò autem antiquiora sint, quæ de Saule feruntur, ijs, quæ de Absalone, omnino perspicuum est ei, qui historiam nouit. Puto equidem, ipsum diuinũ Dauidem Psalmos dixiße, sed quosdam ex posterioribus sic ordinaße. Hæc volui præfari, ne expositionem intercidam, si inter explanandum, de ijs scribere cogar. Sed de his hactenus, veluti in modum cuiusdam præuiæ considerationis. Nunc diuino implorato auxilio, singulas interpretationis partes attingamus.*

INTER-

INTERPRETATIO PRIMI PSALMI.

Sine titulo est apud Hebræos.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiarum non sedit.

Hinc facile est cognoscere, quòd antiquitus apud Hebræos, qui inuenerunt inscriptiones, & diuinas scripturas interpretati sunt, eas in linguam græcam transtulerunt: hunc enim Psalmum, & eum, qui proximè sequitur, sine inscriptione reliquerunt, non audentes à se ipsis aliquid adiungere verbis spiritus sancti. Quidam tamen ex illis, qui Psalmorum titulos conscripsere, dixerunt, hunc Psalmum continere doctrinam de moribus. Mihi verò visus est non minus dogmaticus esse, quàm moralis: complectitur enim non peccatorum modò, sed etiam impiorum reprehensionem, & admonet, vt continenter diuinis sermonibus operam nauemus, ex quibus, vtilitatem consequimur, quæ non solùm ad mores pertineat, verum etiam, quæ ad dogmata spectet. Aptissimè autem magnus Dauid præposuit suæ narrationi beatitudinem, suum ipsius filium, & Dominum imitatus, Christum inquam saluatorem, qui quidem cum sacris discipulis colloquens, doctrinam à
Mat. 5. beatitudine exorsus est, dicens, Beati pauperes spiritu, quoniá ipsorum est regnum cœlorum.
Matth. 1. Christus autem filius est Dauidis, vt homo, secundum sacrorum euangeliorum sermonem, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Habraam: Est autem Dominus, & conditor
Psal. 109. ipsius, vt Deus. Illius est enim hæc vox, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Beatum igitur facit illum hominem, qui neque cum impijs viam communicat, neque firmum consilium peccatorum amplectitur: hoc enim statum vocauit; & eum quoque beatum nuncupat, qui fugit stabilẽ morborum corruptionem. Nomen autem beati diuina appellatione
Timoth. 6. decoratum est, id quod testatur diuinus Apostolus, exclamans, Beatus & solus potens Rex regnantium, & dominus dominantium. Deus autẽ fecit homines vt aliarum appellationum, sic etiam huius nominis participes. Etenim
1. Cor. 1. Deus vocatur fidelis, Fidelis inquit, Deus, per
Deut. 32. quem vocati estis in societatẽ filij eius. Et beatus Moses, Deus ait, fidelis, & non est iniquitas in ipso: Ergo vocauit etiam homines fideles, quotquot sine vlla dubitatione ipsius sermones accipiunt: sic etiam cùm sit, & cùm vocetur Deus, communicauit hanc suam appellationem cum hominibus ob infinitam liberalitatem: & clamat sic. Ego dixi Dij estis, & filij
Psalm. 81. excelsi omnes, vos autem vt homines moriemini. Hoc nomen igitur, *Beatus*, est fructus, qui ex perfectione virtutis percipitur: nam sicut vnumquodque ex humanis studijs suum habet finem, vt ars athletica respicit coronas oleaginas, militaris verò victorias tropheaque: & medicina sanitatem, morborumque expulsionem: & mercatura humorum cumulum, & diuitiarum affluentiam: sic etiam scientia virtutis habet suum fructum & finem, nimirum diuinarum felicitatum.

Nemo autem videns in hoc loco hominem tantummodo beatum existimari, arbitretur fœminarum genus ab hac beatitudine excludi. neque enim Dominus Christus cùm formasset beatitudines, de maribus loquens, negauit mulieribus acquisitionem virtutis. Sermo enim cum viris comprehendit etiam fœminas: quandoquidem caput mulieris homo est, quemadmodum ait diuinus Apostolus, Coniunguntur
1. Cor. 12. autem cum capite corporis membra, quæ quidem gaudent, cùm vident caput coronari. Sic etiam nos cum aliquo sermocinantes, ipsumque nominantes caput charissimum, non separamus illud à cæteris corporis artubus: sed à parte totum appellamus. Non temerè autem fecit mentionem primùm de via, deinde de statu, denique de cathedra: sed admodum doctè: etenim nostra ratio sustinet in primis motionem quandam, siue praua, siue recta sit: deinde statum: postremò firmamentum quoddam stabile. Admonet igitur, vt neque in mente aliquam impiam cogitationem admittamus, neque in actum progrediamur iniquum. Solet autem sacra scriptura impios nominare eos, qui vel nullum Deum, vel Deos multiplices colunt: peccatores verò, qui iniquitati assuescere elegerunt & vitam corruptam adamãt. Porrò *pestilentias* vocat non solùm eos, qui se ipsos labefactant, sed etiam illos, qui cum cæteris labem communicant: instar morbi, qui & homines & pecudes inuadit, cuius participes etiam fiunt, qui ęgrotantibus appropinquant. Quamobrem Dauidicus sermo iubet, vt etiam horum consortia fugiamus. Quoniam autẽ non sufficit ad virtutis perfectionem, malitiæ fuga: inquit enim, Declina à malo, & fac bonum. &
Esai. 1. beatus Esaias, Quiescite, ait, ab iniquitatibus vestris, & discite facere bonum. Congruenter admodum subiunxit beatus Dauid.

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Decet verò non modò supradicta detestari, sed dies noctesque diuinæ legi incumbere, & illa velle, quæ diuina lex præcipit, atque secundum illius propositum propriam vitam dirigere: sic enim vniuersorum Deus per Mosen iu-
Deut. 6. sit, dicens. Erunt verba legis huius semper in ore tuo, & meditaberis in illis, sedens & surgens, & cubans, & ambulans in via, & appendes illa de manu tua, & erunt immobilia ante oculos tuos. Deinde ostendit fructum, qui hinc producitur.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur.

Imitantur enim aquarum irrigationem spiritus sancti flumina: & quemadmodum illæ consitas arbores germinare faciunt; ita & hæc sunt in causa vt diuinos fructus ferant. Qua-
Ioan. 4. propter Dominus Christus suam doctrinam aquam

aquam appellauit. Si quis enim dicit, Sitit, veniat ad me, & bibat, & erit aqua, quam ego dabo illi, fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam: & rurſus, Qui credit in me, quemadmodum dicit ſcriptura, fluuij ex ventre eius fluẽt aquæ viuæ. & Samaritanam alloquens; ait, Qui bibet ex hac aqua, ſitiet iterum, qui biberit ex aqua, quã ego dabo illi, non ſitiet in æternum. Similiter per vatem Eſaiam dicit, Quoniam ego dabo in ſiti ambulantibus in loco arido, & aperiam in montibus fontes, & in ſaltibus fluuios, vt potum præbeam generi meo electo, & populo meo, quem acquiſiui. Congruenter igitur & beatus Dauid, eum, qui diuinis ſermonibus operam dedit, arboribus comparauit, iuxta aquarum ripas conſitis, ſemperque virentia habentibus folia, fructumque ferentibus in tempore. Etenim virtutis athletæ laborum fructus etiam in poſterum reportabunt, bonam ſemper ſpem in ſe ipſis ferentes, vt quædam viridantia folia germinant, & exultant, & fruſtra timent ob animi delectationem, laborum ſarcinam, habent vero munificentiſsimum Dominum, qui alacritatem eorum aſsiduè adiuuat: Diligentibus enim Deum, vt teſtatur diuinus Apoſtolus, omnia cooperãtur in bonum. Quapropter ait beatus Dauid, Omnia quæcunque faciet proſperabuntur. A Domino enim, inquit, greſſus eius diriguntur, & viam eius volet nimis. *Omnia* verò, non ſimpliciter poſuit, ſed multa cum diligentia: primùm enim cùm omnes malitiæ ſpecies enumeraſſet, diuinarumque legum perfectionẽ oſtendiſſet, ſubiunxit, Omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur. ſciens nihil contrarium diuinis legibus huiuſmodi hominem facere velle, ſed ſuam ipſius voluntatem ijſdem accommodare: In lege enim Domini inquit, voluntas eius: quapropter cum ad virtutem hortatus eſſet; cumque perfectam edoceuiſſet philoſophiam; tandem per contraria athletas vngit, & inquit.

Ioan. 7.
Ioan. 4.
Eſai. 43.
Romam. 8.
Pſal. 36.

Non ſic impii, non ſic.

Per negationis geminationem contrarietatem dilucidius oſtendit.

Sed tanquam puluis, quem proiicit ventus a facie terræ.

Illi enim, inquit, à diuinis ſermonibus irrigati, ſemper vireſcunt, tempeſtiuumque fructum ferunt. Iſti vero à contrarijs ſpiritibus oppreſsi, imitantur puluerem, qui huc, & illuc à contrarijs ventis fertur.

Ideo non reſurgent impii in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum.

Multa cum diligentia omnia ſacroſanctus ſpiritus percurrit: non enim dixit, non reſurgent impij, ſed in iudicium non reſurgent, verùm in condemnationem, neque enim redargutionibus indigent, cùm eorum impietas manifeſta ſit, ſed ſupplicium ſolũ expectãt: quemadmodum enim homicidas in flagranti crimine captos, non vt redarguantur, iudices in iudicium trahunt, ſed vt ſententiã legibus congruentem contra illos pronunciẽt; eodem modo etiam qui impietati aſſueuere, ſtatim poſt reſurrectionem pœnam ſuſtinent, non in iudicium adducti, ſed vt ſupplicij ſententiam accipiant. Atqui etiam peccatores licet impiorum dogmatum expertes, tamen cùm iniquam vixerint vitam, à iuſtorum cætu longiſsimè aberunt. Etenim *Conſilium* Aquila, & Theodotion, Congregationem interpretati ſunt, Conuentum vero Symmachus.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

Nouit inquit, omnia ante iudicium iuſtus iudex, & neque demonſtrationibus neque confutationibus indiget: quapropter pro dignitate vnicuique tribuens, hos quidem præconijs, & coronis dignos iudicabit, hos verò æternum in ſupplicium mittet. *Via impiorum peribit*, ab Apoſtolicis verbis non abhorret, Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur; iuſtorum enim virorum etiam opus lucidum manet, cum impijs verò, & nefarijs hominibus etiam improbitas eorum ſimul deſtruitur.

1. Cor. 3.

Pſalmi II. Interpretatio.

Sine titulo eſt apud Hebræos.

Cùm primum Pſalmum memoria impiorum clauſiſſet, ex hac rurſus ſecũdi principium fecit: docens, ſupradictum impiorum finem, Reges, & principes, Iudeoſque atque gentes contra Chriſtum furentes manere. In ſecundo enim pſalmo Domini Chriſti humanos cruciatus, regnumque prædicit: necnon gentium vocationem vaticinatur, Iudæorumque perfidiam deplorat. Hoc enim, Quare fremuerunt gentes: lugentis eſt, atque accuſantis dementiam. Ad interpretationem huius loci longo verborum anfractu non opus eſt nobis, cùm diuinus Petrus Apoſtolorum Princeps in Actis eum enucleaſſet, eumque & Herodem, Pontium Pilatum: & Principes Sacerdotum, & Scribas, & Reges, & poteſtates nominaſſet. Hic enim à Romanorum Imperatore, vt prouinciam gubernaret miſſus eſt, Ille verò Iudæorum Tetrarcha tunc temporis erat, & hic quidẽ ex Iudæis ſubditos habebat, Ille verò ex gentibus milites. Sed tamen qui apud ipſum fuerant, & Dominum occiderunt; vana & inania conſultauerunt, quippe qui obliuione obſcurare ab ipſis crucifixum non potuerint. cùm enim tertia die reſurrexiſſet; totius terræ potitus eſt. Ingeniosè valde, & optimo iure hæc verba, Meditati ſunt inania, populi perſonæ accommodauit. Iudæi nanque hoc prauum conſilium contra Saluatorem inierunt, & teſtis eſt ſacrorum euangeliorum vox, docens, Abeuntes Phariſæos conſilium cepiſſe, quomodo illum perderent. Et Caiphas clamat, Expedit, vt vnus homo moriatur, ne tota gens pereat. Hanc verò vocem *Fremuerunt*, Aquila, Tumultuati ſunt, Symmachus autem, Turbantur, explanauerunt. Hoc verò verbum, *Fremuerunt*, perſonæ gentium attributum, materiam ſubminiſtrat cogitandi. Etenim cùm Iudæi ad Pilatum Ieſum vt quendã tyrannum adduxiſſent, cumque ſæpius poſtulaſſent, vt occideretur; mortis ſententiam inuitus ille pronunciauit; veritus, vt veriſimile eſt, ne ab aliquibus hæc accuſatio contra ſe ipſum retorqueretur. Vt enim beatus inquit Lucas, Quidam ex accuſantibus dicebant, Hunc inuenimus ſubuertentem gentem, atque prohibentem cenſum dari Cæſari, aſſerentem ſe ipſum Chriſtum Regem eſſe.

Act. Apoſt. 4.
Marc. 3.
Ioan. 11.
Luc. 23.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Non dicit gentes cum articulo, vt omnes comprehendi exiſtimes, non ſententiam ad ſingulare quid reducens, verùm dicit gẽtes. Nam cùm Iudæi Ieſum comprehenſum gẽtibus tradidiſſent; meritò inquit, quæ tanta cauſa, vel quid ab eo factum eſt, vt populi contra ipſum commoti ſint, & manibus gentium prodiderint? *Fremuerunt*, pro Superbierunt.

Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus a nobis iugum ipſorum.

Qui enim, ait, filium non honorat, neq; patrem honorat, & cõgruenter poſt excuſſum filij iugum, etiam illud patris excutiunt. Mihi verò videtur, ſpiritum ſanctũ fideles adhortando, hæc dicere, Dirumpamus vincula impiarum gentium, & iugum iniquorum Iudæorum à nobis proijciamus: atque in nos Chriſtum, iugum Domini admittamus, ipſius enim eſt vox, Tollite iugum meum ſuper vos, quoniam iugum meum bonum, & onus meum leue eſt. Ipſaq; lex iugum à diuinis Apoſtolis nuncupata eſt. Siquidem beatus Petrus in Actis ait, Cur tentatis Deum, imponere iugum ſupra ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos ferre potuimus? ſed per gratiam Domini Ieſu credimus ſaluos eſſe, quemadmodum & illi. His igitur conueniunt vaticinantis verba. Dirumpamus vincula ipſorum, & proijciamus à nobis iugum illorum: Hoc eſt, cor noſtrum ab illis ſegregemus, ne velimus illis ſubijci: excutiamus legis iugum: quæ in figuris ſunt, parui ducamus, niſi ſecundum ſpiritum cogitantes: nullius momenti ad vtilitatem exiſtimetur Eſaias, niſi in ſua prædictione myſterium Chriſti adumbret.

Matth. 11.
Act. Apoſt. 15.

Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.

Qui enim ab ipſis captus, mortique traditus eſt; in cœlis habitat, omniaque continet, & vanas atq; ſtultas eorum cogitationes oſtendit. Huius verò pater, omniumque Dominus pœnam ab eis condignam exiget.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

Et horum verborum interpretationem, ipſe rerum euentus edocet: Romanus enim exercitus eos aggreſſus; vrbem diripuit, & templum combuſsit, plurimoſque ipſorum morte multauit: eos verò, qui mortem ſubterfugerunt, captiuos in ſeruitutem abduxit. Oportet animum intendere, quòd duarum perſonarum deinceps meminit: & primùm quidem Domini & Chriſti, aduerſum Dominum, inquit, & aduerſum Chriſtum eius: Deinde illius, qui cælos incolit, & Domini, Qui enim habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. & rurſus eandem ſeruauit figuram.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.

Et hic interpungendum eſt, & poſtea ſubiungendum; In Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum Domini. Non enim tantummodo montis Sionis Rex eſt, ſed viſibilium, & inuiſibilium, totiusque orbis. In monte verò Sione, & in Iudæa ſuam diuinam doctrinã accedentibus adminiſtrauit: hi verò, qui hanc ſuſceperunt, in omnem terram flumina deriuarunt, diuinis eius præceptis credentes. Euntes enim, inquit, docete omnes gẽtes. Hoc autem, Conſtitutus ſum Rex ab eo, humano more dixit. Vt enim Deus, innatum habet regnum: vt homo, decreto recipit. Quòd verò vt Deus, imperium ſine principio habeat, Idem vates docet, dicens, Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis, virga regni tui. Hunc verò Pſalmum beatus Paulus de filio dictum putat. Veruntamen, & regnum habet vt Deus, & accipit vt homo. Eodem modo cùm Altiſsimus nominatus ſit vt Deus; exaltatus eſt vt homo. Et Dauid diuinam altitudinem prædicans, clamat, Cognoſcant, quoniam nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſsimus in omnem terram. & Zacharias ad Ioannem, Et tu puer propheta Altiſsimi vocaberis. Humanam verò altitudinem beatus Paulus docet, dicens, Propterea & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Præterea hoc nomen *Filius* Vnigenitus Deus Verbum, ante ſecula habebat connatũ rei: Sed tamen, vt Deus, filij nuncupationem habens, vt homo, ſuſcipit illam. Quapropter in propoſito Pſalmo adduxit, inquiens, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hanc verò vocem nemo (modo ſpiritus ſancti doctrinæ credat) diuinitati Domini Chriſti applicabit: de illius enim diuinitate vniuerſorum Deum, per Dauidem dicentem audimus, Ex vtero ante Luciferum genui te: vt homo igitur, & hanc vocem recipit, & quæ ſequuntur audit.

Pſalm. 44.
Pſalm. 82.
Luc. 1.
Phil. 2.
Pſalm. 109.

Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.

Vniuerſorum enim conditor Deus eſt. Nam omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, atque in ipſo condita ſunt omnia, ſiue quæ videntur, ſiue quæ non videtur. Siomnium eſt Dominus & opifex, etiam eorum, quę fecit, dominus eſt & auctor. Veruntamen cùm Dominus natura ſit, vt Deus; etiam vt homo vniuerſorum imperium accipit. Et cùm antiquitus Iudæorum tantùm rationem habere videretur: (Eſt enim, inquit, pars domini populus Iacob, & funiculus hæreditatis eius Iſraël) Cumque hic populus reprobatus ſit, vt qui ex hac cultura nullum fructum produceret; meritò ad gentes hanc curam transfert, quas neque ab antiquo penitus deſpiciebat. Moſaicam verò vaticinationem complet: illius eſt enim vox, Lætamini gẽtes cum plebe eius. Eſt autem

Ioan. 1.
Deut. 32.
Deut. 32.

eu entum

euentum prędictioni congruens inuenire. Non enim tantùm duodecim Apostolos fideles ex Iudæis, sed etiã septuaginta discipulos, & centum viginti, quibus congregatis beatus Petrus concionem habuit, & quingentos, quibus post
1. Cor. 12. resurrectionem apparuit, secundum diuini Pauli vocem, & ter mille, & quinquies mille, quos
Act. Apost. 21. Apostolorum Princeps prædicans piscatus est, & multas myriades, de quibus magnus Iacobus asserit, Intuere Frater, quot myriades sunt credentium Iudæorum. Hos inquam omnes, & illos insuper, qui per vniuersum orbem ex Iudæis crediderunt, declarãs populum sanctum esse, & per hos gentes acquirens, vaticinationem implet, quæ dicit, Lætamini gentes cum
Deut. 32. populo eius. Et præterea propriam prædictionem consummat, quam Iudæis fecit, inquiens,
Ioan. 10. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. hoc & in proposito Psalmo dicit, Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Veruntamen Iudæorum perfidiam deplorare mihi in mentem venit, qui audientes vaticinationem, quæ planè terræ finium meminit, & scientes, neminem suorum Regum tantum Imperium possedisse, sed solum Dominum Christum ex Dauide secundum carnem prognatum; hallucinantur mentis oculis, atq; vaticinationem loquentem palpant, vt cæci parietem, neque vt perspicaces attingent. Quapropter vaticinantis sermo minatur.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vasa figuli confringes eos.

Romano videlicet regno: quod ferrum tropicè propter fortitudinem, atque infractum robur, Daniel nominat, Et conteres eos instar vasorum luteorum. Postquam enim ipsum (qui
Ioan. 16. solus est Rex) habere Regem negauerunt, & magna voce clamarunt, Nos non habemus Regem nisi Cæsarem; præscecit illis, quem postularunt, Cæsarem, atque per illorum exercitum impietatis pœnam exegit. Si quis verò non de Iudæis, sed de gentibus hæc dicta esse existimet; hoc modo intelligere oportet, quòd gubernabit gentes in virga ferrea, ideſt forti ipsius infracto regno, & confringet illos, tãquam vasa figuli, resoluens & refingens per lauacri regenerationem, atque spiritus sancti igne duros efficiens. Cùm hæc beatus Dauid prædixisset; deinceps admonet Reges & subditos, vt ad saluatorem accurrant, & salutares amplectantur leges, & per illarum eruditionem atque doctrinam, vtilitatem percipiant, inquit enim de Cruce, Materia quidem ligni, robur verò ferri: quoniam nihil hoc fortius apud homines videtur.

Et nunc Reges intelligite & erudimini, omnes qui iudicatis terram.

Omnium enim nostrum Rex est, qui prius videbatur Iudæos tantùm regere.

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Cum exarserit in breui ira eius, Beati omnes, qui confidunt in eo.

Non enim eos, qui salute lætantur, & gaudent, benignitati tantùm confidere decet, sed huic coniunctam iustitiam timere, & contremiscere. Qui videtur, inquit, stare, videat, ne cadat. Accipite disciplinam, ne quando irascatur Dominus. Nam non sufficit ad perfectionem, sola possessio diuinæ scientiæ, sed oportet virtutem ad actum deducere: qua quidem apprensa, certam tutamque ibitis viam. Cùm enim nos timuerimus Dominum, & quę decent, fecerimus; plurimam ex rebus gestis habebimus iucunditatem, cõscientiæ quidem bonæ inhærentem, quæ conscientia propter hanc causam maximam affert nobis voluptatem. *In tremore* autem, hoc est in iudicij tempore, cùm vestra malitia, veluti quædam materia ad comburendum apta, diuinam succenderit iram, perinde ac ignis; tunc longè eritis à via iustorum, pendentes pœnas earum rerum, quas in vita peccaueritis. Tunc autem etiam illi, qui verè & firmiter in ipsum sperauerunt, reportabunt suæ spei amplissimum fructum, nimirum beatitudinem.

Psalmi III. Interpretatio.

Psalmus Dauidis, quando aufugit a facie Absalonis filii eius.

Manifesta est historia hominibus curiosis, verùm pro segnioribus hãc breuiter attingam. Post geminum illud peccatum, in multas variasque calamitates beatus Dauid incidit. Nam non solùm finitimæ gentes in pugnam, bellumque exarsere, sed sua ipsius etiam domus cœpit seditione laborare, & peccatum peccato succesit, Amnonis libidini homicidium Absalonis, & fratricidio insultus cõtra patrem, & subditorum defectio. Cùm enim diuina gratia Dauidi prospiceret; nihil horum illum vexabat. Cùm verò ob patratum crimẽ destitisset; malitia campum occupauit, & tragœdijs digna effecit, malorumque congeriem protulit. Tunc igitur temporis pestiferum fugiẽs filium, illoſque qui cum ipso aciem instruebãt; hunc conscripsit Psalmum, nimirum diuino numine aspirante ob feruentem ab eo factam pœnitentiam.

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me. Multi dicunt animæ meæ non est salus ipsi in Deo eius.

Multi quidem, & varij hostes, multis è locis me aggrediuntur, & magis magisq; vexant, insidiantes, dicentesque me tua prouidentia destitutum esse. Ego verò non ignoro, te nolle me despectum habere, licet grauiter deliquerim. Sed confido, te erecturũ eum, qui propter peccatum humilis, & abiectus est, & inimicis superiorẽ ostensurum. hoc enim declarauit dicens.

Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Neque enim regno meo confido, sed te gloriam meam esse credo, & à tua dextera spero me citò erectum iri.

Voce

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo.

Propterea cum omni alacritate effudit ad Dominum preces, quia scit suas ipsius perturbationes statim sedari posse. Hoc autem loco, non est intelligenda Vox pro clamore aliquo, sed pro quadã animi alacritate. Etenim Deus vniuersitatis beatissimo Mosi tacenti, Quid clamas ad me? ait, Vocem silentium nominans, ob sedulam mentis precationem. Hoc autem, Exaudiuit me de monte sancto suo, dictum est ob priscam opinionem, quæ tunc increbuerat: existimabatur enim vniuersorum Deus in tabernaculo habitare, quoniam & oracula illinc sacerdotibus pandebat.

Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quoniam Dominus suscepit me.

Noctem sæpius calamitates sacræ literæ appellant: etenim veluti in tenebris viuere existimant eos, qui in res admodum tristes incurrũt: Noctibus verò somnus coniũctus est. Demonstrat igitur secundum hoc afflictiones, & ab illis liberationem. Nam hæc clausula; Exurrexi, quoniam Dominus suscepit me, hoc innuit, quòd diuina ope adiutus mala ingruentia superauerim.

Non timebo millia populi circundantis me, exurge Domine saluum me fac Deus meus.

Potest enim solus ipse Dauid multas myriadas dissipare.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti.

Fac me igitur participem tuæ perfectæ salutis: & quemadmodum de ijs supplicium sumpsisti, qui mecum iniustas gerebãt inimicitias, nec non de indigenis, & alienigenis, de Israëlitis, & Amalechitis, & de ipso insuper Saule; sic nunc me tua salute dignum existima. Hoc verò, Dentes peccatorum contriuisti, pro denudasti illos vniuersis viribus, ex metaphora ferarum, quæ dentibus priuatæ, imbecilles admodum, & expugnabiles fiunt.

Domini est salus.

Non collocaui inquit, spem meam in homine, sed à te tantùm salutem expecto: non solùm ego inquam, sed etiam populus tuus, qui mecũ bello petitur: nec non de ipsorũ etiam hostium salute solicitus sum: etenim ille quoq; tuus populus dicitur. Da igitur Domine his & illis pacis benedictionẽ. hoc enim demõstrauit, dicẽs.

Et super populum tuum benedictio tua.

Quandoquidem beatus Moses benedictionibus pacem connectit. Inuenimus autem in historijs beatum Dauidem nimiam sui populi curam gessisse, ipsiusque parricidæ filij, & maiorem pacis rationem habuisse, quàm victoriæ contra hostilem populum.

Psalmi IIII. Interpretatio.

In Finem in Hymnis Psalmus Dauidi.

Pro his verbis *In Finem.* Aquila quidem & Theodotion Victoriæ auctori, interpretati sunt. Symmachus autem Triumphalis. Significat verò hoc verbum *In Finem*, quoniam longè pòst seculis, quæ prædicta fuere, perficientur. In nouissima verò parte huius psalmi hominũ reditum à morte in vitam prædicit, inquiens, In pace in idipsum dormiam, & requiescã, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Sed secundum reliquos, hymnus triumphalis victoriæ auctori, affertur Deo præsens psalmus à beato Dauide, post obtentam Absalonis victoriam: videtur enim hic Psalmus compositus esse, post illius belli finem. Etenim in proximè præcedenti psalmo inquit beatus Dauid, Multi dicunt animę meæ, non est salus ipsi in Deo eius. Et in hoc, inquit, Filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium? & scitote, quia mirificauit Dominus sanctum suum. Docet igitur in præsenti psalmo impietate laborantes, & Deum prouidere, & gubernare humana, minimè existimantes eum omnia prospicere, atque administrare, & in demonstrationem doctrinæ singula percurrit.

Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ.

Discite inquit, ex rebus, quæ me ingruerunt, quomodo vniuersorum Deus humanis præest, atque purè illum implorantes exaudit. Ego igitur statim vt meam precationem attuli; voti compos factus sum. Hãc verò vocem, *Iustitiam meam*, pro iusta mea postulatione posuit. Non enim decet Dauidis prudentiam vt ipse suæ ipsius iustitię, atque virtutis testis sit. Similia hęc verba sunt illis, quæ per Esaiam à Deo dicta
Esa. 58. fuere, Tunc dices, ego exaudiam te loquẽtem, ecce adsum.

In tribulatione dilatasti me.

Solet vniuersorum Deus permittere, vt sanctis viris res aduersę accidant, post verò exercitationem, atque probationem, præconijs celebrare Athletas: atqui in ipsis tentationibus omnem animi delectationem adducere, hoc in loco id magnus Dauid docet, dicens, in ipsis afflictionibus tua ope, animique voluptate perfruitus sum. Hoc idem & ab vniuersitatis Deo
2. Cor. 12. diuino Paulo dictũ est, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur.

Miserere mei, & exaudi orationem meam.

Nunquam precandi satietas capit hominem iustum: Sed obsecrans, & benignitatem percipiens, precationisque vindemians fructus; pergit preces afferre, quippe qui scit, quæ vtilitas hinc percipienda sit.

Filij hominum vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?

Exijs quæ mihi acciderunt, ò homines discite vniuersorum moderatorem quomodo humana respiciat, atque studiosè accedentibus sua manu res petitas porrigat, & vestras inanes cogitationes abijcite.

Scitote quoniam Dominus mirificauit sanctũ suum. Dominus exaudiet me, cùm clamauero ad eum.

Non enim simpliciter ex calamitatibus, quæ mihi acciderunt, liberauit me, sed illustrem & clarum per victoriam me reddidit. Hoc enim dicit *Mirificauit*, & assiduè pergit meas preces admittere. *Sanctum* verò rursus hic, pro innocentem posuit, id est nullũ contra inimicos

crimen se admisisse, sed ab ipsis iniuria affectũ fuisse. *Graui corde*, infideles meritò nominauit, tanquam ad Deum nolentes respicere, atq; diuinas gubernationes cernere: ex metaphora illorum, qui per temulentiam ex vaporibus inferne sursum ascendentibus capite grauantur, & claudere oculos coguntur, atque eos aperire nequeunt.

Irascimini.

Hîc distinguendum est, & sic reliqua legenda.

Et nolite peccare.

Indignamini dicit & irascimini, videtes eos, qui in vos iniustè consurrexerunt, felices esse. Verùm nolite malum malo cumulare, tentãtes alijs persuadere, quòd omnia sine ordine atq; fortuitu ferantur: horum enim contrarium facere oportet, videlicet vt homines peccatorũ, quæ interdiù patrant, à se ipsis nocte pœnas exigant.

Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.

Quoniam enim nocturnum tempus ab externis tumultibus liberum est, & multam cogitationibus præbet quietem; meritò in hoc inquirere ea, quæ interdiù cogitata, vel patrata sunt, præcipit, & compunctionis remedio vlcera curare perdocuit.

Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Per hęc verba legis cultum, vt superuacuum abijcit, iustitiæque sacrificium afferre præcipit: omni enim sacrificio vel centũ, vel etiam mille boum iustitiæ possessio est gratior, coniuncta tamen in eum spe. Quoniam multi & Grecorũ, & Iudæorum & Hæreticorum, qui contraria cogitant, & temperantiam, & iustitiam aliquando exercẽt: verùm pietate priuati, nullum hinc fructum percipiunt. Quapropter & sanctus spiritus per diuinum Dauidem hortatur, non solùm sacrificare sacrificium iustitiæ, sed sperare in Dominum. Hoc & Dominus Christus discipulis suis dicit, Ego sum vitis vera, & vos palmites, & pater meus agricola est, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum. Et non simpliciter dixit, Non ferentem fructum, verùm in me non ferentem fructum, hoc est secundum mea præcepta, measque leges, per fidem in me, vt aliqui sine Dei confessione ob humanam gloriam virtutis studiosi videntur. Ioan.15.

Multi dicunt, quis ostendet nobis bona?

Innuit graues corde, quos nominauit, tanquam indignantes aduersis in rebus, in quas inciderunt, & diuinæ prouidentiæ diffidentes, & dicere hæc audentes.

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.

Illi quidem igitur & cogitant, & dicunt hęc: nos verò qui tuæ diuinæ scientiæ lumen accepimus, radijsque à te illustrati sumus; etiam in ipsis calamitatibus, quę contra nos consurgũt, ex animo magnam in spem te collocamus.

A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.

Rursus accusat illos, qui dicunt, Quis ostendet nobis bona? tanquam his in præsenti vita perfruentes, & ingrati animi vitio laborantes. Sensus est cum hyperbato, Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? à fructu frumenti vini & olei sui multiplicati sunt. Atqui ait, qui hęc dicunt, omnigenis terræ fructibus fruuntur: per has tres species humanæ naturæ vtilissimas, necessariò alia comprehendit bona, illorum insciti am redarguens, quoniam etiam in manibus Dei munera ferentes, & magnificè eius bonis se delectantes, vt nihil recipientes, dicere audent, Quis ostendet nobis bona? Ego vero tuo lumine fretus, scientamque adeptus;

In pace in idipsum dormiam, & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

Cùm enim omnem tumultum, cogitationumq; dissidium expulerim, & cum his pacem firmauerim, tuamque in primis prouidentiam alios docuerim sapere; in spe resurrectionis mortem expectabo. Nam somnum hîc mortem appellauit. Congruenter autem admodũ cum mortis memoria spem cõiunxit, habitis de prouidentia sermonibus. Cùm enim multi in præsenti vita in aduersam fortunam inciderint, & ab iniquis hominibus iniuria affecti fuerint, finemq; vitæ fuscepserint, nulla ope adiuti; docet magnus Dauid ne indignentur, cùm spes resurgendi cum morte coniuncta sit, & post obitum remuneratio futura sit.

Psalmi V. Interpretatio.

In finem pro hærede Psalmus à Dauide.

Sic & cęteri inscriptionem interpretati sunt. manifestum est igitur, Hæredem à diuino sermone nominari communiter quidem Dei Ecclesiam, singulariter autem, Animam pietati assuefactam. Auditur enim Christus in sacris Euangelijs dicens, Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod paratum vobis est à mundi constitutione. Et diuinus Paulus idem inquit, Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, si autem filij & hæredes, hęredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Et rursus, Non amplius es seruus, sed filius, si verò filius, & hęres Dei per Christum. Et similia alia multa in sacris voluminibus inueniri possunt, quibus instructi, sensum huius Psalmi cognoscere poterimus. Matth.25. Roma.8.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meũ, attende vocem orationis meæ, Rex meus, & Deus meus.

Cum multis omnigenis, & maximis fluctibus Dei Ecclesia agitatur, atque etiam vnaquęque anima, quę piam vitam amplectitur, superior euadit, tempestatisque supernatat, diuinam opem continuè implorans. hoc vaticinantis sermo nos edocet, præcipiens, quomodo vniuersitatis Deum, & Regem obsecrare, atq; deprecari deceat, inquiens, Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum, attende vocem deprecationis meæ. Verùm nec Cla-

Clamor pro clamore considerandus est, nec Aures, pro auribus: de Deo enim vniuersorum tanquam de re corporea sacra scriptura loqui solet, & ex humanis partibus diuinas potentias nominare consueuit, Videndi potentiam, oculos, Vim audiendi, aures, & alia similiter. *Clamorem* verò, deprecantium propensam voluntatem appellat, studiosamq; mentis obsecrationem. Auribus percipe verò, scilicet vt verba deprecationis meæ intra tuas aures sint, atque benignè exaudias meas preces, diligenterque attendas verba obsecrationis meæ, quoniam te esse Deum, & Regem noui.

Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi & videbis me.

Ego enim confidens, te meas preces admissurum; cùm primum illuxerit, abiecto à palpebris somno, tanquam Regi & Domino astò, deprecationem tibi afferens. Non cuiuslibet est dicere, tibi vniuersorum Deo astabo, & videbis me, sed eorum, qui secundum magnum Eliam ob familiaritatis fiduciam dicere audent, Viuit Dominus, cui astiti coram ipso hodie.

Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.

Meas preces suscipis, atque me obsecrantem inspicis, quoniam omnem iniquitatem respuis, malitiaque assuefactos omnino auersaris: execraris enim omnes iniquam vitam amplectentes. Nam hoc subiunxit.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium, virum sanguinum & dolosum abominatur Dominus.

Malitiæ catalogum in medium attulit, omnia ostendens diuinis præceptis cõtraria. Non solùm enim malitiam atq; iniquitatem & mendacium & dolum & homicidium improbat, verùm etiam eos, qui hęc patrant, nec pœnitentiæ studere volunt, execratur. demonstrat autem per hæc eos qui diuersis temporibus contra Ecclesiam consurrexerunt, atque superare nequiuerunt, secundum ipsius Dei & Saluatoris nostri Christi negationẽ. Nam, inquit, Portæ Inferi non præualebunt aduersus eam, hoc verò & Psalmus declarauit. Mat.16.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Cùm enim ego tua benignitate perfruar, tuaque dextera custodiar; quotidianum ad te affero adorationem in templo tuę gloriæ consecrato, semper tuum timorem circunferens: neque enim permittam vt sim tuæ benignitati confidens.

Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.

In quibusdam exemplaribus, In conspectu meo viam tuam, habetur: vtraque verò pium sensum habent. siue enim nostra via dirigatur in cõspectu Dei non aberrabimus, siue via Domini ante nos dirigatur, ipsam ambulabimus, illamque promptè curremus. Petit igitur hæres, vt à Dei iustitia deducatur, viaque sibi ipsi dirigatur, atque explanetur, vt facilè gradiatur. Hunc Symmachus sensum posuit, pro Dirige, Explana dixit. Audimus autem ipsum Dominum Christum per Esaiam, Erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et beatus Dauid in alio psalmo, A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet nimis. Cum humilitate hæres hæc verba dixit. Non enim postulat, vt per suam iustitiam sibi via dirigatur, verùm propter inimicos impietate assuefactos, contra ipsam iniustè bellum gerentes. deinde malitiæ studia particulatim edocet.

Non est in ore ipsorum veritas.

Mendacio, inquit, continuè linguam maculant.

Cor eorum vanum est.

Eorum verbis & cogitationes conueniunt, & cum ore cor consentit.

Sepulchrum patens est guttur eorum.

Clausa sepulchra suum teterrimum odorem occultum habent, reserata verò illum foras emittunt. talia & hi inquit, eructant verba, omnem impietatem redolentia. Per hæc verba innuit blasphemias, quæ contra Deum iactantur, & sermones libidinis, & flagitiorum plenos.

Linguis suis dolose agebant, iudica illos Deus.

Occulta verba grauiora sunt, quàm illa, quæ propalam proferuntur: dolo enim vtentes; infinita contra proximum moliuntur.

Decidant à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos.

Adducantur in iudicium tuum ò Domine, & aberrent ab ijs, quæ contra nos machinantur, atque per experientiam discant, quòd aranęæ telam contexant, & pœnã suis ausibus dignam pendant.

Quoniam irritauerunt te Domine.

Contra te enim bellum mouerunt, aduersusque illos, qui tibi acquiescunt, aciem instruxerunt.

Et lætentur omnes, qui sperãt in te, in seculum exultabunt, & habitabis in eis.

Hoc autem vult significare eos, qui crediderunt in te, implebit lætitiæ, & præbebit ipsis voluptatem sempiternam, non illorũ mors, sed tua prouidentia: credunt enim, quòd in ipsis habitas, & inambulàs, ipsosque sacratum templum efficis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto Domine.

Nam cùm tua gratia, & prouidentia tuis cultoribus se abundè suppeditet, illi qui constituerunt se ipsos tui nominis amatores; gloriabuntur propter tuam solicitudinem, quam de ipsis habes, tuam narrantes potentiam. Sicut etiam inquit beatus Paulus, Qui gloriatur in Domino glorietur.

Vt scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos.

εὐδοκίαν sacræ literæ nuncupant bonam Dei voluntatem. Eiusmodi etiam est illud, Benedixisti Domine terram tuam, hoc est, bonas res voluisti tuæ terræ, id est dilexisti. Et apud beatum Paulum, Secundum beneplacitum voluntatis ipsius, videlicet secũdum bonam eius voluntatem. Hîc igitur hoc dicit, tua bona voluntas, tuusque maximus amor, & dilectio in nos,

est nobis & scutum victoriam parans, & corona triumphalis.

Psalmi VI. Interpretatio.

In Finem in hymnis super octaua Psalmus à Dauide.

Octauum, futurum statum propheticus sermo nominat. Cùm enim præsens vita per septem dies hebdomadis reuoluatur, tempus incipiens à prima die, & desinens in septimam; rursus in primam recurrit, & sic in septimam progreditur; meritò seculum quod extra septenarium numerum est, octauum diuinus sermo nuncupat. Meminit autem in hoc psalmo mortis, & Iudicij. Quamobrem hunc posuit titulum. Inquit enim, Non est in morte, qui memor sit tui, In inferno autem quis confitebitur tibi? id est, clausa est pœnitẽdi ianua ijs, qui hinc demigrarunt, nec fieri potest, vt illi, qui in præsenti vita pœnitentiæ remedijs vti noluerunt, illic afferant Deo confessionem pro peccato. Testis est autem his verbis etiam Virginũ parabola: etenim per illam didicimus, fatuas virgines restinctis lampadibus, máfisse extra ianuas cubiculi sponsi, pulsantes quidem ianuas, sed reiectæ sunt, & thalamo exclusæ sunt: ait enim ipsis, Discedite, non noui vos. Quocirca beatus Dauid post duplex illud flagitium has affert Deo preces, rogans, vt sanetur, perinde ac si medicamenta pœnitentiæ non haberent amplius locum in illa vita.

Matth. 25.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Non precatur, ne reprehendatur, sed ne cum furore reprehendatur: neque petit, ne castigetur, sed ne cũ ira hoc patiatur. Paternè inquit, corripias, non Iudicis ritu: Medici more, non tortoris. Ne metiaris vindictam peccato, sed benignitate iustitiam tempera.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.

Huiusmodi vox peccatoribus cõuenit. Nam infirmitate præcedente, peccatum vincit. Si enim ratio in nobis non ægrotabit; perturbationes nequaquam tumultuabuntur. Quandoquidem si auriga validus fuerit & equos scienter voluerit, & moderatus fuerit; saltationes non habebunt locum.

Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde.

Ossa in hoc loco, Ratiocinationes appellat. quoniam enim ossa densiorem habent naturam, ipsaque ossa corpus ferunt; tropicè ratiocinationes per quas animal dirigitur, ossa nuncupauit. Inquit igitur, Horum cõturbatio turbauit, & commouit me. Qua de re precor, vt tua benignitate perfruar, vt per hanc conualescam.

Et tu Domine vsquequo? Conuertere Domine, et eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam.

Non dicit *Vsquequo*, quasi velit increpare, sed tanquam is, qui in magno dolore est, obsecrat, vt opem properè ferat. Concinnè autem apposuit, Propter misericordiam tuam. Non enim, inquit, mihi ipsi confido, neque meæ iustitiæ tuũ auxilium ascribo; sed ob tuam misericordiam deprecor, vt huius patrocinij cõpos sim. Hoc autem *Conuerte* Domine, pro attende me, posuit. & *Ne* auertas faciem tuã à me, Ex translatione excandescentium, & aduersantium, & audire nolentium.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in Inferno autem quis confitebitur tibi?

Idcirco precor, vt in præsenti, curatione fruar, quoniam noui eos, qui ab hac vita decesserunt cum vlceribus, nullam deinceps medicinam consecuturos, cùm nullus amplius sit pœnitentiæ locus.

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Non me latet magna & grauia cõmisisse peccata, veruntamen continenter lacrymor, & ea, quæ à me audacter commissa sunt, deploro, atque etiam meum cubile iniquitate contaminatum semper lacrymis abluo, tentans si per hasce illud purgare queam, & donec remissionem consequar, hoc facere non desinam. Idenim significat, Lauabo per singulas noctes, & irrigabo.

Turbatus est à furore oculus meus.

Ipse oculus mẽtis meæ turbatus est ob tuam indignationem Domine. *Oculum* namque hîc mentem appellauit, propterea de vno tantùm oculo mentionem fecit.

Inueteraui inter omnes inimicos meos.

Omnibus malis grauiora mihi sunt inimicorum opprobria: hæc enim me consumunt, & liquefaciunt, & extremam senectutem adducunt.

Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem deprecationis meæ, Dominus orationem meam suscepit.

Non amplius, inquit, blandiantur mihi illi, qui proprias iniquitates non vident, sed mea peccata irrident. Etenim diuino amore potitus sum, & persuasum mihi est per ea, quæ precatus sum, vt despiciat delicta mea, meque venię participem faciat.

Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei, conuertantur, & erubescant valde velociter.

Cùm igitur hæc videatis; desinite afferre mihi opprobria: vestrasque iniquitates in memoriam reuocantes pudore, tumultu, & perturbatione impleamini. Iustum est enim, & terroris plenum diuinum iudicium.

Psalmi VII. Interpretatio.

Psalmus à Dauide, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filij Ismeni.

Aufugiens beatus Dauid nefarium & parricidam filium; adiutorẽ inuenit Chusi, qui Absaloni persuasit, ne secundum Architophelis narrationem statim patrẽ insequeretur, sed vt cogeret prius populum, & deinde contra genitorem bellũ moueret. Mœrore igitur affectus, & admodũ conturbatus Architophel, eò quòd consilium Chusi præstantius visum fuit, factus sui ipsius homicida; suspendio vitam finiuit. Diuinus autem Dauid, cùm impetus tarditatem pro occasione fugiendi arripuisset; salutis compos fuit. Hunc igitur psalmum veluti quendam hymnum deprecationemque Deo Saluatori affert. Doctrinam autem addit, vt qui à quibusdam sunt iniuria affecti, in Deo spem collocent, adhortans, vt illinc opem expectent, delinquentes verò, memoria iusti Dei iudicij exterret.

Domine Deus meus in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequentibus me & libera me. Ne quando rapiat vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.

Nullo, inquit, humano auxilio fretus, sed tuã solam spem in me ipso circunferens; precor vt tuam assequar prouidentiam. Timeo enim ne more agrestis feræ, ij, qui bello me persequuntur, irrumpant, meque tua custodia destitutum inuenientes, penitus me perdant.

Domine Deus meus si feci istud.

Deinde manifestius docet, & dicit.

Si est iniquitas in manibus meis.

Et demonstrans quam speciem iniustitię hîc dicat, illico subiungit.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Multę sunt partes virtutis. Non solùm enim Temperantia, & Prudentia, verùm etiam Fortitudo, & Iustitia. Hic igitur non eximiæ virtutis sibi ipsi testis est, sed cùm hosce suos hostes minimè offenderit; iniustum propter ipsos sustinet exilium. Non solùm enim inquit, prior iniuriam non intuli, sed neque illos, qui mihi nocuerunt, vnquam vlcisci volui. Nam cùm sępius Saulem captiuum habuissem; iusti odij pœnas non exegi. Quapropter te Domine obsecro, qui omnia scis, vt iustè me iudices. Et si quid tale vnquam commisi, vt me tua cura priues. hoc enim dicit, Decidam ab inimicis meis inanis. Vt verò subditum inimicis me des, tanquam non solùm gloria, & Regno à te mihi dato me priues, sed ridiculæ morti me tradas. Nã id significauit dicens, Gloriam meam in puluerem deducat.

Exurge Domine in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Symmachus quidem in bili: Theodotion, In furore: Aquila verò, In celeritate interpretati sunt. Obsecrat igitur iustum iudicem, ne amplius equitate, sed iusta sententia vtatur, vt peccatoribus pœnam irroget. *Exurge* enim, pro, Ne amplius benignus sis, posuit. Tale est illud etiã, Exurge, quare obdormis Domine? Etenim illic somnum, lentitudinẽ appellauit. Et exurge Domine & saluum me fac, Tempus nanq; non benignitatis est, sed iustæ iræ. Impone igitur inimicis meis finem, iniustumque eorum impetum compesce.

Psal. 43.

Exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mãdasti.

Tu enim statuisti eos defendere, qui iniuria afficiuntur. quod igitur alijs promisisti, fac nunc ò Domine, tuamque opem mihi impertias.

Et synagoga populorum circundabit te, et propter hanc in altum regredere.

Etenim cùm hanc tuam prouidentiam ostenderis, omnes hymnos afferent tibi, Deumq; altissimum te nuncupabunt, eò quòd omnia prospicis, dignamque pœnam delinquentibus irrogas. Nam hęc vox, *Regredere in altum*, hoc significat, Cùm natura altissimus sis, apud multos verò incognitus, ostende te, quod es, ob solicitudinem, quam circa iniuria affectos habes. deinde subiungit vaticinantis more.

Dominus iudicabit populos.

Non solùm meam iustitiã iudicabis, verum etiam omnem hominum naturam.

Iudica me Domine secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.

Per hæc verba diuinus Dauid non suam ostentat iustitiam: contraria enim ipsum dicentem audimus, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Et rursus, Confitebor contra iniustitiam meam Domino. Verùm iustitiam dicit, quæ in proposita materia elucet. Nec enim, inquit, Absalonem offendi, nec Architophelem, nec illos, qui vnà cum ipsis bellũ gerunt cõtra me. Secundum hãc iustitiam, atq; innocentiam vt me iudices, precor. Nec secundum peccata, quę à me antea commissa sunt, sed pro subiecta materia sis mihi iudex, neque aliorum flagitiorum à me nunc pœnam exigas.

Psal. 50.

Consummetur nequitia peccatorum, et diriges iustum.

Pro *Consummetur*, Perficietur Symmachus posuit. Si euanuerit inquit, nequitia eorum, qui malitia assueuere; virtutis alumni studiosius eius propositum iter facient.

Scrutans corda, et renes Deus, iustum adiutorium meum a Domino, qui saluos facit rectos corde.

Renes hîc, Cogitationes appellat. Quoniam enim pudendos appetitus renes excitant, hinc deinceps concupiscentię cogitationes mouentur; renes tropicè cogitationes nũcupauit. Qui igitur occultas humanæ mentis cogitationes nouit; iustam mihi opem afferet, tanquam solitus hoc facere: iniuria enim affectis est vindex. Hinc posthac, & iniquos exterret, iustam vindictam ostendens, Architophelisque perniciem prædicit.

Deus iustus Iudex, et fortis, et patiens, et non irascitur per singulos dies.

Habet verò & benignitatem, per quam hominum peccata diutius tolerat. Quoniam si quando viderit homines ex hac sua patientia nihil vtilitatis percipere; interea minis perterret, vindictam procrastinans. Si verò etiam hac despecta peccare pergant; statim vltimum supplicium adducit, iustitiam continens. hæc per ea, quæ sequuntur manifestauit.

Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, et parauit illum, et in eo parauit vasa mortis.

Hæc enim verba non vindictæ, sed comminationis sunt. Vibrauit enim inquit, non incutiet: & tetendit arcum, non emisit sagittam. & docens contra quos emittet sagittas, statim coniunxit.

Sagittas suas ardentibus effecit.

Qui enim peccati syluã igni obnoxiam admiserunt, & ligna, fœnumque, & stipulam congesserunt; (vt ait diuinus Apostolus) ignitis sagittis configentur.

Ecce parturiit iniustitiam.

Architophel cùm malam illam sententiam expectorasset.

Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Ex malitia enim nullũ excessum relinquente; contra patrem, qui ipsum nulla affecerat iniuria, iniquum armauit filium.

Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Propriis inquit, comprehendetur laqueis, propriorumque laborum præmia accipiet, illaqueabitur retibus, quæ in aliorum venationem fixit.

Confitebor Domino secundum iustitiam eius, & psallam nomini Domini altissimi.

Ego verò hanc à Deo prouidentiam consecutus; eum, qui de me benemeritus est, semper cantabo, iustum iudicium narrans.

Psalmi VIII. Interpretatio.

In Finem pro torcularibus Psalmus a Dauide.

Considerandum est, quòd in quolibet psalmo, in quo Septuaginta In Finem posuerunt, Aquila quidẽ, & Theodotion, Victoriæ auctori interpretati sunt, Symmachus verò, Triumphalis. Hic igitur psalmus triumphalis Deo victoriæ auctori affertur, qui inimicum & vltorem Diabolum destruxit, quique homines in finem vsque illius tyrannidis liberauit. Torcularia autem, Ecclesias appellat, quoniam & Dominus vitis vocatur: ipse enim sacris in euãgelijs testatus est, Ego sum vitis vera. Qui verò hanc vitem vindemiant, sunt fideles, mysticum vinum præparantes. Maxima autem & hæc est Iudæorum perfidiæ criminatio, multitudinem enim torcularium audientes, manifesteque scientes, vnum quoddam torcular datum fuisse: imò verò neque torcular, sed lacum ante torcular. Protorcular enim inquit, effodi in illa, & expectaui, vt faceret vuas, fecit autem spinas. intelligere nolunt, antiqua cessasse, nouiverò testamenti gratiam apparuisse, quæ omnes homines ad salutem vocat. Quapropter, non amplius secundum antiquam legem, super vnum altare hominum fructus sacerdotes vindemiant, sed infinita altaria, quæ numerum superant, per omnem terram, & mare introduxit. & hoc octuagesimus tertius psalmus magis dilucidè edocet. Nam & ipse torcularium titulum habens; multorum altarium mentionem fecit, Quàm dilecta enim inquit, tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et paulo post, Altaria tua Domine virtutum. Et octauus psalmus pro Torcularibus inscriptus, orbis terræ salutem vaticinatur, & Dei prouidentiam erga homines docet, atq; vnigeniti humanitatem prædicit.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.

Quam, hoc in loco non comparationem, verùm amplificationem & exaggerationem significat: admodum inquit, ô Domine, tuum nomẽ ab omnibus decantatur, & te creatorem Cœli, & terrę omnes nominant. Nam hæc verba, Eleuata est magnificentia tua super cœlos, hoc demonstrant, Quoniam omnes nouerunt te cœlo, atq; terræ vniuersisq; rebus dominari. Nanque ipse semper magnificentiam habebat: verùm hominibus hæc non semper nota fuerat. Similia & beatus Abachuc vaticinatur, cùm enim dixisset, Deus à longè veniet, & sanctus de monte vmbroso; subiunxit, Aperuit cœlos potentia eius, & laude eius impleta est terra. Et cùm ipse apparuisset Iacob, interrogatus de suo nomine, respondit, Quid quæris nomen meum, quod est mirabile?

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum, et vltorem.

Id verò tuam potentiam maximè demonstrauit: quoniam per homines, qui minimè humanam sapientiam didicerunt, quique lactentium puerorum innocentiam imitati fuerunt; pernicioſissimum illum tyrannum euertisti. Qui cùm tibi Deo semper inimicus sit, homines que decipiat, vt contra te bellum gerant; rursus vt vltor insidiarum pœnas ab illis exigit. Sic cùm Architophelem induxisset vt illa diceret; postea tanquam carnifex illum morti addixit. Eodem modo cùm in proditionem Iudam armasset; mercedẽ obedientiæ laqueum retribuit. Et secundũ historiam veritas vaticinationis cognosci potest. Nam in sacris euãgelijs Dominus Christus Iudæis indignantibus, quando pueri cùm ramis præcedentes, ô Sanna in excelsis, dicebant, benedictus qui venit in nomine Domini, respondit, Non legistis, ex ore Infantium & lactentium perfecisti laudem? Illi igitur infantes perfidum Iudæorum populum condemnant; similem Diabolo, & inimicum & vltorem. Etenim cùm iste populus semper Dei legem violauerit, cumq; contraria ijs, quæ à Deo dicta erant, fecerit; rursus tanquam pro legislatore diu pugnans, Dominum Christum crucifixerũt, contrarium Deo atq; transgressorem eum nominantes.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti.

Nam satis idonea, inquit, & elementa sunt, vt tua ô Domine magnificentia ostendatur, & cœlum & terra, & luna, & sol, & ordo, ornatusque pulcherrimus, qui his inest. Prouidentia autem, quæ ad infimos vsque homines apparet, tanto magis tuam inexplicabilem prædicat benignitatem.

Quid

Quid est homo, quod memor es eius, et filius hominis, quoniam visitas eum?

Hæc autem non de ipsius magisterio, sed de prouidentia percurrit. Non enim dixit, Quòd formasti, sed quòd memor es eius, & visitas. Alibi verò magis manifestè nostræ naturę vilitatem deplorat. Homo enim inquit, vanitati similis factus est, dies eius tanquam flos agri, sic efflorebit, quoniam spiritus pertransibit in illo, & nõ subsistet, & non cognoscetur amplius locus eius. & alia huiusmodi infinita in sacris literis inueniri possunt, quæ humanum fastum compescunt: & hìc igitur vaticinantis sermo admiratur, clamans, Quid est homo, quòd memor es eius, & filius hominis, quoniam visitas eum? Non solùm id, quod sumus nobis dedisti, sed quod bene simus largitus es, & memor es, hominemq; malè affectum, inuisis.

Minuisti eum paulominus ab Angelis.

Hìc post digressionẽ de explanatione mentionem fecit: homo enim mortalitate minor factus est Angelis.

Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eũ super opera manuum tuarum.

Post verò humanitatẽ Dei, & Saluatoris nostri, natura nostra hæc recepit, Gratia enim saluti facti estis, (quemadmodum inquit diuinus Apostolus) & congregauit, & collocauit nos in cœlestibus in Christo Iesu.

Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper et pecora campi, volucres cœli, et pisces maris, et qui perambulant semitas maris.

Tuæ autem benignitatis, atque virtutis exacta demonstratio hæc est. Cùm vilem hominũ naturam tanta sapientia impleueris, vt non solùm terrestribus animalibus, verùm etiã & volatilibus, natantibusque, atq; ijs, quæ sunt ambiguæ naturæ dominetur, vtq; illa, quæ aërem penetrant, atque aquis operiuntur subiecta habeat; communem igitur dominationem contra hæc omnibus hominibus dedit. Cùm autem Deus Verbum nostrã naturam assumpsisset, propriumq; templum effecisset, suamq; carnem nominasset, & cùm inexplicabilem illam exinanitionem operatus esset; supra omnem principatum & potentiam atque dominatum iedit, superq; omne nomen, quod nominatur, non tantùm in hoc sęculo, sed in futuro, omniaq; sub pedibus suis constituit, nõ solùm oues, atque boues omnes, verùm omnem creaturã, siue visibilem, siue inuisibilem: & horum testis est diuinus Apostolus apertè clamans, Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. & paulo superius, Omnia enim inquit, subiecisti sub pedibus eius. Et ad Corinthios ait, Cùm autem dicat omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eũ, qui subiecit ei omnia. Sola enim increata natura ab hac subiectione tanquam libera, separata est. Hæc autem, quæ ab illa substantiam accepit, qualiscunque sit, siue visibilis, siue inuisibilis, subdita est, tanquam Deo & homini Domino Christo. Huiusmodi igitur honorem à Deo vniuersitatis humana natura susceperit. Proinde rursus principiũ Psalmi, in fine posuit, *Domine* Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.

Psalmi IX. Interpretatio.

In Finem. pro occultis Filii. Psalmus Dauidi.

Symmachus quidẽ, Triumphalem de morte filij interpretatus est: Aquila verò, Victoriæ auctori Iuuentutis filij: Et Theodotion, de florida ætate filij. Concordissimè igitur omnes facientes de filio mentionẽ, docent nos, quòd hic etiam psalmus continet prædictionem victoriæ, quam Dominus Christus contra mortem consecutus est. Viriliter enim & iuueniliter, peccato deuicto, neque vlla præbita commoditate, vt mors illum apprehenderet, eius robur euertit. Occultum autem hoc mysteriũ Septuaginta nuncuparunt: nam cùm alios omnes, tum etiam ipsos Apostolos hoc latebat, cuius rei Euangelista testis est, cùm enim sæpe Dominus eis dixisset, Ecce ascẽdimus Hierosolyma, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur, & occidet illũ, & tertia die resurget; subiunxit Euangelista, Et erat hoc occultum ab oculis ipsorum. Quapropter beatus etiam Paulus clamat, Sapientiam loquimur Dei in mysterio reconditam, quam nemo Principum sęculi huius nouit: si enim nouissent, nunquam Dominũ gloriæ crucifixissent. Et rursus, Mysterium occultum à seculis, & à generationibus. Meritò igitur Septuaginta, Filij mortem, nuncupauerunt Occultum.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua, lætabor, et exultabo in te, psallam nomini tuo altissime.

Proprium est perfectorum hominum, totum cor Deo dedicare, & omnem mentem ipsi consecrare, Diliges enim, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mẽte tua. Qui autem partitur cogitationes in Mammonam, & Deum, in Christum, & in Aurum; in præsentem vitam, & in futurã; non potest verè dicere, Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Vates verò propheticis oculis cùm futura præuidisset; non confitetur solùm in toto corde, verùm etiam narrat ipsius omnia mirabilia, faciens auditores participes cantus hymnorũ. & volens beneficij auctorem decantare; arripit pro huiusce delectationis occasione, non opes, & potentiam, neque sanitatem, neque bonam corporis habitudinem, sed tantummodo Dei memoriam: Lætabor enim inquit, & exultabo in te. sic & alibi, Memor fui Dei, & delectatus sum. Et alibi, Lætamini in Domino, & exultate iusti. & rursus, Exultet cor quærentium Dominum.

In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, et peribunt a facie tua.

Hæc Symmachus sic exposuit, Cantabo nomini tuo altissime, conuersis enim inimicis retrorsum, & collisis atque perditis à facie tua. Conspicatus enim meos hostes destructos, & in fugam versos, deinde captos, & extremam

perniciem passos; canto te, tuaq; beneficia prędico. Hęc autem Vates de humana natura percurrit, tanquam à Diabolo liberata, & libertatem per diuinam gratiam consecuta. Nó enim (vt quidam suspicati sunt) ab ipso spiritu hic psalmus dictatus est, sed potius erga ipsum spiritum, tanquam beneficij auctorem, ab his, qui beneficijs affecti sunt, decantatur, sicut ipsa docent verba.

Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam.

Quomodo?

Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.

Et quam sententiam protulit?

Increpaſti gentes, & periit impius, nomen eius deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi.

Non enim toleraſti, inquit, diutius hominũ naturam deſpicere, ab acerbo tyranno in seruitutem malè redactã, sed tanquam quispiam Iudex super solio quodam alto, & terribili tribunali sedens, talem ipsi pœnam imposuisti, vt memoria huius sempiterna obliuione obscuretur. Hæc autem verba, Increpaſti gentes, & perijt impius, hunc habent sensum, Per sacros Apostolos, & per Præcones veritatis, qui post illos fuerunt, attulit gentibus diuina dogmata. Illæ verò cùm accepissent, & ab errore liberatæ essent; perijt impius, non amplius habens eos, quos seduxerat sectatores, neq; qui ipsum adorent. sic Barnabas & Paulus Lycaones, qui conabantur ipsis sacrificare, increpauerunt, vociferantes, Quid facitis viri? & nos mortales sumus, similes vobis homines, cõuertentes vos ab his rebus vanis ad Deum. Sic etiam beatus Paulus increpauit Galathas, O stulti Galathæ, quis vos fascinauit? quibus ante oculos Iesus Christus proscriptus est, & crucifixus. Sic Corinthios reprehendit, Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis neque in gentibus nominatur: Ergo, Increpauit gentes, & perijt impius, & nomen eius deleuit in seculum seculi. Extincta enim prorsus sunt impietatis sacra, & obliuione sempiterna deleta sunt, vt nemo ex hominibus huius tẽporis sciat impietatis mysteria.

Actor. 14.

Galat. 3.

Corinth. 5.

Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti.

Proprijs enim armis orbatus est, cùm impietatis ministros non habeat. Qui verò se ipsos instrumenta impietatis illius constituerunt, hi nunc mutati; bellum contra illum susceperũt. Et ciuitates in quibus olim impietas locum habebat, euersæ, pietatis ædificationem sumpserunt. Non enim fieri potuerat, vt pietas ædificata fuisset, nisi priꝰ impietas diruta esset. Hoc & diuinus Apostolus inquit, Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & seculária desideria, sobriè & piè viuamus in hoc seculo, & quæ sequuntur. sic quislibet non simul cum Christo resurget, nisi prius mortis communicationem accipiat. Quapropter diuinus Paulus ait, Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus. & rursus, Et si mortui sumus cũ Christo, & simul viuemus, eodem modo & impietate inimicorum destructa, pietatem construxit.

Ad Tit. 2.

Rom. 6.

Ibidem.

Periit memoria eorum cum ſonitu, et Dominus in æternum permanet.

Ille enim inquit, manifestã omnibus, & valde claram abolitionem sustinuit. Nam *Cum sonitu* hoc significat, ex metaphora domorum, quæ ab aliquo motu concidunt, magnumq́ strepitum efficiunt. noster verò, inquit, Deus, & Dominus sempiternum habet robur, atque immortale Regnum.

Parauit in iudicio thronum ſuum, et ipſe iudicabit orbem terræ in iuſtitia, iudicabit populos in rectitudine.

Non enim tantùm in præsenti vita propriam potentiam ostendit, verùm etiam & in futura terribile suum iudicium demonstrabit, omnibus hominibus ius reddens, & pro dignitate vnicuique retribuens.

Et factus eſt refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulationibus.

In opportunitatibus, Aquila quidem, In tempore: Symmachus verò, Opportunè interpretati sunt. Docet aũt sermo, in opportuno tempore nostram salutem tractasse: nam pauperem naturam, humanam appellat, ob nimiam iniquitatis paupertatem. huius temporis opportunitatem beatus Paulus docet, Quando enim eramus paruuli, sub elementis mundi eramus, in seruitutem redacti: quando autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factũ ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem acciperemus.

Galat. 4.

Et ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

Sperent, Aquila & Symmachus, Confident, dixerunt: verbo vtentes indicandi pro imperandi. Cùm enim, inquit, hæc salus à te effecta fuerit; qui te Deum creatorem didicerunt, in te collocabunt spem.

Pſallite Domino, qui habitat in Sion.

Ex vetusta Iudæorum opinione, hoc ait Vates. Didicimus tamen ex Apostolica disciplina, etiam cœlestem esse Sionẽ, Etenim, inquit, accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem.

Ad Heb. 12.

Annunciate inter gentes ſtudia eius.

Studia, Symmachus, Artes exposuit. Aquila verò, Mutationes. Reuera mutatio fuit rerum omnium maxima. Qui quondã inimici erant, amici sunt, Longinqui, proximi; Serui, filij, Qui in ignorantia erant, in cognitione sunt, Qui in tenebris, in luce, In spe vitæ, qui mortui erant, Pauperes, hæredes regni cœlorum, Iudæi procul, & gentes propè, Filij, canes, Et canes, filij. (Et hæ Saluatoris artes sunt decoræ) Immortalitas, pro mortalitate donata est, & per mortem vita, per dedecus, decus, Benedictio, per maledictionem, per crucem, salus. hæ sunt artes, hæc sunt nostri Saluatoris studia.

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum.

Qui omnia inspicit, inquit, & exactè inquirit ea, quæ fiunt; nouit cædes audacter patratas à Diabolo per hominum deceptionem, & in auxilium illorum, qui iniuria afficiuntur, venit: hoc

hoc enim significat, Non est oblitus clamoris pauperum. *Clamorem* nanque hoc in loco, non deprecationem, seu preces dicit, sed miserias, quæ per peccatum superuenerunt, per quas & tempestiuæ mortes, & querimoniæ, & calamitates.

Miſerere mei Domine, vide humilitatem meam ex inimicis meis.

Eiusmodi, ait, quidam erat clamor ploratus, & lamentationis, qui veluti quandam petitionem in se continebat de malis ingruentibus.

Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas.

Hæc, inquit, est summa bonorum, liberatio à corruptione, mortisq́; euersio, qua perfruentes, vsquequaque tua beneficia decantabimus.

In portis filiæ Sion, exultabimus in ſalutari tuo.

Sionem, vocat cœlestem vrbem, quemadmodum beatus docuit Paulus. *Portas* autem illius, Ecclesias appellat, quæ vbique terrarum sunt, per quas in illam introiere, qui credunt. In his igitur, ait, exultantes, & tripudiantes ob resurgendi spem, Deum horum largitorem celebrabimus. Et postquam de mortis euersione mentionem fecit; meritò subiunxit.

Hebr. 12.

Infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.

Gentes hoc in loco Dæmonum agmen appellat. hi enim cùm validum conflassent exercitũ propter huius tyrannidem; ab imperio excederunt. Et in laqueo, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum, & in operibus manuũ suarum captus est peccator. Si autem de infidelibus gentibus, quæ interfecerunt egregios illos victores Apostolos & Martyres, suprà dicta verba accipiantur; etiam hoc pacto prædictionis veritatem inueniemus. Nã ob illorum occisionem pietatis præconium confirmatum est: siquidem Apostoli & Martyres mortui, plures lucrifecerunt, quàm viui. Et in operibus manuum eius, comprehensus est peccator, cognitusq́; est Dominus iudicia faciens, hoc est, sapienter, & iustè gubernans.

Conuertantur peccatores in Infernum, omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Deum: quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

Isti, inquit, diuinæ prædicationi diffidentes; ad inferos quam primum conijcientur, mortique tradentur, neque vel modicum nocumentum his, qui persecutionem patiuntur, afferentes. Patientia enim pauperum non peribit in æternum: Etenim qui perseuerauit vsque in finem, hic saluus erit. Et, beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Deinde à longè propheticis oculis prospiciens pietatis præcones ab impijs lædi; optantis more subdit.

Matth. 10.
Matth. 5.

Exurge Domine non confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo. Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniã homines ſunt.

Meritò quis Iudæos interrogaret, quem legislatorem hic Vates dari obsecrat? Nam Moses ille magnus diu & iam diu diuinæ legis ferendæ minister factus; finem vitæ suscepit. Alius autem legislator post illum non surrexit. Si verò nemo alius ostenditur neq; Iudæis, neque gentibus constitutus legislator; reliquum est cogitare Dominum Christum legislatorem gentium apparuisse, qui sacris in euangelijs exclamat, Dictum est antiquis, non occides, ego autem dico vobis, omnis qui irascitur fratri suo temerè, reus erit iudicij. Dictum est antiquis, non mœchaberis, ego autem dico vobis, omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum illam, iam mœchatus est illã in corde suo. & secundum alia multa similiter. Huius igitur legis promulgationẽ Vates gentibus dari obsecrat, vt ferina vita derelicta, cognoscant se homines esse. Homo enim (inquit Vates) cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quapropter & hìc dicit, Cognoscant gentes, quoniam homines sunt.

Deut. 34.

Matth. 5.

Psal. 48.

Vt quid Domine receſiſti longè? deſpicis in opportunitatibus in tribulationibus. Dũ ſuperbit impius, incenditur pauper, comprehenduntur in conſiliis, quibus cogitant.

Videris Domine longè stare, nec humana prospicere, iniuria affectis non opem ferens: ex mœrore autem veluti quodam igne afflicti liquefiunt iniquorum superbiam videntes. Concinnè valde hoc verbum *Incenditur*, mœrentibus dedit: nam ardentibus similes sunt, qui dolore afficiuntur, & veluti quendam fumum per os gemitum emittunt. Detrimentũ autem inquit, ex mœrore innocentium nocentibus eueniat, qui cogitationibus conuenientibus non vtuntur, licet de tua prouidentia ambigãt. hoc enim significat, Comprehendantur in cõsilijs, quibus cogitant.

Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.

Cùm enim infinita committant mala, laudes tamen ab assentatoribus consequuntur.

Exacerbauit Dominum peccator ſecundum multitudinem iræ ſuæ.

Hìc distinguendum est, & postea subiungendum.

Non quæret.

Pro Exacerbauit Dominũ, dicens, Non quæret. Nam cùm furore atque rabie vsus sit, tanquam nemine prospiciente; in omnem iniquitatem salit: non putans iudicem ea, quę patrantur inquirere. Deinde hoc manifestius dicit.

Non eſt Deus in conſpectu eius.

Quæ est huius causa?

Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius.

Penitus tuam legem despicit, omneq́; tempus in iniquitate conterit.

Omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

Sed tamen, & hæc faciens, felix est. Deinde superbiæ hyperbolen describit.

Dixit enim in corde ſuo: non mouebor à generatione in generationem ſine malo.

Manifestius hunc locum Symmachus explanauit, Non conuertar in generationem, & genera-

nerationem,neque in malis ero. Atque hac audacia vsus est,& cogitat se nihil mali passurum esse,cùm omnes malitiæ species percurrerit.

Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine,& dolo:sub lingua eius labor,& dolor.

Dolos enim struit,& contexit mala, suamq; vitam in insidijs contra pauperes agit.

Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.

Et in conuentibus,& in consessibus sedens, insidias quasdam,& artes innocentibus præparat.

Oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in abscondito,quasi leo in spelunca sua. Insidiatur vt rapiat pauperem,rapere pauperem,dum attrahit eum, in laqueo suo humiliabit eum.

Quemadmodum leo huc & illuc transfert oculum,venatú quærens, sic iste dies noctesq; rapinæ,& auaritiæ artes excogitat: sed tamen,

Inclinabit se, & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum.

Cùm enim omnibus superior factus fuerit; minimè tamen effugiet mortis fauces,sed æquè ac cæteri homines sepulchro tradetur.

Dixit enim in corde suo, oblitus est Deus, auertit faciem suam,ne videat in finem.

Et nihil quidem neque impia verba, neque cogitationes, quòd Deus non sit, iuuabunt ipsum, sed ex reb⁹ ipsis cognoscet Deũ omniũ presidé res humanas inspicere.Ex impijs hisce verbis, Vates mirum in modum conturbatus; rursus conuertit orationem in preces, dicens.

Exurge Domine Deus meus, & exaltetur manus tua,& ne obliuiscaris pauperum in finem,

Vbi peccatores impietate, & iniquitate assueti,per ea,quæ faciunt,dictitát Deum oblitũ esse; age, doce ipsos per experientiam, te non esse immemorem, neque tuam faciem auertere,sed eorum,qui offenduntur, curam gerere. Et vehementius turbatus illorum execrationibus,subiunxit.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo,non requiret.

Sed licet sine numero ille hæc in mente reuoluat;tu tamé vides. sic enim intelligendum est.

Vides quoniam tu laborem,& dolorem consideras, vt tradas ipsum in manus tuas.

Sic enim & Symmach⁹ distinxit,Vides,quòd tu laborem, & irritationem inspicis. Et Aquila,Vides,quòd tu laborem, & irritationem inspicis. Licet infinitis modis inquit, dixerint impij, te minimè res humanas inspicere, nos tamen nouimus te videre, & inspicere istorum iniquitates, & condignam pœnam ab eis exigere.

Tibi derelictus est pauper,orphano tu eris adiutor.

Propterea te obsecro.

Contere brachium peccatoris & maligni.

Erit autem hoc, si tantum ipsius peccatum velis inquirere. Si enim hoc acciderit; repentè vanus erit, & ad extremam vsq; perniciem redigetur.hoc nanque ostendit cùm dixit.

Quæretur peccatum illius,& non inuentus est.

Propter ipsum peccatum:& hoc explanatius Symmachus dixit, Inquiretur impietas eius,vt inueniatur ipse. Cùm enim illa inquiritur, & ostenditur; iste peccator perit.

Dominus regnabit in æternum, & in seculum seculi.

Quoniam enim impij dixerunt,non quærit, neque inspicit, meritò propheticus sermo docet,Deum regnaturum esse, neque simpliciter regnaturum, sed in seculum seculi. proprium autem Regum est, subditis consulere.

Peribitis gentes de terra illius.

Quæ iniquitati assuetæ estis, quæque neque salutis præconium admisistis.

Desiderium pauperum exaudisti Domine, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Præparationem autem, Propositum Symmachus exposuit.nosti inquit,diligenter cuius rei cupidi sint pauperes, & quod habeant propositum. deinde hoc docet dilucidus.

Iudica orphano,& humili.

Hoc enim inquit, concupiscit quilibet iniuria affectus.

Vt non apponat vltra magnificare se homo super terram.

Si enim supplicio afficiantur, qui impietate, & iniquitate vtuntur; maxima vtilitas cæterorum hominum erit,dum istos inspiciunt, & similia facere non audent.Hæc autem non simpliciter diuinus Vates præsenti psálmo cõiunxit,sed cùm vellet in primis ostendere,quo pacto humana natura antiquitus affecta esset, & quòd vnigenitum Dei verbum opportunè carne assumpta adhibuerit, medicinas vlceribus respondentes; docet deinceps eos, qui nihil vtilitatis ex hoc beneficio percipere voluerint, maioribus afficiendos esse supplicijs à Deo vniuersitatis, & id quidem in die secundi aduentus.

Psalmi X. Interpretatio.

In finem. Psalmus Dauid.

Hunc psalmum beatissimus Dauid dictauit cùm Saul ipsum insequeretur, dum admoneretur ab aliquibus, vt fuga salutem quæreret. Congruit autem omnibus, qui iniuria afficiuntur,& in Deo spem collocant. Inscribitur autem *In finem,* vt qui prædictioné contineat iusti Dei iudicij,& pœnæ nefarijs hominibus infligendæ.

In Domino confido, quomodo dicit is animæ meæ, transmigra in montem sicut passer,

Quid nam inquit, consulitis mihi, vt aufugiam, montesq; pererrem, & passeris more exterriti, vmbras huc & illuc commutem, cùm spem in Deo fixam habeam,& per illam hostes minimè timeam?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.

Nonnulli & hæc cum supradictis versibus coniunxerunt,sed ea,quę sequuntur nõ sinunt, subiungit enim.

Quoniam quæ perfecisti destruxerunt.

Hinc discimus Vatem conuertisse verba in Deum,

Deum,colloquio quodammodo vtentem, docentemque arcus,& iacula hostium parata esse, atque eorum scopum esse, vt veluti in obscuro,& in nocte illuni fraudibus, & insidijs contra nos vtantur. Clandestinas autem insidias,& occultas,obscurum appellauit: nanque hoc nomen σκοτομήνη, noctem luna carentem ostendit. *Rectos* verò *Corde* nominauit non summam sibi virtutem vendicans, sed cùm sciret nihil vnquam excogitasse mali, vt Saulem offenderet, sed summa beneuolentia in ipsum semper est vsus. Quoniam quæ perfecisti,ipsi destruxerunt,Non rapui,inquit,Regnum, sed à tua gratia regnandi electionem susceperi, illi autem destruere conantur contra tuá sententiá armati.

Iustus autem quid fecit? Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius.Oculi eius interram respiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum.Dominus interrogat iustum & impium.

Illi quidem sua malitia contra me vtuntur, tu verò iustus Iudex insidens cœlestibus sedibus, & propriùm conspectum in terreno templo exhibens,inspicis vniuersam terram. Sufficiunt autẽ tibi duntaxat oculorum palpebræ, vt humana omnia noscas. Nosti verò exactè & iustorum & iniustorum actiones, & digna operibus rependis. Atqui sciendum est, & oculos, & palpebras, & sedes, & cætera eiusmodi tanquam de re corporea dici, ab humanis rebus res diuinas homines edocendo,& diuinis actionibus humanorum membrorum appellationes imponendo.

Qui diligit iniquitatem,odit animam suam.

Animam diligens,iniquitatem odit. Qui bene erga illam affectus est;perniciem suæ animę machinatur. euocat enim diuiná iram, de qua Vatis sermo narrat.

Quoniam pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur,& spiritus procellarum.

Ab ijs,quæ Sodomis acciderunt,format supplicia. etenim in illas ciuitates pluit Dominus, *Genes.19.* A Domino ignis,& sulphur è cœlo.Hęc igitur, & hoc in loco minatus est,non vt hæc omnino inducturus, sed per hæc omnigenas pœnas ostendens.

Pars calicis eorum.

Hæc,inquit,sibi ipsis sortiti sunt,qui iniquitatem elegerunt. *Calicem* autẽ hîc, supplicium nominat. sic etiam & in alio psalmo,Quoniam *Psal. 74.* calix in manu Domini vini meri plenus misto. & paulò pòst, Bibent omnes peccatores terræ. *Hiere. 25.* Hunc calicem beatus Hieremias gentibus propinare iussus est.

Quoniã iustus Dominus, & iustitias dilexit,æquitatem vidit vultus eius.

Hæc,inquit, infligit iniquè viuentibus viuentium Dominus: quoniam cùm sit Iustitiæ fons, & veluti quodam gubernaculo æquitate vtens, dirigit omnia.

Psalmi XI. Interpretatio.

In Finem. Super octauam. Psalmus Dauidi.

Eundem sensum,& hic psalmus habet.Nam incusat eos,qui fraude vtuntur, amicitiamque promittunt,atq; ipsum inimico Sauli produnt, quique significant, vbi ipse Dauid degat. Titulum habet de Octaua, tanquam de iusto Dei iudicio mentionem faciens,quem iustus Iudex post septimam faciet,sicut paulò antè diximus. Propterea & *In finem* inscribitur, veluti vaticinatio posterioribus seculis futura sit.

Saluum me fac Domine,quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.

A te Domine vt salutem consequar,obsecro: quoniã veritas in periculo est, ne extinguatur, & vt vno verbo dicam, omnes mutua inter se infidelitate laborant. Deinde magis dilucidè narrat, quæ patrare ausi sunt.

Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suũ.

Amicitiã simulant,& hostilia committunt.

Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt mala.

Cum dolo, inquit, inuicem colloquuntur. Et iste labijs vtens in corde belli,falsa trãsmittit,Ille verò rursus itidẽ similia remittit. Hinc deinceps illis vindictam minatur.

Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.

Quæ autem est species magniloquentiæ?

Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt,quis noster Dominus est?

Natura,ait, sermones metiri nequeunt, neque diuinas leges respicere volunt,sed effrenato ore vtentes; cum audacia quicquid volunt, loquuntur, diuinam potentiam despicientes, nec sub Dei potestate esse cogitantes. Talis fuit Pharao,ideoq; dixit,Non noui dominum. Talis & Rapsaces, qui ausus est dicere, Ne te *4. Reg. 18.* decipiat Deus tuus, in quo tu ipse confisus es, *& 19.* quoniam Hierusalem liberabit ex manu mea. Talis Nabuchodonosor, qui generosos illos pueros exterruit, atque dicere minimè perhorruit, Quis est Deus qui eripiet vos de manu *Daniel 3.* mea? Veruntamen & illi eorum quæ committere ausi sunt, pœnam persoluerunt. & isti, de quibus propheticus sermo loquitur,dignũ dabunt supplicium.& hoc significans,subdidit.

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperũ, nunc exurgam dicit Dominus. Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo.

Non enim eos lugentes,& gementes ob iniquitatẽ, quæ audacter contra ipsos patrata est, despiciam, sed patientiam veluti quendam somnum excutiens, perspicuam, & illustrem eorum salutem faciam. Nam eodem modo Symmachus interpretatus est, Manifestam salutem perficiam. & docens verissima fore, quæ dicta sunt,subiunxit.

Eloquia Domini,eloquia casta,argentũ igne examinatum probatum terra,purgatum septuplum.

Septuplum, pro sæpenumero posuit:hoc enim scripturæ consuetum est.

Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac,& in æternum.

Nam à tua gratia custoditi; non solùm præsentis generationis laqueos effugiemus, sed & æternæ salutis compotes erimus.

In circuitu impij ambulant,secundum multitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Hi

Hi quidem igitur impietate assueti, diuina relicta via, huc & illuc aberrant, conantes circumire, & veluti obsidere mansuetiores. Tu verò ex altitudine naturę apparens, tua dignos cura eos putabis, qui ab illis bello petuntur. Nunc quidem in afflictionibus delectans, paulò verò pòst, perfectam salutem largiens.

Psalmi XII. Interpretatio.

In finem. Psalmus Dauidi.

Hunc psalmum erga se ipsum magnus Dauid protulit, nõ Saulem fugiens, verùm ab Absalone bello petitus. Ea enim, quæ de Saule feruntur, ante peccatum fuerant, & hac de causa magna cum fiducia loquebatur. Ea verò, quæ de Absalone acciderunt, post peccatum extitere. & propterea luctus, & gemitus verbis immistus est.

Vsquequò Domine obliuiscerismе in finem?

Procrastinationem auxilij, obliuionem appellauit. obsecrat autem ne obliuiscatur in finem, hoc est, ne omnino diuina prouidentia destituatur.

Vsquequò auertis faciem tuam à me?

Ex translatione excandescentium, & eos, qui offenderunt, videre nolentium, hoc dictum posuit: ideo paulò pòst dicit, Respice in me, & miserere mei. Neq; Faciem, pro facie intelligens, neque Auersionem, pro auersione, sed ab humanis rebus rursus orationem format.

Quandiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem & noctem?

Cùm dies noctesq; conficiar, cogitationes voluens & reuoluens, aliquando quidem benignitatem adipisci spero, aliquando verò ambigo, an compos futurus sim; interdiu verò despero.

Vsquequò exaltabitur inimicus meus super me?

Hæc & nobis dicere, diuinamq; opem semper implorare conuenit, qui à Diabolo bello petimur. Etenim diuinus Dauid hostes fortiores videns; mœrebat.

Respice & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.

Nocte calamitatũ circundatus, veluti quodam somno mœrore detineor. Si verò tui auxilij lux effulserit; & calamitatum noctem dissipabit, & mœstitiæ somnum sedabit. Si autem opem differres, timeo, ne in mortem somnus incidat, cùm tristitia fortior cogitationibus facta sit.

Ne quãdo dicat inimicus meus, prævalui aduersus eum, Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero.

Ne inimicis ridiculũ me ostendas: hoc enim mihi omnium grauium grauissimum est.

Ego autem in misericordia tua speraui.

Et hinc manifestum est, post peccatum hunc psalmum dictasse. non enim iustitiæ, sed benignitati confidit, & hanc se consecutum fuisse dicit.

Exultabit cor meum in salutari tuo.

Nunc quidem spem in misericordiã habeo, salutis verò compos factus, & à mœrore discedam, atque cum omni animi delectatione hymnorum cantilenam faciam. Hoc enim subiunxit.

Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.

Etsi enim inexplicabilem tuam ignoro naturam, tamen mihi nomen tuum sufficit ad colendum & decantandum, omneq; iustum auxilium postulandum. Credo enim me hoc consecuturum esse, etiamsi nomen tantùm inuocauero.

Psalmi XIII. Interpretatio.

In finem. Psalmus Dauidi.

Etiam hic psalmus, *In Finem* tendit, quoniã de futuris prędicit. Argumentum est hoc: Sennacharib Assyriorum Rex aliquando Iudæam bello infestauit, multasque ciuitates cepit, has quidẽ pactione, hasce verò obsidione, sperans & Hierosolymæ potiri, misit Rapsacem ad Ezechiam, qui tunc temporis Iudæis imperabat, execrationibus sermonibusque impijs contra Deum vtentem, Dicite (enim aiebat) Ezechiæ, Ne te decipiat Deus tuus, cui tu ipse confisus es, quoniam liberabit Hierusalẽ de manu mea, vbi est Deus Emath & Arphat, vbi est Deus ciuitatis Sepharuaim? nunquid potuerunt liberare de manu mea, quoniam dominus Hierusalem de manu mea eripiet? Verùm ille hęc locutus est. Ezechias verò cùm eius magnum exercitum despexisset, propriaque pietate vsus esset; diuinam implorauit opem, & statim hanc consecutus est. Nam cùm iustus Iudex & illius impietatem execratus fuisset, & istius pietatem admisisset; per vnum Angelum centum octoginta quinque millia Assyriorũ perdidit, alios verò in fugam conuertit, atque inopinatam salutẽ obsessis fecit. 4. Reg. 18. & 19.

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

Exordium psalmi val de sermonibus Sennacharib, & Rapsacis congruit.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum.

Fundamentum, inquit, & radix impietatis, vitæ corruptela est. Cùm enim se ipsos intemperantiæ atq; ferinæ vitæ addixissent, Dei memoriam à mente proiecerunt: Subditi autem Ducis insaniam secuti sunt.

Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deũ, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

Illos quidẽ, hæc & facientes & dicentes non tulit, qui in excelsis habitat, & humilia respicit: verùm cùm exactam quæstionem eorum cogitationũ fecerit, omnes vidit, qui contra ipsum impietate & iniqua vita detenti sunt. Simile est hoc verbis, quæ Abrahæ fuerunt dicta, Clamor Sodomorum, & Gomorræorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis, descendam & videbo, si secundum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Genes. 18.

Nõne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escam panis? Domi-

Dominum non inuocauerunt, illi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

Quoniam noluistis inquit, vos qui deuoratis, hoc cognoscere, ex ipso igitur rerum euentu vobis meum populum expugnabilem minimè fore discetis, neq; quemadmodum panem quendam, qui comeditur, ipsum deuorabitis, mea prouidentia despecta. hoc enim dicit, Deũ non inuocauerunt. Propterea vos, qui audacter loquimini, & neminem timetis, timori & terrori succumbetis, & in fugam conuertemini, cùm nemo vos exterruerit, atque persecutus fuerit. Nam id demonstrat, Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Locus autem hic, (Nónne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem) pronunciatione adiuuandus est. Hoc verò, Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum, humanè descripsit, ostendens è cœlo Assyrijs vindictam mississe. Patet enim vbiq; vniuersitatis Deum adesse, & terrę ambitum continere, atque in illa habitantes, veluti locustas esse, secundum Vatis vocem. Esa. 40.

Quoniam Dominus in generatione iusta est, consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.

Hæc autẽ facit vniuersorum Deus ob Ezechię virtutem, & generationem piè ab ipso custoditam, quo vt vili homine despecto vos impij irrisistis spem firmam, quam in me collocauit. Hæc enim supradicta, *Consilium*, pro Proposito vocarũt. Ille quidem veluti sacram anchoram meam spem apprehendit, atqui salutis compos factus fuit, vt sperauit. hoc enim subiunxit.

Quis dabit ex Sion salutare Israël.

Hic locus duplicem vaticinationem habet. Non solùm hanc domesticam salutem obsessis prædicit, verùm etiam multis pòst temporibus salutarem Saluatoris nostri aduentum, qui illinc exortus est, vaticinatur.

Cùm auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israël.

Postquàm enim decem Tribus iam erant in seruitutem redactæ, atq; etiam multæ Iudæorum ciuitates; obsecrat, vt etiam illi eandẽ salutem consequantur, & libertatem recipiant. Tunc erit inquit, maxima lætitia populo, qui geminam appellationem habet: non tantùm Iacob, verùm etiam Israël nominabantur, cùm nominationis, quæ à Deo eorum maioribus imposita fuit, hæredes fuerint.

Psalmi XIIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi.

Postquàm igitur proximè præcedens psalmus, salutem habitantibus Hierusalem vaticinatus est, & captiuis libertatem prædixit; meritò in præsenti psalmo admonitionem affert, & proponit vitam, per quam illos, qui sub Dei potestate sunt, viuere decet, talisq; auxilij compotes facti sunt, & formatorationem per dialogum.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Quis dignus est ò Domine apud tuum templum assidere, atq; in tua ciuitate vitam degere, qualem hunc esse conuenit, & quibus studijs vti par est? Nam *Tabernaculum*, Dei templum appellat, *Montem sanctum*, Hierusalem. Sic interrogans, responsionem recipit.

Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.

Oportet, inquit, talem expertem esse malitiæ, & ab omni reprehensione liberum, omnemq; virtutem studiosè percurrisse. *Iustitiam* enim hìc, perfectam virtutem nominat, cuius species sedulò enarrat.

Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum.

Nam non tantùm linguam à mendacio puram habere oportet, verùm etiam mẽtem à dolo & fraude penitus synceram, vt ipse nullum damnum in propinquum admittat. Cõgruenter admodum de corde primùm mentionem fecit, deinde de lingua, & tandem de actionibus: opus enim præcedit sermo, sermonem autem mens.

Et opprobrium non accepit aduersus proximos suos.

Si verò aliqui in quandam calamitatem inciderint; irridere, & insultare non decet, verùm potius mœstitiam communicare, secundum Apostoli legem, quæ iubet lugere cum lugentibus. Roma. 12.

Ad nihilum reductus est in conspectu eius malignus.

Si quis iniquam elegerit vitam, licet secundis ventis feratur, miserrimus tamen putandus est ab eo, qui perfectam possidet felicitatem. Quoniam enim opprobria purgauit; meritò hoc apposuit, bonorũ & malorum discrimen docens.

Timentes autem Dominum glorificat.

Pium nanque est, eos obseruare, atque omni veneratione, & honore dignos putare, qui res diuinas faciunt.

Qui iurat proximo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.

Iusiurandum veritas confirmet, & opes auaritia non inquinet: fœnus autem huius est species. Qui iudicat, nõ accipiat munera, & puram è muneribus sententiam proferat. Nam munerum corruptela iustitiam corrumpit.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Hoc autem est præmium virtutis, diuina ope continuè perfrui, & in multis bonis degere, & æternam vitam expectare. Hæc non minus nobis, quàm antiquis congruunt. Quoniã præter antiquam legem etiam nouam recepimus, & maiori gratia potiti sumus.

Psalmi XV. Interpretatio.

Tituli inscriptio. Psalmus Dauidi.

Hic Domini mortem, & resurrectionem prędicit, atque eorum salutem, qui in illum crediderunt.

derunt. Columnę inscriptio autē præter mortem victoriam etiam demonstrat. Columna enim non sepulcris solis imponitur, verùm vincentibus etiam erigitur, literasque sculptas habet, quæ inscientes victoriam docent. Nam inscriptio igitur σπλογραφίας, hoc significat.

Conserua me Domine, quoniam sperauí in te, dixi Domino, Dominus meus es tu.

Ex persona Saluatoris dictatus est hic psalmus, secundum verò humanitatem prolatus. Sicut alia multa & in sacris euangelijs inuenimus, & tale est illud, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, veruntamen non vt ego volo, sed vt tu. Et, Vado ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Eodem modo ipsum reperimus continenter deprecantem, & genua inflectentem. Humanæ autem naturæ hæc esse, nec ad diuinitatē, quæ omnibus rebus affluit spectare, Apostolus apertè docet. dicit autē sic in epistola ad Hebræos, Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui posit illum saluum facere à morte, cū clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidē cùm esset filius Dei; didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam, & cōsummatus factus est omnibus obtēperantibus sibi causa salutis æternæ. Consummatus est autem, non Deus Verbum qui ante secula perfectus erat, verùm forma serui consummatus est, cùm impatibilis, incorrupta, & immortalis effecta sit. Hęc igitur ait, effecisse Dominum in diebus carnis, cùm mortale habuit corpus. Igitur omnia hęc secūdum hominem sunt, Deoq; minimè conueniunt. eodem modo in prōpositō psalmo, vt conseruetur postulat, & à se ipso conseruatur. Postulat enim vt homo, petitionem verò concedit vt Deus, videlicet concurrente bona proprij patris voluntate, & opera. Hic autem locus, Dixi Domino, Dominus meus es tu, congruit illi dicto, Vado ad Deum meum, & Deum vestrum.

Matth. 26.
Ioan. 20.
Ad Hebr. 3.
Ioan. 20.

Quoniam bonorum meorum non indiges.

Nam omnibus bonis affluis, humanæque iustitiæ non indiges. Verùm si quis bonum efficiet, ipse iuuatur; tibi verò nullum hinc emolumentum prouenit. Hoc autem Symmachus aliter interpretatus est, Bonum mihi non est sine te. Omnis inquit, bonorum collatio ob tuam gratiam mihi inest. Vtraque autem expositio pium habet sensum. Nam nos à Deo bona recipimus, & ipse nostris iustis operibus non eget: propter nostram vtilitatem hanc legem, vt bene faciamus, constituit.

Sanctis qui in terra sunt eius, mirificauit Dominus omnes voluntates suas in eis.

Apostolos hic latenter innuit, illosque, qui per illos crediderunt, quibus dicit, perspicua Dei mirabilia facta esse: quoniam omnia inquit, mea præcepta impleuerunt.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.

Multi, ait, impetus Populorum, & Præsidum, Regum, & Ducum vndique consurrexerunt. atqui omnibus superiores facti; cum celeritate quàm maxima cursum perfecerunt, & metam contigere. conuenit hoc Apostoli dicto, Cùm infirmor, tunc potens sum. 2. Cor. 12.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Hos autem inquit, qui contra nos irruerunt, ad æterna supplicia cōdemnabo, & memoriam eorum obliuione sempiterna obruam, ita vt ipsa nomina penitus ignorentur.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.

Quæ in secundo psalmo dicta fuere, memoria repetenda sunt. Etenim ibi humano more rursus pater ad ipsum dicebat, Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et in sacris Euangelijs ipse ad suum patrem de sacris Apostolis, inquit, Pater, quos dedisti mihi, tui sunt, & tu eos mihi dedisti, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis. Sed quemadmodum hic humanè allocutus est, rogans, vt regnum accipiat, eodem modo alibi se omnium dominum esse demonstrat. Oues enim ait, meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. Et rursus, Et alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audiunt, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Veruntamen in præsenti psalmo secundum hominem dicit, Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: *Hereditatem* nuncupans gentium regnum: *Calicem* verò, mortem, quam pro nobis sustinuit. Sic enim & in sacris Euangelijs dicebat, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Psal. 2. Ioan. 17. Ioan. 10. Ibidem. Matt. 26.

Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Non dixit, Qui das, sed, Qui restitues. Quoniam enim cùm primùm conditus fuit homo, omnium potestatem accepit, & æternam habebat vitam, post peccatum autem, ex vtrisque excidit, & ab imperio, & à vita. Vt homo dominus pro humana natura petitionem porrigit, pristinam vitā, & imperium recupare dignum putans.

Funes ceciderunt mihi in præclaris meis. Etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Hujus cauſa, inquit, hæreditatis præsentes insidias amplexus sum. *Funes*, insidias nominat. similiter & in alio psalmo inquit, Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus. Dicit igitur, propter præclaram hæreditatem, atq; ob hominum salutem, præsentes insidias sustineo. Psal. 118.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Veruntamen à Domino edoctus & optimis cogitationibus vsus, crucis nocte superior ero. *Noctem* enim, tentationum obscuritatem appellauit. Nemo autem hoc absurdùm putet, Dominum Christum secundum humanam naturam erudiri, cùm audiat diuinum Lucam dicentem, Iesus proficiebat sapientia, & gratia apud Deum & homines. Et rursus audiat eundē dicentem, Angelum ei apparuisse, qui eum ante mortem trepidantem & guttis sanguinis fudantem confortauit. Si autem Angeli auxilio indige- Luc. 2. Luc. 22.

indigebat, vt ostenderet naturam, formam inquam serui; multo magis, à diuinitate, quæ in ipso habitabat, docebatur. Nam cùm sit homo, & Deus, instruebatur quidem vt homo, fons verò sapientiæ erat vt Deus.

Præuideam Dominū in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.

Hæc superuacuum est explanare, cùm diuus Petrus rursus horum verborum interpretationem dicat, accepta de patre, de filio, & de spiritu sancto reuelatione. Hic cùm inter Iudæos concionaretur, adducto hoc in medium testimonio, ita inquit, Viri fratres, liceat audacter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulcrum eius est apud nos vsq; in hodiernū diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius oriturum esse Christum secundum carnem, præuidens, locutus est de resurrectione Christi, quia neq; derelicta est in Inferno eius anima, neque caro eius vidit corruptionem. Et alibi, Dauid cùm propriæ generationi subseruiuerit, mortuus est, & vidit corruptionem: Quem verò Deus suscitauit, non vidit corruptionem. Iis qui audent interpretari, atque etiam Iudæis hæc afferenda sunt: manifestam enim habent confutationem Iudæorum deliorationis. dicit igitur Dominus Christus humano more etiam hic, quòd ego à diuina natura continuè corroboratus, ad salutatem crucem accedo, & resurrectionis spe gaudeo. Nec enim anima mea in Inferno derelinquetur, nec caro mea corruptionem secundū naturam sustinebit: nam velocis resurrectionis compos ero, & in vitam redibo, omnibus hominibus hanc viam ostendēs. Implebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem. Quoniam cùm ad crucem accessisset, dixit, Triſtis est anima mea vsq; ad mortem; meritò his verbis vsus est, cùm de resurrectione mentionem feciſſet, docens pro illa mœstitia in perpetuo gaudio fore, cùm secundū humanam naturā impatibilis, immutabilis, & immortalis factus sit. Nam vt Deus, hoc erat semper, atq; etiam ei facile erat, hoc humanæ naturæ præbere, cùm primū in vtero formaretur: verùm per afflictiones progredi voluit, & naturam humanam accepit, vt hoc modo cùm peccati potentiam euertisset, Diaboli tyrannidem sedaret, & mortis imperiū destrueret, omnibusq; hominibus resurrectionis facultatem præberet. Vt homo igitur, & incorruptionem, & immortalitatē accipit. Hic psalmus, & Arrij, & Eunomij, & Apolinaris dementiam redarguit. Hic quidem Deum Verbū inanimatum corpus, quod assumpsit vocauit: anima verò rationali eum priuauit. Ignoro vnde has geminas animas didicerit, nullibi enim diuina scriptura hoc docet. Verùm pariter sanctus spiritus per beatum Dauidem de anima manifestè mentionem fecit, cùm claram confutationem contra vtramq; hæresim dederit. Act. 2. Act. 4. Act. 2. Matt. 26. & Mar. 14

Psalmi XVI. Interpretatio.

Oratio Dauidi.

Persecutionem patiens à Saule, & omnigenas sustinens insidias; Deum vniuersitatis in auxilium implorat.

Exaudi Domine iustitiam meam, attende deprecationem meam, auribus percipe orationem meam non in labijs dolosis.

Rursus hic Iustitiam, non perfectam virtutē vocat, sed iustam postulationem. Cæteri verò Interpretes antonymiam non admiserunt, sed Symmachus & Theodotion, dominum iustitiæ Deum nominarunt, Aquila verò sic dixit, Exaudi domine iustum, id est iustè, & non benignè. hæc autem clausula, Non in labijs dolosis, Symmachus sic exposuit, Non per labia dolosa: puris enim inquit, labijs meas preces offero, non aliud cogitans, & aliud loquens, sed habens linguam menti congruentem.

De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.

Precor te, vt meis rebus iustitiam ministres: noui nanque tuæ sententiæ iustitiam.

Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas, vt non loquatur os meum opera hominum.

Hic docet, quòd cùm sæpius Saulem captiuum cepisset, interficere noluit, sed beneficio iniuriam remunerauit. quapropter etiam noctis meminit, qua hoc fecit, cùm nocte dormientem Saulem liberasset, & nemini concessisset letalem plagam illi infligere. Per figuram autem *Calamitates*, noctes appellat, ob mœroris obscuritatem. sicut rursus experientiam, Incendium nominat. etenim ait, Igne me examinasti, nec est inuenta in me iniquitas: cùm enim tanquam quoddam aurum me probasses; purum me inueniſti ò Domine. nam tantū abfuit, vt hostem offenderim, vt etiam linguam seruauerim liberam à conuicijs contra illum, & quæ ille perpetrat, hæc nec dicere quidem ego audeo.

Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.

Hanc verò rem adeò duram, laboriosamq; executus sum, vt tuis mandatis morem geram.

Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.

Peto igitur, ne propositum meum inuertatur: erit autem hoc, si tuam opem consecutus fuero. *Gressus* enim, nuncupauit impetum illum faciendi.

Clamaui, quoniam exaudisti me Deus.

Non temerè autem hisce verbis vsus sum, sed cùm periculum de tua benignitate fecerim; exaudisti enim me, cùm te sæpius inuocarem.

Inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea, mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

Admitte igitur preces meas, excita multas linguas ad decantandas tuas laudes. qui enim misericordiam abs te consecuti sunt, videntes eum,à quo iniuria affecti sunt;tuã decantabunt prouidentiam: consueuisti autem ijs, qui in te spem collocarunt,opem afferre.

A resistentibus dextera tua custodi me, vt pupillam oculi.

Resistentes dexteræ Dei, meritò eos appellauit,qui secum bellum gerunt: à Deo nanque vnctus est,ab eoque Regiam electionem consecutus est.Dicit igitur eos,qui contra me prelių conserunt,tuæ sententiæ se opponunt, & obsecro,vt talem consequar custodiam,qualem pupilla oculi consecuta est, quæ quidem veluti quædam munimenta habet palpebras, pro vallis autem pilos habet, habet etiam superciliorum oppositus, transmittẽtes sudoris pluuiam ad genas, & defendentes videndi vim à nocumento, quod inde possit accidere, eiusmodi ergo curam consequi optat.

Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.

Deuter. in Cant. Mosis 32. Matth 23.

Rursus alia vsus comparatione, obsecrat sibi opem afferri. Audiuit enim à magno Mose dicẽte,Sub alis eius susceptit ipsos,& sustulit ipsos super humeris eius. Et Dominus ad Hierusalem ait, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis eius, & noluistis? *Alas* autem, nominat velocem, & vehementem prouidentiæ securitatem: facillimus est enim alarum motus.

Inimici mei animam meam circundederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.

Adipem, nonnulli Felicitatem, & bonam habitudinem nominarunt,mihi verò videtur beneuolentiam,& fraternam charitatem sic nuncupare.hoc enim verba sequentia demonstrãt: quandoquidem omnem inquit, naturalem misericordiam clauserũt, cùm nullum locum benignis cogitationibus reliquerint. loquuntur enim alta,& tumida: mihi autem insidias, & omnis generis dolos contexunt.

Proiicientes me, nunc circundederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.

Ipsi quidẽ me à patrio solo exegerunt,& rursus huc & illuc concursant,me arripere desiderantes:quoniam nolunt rectè aspicere, sed habent mentis oculum obliquũ.sic enim & Symmachus explanauit, Statuerũt oculos suos torquere in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.

Abiecta naturali ratione, feras imitantur,cibi auidas,& prædam obseruantes,& derepentè aggredientes.

Exurge Domine, præueni eum, & supplanta eum, eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Illorum quidem ò Domine impetum impedi,quibus impedimentis scis. Hoc enim dixit, *Supplanta*, ex translatione eorum, qui latenter currentes prosternunt. Me autem ab illorum insidijs libera,tuo gladio contra eos vtens. Sic enim Symmachus dixit,In gladio tuo.

Domine à paucis de terra.

Termino nanque tuo-homines ad mortem transmittis. Tu enim dixisti, Terra es & in terram redibis. Gene. 3.

Dispipa eos in vita eorum, de absconditis tuis adimpleatur venter eorum.

Ego verò,etsi tibi facile est homines ad mortem transmittere, tamen obsecro, vt viuentes illi dissipentur,& eorum mala conspiratio dissoluatur,atque suppliciorũ,quę à te in peccatores reseruata sunt, participes fiant.Sic igitur & in magni Mosis hymno ipse Deus inquit. Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? in die vindictæ retribuam in tempore,vt non labatur pes eorum. Deutero. in Cant. Mosis 32.

Saturati sunt filij, & diuiserunt reliquias paruulis suis.

Hunc locum hoc modo Symmachus explanauit, Saturabuntur filij, & diuident reliquias suas paruulis suis. Noui inquit, te iustam tuam pœnam, non solùm ipsis infligere, verùm & filijs,& posteris, qui suorum maiorum malitiam imitati fuerint. hoc verbum, *Saturabuntur*, id est, ad satietatem vsque malorum participes erunt.

Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cùm mihi apparuerit gloria tua.

Videlicet,filio tuo. Illi tales dabunt pœnas, ego autem bonis, quæ à tua iusta prouidentia consecutus sum,perfruar, cùm maximum tuæ beneficentiæ periculum fecerim.

Psalmi XVII. Interpretatio.

In Finem. Puero Domini Dauidi, qui locutus est Domino verba cantici huius in die, qua liberauit eum Dominus ex manu omnium inimicorum suorum, & ex manu Saulis, & dixit.

Clara est inscriptio, & explanatione non indiget. In historia autem Regum sensus huius psalmi positus est. Vatis autem philosophia admiratione digna est. Cùm enim tot insidias à Saule sustinuisset; nõ cum inimicis eum numerauit, verùm cùm ab hostibus separasset, non tãquam de inimico mentionem fecit. *In Finem* verò ponitur: Quoniam vaticinationem etiam de gentium vocatione, Iudæorumque alienatione continet, quæ multis pòst seculis euenerunt. 2. Reg. 22

Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus,Deus adiutor meus,& sperabo in eum,protector meus & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Amore beneficia Vates compensat: solùm enim beneuolentiam, qui à Deo beneficium accepit, potest ei rependere. hanc etiam Deus cùm inciperet ferre legem statuit sanctionem, Diliges enim inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Verùm post amorem,sequitur cultus Dei amati. Etenim Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet,Charitas nunquam excidit. Promittit autem beatus Dauid,se Deum dilecturum esse, non quòd hoc perfectè nondũ impleuerit, sed quòd non patitur, vt vlla satietas huius amoris eum capiat.Deinde diuinę beneficentiæ nominationes facit, & secundum numerum beneficiorum in se collatorum numerum appellationum componit: & vocat Deum Fortitudinem, tanquam hanc consecutus: Firmamẽtum, tanquam firmus contra hostes factus: Refugium, cùm Deum vt murum, & firmum vallum habuerit. Liberatorem, tanquã per Deum ab inimicis liberatus: Adiutorem, tanquam illinc opem nactus: Protectorem, vt antesignanum in tempore factum: Cornu salutis & susceptorẽ, tanquam eius prouidentia seruatus. Cornu autem salutis posuit,ex translatione ferarum,quę cornibus hostes vlciscuntur. Ad Cor. 13

Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis saluus ero.

Hìc discimus de beneficijs collatis ex mera liberalitate gratias agere, & rursus petere necessaria.Hoc enim inquit,faciens, inimicis superior ero. Deinde percurrit omnigenos inimicorum impetus.

Circundederunt me dolores mortis, & torrẽtes iniquitatis conturbauerunt me, dolores Inferni circundederunt me,præoccupauerunt me laquei mortis.

Dolores mortis & Inferni, nuncupat internecina pericula. Quemadmodum enim dolores sunt prope ipsum partũ, sic maxima discrimina ad mortem appropinquant. Torrentes autem iniquitatis, iniustos atq; frequentes inimicorũ impetus appellauit.Etenim sicut Torrens aquarum concursus hinc inde venientes recipiens,repẽte impetum facit,sic etiam Saul, cæterìq; hostes impresionibus vtebantur. Laqueos autem mortis,insidias nuncupauit: nam quod alijs laqueus est, hoc ijs, qui bello petuntur sunt insidię: vtraq; enim clandẽstini damni machinationes sunt.

In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.

A tot,tantisque calamitatibus obsessus, omni humano auxilio despecto;diuinam implorauit opem, nec spes me falsum habuit: nam actutum meas preces admisit. *Templum* hìc,non Manufactum dicit,nec enim tunc temporis erectũ fuerat,postea enim Solomon ipsum constituxit: sed cœlum appellauit sic.

Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium cõturbata sunt, & commota sunt,quoniam iratus est eis Deus. Ascẽdit fumus in ira eius,& ignis à facie eius exardescet,carbones succensi sunt ab eo.

Omnia autem hęc posuit,non quòd omnino sic acciderint, sed quòd ita credita sint. Non solùm verò vlciscẽs Deus, verùm homines exterrens,similia sæpe fecit:tonitruis, & fragoribus,& terræ motibus,& igne terroré injiciens. Eodem modo cùm Israëli timorem afferre voluisset,Sinai montem igne fumantem ostendit. Propterea igitur & præsens Vates pœnam hostibus inflictam indicauit. docet verò & alios homines, ne eiusmodi crimina perpetrent, ad hoc vt ne similia patiantur.

Inclinauit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus eius, & ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum, & posuit tenebras latibulum suum in circuitu eius tabernaculum eius.

Rursus hìc Dei aduentum exponens, multũ auditoribus timorem incutit. Veruntamen neque descensum, neque ascensum diuinæ naturæ nos nouimus. Circumscriptus enim Deus minimè est, vbique præsens, omnia continens. Per hæc autem differentiam regiminum discimus. Nam aliquando quidem mitius hominibus apparet,interdum verò magnificentius, & nonnunquam metum afferre volens, inopinata quædam,& insueta demonstrat.Hoc igitur,Inclinauit Cœlos & descendit, intelligamus proprium cõspectum ostendisse: caliginem autem sub pedibus eius, eò quòd eius præsentia videri non potest: porrò Ascensum super Cherubim,& ventorum volatum, eius aspectus velocitatem:hoc autem, Posuit tenebras latibulum suum,eò quòd eius natura minimè intelligi potest:hoc verò,In circuitu eius tabernaculum eius,lucem quæ circa ipsum est. Ideoque beatus Paulus inquit, Qui solus habet immortalitatẽ, lucem inhabitans inaccesibilem. Timot. 6.

Tenebrosa aqua in nubibus aëris, præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt.

Quemadmodum enim ait,nubium coactione tenebrosus factus aër, fulguris splendorem emittit; eodem modo cùm vniuersitatis Deus videri minimè possit, emittit radios arcanæ lucis,&in eos,qui malitia assueti sunt, pœnali igne animaduertit. hoc enim manifestauit subdens.

Grando, & carbones ignis, & intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam & misit sagittas suas, & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Hæc nostra tempestate sæpius acciderunt. Bellis enim proximis aquilonares barbaros, qui nos inuaserunt, grandine & igne profligauit. & Persas, qui nuper ab Oriente nos bello prosecuti sunt, & sine cruore nostrates vrbes diripere sperabant, huiusmodi laqueis irretiuit, & vlterius progredi cohibuit, & hos quidem morte mulctauit,hos verò nuncios internecionis remisit.

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum, ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

Hoc nostris temporibus multis in regionibus euenit.Nam terra diffissa est & mota,& hiatus immensus in editis montibus apparuit, & aqua in aridis locis scaturijt.Facit autem hęc vniuersorum moderator,cùm vlciscendi potentiam hominibus ostendit, & docet, in puncto temporis extremam perniciem afferre posse: benignitate vero vtẽs, vindictam procrastinat, atque pœnitentiam expectat.

Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis.

Et docens, quid per aquas tropicè nuncupet, subiunxit.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, ab his, qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.

Manifestò inquit, erga me curam meis hostibus ostendit. hoc enim innuit, cùm dixisset, Misit de summo, & accepit me, videlicet omnibus persuasit, è cœlo mihi opem attulisse. hac verò me gubernatione dignum putauit, cùm inimicis fortior apparuerim: nam firmati sunt super me inquit.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ.

Hîc latenter innuere mihi videtur Absalonis defectionem post peccatũ patratum. Nam Afflictionem, quam Symmachus Miseriam vocat, animæ imbecillitatem dicit, propter quam peccatum commissum fuit.

Et factus est Dominus protector meus, & eduxit me in latitudinem meam.

Me quidem dum pellerer, & deijcerer, corroborauit Deus. & angustias loci latitudinem efficit, pro morte, quæ ab inimicis expectabatur, vitam largitus. hoc & in alio psalmo dicit,
Psal. 117. Impulsus & euersus, vt caderem, & Dominus suscepit me.

Saluum me faciet, quoniam voluit me.

Spero autem quòd in posterum eadem ope me dignum facies, & inimicis superior ero, & si quàm maximam potentiam habeant.

Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo, quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitia eius non defecerunt à me.

Non iniustè inquit, mei gerit curam, verùm meum propositum cognoscẽs, & sciens meum studium esse, omnia eius præcepta custodire. Postquã enim ostendit, Deum de ipso multam curam gessisse, huius rei iustitiam demonstrat, ad virtutem audientes adhortans, atq; docens, nos hanc assequi minimè posse, nisi purè illum diligamus. Nec enim Vates omnium suorum rectorum factorum numerum exponere voluit, verùm fundamenta iacere, quomodo possimus diuina cura digni esse.

Et ero immaculatus cum eo.

Et quomodo hoc fieri potest?

Et abstinebo me ab iniquitate mea.

Ab illis abstinens, quæ malè perpetraui, integer in posterum ero. Sic magnus Dauid de suis rectè factis mentionem facere coactus, vt diuinæ prouidentię iustitiam ostenderet, patratum delictum occultare noluit.

Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.

Tunc igitur ait, cùm penitus innocens ero, perfecta bona assequar. Nam omnia vniuersitatis Deus prospicit, & insuper bona opera. hæc enim puritatẽ manuum nominauit, atq; pium mentis propositum, dicit esse compensationes. Deinde hoc idem explanatius edocet.

Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.

Ad bonas vel malas hominum voluntates tu ò Domine remunerationes accommodas. Nam sanctis, res sanctitate dignas præbes: & innocentibus, & à peccato liberis, res congruas; & electis perfectisq;, res perfectas. digressis autem à via recta, & contrariam ambulantibus, congruum vitæ finem præparas. Quomodo, & quo pacto?

Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.

Nam moderata voluntate vtentes, vel ex calamitate aliqua depressos, salute dignos facies, atque illustres ostendes: supercilia autem tollentes, superbiæque inseruientes, in terram deijcere, atque vilitatem suæ naturæ existimare cogis.

Quoniam tu illuminabis lucernam meam Domine, Deus meus illuminabis tenebras meas.

Postquàm tenebras, afflictiones nuncupauit; meritò ab his liberationẽ, lucem appellat: hanc verò inquit, à tua prouidentia consequor. quoniam lucerna est homo, qui veram lucem accepit, vocat autem sic serui formam, Et meus est, & ex meo lumbo formabitur. hoc verò & in alio inquit psalmo, Illuc producam cornu Da- *Psal. 131.*
uid, parauí lucernam Christo meo.

Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

Id est, omnem fraudem, & dolum. Tentationem enim & Murum, insidias vocat, quas per tuam gratiam effugiam.

Deus meus impolluta via eius.

Iustè dirigis omnia, & propterea confido.

Eloquia Domini igne examinata.

A veracibus enim tuis verbis hoc didici. Nam, Igne examinata, (vt paulò antè diximus) probata inquit, & à mendacijs liberata.

Protector est omnium sperantium in se.

Non ego autem solus, verùm & omnes, qui eandem spem in te collocant, eadem ope perfruentur.

Quoniam quis Deus præter Dominum nostrum, aut quis Deus præter Deum nostrum?

Neq; enim est alius Deus, vt hic quidem petitionem huic Deo afferat, hic verò illi.

Deus qui præcingit me virtute, & ponit immaculatam viam meam.

Ipsius potentia seruatus, & ego rectam viam incedere festino.

Qui perficit pedes meos tanquam Cerui, & super excelsa statuit me.

Sicut Ceruis natura insitum est venenatas feras conculcare; sic me superiorem, & illustriorem hostibus reddidit.

Qui docet manus meas ad bellum.

Etenim ad preces manus expandens; supero inimicos meos.

Et fecit arcum æreum brachia mea.

Per brachia mea, quæ sunt veluti arcus æreus, & infractus, statuit sagittas in hostes emittere.

Et dedisti mihi protectionem salutis meæ. & dextera tua suscepit me, & disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.

Et erudisti eum, qui peccauit, & collapsum erexisti, & docuisti, quàm magnum malum sit peccatum, & salute dignos fecisti.

Dila-

Dilatasti gressus meos sub me, & non sunt infirmata vestigia mea.

In afflictionis angustijs, consolationis latitudinem dedisti, à qua recreatus, in hodiernum vsque diem duraui. hoc enim *Dilatasti*, Amplisti, Symmachus dixit.

Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant: confringam illos, nec poterunt stare, cadent sub pedes meos.

Sic à tua prouidentia corroboratus, omnes inimicos me victurum spero, & non prius desistere, donec rursus ipsos subditos efficiam: hoc nanque manifestauit cùm dixisset, Et cadent sub pedes meos.

Et præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me sub me.

Fortitudinem quidem & robur mihi largitus es, hostium verò impetum prepedisti. & hoc euenit tempestate Goliath, & Saulis. Nam hunc quidem in fatuis verbis faciendi tempus terentem funda deiecit: hunc verò somno ligatum facilè declinauit. Eodem modo & Getthæorum subterfugit insidias.

Et inimicos meos dedisti mihi dorsum.

Videlicet, in fugam vertisti. proprium enim est fugientium terga dare.

Et odientes me disperdidisti.

Saulem, Architophelem, Absalonem, & infinitos alios.

Clamauerunt, neç erat, qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Nam nec Alienigenæ, domesticos Deos implorantes, ab illis opem consecuti sunt. Nec Saul, & Absalon, & Osembæe, cæteriq́ue Israëlitarum hostes Deum adiutorem habuerunt.

Et comminuam eos, vt puluerem ante faciẽ venti, vt lutum platearum delebo eos.

Destituti inquit, penitus tua gratia erũt, quæ me adiuuat.

Eripies me de contradictionibus populi.

Hinc Iudæorum dementiam in Saluatorem vaticinatur, gentiumq́; salutem, & admonet, vt nullam cum istorum reclamatione communicationem habeamus.

Constitues me in caput gentium.

Sed Dauidem gentibus dominatum esse, nõ nouimus. Igitur, per eum, qui ex ipso secundũ carnem ortus est, vaticinatio impletur. Nã qui ex Dauide secundum carnem natus est, quique per diuinum Ezechielẽ nominatur, Dominus inquam Christus omnibus gentibus dominatus est, semper quidem vt Deus omnibus imperans. Post verò humanitatem, voluntariam credentium seruitutem in eum adeptus est.

Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

Ex persona Domini Christi hæc prædicit. Dicit aũt eos, qui nullum legislatorem, nec Vatem meum vnquam habuerunt; facilimè vocatos audiuisse, & meum imperium dilexisse.

Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.

Ij autem, qui filij vocati sunt, atque in filiorum ordine descripti sunt; alienos se ipsos fecerunt, cùm ingrati beneficiorum fuerint, & circa fidem claudicauerint, & piã semitam dereliquerint. Sic & per Ieremiam inquit Deus, *Ierem. 2.*
Quomodo conuersa es mihi in amaritudinem vitis aliena? ego autem plantaui vitem fructiferam omnem veracem. partim quidẽ propriam huius plantæ culturam demonstrat, partim verò ingratum eorum animum redarguit. Hoc verò, *Inueterauerunt, & claudicauerunt*, Vituperabuntur, & Auertentur, Symmachus dixit. & euentus prædictioni congruit: pleni sunt enim dedecore, odiosi omnibus visi.

Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.

Cùm de Iudæorum reclamatione mentionem fecisset; latenter innuit crucẽ, & post crucem, resurrectionem. Et quoniam Iudęi crucifixum, mortuum vocare solent, ipse exclamat, Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Non solùm viuit, verùm etiam in cœlos redijt, & volentibus salutem affert.

Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis, & ab insurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me.

Tu igitur, qui hęc longè pòst temporibus operatus es, liberes me ab ijs, qui iniustè me bello persequuntur, & quem populum mihi submisisti, obedientem mihi reddes.

Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo psallam.

Nãper gentes, quæ paulò pòst vocatæ erunt, in omnibus Ecclesijs per totum orbem te celebrabo. Potest autem huius vaticinationis euentus videri. Nam & in omnibus vrbibus, & pagis, & agris, & finibus, & montibus, & collibus, & in terra, & in mari, & in regione habitata, & in solitudine diuinus Dauid per piorum hominum linguas Deum decantat.

Magnificans salutes Regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in seculum.

Tu enim cùm me in Regem vnxeris; non solùm tueris, verùm etiam illustrem reddis. Hac verò prouidentia nõ tantùm me, sed etiã meos posteros dignos facies. Verùm & in seculum vsque hunc splendorem semini meo custodies. Hoc autem si secundum Iudæos intelligatur, vaticinationem redarguit. nam vsque ad captiuitatem Dauidicum genus in Regno permansit: Post verò illinc reuersionem, cùm solus Zorobabel regnasset, Regni hæredes minimè dereliquit. Si igitur vera est vaticinatio, vt verissima est; (spiritus enim veritatis ipsam detexit) reliquum est vt consideremus semen Dauidis æternum habere splendorem, videlicet Dominum Christum ex Dauide secundum carnem natum, qui secundum Regnum, & gloriam habet, & vt creator, & Deus hanc ante secula habebat: rursus autem vt homo, in nouissimis diebus accepit. Idco igitur per diuinum Ezechielem vniuersitatis Deus inquit, Dabo illis Da- *Ezech 36.*
uidem Regem ipsorum. & rursus, Dauid Rex *Ezech. 34.*
in medio eorum. Dauidem ipsum nominauit, tanquã ex Dauidis lumbis secundum carnem

germinatum. hoc verò & beatus Esaias exclamat, Erit radix Iesse, & resurgens imperare gentibus, & in ipso gentes sperabunt. hæc beatus Matthæus edoctus, sic euangelicam historiam exorsus est, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid.

Esa. 11.

Matth. 1.

Psalmi XVIII. Interpretatio.

In finem. Psalmus Dauidi.

Tres species diuinarum Legum à beato Paulo discimus. Nam vnam quidem sine literis inquit, per creationem hominibus datam fuisse, Inuisibilia enim ipsius à creatione mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. & rursus, Cùm enim gentes, quæ legem non habent, à natura ea, quæ legis sunt, faciunt, hi legem non habentes, sibi ipsis sunt lex. Aliá verò per magnum Mosem in literis præbitam fuisse, Nam propter peccatum inquit, data est lex, ordinata per Angelos in manu Mediatoris. Nouit autem & tertiam præter has positam, quæ est gratiæ: Lex nanque spiritus vitæ, liberauit me à lege peccati, & mortis. Congruentia his & beatus Dauid in hoc Psalmo homines docet, & secundum eundem ordinem. Primá quidem in creatione, quæ conditorem prædicat. Deinde eá, quæ per Mosem data fuit, quæ maiorem scientiam, volentibus illam attendere, præbet. Posthanc, legem gratiæ perfectam, quę animas purgat, & à præsenti interitu nos liberat. Propterea, & In finé nos Psalmus transmittit, nouum testamentum in fine prædicens:

Ad Rom. 1.

Ad Rom. 2.

Ad Gal. 3.

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentum.

Sufficit, inquit, etiam sola cœlorum pulchritudo, atque magnitudo, quæ apparet, ad opificis magnificentiam prędicandam. Si enim quis maximum, & pulcherrimum ædificium inspiciens, architectum miratur: & nauigium videns benè & optimè constructum, artificem considerat: & cum cõtemplatione imaginis, memoria pictoris concurrit, multò magis mundi fabricatio, quæ videtur, ad opificem nos videntes conducit. De Cœlo autem, & de firmamento mentionem fecit, magni Mosis doctrinam secutus. etenim ille primùm cœlum factum fuisse dicit, deinde & firmamenti artificium narrat, quod rursus cœlum cœlorum appellauit. Multitudo cœlorum nemini admirationẽ moueat: solet enim scriptura aliquando quidem singulariter, aliquando verò multitudinis numero nominare: & singulariter quidem beatus Dauid nominat, Cœlum enim ait, cœli Domino. Et rursus, Qui cingit cœlum in nubibus. Multitudinis verò numero rursus ipse, Laudate eum inquit, cœli cœlorum: eandem verò habet significationem quam illud, Cœlum cœli Domino. Nam cœlum, quod videtur, veluti quoddá tectum terræ paratum est: firmamentum autem, quod est superius hoc cœlo, tale est huic cœlo, quale hoc cœlum est terræ. Propterea igitur cœlum cœli vocatur, & cœli cœlorum nuncupantur. Sciendum est autẽ, & apud nos ciuitates etiam geminum nomen habere. & Tarsum dicimus, & Tarsos, vnam ciuitatẽ: & Thebam, & Thebas eandem vrbem: Sic etiã Mycenam, & Mycenas, antiqui vocabant vnicam ciuitatem, intelligentes multitudinis numero nominatam. Hæc autem à me non temere dicta sunt, sed propter eos, qui plures cœlos numerare conantur.

Psal. 113.

Psal. 146.

Psal. 148.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

Etenim ordinata successio noctis & diei, terminos à cõditore positos demonstrat, quos hæc inanimata mundi machina transcendere non potest. cùm enim nox atque dies, ad hominum vtilitatem crescant, atque decrescant, cumq; à se inuicem tempus mutuentur, & rursus debitum sibi vltro citroq; reddant; prouidentiam, quæ ipsis inest, ostendunt. Hoc autẽ, Eructat verbum, & indicat scientiam, & enarrant gloriam Dei, non animata esse, quę videntur docet. Verùm est quædá prosopopœia homines docens, ab his quæ videntur, ad opificẽ, qui minimè cernitur, peruenire, & illi hymnorum cantilenam afferre.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.

Hoc explanatius Symmachus interpretatus est, Nox nocti indicat scientiam non verba, neque sermones, quorum non audiuntur voces, sed in omnem terram exiuit sonus eorum. Vel secundum Aquilam, In omnem terram exiuit ordo ipsorum. Nam nec sermonem inquit, emittentes, nec verba proferentes, sed regulam, & proprium ordinem demonstrantes; omnem terram, atque mare ad diuinas laudes decantandas inuitant.

In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gigas ad currendam viam à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.

Hæc magis dilucidè tres Interpretes explanarunt, Soli posuit tabernaculum in ipsis, videlicet in cœlis. Sic enim magnus Moses docuit, Et fecit Deus duo luminaria magna, & posuit illa in firmamento cœli, vt lucerent super terram. eodem modo & diuinus Dauid posuit, Soli tabernaculum in cœlis, vt ipse ab illis veheretur: secundum pulchritudinem verò sponsum imitetur, ex thalamo multo cum decore exeuntem; secundum velocitatem autem, gigantem quendam magno cum robore currentem, nulla re obstante, nec impediente, quò minus vlterius progredi possit. Sic enim ipse ab oriente exoritur, & vnius diei spacio percurrens, ad occidentem peruenit, omnibus animalibus suum calorem impertiens.

Genes. 1.

Nec est qui se abscondat à calore eius.

Caloris quidem pro lumine meminit, plus efficaciæ demonstrans: fieri enim potest, vt etiam qui longè absunt, fruantur lumine hominum manu accenso: caloris verò nisi appropinquantes, participes esse non possunt. Sol autem etiam longissimè radios emittens, calorẽ cum lumine impertit. Omnia inquit, hæc satis sunt ad Creatorem demonstrandum. Veruntamen

pręter

præter hæc, etiam legem nobis adiumento largitus est, quę errantes homines dirigere potest.

Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, timor Domini sanctus permanet in seculum seculi, iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum.

Legem, & Testimonium, & Iustitias, & Præceptum, & Iudicia Mosis nuncupat legem. Sic enim ipse eam nominat: nam aliquando quidẽ appellat legem has iustitias, & iudicia, quæ dedit Dominus Mosi & alibi, Custodies legem Domini Dei tui, & eius præcepta seruabis. & vocatur quidem lex tanquã optimum Reipublicæ statum dispensans, atque ordinans. *Testimonium* verò, veluti peccantes testificans, & transgressionis vindictam ostendens. *Iustitias* autem, quasi iustum docens, & prohibens iniustum, rectęq; agentes, iustos esse declarans. *Præceptum* verò, eò quòd, quid agendum sit, præcipit, atque Domini more imperat. *Iudicia* autẽ, tanquam diuina iudicia ostendens, atque edocens, quibus bonis perfruatur, qui eam custodit, quibusq; supplicijs, qui ipsam transgreditur obnoxius sit. Dicit igitur, cùm Dei lex penitus ab omni reprehensione libera sit, hominum animas conuertit. Testimonium verò exterrendo, imperfectis atque infantibus iustitiã præstat. Porrò Iustitiæ cor lætificant, iustificationis causam demonstrantes. Præceptum autem, internos oculos illuminat, docens, quid vniuersitatis Deum honoret. Pietas quidem, atque Dei timor horum custodiam subministrans, in causa est, vt sempiternis bonis fruamur: meritò autem Dei timorem sanctum appellat, videlicet à reprehensione purum, tanquã humano timore improbato, vt qui vilitatis appellationem contineat. Iudicia autem vera, atque iustificata nominãs, veluti honores, & supplicia iusta hominibus afferentia: hæc inquit, auro lapidibusque pretiosis magis pretiosa, atque melle dulciora esse: verùm non omnibus hominibus, sed ijs qui reuera homines sunt, quorum vita non comparatur feris, quæ sunt rationis expertes, secundum ipsius Vatis vocẽ.

Alludit ad etymologiam græcam: nam νόμος dicitur ἀπὸ τοῦ νέμειν, à tribuendo: quia tribuit vnicuique, quod suum est.

Etenim seruus tuus custodit ea.

Et quo lucro? magis dilucidè edoce.

In custodiendis illis retributio multa.

Maximum, ait, præmium volentibus hæc custodire proponitur. & postquã Dei iudicia custodire promisit, humanam imbecillitatem in memoriam reuocans, atque huius verbi fastũ considerans; statim subiunxit.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.

Si enim Dei mandata magna cum fiducia seruare voluero, à naturali infirmitate in multa præter opinionem trahor, & nonnulla quidem inscienter pecco, ab ingruentibus calamitatibus oppressus: etsi operibus peccatum declinauero; tamen cogitationes omni sorde me polluunt. Propterea te obsecro, qui me expiare potes, & exclamo.

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

Non enim tantùm me cogitationes circunstant, verùm etiam Dęmonũ agmine obsideor: & hi quidem extrinsecus insidiantur, hæ verò intus nobiscũ conspirant. meritò autem ipsos alienos appellauit, vt inimicos, & hostes, & penitus nolentes nobiscum familiaritatẽ habere.

Si mihi non dominati fuerint, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo, & erũt vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Tua autem ope perfrui desidero, vt horum insidias subterfugiens, animá penitus ab omni labe liberam tibi exhibeam: & præteritorum peccatorum venia à te impetrata, sempiternam tibi hymnorum cantilenam afferam, tua oracula semper meditans. Per hæc igitur nouum testamentum prędicit, & baptismatis gratiam, & spiritus sancti donum, à quo & præteritorũ peccatorum veniam credentes accipiunt, atq; in posterũ satis auxilij habentes, & consurgentibus affectionibus, & malis insidiantibus spiritibus, superiores fiunt: ad hæc subiungit.

Domine adiutor meus, & redemptor meus.

Accommodatam psalmo perorationem posuit. Nam Dominum quidem, vt Creatorem, & Opificem vocauit, Redemptorem verò tanquam per sancti baptismatis regenerationem à pristino quidem interitu liberantem, & à Dæmonum seruitute redimentem, incorruptam naturam, atque immortalem largiens. Hæc autem & illa psalmus continet. & prima quidem pars mundi fabricam, & prouidentiam docet: media verò legem: vltima autem gratiam. Nam inquit, Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo: Domine adiutor meus, & redẽptor meus. hæc autem bona à nouo testamento nobis suppeditantur.

Psalmi XIX. Interpretatio.

In finem. Psalmus Dauidi.

Cùm Senacherim Iudæam bello olim inuasisset, & ad obsidionem Hierosolymæ numerosum exercitũ misisset, cuius Rhapsaces dux erat, cumque literas maledictis omnigenis, & impietate plenas ad Ezechiam dedisset; tunc beatus Ezechias vir omni pietate ornatus, ac accepta epistola, sibiq; in adiumentum ascito Esaia Vate, cucurrit in diuinum templum, epistolamq; explicatam Deo ostendit, hostium impietatem demonstrans, roganſque, vt ob iniuriam sibi factam Assyrijs suam ostenderet potentiam. Hęc multis antè seculis beatus Dauid prædicit, diuino afflatus numine & præsentem dictat psalmum, vbi ostendit populum pro Rege precantem, obsecrantemque, vt eius preces Deo sint acceptæ.

4. Reg 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob: mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.

Postquam enim magnus Ezechias ad diuinum templum cucurrit, habens præ manibus epistо-

4. Reg. 19.

epistolam maledicentiæ plenam; precatur populus, vt illius preces admittat, & inde opem afferat. *Sanctum* in hoc loco, Templum appellauit.

Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuũ pinguefiat.

Quoniam tempore pacis diuinum cultum studiosè curabat; meritò hæc de ipso dicunt, precantes totius orbis Deum, vt respiciat Regis pietatem, & multorum omnisq; generis sacrificiorum recordetur, rursusq; pacem concedat, vt pluribus ipsum sacrificijs conciliet. Hoc enim Holocaustum tuum pinguefiat, ita Symmachus explanauit, Oblationem tuã pinguem faciat: hoc est, ille, qui dedit tranquillitatem ob pacem præcedentis temporis, præbeat tibi ansam, vt pluribus ipsũ sacris cõcilies.

Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.

Iustum, inquit, Iudicem precamur, vt puritati tuæ animæ congruentem remunerationem largiatur.

Lætabimur in salutari tuo in nomine Dei nostri magnificabimur: impleat Dominus omnes petitiones cordis tui.

Deo nanque tuas petitiones exaudiente, etiã nos lætitiæ participes erimus, clari & illustres facti ob Dei potentiam.

Nunc cognoui quoniam saluũ fecit Dominus Christum suum: exaudiet illum de cœlo sancto suo.

Ex ipso rerum euentu didicimus Regem nostrum Deo fretum, salutem consecuturum: & in inferiori templo preces afferentem, de superiori, auxilium accipere. Postquam enim ostendit ipsum inferius precantem, ostendit de superiori loco adiuuari.

In potentatibus salus dexteræ eius.

His, qui accedunt, Deus opem affert. *Dexteram* autem rursus hîc humano more dixit, diuinam potentiam hoc modo nominans.

Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus: ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.

Illi, ait, equis & curribus freti; nihil vtilitatis illinc perceperunt, sed nescio quo pacto prępediti, conciderunt: nos verò diuino implorato auxilio, salutem palam consecuti sumus, & tanquam collapsis ob terrorem hostibus superiores inimicis apparuimus.

Domine saluum fac Regem, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

Huiusmodi ergo adiumentũ consecuti; obsecramus te Domine, vt & nosmetipsi, & Rex noster huius auxilij participes simus.

Psalmi XX. Interpretatio.

In finem. Psalmus Dauidi.

4. Reg. 20. Post illam illustrem, atq; splendidam victoriam, Assyriorumq; arcanam perniciem, beatus Ezechias in morbum incidit. Et cùm per Vatem Esaiam se moriturum didicisset, cumq; fœuentibus lacrymis Deum placasset; & morbi liberationis compos fuit, & quindecim annorum vitæ promissionem accepit. Rursus igitur diuinus Dauid ex persona populi hunc Psalmum dictauit, ob Regis valetudinem Deum decantans.

Domine in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

Cum potens inquit, sis, & benignus; humaniter preces nostri Regis admisisti, & omnes petitiones ei concessisti, potiùs verò maiora petitionibus dona largitus es. Hoc enim subiunxit.

Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.

Nam non rogatus, illi Regnum donasti: propria verò gloria, hoc est, regali diademate caput eius ornasti.

Vitam petijt à te, & tribuisti ei, longitudinem dierum in seculum seculi.

Accepit enim, & quæcunque obsecrando petijt, & optatam vitam obtinuit. Hoc enim, *In seculum seculi*, futuram vitam demonstrat, sanctis paratam, vt immortalem habeant.

Magna est gloria eius in salutari tuo, gloriam & magnum decorem impones super eum.

Nõ solum ei vitam donasti, verùm illustrem illum reddidisti & clarum, tum admirabili hostium interitu, tum etiam, quòd Sol præpostero ordine cucurrerit: adeo autem hoc terra mariq; notum factum est, vt Babyloniorum Rex 4. Reg. 20. ijs dona miserit, qui olim Assyrijs dona largiebantur. propter Ezechiam enim hoc Solem effeciſſe, vel passum esse, suspicabatur, Assyriorũ nece testimonio vtens.

Quoniam dabis ei benedictionem in seculum seculi, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

In omnibus inquit, seculis celebris, atque diuulgatus erit, cùm tantum à te auxilium habuerit. Hoc aũt *Cum vultu tuo* posuit Symmachus, Iuxta vultum tuum. Lætitiam igitur habebit, ait, & continuam voluptatem vultus: hoc est, tuam beneuolentiam assequens. Propterea autem hoc illi accidit, quoniam in te spem collocauit. hoc enim subdidit.

Quoniam Rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi non commouebitur.

Superior est inimicis, qui tuę gratiæ compos factus est: hanc consequitur ille, qui nulli hominum fidens, tua sola spe vtitur.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.

Hoc magis dilucidè Symmachus dixit, Comprehẽdet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inueniet eos, qui te oderunt. Ea, quæ dicta sunt, sequentibus cohærent. Non frustra nanque ait, Rex tuæ spei confisus est: Verùm sciens tuam dexteram omnibus inimicis superiorem esse, & eos, qui celerrimè aufugerunt, comprehensuram, atque potentissimos homines euersuram. *Dexteram* atque *Manum*, diuinã potentiam nominauit.

Quoniam pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuora-

norabit eos ignis. fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum.

Facilimum tibi est inquit, vt clibanum incendere eos, atque conficere in igne, veluti materiam igni obnoxiam: & non ipsos solùm, verùm etiam illorum posteros. Nam hos & semẽ, & fructum nuncupauit, vt omnis eorum memoria deleatur. Hoc autem, In tempore vultus tui, scilicet, In tempore iræ tuæ, cùm hoc facere volueris, & opportunum esse tempus vindictæ iudicaueris.

Quoniam declinauerunt in te mala.

Quoniam contra te linguam mouerunt, & maledictis vsi sunt.

Cogitauerũt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Aliqua exemplaria habent, *Stabilire*. Symmachus autem sic dixit, Cogitauerunt cogitationes, quæ non possunt fieri. Præ dicit autem per
2. Par. 32. & 4. Reg. 18. & 19. hæc Assyrij conuicia, Ne te decipiat Deus tuus, cui tu ipse confisus es, quoniam liberabit Hierusalẽ de manu mea: de his verbis dicit, Quoniam cogitauerunt cogitationes, quæ non possunt fieri: Vel, cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire, sperantes quemadmodum Idolis superiores fuerunt, sic vero Deo fore.

Quoniam pones eos dorsum.

Symmachus autem sic explanauit, Quoniam facies ipsos auersos. Eos enim, qui Angeli plagam fugerunt, in fugam vertes, & terga dare coges, vt abeuntes res gestas narrent. Hæc autem Vates prædicentis more posuit, tanquàm res nondum gestas.

In reliquijs tuis præparabis vultum eorum.

Hoc quidam cum hyperbato dixerunt esse, & intellexerunt sic, In reliquijs ipsorum præparabis vultum tuum: pro eo quod est, Et his, qui remanserunt, & his qui fugerunt, infliges pœnam. Fieri tamen potest, vt eadem structura vtendo, eandem sententiam accommodemus. *In reliquijs tuis*, integrum tibi erit & facilè supplicia statuere: & eos, qui nunc fugiunt, quique terga dederunt, eosque etiam, qui sibi persuaserunt mortem declinasse, poteris conuertere, & sistere, & mulctare.

Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus & psallemus virtutes tuas.

Nõ quòd Deus humilis sit, extollitur, neque, quod non habet, recipit, sed quod habet, ostendit: iure igitur inquit, Exaltare Domine in virtute tua, Demonstratur nanq; tua altitudo ob inexplicabilem potentiam, quam nos canentes, & celebrantes te, tua mirabilia opera enarrabimus.

Psalmi XXI. Interpretatio.

In finem. Pro susceptione matutina. Psalmus Dauidi.

Hic psalmus Domini Christi Crucem, & Resurrectionem, & gentium vocationẽ, & totius orbis salutem prędicit. Inscriptio hoc demonstrat. Susceptio matutina, nostri Saluatoris est aduentus, qui instar auroræ in tenebris sedentib⁹ illuxit. Lux enim vera est Dominus: nascẽs autem lux, diluculum efficit, qua exorta, solu-

uuntur tenebrę. In ipsum igitur dictatus est hic Psalmus: nam potius sacris Apostolis credendum est, & ipsi Saluatori, qui principio huius Psalmi clarè vsus est, quàm ijs, qui aliter interpretari conantur.

Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?

Patibulo autem suffixus, in hanc vocem prorupit, ipsa hebraica voce vsus, Heli, Heli lamazabathani. Quomodo igitur eiusdem veritatis testimonium scribendo præteriri potest? Derelictum autem fuisse dicit, vt qui cùm nullum peccatum commiserit; morti tamen obnoxius fuerit, quę contra peccatores potentiam susceperit. Vocat igitur derelictionem, non diuisionẽ diuinitatis coniunctæ, vt quidã suspicati sunt, sed illam permissionem, quam diuinitas permisit, vt humanitas pateretur. Aderat enim diuinitas in serui forma patiente, & fuit illã pati, toti hominum generi salutem moliens. hæc tamen nihil inde patiebatur: quo enim pacto, cùm sit impatibilis, pati posset? dicit autem hæc Dominus Christus vt homo. Et quoniam ipse est caput humanæ naturæ, pro tota humana natura in sequentibus verba facit.

Longè à salute mea, verba delictorum meorum.

Sciendum est autem, de hac voce *Delictorum meorum*, neminem aliorum Interpretum mentionem fecisse. Verùm Aquila quidem, Fremitus mei dixit. Symmachus verò, Fletus mei. Theodotion, Clamoris mei. Ne autem nos alijs explanatorib⁹ hoc in loco vsi, de industria eos, qui aliter hunc Psalmum interpretati sunt, redarguere videamur; Septuaginta Interpretum explanatione vtemur. Cùm hanc enim vocem attendissent; non dixerunt hunc Psalmum Domino congruere. Quomodo enim, inquiunt, qui peccatum non fecit, dicere potest, Longè à salute mea, verba delictorum meorum? Audiant igitur Ioannem clamantem, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et diuinum Patilum dicentem, Ille, qui peccatum non fecit, pro nobis peccatum factus est, vt nos fieremus iustitia in ipso. Et rursus, Christus redemit nos ex maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Itaque, quemadmodum cùm sit fons iustitiæ, nostrum peccatum accepit: cumq; sit benedictio, maledictionẽ nobis imminentem susceperit, & crucem sustinuit, & opprobria despexit; sic & pro nobis verba fecit. si enim nobis diffinitam disciplinam sponte subiuit: disciplina enim pacis nostrę super eũ, (vt ait Vates) multò magis, pro nobis verbis vsus est, & exclamat, Longè à salute mea, verba delictorũ meorum: ne respicias inquit, in delicta humanæ naturæ, sed concede salutem per meos cruciatus. & postquam crucem more humano administrans, sæpius precatus est in crucis tempore, Pater, dicens, si fieri potest, transeat à me Matth. 26. calix iste, & mœrore affectus dicebat, tristis est anima mea vsque ad mortem; meritò & Psal- Ibidem. mus hæc prædicens, inquit.

Deus meus clamabo per diem ad te, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Vel secundum cæteros, Et nocte, & non silentium.

Ioan. 1. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata totius mundi.

2. Cor. 5. ad Gal. 3.

lentium. Dies nocteſq; inquit, me clamantem, & ſilere nolentem non exaudiſti, ſed cruci tradidiſti. Veruntamen noui tui conſilij myſterium: hoc enim declarat, Non ad inſipientiam mihi, nam non fruſtra conceſsionem petitionis te procraſtinare, ſed magnum quid, & ſalutare, te ex cruce procurare cognoui.

Tu autem in ſancto habitas, & laus in Iſraël.

Hoc autem eſt omnium maximè admirabile, quòd te in ſancto hoc corpore habitante, crucis patibulo ſuffixus ſum. *Laudem* autem *Iſraël* ipſum nominat, vt qui laudatur, & decantatur à ſuis proprijs cultoribus. Nam pro *Laude*, Hymnum alij explanatores poſuerunt.

Inteſperauerunt patres noſtri.

Lucrum ſpei demonſtrat.

Inteſperauerunt, & liberaſti eos: ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & nõ ſunt confuſi.

Atqui, inquit, manifeſto noui, cùm omnes patres noſtri tuo auxilio confiſi eſſent, ſpe minimè fruſtratos eſſe, cumque tuum auxilium imploraſſent, tuæ prouidentiæ fructum cepiſſe.

Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominis, & abiectio plebis.

Ego autem ait, vt vermis, & vilis viſus ſum, & ridiculus factus. Aliqui per Vermem oſtendi dixerũt, quòd natus eſt ex Virgine: nam neque vermis habet ſubſtantiam ex concubitu. Ego verò conijciens per Vermem, hoc in loco tantùm vilitatem oſtendi puto.

Omnes videntes me, deriſerunt me, & locuti ſunt labijs, & mouerũt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.

Et hæc in ſacris Euangelijs poſita ſunt, Multi enim inquit, mouentes capita, dicebant, alios ſaluos fecit, ſe ipſum ſaluum facere non poteſt. Et alter latronum dicebat, Si tu es filius Dei, ſaluum fac te ipſum, & nos. Atque etiam hæc clauſula, Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum, in ſacris euangelijs inueniri poteſt. *Matth. 27. & Luc. 23.* *Luc. 23.*

Quoniã tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Hęc beatus Eſaias vaticinatus eſt, cùm dixiſſet enim, Ecce Virgo concipiet in vtero, & pariet filiũ, & vocabunt nomen eius Emmanuel, ſubiunxit, Butyrum, & mel comedet, & priuſquam ipſe cognoſcat malum, vel bonũ, reprobat malum, cauſa eligendi bonum. Beatus igitur Dauid Domini Chriſti gerens perſonam, inquit, Quoniam & tu formaſti me in vtero, & illinc rurſus eduxiſti, & adhuc lactens, matriſque vbera ſugens, in tua cura meas ſpes collocaui. *Cap. 7.*

Ne diſcęſseris à me, quoniã tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt, qui adiuuet.

Etenim Diſcipulorum chorus ipſum dereliquit. Deinde afflictionis ſpecies prædicit.

Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me: Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens, & rugiens.

Nuncupat autem *Tauros*, Sacerdotes, & Scribas, quibus principatus populi commiſſus erat, quique multa audacia vtebantur: *Vitulos* verò, eorum ſubditos. Vocat eos pingues, tanquam bonis ab ipſo ſuppeditatis perfruẽtes. Sic enim prædixit magnus Moſes, Et comederunt Iacob, & incraſſatus eſt dilectus, recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum. Atq; etiam beatus Hoſee feroci iuuencæ eum aſſimilat, Nam vt vacca laſciuiens errauit Efraim. Hoc autem modo populum appellauit. Sic autem Efraim inquit, vitula docta diligere contentionem, hoc eſt, quæ cõtentionem, et rixam amat. Nam vincit, non ipſam victoriam, verùm contentionem vocat. & poſt hęc humilitatem oſtendens, ſubiunxit, Ego autem conſcendam ſuper pulchritudinem colli eius, ſuperbam eius ceruicem deprimam, & ſeruitutis iugum imponam. Igitur Pſalmus Scribarum, Phariſæorumq; defectiones antè deſcribit, qui taurorum audaciam, leonumq; furorem imitantes, Dominum Chriſtum ſtiparunt. *Pſal. 78.* *Et Cant. Mat ſit 32.* *Hoſe. 4.* *Hoſe. 10.*

Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Oſſa, vocat ſacros Apoſtolos, quoniam & corpus, Eccleſiam nominat. robur autem corporis oſſa ſunt: ab his enim quicquid in corpore mollis, & fluxi eſt, ſuſtentatur. diſsipati ſunt autem omnes tempore crucis, inſtar aquæ, huc & illuc diſperſi.

Factum eſt cor meum tanquam cera liquęſcens in medio ventris mei, aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.

Etiã hæc omnia crucis tempore acciderunt. Cor quidem ob timorem, vt cera ad ignem euanuit, atque etiam lingua immobilis permanſit. Et diuini Euangeliſtę nos docent, eum non reſpõdiſſe, licet ſæpius interrogatus eſſet. Traditus eſt autem ſepulturę poſt crucem: id quod puluerem mortis nominat, eò quòd puluere obducuntur, qui ſepeliuntur.

Quoniam circundederunt me canes multi, & concilium malignantium obſedit me.

Poſt Iudæos de gentium exercitu mentionẽ facit: nam illi his eum tradiderunt: propterea & vaticinatio rerum ordinem obſeruauit. Meritò autem, illos quidem Tauros, hos verò Canes nominauit. Non enim bonum eſt inquit, ſumere panem filiorum, & dare cãtulis. Sed tamen poſt crucem, qui olim canes erant, per fidem in filiorum ordinem tranſiuerunt, & qui olim tanquam filij tractabantur, canum appellationem acceperunt, tanquam canes contra dominum rabie perciti. De his beatus Paulus exclamat, Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. Tamen propheticus ſermo canes appellans, inquit, Concilium malignantium obſedit me. Deinde enarrat, quæ ab ipſis audacter commiſſa ſunt. *Matth. 15.* *Ad Philip. 3.*

Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Et hoc manifeſtum eſt, & clarum etiam valde pertinacibus. Audimus enim in ſacris euangelijs ipſum Dominum ſuis ſanctis diſcipulis dicen- *Ioan. 20.*

dicentem, Videte manus meas, & pedes meos, quoniam ipſe ego ſum. Atque etiam Thomæ clauorum ſigna oſtendit, & plagam telo illatam. Hoc autem, Dinumerauerunt omnia oſſa mea, hoc ſignificat, quoniam ſic me diſtenderunt crucifigentes, vt facilè foret cuilibet oſſa enumerare.

Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me.

Videlicet, irridentes & loquentes.

Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Matth. 27. Apertiſsimè hoc porrò ſacrorum euangeliorum hiſtoria docet.

Tu autem domine, ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice, erue à framea Deus animam meã & de manu canis vnicam meam, ſalua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Poſtquam ait, nullam humanam opem habeo, tuæ ſuſceptionis compos fiam, & liberer & ab his, & ab eo, qui per hos hæc operatur, qui inſtar canis, atque leonis irrupit. Nam Leonem & Canem, atque Vnicornem eum vocat, qui mortis imperium habebat, (ſecundum Apoſtoli vocem) ſcilicet Diabolum, qui crucis tempore vt fera aggreſſus eſt, mortem feſtinans. Id autem Dominus ſacris in Euangelijs dixit, Nunc iudicium eſt mundi huius, nũc princeps huius mundi eijcietur foras. Et rurſum, Venit princeps mundi huius, & in me nõ habet quicquam. Sed tamen nihil eorum, quæ quærebat inueniens, (quærebat autem peccati reprehenſiones) impudenter & valde iniuſtè morti tradidit: ipſe verò malitię expers fuit, communem mortem deſtruere moliens. *Ioan. 12.* *Ioan. 14.*

Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.

Et hinc patet, more humano hæc loqui, vt homo autem ſuſtinens, quę loquebatur. *Fratres* enim, in ipſum credentes nuncupat. Fratres ſunt tanquam hominis, vt enim Deus, Dominus: vt verò homo, & frater nominatur. Vnigenitus enim eſt, & Primogenitus, & hoc quidem vt Deo, & Domino conuenit. Si enim Deus ſolus genitus eſt; & vnigenitus vocatur, ſi verò homo; & primogenitus appellatur, & teſtis eſt Apoſtolus dicens, Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Cùm hæc igitur ait, fratribus meis enarrauerim, per ipſos te decantabo, præparans illos hunc contexere hymnum. Deinde promiſsiones implet. *Ad Rom. 8.*

Qui timetis Dominum, laudate eum, vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum: timeat eum omne ſemen Iſraël.

Poſtquam enim Eccleſia & ex gentibus, & ex Iudæis cõflata eſt; & hos, & illos in hymnum accendit, hos quidem ab eorum maioribus nominans, ſcilicet Iacob, & Iſraël, hos verò à virtute, vt quę pro nobilitate homines ornare poteſt. Sic autem & Iudæos ex gentibus legi accedentes, mos eſt nominare, & hoc Actuum hiſtoria nos docet: Nam diuinus Apoſtolus concionem habens, ſic ait, Viri Iſraëlitæ, & qui timetis Deum, *Act. 13.*

Quoniam non ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis, nec auertit faciem ſuam à me, & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.

Laudate, ait, eum, qui auctor veſtræ ſalutis fuit, qui viliſsimam veſtram naturam deſpicere minimè voluit, verùm exaudiuit, atque per meam reſurrectionem veſtram ſalutem tractauit. Poſt hæc oſtendit quam æqualitatem cum patre vt Deus habet, ſubiunxit enim.

Apud te laus mea in Eccleſia magna, confitebor tibi.

Quemadmodum enim hominibus te clarum facio; ſic & tu omnes homines eundem mihi habere honorem doces. Nũc quidem dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene complacui, ipſum audite. Nunc verò, Et Glorificaui te, & iterum glorificabo. ſic eius ſcientiam Petro aperuit, ſic Paulo, ſic per hos rurſus hominibus. Eccleſiam enim magnam eam appellauit, quæ ad terminos vſque terræ ſe extendit. *Matth. 3.* *Ioan. 12.*

Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Preces hoc in loco, non deprecationes intelligit, verùm vota. hanc enim differentiam & lex nouit, Si hanc precatus fueris deprecationem Domino, id eſt, ſi voueris Domino. Poſtquam igitur ſuperius promiſit per eos, qui in ipſum credũt hymnum contexere; manifeſtius hîc edocet promiſsionibus finem ſe impoſiturum eſſe, vt ex rerum euentu, diuina oracula meditantes, verborum veritatem diſcant. Poſtquam autem Eccleſiæ meminit; neceſſariò de hac vaticinatur, & omnium gentium vocationem prædicit. ipſas enim gentes, pauperes nominat, vt quæ olim pietatis diuitias non habuerunt, verùm ignorantiæ paupertati ſeruierunt.

Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.

Non omnes, nec enim omnes Euangelio obedierunt, ſed ij, qui diuinum in ſe amorem admiſerunt: hos vt eſurientes, & ſitientes explendos eſſe inquit, immortali perfruentes cibo. Diuinum autem cibum, ſpiritus doctrinam ſcimus, & myſticum, atque immortale conuiuium, quod ſacris initiati cognoſcunt.

Viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.

Etenim adhuc mortali ſarcina cincti, ſperę ſurrectionis animum delectando; æternam vitam expectant.

Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum, vniuerſi fines terræ.

Præclarè *Reminiſcentur* poſuit. Quoniã cùm à Deo id, quod ſunt accepiſſent, opificis obliti ſunt, atqui omnes fines terrę, non vna gens nec duo, ſed infiniti ex omnibus, qui terram incolunt, accurrent, atque diuinæ cognitionis radium propenſo animo accipient.

Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.

Et docens proprium Dei imperium eſſe, & non alienum, poſuit.

Quoniam Domini eſt Regnum, & ipſe dominabitur gentibus.

Non enim tantùm Iudæorũ Deus est Deus, vt illi existimant, verùm totius humanæ naturæ est creator: sic & Apostolus inquit, Nunquid Iudæorum Deus est tantùm? nónne & gentium? nempè & gentium, quoniam vnus est Deus, qui iustificabit circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Roma. 3.

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.

Qui enim comederunt, & impleti sunt, de immortali cibo gratias agentes, eum, qui hæc suppeditauit, vt Deum adorabunt. & cùm in primo versu pinguium tantùm meminit, vt qui ab illo diuino cibo tales effecti sunt; meritò dixit, In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram. post enim ex mortuis resurrectionem, ij quidem volentes, ij verò inuiti, & alij quidem ardenti animo, alij verò timore, hunc Deo afferent cultum, secundum illam Apostoli vocem, Quoniam illi omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitebitur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei patris. Philip. 2.

Et anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi.

Semen Domini Christi sunt, qui per lauacri regenerationem renouati sunt, atqui adoptionis gratiam receperunt: propterea quidem eius animam illi viuere, & non seruire dixit, semen verò seruire. si enim assumpta natura cum diuinitate assumẽte copulata fuit, & iam eiusdem gloriæ, & honoris particeps fuit.

Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Non de hoc, inquit, dico seculo secundum quod ego Dauid hæc prædico, verùm de futuro, atque de eo, quod oriturum est, quod ipse vniuersitatis Dominus composuit. hic quidem igitur omnia hæc prædixit. Ego autem Iudæorum stuporem deploro, quoniam in diuinis oraculis semper versantes, veritatẽ in his splendentem minimè conspiciunt, sed in Dauidem dictatum esse hunc psalmum enunciant, audientes Dauidem exclamantem, Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus, Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, & manducauerunt, & adorauerunt illum omnes pingues terræ. Nam nihil horum Dauidi accidisse videmus, nec alicui eorum, qui ex Dauide descenderunt, solus autem Dominus Christus ex Dauide secundum carnem cùm Deus verbum factus esset homo, qui cùm ex Dauide formam serui accepisset; omnem terram, atque mare diuinæ cognitionis impleuit, atque persuasit ijs, qui olim errabant, atq; Idola colebant, pro illis, qui non sunt, Deum, qui est, adorare. Porrò istis cum Iudæis relictis, nos ad inceptum certamen, & ad reliquorum psalmorum interpretationem transeamus.

Psalmi XXII. Interpretatio.

In Finem. Psalmus Dauidi.

Dominus pascit me, & nihil mihi deerit.

Etiam hæc eandem habẽt sententiam, quam superiora. Cùm enim dixisset in psalmo proximè præcedenti, Edent pauperes, & lætabuntur, & laudabuut Dominum, qui requirunt eum. Et rursus, Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ; Latenter innuit hîc, huiusce cibi largitorem, & nuncupat educatorem, Pastorẽ: sic enim seipsum Dominus Christus nominauit, Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. eodem modo per Vatem Ezechielem se ipsum appellauit. & hîc igitur omnes, qui salutari cibo perfructi sunt, exclamant, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Nam omnis generis bonorum fructuum hic pastor ijs, qui ab eo pascuntur largitur. Ioan. 10. Ezec. 34.

In loco pascuæ ibi collocauit.

Postquam pastorum bonorum datorem appellauit; meritò & de ouium pastu ex translatione mentionem fecit. *Pastionem* autem hoc in loco, sacram diuinorum oraculorum doctrinam vocat. Primùm enim sermonibus nos alit, & deinde magis mysticum affert cibum.

Super aquam refectionis educauit me.

Regenerationis aquam latenter innuit, in qua dum baptizatur, qui gratiam concupiscit, vetera quidem peccati spolia exuitur, iuuenis verò pro sene efficitur.

Animam meam conuertit, deduxit me super semitas iustitiæ.

Horum autem ait, participem me fecit, cùm primùm ab errore me liberasset, cumq; rectam viam me incedere præparasset.

Propter nomen suum.

Vniuersa autem hæc ipsius magnificentiæ dona sunt: non enim ob nostram virtutem horum compotes fuimus. talem igitur adiutorem atque propugnatorem habens, nec ipsas quidem mortis portas timebo, verùm penitus mortem contemnam. hoc enim subiunxit.

Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Addit autem his & alia.

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Nam hoc quidem meam imbecillitatem sustentat, hæc verò me in rectam viam deducit. Porrò non quis errare posset, si eodem modo salutarem crucem nuncuparet. Nam signo, atq; memoria huius ab hostibus Dæmonibus liberamur, atque in veram viam deducimur.

Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est.

Manifesta sunt hæc ijs, qui sacris sunt initiati, atque nullius explanationis indigent: nouerunt enim spiritus oleum, cùm eorum capita oleo vncta sint, & ebrietatem potentem quidem, sed non dissoluentem atque mysticum cibum, quẽ nobis proponit is, qui præter pastoris officium spõsus factus est. his autem bonis me in conuiuium inuitasti, inimicis mœrentibus, seque excruciantibus, quòd qui olim ipsis seruiebant, hanc mutationem assecuti sint.

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, & vt inhabitem in Domo Domini in longitudine dierum.

Horum autem bonorum tua inexplicabilis benignitas est conciliatrix, nostras preces minimè expectans, sed nos velut fugientes persequens, & præueniens, & salutem impertiens, & consuetudinem in diuinis sedibus præbens, tum in præsenti vita, tum etiam in futura. Hoc nanque ostendit cùm dixisset, In longitudine dierum, id est, semper, & continuè. hoc autem illis seculis congruit, quæ finem minimè habent.

Psalmi XXIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. Prima Sabbati.

In aliquibus exemplaribus inueni, Super prima sabbatorum. In Sexcuplici verò libro hoc non apponitur. Cæterùm ne hoc intactum relinquamus, sciendum est, quòd Domini resurrectionem significat, postquàm omnis terra, & mare diuinæ cognitionis radios recepit. Hoc autem psalmus prædicit, & insuper Domini reditum in Cœlos.

Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarũ, & vniuersi, qui habitant in eo.

Quoniam verò Iudæi suspicabantur soli Palæstinæ ipsum dominari, & ipsorũ tantummodo curam gerere, cùm ipsorum duntaxat Deus esse existimaretur, meritò vaticinantis sermo docet, cum toti terrarũ orbi imperare: imperat, inquam, ei nõ violenter arrepta hac potestate, neque alio Domino priuato hac dominatione, sed ipse dominatur, qui orbem constituxit, & ex nihilo ad id, quod est, deduxit.

Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.

Per hæc autem non modò opificium, verùm etiam prouidentiam ostendit. Cùm enim tellus natura esset arida; dedit ei humiditatẽ moderatè respondentem: cùm extrinsecus ipsam mari cinxerit, & mediterraneas regiones interiecto pelago distinxerit, & fluuijs quàm plurimis & maximis, nec non etiam fontibus qui per medium continentis fluunt, hos quidem semper currere, hos verò scaturire effecerit. Itaque cùm Dei potẽriam ostendisset, & gentium cognitionem prædixisset; affert in medium exhortationem ad virtutem, formans nonnunquam orationem in morem dialogi.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?

Montem verò hîc, nõ terrestrem Sionis montem, sed cœlestem significat, vt beatus ostendit Paulus, Accessistis inquiens, ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem. Postquam enim paulò antè docuit, Deum omnium rerum esse auctorem, & opificem; iurè ostendit viam, quæ ad ipsum nos ducit, & ad interrogata respondet. Ad Hebr. 12.

Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.

Par est, inquit, vt qui illum montem conscendere desiderat, absurdis cogitationibus animam purget, & manus ab istiusmodi actionibus mundas habeat. Etenim *Manus*, pro Actionibus posuit. Per *Cor* autem, Concupiscentias latenter innuit: hoc verò consultamus, illis verò operamur. Decet autem inquit, huiusmodi hominem nullam rem fluxam & caducam concupiscere: has enim nũcupauit res vanas. siquidem etiam Ecclesiastes sic eas nominat, Vanitas dicens, vanitatum, & omnia vanitas. & quoniam dolus, & transgressio iurisiurandi auaritiæ cõiuncta est, meritò hæc post illam respuit, Et non iurauit in dolo proximo suo. Deinde demonstrat horum rectè factorum fructum. Eccleſiaſtes 1.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Ingeniose admodũ misericordiam cum benedictione coniũxit. etenim quæ existimatur remunerationes, propter solam diuinam benignitatem hominibus præbentur. Omnes enim hominum iustitiæ nihil sunt ad dona, quæ à Deo nobis suppeditata sunt, nedum ad futura munera, quæ omnem humanam cogitationem transcendunt.

Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.

Qui inquit, secundum hæc documenta viuere statuunt, reuera desiderant videre ipsum virtutis Conditorem, qui iamolim etiam magnum Iacob suo ipsius aspectu dignum fecit. In vndecimo igitur Psalmo de generatione altera omnibus vitijs affecta Deum precabatur, dicens, Tu Domine custodies nos, & seruabis nos à generatione hac in æternum. hîc autem contraria vaticinatur, Hæc est generatio quærentium Dominũ. Post enim humanitatem Dei, & Saluatoris nostri, omnis terra, & mare diuino mandato obtemperans, dereliquit quidem Deos patrios, Deum autem Iacob inquirit. Hoc modo orbis terrarum salutem prædicens, docens deinceps eos, qui ad fidem accesserũt, non solùm Dominum Christum resurrexisse deuicto mortis imperio, sed etiam in cœlos redijsse. Quoniam enim vigesimus primus Psalmus oracula cõtinebat de salutari cruce, nec nõ prædictionem de gentium salute; meritò rursus hic cùm de gentibus mentionem fecisset, & earum cognitionem prædixisset; Domini ascensionem describit, nobisq; Angelorum choros ostendit, hos quidem Dominum Christum præeuntes, hos verò interrogantes, & discere cupientes, Quod nouum est spectaculum?

Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Nemo cœlestium spirituum inscitiam audiens, miretur, nec enim prænoscunt, nec omnia

nia sciunt, sola autem diuina natura hãc scientiam habet. Angeli verò, & Archangeli, alijque superorum spirituum cætus tot sciunt, quot discunt. & propterea diuinus Apostolus de ipsis
Ad Ephe 3. loquens ait, Innotescat nunc Principibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Si autem per ea, quę in Ecclesia gesta sunt, diuinam sapientiam accuratius didicerunt, absurdi nihil est, cœlestes potentias ignorare, humanam naturam videntes, & diuinitatem in ipsa latétem minimè intuentes. Si quispiam autem huic expositioni acquiescere noluerit, ab ijs, quę in hoc Psalmo interpretata sunt, propositã solutionẽ accipiat. Etenim superius per dialogum doctrinam de moribus formauit, dicens, Quis ascendet in montem Domini, & quis stabit in loco sancto eius? Cùm sic interrogasset, respõsionem subiunxit, Innocens manibus, & purus corde, & reliqua. Talẽ & híc putato esse sermonis figuram, neq; existimet interrogantes ob ignorantiam interrogare, sed omnes homines hoc præconio ascendentis imperium docere. Propterea respondentes potestates aiunt, ipsum Regem gloriæ esse, vt eum, qui ab omnibus existimatur, veram gloriam perpetuumque Regnum habere. Nuncupant autem ipsum Dominum fortem, atq; in bello potentem: acerbam enim Diaboli tyrannidem euertit, dæmonumque dolum, qui sub illo sunt, destruxit. Aeternas verò portas reserari iubet, tanquam naturæ humanæ nunquã ante hac patefactas: nemo enim per illas vnquam transiuit. Verùm Deus Verbum, factus homo, cùm humanitatis primitias assumpsisset; sustulit in cœlos, & collocauit in dextera maiestatis in excelsis, supra omnem principatum, & potestatem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc sęculo, sed etiam in futuro. Magnus autem Elias assumptus est quidem, sed non in Cœlum, verùm tanquàm in Cœlum. Sic prima interrogatione, & responsione facta, rursus hæ quidem interrogant, hæ verò respondent, & discunt virtutum Dominum, hunc esse regem gloriæ, hoc est, qui Angelorum, & Archangelorum, & totius naturæ inuisibilis, & genitæ, creator, & opifex est.

Psalmi XXIIII. Interpretatio.

In finem. Psalmus Dauidi.

Psalmus hic deprecationis figurã habet. Propterea vt verisimile est, neq; inscriptio ipsum psalmum nominat. Aliqui autem Interpretum seruitutem prædicere dixerunt, tanquam ab illis qui captiui erant, dictũ fuisse explanarunt, finem tantùm attendẽtes, Libera enim inquit, Deus Israël ex omnibus tribulationibus suis. Ego autem hunc Psalmum à beato Dauide dictum fuisse existimo, cùm multos hostium impetus pateretur. Propterea igitur de prisis, atque recentibus peccatis mentionem facit, ab hisq; liberari obsecrat. docet autem homines vtilem doctrinam.

Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei.

Vndiq; ab infinitis hostibus sęptus, tibi Domine meam animam affero, & ex tuo auxilio pendeo, obsecrans, ne semper in ignominia viuam, néue hostibus ludibrio sim.

Etenim vniuersi, qui sustinent te, non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.

Habeo ait, idoneum pignus spei, eos inquã, qui tibi iam crediderunt, tuaque ope perfructi sunt: horum enim hominum solitus es curam gerere, confundere autem vitijs affectos. Porrò notandum est, quoniam non peccantes, verùm superuacuè transgrediẽtes, dedecoris impleri dixit. Non enim omnes æqualiter peccãt. nam aliqui quidem ob aliquam calamitatem, vel ob naturalem imbecillitatem labuntur: aliqui verò in sceleribus ipsis delectantur, aliaque excogitant.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me, dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die.

Ego autem in primis tuas vias agnoscere obtecro, & semitas discere, quæ ad te ducunt, vt semper tuam certam, atque veram viam incedam. Deinde precor te, vt ex rerum euentu discam te meum Saluatorem esse, tuam enim misericordiam semper expecto. Hoc enim *Tota die*, pro Semper, posuit, & docere vult se non capere consilium, modò hoc, modò illud, sed semper in eadem sententia perstare.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quòd à seculo sunt. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine, secundum misericordiam tuam memento mei tu.

Mansuetè ait, semper atque benignè homines gubernas, & nunc vt hanc bonitatem consequar, deprecor, tuæque benignitatis, & non meorum peccatorum memor, & mei recordatus ò Domine misericors aduersus me sis, non iustus. hoc enim & in superioribus precatus est, Secundum magnam misericordiam tuam memor sis mei, non mei peccati, sed benignè memento mei.

Propter bonitatem tuam Domine.

Non enim vllo meo promerito, verùm secundum tuam benignitatem hanc assequi cupio.

Dulcis & rectus Dominus.

Non absurdè ait, his verbis vsus sum, sed sciẽs non tantùm iustum, verùm etiam benignum te esse Dominum. hoc autem vbique diuina scriptura nos edocet. Tale est illud, Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine, Et Misericors miserationum Dominus, & iustus, *Psal. 114.* & Deus noster miseretur, Et, Deus iudex iustus, *Psal. 7.* & potens, & patiens, & non irascitur per singulos dies. *Psal. 100.*

Propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.

Hoc magis dilucide Symmachus explanauit, Propterea peccantibus viam demonstrat: bonitate enim vtens non repente peccantes plectit,

plectit, verùm & rectam ipsis viam ostendit, & pœnitentiæ legem docet, atque etiam eos, qui mansuetudine, & simplicitate vsi sunt, rerum naturam discernere docet, omniaque eius mysteria facit, vt sciant, ne simplicitas viaticum ignorantiæ facta, multum detrimenti inferat. Deinde naturam earum viarũ, quæ dictæ sunt, ostendit.

Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas, requirentibus testamentum eius, & testimonia eius.

Nam sacrarum literarum alumni per ipsas exactius discunt, omnia Dei & Saluatoris nostri consilia misericordia, & veritate temperata esse. Nam pœnitentibus quidem eorum peccatorum, quę perpetrarunt, misericordiam, & veniam cõcedit, inuictos autem virtutis athletas præconio celebrat, atq; coronat, cum veritate sententiam pronũcians, atq; etiam hominibus vitijs affectis, nec pœnitentia ductis, secundum veritatis terminos pœnas infligit.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Ego igitur ait, vt meis peccatis propitius sis, obsecro, non ob meam exactam pœnitentiam, verùm ob tuam benignitatem, qua benignus nominaris, & quia in tuo nomine meas spes defixi.

Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram.

Hinc adhortatur, & conductionem admonitionem affert, & timentibus Dominum omnis generis operam pollicetur. & postquam multiplices diuersique sunt modi piè viuendi, videlicet solitarij, & cõmunes, deserti, & vrbani, priuati, & militares, Regales, & mercenarij, nautici, & rustici, & alij multi, & varij: in singulis autem fieri potest, vt Deo placeamus; iure Vaticinantis sermo ait, Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit, videlicet in illa vita, quam vnusquisque viuere eligit, commodas, & congruẽtes illi leges ponet. Similiter diuinus Ioannes Baptista interrogantibus quidem Publicanis, Quid oportet facere? respondit, Nihil amplius, quàm quod præceptum est vobis faciatis. Milites verò admonet, vt neminem turbent, verùm contenti sint suis stipendijs, hoc est determinato cibo. Similiter diuinus Apostolus & seruis, & dominis, & filijs, & patribus, & vxoribus, & viris mutuas posuit leges. Iis autem, qui has obseruauerint leges, vaticinantis lex promisit eorum animis in bonis cõsuetudinem, & seminis benedictionẽ, Anima enim eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram. Quoniam enim filios procreare, & hæredes relinquere, res est desiderabilis apud Iudæos, imò etiam cæteris hominibus, qui communem vitam amplectuntur, hoc ipsum optatissimum est; meritò ab istiusmodi desiderio homines auertit, eosq; ad opera virtutis accendit.
Luc. 3.
Ad Rom. 7.

Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius, vt manifestetur illis.

Hoc manifestius Symmachus & Theodotion interpretati sunt, Mysterium Domini timentibus eum, & testamentum ipsius manifestabit illis. Ipsum autem Dominum audire licet per Vatem Esaiam dicentem, Mysteria mea mihi & meis. Hæc enim non temere omnibus, verùm timentibus aperit, diuinorumque oraculorum propositum demõstrat. Atqui secundum Septuaginta, Firmamentum Dominus est timẽtibus illum, videlicet superiores hostibus illos reddens. Esa. 24.

Oculi mei semper ad Dominũ, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.

Oculos rursus híc, pro Mentis oculis dicit, quos ad Deum habere ait, vt qui manifestò nouit, se ob eius curam structas ab hostibus insidias euitaturum.

Respice in me, & miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego.

Hoc autem *Vnicus*, Solus, reliqui interpretati sunt. Dicit autem, quoniam omni ope destitutus sum; quapropter, vt tui auxilij compos fiam, supplex peto: valde autem mirabiliter hoc Respice in me, & miserere mei, posuit: intuere meam ait, destitutionem, hostiumq; obsidionem, omnino enim cùm hæc videris, misereberis.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me, vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.

Multæ, inquit, afflictiones me circumstant. Cùm igitur hanc meam abiectionem, & miseriam meis peccatis compensaueris; concede remissionem, atque veniam præbe.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

Si non videor ait, dignus humanitate, cum talibus malis colluctans, saltem cùm iniustas inimicorum inimicitias inspexeris; misericordiæ participem me fac: in te enim peccaui, cùm tua præcepta transgressus sim, illi autem nihil me increpare possunt, iniustè bellum gerunt.

Custodi animã meam, & erue me, non erubescam, quoniam speraui in te.

Si enim aliquas tuarum legum transgressus sum, non tamen à tua prouidentia me ipsum separaui. propterea, & vt ab hostibus liberer, & vt conseruer, obsecro.

Innocentes, & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.

Et hoc propriũ virtutis est improborũ consuetudinem odio habere. eos verò, qui æqualitatem honorant, & rectitudine vtuntur, & à malitia liberi sunt, hos inquam, familiares & amicos habere. hoc autem Vates fecisse ait, tanquam in hoc Dominum colere existimans.

Libera Deus Israël ex omnibus tribulationibus suis.

Hæc deprecatio Deo oblata, Regi conuenit. Decet enim eũ, qui in Imperio constitutus est, de subditis omnẽ curã gerere. propterea beatus Dauid non tantùm pro se preces obtulit, verùm etiam pro populi vtilitate sibi commissi. Habet autem & alium sensum hæc clausua. Diuisus erat Israël, & tempore Saulis, & Memphibo-

phibosthæ,& Absalonis. Si igitur tuum auxilium consequerer,& hostes superarem,ipseque Israël ciuile bellum finiret; pacem obtineret, & bonis omnibus frueretur.

Psalmi XXV. Interpretatio.

Psalmus Dauidi.

Et hunc psalmum diuinus Dauid in se ipsum dixisse mihi videtur:existimo autem hunc proximè præcedenti psalmo ante scriptum fuisse. Nam ille quidem peccati,& magni peccati meminit, Propitius esto enim ait, peccato meo, multũ est enim.In præsenti autem psalmo proprias virtutis species percurrit. Vnde arbitror ipsum his verbis vsum esse, cùm Saulem fugeret, cumque apud alienigenas degere coactus esset, quos impietati & superstitioni, & omni transgressioni adhærentes videns; eorum conuenticula aufugit, atque epulas, quæ Dæmonibus celebrantur. Interpretatio autem sequentium manifestius hoc edocebit.

Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans, non infirmabor.

Cùm autem ait, integritate vsus sim, cumq; nihil mali in Saulem perpetrauerim,& sic acerbè exactus fuerim; vt tu Domine iudex sis meæ iustitiæ, obsecro: te enim Deum esse noui, measque spes in tua prouidentia defixi, atque eõfido in hostium manus me minimè peruenturum.

Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.

Hinc patet psalmum peccato antiquiorem esse. Nam vt simplex,& innocens,peccatique expers scopulosa certamina desiderat. *Renes* autem,& *Cor*,Cogitationes nominat: & hoc sæpe diximus.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est.

Vt probatus sim, & more auri conburar deprecor. Quoniam tuæ misericordiæ cõfido, & hinc opem expecto:hac enim suffultus sum.

Et complacui in veritate tua.

Deinde placabilitatis species percurrit.

Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo: Odiui Ecclesiam malignantiũ, & cum impijs non sedebo.

Sic autem ait,tuum cultum curaui,vt cùm apud impios, iniquosq; homines essem; illorum conuenticula, noxiasq; consuetudines effugi. Significat autem per hæc, apud alienigenas vsum,cum quibus ob fugam simul habitare coactus;neque impietatis, neque iniquitatis cum ipsis voluit esse particeps.

Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuersa mirabilia tua.

Istorum igitur superstitionem valde abhorreo: aueo autem tuum Domine videre altare, tuasque laudes auribus percipere,atq; tuorum miraculorum magnitudinem ignaros docere. Hoc autem, Lauabo inter innocentes manus meas,simile est illi facto, quod Pilati tempore accidit, Qui cùm Iudæorum parricidij particeps esse nollet;manus lauit, re ipsa negotij fugam ostendens. Vt innocens igitur ait, & nihil commune cum ipsis habens, confidenter manus lauabo. Matth. 27.

Domine dilexi decorem Domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.Ne perdas cum impijs Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.

Pro *Decore*, Symmachus, Adytum posuit, Pro *Viris* autem *Sanguinum*, Viros parricidas. Ocyus verò ait,ab istorum consuetudine libera me Domine,me inquam tuam domum desiderantem,vbi tua gratia relucet,ne cum impijs hominibus,& cum ijs,qui muneribus corrupti sunt,atq; homicidis,hisque, qui iustitiam produnt,simul moriar. Et per hæc autem eosdem rursus ostendit. *Tabernaculum* verò, Domum nuncupauit:nondum enim diuina domus constructa erat. propterea etiam subdit,Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, & miserere mei, pes meus stetit in rectitudine.

Tantisper autem dum cum ijs consuetudinem haberem;fidei simplicitate vsus sum,& ab omni malitia me segregaui. Cumque in integritate pietatis pedes firmauerim, tutò firmiterq; interea constiti.Deprecor autem,vt hunc in finem statum custodiam: erit autem hoc, si ab istorum vsu liber ero.

In Ecclesijs benedicam te Domine.

Hic manifestissimè discimus,Dauidem in se ipsum hunc Psalmum dixisse. Spopondit enim in omnibus totius orbis Ecclesijs per psalmorum historiam laudare, & benedicere Dominum, propheticis oculis orbis mutationẽ præuidens.Habuit autem finem Vaticinatio: nam in omni terra, & mari per piorum hominum linguas magnus Dauid Deum beneficij auctorem decantat.

Psalmi XXVI. Interpretatio.

Psalmus Dauidi, Priusquam liniretur.

Hanc inscriptionem in Sexcuplici non inueni, verùm in aliquibus exemplaribus. Hinc tamen nonnulli ansam arripuerunt reijciendi omnes inscriptiones,tanquam non veras. Quomodo enim aiunt, fieri potest, vt Dauid, qui nondum vnctus erat, neque sancti spiritus gratiam acceperat, propheticos psalmos conscriberet? præsertim cùm eo tempore iuuenis esset, & oues pasceret, nec Regnum gubernaret, neque ab aliquibus persecutionem pateretur? Oportebat autem illos scire, bis Dauidem vnctum esse,imò potius ter,vt Regum historia testatur. Primò quidem in Bethleem à Vate Samuele. 1 Reg.19. Iterũ autẽ in Hebron à Tribu Iudę post Saulis perniciem. 2. Reg 2. Tertiò verò ab omnibus Tribubus post mortem Memphisbothe. Dicit autem sic de secunda vnctione, Consuluit Dauid Domi- 2. Reg.5.

Dominum dicens, Non ascendam in vnam de ciuitatibus Iudæ? & ait Dominus ad eum, Ascende.Dixitq; Dauid,Quò ascendã?&respondit ei,In Hebron. Deinde historicus percurrens, quomodo ascenderit, subiungit, Veneruntq; viri Iudææ,& vnxerunt ibi Dauid,vt regnaret supra domum Iudæ. De tertia autem rursus sic ait, Et venerunt vniuersæ Tribus Israël ad Dauid Hebron. & paulò pòst, Et percussit cũ eis Rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino,vnxeruntq; Dauid in Regem supra omnem Israëlem. Itaque manifestum est hunc psalmum dixisse priusquam secundam acciperet electionem, & apertè antequam illi commissa esset rerum gubernatio. Igitur cùm Saulem fugeret,his vsus est verbis, quando ad Abimalech sacerdotem accessit.Et cùm in Dei tabernaculo obsecrasset,cumq; sancti panis benedictionem accepisset, hostium manus declinauit.hoc autẽ in præsenti psalmo dicit,Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum. Tunc autem Doim Idumæus, cùm ibi regales pasceret mulas; Dauidis fugã Sauli nunciauit, propterea in psalmo ait, Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. Magis autem dilucidè hoc sigillatim interpretatio edocebit. 2.Reg.5. 1.Reg 21. 1.Reg.22.

Dominus illuminatio mea, & salus mea quẽ timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo?

Cum abs te lumen acceperim, tuaq; arcana luce illustratus sim; omnes simul inimicos despiciam.

Dum appropinquant super me nocentes, vt edant carnes meas, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Tua spe ait, minimè frustratus sum, sic tuo auxilio fretus. Etenim cùm præuenissent me qui ferarum more persequebantur, mihi quidem haud nocuerunt,ipsi verò extremam perniciem passi sunt. hoc autem sæpius accidisse historia docet. Nam & semel & iterum cùm Saul ipsum venari conatus esset; retia aufugit, imò potius si voluisset, ipsum insequentẽ perdere potuisset. Porrò ipse Dauid propriã quidem philosophiam ostendit,ille autem apud alienigenas pœnas malitiæ pependit. Quæ dicta sunt igitur, futurorum quædam prædictiones sunt.

Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. si exurgat aduersum me prælium, interea ego sperabo.

Cùm ait,de tuo auxilio tale periculum fecissem,licet bis tot, aut ter tot hostes me aggredi conati fuerint; intrepidus contra discrimina consistam,huiusmodi spe armatus.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam iocunditatem Domini, & visitem templũ eius. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me, in abscondito tabernaculi sui, in petra exaltauit me.

Ego autem inquit,tali potitus beneficio; nõ diuitias à meo beneficij auctore quæro, & potentiam,nec Regnum,& gloriam, verùm diuino templo continuè assidere, & illinc diuinam pulchritudinem tanquam in speculo contemplari, atque omnia quæ secundum legem facta sunt, considerare. Nam de vtilitate experientiam habeo, cùm iam illinc salutẽ messuerim, cumq; inimicorum manus declinauerim. Hæc & magnus Dauid petijt, & à munificentissimo, & liberalissimo Deo accepit. Nam & ipse diuinam arcam reduxit, & tabernaculum alterum admirabilius construxit,& diuersos cantorum choros instituit:& hæc à Paralipomenon libro exactius quis discere possit. hoc autem, Vnam petij à Domino,videlicet,vnam gratiam,Sic enim intelligendum est. 1.Paral.16.

Et nunc exaltauit caput meũ super inimicos meos, circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam laudis, & vociferationis.

Hic tempus mutatũ est, hoc autem & Aquila docuit: nam pro Exaltauit caput meum, Exaltabitur caput meum,posuit. Significat igitur se regnaturum esse, inimicisq; superiorem fore,atq; ipsos circundaturum,qui nunc ab ipsis circundatur,& Deo allaturum non legis sacrificia in tabernaculo, sed laudis hostiam,quam in omnibus totius orbis Ecclesijs per eos, qui Deo crediderunt, dies noctesq; affert. Aliqua quidem exemplaria,Hostiam laudis,& vociferationis,habent:eundem autem habet sensum. Vociferatio verò, est bellica vox ab audacioribus contra formidolosos edita.eiusmodi verò est hymnorum cantilena,exultantium enim est vox, & Deum laudantium, Exultat enim quis ait,in vobis,psallat.

Cantabo,& psalmum dicam Domino.

Et hinc manifestum est in ijs, quæ paulò antè dicta sunt, tempus mutatum esse: spondet enim se cantaturum, & hymnum Deo allaturmu.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te, miserere mei,& exaudi me.

Misericordiam quidem implorat, nõ autem iniustam,sed valde iustam.

Tibi dixit cor meum, Dominum quæram.

Non enim verbis vsus sum veritate carentibus, sed mente cum verbis consentiente opus perfeci.

Exquisiuit te facies mea.

Et quæ iam feci, non satis sunt, verùm hoc faciam & in posterum.

Faciem tuam Domine requiram.

Ne igitur me desiderantem repellas, neque re desiderata me priues.

Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo.

Hoc ex translatione eorum posuit, qui irascuntur, & qui accedentibus ad se terga dant, atque in aliam viam declinare conantur.

Adiutor meus esto ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Hoc autem ἀποσκοράκισόν με, Ne proiicias me, dixere alij Interpretes. Ab esterno autem instituto Septuaginta hoc verbũ fecerunt. hoc enim ἀποσκορακίσας, iniuria quædam erat apud antiquos,à quadam fabula facta.

Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me. Dominus autem assumpsit me.

Nam cùm à Saule persecutionem pateretur; longè à genitoribus degere coactus fuerat. satis mihi verò inquit, pro omnibus es tu Domine.

Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam.

Pro, Legem pone mihi, Aquila quidem, & Theodotion, Illumina, dixerunt. Symmachus autem, Ostende mihi viam tuam. Quoniã procul ait, ab ijs, qui sunt mihi eiusdem generis viuere cogor, tu ipse mihi esto, & legislator, & Dux, atque ostende mihi semitam ad te ferentem.

Propter inimicos meos ne tradideris me in animas tribulantium me.

Hæc quidem verba ab humili mente procedunt, dicit enim sic, Ego quidẽ salute indignus sum. Cæterùm cùm nulla iniuria meos hostes affecerim; tamen immeritò expellor. ne tradas igitur me iniuria affectum ijs, qui iniuria afficiunt.

Quoniã insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Aquila autem hoc apertius dixit, Steterunt contra me testes falsi, & apparuit iniustitia. Ipsi enim inquit, calumnijs contra me vsi sunt, ego verò nullum hinc detrimentum passus sum ob tuum auxilium, sed in ipsos conuersum est, & iacula ab illis contra me emissa, rursus contra ipsos reuersa sunt. Hoc autem à communi vsu sumptum est: solemus enim dicere de ijs, qui insidiantur, sed lædere non possunt, se ipsum offendit, nõ me. sic etiam beatus Dauid ait, Mentita est iniquitas sibi ipsi.

Credo videre bona Domini in terra viuentium.

Non enim solùm in præsenti vita superior meis inimicis ero, verùm etiam expectatis bonis perfruar. Deinde affert omnibus hominibus admonitionem.

Expecta Dominum.

Et quomodo hoc fieri posset?

Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Mens, inquit, virilitate armata, & per hanc ingruentibus calamitatib⁹ superior facta; corroboratur, & vincit, diuinasque promissiones expectat, quarum concurrente corporis auxilio hæres fit. *Terram* autem *Viuentium* vocat futuram vitam, veluti mortis expertem, & ab interitu ac tristitia liberam.

Psalmi XXVII. Interpretatio.

Ad te Domine clamabo Deus meus ne fileas à me, nẽ quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.

Dictus quidẽ hic psalmus est à Dauide, cùm Saulem fugeret, & ab ijs, qui amici existimabantur insidijs peteretur, qui etiam indicabant, & manifestum facere ipsum Sauli conabantur. talis erat Doim, & tales erant Ziphæi, & alij insuper multi. Conuenit & hic psalmus, & supradicti cuilibet homini, qui in istiusmodi calamitates incidit. Potest enim vnusquisque exemplo beati Dauidis libenter mala perferre, & Deum precari, & ab eo auxilium consequi. *Clamabo* tamen posuit, non devoce, sed de propensa animi voluntate, & de intentis, & curiosis precibus. Hoc autem *Ne fileas à me*, ex translatione sumpsit eorum, qui ab aliquibus vocantur, & ad interrogata respondere nolunt. propterea dicit, Si tacueris à me, tuaq; ope me destitueris; repente mortem oppetam. hanc enim Lacum vocauit, siquidem lacus vt sepulcrũ foditur.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Nondum quidẽ templum ædificatum erat, sed tabernaculum nominat templum, in quo precabatur, procul quidẽ, quod ad corpus pertinet, verùm mentem illuc intendebat. Sic etiã beatus Daniel cùm Babylone precaretur; fe- Daniel.6.
nestras ad Hierosolymam expositas aperiebat, non quòd illic Deum circumscriptum esse arbitraretur, sed quòd memor esset illic Deum apparuisse.

Ne simul trahas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Beatus quidẽ Dauid precatur, vt nihil commune habeat cum ijs, qui insidijs vtuntur: execrabiles enim ait, esse eos, qui alia loquuntur, alia verò cogitant. Quapropter vult, vt ipsi præmia suis studijs consentanea percipiant.

Da enim illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum, secundum operæ manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorũ ipsis.

Nemo autem existimet virum iustũ suis inimicis imprecari: non enim ad imprecationem spectant, quæ dicta sunt, sed ad iustam sententiam, Redde (namque ait) retributionem eorũ ipsis, In suas proprias inquit, insidias incidant, quas contra se inuicem struunt. hoc etiam in septimo psalmo dixit, Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticẽ ipsius iniquitas eius descendet. Deinde causam supplicij docet.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ipsius.

Hæc autem inquit, fecerunt, cùm neque verbum, neque opus diuinum discere voluerint.

Propterea iam destrues illos, & non ædificabis eos.

Vtilis enim est malis fabris praui ædificij euersio. & hinc tamen manifestum est, ea quæ paulò antè dicta sunt, Vatis more dixisse, non ipsis imprecans, sed futura prædicens: nõ enim inquit, Destrue, sed Destrues, & non ędificabis. Postea rursus diuina demonstratione potitus, & à longè futurum auxiliũ conspicatus; in hymnorum cantilenam linguam mouit.

Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ, Dominus adiutor meus, & protector meus.

Et ostendens causam repentini auxilij, subiunxit.

In ipso speranit cor meum, & adiutus sum. Et refloruit caro mea.

Spes enim, quam in ipso collocaui, fuit mihi huius beneficij conciliatrix. Quamobrem liberatus ab ærumna, quam propter fugam perpessus sum, reuirui, & florui, atque bonam corporis habitudinem ex lætitia recepi.

Et ex voluntate mea confitebor ei.

Hoc est, non inuitus, sed mea sponte ipsi affero hymnum. Sic & alibi ait, Voluntariè sacrificabo tibi. & rursus, Voluntaria oris mei approba iam Domine. Psal. 53. Psal. 118.

Dominus fortitudo plebis suæ, protector saluationum Christi sui est.

Canto autem ipsum, vt bonum Dominum, qui suppeditat & Regi, & populo copiosè fortitudinem, & robur, & salutem. Christum enim se ipsum, vt Regem nuncupat: hoc namque nomen commune erat, & Regum, & Vatum, & Sacerdotum.

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & pasce eos, & extolle illos vsque in æternum.

Hanc igitur, inquit, beneuolentiam, & salutem cum tuo populo communica, dirigens, & pascens, & superiores hostibus efficiens. Et certè preces sunt Regi conuenientes pro populo. dignum autem admiratione est hoc, quod magnus Dauid facit: nam cùm Saulem fugeret, (subditi enim cum Saule conspirabant) pro ipsis apud Deum precabatur: siquidem præuidebat futuram eorum conuersionem, neque rationem habebat iniustitiæ illorum, sed tantùm futuræ seruitutis.

Psalmi XXVIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. In Exitu Tabernaculi.

Neque hunc titulum in Sexcuplici inueni, sed in aliquibus exemplaribus. Hinc nonnulli scriptores adducti, arbitrati sunt beatum Dauidem hunc edidisse psalmum, cùm arcam reduceret. Cæterùm primi verba nullam huiusmodi sententiam habent, quandoquidem alia psalmus prædicit. Duplicem autem continet vaticinationem, alteram quidem Ezechiæ Regi accommodatã, alteram verò nostro omniũ Regi congruentem, qui quidem cùm sustulisset idolorum errorem, diuinæ cognitionis radijs orbem illustrauit. Ego autem prædictionem ad Ezechiam pertinentem paucis expediam, pluribus verò vaticinationem nostram, vt quæ ad nos magis attinet. Admirabilis ille Ezechias cùm Assyrios debellasset, cumq; victoriæ nouitate exultaret; iubet populum, & victimis, & hymnis, & gloria Deo gratias agere, & in aula sanctã ipsius solitum cultum celebrare: siquidem templum erat multitudini inuium, & prohibitum: solis autẽ sacerdotibus illuc aditus patebat. Deinde harum rerum causam aperit, ostendens Assyriorum plagam à Deo inflictam, & vociferationis simul, & strepitus mentionem facit, vocans eleganti figura hostium numerum multitudinem aquarum. Postea rursus Cedros ipsos nominat, nimirum altitudinem, & frequentiam ipsorum hinc ostendens, & asserit has quidem contritas esse: Populum autem dilectum filio vnicornis assimilatũ esse, quippe qui vnum duntaxat Deum colat, & propterea ingruentium hostiũ infinitas copias profligauerit. Præterea inquit, more ignis eos combussisse, & dissipasse, & phaiancem Deo destitutam concussisse, exercitumq; suis propugnatoribus spoliasse, qui ob frequentiam præsantium nemori comparatur: nos autem, qui ceruorum timiditatẽ conceperamus, instauravit, fecitque, vt pro fuga pedem sisteremus. Quocirca par est, vt omnes ad sacram ædem concurramus, atque hymnum pro remuneratione Deo afferamus. etenim cùm ab his malis nos liberasset; faciet, vt ædificia, quæ extra mœnia ab hostibus vastata sunt, & veluti inundata, rursus reparemus, & incolamus: facilè enim omnia nobis ex voto succedent, cùm Regem habeamus sempiternum, qui & nostræ victoriæ auctor fuit, & pacem largitus est. præsentem igitur psalmum beato Ezechiæ conuenire, hactenus nostra expositio declarauit. Quoniam verò figura noui testamenti vetus est; age dum vmbrę corpus applicemus, & similitudinem ostendamus. Illic Rex pius, & hic Christus pietatis magister. Illic populus illi obediens, & hic populus ab hoc seruatus. Illic Assyriorum, & bellum, & pernicies, & hic Dæmonum impetus, & euersio. Iubet ergo spiritus sancti gratia, vt sacri Apostoli salutem gentibus prædicent, & credentes Deo afferant. *Filios* enim *Dei*, Apostolos appellat, tanquam Christi fratres nominatos, Dicite enim ait, fratrib⁹ meis, quòd pre- Matth.28.
cedam vos in Galilæam. Filios verò Arietum, eos, qui ex gentibus fideles extitere, nuncupat, vt qui à patribus ratione carentibus progeniti sunt. 2. Paral.23.

Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios Arietum, Afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in aula sancta eius.

Vos inquit, quibus diuina prædicatio commissa est, & qui filij Dei vocati estis, cum omni alacritate diuinam prædicationem ad omnes mundi partes transferte, atque eos, qui sine ratione nutriti sunt, rationis compotes reddite, & hos primos Deo afferte. deinde per hos cultum, & hymnos adhibete, in diuinis ędibus beneficij auctorem decantantes. Similia sunt hęc illis, quæ à Saluatore sacris Apostolis dicta fuere, Euntes docete omnes gentes, baptizantes Matth.28.
illos, In nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Etenim psalmus post ea, quæ dicta sunt, statim de sacris aquis mentionem facit.

Vox Domini super aquas Deus maiestatis intonuit.

Prædicit autem sermo vocem è cœlo allatã apud Iordanem, Hic est filius meus dilectus, in Matth.3.
quo mihi bene complacuit. Porrò *Tonitrum* ipsam vocem appellauit, tanquã totum orbem terrarum per sacra euangelia penetrantem. Similiter *Filios Tonitrui* Apostolorum collegium nuncupauit, ob admirabilem, diuinamq; Theologiæ vocem.

Dominus super aquas multas.

Non enim Iordanes solus illam gratiam accepit, verùm in omni fonte, & mari baptismatis mysterium perficitur, diuina imploratione aqua-

aquarum naturam ſanctam efficiente. Hinc Apoſtolis ſuppeditatam potentiam prædicit.

Vox Domini in fortitudine, vox Domini in magnificentia.

Congruentia his Actuum hiſtoria nos edocet. Nam inde diſcimus quomodo cùm aſſumeretur Dominus Chriſtus, ſuos ſanctos Apoſtolos adhortatus ſit, inquiens, Manete in ciuitate hac, donec induamini ſupernam virtutem. Luc. 24. Et poſt dies decem in Pentecoſtes celébritate, Actu. 2. Facta eſt de cœlo vox, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit domum vbi erant ſedentes, & factæ ſunt in illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditq́ue ſupra ſingulos eorum. Cæterùm *Vocem* dicit ſpiritus ſancti gratiam, quæ Apoſtolos robore potentiaq; impleuit, atque viles magnificos reddidit. Deinde oſtendit quas res effecerint, hac voce corroborati.

Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros libani.

Porrò per hæc verba ſignificat Idolorum euerſionem. Quoniam enim Idolorum delubra iam alta erant, quæ nihil fructus colentibus afferebant; Cedris Libani hæc aſsimilauit, quæ Cedriproceræ quidem ſunt, eſculentum verò fructum ferre minimè ſolent.

Et comminuet eas tanquam vitulum libani.

Libanum autem, Hieruſalem ſæpius nuncupat. Aperi enim ait, Libane ianuas tuas, & deuoret ignis cedros tuas. *Vitulus* autem *Libani*, eſt ille, qui ab illis factus fuit in Horeb. Fecerunt enim ait, vitulũ in Horeb, & adorauerunt ſculptile. Pſal. 105. Exod. 32. Sed illum Moſes legiſlator confregit, & cõminuit. inſtar illius igitur dicit, omnia orbis Idola conterenda eſſe, atque vana fore.

Et dilectus quemadmodum filius vnicornium.

Populus autem, qui Deo credidit, & ab illo errore liberatus fuit, & propterea dilectus vocatus eſt, & inuictus, & inexpugnabilis erit, tanquam à multorum Deorum cultu liber, & vnicam diuinitatem honorans.

Vox Domini intercidentis flammam ignis.

Cùm ſacrorum Apoſtolorum chorus ignitã ſpiritus ſancti gratiam accepiſſet, illuſtrabatur quidem, ſed non comburebatur. in futura autem vita gemina ignis vis bifariam diuiſa, hæc quidem virtutis athletas illuſtrat, hęc verò peccati ſtudioſos comburit. propterea & ignis nominatur, & obſcuritas vocatur impiorum pœna, eò quòd illa vis ignis, quæ illuſtrat, ibi non exiſtat.

Vox Domini concutientis deſertum, & commouebit Dominus deſertum Cades.

Porrò Symmachus nõ Concutientis, verùm Parturientis dixit, atque etiam Aquila, Parturientis, interpretatus eſt. De hoc autem deſerto, & Eſaias prædicit, Lætare inquiens, deſertum ſitiens, Exultet deſertum, & floreſcat vt lilium. *Deſertum* verò, nominat gentes, tanquam Deo deſtitutas. Cæterùm has diuinus Eſaias prædixit futuras eſſe, vt floreſcant. Beatus verò Dauid dicit has gentes fore vt parturiant, & pariant. Talè eſt illud, quod alibi eſt apud Eſa 54. Eſaiam, Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. Hoc deſertum Dominus concutiens, (ſignificat autem concuſsio Dei aduentum) faciet, vt ſalutem pariat, ſecundum vaticinationem, quæ dicit, Ob tuum timorem Domine in vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuę, quem feciſti ſuper terram. Propterea & Cades ipſum nominat, id eſt, ſanctũ. hoc enim *Cades* ſonat. Eſa. 26.

Vox Domini præparantis Ceruos, & reuelabit condenſa.

Natura Ceruis inſitum eſt, reptilia animalia deſpicere. hanc autẽ poteſtatem & ſacris Apoſtolis Dominus dedit, Dedi enim ait, vobis poteſtatẽ conculcare ſupra ſerpentes, & ſcorpios, & ſupra omnem potentiã inimici. hoc ſermone corroborati, inſidiatores orbis Dæmones exegerunt, atque Idolorum imbecillitatem patefecerunt. & hoc vaticinantis ſermo prędixit, Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit nemora. Nam hoc eſt inauditum, vt per Ceruos, multitudinẽ omnis generis ferarum cornu feriret, & vanam Philoſophorum ſcientiam per illiteratos, & Idiotas homines redargueret, atque Diaboli tyrannidem per piſcatores euerteret. Porrò Nemus appellauit, Idolorum lucos, vt penitus ſteriles: huiuſmodi enim ſunt nemora, quæ optimi agricolę excidere ſolent, & aperta terra quæ ſub ipſis eſt, fructuoſas arbores conſerere, atque eſculenta ſemina iacere. hoc fecerunt orbis agricolæ: quandoquidẽ cùm Idolorum lucos altis radicibus innixos extirpaſſent, pro illis tenues Eccleſias fundarunt. Luc. 10.

Et in templo eius omnis dicit gloriam.

Scilicet, ab hac inaudita magnificentia, in hymnorum cantilenam excitatus.

Dominus diluuium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternum.

Nam à torrente iniquitatis terram inundatam ædificabit, atque renouabit, & nouum ædificium efficiet. Propterea & beatus Paulus exclamat, Si quis in Chriſto noua creatura. Cęterùm ait, cùm hoc effecerit, non ſinet amplius impietatem locum habere, verùm in æternum regnabit. 2. Cor. 5.

Dominus fortitudinem populo ſuo dabit, Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Per hæc autem, & impiorum impetus prædixit, & Victorum Martyrum victoriã, & poſt hæc, pacem Eccleſijs conceſſam. Dominus fortitudinem populo ſuo dabit, hoc eſt, tempore belli. Et benedicet populum ſuũ in pace, cùm longum bellum finierit.

Pſalmi XXIX. Interpretatio.

In Finem. Pſalmus Cantici dedicationis domus ipſi Dauid.

Nec beatus Dauid diuinum templum erexit, nec pſalmi verba ei, qui conſtruxit templum, conueniunt. *Dedicationem* igitur *domus*, vocat humanæ naturæ inſtaurationẽ, quã Dominus

minus Chriſtus perfecit, cùm pro nobis mortem oppetiſſet, & mortem euertiſſet, & ſpem reſurgendi nobis dediſſet. Dictus eſt autem hic ipſe pſalmus in beatum Ezechiã. Poſt enim Aſſyriorum internecionem, & morbi liberationem, (vt veriſimile eſt) maximam celebritatem inſtituit, Deo gratias agens, quoniam & illis ſalutem donauit, & ſanctum eius templum ab hoſtili igne liberauit. Quoniã igitur ea quæ fiebant dedicationis feſto ſimilia erant; iure & hanc recepit inſcriptionem. Sciendum eſt autem Ezechiæ per figuram congruere, & ſecundum eandem veritatem, omni humanæ naturæ. Cùm enim ille altum faſtum concepiſſet; 2. Paral. 32. (hoc enim Paralipomenõ hiſtoria docuit) mortis ſententiam recepit, diuina autem gratia vitam conſecutus eſt. Eodem modo cùm Adam primus parens ſe Deum fore crederet, & contra ſuum Conditorem elatus eſſet; morte quidem mulctatus eſt, diuina tamen benignitate reſurrectionem adeptus eſt.

Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

Cùm enim Dominus noſtras primitias accepiſſet; omnem naturam per ipſas ſalute dignã fecit, & ludibrio eſſe inimicis & hoſtibus Dæmonibus non ſiuit.

Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me. Domine eduxiſti ab Inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.

Hæc humana natura oſtendente audimus. Hoc autem, Clamaui ad te, & ſanaſti me, Ezechiæ quidem conuenit, ſecundum expeditum ſenſum, humanæ verò naturæ non ſic. neque enim ipſa Deum deprecata eſt, nec interitus liberationem poſtulauit: luctibus autem, & eiulatibus vtebatur, mortem quidem videns, reſurrectionem verò minimè expectans. Lacrymas igitur & fletus, qui in ægrotantibus & morientibus fiebant, pro precibus poſuit, inexplicabilem Dei benignitatem oſtendens: quoniã minimè vocatus, ſed tantùm lamentationes, quæ fiebant videns; miſertus eſt, & mortem euertit. Nam in hoc loco rurſus mortem, Lacum appellauit.

Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius. Quoniã ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.

Iure ſanctis hymnum, gratiarumq́; actionem attribuit. Quoniam enim omnibus hominibus reſurgendi donum largitus eſt, verùm non omnes hac gratia digni ſunt; congruenter autẽ viros hoc beneficio dignos in canendis hymnis conſecrauit. Porrò quàm optimam aliam diuiſionem fecit: nam iram indignationi aſcripſit (*Iram* enim, caſtigationem vocat) Vitam verò voluntati: hoc enim vult, non illud: illa enim mala nobis ipſis nos aſciſcimus. Nam Deus, inquit, mortem non fecit, neque delectatur interitu viuentium: creauit enim vt ſint omnia, & vt omnes orbis terræ gentes ſaluæ ſint. Audimus ipſum per vatem Ezechielem dicentem, Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Ezech. 18.

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

Hoc autem ſic accidit tempore Ezechiæ, & tempore communis ſalutis. Cùm enim Aſſyrij illis cominationibus vſi fuerint, cumq́; in luctum ciuitatem commouerint; nocte plagam receperunt, & mane quos lacrymari coegere, lætitia implerunt. Atque cùm diuinus Eſaias 4. Reg. 19. mortis ſententiam Ezechiæ veſperi attuliſſet, & 20. rurſus diluculo fauſtum vitæ nuncium ipſi attulit. Idem tempore communis ſalutis accidit. Cùm enim ſacri Apoſtoli, & illi qui cum eis Ioan. 20. crediderunt, crucem Domini lugerent, mane mulieres venerunt reſurrectionis lætitiam aferentes.

Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.

Hoc & Adam ſperauit, cùm in Paradiſo, antequam deceptus eſſet, verſaretur, & Ezechias, cùm Aſſyrium viciſſet, & hoc manifeſtò Paralipomenon liber edocet, dicens, Exaltatum eſt 2. Paral. 32. cor Ezechiæ Regis.

Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Auertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus.

Similiter & hæc conueniunt & Ezechię, & omni humanæ naturæ. Etenim ille ob virtutem diuini auxilij compos factus fuit, & Aſſyrios ſuperauit, & rurſus cùm diuina gratia deſtitutus eſſet, incidit in morbum, & neceſſarium finem ſuſcepit. Adam verò in paradiſo pulchritudine virtutis ornatus, interitu ſuperior erat, cùm autem ob tranſgreſsionem diuina ope denudatus eſſet, victus moleſtiam paſſus eſt. Cæterùm hoc valdè manifeſtò Symmachus poſuit, Domine in bona voluntate tua primo meo parenti fortitudinem ſtatuiſti: vt ſit manifeſtum humanæ naturæ perſonam ad Dominum Chriſtũ hæc loqui, qui magnum vitæ donum ei largitus eſt.

Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?

Et his verbis beatus Ezechias vſus eſt, vt quartus liber Regum nos edocet, diuiniq́ue Eſaiæ vaticinatio, atque etiam humana natura, licet non omnis exclamauit, verùm per ſanctos ad Deum clamauit, his vtens ſermonibus: quoniam iuſtum eſt, te conditorem laudare, & beneuolis verbis gratias agere: hoc proprium viuentium eſt. Si enim in puluerem, & in cinerem diſſoluti ſint, & humano opere perfuncti fuerint; quomodo tua beneficia decantare poſſent?

Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei, Dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, et circundediſti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.

Et cùm Ezechias ſacco indutus eſſet, contra Aſſyrios preces Deo attulit, & humana natura habitum lugubrem induit. Et nunc etiã, cùm aliqui ſtulti mortuos deplorant, & in ſacco tur piter ſedẽt, Vaticinantis verba audire nolunt, quæ apertè exclamant, Conſcidiſti ſaccũ meũ, & circundediſti me lætitia, & conuertiſti luctũ meum

meum in gaudium mihi. Nã quemadmodum Ezechias cùm quindecim annorum promissionem accepisset, multo gaudio impletus est; sic non est iustum, cùm nos resurgendi spem acceperimus, eos, qui mortem obierunt lugere, verùm illam cum gaudio expectare. Hoc autem, Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, Symmachus sic interpretatus est, Vt cantet te gloria, & ne conticescat: videlicet, ob hoc beneficium decet continuè te decantare, & eis qui talem gloriam consecuti sunt, te laudare, & nunquam reticere conuenit. Compunctio verò silentium inducit. Septuaginta igitur, pro Gloria, Compunctionem posuerunt. Porrò Ezechias quidem gloria perfruitus est, cùm tot millia plagam à Deo inflictam acceperunt, atque etiam cùm sol præpostero ordine cucurrerit. Cæterùm nos maiorem lætitię causam habemus, cùm talem vniuersitatis Dei amorem circa nos receperimus. sic enim ait, Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3.

Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

Non modò in præsenti vita, verùm etiam in futura post resurrectionem hymnos tibi semper afferam, egregia & inexplicabilia tua dona exponens.

Psalmi XXX. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. Ecstasis.

Hunc autẽ titulum nec apud Hebræos, nec apud reliquos Interpretes inueni, verùm in aliquibus exemplaribus. Cæterùm mihi videtur, ea quæ contra Vriam facta fuere insinuare: dicit enim in ipso psalmo, Ego autem dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum: hoc est putaui, cùm peccauerim, tuo auxilio destitutum fuisse. Videtur autem mihi, hic Psalmus à beato Dauide dictus esse ea tempestate, cùm ab Absalone persecutionem pateretur. & hoc magis dilucidè verborum interpretatio edocebit.

In te Domine speraui, non confundar in æternum.

Multo dedecore ait, peccatum me circundedit. obsecro autem, ne diu hoc mecum permaneat, propter eam, quam in te spem collocaui.

In iustitia tua libera me, & eripe me.

Ne meum inquit, peccatum respicias, sed iniquitatem eorum, qui me persequuntur. Nam hac iusta sententia vsus, ab imminentibus calamitatibus me liberabis.

Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me.

Cùm meas preces exaudisti; celerem opem concede.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias, quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu.

Hæc & in decimo septimo psalmo dixit, omnis generis Dei gubernationem ostendens. Hoc autem, Fortitudo mea, Aquila, & Symmachus, Petra mea, interpretati sunt. Videtur autem mihi vaticinantis sermo *illi* euangelij dicto quadrare, quod sententiam illius, qui domum ædificauit supra petram ostendit, quam nec ventorum, nec pluuiæ, nec fluminum impetus ob soliditatem læsit.

Et propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Hoc autem *Enutries*, Symmachus, Curabis me, posuit. Dicit autem, quoniam me omni ope dignum facies propter nomen tuum, cui confisus sum. Porrò per omnia verba, quæ interpretata sunt, modestiã eius mentis didicimus: non enim petijt ob propriam virtutem diuini auxilij compos fieri, verùm propter Dei nomen, & Dei iustitiam, & quoniam in ipso sperauit.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus Domine.

Architophelis consilium per hæc ostendit, 2. Reg. 17.
quod contra ipsum mouit, vt iam superius diximus.

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Cùm in multas sæpius calamitates incidissem; ab his ob tuum auxiliũ liber fui: propterea meam animam tuo auxilio commendaui. Nam *Manus* rursus hic, auxilium nominauit.

Odisti omnes obseruantes vanitates supernacuè.

Illi quidem igitur ait, non tibi confisi sunt, verùm vanis eorũ cogitationibus vsi fuerunt: soles verò tales penitus auersari.

Ego autem in Domino speraui, exultabo, & lætabor in misericordia tua.

Etenim cùm in calamitatibus sim, tuã opem implorans, & hanc consequens; tuæ benignitati horum bonorum causam acceptam refero.

Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.

Porrò cùm semper his cogitationibus vsus sim; minimè frustratus sum. Nam sæpius cùm in hostium insidias, atque agmina incidissem, cumque intra retia, quæ extensa erant versarer; venantes subterfugi: hoc enim dixit, Non conclusisti me in manibus inimici. Edocet au- 1. Reg. 24.
tem historia sæpius ipsum à Saule comprehensum, atque etiam in spelunca inclusum, illius manus declinasse. & aliàs Getheones, cùm amentiam simulasset.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor, conturbatus est in ira oculus meus, & anima mea, & venter meus.

Hoc Symmachus sic dixit, Ob excandescentiam oculus meus turbatus est. Cùm enim te irritassem, ob peccatum lacrymari continuè cogor, atque etiam anima mea tempestate & tumultu impleta est. *Venter* verò hic, Cogitationum cellã vocauit. Cogitationes enim, sed non venter turbatus est.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Omnem meam, inquit, vitam in doloribus, & lacrymis consumpsi.

Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt.

Porrò inopia, & rerum necessariarum penuria corpus meum aridum reddiderunt. huius autem inopiæ & historia meminit, & ait, Sobi Osephei filius Naas Ammanites & Berzellai Galaadites attulerunt triticum, & hordeum, & farinam, & fabam, & lentes, & alia quædam Dauidi, & populo, quoniam dixerunt populum esurire, & sitiendo dissolutum esse in solitudine. 4. Reg. 17.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis.

Inimici mei ait, in lætitia sunt, ego autẽ ridiculus sum, & finitimis ludibrio, & notis suspectus. & hoc manifestius edocens, subiunxit.

Qui videbant me foras fugerunt à me.

Timent enim, qui mecum versantur, ne in manus meorum inimicorum incidant.

Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde, factus sum tanquam vas perditum.

Desperarunt me ait, omnes, instar vasis perditi, & mortui sepulchrum incolentis.

Quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

Cæterùm hæc non suspicando dico, verùm quòd proprijs auribus conuicia audiui. Significat autem Semei maledicta.

In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt. Ego autem in te speraui Domine, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

Illi quidem igitur coacti, meam mortem moliuntur, ego verò te Deum & gubernatorem noui: hoc enim dicit, In manibus tuis sortes meæ, Vel vt reliqui, In manibus tuis tempora mea, dixerunt, Videlicet, reddis vt vis cuilibet & lætitiam, & mœrorem, & hæc rursus commutas, vt tibi videtur. *Tempora* enim, vel *Sortes*, nũcupat rerum vicissitudines, diuitias & mendicitatem, seruitutem & dominatum, pacem & bellum, & alia similiter.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.

Deinde ostendit & liberationis modum.

Ostende faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua.

Nam cùm tua facies mihi apparuerit, omnia tristia actutum soluentur.

Domine non confundar, quoniam inuocaui te. Erubescant impij, & deducantur in Infernum.

Et hinc discimus multam differẽtiam inter peccatum, & impietatem esse. Propterea & magnus Dauid obsecrat ipsum quidem à pudore, quem ob peccatum habuit, liberari, impios verò cum dedecore morte affici.

Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia, & contemptione.

Hoc in loco Architophelis mortem prædicit, qui cùm Dauidis amicus, & consiliarius esset, antiquum patefecit dolum, & contra eum; qui ipsi minimè nocuit, linguam mouit. *Superbiam* autem, & Contemptionem, Consilium illud iurè appellauit, quoniam cõtra patrem persecutionem excitauit. 2 Reg. 17.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.

Rursus hic hæc particula, *Quàm*, non secundum comparationem, verùm secundum amplificationem, & exaggerationẽ posuit. Quapropter Aquila, & Symmachus sic explanarũt, Quam repositam timentibus te occultasti. Cæterùm hæc clausula hunc habet sensum, Timentium te, inquit, Domine, mercedes & præmia occultas, & hæc quidem multa & magna, & admirabilia, cum sudoribus tamen & miserijs colluctari finis. Veruntamen aliquando victoriæ præmia ostendis, athletas bene sperare iubens. hoc enim subiunxit.

Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

Deinde prouidentiam, quę erga illos est, particulatim percurrit.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Protteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.

Sufficit, ait, tuus conspectus (hoc enim nuncupat faciem) ad ipsos liberãdos ab omni perturbatione, & humanis fluctibus ad protegendos veluti quodam tabernaculo eos, qui in medio tempestatis comprehensi sunt, & ad reddendos eos inuisibiles: hanc autem prouidentiam & ipse consecutus est, cùm Saulem fugitaret: nam intra periculà comprehensus; salutẽm adeptus est. Eodẽ modo magnus Eliæus, cùm 4. Reg. 6.
Syrieum sepsissent; eos subterfugit, illorum oculis nube circuncirca sparsa: & alia similia multa in diuinis voluminibus inueniri possunt.

Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

Sic autem Symmachus hoc dixit, Benedictus Dominus, qui misericordiã eius mihi illustrauit, tanquã in ciuitate munita. Sic enim me, ait, propria benignitate circundedit, & muniuit, vt ciues valido aggere vrbem vallant.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum, ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Putabam autem ait, cùm in peccatum incidissem, longe à tua prouidentia esse: verùm meos humiles sermones conspicatus; me deprecantem minimè despexisti. *Ecstasim* verò, iure peccatum appellauit. nam viam virtutis incedens, destitit quidem ab illa, & aberrauit, peccauit autem, & in crudeles latrones incidit, & hoc ipsum Dauidis virtutem ostendit. non enim solitus erat delinquere, verùm cùm paululum à suo instituto aberrasset, lapsum illum passus est. Hinc sermonem, in monitionẽ transfert ex rebus ad se pertinentibus, diuinã ostendens benignitatem, & prouidentiam.

Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam requiret veritatem Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Decet, inquit, vos omnes, qui diuinum iter incedere elegistis ex animo vniuersorum moderatorem diligere, qui veluti quadam regula veritate vtitur, atq; eos, qui immensa superbia laborant, supplicijs afficit. Non enim simpliciter dixit, Facientibus superbiam, verùm, Abundanter facientibus. Satis est enim hoc

ad diuinam bonitatem ostendendam. Nam sufert eos, qui quodammodo fastu vtũtur: superbientes verò, & insatiabiles, & elatos, condigna pœna plectit.

Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

Vos igitur hęc scientes, qui præsentem vitam diuina spe nauigatis, vestras animas fortitudine armate, gubernatoris nutibus obtemperate, ferentibus vos, quò ille dirigit. Porrò etiam nobis hoc monitum congruit, qui per spem consolationem habemus.

Psalmi XXXI. Interpretatio.

Intelligentia Dauidi.

Hic Psalmus eundem sensum habet, nam hic post peccatum in illis calamitatibus editus est. Cæterùm propheticis oculis noui testamenti gratiam præuidens, atq; remissionem, quæ per sanctum baptisma credentibus suppeditatur, hos beatos esse prędicat, vt qui sine labore peccatorum remissionem recipiunt, & exordiens, in hæc verba prorumpit.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui nõ imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

Cùm ego luctibus & crebris lacrymis ob peccatum liquefactus sim, cumq; in multas calamitates hac de causa inciderim; felices illos, atque beatos nuncupo, qui citra laborem peccatorum veniam Domini benignitate adepti sunt. Nam erga ipsos tali liberalitate vtitur, vt non modò remittat, verùm etiam peccata obliteret, vt ne vestigia quidem horum remaneant.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Cùm peccatum illud perpetrauit, non actutum pœnitentiæ remedijs vsus est, verùm post Natham reprehẽsionem. Hoc igitur hic exclamat, Quoniam accepta plaga non statim medico vulnus ostendi, sed conticui, tentans illud occulere: ideo vt Deus me exaudiret, vociferando, & peccatum accusando, consenui.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua.

Cùm autem omnibus castigationibus atque supplicijs percussus essem; lugeo, & obsecro. Nam hoc, Grauata est manus tua super me, ex translatione posuit eorum, qui manu feriunt, & in hoc diutius perseuerant.

Cõuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Non iniusta inquit, castigatio tua est, sed admodum iusta. nam causa meorũ malorum peccatũ fuit, quod veluti vuam dulciter produxi: pungor autem semper ab ipsa. *Spinam* enim, peccatum nominauit, tanquam inutile germen, & ad pungendum natum.

Delictum meum cognitũ tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

Cùm primùm peccaui, tacui: verùm postea dies noctesque me ipsum accusaui: ex reprehensione autem magnos percepi fructus, peccatorum enim veniam mihi concessisti. Notandum est, quòd non dixit, remisisti mihi peccatum, sed impietatem peccati: hoc est non condigna pœna peccatorum me punisti, verùm excessum quidem peccati remisisti, mediocri autem animaduersione medicinam adhibuisti. hoc & historia edocet. Cùm enim dixisset Dauid, Peccaui Domino, respondit Natham, Dominus quoq; abstulit peccatũ tuum, ne moriaris. minatus est tamen se omnibus calamitatibus illius domũ impleturum. Eodem modo & in hoc loco, Et tu remisisti impietatẽ peccati mei. Oportebat me ait, cùm illa perpetrare ausus sim, statim secũdũ legem morte mulctari: verùm benignitate vsus; morte quidẽ nõ affecisti, mediocri verò flagello me correxisti. 2. Reg. 12.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Tempus opportunum, dicit noui testamenti statum, in quo terra mariq́ue Dauidicis hymnis, qui crediderunt, Deum laudant. hoc igitur hîc prædicens, inquit Domino, Quoniam non solus ego pro hac impietate te deprecabor, verùm omnes, qui per totum orbem diuinã cognitionem acceperunt, has pro me tibi afferent preces. Etenim quodammodo videmur Dauidis verba loquentes, illius linguam apprehendere, Deum laudando.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Hoc autem Symmachus sic interpretatus est, Pro hoc orabit omnis sanctus opportunitate inuenta, ne aquæ multæ inundãtes, circa ipsum appropinquẽt. Qui studiosam deprecationem tibi affert, omne auxilium consequetur: vt licet in diuersas calamitates incidat, quæ veluti aquæ ipsum inundent; superior tamen his erit, atque potentior calamitatibus euader.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me, exultatio mea erue me à circundãtibus me.

Cùm illa pro peccato dixisset; supplicat à malis per hoc illatis liberari, atq; etiam responsum consequitur: nam ipsi dicit Dominus.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Te inquit, qui à via recta aberrasti, & errorem agnouisti, reducam iterum in rectam viam, & cognitionem, & huiusce scientiam tibi dabo, impertiam autẽ tibi pristinam beneuolentiam. Hoc nanque dixit, Firmabo super te oculos meos, ex translatione eorum, qui erga aliquem bene affecti sunt, & in ipsum respicere cõtinuẽ volunt: nam quemadmodum, qui irati sunt, faciem auertere videntur, eodẽ modo propriam beneuolentiam conuertendo faciem ostendit. Propterea & alibi Propheta ait, Respice in me, & miserere mei. Et rursus, Ne auertas faciem tuam à me. Et ipse Deus per Vatem Hieremiam inquit, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Hinc Vaticinantis sermo consulit impijs quidem, ne ferarum vitam rationis expertem imitẽtur, iustis verò, vt diuinum gaudium semper habeant. dicit autem sic. Psal. 24. Psal. 87. Hier. 15.

Nolite

Nolite fieri, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, in camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Ego quidem inquit, vos commonefacio, ne istorum rationis defectum æmulemini, si verò nõ obtemperatis, accipietis frenum, & camum illorum more. Porrò per hæc animaduersiones demonstrat: propterea subdit.

Multa flagella peccatoris.

Post hoc documentum his traditum, narrationem in alium transfert chorum.

Sperantes autem in Domino misericordia circundabit.

Omnes nanque homines licet virtutis rectè factis ornati sint, diuina tamen indigent gratia. propterea & diuinus Apostolus exclamat, Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex nobis, nam Dei donum est. Ephe. 2.

Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.

Nemo igitur suis rectè factis lætetur, sed in Deo exultet, & hinc voluptatem capiat, & hoc verbis Apostolicis conuenit, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et, Qui stat, videat ne cadat. Propterea docet nos spiritu humilitatis nos ipsos erudire, considerans ait, te ipsum, ne tenteris. 2. Cor. 10. 1. Cor. 10.

Psalmi XXXII. Interpretatio.

Sine titulo apud Hebræos.

Hunc Psalmum Septuaginta Interpretes explanantes, Ne quæras, dixerunt, inscriptionis explanationem, quandoquidem titulum minimè inuenimus. Cæterùm hic Psalmus à beato Dauide editus est super rebus, quæ de admirabili Ezecchia feruntur: formatur autem veluti ab ipso Ezecchia, qui in hymnorum cãtilenam populũ accendit post admirabilem victoriam, Assyriorumque internecionem.

Exultate iusti in Domino.

Multis in locis hoc verbum *Exultate*, Aquila quidem, laudate, & Symmachus similiter explanarunt.

Rectos decet collaudatio.

Eos nanque, qui Deum nouerunt, atque ab errore vindicati sunt; decet semper Deum laudare. Deinde edocet, quomodo conueniat ipsos hymnos concinere.

Confitemini Domino in cithara, & in psalterio decem cordarum psallite illi, cantate ei canticum nouum, bene psallite ei in vociferatione.

Omnia autem hæc secundum legis cultum perficiebantur: etenim citharis, & cymbalis & tympanis, alijsq; musicis instrumentis vtebantur. Cæterùm Vociferatio est victoriæ vox, quę contra fugitantes à vincentibus editur. Quadrant autem & nobis, quæ dicta sunt, cùm secundum spiritum intelligantur, & fieri potest, vt nos canorum, & concinnum organum nos ipsos reddamus, & Deum celebrare per instrumenta nostrorum sensuum tum interiorũ, tum exteriorum.

Quoniam rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide.

Iustè ait, omnia vniuersorum Dominus moderatur, & proposuit nobis suorum operum contemplationem, commonefaciens nos, vt credamus, non vt curiosè quæramus quomodo facta sint.

Diligit misericordiam, & iudicium Dominus.

Nam quæ ab ipso facta sunt, simpliciter & sine vlla dubitatione omnes recipere iubet: de vita verò curam gerere, & hanc misericordia, & iudicio ornare.

Misericordia Domini plena est terra.

Decet inquit, Creatorem imitari: Nam vt ille misericordia vtens, gubernat, & iniuria affectos miseratur, eodem modo oportet & nos iniustis quidem iudicium reddere, iniuria affectis verò misericordiam. Etenim benignus Dominus noster est; iudicio quidem contra Assyrios vsus est, nos verò misericordia & benignitate dignos fecit. Sic cùm ea, quæ ad diuinam prouidentiam pertinẽt percurrisset, in creationem transfert sermonem, & edocet, quomodo cùm creasset omnia, vniuersa gubernet, & curam gerat de his, tanquam de proprijs operibus, non alienis.

Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Non labore inquit, & tẽpore, omnia creans, indiguit. verùm ad faciendum, verbum illi satis fuit. Nam ait fiat firmamentum, & factum est sic. fiant luminaria in firmamento cœli, & factum est ita: aspectus literæ prima facie hunc sensum demonstrat. hoc enim antiquis Iudæis congruit. Vera autem Theologia Deum Verbum ostendit, cum sancto spiritu, & cœlos, & cœlestes potentias effecisse. Vaticinatio euangelicam disciplinam anticipat. Et sicut diuinus Ioannes Tonitrui filius totum orbem docuit, Quod in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est; sic beatus Dauid prędicat, inquiens, Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Porrò non attribuit Deo Verbo cœlorum fabricationem, sancto verò spiritui potentiarum creationem, verùm & hæc & alia Deum Verbum, & sanctum spiritum effecisse ait. Potentias verò cœlorum, alij quidem cœli luminaria, alij verò potentias, quæ minimè cernuntur, esse dixerũt. Cæterùm mihi videtur secunda interpretatio magis esse vera: cùm nanque Deum opificem ostendisset, non vtiq; de solo opere, quod cernitur, mentionem fecit. Gene. 1. Ioan. 1.

Congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

Nam omnem quidem aquarum naturam, velut in quadam penu definitis in locis conclusam cõtinet: trahit verò hãc in aëra sublimem cùm voluerit, & tanquam in vtre quodam eam in nubibus congregat: propterea ait, Deducens nubes à finibus terræ. Et alibi diuina scriptura inquit, Euocans aquam maris, & effundens ipsam super faciem vniuersæ terræ. Psal. 134. Amos 5.

Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes terram. Quoniam

ipse dixit, & facta sunt, ipse mãdauit, & creata sunt.

Cùm de cœlis, atque de superis potentijs, deinde de aquarum natura mentionem fecisset, in medium terram, & eius habitatores affert, opera eius esse docẽs, & adhortans, vt timeant, & contremiscant Creatorem, & eius nutibus obtemperent. Nam hoc *Commoueantur*, Symmachus quidem Extimescant: Aquila verò, Formidabunt, dixit, in futurum tempus orbis metum transmittens. neq; enim cùm hæc verba fiebant, hunc timorem homines habebant, verùm post humanitatem, & crucem, & resurrectionem Domini Christi.

Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generationem & generationem.

Geminam habent explanationem hæc, quæ dicta sunt. Nam non modò Assyriorum, & Sennacherib, & Rapsacis consilia dissipauit, & proprij consilij potentiam, & veritatem ostendit, verùm etiam gentium impetus per orbem contra Apostolos dissoluit, & propriæ potentiæ robur notum omnibus fecit: quãdoquidem hoc vaticinantis sermo latenter innuit, inquiens, Cogitationes cordis eius in generationem & generationem. duarum ætatum memoria docet, & ea, quæ tunc acciderunt, & illa, quæ post hæc futura.

Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus, quem elegit in hæreditatem.

Oportet inquit, beatos celebrare non eos, qui diuitijs affluunt, sed qui in Deo suas spes collocant, & eius auxilij compotes facti sunt. Porrò populus electus, est Dei hæreditas sic nominata: olim quidem Iudaicus populus erat, postea verò ex gentibus electus, & qui fidei radios recepit, Postula, inquit, à me & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Psal. 2.

De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.

Hæc & in tertiodecimo, inquit Psalmo, eandem vaticinationẽ faciens. & quoniam dixit, Respexit, Ne quis opinetur ipsum ignorare ea, quæ ab hominibus audacter perpetrãtur; tempestiuè subdidit.

Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

Dixit inquam vniuersitatis Deum respicere, non tanquam ignorantem, & discere cupientem, verùm vt dicentem ius, & iudicãtem: quomodo enim potest fieri, vt qui hanc animam fecit, eius motiones ignoret? *Corda* enim, pro Ratione posuit.

Non saluatur Rex per multam virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.

Ex rerum euentu didicimus, non oportere fidere non corporis robori, non animi fortitudini, non equorum velocitati, non subditorum multitudini: omnibus enim his Sennacherib affluens, nihil adiumenti inde percepit, verùm extremam perniciem passus est. Quid igitur faciendum est ò Vates? demonstra.

Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Omnium inquit, bonorum pietas est conciliatrix. nam diuinam opem ad se attrahit, & ipsa mortem imminentem prohibet atque inopiam, largitur autem bonorum affluentiam. Cæterùm verisimile est, obsidione illa obsessos, in egestate rerum necessariarum fuisse, deinde ob hostium internecionem ab hac calamitate liberatos esse.

Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor & protector noster est, quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius speramus.

Cùm tot, tantaque bona consecuti simus; firmam in Deo spem habemus, & ab ipso semper auxilium expectabimus: ipse enim nobis præsentem voluptatem largitus est. Deinde cùm dixisset, Quoniam in nomine sancto eius speramus; obsecrat, vt consequatur misericordiam æqualem spei.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speramus in te.

Sermo autem hic est summæ fiduciæ, & insolens hominibus huius tempestatis. Quis enim sic sperauit, vt audacter dicat, metire misericordiam meam spe? hoc quidem sacris in Euangelijs Dominus docuit, Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Igitur spem perfectam, & synceram possideamus, & aliam vitam spei consonantem agamus, vt multam misericordiam consequamur. Matth. 7.

Psalmi XXXIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi, quando mutauit faciem coram Achimelech.

Cùm diuinus Dauid acerbum illud Saulis propositum, & inuidiam conspexisset, cumque admirabilis Ionathæ consilio vsus esset; aufugit, & Nobem ciuitatẽ peruenit. hîc igitur cùm consuetudinem haberet cùm Achimelech sacerdote; fugam occuluit, missum autem se esse dixit à Rege ob quoddam serium negotium. Et cùm panes quæsierit, alios non inuenit, verùm solos sacerdotibus repositos, & hos accepit, præbente sacerdote, contra præceptum legis: nã solis sacerdotibus talis cibus distribuebatur: veruntamen gratiæ mysteria adumbrata sunt, & ianua diuinæ liberalitatis credentibus reserata est: quandoquidem non amplius solis sacerdotibus diuinus cibus destinatus est, verùm hæc diuinorum communicatio omnibus proponitur. accepit quidem eo tempore magnus Dauid Goliath gladium, quem tanquam opima spolia ex illo conflictu Deo consecrauit. Achimelech autem filium Achitob nominauit, tanquam geminum nomen habentem. Quoniam igitur fugitans, sacerdoti fugam minimè significauit, sed regium quoddam negotium perficere dixit; mutasse faciem dicitur, tanquã 1. Reg. 20. & 21.

solita veritate minimè vsus. Porrò aliqui Interpretes aliam materiam dederunt huic Psalmo. Dixerũt enim Dauidem faciem mutasse, quando ad Achim accessit, deinde cùm alienigenarum insidias timeret, insaniam simulauit, & illo modo saluti consuluit: verùm nullam conuenientiam cũ hoc sensu verba psalmi habent. respondent autem ijs, quæ paulò antè dicta sunt, vt actutum cum diuina gratia demonstrabitur. 1. Reg. 21.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

Et fugiens inquit, & persequens, & in secundis rebus, & in aduersis meum Dominum laudo.

In Domino laudabitur anima mea.

Ipse & illustrem me fecit, & insignem me reddet.

Audiant mansueti & lætẽtur. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.

Non solus hymnum contexere vult, sed eis, qui eiusdem mãsuetudinis participes sunt, hymnorum cantilenam impertit. Deinde huius bonę consuetudinis causam demonstrat.

Exquisiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Supplicaui, ait, ipsi, & calamitates superaui.

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.

Qui enim cum fide ad ipsum accedit, arcanæ lucis radios suscipit. Sic fuit magni magni Mosis facies, quæ cùm à Deo aspecta esset, gloriosa reddita est. Et hoc magnus Dauid superius dixit, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. sic adhortatus huiusmodi homines, se ipsum exemplar ipsis proposuit. Psal. 4.

Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus suis saluauit eum.

Ex rebus ad me pertinentibus, inquit, discite Deo vniuersorum fidere. Cùm enim vilis, & ouium pastor fuerim; sua propria prouidentia me dignatus est, & hostibus superiorem reddidit.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Verba Apostoli his consonant, de Angelis enim sic dicit, Nónne omnes sunt ministri spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? sic & beatus Iacob deprecans inquit, Angelus, qui liberauit me ex omnibus malis. sic & Patriarcha Abraham admirabili seruo dixit, Dominus Deus mittet Angelum suum aute faciem tuã, & accipies mulierem filio meo Isaac. Illinc beatus Zacharias sic dicit, Angelus, qui in me loquitur. Ad Hebr. 1. Gene. 48. Gene. 24. Zach. 1.

Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo.

Cùm dixisset, Accedite, inuitat nos inquiẽs, Experientia gustate, & discite bonitatem Domini: nam hinc beatitudinem vindemiabitis. Sciendum est autem, antiquis Iudæis hunc sensum, quem diximus, congruere. Porrò sententia, quæ in profunditate literæ latet, diuinorum mysteriorum gratiam innuit: nam per sanctum baptisma verus splendor accedentibus acquiritur, & vitalis cibi gustus bonitatem Saluatoris manifestò ostẽdit. Quid enim sic dilucidè eius benignitatem ostendit, vt crux, & cruciatus, & mors pro nobis suscepta, & quòd ipse propriarum ouium cibus simul & fons factus sit?

Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum, diuites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.

Et hæc autem ijs, quæ superius considerata sunt, consonant. Commonefacit enim eos, qui per baptisma sanctimoniam acceperunt, vt timore amorem temperent, vtque bonorum affluentiam à solo Deo expectent. Diuitiæ enim multas habent vicissitudines, & qui hodie diues est, paulò pòst in inopiam incidit. Et Iudæi cùm olim Dei gubernatione ditati essent; pauperes facti sunt. Gentes verò, quæ crediderunt bonorum affluentiam à Deo receperunt.

Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

Et cùm proposuisset vitam perpetuam, & quàm maximè desiderabilem, veluti quoddam præmium amatu dignam; ad certamina adhortatur.

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.

Primùm dissuadet malitiam, deinde sic virtutis species percurrere iubet. primùm quidẽ commonefacit, vt linguam veluti labile membrum omni dolo & iniquitate purgemus. linguæ verò labia connectit, vt quæ cum eius motibus concurrant, Declina enim inquit, à malo, deinde bona opera iubet: nam, inquit, Fac bonum. Quæ nam inquit, est summa bonorum operum? Inquire pacem, & persequere eam. Nam qui pacificus homo est; pacem in omnes amplectitur. Nec occultè ea, quæ sunt proximi, furto subtrahere quærit, nec paricidia patrare audet, nec nuptijs insidiatur, nec obtrectat, nec malè agit: benefacit, consulit, sua bona alijs impertit, defendit, simul periclitatur, simul certat. Talis enim est vera charitas, & synceram amicitia. Deinde rursus horum fructum ostendit.

Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.

Qui inquit, hæc faciunt, à Deo opt. max. aspiciuntur, & quærentes bona, suas petitiones obtinent. Deinde ex contrario supradicta corroborat.

Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.

Aspicit ait, etiam eos, qui contraria committere audent, & mortis sententiam contra ipsos pronunciat.

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta est Dominus his, qui tribulati sunt corde, & humiles spiritu saluabit.

Adest, inquit, iustis Dominus, & eorum preces libenter admittit. egregiè autem curat eos, qui æqua mente vtũtur: hos enim, corde contritos nuncupauit. Hoc autem & in alio psalmo dicit, Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Psal. 50.

Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, & vnum ex his non conteretur.

Etenim sinit ipsos in afflictionum palæstram descendere, subuenit autem, & ingruentium calamitatum victores reddit, corroborans eorum cogitationes, quas ossa appellauit. vt enim ab ossibus tanquam solidis reliquum corpus sustentatur, sic per cogitationes anima salutem consequitur.

Mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum delinquent. Redimet Dominus animas seruorum suorum, & non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Qui igitur virtutis studiosi sunt, tot tantisque bonis fruentur. Qui verò vitijs sunt inquinati, finem recipient suæ vitæ congruentẽ. Cæterùm qui Deum colere statuerunt, quique suas spes in eo collocarũt, ab ipso salutem consequentur, quippe qui noluerunt penitus delinquere in leges ab eo positas.

Psalmi XXXIIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi.

Hunc etiam Psalmum eodem modo beatus Dauid protulit, cùm Saulem fugitaret. meminit autem malitiæ Doim: ipse enim nunciauit 1. Reg. 22. Sauli ea, quæ de Abimelech feruntur, & auctor fuit illius maximæ internecionis. mentionem autem Ziphæorum, & reliquorum facit, qui Dauidem Sauli indicarunt, vt ipsa verba docebunt.

Iudica Domine nocentes me, & expugna impugnantes me.

Pulcherrimus est verborum ordo, & precibus viri iusti conuenit. Petijt enim prius à Deo rerum omnium conditore, vt iudicaret, deinde postulauit, vt sic sententiam supplicij proferret.

Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Effunde framea, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me.

Cùm de bello meminisset, necessariò & armorũ speciem apposuit, exterrens habitu armaturæ homines iniquè viuentes. Neq; enim Deus huiusmodi armis indiget, vt impios castiget: satis est autem ipsi solùm verbum ad infligendam vltimam pœnam.

Dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Sufficit mihi tuus sermo, vt saluus sim. Quoniam enim armorum meminit, meritò docuit Deum ministris non indigere, sed verbo solo, & illos supplicijs, & hos beneficijs afficere.

Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam. Auertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.

Aberrent, inquit, ab his, quæ contra me parant, & fructus malitiæ sit ipsis opprobrium.

Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos.

Hoc & in primo Psalmo posuit, Non sic impij non sic, sed tanquàm puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.

Verte ipsos in fugam, committens tuis Angelis, qui cerni nequeũt, persecutionem. sic inuenimus etiam Assyrios ab Angelo occisos, & 4. Reg. 19. primogenitos Aegyptiorum exterminator de medio sustulit. *Tenebras* autem, & *Lubricum*, Casum vocat. Qui enim offendunt & labuntur, excidere solent. Et ostendens suarum precum iustitiam, subiungit.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui, superuacuè exprobrauerunt animam meam

Iniustis enim, inquit, insidijs in me vsi sunt. hoc autem verbum *Exprobrarunt*, Symmachus exposuit, Suffoderunt. Innuit autem mortem, quæ clanculum præparabatur.

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in idipsum.

In ea, quę contra me moliuntur, inquit, incidant, & in proprios casses cadant, insperatam patiantur captionẽ. hoc enim dixit, Laqueum, quem non cognoscit.

Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur in salutari suo, omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tui?

Ego autem & voluptatem, & lætitiam ob tua bona consequar ò Domine, & per omnia membra mea clamabo te solum esse Deum. Hæc enim verba, Quis similis tui, significãt te solum esse Deum, & super omnibus rebus potestatem habere.

Eripiens inopem de manu fortiorum eo, egenum & pauperem à diripientibus eum.

Non finis enim à potentioribus circumueniri tenuiores, sed & illos opprimis, & his subuenis.

Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

Calumniam, inquit, passus sum, accusatus his de rebus, quas ne cogitaui quidem. Quoniam enim Saul inuidia compunctus, ipsum tyrannum fore suspicabatur, & propterea in bello persistebat, occasione hinc arrepta eius emuli non desinebant calũnias contra ipsum struere. Huiusmodi homines, testes falsos nominat. ex numero istorum erat Doim & erant Ziphæi, & alij insuper multi.

Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.

Ego etenim Goliath de medio sustuli, audentem & iuueniliter exultantem contra omnem populum, & alienigenas sæpius expugnaui, & spiritus harmonia ipsum Dæmonum furore liberabam: ipse autem non cessat à bello, volens me morte afficere, & obliuione delere. *Sterilitatem* nanque, Obliuionẽ vocauit, quippe quòd per filios memoria conseruatur: Idcirco Deus rerum omnium auctor per Esaiam

Esa 56. Vatem inquit, Ne dicat Eunuchus, quòd ego sum lignum aridum, quoniam hæc dicit Dominus Eunuchis electis, quæ ego volo, dabo ipsis in domo mea, in pariete meo locum admirabilem, & nomen bonum, quod est præstantius filijs, & filiabus.

Ego autem, cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.

Hinc discimus, quonam pacto finiendę sint calamitates: Cilicio enim ait præcinctus, & inedia consumptus, Deo preces afferebã, & percepi fructus precationis meæ. Hæc enim clausula, Oratio mea in sinu meo conuertetur, hoc denotat, Pro precibus recepi à Deo postulata, & gremium meum impleui.

Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam, quasi lugens & contristatus, sic humiliabar.

Omnem, inquit, aduersus ipsum adhibui reuerentiam, tanquam erga fratrem legitimum, atq; imitabar humilitatem hominis dolentis, & lugentis, nolens ob recta facta superbire: hoc & historia docet. Nam cùm illic dixisset 1. Reg. 24. Saul, Tu fili Dauid, respondit dicens, seruus tuus domine mi Rex. Et rursus, Cur sequitur Ibidem. dominus meus Rex post canem mortuum, & post pulicem vnum?

Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt, & congregata sunt super me flagella, & ignorani.

Ipsi autem cum multitudine inuaserunt, occidere me sperantes, & derepente impetum fecere, conantes me inscium comprehendere. hoc enim, Congregata sunt super me flagella, & ignoraui, sic Symmachus interpretatus est, Congregati sunt super me percussores, & nesciui.

Dißipati sunt, nec compuncti.

Illi verò, inquit, sua ipse frustrati, & dissipati, nõ sunt pœnitentia ducti ob ea, quæ malè consultarunt, sed iterum eadem aggressi sunt.

Tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.

Omnibus, inquit, instigationibus me tentauerunt, volentes proprium animum satiare: quandoque enim fallacibus vtentes verbis, me capere conati sunt, quandoque autem leonino more infrenduerunt. Ego autẽ clamans, dixi,

Domine quando respicies?

Hoc autem non increpans dixit, sed opem implorans. Quando, inquit, appares, & opitularis mihi iniuria affecto?

Restitue animam meam à malignitatibus eorum.

Superiorem animam meã omnibus machinationibus reddito.

Libera à leonibus vnicam meam.

Cùm superius dixisset, Frenduerunt aduersum me dentibus suis, cumq; sit proprium leonum frendere; meritò ipsos Leones nuncupauit, consilij crudelitatem feritatemque redarguens. *Vnicam* autem *Meam* Symmachus Iuuentutem meam, traduxit: hoc est omni humano auxilio destitutam.

Confitebor tibi Domine in ecclesia magna, in populo graui laudabo te.

Hæc verba, *In populo graui*, significant, In populo maximo. Hæc autem prædictio est, quæ euentum sortita est: in omni enim terra & mari diuinus Dauid Deum celebrat per ora eorum, qui iam crediderunt. *Ecclesiam* nanq; *Multam*, & *Populum numerosum*, Ecclesias vocat, quæ per orbem terrarum erectæ fuerunt.

Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Hic rursus mentionem facit eorum, qui Saulem contra se armabant, qui quidem amicitiã simulabant, sed hostilem in modum se gerebant. Hoc autem explanatius inferius dicet.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.

Nam amicis verbis vtentes, veluti in quadã terra iram occulere conabantur, dolo mentem plenam habentes.

Et dilatauerunt super me os suum, dixerunt, euge euge viderunt oculi nostri.

Cùm vidissent autem me insidias persensisse, nudarunt deinceps occultas inimicitias, cũ clamore lætantes ob meas calamitates.

Vidisti Domine ne sileas, Domine ne discedas à me, exurge, & intende iudicio meo Deus meus, & Dominus meus in causam meam.

Iudex es Domine, omnia inspicis, & nihil tuum conspectum præterit, ne despicias ea, quę facta sunt, nec me tua ope destituas, verùm iudica, & celerem sententiam profer. hoc autem, quæ sequuntur declarant.

Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus, non supergaudeant mihi inimici mei, no dicant in cordibus suis, euge euge, animæ nostræ, nec dicant, deuorabimus eum.

Si enim iustitiam procrastinas ò Domine, irridebunt rursus illi, & pro occasione lætitiæ meos dolores arripient, & meam aduersam fortunam propriam felicitatem existimabunt.

Erubescant, & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis induantur confusione, & reuerentia, qui magnificè loquuntur super me.

Dedecus congruens est ijs, qui proximum cauillantur. propterea elatis, & grandiloquis hoc Vates imprecatus est.

Exultent, & lætentur qui volunt iustitiam meã, & dicant semper magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.

Exultent, & lætentur autem qui volunt bona, & qui meam pacem expetunt: & cùm viderint me hanc assecutum, te Dominum laudent.

Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam tota die laudem tuam.

Porrò cùm tuam opem consecutus sim, dies noctesque omnia tua præcepta meditabor, & semper tua beneficia laudabo. hoc enim *Tota die*, Omnem diem, Symmachus explanauit, per hæc continuationem significans. Psalmus igitur hunc habet finem. Cæterùm moneo eos, qui hęc legerint, ne vllam ex iusti hominis precibus offensionem accipiant, ne ansam inimicis obtrectandi hinc arripiant. Sciendum est autem legis statum, & non euangelicum viuendi modum Vatem attingere. Lex verò ait, vt proximum diligamus, & inimicum odio habe-

amus. Dominus autem Christus perfectam virtutem ostendens inquit, Dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite ijs, qui oderunt vos. Matth. 5. Consonantia verò his diuinus Apostolus inquit, Benedicite, & non maledicite. Roman. 12. in hanc igitur differentiam inspicientes, cognoscite quid legi quidem congruat, quid verò gratiæ. Præterea beatus Dauid non maledicens hæc dixit, verùm Vaticinátis more prædixit ea, quæ penitus futura sunt. quòd autem, & idé secundum Euangelij legem iniuria afficientes non vltus sit, audite ipsum dicentem, Sireddidi retribuentibus mihi mala, decidá meritò ab inimicis meis vacuus, persequatur inimicus animam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerẽ deducat. Psal. 7. & non dixit quidem hæc, & non perfecit, nam verba ad rem contulit. Bis enim quidem cùm hostem captiuũ accepisset, non modò ipsum non occidit, verùm etiam eos, qui interficere volebant, prohibuit, atque in prælio occumbentem fleuit, & eum, qui mortem nunciauit, tanquam gaudentem, & iuueniliter exultantem se illum occidisse, morte mulctauit. Hæc autem percurrere coactus fui ob illos, qui maledicunt, & diuinum Dauidem in medium proferunt, vt magnam Dauidis philosophiam vtilitatis exemplar habeant.

Psalmi XXXV. Interpretatio.

In Finem. Psalmus Dauidi.

1. Reg. 24. Quando diuinus Dauid Saulem captiuum, non solùm non interemit, verùm etiam interimere conantes prohibuit, cùm prima luce, in quodam monte esset, obiurgat Saulem, & iniustas inimicitias redarguit, demóstrans, quòd nocte ipsum dormientẽ inueniens, non vt hostem interfecit, sed vt beneficij auctorem seruauit, & ostendit oram chlamydis, & scyphum aquæ, & lanceam, quam in demonstrationem veritatis accepit. Ad hæc Saul respondit, verbis vtens beneuolentiæ coloratis, & amicitiæ personam præ se ferentibus, apposuit etiam sermonibus iusiurandum, pœnitentiam simulans. Tunc igitur hunc psalmum beatus Dauid dixit, accusans eos, qui cum impietate consuetudinẽ habent, & Dei prouidentiam per omnia penetrantem prędicans. Miscuit autẽ cum verbis Theologiam, & Vaticinationem. Idcirco & inscriptio In Finem transmittit legentem.

Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso.

Opinatur, inquit, malitiæ alumnus occulta eius animæ consilia neminem intueri. Nã hoc verbum *Dicit*, pro Opinatur, & Suspicatur, posuit.

Non est timor Dei ante oculos eius.

Porrò causa huius stultitiæ est, eò quòd non timeat dominum, qui omnia inspicit.

Quoniam dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium.

Ille autem volens libensque hanc ignorantiam habet, tanquã nolens ea, quæ fecit expendere, atque odio habere suos iniquos actus.

Verba oris eius iniquitas, & dolus, noluit intelligere, vt bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.

Nam verbis quidem vsus est veritate carentibus, & dolo contextis. ea, quæ decent, minimè scire vult, sed & nocte mala proximo struit, & die cogitata perficere aggreditur: huiusce verò causa est, eò quòd ipse species malitiæ nõ execratur, nec penitus auersatur. Hoc autem, Malitiam non odiuit, pro, Non execratus est, posuit. Etenim Idola aliquando quidem abominationes, aliquando verò execrationes diuina scriptura nuncupat. Hoc verò Aquila, Non abiecit, explanauit. Sed Theodotion, Non expulit.

Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei.

Illi igitur veluti nemine aspiciente hæc facere conantur. Tu verò Domine & misericordiam immensam habes, & veritatem immensam, & iustitiam editis montibus comparatam. Veritas autem tua ad omnes vsque homines peruenit per Vates, veluti per quasdam nubes, quæ salutarem imbrem ipsis suppeditat.

Iudicia tua Abyssus multa.

Cæterùm hanc veritatem & iustitiã habens, qua de causa procrastines, ignoro. Iudicia tua Abyssum imitantur, quæ considerari non potest: quemadmodum enim illius fundus perspici nequit, sic tuorum iudiciorum cognitionem comprehendere non possumus.

Homines, & iumenta saluabis Domine.

Et quæ est hæc causa?

Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

Nam vsque ad iumenta tua benignitas peruenit, & non modò homines, verùm etiam ea, quæ propter homines facta fuere nutris, etiam per hæc homines beneficijs afficiens.

Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Sermo prædictionem continet, mutationem scilicet, quæ post humanitatem Saluatoris nostri facta fuit. Non enim dixit, Sperauerunt, sed Sperabunt.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrentibus voluptatis tuæ potabis eos.

Ad te autem hominũ natura confugiet, contemplans bonorum affluentiam, quæ in domo tua efflorescit. Per hæc innuit, non solùm diuinæ doctrinæ flumina, sed & mystici cibi voluptatem: abundantiam verò horum bonorum torrenti assimilauit. primùm quidem, quoniã à principio hæc hominibus data non fuit, deinde omnes homines adhortando, vt accedãt, & bibant, quippe quòd non sit perenne flumen, sed torrens, & ad tempus fluens. Qui nanque in hac vita non accesserunt, post hunc discessum sacris aquis minimè perfruentur. Et ostendens natura quidem bonorum affluentiam perpetuam esse, sed ob dispensationes torrentes fieri, opportunè subiunxit.

Quo-

Quoniam apud te est fons vitæ.

Hoc in loco apertè nobis sanctæ Trinitatis mysterium aperit. Nam Fontem vitæ vnigenitum Dei verbum nominauit. sic enim & ipse per Hieremiam Vatem se ipsum nuncupat, Me dereliquerunt fontem aquæ vitæ, & abierunt, & effoderunt sibi cisternas dissipatas quę continere aquam non valent. Hier. 2. dicit igitur fontem hunc apud patrem esse, secundum Euangelij doctrinam dicentem, Ego in patre, & pater in me est. Ioan. 14.

In lumine tuo videbimus lumen.

Nam à sancto spiritu illuminati, vnigeniti tui radios intuemur. nemo enim, inquit, dicere potest, Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto, & illum nobis Deus manifestauit per spiritum suum. Didicimus igitur exactè per Vaticinantis verba, tres proprietates vnius diuinitatis esse.

Prætende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde,

Quocirca impertias continuè tuam mansuetam & iustam prouidentiam his, qui diuina cognitione dignati sunt, & his, qui rectè agere decreuerunt. Vtraque enim de eisdem dixit, & linguæ proprietate diuisione vsus: non enim alios dicit scientes ipsum, alios verò rectos corde: neque his quidem misericordiam, his verò iustitiam petijt, sed cùm perfectam virtutem veris opinionibus & rectis actionibus definisset, his, qui hanc possident, misericordiam & iustitiam promisit.

Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me, ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Hæc clausula, Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, Symmachus sic interpretatus est, Vbi cadunt operantes iniquitatem, illuc impellentur, & nequibunt stare. Petit autem Vates, vt possit naturæ moderationem seruare, neque à via recta ob sceleratorum insidias diuertere, tanquam contrarij itineris finem cognoscens. Qui enim, ait, decidunt in illum, non poterunt deinceps resurgere, & in aliam viam currere. hæc autem his, quæ dicta fuere in sexto Psalmo consonant, Quoniã non est in morte, qui memor sit tui, in Inferno autem quis confitebitur tibi?

Psalmi XXXVI. Interpretatio.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

Cùm diuinus Dauid experientia didicisset, quàm multorum bonorum mansuetudo conciliatrix sit, & quòd eorum, qui iniustè viuunt, superbiaq; vtuntur, finis sit tristis, & vitæ congruens; (didicit autem hæc ex ijs, quæ contra Saulem, & Absalonem acciderunt, & ex alijs hominibus quicunque similia fecerunt) admonitionem omnibus hominibus affert, commonefaciens quidem æquo animo ferre res molestas, quæ accidere solent, felicitates verò malorum hominum, & prosperitates nequaquam beatas existimare, imò miseras nunc upare. Id-circo cùm primùm exorsus esset psalmum, inquit, Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Hoc autem, Noli æmulari, Symmachus quidem, Ne contendas, Theodotion verò, Ne irritare, interpretatus est, Videlicet, Noli incitari in imitationem iniquorum hominum, cùm fœcundas res, quę ipsis accidunt, videris. & ostendens inconstantiam felicitatis, statim subdidit.

Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.

Hæc & beatus Esaias inquit, Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis, quasi flos fœni, exiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. hoc & beatus ait Dauid. Esa. 40.

Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Per omnia docuit spei in Deo collocatæ vtilitatem. Qui enim, ait, in illo spem fixã habet, & ab illo pascitur; bonis ab ipso suppeditatis perfruetur, & plena manu hæc consequentur, quiveras delicias putant esse, habere cum illo consuetudinem,

Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse facier, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.

Deo, inquit, & te ipsum, & tuas actiones offer, & ab ipso auxilium expecta. nam ipse vt Iudex iustam sententiam proferet, & celebrabit te, & illustrem te reddet, vt omnibus sis clarus veluti meridiana lux.

Subditus esto Domino, & ora eum.

Hæc igitur sciens, obtemperato Deo gubernanti, & petito bona ab ipso.

Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.

Si quempiam videris prauè agentem, nec sua spe deiectum, sed secundo flumine ferri; noli indignari, neque molestè feras, tanquam huiusce mundi machinam nemine gubernante. ea, quæ sequuntur hæc demonstrant.

Desine ab ira, & derelinque furorem, noli æmulari, vt malignetur, quoniam qui malignantur, exterminabuntur.

Ne respicias secundas res illorum, sed expectato finem, & videbis perniciem.

Sustinentes autem Dominũ, ipsi hæreditabunt terram, & adhuc pusillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies: Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

Etenim crede mihi, quòd hi, qui à diuina spe pendent, & qui mansuetam vitã elegerunt, in otio & pace degent, delicias habentes æternas, conscientiæ scilicet puritatem. hi verò, qui inconstantibus felicitatibus confisi sunt, celerem mutationem recipient, & perpetuæ oblivioni prodentur.

Obseruabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis, Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quòd veniet dies eius.

Et per hęc consolationem iniuria affectis af-

fert,

fert. Ostendit enim peccatorem quidem rabie percitum,& furentem contra eos, qui quietam vitam amplexi sunt, iustum verò Iudicem eorum audaciam irridentem, vt qui celerem eorum finem prœuideat.

Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum, vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde, gladius eorum intret in corda ipsorum,& arcus eorum confringatur.

Eundem sensum hæc habent,quem & superiora. Nam edocet iniustum quidem omnibus machinationibus contra eos, qui nihil peccarunt vsum fuisse, verùm intra propria retia transfodiendũ esse. *Gladium* nanque, & *Arcum* vocauit diuersas insidias. Hæc respondent ijs, quæ in septimo Psalmo dicta fuere, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.

Melius est modicum iusto super diuitias peccatorũ multas.

Melior est,inquit,frugalitas cũ iustitia,quàm diuitiæ iniquæ,& affluentia iniusta. Deinde ostendens vtrorumque fructum ait.

Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iustos Dominus.

Brachia eleganti figura potentiam appellauit: quoniam per hæc insitum est à natura hominibus,vt operentur.Præclarè valde hoc verbum,Confirmare,iustis tribuit: nam à Dæmonibus, & ab hominibus agitati, à diuina verò gratia confirmati, consistunt, & ingruentibus calamitatibus superiores fiunt.

Nouit Dominus vias immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.

Omnem consequuntur opem, qui sine crimine viuere decreuerunt,licet enim in calamitates incidãt,his superiores reddũtur,& communi inopia grassante, à Deo frugalitatem accipient,& ad hæc sempiternis bonis perfruentur. Porrò *Famem* opinor hic significari eam, quę antiquis Iudęis intentata fuit, Inducam su per terram non famem panis,neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei.

Amos 8.

Quia peccatores peribunt, inimici verò Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.

Hæc coniunctio *Verò*, differentiam personarum inducit, & suggerit materiam suspicandi, alios quidem esse peccatores,alios verò inimicos Domini. Aquila verò, & Symmachus pro hac coniunctione *Verò* coniunctionem *Et* ponentes, eosdem esse peccatores, & Dei inimicos ostenderunt.Dicit autem homines ob propria peccata Dei inimicos, (cùm parum temporis floruerint,cumq; illustres,& clari esse visi fuerint) vt fumum dissolutos fuisse.

Mutuabitur peccator, & non soluet, iustus autem miseretur, & retribuet.

Talis fuit Saul, qui semper quidem beneficijs affectus à diuino Dauide, remunerare verò bonis beneficij auctorem noluit. Sed beatus Dauid proprium dominum imitans, qui oriri facit solem suum super bonos & malos, de omnibus bene merebatur. Tales fuerunt Iudæi, qui omnes medicinas à sacris Apostolis recipientes, & internecinum animũ contra eos ostendebant; veruntamen diuini Apostoli diuina dona ipsis magnificè distribuebant.

Quoniam benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt.

Hoc Patriarchæ Abrahæ vniuersitatis Deus promisit,Benedicam benedicentes te,& maledicentes te maledicam. Genes. 12.

A Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet nimis,cum ceciderit non collidetur,quia Dominus supponet manum suam.

Quapropter hac de causa laudat quidem laudantem iustum,maledicentem verò æqualibus rebus remunerat, quoniam ipse iustorum vias dirigit. Fieri enim non potest, vt quis absque ipsius gratia sine crimine virtutis viam deambulet. Fauet igitur his, qui tale propositum habent,& necesse est in virtutis possessionem, humanam promptitudinem & diuinam opem in idem concurrere. Sic enim & si aliquando is, qui hoc iter facit, prolabatur, diuinam tamen opem consequitur, eodem modo beatus Dauid cùm offendisset, cumque in terram decidere periclitatus esset; à diuina gratia erectus est.

Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum,nec semen eius quærens panem. tota die miseretur,& commodat iustus, & semen illius in benedictione erit.

Cùm fuerim iunior,& nunc senio confectus sim; nec noui,nec vidi iustum diuina prouidentia destitutum esse. Etenim iustus Iudex non modò ipsorum, verùm etiam illorum, qui ex ipsis nascentur,omnem curam gerit. sic Israelis etiam impiè agentis ob maiorum virtutem rationem habuit. eodem modo Salomonem peccantem ob paternam pietatem pertulit. Hoc autem,Tota die misereturs,& fœneratur iustus, omnis generis beneficia iusti declarat, Videlicet,beneficia per opes, per negotia, per verba, & consilia. hæc verò faciens, miseratur quidẽ eos, qui hæc consequuntur: fœneratur verò Deo horum. Qui enim miseratur,ait,pauperẽ, mutuatur Deo cùm fœnore vt idem sit misericordia & fœnus.

Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in seculum seculi.

Cùm hæc igitur noueritis vos omnes,cumq; præmia virtutis & malitiæ didiceritis; fugite quidem sceleris species: ambulate verò contrariam viam, vt sempiternis bonis perfruamini.

Quia Dominus amat iudicium,& non derelinquet sanctos suos, in æternum conseruabuntur, & iniusti punientur. & semen impiorum peribit, iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam.

Cùm recto & iusto iudicio vniuersorũ Dominus vsus sit, remunerationes studijs accommodatas dabit,iustitię quidem studiosos omni cura dignos facit:contraria verò eligentes; radicitus euellet.sic cùm vtrorumque fructus ostendisset; deinceps edocet,quomodo fieri possit,vt iustitia exerceatur,quæ sit Deo accepta.

Qs

Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.

Decet,ait, & lingua & mente diuina oracula circunferre, & hæc semper meditari. sic enim virtutis studiosus quid agendum sit discens, intrepidus & immobilis manebit, superior factus ijs, qui deijcere conantur. Hæc in primo inquit psalmo, Sed in lege Domini voluntas eius & in lege eius meditabitur die ac nocte. & quæ sequuntur.

Considerat peccator iustum,& quærit mortificare eum, Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius,nec damnabit eum,cùm iudicabitur illi.

Diuersis modis eadẽ dicit, tenaciorem memoriam faciens ob maiorem meditationem. Dicit autem Dominum minimè despecturum esse hominem iustum,cùm ab iniquis hominibus insidijs petitur, neque adhæret ipsis, qui hæc committere audent,verùm faciet,vt retia transiliat. hanc opem consecutus est Abraham cùm Sara eius vxor bis rapta esset, Hãc & Isaac cùm hoc idem passus esset, Hanc Iacob cùm à fratre,& ab affine in inuidiã raptus esset,Hanc Ioseph cùm per inuidiam, & calumniam bello petitus esset.Et quid oportet omnia percurrere? facile enim est studiosis & antiqua colligere,& noua considerare.

Expecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram, cùm perierint peccatores videbis.

Cùm igitur hæc didiceris; diuinam sententiam expecta, & leges positas custodi. sic enim & in præsenti vita illustris eris,& in futura sempiternis bonis perfrueris, & videbis ærumnosum peccatorum finem.Deinde quoniam multi mœrore afficiuntur, cùm videant scelęratos homines non subitò pœnas pendere, sed diutius in felicitate persistere; meritò à rebus præteritis futura confirmat.

Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat, quæsiui eum,& non est inuentus locus eius.

Vidit nanque magnus Dauid & finẽ Regni Saulis, & tragem tyrannidis Absalonis, & superbiam, & interitum Naas Ammanithes, & mortem cum fastu Goliath alienigenæ, & præter hos, multorum non paucorum arrogantiam,& spiritum,& vltimam perniciem. Meritò igitur illorum felicitatem sterilibus arboribus comparauit. Vanos autem esse dicit,non solùm ipsos,verùm etiam eorũ loca. Cæterùm per hæc memoriam demonstrauit. deinde rursus admonitionem,& consilium affert.

Custodi Innocentiam, & vide æquitatem, quoniã sunt reliquiæ homini pacifico.

Porrò hoc Symmachꝰ sic dixit,Custodi simplicitatem,& vide rectum, quoniam sunt futura homini pacifico. Ne respicias,ait,in præsentes calamitates,sed futura expectanã erit tempus quo ijs, qui integritate & æquitate vsi sunt, merces congruens rependetur.

Iniusti autem disperibunt, simul reliquiæ impiorũ interibunt.

Hoc rursus Symmachus sic explanauit, Impiè agentes simul delebuntur,extrema iniquorum excidentur.In illo,inquit,tempore hi suæ malitiæ præmia habebunt, & communem expectabunt interitum.

Salus autem iustorũ à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos,qui sperauerunt in eo.

Qui autem iustitiam exercent; diuino auxilio perfruentur,& salutem consequentur,& superabunt eos,qui offendere conantur, quippe qui in Deo totam spem fixam habuere.

Psalmi XXXVII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. In Reminiscentia.

Confessio varijs in locis facta, prædicat diligentem diuini Dauidis pœnitentiam.In multis enim Psalmis peccati meminit, vulnus ferre nequiens, sed & morbum, & curationem in medium profert,doctrinę argumentum hominibus afferens. In hoc igitur Psalmo & de peccato mentionem facit, & de pœna inflicta ob peccati expiationẽ.acciderunt autem ipsi multę & variæ molestiæ,nimirum Amnonis cędes, Absalonis tyrannis, Architophelis consilium, quod contra ipsum consultauit, Semei contumeliæ,& cætera,quæ historia edocet.

Domine ne in furore tuo arguas me,neque in ira tua corripias me.

Huius etiam Psalmi procœmium fecit Dauid, precando,vt more medici,non iudicis castigetur,neque vt amarioribus medicinis, sed lenibus curetur.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

Hoc dicit non frustra obsecro, sed videns imbrem sagittarum mihi immitti, tuamq; manum mihi valde imminentem,meq; vehementer cædentem. Hoc enim, Firmasti super me manum tuam, ex translatione posuit cędentiũ, multasq; plagas incutientium.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Cùm supplicio,inquit, afficiar, peccati mei recordor: illius autem recordatio querimonias mihi & ploratus inducit, ex hisce verò ærumnæ mihi & miseriæ accedunt.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum,& sicut onus graue grauatæ sunt super me. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Miser factus sum,& curuatus sum vsque in finem,tota die contristatus ingrediebar.

Inflexit me,inquit,graue peccati onus: mœrore autem me afficit grauis odor illorum vulnerum iam putridorum,quæ accepi, cùm prudentiam abiecerim, & insipientiæ seruierim. Qua de causa omni voluptate priuatus, mœreo,& tristis sum quotidie, & mœroris vicissitudinem non inuenio.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

Per *Lumbos*, Concupiscentiam tacitè innuit: his enim inhærent renes, per quos appetitus exci-

excitari solent. Dicit igitur istorum malorum causam fuisse, quòd nō ad virtutem, sed ad lasciuiam concupiscentia abusus sit.

Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

Ex illa, inquit, concupiscentia hoc percepi, quòd vsque in terram incuruus factus sum, & semper lugeo ob acerbos cordis mei dolores. Quapropter mutata concupiscentiæ vi, illam diuinæ voluntatis effeci ministram. hoc nanque subiunxit.

Domine ante te omne desiderium meum.

Quoniam enim semel ipsa abusus sum; semper deinceps illam tuis mandatis addicam.

Et gemitus meus à te non est absconditus. Cor meū conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Vides, inquit, ò Domine meos vlulatus & lacrymas, Vides me, inquam, agitatū, & proprijs viribus destitutum, consuetoq; lumine priuatum, & in meridie tanquam in tenebris degentem. Duo autem sibi accidisse per hæc significat, Et mœroris immensitatem, per quam lux non videtur esse lux, Et destitutionem diuinæ prouidentiæ, quam lumen oculorum suorum meritò nuncupauit.

Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt, & qui iuxta me erant de longe steterunt.

Hoc autē Symmachus sic interpretatus est, Amici mei, & socij mei aduersum me in plaga mea contrà steterunt. Nam ex amicis hi quidē cùm meam plagam vidissent, hostilia egerunt, & manifestō contra me steterunt, hi verò veriti, secesserunt, neque proprij auxilij me participē fecerunt. Porrò tacite innuit in prima parte Architophelem, qui non modò dilexit, verùm etiam pernicioſa consilia attulit. Alij verò (vt verisimile est) hæc contra illū fecerunt, imò verò plurima pars Israelis, & ipsa tribus Iudæ pro Absalone bellum gesserunt. Subitò igitur post parricidæ cædem inuicem se hortabantur, vt alias tribus præuenirēt, & in domos regias Regem Dauidem reducerent.

Et vim faciebant, qui quærebant animam meam, & qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

Cùm hostes me destitutum ab inimicis vidissent, contra me insidias struebant, meam cędem desiderantes.

Ego autem tanquam surdus nō audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

Hoc magis dilucidè historia edocet. Nam cùm Absalon sentētias patris damnaret, & eos, qui litem amiserant, ad se ipsum alliceret, beatus Dauid æquò ferebat. Cumq; Semeus maledictis lacesseret, & manu, & lingua feriret, Dauid silens, iniurias sustinebat, & Abysai conantem ab improbo exigere pœnam prohibuit, dicens, Sinite ipsum, vt maledicat Dauidi. 2. Reg. 16.

Quoniā in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus, Quia dixi nequando supergaudeant me inimici mei, & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Hac verò inquit, vsus tolerantia; spem in te habebam, & tibi mei ipsius iudicium committebam, atque obsecrabam, ne inimicis ludibrio fierem, néue meæ causæ iactura ipsis superbiæ ansa foret.

Quoniā ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

Peccatum ait, me flagellis dignum fecit, idcirco supplicijs me ipsum subijcio, quandoquidem curationem desidero, cùm peccati stimulis punctus sim.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.

Propterea accusator mei ipsius fio, & vt sanus sim, omnem diligentiam adhibebo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè, qui retribuunt mala pro bonis.

Tibi soli ait, peccaui Domine, & malum coram te feci. Cęterùm illi cùm multa à me beneficia sæpius accepissent, contrarijs rependunt, & maius robur meo adepti sunt.

Detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Rursus per hæc Absalonem eius iudicia calumniantem, & iniustos accersentem ostendit. Et postquam filius parricida esse studebat; meritò dixit, Et proiecerunt dilectum, vt mortuū repudiatum: quem enim diligere oportebat secundum leges naturæ, hunc tanquam mortuū grauiter olentem detestabatur. Congruit autem hoc, & populo ingrato, qui cùm à Dauide infinita beneficia accepisset, cunq; per eum alienigenas superasset, sæpius circa beneficia ingratum se exhibuit.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me, Intende in adiutorium meū Domine Deus salutis meæ.

A tot, inquit, doloribus circuncluſus, te meū Deum, & Dominum obsecro, ne tua solita prouidentia me destituas, verùm vt opem impertias, & salutem mihi gratificeris.

Psalmi XXXVIII. Interpretatio.

In Finem. Pro Idithum. Canticum Dauidi.

Aliqui Interpretum Psalmum Idithum ascripserunt, & dixerunt ipsum hunc conscripsisse: Titulus autem contrarium edocet, videlicet Psalmum esse Dauidis, & Idithum ad canendum datum fuisse, cui canentium chorus commissus erat. In Finem, nos transmittit, quoniā humanæ naturæ vilitatem deplorat, & huiusce finem demonstrat. Porrò magnus Dauid hunc Psalmum dixit, cùm Absalonē fugitaret, cumque à Semei conuicijs afficeretur, & cum proximè præcedenti Psalmo multam conuenientiam habet. 2. Reg. 16.

Dixi custodiam vias meas, vt nō delinquam in lingua mea, posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me.

Cùm Semei magno Dauidi fugienti patricidæ filij tyrannidem in via occurrisset; & glebis eum percutiebat, & verbis homini maledicebat, & peccatorē, & sanguinariū virum vocans. Verùm

Verùm diuinus Dauid vsitata philosophia vtens, non modò ipse non vltus est, verùm vnum ex Ducibus iaculis conficere conantem prohibuit, dicens, Dimitte eum, quoniam 2. Reg. 16. maledicit mihi, etenim Dominus dixit illi, vt malediceret Dauidi, & quis dicet ipsi, quare fecisti sic? vt videat Dominus humilitatem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro eius maledictis in die hac. Cæterùm Psalmi verba multam conuenientiam cū historia habent. Nam ait, se magnam curam gessisse linguæ, cùm sciat hoc membrum admodum esse labile, & hanc semper munisse veluti quodam muro. Semei tanto magis, licet iniuria affectus non esset, contrà stetit. Ipsum enim peccatorem, & iniustum nominat, tunc enim ait.

Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.

Ibi, vt suprà. Verùm hæc valde ijs, quæ ab ipso in historia dicta sunt, respondent, Sinite ipsum maledictis lacessere, quoniam Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauidi, vt Dominus videat humilitatem meam, & eripiet me hodie ex manu inimicorum meorum, Hoc & hic dicit, Quoniam surdo similis sum, penitus nihil audienti, & humilem, & abiectum me ipsum feci, lucrum hinc expectans.

Et dolor meus renouatus est.

Ab illo ait, conuicijs affectus, peccati, quod audacter commisi, memini, & stimulis è peccato emissis configebar, reputans hanc esse causam, cur ego maledictis afficiar, & tyrannide opprimar, & à regijs domibus exactus, fugere cogar. Hæc autem multam cum historia cognationem habent. Hæc enim clausula, *Præcepit illi Dominus maledicere Dauidi*, Peccati memoriam habet, quoniam per hoc castigatio euenit.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.

Hoc Symmachus sic explanauit, Exaruit cor meum intra me, & dum in animo expenderem; flagrabam igne. Redigens in memoriam, inquit, peccatum, mœroris igne ardebam.

Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum. Et numerum dierum meorum quis est? vt sciam, quid desit mihi.

Conuiciatori igitur nihil respondi, Domino autem vniuersorum supplicaui, vt notum mihi finem meum faciat, valde finem desiderans.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.

Hoc rursus Symmachus sic dixit, Ecce dedisti mihi dies, vt mensuras duodenūm digitorum, & vita mea, vt nihil ante te. Desidero autem finem, sciens humanam naturam minimè longæuam esse: nostra nanque vita nec videtur consistere tuæ vitæ comparata. Tu enim sine principio es, & fine: nostra verò vita mensuratur, vt quibusdam mensuris palmi, & cubiti. propterea autem demonstrauit paucitatē temporis humanæ vitæ. Sic & alibi, Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præterijt, & custodia in nocte. Et aliàs cùm de cœlis, & terra mentionem feciſſet, Ipsi, inquit, peribūt, tu autem permanebis, & omnes Psal. 89. Psal. 101. sicut vestimenta veterascent, & sicut amictum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.

Quare omnis ait, hominum natura, & diuites, & pauperes vapori similes sunt, qui dissoluitur, & temerè, & frustra ædificant, & comparant diuitias, & affluentiam congregant.

Veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.

Nihil ait, viuentes homines differunt ab ijs, qui in pictura exprimuntur: æqualiter enim & horum, & illorum natura tempore labitur, & corrumpitur. Veruntamen nihilominus homines contendentes perturbantur, dimicantes, bellum gerentes, mercantes, & omnis humana vita tempestate & fluctibus referta est, finem habens mortem. cum labore verò multo, & sudore opes congerentes, nesciunt futurum hæredem. Porrò beatus Dauid ex his, quæ sibi acciderunt motus scripsit. Etenim cùm Regnum maximū, & illustre valde reddidisset ex hostilibus spolijs, atq; ex tributo, quod ab alienigenis pendebatur; nesciebat impiam, & iniquam mētem filij. Deinde cùm vidisset ipsum filium potentem ob Regna factum, cumque diuitias repositas, tanquam proprias sibi vendicasset; in admirabilem hanc vocem prorupit.

Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus, & substantia mea apud te est?

Cùm in omnibus illis se esse potentem asseruisset; à te expecto opem. Substantiam autem Aquila, Expectationē dixit: videlicet, te expecto circumspiciens: nimirum tuam benignitatem præstolor. deinde dolorum causam ostendit.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me,

Rursus Semei meminit.

Opprobrium insipienti dedisti me.

Hoc valde ijs, quæ in historia dicta sunt congruit, Dominus dixit illi, vt malediceret Dauidi. Quæ verò sequuntur, similiter his, quę dicta sunt cohærent. 2. Reg. 16.

Obmutui, & non aperui os meū, quoniam tu fecisti.

Te enim inquit, permittente; ille perbacchatus est: & ille quidem similis erat flagello, tu verò per illud castigationem afferebas. propterea silens flagella accepi, illum quidem despiciens, te verò in me animaduertentem perspiciens. ingeniosè valde, & quæ sequuntur posuit.

Amoue à me plagas tuas, à fortitudine manus tuæ ego defeci.

Supplico igitur, & obsecro te Domine, cessa deinceps à castigatione: multitudine enim plagarum consumptus sum.

In increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut aranearn animam eius.

Non temerè, nec frustra inquit, animaduersionibus vsus es, sed redarguens errata mea, & medici more secans, atque extrahens occultam saniem, & liquefacis me doloribus ex cu-

ratione emissis, sanitatem his, qui secãtur procurans.

Veruntamen vanè conturbatur omnis homo.

Hæc igitur mecum ipse considerans, video homines ad nullum opus bonum turbari pro inconstantibus rebus.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe, lacrymas meas ne sileas, quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei, remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.

Tibi Domine inquit, supplico, exaudi me obsecrantem, & cum lacrymis deprecantem. Non enim habito terram vt propriam, sed tanquam peregrinus incolo, vt omnes patres mei: cùm parum temporis vixerim, mortem obibo. Igitur modicas inducias imperti, vt paucos dies sine doloribus vita perfruar, priusquam è vita auolem. Egressus enim, non reuertar: Hoc enim dixit, Amplius non ero, hoc est, In hanc corruptam vitam non reuertar. Cæterùm dignum est, magnum Dauidem admirari, cùm sit in regno, & copijs, atque potentia, se ipsum aduenam, & peregrinum nominare, & felicitati fidere nolle. Nam reuera hæc verba cum sapientia dicta sunt, quæ rerum naturam scit, & hac de causa præsentem felicitatem despicit.

Psalmi XXXIX. Interpretatio.

In Finem. Psalmus Dauidi.

Quidam in beatum Hieremiam hunc psalmum acceperunt. Aliqui in admirabilẽ Danielem, quoniam is, & ille in lacum coniecti sunt. Exordium autem psalmi de lacu mentionem facit, & vnum verbum attendẽtes, in illum sensum conuersi sunt. Porrò aliqui captiuis Babylonem habitantibus psalmum quadrare dixerunt. Ego autem eleganti figura in ea quidem, quæ ipsi Dauidi acciderunt, hunc cõscriptum esse opinor, referri verò in omnem hominum naturam, quæ spem resurgendi à Deo Saluatore nostro accepit, in hãc verò sententiam diuinus Paulus nos deducit, in epistola ad Hebræos, aliquorum verborum mentionem faciens. Ad Hebr. 10.

Expectans expectaui dominum, & attendit me, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis.

Congruunt hæc, quæ dicta sunt magno Dauidi: quandoquidem consonantia sunt proximè precedenti psalmo. Nam in illo quidem dixit, Exaudi Domine orationem meam, & deprecationem meam auribus percipe, lacrymas meas ne sileas, remitte mihi vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero. Et paulò superius inquit, Et nunc quæ est expectatio mea? nónne Dominus? & substantia mea apud te est? Hic verò tanquam deprecatione admissa, & petitione concessa dicit, Expectans expectaui Dominum, & attẽdit me. Cùm enim peccatum meum auersatus esset; beneuolam faciem mihi ostendit, & preces meas exaudiuit, Et quid fecit, cùm exaudisset? Deduxit me de lacu miseriæ, & à luto fecis. Sic autem sacræ literæ maxima discrimina nuncupare solent, sicut superius diximus. Cùm à periculis te liberasset, quid tibi rursus gratificatus est?

Et statuit supra petram pedes meos.

Super hanc enim inquit, petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam. Matth. 16.

Et direxit gressus meos.

Cùm enim ab errore liberasset; rectam veritatis viam ostendit.

Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.

Nam pro impio Idolorũ cultu, verum Deum celebrare doctus sum, & canticum non vetus, sed nouum afferre, atque nouis beneficijs accommodatum.

Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino.

Postquàm persona eorum, qui salute perfruiti sunt, hæc percurrit; meritò Vates inquit eos, qui nondum bona gustauerunt, visuros esse, & formidaturos, vt qui nó hactenus accesserunt, & postea spe corroborati, à Deo salutem consequentur.

Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.

De hisce vanitatibus Propheta mentionem fecit & in præcedenti psalmo, Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Et rursus, Veruntamen vanè conturbatur. Et hic igitur eum iudicat beatum, qui præsentia quidem despicit, diuinam verò spem ante omnia habet.

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis, non est, qui similis sit tibi: annunciaui, & locutus sum, multiplicata sunt super numerum.

Miracula inquit, quæ à tua potentia facta sunt, omnem numerum, & narrationem superant. Non enim est qui facere possit similia rebus tuis: quandoquidem opera tua maxima, & perpulchra sunt, vincũt autem humanas laudes ea, quę quolibet tempore à tua prouidentia dispensata fuere, videlicet in Aegypto, in deserto tẽpore Mosis, Iosue, Samuelis, & quæ acciderũt Isaac, Iacob, vel Ioseph, qui per seruitutem regnauit, & alia ne singula percurram. Verùm quod nunc factum est omnibus his est admirabilius: non enim vnius hominis, vel vnius gentis, sed omnium gentium salutem molitus es, & cùm legis cultum cessare fecisses, Iudæorũ imbecillitati accommodatũ; nouam gratiam dedisti, quæ rationis cultum præscribit.

Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocausta, & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio.

His Apostoli admonitio concinit, Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequiũ vestrum. Nam prò legis sacrificijs Dominus imperauit, vt nostra membra cõsecremus. Cùm hanc autem, ait, tuam gratiam perspexerim, me ipsum tibi Ad Rom. 12.

tibi adduxi, dicens, adsum. hanc igitur vocem beatus Paulus in Dominum Christum accipit & congruenter admodum, Nostræ enim naturæ est primitiæ, & illi omnium primo nostra dicere conuenit, & in ipso prius adumbrare ea, quæ à nobis fieri decet. Eodem modo ipse primus ad baptismatis accessit, nobis tacitè ostendẽs baptismatis gratiam. eodem modo pedes discipulorum lauit, humilitatis exemplar nobis proponens. Propterea Ioanni dicit, Sine modò, sic enim decet nos, implere omnẽ iustitiam. Congruit igitur illi nostra dicere, qui sumus membra illius corporis, vt primogenito multorum fratrum secundum carnem. Ad Hebr. 10. Matth. 3.

In capite libri scriptum est de me.

Superius inquit, in libris sacrorum Vatũ hæc de me prædicta sunt. *In capite*, Aquila, & Symmachus in *Imolucro libri* dixerunt. sic autem diuina volumina vique in hodiernum diem Iudæi munire solent.

Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio ventris mei.

Cùm accessissem ad te ait, omne studium adhibeo, vt tua præcepta impleam, & vt secundũ tuam voluntatem viuam. Hoc autem *In medio ventris mei*, Ex translatione dixit eorũ, qui aliquem amore prosequuntur, & desiderant illum intra sua viscera conijcere. Porrò hæc nec Hieremiæ, nec Danieli, nec beato Dauidi congruũt: Obtinẽte enim lege, holocausta, & sacrificia afferebant Deo. Vaticinantis verò sermo omnibus his ejectis, rationis sacrificium tacitè ostendit. Idcirco per translationem dixi Psalmum Dauidi congruere, quoniam ille secundum vaticinationem futura prætuidebat, & secundum illa viuere desiderabat. verè autẽ hæc gentibus, quæ salute dignatæ sunt, & ab errore liberatæ fuerunt, conueniunt.

Annunciaui iustitiam tuã in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuã, & veritatem tuam à concilio multo.

Beatus Dauid promittit in Ecclesia multa per totum orbem terrarum à diuina gratia collecta Dei iustitiam prædicare, & vaticinationis veritatem, atque salutem admiratione dignam, immensamque misericordiam. & ipsa natura seruata hanc pro salute remunerationem daturam esse spondet, nimirum in Ecclesiam confluere, & labia in hymnorum cantilenam mouere, atque iustum Dei iudicium celebrare, inexplicabilemque Dei prouidentiam enarrare, promissionumque veritatem, quæ prædictæ fuere, ostendere. hoc autem, *A Concilio multo*, Symmachus, In multitudine: Aquila verò, & Theodotion, In Ecclesia magna posuerunt, vt pateret de eadem ecclesia dixisse.

Tu autem Domine, ne longè facias miserationes tuas à me, misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.

Cùm Dei ecclesia salutem consecuta esset; rursus eadem prouidentia indiget ob hominum Dæmonumque impetus, quorum in sequentibus mentionem facit.

Quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Quæ hic dicuntur non sunt pugnantia cum his, quæ modò interpretata sunt. Etenim tres pueri summa virtute præditi, atque triumphali corona ornati, in camino orantes dixerunt, Peccauimus, iniquè egimus, deliquimus, & recessimus à præceptis tuis. sic admirabilis Daniel, Sic diuinus Hieremias, Sic diuinus Esaias, Sic sapientissimus Paulus, Christus enim inquit, Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Et rursus, Non sum dignus vocari Apostolus. Sic igitur in hoc loco Dei Ecclesia ab impiorum fluctibus concussa, non effertur, tanquam pugnare volẽs, sed ea, quæ accidũt, peccatis & delictis tribuit, & à Saluatore opem consequi obsecrat. Præterea nec Dei Ecclesia ex hominibus perfectis tota constat, sed habet ignauos, & eos, qui remissam vitam amplexi sunt, & qui voluptatibus seruire decreuerunt: & quoniam vnum est corpus, tanquam ex vna persona, & hæc, & illa proferuntur. Daniel. 3. Ad Tim. 1. Ad Cor. 15.

Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice: confundantur, & reuereantur simul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam.

Quandoquidem vulnerare nolunt, sed sempiternæ morti tradere.

Conuertantur retrorsum, & reuereantur, qui volunt mihi mala.

Verte ipsos in fugam, & aberrare fac ab his, quæ desiderant: mala enim contra me struunt.

Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi euge euge.

His, qui insurgunt, & irridentme, fructus sit pudor.

Exultent, & lætentur super te omnes, quærentes te Domine, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Atqui quærentes te, inquit, & laudantes, & semper diligentes, perpetua lætitia imple. Et qui tui amoris mutationem non habent, neque gaudij mutationem sentiant. Non enim simpliciter amantibus gaudium precatus est, sed his, qui semper, & continuè amorem habent.

Ego autem mendicus sum, & pauper, Dominus solicitus est mei. Adiutor meus, & protector meus tu es, Deus meus ne tardaueris.

Sicut superius peccatorum meminit, sic & pauperem nuncupat, tanquam auxilio egentem, & diuina ope carentem, & hanc quàm primùm assequi supplicat. Cæterùm hæc potissimum beato Dauidi congruunt. opinor enim cùm illam vaticinationem, & gratiæ liberalitatem præuidisset; pauperem se ipsum appellasse, & ipse vt diuina prouidentia perfruatur deprecatus est. supplicat autem, ne salus prædicta procrastinetur, néue in longum tempus prorogetur, sed vt celeriter hominibus concedatur.

Psalmi XL. Interpretatio.

In Finem. Psalmus Dauidi.

Præsentem Psalmum aliqui quidem Dauidi, quidam verò Ezechiæ ascripserunt: verùm diuinum Euangelium neutrũ ex illis accipiendum finit. Nam Dominus Christus cùm quoddam colloquium cum suis discipulis fecisset,
Ioan. 13. hæc subdidit, Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea, non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim, sed vt impleatur scriptura, Qui manducat mecum panem, sustulit contra me calcaneum suũ, amodò dico vobis priusquam fiat, vt cùm factũ fuerit, credatis, quia ego sum. Domino igitur dicente, vt scriptura impleatur, & demonstrante præsentem psalmũ sibi, & non alij congruere, rem admodum audacia & temeritate plenam iudico, aliam materiam & huic psalmo minimè congruentem formare.

Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem.

Hoc verbum, *Et pauperem*, in quibusdam exemplaribus inueni, neque apud Hebræum, neque apud Syrum, neque apud alios Interpretes. Egenum igitur nuncupat vniuersorum Dominum: Quoniam cùm esset dines, (vt inquit diuinus Apostolus) propter nos egenus factus est,
2. Cor. 8. Ad Philip. 2. vt illius inopia diuites essemus. Et, Cùm esset in forma Dei, nõ rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed se ipsum exinaniuit, formam
Luc. 9. serui accipiens. Et, Visibilibus, & inuisibilibus dominans, non habet vbi caput suum reclinet: & natus ex virgine ob inopiam cubilis, in præsepi positus est. Igitur vaticinantis sermo beatũ facit eum, qui hãc paupertatem intelligere potest, & qui pro viribus celebrãdum curat eum, qui hanc paupertatem amplexus est. deinde beatitudinis fructus demonstrat.

In die mala liberabit eum Dominus.

Malam uerò *Diem*, Vexationis diem Symmachus dixit. Tacitè innuit, vt opinor futurum diem terribilem iudicij, & peccatoribus infestum, & promittit syncerum illius paupertatis iudicium, à terribilis diei malis ipsum liberaturum.

Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Non solùm autem futuris bonis perfruetur, sed etiam in præsenti vita diuinam opem consequetur, illustris & clarus factus, inimicorumque insidias effugiens. Et quoniam corpus interitui obnoxium habet, & verisimile est, vt in morbum aliquando incidat; spondet ab hoc liberationem.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.

Ab omni, inquit, ægrotatione liberabit & in bonam corporis valetudinem morbum permutabit. Hoc enim, Versasti in infirmitate stratum, pro Mutabis posuit. Sic cùm remunerationes eius, qui hanc paupertatẽ admirabilem intelligit percurrisset; ostendit nobis, quis sit, qui hanc habuerit, & quomodo se in ipsa gesserit: ipsum docentem inducens, & ea, quæ sibi accidit enarrantem.

Ego dixi Domine miserere mei, sana animã meam, quia peccaui tibi.

Ego autem sum ait, pauper, qui voluntariam paupertatem suscepi, & sum agnus ille Dei, qui peccata mundi tollo, qui hominum infirmitates mihi ipsi vendico, qui peccatum non feci, hanc precationem pro humana natura, vt primitiæ ipsius naturæ affero. Porrò notandum est, Symmachum non dixisse, Quoniam peccaui tibi, sed, Et si peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius?

Inimicos, Iudæos vocat inuidentes, & mortem machinantes. Hoc verò sacrorum euangeliorum historia edocet, Consilium enim inquit, Matth. 26,
inierunt, quomodo illum perderent. hinc in Iudam prædictionem transfert.

Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, & loquebatur.

Hoc autem diuina Euangelia nos docent, Iudam Iudæis dixisse, Quid mihi datis, & ego vo- Ibidem.
bis tradam? quærebat autem opportunitatem, vt traderet illum. hæc & vaticinatio inquit, Et ingrediebatur, vt videret frustra, & egrediebatur foras, & loquebatur. Ingressus enim, & egressus simul cum illis mortem struebat. Deinde eorum malam conspirationem prædicit.

In ipsum aduersum me susurrabant omnes inimici mei, aduersum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum constituerunt aduersum me.

Cæterùm rerum euentus hæc demonstrat. Tacitè enim inuicem colloquentes; insidiarum modum quærebant. Deinde tyrannidis criminationem contra eum exposuerunt, cùm Pila- Luc. 23.
to dixissent, Se ipsum Regem fecit, & prohibet censum dari Cæsari. hoc & Vaticinatio inquit, Verbum iniquum constituerunt aduersum me, pro, Iniquam accusationem contra me fecerunt.

Nunquid qui dormit, non adijciet, vt resurgat?

Etsi mortem oppetam, inquit, non iterum resurgo? & dissipo eos, qui hanc mihi pararunt? Ioan. 2.
Hoc autem congruit euangelico dicto, Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. & rursus, Ecce ascendimus Hierosolymam, & fi- Matth. 20.
lius hominis tradetur manibus peccatorum, & occidẽt ipsum, & tertia die resurget. Quamobrem meritò *Somnum*, Mortem nuncupauit.

Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem.

Hoc Aquila, & Theodotion explanatius dixerunt, Etenim vir pacis meæ, cui confisus sum. Symmachus verò sic, Sed etiam homo, qui mecum pacem gerebat, quo fretus eram. Non solùm enim inimici mei machinati sunt mihi mortem, sed etiam homo, qui mecum consuetudinem habebat, & beneuolentiam, pacemq; simulabat, quique vnà mecum accumbebat, & vescebatur; dolum, quem intus cohibebat, patefecit. *Dolum* enim, Calcaneum nominauit, ex transla-

tione eorum, qui de celeritate contendunt, quiq; suo calcaneo moliuntur, vt concurrens impingat simul, & cadat. Hoc etiam
Gene. 27. Esau ab Iacob deceptus dixit, Iustè vocatum est nomen eius Iacob, nam me supplantauit iam bis, & iura primogenituræ meæ accepit, & benedictionem meam.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. in hoc cognoui, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Et hæc omnia tanquam ab assumpta natura dicta sunt, quę crucem passa est. Sic etiam in sacris euangelijs audimus Dominum Christum
Ioan. 12. precantem, Pater salua me ex hac hora. Et rur-
Matth. 26. sus, Pater si fieri potest, transeat calix hic à me.

Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Conueniunt etiam hæc seruili formæ, quam vnigenitus Deus susscepit. Nusquam enim An-
Ad Heb. 2. gelos apprehendit, (vt inquit diuinus Apostolus) sed semen Abrahæ apprehendit, vnde debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum. Quoniam igitur assumpta natura libera permansit ab omni malitia, meritò dicit, Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternũ. Nam firmam accepi coniunctionem, & fuit copula indiuidua, & gloria sempiterna.

Benedictus Dominus Deus Israël à seculo & in seculum, fiat, fiat.

Cùm diuinus Vates hæc prædixerit, & inexplicabilem Dei benignitatem suspexerit, cumque intellexerit eum, qui voluntariam paupertatem susceperit; hymnum ipsi per linguam pronunciat, vt etiam ipse beatum reportet finem. Meritò autem post cruciatus hymnum attulit, docens, non modò hominem fuisse, qui prædictus est, sed etiam Deum ante secula habentem immortalem naturam, & infinitam.

Psalmi XLI. Interpretatio.

In finem. Prudentiæ filijs Choræ.

Cùm populus peccasset; eum Babylonijs dominus tradidit, cùm ad septuagenariam seruitutem eum condemnasset. Quapropter tanquã ex persona eorum dictus est psalmus, qui plorabant, & libertatem desiderabant. Quia enim erant inter illos nonnulli viri pij, vt diuinus Daniel, vt mirabilis Ezechiel, vt illi victores Martyres Ananias, Azarias, & Misaël, qui vehementissimè Deum amabãt, & legitimum ipsius cultum cupiebant; meritò propheticus sermo susceptа eorum persona, quę par erat ab illis dici tempore liberationis à calamitate, multis antè seculis docet, vt vaticinatione oblectentur, & doctrina erudiantur. Propterea etiam In Finem, hic psalmus inscriptus est: siquidẽ post longissimam temporis seriem, ea, quæ dicta sunt, finem acceperunt. apponit autem prudentiam, quandoquidem hac maximè egent, qui in calamitates incidunt.

Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aqua-

rum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Aiunt Ceruos, feras venenosas deuorare, & hinc in sitim vehementer accendi, & aquas magnopere desiderare. Cùm igitur supradicti captiui consuetudinem cum Babylonijs habuissent, hominibus impijs & iniquis, & verè reptilibus bestijs similibus; non sine causa dicebant, se instar Ceruorum Deum sitire, desiderantes illinc liberari, & diuinam opem expectantes.

Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Cupio, inquit, & sitio cultum Dei mei viuentis. Videri enim à facie Dei, nihil aliud esse dicit, quàm ipsum secundum legem colere: huiusmodi autem cultus Hierosolymæ circumscriptus est. & hæc non solus beatus Moses docet, sed etiam tres beati Martyres Ananias, Aza- Daniel. 3.
rias, & Misaël in camino Deum deprecantes. Concinnè autem fortem, & viuentem Deum nominant, præ inanimatis, & immobilibus Babyloniorum Idolis.

Fuerũt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est Deus tuus? hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam.

Dies noctesque ait, lugendi satietas nunquam capit me, sed veluti quendam cibum lacrymas emitto, cùm de te opprobria recipio: hostes enim deridẽt me, tuam gubernationem proferentes, vt imbecillem, & minimè potentem eorum potentia superiorem esse. Idcirco hæc continuè in memoriam reuocans; indefessum luctum habeo. Hoc enim, Effudi in me animam meam, hoc significat, Effusus sum, & commotus in eiulatus.

Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.

Tabernaculum nuncupat Dei tectum. Post tristia igitur, grata narrat, & edocet celerem reuocationem consecuturos esse, atque à diuina gratia deductos, in desideratam terram redituros, & diuinam domum instauraturos, consuetasque solemnitates celebraturos, atque festiuum sonum, & spiritus cõcentum suis auribus
Esa. 66. percepturos, Prædicit etiam beatus Esaias cum multo honore ipsos reuersuros esse in mulorũ curribus vecti, & pileis tecti, caloris molestia abiecta. Hoc autem Aquila tacitè innuit, Ingrediar in vmbroso, præteriens ipsos vsque ad domum Dei in voce laudis, & gratiarum actionis multitudinis celebrantis. Tripudiantes inquit, & Deum Saluatorem laudantes, & in via vmbra perfruentes, sic in diuinam domum perueniemus, tanquam pompa quadam reuersionem facientes. Cùm hanc vaticinationem intellexissent, se ipsos oblectant, dicentes.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. salutare vultus mei, & Deus meus.

Has inquit, promissiones ò anima cùm acceperis, quiesce quidem à mœrore, & à dolore: spe autem corroborata, vaticinationis euẽtum expecta, in quo salutem consecutam videns, hymnos Deo, qui salutem dedit, afferes.

Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonij à monte modico.

Imitatio est quædam animæ secum ipsa colloquentis. Quoniam enim dixit, Conquiescè à mœrore, cùm bonorum pollicitationes acceperis, respondet ad hæc dicens, Quoniam non frustra tristitia afficior, & lamentationibus supradictis vtor: quandoquidem paternæ terræ memoria excutit mihi lacrymas. *Terram* enim *Iordanis*, promissionis terram nũcupat, Et *Hermonij*, Montem Aermon vocat. Per mõtem autem, & flumen, omnem illam terram ostendit. Sic autem Symmachus interpretatus est, Anima mea liquefit, quando recordor tui à terra Iordanis, & Hermonij à monte minimo.

Abyssus Abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum. Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.

In illa autem terra degens; hostium multitudini traditus sum, & veluti in quadam abysso summersus sum. *Abyssos* enim vocat militares acies, multitudinisque elationem immensis aquis assimilauit, & ea, quæ ab his facta sunt, antiquo diluuio comparauit, quod totam terram vastauit. hæc magis dilucidè Symmachus explanauit, Abyssus abysso occurrit à strepitu aquæductus tui, Tu enim eos illuc adduxisti, transgressionis pœnam exigens. Procellæ tuæ, & fluctus tui super me transierunt. Quoniam enim abysso exercitum comparauit, perstat in figura. Impetus exercitus, qui ab ipso fiũt, fluctus & procellas nuncupauit. Propterea inquit, doleo, horum nanq; memoria pungit me: verùntamen tuam benignitatem habeo consolationem. hoc enim subiunxit.

In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte cãticum eius. Apud me oratio Deo vitæ meæ.

Semper inquit, sciens misericordiam à Deo suppeditatam, & nocte hanc mecum ipsè considerans; cano, & laudo eum, qui ita de nobis rationem habet: Affero autem illi & preces, hanc assequi benignitatem obsecrans. Deinde edocet obsecrationis verba.

Dicã Deo susceptor meus es, Quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus? Dũ confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei, dum dicũt mihi per singulos dies, Vbi est Deus tuus?

Hæc inquit, ad meum Dominum dicens, tuam semper prouidentiam consecutus sum, cur me nunc hac nudasti? vt assiduè mœream, & lugeam ob inimicorum opprobria, cędentes enim me, & plagis, & vinculis ossa mea conterentes, irridentes, dicentes, Vbi est Deus tuus? ob tuam imbecillitatem hæc me pati suspicantur. Hoc autem, Oblitus es mei, hoc est, Tui auxilij me compotem non fecisti: obliuio enim humana affectio est: proprium autem Dei est, sine affectionibus esse.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.

Ne desperes inquit, ò anima salutem; habes enim Deum Saluatorem, cuius spem firmam habens, extingue mœrorem, & accipe consolationem.

Psalmi XLII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. Sine titulo est ad Hebræos.

Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me.

Sine titulo est apud Hebræos Psalmus hic, tanquam eundem sensum habens, quem habet Psalmus proximè præcedens. Obsecrãt autem Deum ij, qui superius verba fecerunt, vt iudex sit inter ipsos, & Babylonios, qui multa crudelitate, & ferina sententia vsi sunt. Idcirco ipsos, gentem non sanctam nominat, atque etiam eorum Regem, hominem dolosum & iniquum. Hæc etiam de ipso vaticinatio admirabilis Danielis edocet.

Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Eadem rursus preces afferunt, obsecrantes, vt ab hostium acerbitate liberentur, propter quam tristes, & mœsti semper erant. Hoc autem *Quare*, non tanquam increpantes dicunt, sed tanquam ipsi participes fuerint aliorum transgressionis, & cum illis destituti sint diuina prouidentia, communem tamen pro omnibus obsecrationem contexunt.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctũ tuum, & in tabernacula tua.

Hoc in loco Septuaginta tempus mutarunt, & futura tanquam præterita dixerunt. Porrò alij magis dilucidè interpretationem fecerunt, Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, quæ deducent me, & adducét in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Diuina ope perfrui supplico, per hanc enim fieri potest, vt à durissima seruitute liberer, & in paternam terram reuertar, & in consecrato templo consuetum cultũ afferam. *Tabernacula* enim, Dei templum nominauit: *Montem* verò *Sanctum*, Sionem: *Lucem* autem, & *Veritatem*, Iustum & salutarẽ Dei conspectum. Nam quemadmodum tenebras, calamitates nuncupat, sic lucem ab his liberationem. Cæterùm veritatem cum luce postulant, tanquàm expetẽtes, vt Deus iudicet ipsos, & Babylonios, & manifestò scientes, Deum veritate, & non patientia vtentem, illos quidem condemnaturum, ipsos verò ab illorum seruitute liberaturum esse.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.

Hoc Symmachus sic interpretatus est, Vt veniam ad altare Dei, ad Deum lætitiam voluptatis meæ, & confitebor tibi in psalterio Deus Deus meus. Cupio autem reditum inquit, desiderans optatissimum tuum altare videre, vt per illud te Dominũ intuear, qui omnis generis lętitiæ & voluptatis ansas mihi præbes, illic verò cum cithara solitas hymnorum cantilenas faciam: Babyloni enim in salicibus suspendimus

organa

organa nostra, existimantes transgressionẽ legis esse, si extra tuum locum te colere mus.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.

Hic manifestum est, vtrosque psalmos eundem sensum habere. Qui his sermonibus vsi sunt; se ipsos adhortantur, vt optimam spem habeant & vincant mœroris affectionem, atque à Deo salutem expectent, tanquàm sine vlla dubitatione concedendam.

Psalmi XLIII. Interpretatio.

In Finem. Filijs Chorę. In intelligentiam.

Hic etiam psalmus futurarum rerum prędictionem habens; finem expectare adhortatur. Apponitur autem inscriptioni, In intelligentiam, vt illi intelligentes ea, quę scripta sunt, de quibus propheticus sermo vaticinatur, hinc vtilitatem reportent. prædicit autem psalmus Macedonicam crudelitatem, illustrisque Antiochi impium, & ferinum animum, atque Macabæorum fortitudinem, & pietatem. Nam beatus Mattathias & beatissimus cùm hoc psalmo sæpius ob diuinum amorem cum filijs vsus esset, vicit infinitos Macedones, multitudinemq; Elephantum cùm imbecilles reputasset, tanquam diuina gratia destitutos cum paucis contra hos bella gessit, cumq; Idolorum altaria reuulsisset, diuinum templum purgauit, & vsitatũ cultum suis gentibus restituit. non modò autem ipse, verùm etiã huius filij post ipsius obitum deprecantes, hostes in fugã vertebant, & diuinam opem consequentes erigebant trophæa. Ex persona igitur illorum vaticinantis sermo dixit psalmum, præmonens quibus verbis in discriminibus eos vti conuenit.

1. Mac. 2.

Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Nos ò Domine non fuimus ipsi spectatores tuorum miraculorum, à nostris verò patribus didicimus, quot miracula ea tempestate effecisti, promissiones nostris maioribus factas implens.

Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos, nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

Tu inquit, ò Domine Chananæos cum alijs gentibus hinc exegisti, & patres nostros pro illis habitare fecisti. nec enim robori fidentes, nec armis vtentes, his superiores redditi fuerunt, verùm à tua gratia in exercitum deducti, hos quidem confixerunt, hos verò seruire coegerunt, quoniam tua familiaritate illos dignos fecisti. hoc enim dixit, Complacuisti in eis. *Dexteram*, nuncupat Auxilium: *Illuminationem vultus*, Conspectum.

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.

Idẽ es ait, & nunc Domine similiter regnans, similiter potens, eandem potentiã habens: tua verò natura nullam recipit mutationem. Satis est tibi, & verbum in salutem, annue, & hanc pŏpulus consequetur. Sic Symmachus interpretatus est, Manda de salute Iacob.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.

Animalia cornuta arma cornua à natura acceperunt, nos verò cornua salutis, victriciaque arma tuum nomen habemus, & hoc vtentes, hostes superabimus.

Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me: Saluasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti.

Nec enim arcubus, nec alijs telis confido: periculum enim de tua potentia feci, cùm per te hostes iam expugnauerim.

In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in seculum.

Deprecamur autem semper, vt tuum auxiliũ consequamur, vtq; continuè tuorum beneficiorum multitudinem enarremus. Hoc enim *Tota die*, pro Semper posuit. Nam Symmachus sic explanauit: pro enim Tota die, Per omnem diẽ, posuit.

Nunc autem repulisti, & confudisti nos, & nõ egredieris Deus in virtutibus nostris.

Hæc igitur superioribus temporibus à te facta fuere: quoniam in præsentia tua prouidentia destituti sumus, & in pudore degimus, à tuaque gratia minimè deducti sumus. Hoc enim, Non egredieris in virtutibus nostris, videlicet, non dux eris nostri exercitus, inimicorumque victoriam non præbuisti nobis, vt solebas.

Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos, diripiebant sibi.

Nam tuam prouidentiam non consequentes, nos quidem terga dantes, aufugimus: depopulantur verò hostes res nostras.

Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos.

Porrò vt oues pastore destitutæ à tuis inimicis consumimur, & qui mortẽ declinauimus, huc & illuc agitati seruire cogimur.

Vendidisti populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Hoc Symmachus sic explanauit, Vendidisti populum tuum sine substantia, non multum pretium illorum fecisti. Hæc per Vatem Esaiã inquit, Deus inquit, Quid est hic liber repudij? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Et rursus, Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. & diuinus Apostolus, Scimꝰ enim, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Ethic igitur admirabiles viri dicunt, Quoniam cùm nullum pretium ab hostibus recepisses, vendidisti nos, verùm ob peccata tradidisti.

Esa. 50.

Esa. 52.

Ad Rom. 7.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

Vicinos in circuitu incolentes, alienigenas vocat, Idumæos, & Moabitas, & Ammanitas, &

alios finitimos, quibus ludibrio facti sunt bello petiti.

Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.

Maxima discrimina & narrantes, & audientes, capita mouere solemus, ob stuporem hoc facere coacti. Solemus etiam cruciatus cruciatui comparare, & dicere, talia illum passum fuisse, qualia illum: hoc & in hoc loco deplorant, Quoniam hominibus similitudo facti sumus, qui capita propter nos mouent, hi quidem lætantes, hi verò excessum eorum, quæ acciderunt, admirantes.

Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me, à voce exprobrantis, & obloquentis, à facie inimici, & persequentis.

Cùm autem hos quidem bellum gerentes, hos verò deridentes, & illudentes perspexerim; verecundia impleor, & totum diem doleo. Deinde, qui Antiochi laqueos subterfugerunt, & qui impietatis retia transilierunt, propriam virtutem narrant.

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, & non recessit retro cor nostrum.

Porrò à tot periculis obruti, tuorum mandatorum minimè obliti sumus, nec tuâ legem transgredi ausi sumus, neque à pristino proposito destitimus.

Et declinasti semitas nostras à via tua, quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.

Hęc clausula, Declinasti semitas nostras à via tua, Symmachus ita explanauit, Non declinatà sunt à via tua ea, quæ dirigunt nos. Vt autem opinionem Septuaginta interpretemur, sic intelligendum est, Multis inquit, & omnis generis malis nos circundedisti, quæ sufficientia fuerunt auertere nos à via tua, tradidisti verò nos in seruitutem impijs hominibus, qui crudelitate contra nos vsi sunt, & internecinas pœnas inflixerunt. *Vmbram* enim *Mortis*, Discrimina, quæ ad interitum ducunt, vócauit.

Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, Nónne Deus requiret istu? ipse enim nouit abscondita cordis, quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.

Hanc virtutem præ se tulerunt Macabæi, & socij Mattathiæ, & septem Iuuenes cum matre, & Eleazaro sacerdote, neque enim illecebris se demulceri passi sunt, neque supplicijs succubuerunt, sed verum Dei cultum intactum conseruarunt, & Idolorum cultum inuisum respuerũt, & hęc inquit, tu nosti Domine. Tibi enim non solùm res sunt manifestæ, sed etiam mentis motiones. Cæterùm notandum est, sermonem duas personas ostendisse, cùm enim dixisset, Nónne Deus requiret ista? Ipse enim nouit abscondita cordis, subdidit, Quoniam propter te mortificamur tota die. hãc pronominis mutationem Hebræus habet, & cæteri explanatores posuerunt.

Exurge quare obdormis Domine? exurge ne repellas in finem.

Somnum, Patientiam vocat. quemadmodum enim qui dormit, non sentit ea, quæ fiunt; in idem incidit homo patiens, cùm iniuria afficitur, & conuicijs lacessitur, exurgendi actũ, motum in vindictam nominat. Deinde eadẽ rursus aliter narrat.

Quare faciem tuam auertis, obliuiscéris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?

Despicis inquit, Domine ea, quæ contra nos patrantur, & similis es auersanti, & non respicienti, sed oblito, & hac de causa non curanti nos verò egemus, auxilij diuitias non habentes.

Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, & conglutinatus est in terra venter noster.

Vsque ad terrã ipsam inflexi sumus, vt venter noster ipsi terræ adhæserit. per hæc autem multam humilitatem ostendit, hostiumq; potentiam.

Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.

Propterea obsecramus te Domine, vt appareas, nostras calamitates finias, vtque inimicis præstantiores nos reddas. Cęterùm omnia hęc spiritus sancti gratia prædixit, docens eos, qui futuri erãt in illis grauioribus rebus, vt ea, quæ acciderent, viriliter ferant, & à Deo vniuersorum liberationem ab his postulent. Quemadmodũ iam admirabiles illi viri fecerunt: nam verbis Deum placarunt, & ab ipso in exercitũ deducti; hostes profligarunt, & pristinam libertatem suis gentibus conciliarunt.

Psalmi XLIIII. Interpretatio.

In Finem. Pro his, quimutabuntur. Filijs Chorę. Canticum pro Dilecto.

Cùm molesta diuinum oraculum prædixisset in proximè præcedenti psalmo; iucunda deinceps vaticinatur, mœrentes consolans, & edocens eos victuros, & in victoria perseueraturos, auxiliumq; à Deo consecuturos, quousque dilectus filius ex ipsis secundum carnem exoriretur, atque mutationem illam nouam gentibus tractabit. *Dilectum* enim, Dei filium vocat. Sic enim diuinus Esaias ait, Vinea facta est dilecto in cornu in loco vberi. Hoc & ipse pater in filium prædicauit, Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui. hic per sanctũ baptisma gentibus mutationem donauit. De his autem psalmus prædicit, quos adhortatur, vt patrios Deos obliuiscantur, & verum Deum verè laudent. Porrò eos, qui mutãdi sunt, Flores, Symmachus vocauit, Aquila verò, & Theodotion, Lilia. Flores autem, & Lilia ver producit. Spiritus verò ver, Saluatoris est aduentus, in quo lætata est, (secundum Esaiæ vaticinationem) antiqua solitudo, & floruit vt liliũ. De his præsens vaticinatio prædicit, omnium Satorem & Agricolam tacitè ostendens, qui solitudinem permutauit, reddens fœcundam.

Esa. 5.

Matth. 3.

Esa. 35.

Eructauit cor meum verbum bonum.

Nam spiritus verbis nutritus, tales ructus emitto, & talia verba effundo.

Dico

Dico opera mea Regi.

Quem titulus dilectum vocauit, psalmi exordium Regem nuncupat: opera verò vaticinationis verus sermo est, qui futura prædicit. Inquit igitur se de ipso Rege verba facere. & docens, non humanis, verùm diuinis verbis vsum esse, subdidit.

Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

Nihil ait, proprium loquor, neque meę mentis partus affero, alius verò efficaciæ lingua ministra est, & ipsa quidem calamum imitatur, gratia verò spiritus velocem scribam, per hanc, quæ vult scribens. Sic Vates cùm tacitè demonstrasset eum, de quo loquitur, ita incipit vaticinationem.

Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Tu, inquit, quem Regem nominaui, quem per inscriptionem dilectum appellaui, pulchritudine quidem hominum naturam superas: sapientiæ verò fontes per linguam profundis, & hos non mutabiles, sed perennes habes. Sciendum est autem Vatis sermonem non diuinas res sed humanas Domini Christi demonstrasse: non enim hominibus Deum verbum comparasset, neque hunc à Deo benedictionem accepisse dixisset. hic enim abyssus bonorum est, benedictionem fidelibus effundens. Res humanas igitur domini Christi per hęc verba præ dixit. Cæterum nemo suspicetur, Prophetas sibi inuicem contradixisse, Eláiam audiens exclamantem, Vidimus ipsum, & non habebat neque speciem, neq; pulchritudinem, sed speciem eius despecta deniciens præ filijs hominũ. Illa enim crucem, & cruciatus prædicunt, quæ violentia, & contumelijs referta sunt, idcirco subiunxit Propheta, Homo cùm in plaga esset, & sciens ferre infirmitatem, vituperatus est, & non reputatus est, & alia, quæ sequuntur, quæ crucem indicant. Psalmus autem eius pulchritudinem vocat, non corporis, sed virtutis, & totius iustitiæ, quæ non admisit labem peccati, sed fuit omnis maculæ expers.

Esa. 53.

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua. Intende, prospere procede, & regna.

Cùm descripsisset speciem; sapientiam, potentiam, & arma ostendit, quibus vsus aduersarios profligauit, & edocet nos rem omnium maximè admirabilem. Speciem enim eius, & arma, & potentiam declarat, Accingere enim inquit, gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua. & cùm dixisset, Intende, prospere procede, & regna, actutum subiunxit.

Propter veritatem, mansuetudinem, & iustitiam.

Manifestò per hęc docens veritatem, & mansuetudinem & iustitiam esse eius pulchritudinem, potentiam, arma, & victoriam, licet autem ipsum Dominum audire, dicentem, Discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animis vestris. Et rursus, Ego sum via, veritas, & vita. & ad diuinum Ioannẽ, Sine modò, sic enim conuenit nos implere omnem iustitiam. Per hæc Dæmonis tyrannidẽ euertit, & mortem dissoluit, & his, qui crediderunt salutem largitus est.

Matth. 11.

Ioan. 14.

Matth. 3.

Et deducet te mirabilis dextera tua.

Postquã gladij meminit; iure dexteræ mentionem fecit. Dextera verò eius, dextera consilia, quibus vsus, peccati impetum non est passus.

Sagittæ tuæ acutæ potentissime, populi sub te cadent in corde inimicorum Regis.

Ordo verborum perplexus est. dicit autem sic, tu acutis sagittis contra hostes vtendo, illos quidem rectè iaculando configes, & eorum cor vulnerabis, populos verò ab illis tyrannide oppressos, tuum cultum docebis. Sagittæ enim tuæ acutæ, ò Potentissime in corde inimicorum Regis, his autem confixis, Populi sub te cadent, debitum honorem tibi afferentes. cùm per hæc diuinum oraculum ea, quę post humanitatem acciderunt prædixisset, post hæc naturam Dei Verbi, qui humanitatem suscepit, edocet.

Sedes tua in seculum seculi, virga æquitatis, virga regni tui.

Quoniam ea, quæ superius dicta sunt, inferiora diuina dignitate fuerunt, Speciosus forma præ filijs hominum, propterea benedixit te Deus in æternum; meritò per hæc edocet Deũ esse, & æternum Regem, qui nec principium accepit, nec finem acceperus est. hoc autem declarat *In seculum*: Idcirco & Symmachus, æternum ipsum dixit, Thronus tuus Deus æternus. Cæterùm regni iustitiam etiã edocet, Virga enim æquitatis, virga regni tui. Deinde rursus ea, quæ ad humanitatem spectant persequitur.

Dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Vel secundum Symmachum, Præ socijs tuis. Participes autem eius & socij, & fratres secundum humanitatem, sunt credentes. Sic & diuinus Apostolus inquit, Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem, firmum retineamus. Et rursus, Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. eodem modò sancto spiritu vnctus est, non vt Deus, verùm vt homo. vt enim Deus spiritum habet eiusdem substantiæ, vt homo autem, veluti quandam vnctionem, cœlestis spiritus dona accipit. Eodem modo etiam, Dilexit iustitiam, & odit iniquitatem. Nam hæc ad nostræ mentis electionem pertinent, nõ ad naturalem potentiam: vt autem Deus, virgam æquitatis, & virgam regni habet.

Ad Heb. 3.

Ad Rom. 8.

Myrrha, & Gutta, & Casia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.

Gutta est pinguissimus ille liquor, prouentens ex myrrhæ expressa.

Porrò pro *Domibus eburneis*, Aquila, & Symmachus, A templis eburneis dixerunt. *Vestem* autem; eius corpus vocat, quemadmodum & diuinus Apostolus in epistola ad Hebræos velamen hoc nuncupat, Habentes enim ait, fiduciam Fratres in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen eius, id est carnem suam.

Cap. 10.

suam. *Myrrham* verò nominat Crucẽ, ipsa enim mortuis potissimum affertur. *Guttam* autem & *Casiam*, Suauem odorem, qui è cruce exhalat. *Domos eburneas*, vel secundum Symmachum, & Aquilam *Templa eburnea*, Pulcherrimas, & splendidas ecclesias, quas Principes, & Reges vbique per orbem, & mare erexerunt. prædicit igitur corpus cruciatibus affectum fuisse, & odoris suauitate totum orbem impleturum, adeò vt populi, qui olim errabant, templa ipsi erigant, quæ pulcherrimè elaborata erunt, & regio ornamento micabunt. Cùm autem de Ecclesijs vaticinationem fecisset, quæ thalamorum, & nuptialis cubiculi ordinem continet; meritò sponsæ ornamentum narrat, & speciem, & genus, congruentem admonitionem ipsi affert.

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate.

Cùm per hæc magnificentiam ornamenti, & eius eximium honorem ostendisset, cùm Reginam appellasset, & à dextra talis Regis collocasset; consulit, & commonefacit ea, quæ decent.

Audi filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.

Porrò hæc nequaquam Iudæis congruunt, qui ob maiorum pietatem efferuntur, propter quos plurimum gratiæ consecuti sunt: quandoquidem Iudæos iubet, vt parentum pietatem prosequantur, & minimè adhortatur, vt maiorum obliuiscantur: gentium autem ecclesia parentes, & maiores Idolis seruiẽtes habuit. Idcirco consulit, ne vllum vestigium paternæ consuetudinis in memoria derelinquat, & filiã ipsam nominat, eò quòd accepit spiritum sanctum, veluti quandam spiritus regenerationẽ. promittit autem ipsi mandata custodienti Regis amorem, inquit enim,

Et concupiscet Rex decorem tuum.

Deinde eius naturam, & Regis dignitatem edocet.

Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabis eum. Et filia Tyri in muneribus.

Alij quidem tres Interpretes voluerunt, vt ipsa filia adoraret. Sanè Aquila, & Theodotion sic exposuerũt, Et adorato ipsum: Symmachus verò sic, Ipse enim Dominus tuus, & adora ipsum. Septuaginta autem, docent Reginam, nõ ipsum esse solum Dominum sponsum, sed etiã eos, qui contradicere audent, cuiusmodi sunt filiæ Tyri, dona allaturos, & seruitutem ostensuros: per istos autem totam innuit impietatẽ: mos est enim scripturę sacræ à parte totum demonstrare. sic alibi per Libanum, omnem superstitionis cessationem prædicit, Nam Libanus inquit, cũ excelsis cadet. Porrò in sequentibus de pluribus mentionem facit.

Vultum tuum deprecabuntur diuites plebis.

Vultus autem Ecclesiæ, propriè quidem ipse dominus est, etenim caput est corporis: siquidem ipsum ait, dedit caput super omnia Ecclesiæ. Deinde sacerdotum ordo, veluti quædam facies est Ecclesiæ, tanquam maioris spiritus dignitate exornatus. Cæterùm licet videre huius Vaticinationis euentum: quandoquidem homines diuitijs affluentes, & maximarum dignitatum prærogatiuam habentes, honorant Ecclesiæ faciem, quæ dicitur. Quoniã autem dixit Reginam vestitu deaurato indutam esse, sumptuosa verò indumenta decorant virtutis athletas, & ideo huiusmodi vestibus vtuntur; meritò exornationis pompam interpretatur.

Omnis gloria filiæ Regis intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.

Intus inquit, habet virtutis decorem, & varijs spiritus sancti gratijs effulget. Quoniam enim diuersæ sunt diuini spiritus vires; (nam diuisiones gratiarum sunt, sed idem est spiritus, & huic quidem per spiritum datus sermo sapientiæ, alij autem scientiæ, secundum eundem spiritum, alij verò data est fides in eodem spiritu, alij Vaticinatio, alij genera linguarum, ex multis autem hominibus, qui varia spiritus dona acceperunt, Ecclesia conflata est) meritò fimbrijs ar eis comparat gratiarum diuisionem: Fimbriæ autem à se inuicem diuisæ sunt, & rursus coniunguntur, quippe quæ ex eadem stola dependent. *Ad Cor. 1. cap. 12.*

Adducentur Regi virgines post eã, proximæ ipsam afferentur tibi, afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis.

Quoniam enim non omnes summam habent perfectionem, alios quidem vocat sponsam, vt qui sunt omnibus numeris absoluti, alios verò vocat virgines, eò quòd quam acceperunt fidem, synceram conseruarunt. Dicit tamen etiã has pedissequas esse Reginæ, atque in regale templum simul cum ipsa ingredi. Hanc differentiam docuit nos Christus in sacris Euangelijs dicens, Multæ mansiones apud patrẽ meũ. Consonantia dixit etiam beatus Paulus, Quoniam enim per hominẽ mors, & per hominem resurrectio mortuorum: sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes reuiuiscent, vnusquisque autem in suo ordine. *Ioan. 13.* *1. Cor. 15.*

Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.

Dicant Iudęi, quos nam habuerint filios; qui toti terræ imperauerint? certè hoc ostendere non possent: neque enim imperarunt, neque imperant, sed extremam seruitutem seruiunt. diuini autem Apostoli cùm patres habuerint Patriarchas, terræ mariq; etiam post mortem dominantur, veluti quidam Principes & Duces à Christo omnium Rege constituti, & qui post illos secuti sunt, quos qui vellet Ecclesiæ filios nominare, non erraret, illi inquam triumphatores martyres præfecti sunt, vt idem imperium gubernent, & omnes homines habeant subditos, hos quidem amore hoc vltrò facientes, illos verò timore coactos.

Memor ero nominis tui in omni generatione, & generatione: Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.

Cùm hæc psalmorũ Conditor prædixisset, pollicetur quolibet seculo per homines pios, qui pro tempore erunt, diuinum nomen celebrare. sic enim tres Interpretes reddiderunt, Cantabo nomen tuum quolibet seculo, propterea

populi celebrabunt te in seculum semper. Vtentes enim carminibus à me compositis omnes populi, qui vbique terrarum habitant, & per hæc carmina salutem ipsis concessam, & multò antè prædictam discentes, te beneficij auctorem, & bonorum largitorem concelebrant.

Psalmi XLV. Interpretatio.

In finem. Pro filijs Chorę. Super occultis.

Quæ post longi temporis seriẽ futura sunt, hinc Vaticinantis sermo prædicens, rursus In Finem inscripsit psalmum, admonens, vt prædictionis finem expectemus. Præcinit autem impetus, qui contra ecclesias facti fuerunt, & auxilium, quod postea è cœlo allatum est, & pacem, de qua nunc agitur. Sciendum tamen est nonnullos suspicatos esse præsentem psalmum in Gog & Magog compositum esse: aliqui verò in Achaz, & Phacee: alij autem in Ezechiam, & Assyrium. Verùm interpretatio singulatim ostendet (Deo duce) sensum psalmi nemini è supradictis viris conuenire.

Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Superior psalmus cùm prædixisset ecclesiam ex impijs gentibus conflandã esse, & reginam fore, cumq; ostendisset ipsius filios totius orbis Principes futuros; declarat hic tumultus, qui in principio prædicationis facti sunt, consurgentibus obtrectatoribus, & cum viris fidelibus pugnantibus. Deinde describit verbis, quo pacto multitudo eorum, qui persecutionem patiebantur, freta & munita spe diuina irruentes procellas despectura sit: habentes enim pro inexpugnabili vallo Deum omnium Conditorem, afflictiones quascunque minimè sentimus.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.

Eiusmodi quædam & diuinus prædixit Esaias, Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt obliqua in rectam, & aspera in vias planas. & vallem quidem vocat vacuas, & humiles gentes altitudine priuatas, quas quidem sermone doctrinę implendas esse vaticinatur. Montes verò & colles, nominauit Dæmonum delubra, & illorum varias fallacesq; vires deprimendas esse, & obscuras omnino fore prædixit. Quapropter etiam hic Vaticinantis sermo demonstrat eos, qui Saluatori crediderunt, vociferari, nos nullam timoris tempestatẽ nostris animis admissuros, cùm videbimus terram turbari, & in abyssum Dæmones expelli, conantes vincere homines ab ipsis afflatos. Prædicit autem in eandem sententiam Vaticinantis sermo impietatem immundorum spirituum, quæ antiquitus dominabatur, vanam fore, tanquam ad quandam abyssum demersam, licet prius imitata fuerit montium altitudinem, & plurimũ roboris per orbem terrarum obtinuerit. *Esa. cap. 40.*

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius.

Docet autẽ nos etiam Actuũ historia, quemadmodum sacris Apostolis terram obeuntibus ciuitates tempestate & tumultu implebantur. etenim in Epheso Demetrius totã vrbem commouit: & hoc idem in Lystris & Derba accidit. & rursus inter Philippenses, & in Thessalonica, & Athenis, & Corintho hoc euenit, fallacibus spiritibus has vndas excitantibus. Ab his quidam agitati, contra sacros Apostolos clamabant, Qui igitur terrã conturbarunt, hi etiam hîc adsunt. Hæc & beatus Habacuc prædixit, Viam enim, inquit, fecisti in mari equis tuis, turbantibus aquas multas. Equos autem appellauit sacros Apostolos, vt qui diuitum vehiculum facti sunt: etenim cùm super ipsis Dominus veheretur; multa & varia impietatis dogmata, veluti quasdam aquas diffipauit. Dicit igitur etiam hic Vaticinantis sermo aquas tem pestatem recepisse, sicut etiam montes terræmotus passi sunt, cùm euangelij prædicatio circumferretur. Hoc autem in loco, *Montes*, Dæmonum agmen nominauit, ob superbiæ fastũ, & insolentiæ fastigium. *Aquas* verò, hominum sententias, quæ aquarum more, huc & illuc facilè feruntur, & à fallacibus spiritibus circundantur. *Habac. in eius oratione.*

Fluminis impetus lætificant ciuitatem Dei.

Fluuium hic, Euangelicam prædicationem nuncupauit. *Ciuitatem* verò, Piorum statum, qui fluuij fluxibus irrigatur, vt fructus ferat. Hoc magis dilucidè tres Interpretes exposuerunt, Fluuij diuisiones lætificant ciuitatẽ Dei. Sicut enim Paradisi fons in quatuor flumina diuisus est, eodem modo hic Dei fluuius infinitos habuit, & innumerabiles riuos, qui percurrerunt omnes hominum gentes. Hic enim cucurrit ad Indos, Hic verò ad Hispanos, Ille verò Aegyptum, Hic Græciam occupauit, & alijs quidem commissum fuit, vt Iudæa irrigarent, Alij autem Syriam, & Ciliciam, Nonnullis verò aliarum gentium cultura mandata est, & hoc quidẽ beatus prædixit Habacuc, fluuios enim, inquit, scindes terræ, hoc est diuidetur per riuos terra, recipiens magni fluuios fluxus: nam huius diuisiones, fluuios nuncupauit. *Habac. 3.* *supra.*

Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.

Quam vocauit ciuitatem, hanc nominauit tabernaculũ. Inhabitabo enim inquit, in ipsis, & inambulabo, & ero illorũ Deus, & ipsi erunt mihi populus, dicit Dominus omnipotẽs. eosdem igitur inquit irrigari, & sanctos reddi à Deo omnium Conditore. *2. Cor. ca. 6.*

Deus in medio eius & non commouebitur.

Hoc & Dominus in sacris Euangelijs promisit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et, Vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum. *Matt. ca. 28.* *Matt. ca. 18.*

Adiuuabit eam Deus mane diluculo.

Celerem, ait, & velocem suæ ciuitati opem feret vniuersitatis Dominus. Nam *Mane diluculo*, Celeriter, & Velociter dixit.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinatæ sunt regna, dedit vocem suam, & mota est terra.

Cùm ait, diuinum auxilium apparuisset; terga ho-

ga hostes dederunt, & antiqua regna aduersantia ceruices declinarunt,& salutare iugum susceperunt. Cùm enim Deus veritate, rerumq; testimonio, & omnis generis miraculis, veluti quadam voce vsus esset, propriam altitudinem hominibus ostendit, & timore eorum animos impleuit.

Dominus Deus virtutum susceptor noster Deus Iacob.

Superiores igitur inimicis facti sumus, adiutorem habentes cœlestium potentiarum Dominum, qui Iacob bello petitum hostibus potentiorem reddidit, atque ab Esau, & Laban insidijs liberauit. De Iacob autem non frustra diuinum oraculum mentionem fecit,sed quoniam ille primus gentium vocationem prædixit, Non auferetur enim inquit, sceptrum de Iuda,& Dux de femore eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. Cæterùm hîc etiam gentium mutationem vaticinans, meritò Deum Iacob, qui hæc prædixit,hæc effecisse inquit.

Gen. cap. 31. & 33.

Gen. cap. 49.

Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ. arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni: vacate, & videte, quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Hoc igitur meum robur ò homines cùm videritis, cumque frequentem rerum mutationem intuiti fueritis,& à maximis fluctib⁹ tranquillitatem factam,& belli cessationem, atque pacis donum; discite à rebus ipsis me vniuersorum Dominum esse, & omnium opificem, non tantùm Iudæis, sed etiam gentibus omnibus potentiæ celsitudinẽ ostendentem. Cùm Apostolorũ chorus hunc sermonem audisset, contra aduersarios canens exclamat.

Dominus Deus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.

Dicant igitur, qui ceperunt psalmũ in Gog, vel qui dictitarũt hunc Achaz congruere,quomodo illis historijs hæc clausula quadret, Auferens bella vsque ad finem terræ? Non enim eorum tempestate omnia bella sedauit, sed regnantibus Gog & Magog sola Palestina pace perfruita est. Achaz verò tempore, nec tota Palestina,sed sola Tribus Iuda: nam Phacee filius Romeliæ Assyriorum impetum passus est. In aduentu autem Domini Christi Vaticinatio euentum habuit. Primùm quidem Tetrarchiæ, & mediocria Regna euersa fuerunt, ob quæ homines nec modica quidem pace fruebantur,verùm omnis ciuitas in armis erat,perhorrescens impetus,qui derepente fiebant. Cæterùm tempestate Saluatoris nostri Christi, cùm Romanorum Imperium singula regna expugnasset; omnium hominum aures Euangelij præconib⁹ accommodauit, nullo timore enim veluti in vno Regno percurrerunt, salutaremque doctrinam hominibus attulerunt: secundum historiam quidem sic accidit, Auferens bella vsque ad finem terræ,& arcum conteret, & confringet arma, & scuta cõburet igni. Porrò si quis per figuram hæc intelligere velit, videbit belli contra ecclesiam cessationem, pacemq; à Deo hominibus allatam,atque Vaticinationis euentum contemplabitur.

Psalmi XLVI. Interpretatio.

In Finem. Pro filijs Choræ.

Hic etiam psalmus omnium gentium salutem prædicit, atque contra hostes victoriam vaticinatur.

Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.

Diuinum quidem oraculum hæc prædixit, tacitè verò Apostolorum chorum ostendit,qui omnes gentes ad hymnos canendos adhortatur. Proprium autem victoriæ est plausus,& iubilum vincentium est vox. Sensus igitur huius psalmi superiori congruit. etenim ille post tempestatem,& tumultus nunciatam pacem prædixit. & hic similiter eos,qui victoriam consecuti sunt, vt hymnum victoriæ largitori afferant cohortatur: quandoquidem inquit,excelsus,& terribilis Rex omnibus vobis demonstratus est. & hæc quidem Iudæis tantùm olim nota erant, in præsentia verò toti hominum naturæ aperta sunt.

Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob, quam dilexit.

Pro Populis,Reges Symmachus dixit.& pro Specie Iacob, Aquila Excellentiã Iacob. Apostolorum igitur chorus dicit par esse nos exultantes & tripudiantes, triumphalem hymnũ Deo omnium Conditori afferre, qui Reges nobis subiecit, & omnium gentium principatum nobis donauit.& ad hęc,speciem & splendorem Iacob nobis in manus tradidit: non enim omnes Iudæos, qui vocantur Iacob, sed pulchritudinem Iacob, & præstantiam, excellentiam Iacob, eos inquam, qui fide ornati sunt, qui sine vllo timore prædicationem susceperunt, qui bonum Saluatoris iugum subierunt,hos dico,& elegit, & dilexit, Apostolatusque gubernacula credidit. Cæterùm vaticinationis euentus oculis perspici potest: licet enim videre eos,qui ex omnibus gentibus crediderunt, ante Apostolorum sepulchra supplices prosterni, & illum pusillum puluerem cum multo desiderio honorare,vt secundum ipsius Dauidis vaticinationem videant, & psallant eum,qui subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.

Cùm autem omnia hæc,inquit,Dominus fecisset, primùm quidem humanitatem accepit, hostisque tyrannidem euertit,deinde in cœlos assumptus est, cœlestibus potentijs præeuntibus,& Angelorum choris, his quidẽ deorsum clamantibus, Hic Iesus, qui assumptus est à vobis,sic veniet, quemadmodũ vidistis eum euntem in cœlum; his verò sursum adhortantibus, Tollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. has enim voces, iubilum tubæque clangorem vocauit, vt illa, quæ per totum orbem terrarum percurrit.

Actu. Apost. cap. 6.

Psal. 23.

Psallite Deo nostro psallite, psallite Regi nostro psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam.

Honorate igitur vniuersorum Imperatorem hymnis canendis,& cœlestibus tripudijs,quandoquidem proprium imperium omnibus hominibus ostendit, omnibusque gentibus persuasit, se Deum & Dominum esse, in regalibus sedibus sedentem. Hoc autem, Deus sedet super sedem sanctam suam, Apostoli sententiæ quadrat, Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Porrò, *Psallite sapienter*, præclarè posuit, docens non sola lingua hymnos proferendos esse,verùm etiam mentem in eorum, quæ dicuntur,intelligentiam excitandam.

Ad Hebr. ca. 1.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dei fortes vehementer super terram eleuati sunt.

Promissiones, inquit, quæ patriarchæ Abrahæ factæ fuerunt, suum finem sortitæ sunt. Atqui Dominus omnium rerum autor in semine eius gentes benedicturum esse promisit. Idcirco hæ gentes, & earum Principes paternos Deos derelinquentes cum Deo Abraham congregantur,& hunc proprium Deum nominant. Ministri autem vocationis harum gentium diuini Apostoli fuerunt,miraculis Theologiæ altitudinem firmantes. Hos nanque Septuaginta, Fortes nuncuparunt, Aquila verò, Scuta, Theodotion & Symmachus, Protectiones appellauit. In omnibus autem non solùm ostenditur eorum potentia nemini mortalium subiecta,& inexpugnabilis,sed etiã custodia,quam pro alijs fecerunt. Nam velut quædam scuta & propugnacula credentium facti, phalangem in calamitatum impetu infringere non siuerunt: verùm hostes conterendo adhortantur eiusdem fidei participes, vt Deum decantent, dicentes, Omnes gentes plaudite manibus,iubilate Deo in voce exultationis, quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram.

Psalmi XLVII. Interpretatio.

Psalmus Cantici. Filijs Chorę.

Et hic psalmus eodem modo eandem victoriam prædicit, atque Dei ciuitatis robur.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius.

Et iam supra diximus diuinam scripturam non ædificium,sed Reipublicæ statum, ciuitatem sæpe nominare: propterea & nunc asserit Dominum omnium Conditorem magnum ostensum esse per ea, quæ ab ipso circa eius ciuitatem facta sunt, quam insignem reddidit altitudo dogmatum,tanquam in edito, & excelso monte positam, Non potest (inquit Dominus) abscondi ciuitas supra montem posita.

Matth. 5.

Bene fundata in exultatione vniuersæ terræ.

Hanc autem,inquit,in lætitia vniuersæ terræ bene,& optimè, & solidè ædificauit. Aedificauit nanque ipsam(ait diuinus Apostolus) supra fundamentum Apostolorum,& Prophetarum, cùm sit petra angularis eius Christus Iesus. & ipse Dominus beato Petro inquit,Et super hãc petram ędificabo Ecclesiam meam,& portę Inferi non prævalebunt aduersus eam. Hoc igitur, *Bene fundata*, pro solidis fundamentis posuit,vt ipsa intrepida,& inconcussa permaneat.

Ad Heb. 2.

Matth. 16.

Montes Sion latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.

Atque etiam montibus ipsam circundedit, vt Aquilonis damnum declinet. Ab Aquilone enim inquit, accendentur mala supra omnem terram. Et rursus, Aquilonem expellam à vobis. Cæterùm Sionis nomen de cœlesti ciuitate diuinus Apostolus accepit, Accessistis enim, inquit, ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem. Montes autem, qui boream expellunt,& ciuitatem incolumem custodiunt,iure diceret quis, Apostolos, & Vates esse,& varias eorum doctrinas, & ad hæc Angelos credẽtibus prefectos. Immittit enim inquit, Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Ier. 1.

Ad Hebr. 12.

Psal. 33.

Deus in domibus eius cognoscetur, cùm suscipiet eam.

Vna quidem per totum orbem atque mare est Ecclesia, propterea orãtes dicimus,pro sancta & vnica catholica, & Apostolica Ecclesia, à finibus vsq; ad fines terrę. Rursus diuisa est ipsa per ciuitates,& oppida, & agros, quas diuinum oraculũ domos nuncupauit, quemadmodum quælibet ciuitas intus multas habet domos à se inuicem diuisas, & vna tamen ciuitas nominatur; sic infinitæ, & innumerabiles sunt Ecclesiæ in insulis, & in continenti: communiter autem omnes in vnam rediguntur ob consonantiam verorum dogmatum. In his asserit Deum vniuersitatis auctorem apparere, propriũ auxilium porrigentem: quãdoquidem Deus in domibus eius cognoscetur, cùm suscipiet eam. Deinde futuros impetus prædicit, hostiumque mutationem.

Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum, ipsi videntes sic admirati sunt.

Nam concurrerũt quidem tanquam bellum allaturi, conspicati verò inexpugnabile robur ecclesiæ bello petitæ,consternati sunt.

Conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores vt parturientis in spiritu vehementi conteres naues Tharsis.

Cùm inquit, perspexissent infracta ecclesiæ fundamenta, & discentes Vaticinationis veritatem; timuerunt, & horruerunt. Quemadmodum illi, qui maris terga transmittunt, & à fluctibus,& procellis agitati; extremam perniciem expectant. Hac de causa à bello, & ab incursionibus cessantes, ipsi potentiam eius,quæ oppugnabatur, prædicant,& exclamant,

Sicut audiuimus, sic vidimus, in ciuitate Domini virtutum in ciuitate Dei nostri.

Nam prædictiones de ipsi nolentes credere

per ipſum rerum euentum veritatem illarum vidimus.

Deus fundauit eam in æternum.

Matth. 16. Ipſius eſt vox, Et ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam. ſic cùm diuinum oraculum hoſtium mutationem demõſtraſſet; deinceps prædicit, quibus verbis ij, qui ſalutem conſecuti ſunt, vtentur beneficij auctorem laudantes.

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio populi tui.

Accipimus, inquit, hoc tuum auxilium ò Domine tuarum promiſsionum veritatem videntes: Tuenim dixiſti, Vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.

Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ.

Falſi Dei non habent potentiam appellationi reſpondentem: non enim ſunt, quod vocantur. Nomen autẽ tuum ò Domine opera ſequuntur, quæ appellationis veritatem prædicant. Idcirco iuſtè à toto orbe hymnus tibi affertur. vt enim omnium Deus eſt; ſic ab omnibus laudatur.

Iuſtitia plena eſt dextera tua.

Iuſta enim ſententia vſus; diſsipaſti hoſtes, qui contra nos conſurrexerunt.

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.

Montem Sionis vocauit eos, quibus Theologiæ altitudo commiſſa eſt. *Filias* autem *Iudæ*, nuncupauit Eccleſias, quæ per orbem terrarum ſunt, tanquam ab Apoſtolis fundatas, qui quidem ex Iudæis originem duxerunt. Admonet autem & Euangelij præcones, & auditores, vt lætentur, & exultent ob iuſta Dei iudicia, quibus vſus, orbis ſalutem tractauit.

Circundate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda veſtra in virtute eius, & diſtribuite domos eius.

Sionem rurſus vocat piorum Rempublicam, hoc eſt, Eccleſiam, quę per totum terrarum orbem eſt. *Turres* autem *Ipſius*, appellat homines ſumma virtute præditos, & Angelorum conditionem imitantes ſuper terram, qui turrium inſtar cingunt, & cuſtodiunt ipſam. *Domos* verò rurſus (vt iam ſuperius diximus) Eccleſias nominat, quæ per vrbes, & oppida, & agros diuiſæ ſunt: nam eandem & vnam vocat & multas. Iubet itaque diuinum oraculum, ſeu ſpiritus ſancti gratia, vt illi, quibus ſalutaris prædicatio credita eſt, circumeant, & concurſent, & turres doctrina ſtabiliant, & reliquam ipſius poteſtatem confirment, & inſuper diſtribuant eccleſiarum curam. Quod quidem in quadrageſimo quinto pſalmo diximus, hoc enim & hoc in loco iubet, Diſtribuite domos eius: Nimirum vt hic quidem hanc gubernet eccleſiam, ille verò illam, & cuilibet ſuus agricola præſit, & congruentem ipſius curam gerat. Et hoc non ſemel atque iterum, ſed omnibus ſeculis faciendum iubet, propterea ſubiunxit.

Vt enarretis in progenie altera. Quoniam hic eſt Deus Deus noſter in æternũ, ipſe paſcet nos in ſecula.

Oportet nanque, vt quodlibet ſeculum tradat ſequenti ſeculo ea, quæ nos accepimus à priori. Adeò vt in omnes ætates ſalutis præconium tranſmittatur, omnesque homines cognoſcant, hunc noſtrum eſſe & Deum & dominum, & paſtorem bonũ, & ſempiternum. Quia enim dixit, Diſtribuite domos ipſius, & paſcendi officium ipſis tradidit; neceſſariò docuit, vnum eſſe paſtorem bonum, qui animam ſuam poſuit pro ouibus, in æternum paſcens, & paſcens non modò oues, verùm etiam eos, qui ouium paſtores nuncupantur.

Pſalmi XLVIII. Interpretatio.

In Finem. Filijs Chorę, pſalmus.

Diuinus Apoſtolorum chorus iam admonuit gentes, vt triumphalem hymnum Deo afferrent. Et nunc ſimiliter eaſdem gẽtes hortatur, vt fidei virtutẽ vitæ adiungãt, & docet diuitiarum vanitatem, & mundi ſapientiæ inutilitatẽ. Prædicit autem, & futurum iudicium, & condignam remunerationem. Quocirca & In Finem pſalmus inſcriptus eſt, quippe qui totius vitæ finem prædicit.

Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.

Sanè omnibus manifeſtum eſt ſanctiſsimos Vates ſolis Iudæis doctrinam attuliſſe, ſed hoc in loco prophetica vox vniuerſam terram ad audientiam excitat. Hoc autem proprium eſt gratiæ Apoſtolicæ: ipſis enim dominus Chriſtus ſalutem omnium gentium commiſit, Euntes enim inquit, docete omnes gentes. Patet ergo eorum ſermones afferri non ſolùm Iudæis, neque hiſce, vel illis gentibus, ſed omni hominum generi. Matt. 28.

Et terrigenæ, & filij hominum.

Quidã *Terrigenas*, Adamum, & Euam nuncuparunt. tanquam ex terra effictos, non autem ex coitu natos. Sed hic ſermo non quadrat Eccleſiæ. etenim Apoſtoli non admonẽt eos, qui iam mortui ſunt, ſed illos, qui adhuc viuunt. Diuerſas itaque vitas tacitè innuit: aliqui enim vrbes incolunt: nonnulli agros, & villas, agriculturę ſtudentes. Et ex hominibus quidam ſunt manſuetiores: quidã agreſtiores: & hi quidem maiori cum ratione viuunt: hi verò ferino more ſolitudinem habitantes: aliqui verò Amaxobij nuncupantur, qui in curribus degunt: aliqui verò pro domibus, vtuntur vmbraculis. Hos puto terrigenas nominari, tanquam ciuilioris vitæ expertes. hoc eſt, vniuerſi homines ea, quæ dicuntur, audite. Nimirum Vrbani, & ſolitudinis incolæ, mãſuetiores, & agreſtiores, & communiter omnes, & ſigillatim. ſic enim & Symmachus interpretatus eſt. Nam pro Terrigenis, & Filijs hominum, Humanitatem dixit, & inſuper, Filij cuiuſlibet hominis: pro eo, quod eſt, communiter humana natura audiat, quæ dicuntur, & quilibet ſigillatim fructum percipiat.

Simul in vnum diues & pauper.

Simul & vos, qui diuitijs affluitis, & vos, qui pauperie preſsi eſtis, admonitionem accipite. Nam doctrina huius ſermonis inter diuitias, & paupertatem differentiam neſcit.

Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in pſalterio propoſitionem meam.

Verba, quæ à me afferuntur inquit, cum ſapientia ſunt. Qui autem verbis Domini, quæ in profundo demerſa ſunt, aurem accommodauit, didicit hæc. Quæ verò auribus percepi, hæc per linguæ inſtrumentum affero. Vult autem dicere, ſe nihil proprium loqui, verùm diuinæ gratiæ inſtrumentum eſſe. Porrò *Parabolas*, Sermones ęnigmate inuolutos appellat. Et enim cùm dominus per ſimilitudines turbis locutus eſſet, harum interpretationes domi Apoſtolis afferebat. Cùm hæc tanquam in exordio perſecutus eſſet, exorditur deinceps admonitionem.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circundabit me.

Timeo, & perhorreſco remunerationis diẽ, in quo iuſtus Iudex cuilibet ſecundum opera eius retribuet. Cauſa autem huius timoris mihi eſt iniqua vita, ob quam à recto tramite diuerti. *Calcaneum* enim aliqui quidem Vitæ iter nuncuparunt, ego verò opinor fraudem ſignificare, ex tranſlatione eorum, qui currunt, vt iam ſuperius diximus, qui calcaneo ſæpius aduerſarios deijciunt. Hoc & Eſau lugens docuit nos, Iuſtè enim inquit, vocatum eſt nomen eius Iacob, nam ſupplantauit me en altera vice, primogenita mea antè tulit, & nunc ſecundò ſurripuit benedictionem meam. Cæterùm *Diem malam*, Iudicij vocauit, ſecundum noſtrum ciuilem vſum: Quandoquidẽ diem malum multi nominare ſolent, quo accidit ipſis in aliquas calamitates incidere. ſic & diuinus Apoſtolus, Iudicij diem vocat, Secundum duritiam autem, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui retribuet cuilibet ſecundum opera ſua. Geneſ. 27. Rom. 2.

Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.

Ego quidem horreo, & contremiſco diem, qui expectatur, Vos verò, qui diuitijs affluitis, de illo die nullam geritis curam, & vos, qui efferimini ob diuitiarum ſuperbiam; confiditis rebus fluxis, & caducis, tanquam firmis, & ſtabilibus.

Frater non redimit, redimet homo, & non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ.

Sciendum vobis eſt, nec maiorum, nec fratrum pietatem, & virtutem his, qui pietate deſtituti ſunt, prodeſſe, nec poſt ex hac vita exceſſum per opes ſalus comparari poteſt: in preſenti enim vita pretium redemptionis (vt inquit Sapiens) propriæ diuitiæ ſunt. Cùm hoc conſiliũ his, qui opibus abuſi ſunt, attuliſſet, ad virtutis operarios ſermonẽ transfert, & inquit. Prouer. 13.

Et laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem, & non videbit interitum, cùm viderit ſapientes morientes.

Qui enim pro pietate, & iuſtitia ſudores ſuſtinuit, & pro ſempiternis bonis labores ſuſcepit; immortalem vitam, laborumque fructum habet, & non erit particeps cum huiuſmodi ſapientibus, (quos ſtultos Apoſtoli ſententia nominat) ſempiterni interitus, & æterni ſupplicij. 1. Cor. 15.

Simul inſipiens, & ſtultus peribunt.

Nam inquit, iſti, qui vocantur ſapientes, nullam ex hac ſapientia vtilitatem iuuenientes, eandem mortem ſubibunt, quam inſipientes: Sic enim Symmachus interpretatus eſt, Simul ſtultus, & inſipiens peribunt. & vocat quidem ſtultum eum, qui ſapiens vocatur, tanquam ille, qui quod decebat, ſcire noluit: Inſipientem verò eum, qui omnis ſapientiæ expers eſt, cum malitia tamen vitam degit.

Et relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulcra eorum, domus eorum in æternum: Tabernacula eorum in progenie, & progenie.

Non modò autẽ ſapientia, verùm etiam potentia, & omnibus opibus priuati; finem vitæ accipient, ab illuſtribus domibus, ſepulchris traditi, & hæc habitare ſemper coguntur.

Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.

Atqui inquit, ab eorum nominibus, eorum prędia nominabũtur, Illius enim eſt domus, Et illius eſt fundus, Et illius eſt ſeruus: Verùm cũ dominio nominum appellatio mutatur. Sicut enim res ab illis derelictæ ad nouos dominos tranſeunt, ſic etiam fiet nominum immutatio: rurſus enim ab his appellationes imponentur. Omnino autem hæc verba docent nos, ne ſpem in rebus præſentibus collocemus, verùm vt rerum futurarum curam geramus.

Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Porrò cauſam huius ſtultitię dicit eſſe, quòd nos proprium honorem intelligere nolumus, & dignitatem, quæ à Deo omnium conditore data eſt nobis, ſed iumentorum, ferarumq; vitam amplexi ſumus.

Hæc via illorum ſcandalum ipſis.

In temeritatem autem omnis rationis expertem inciderunt, cùm à principio malis moribus imbuti fuerint, cumq; ad peſsimas actiones diuerterint. *Viam* nanq;, Actiones nominauit.

Et poſtea in ore ſuo complacebunt.

Pœnitentia verò poſt ex hac vita exceſſum vtentur, nihil lucri deinceps hinc acquirentes.

Sicut oues in Inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.

Hoc magis dilucidè Symmachus explanauit, Sicut oues Inferorum conſtituerunt ſe ipſos, mors reget eos: quandoquidem ipſi ſupplicia ſibi ipſis aſciuerunt, & magis mortem, quàm vitam voluerunt.

Et dominabuntur eis iuſti in matutino, & auxilium eorum veteraſcet in Inferno, & à gloria eorum deiecti ſunt.

Qui verò nunc ab ipſis iniuria affecti ſunt, & deſpecti; poteſtatem contra ipſos habebunt paulò pòſt: nam omni priſtina felicitate ſpoliati, morti tradentur. Conſonat autem cum his Domini Chriſti ſimilitudo, Lazarũ quidem in Luc. 16. ſinu Abrahæ oſtendens, & ſuperbum diuitem

acerbis cruciatibus affectum, & pauperis supplicem factum. Sic cùm illorũ finem percurrisset, petitionem Deo affert. Cùm his verbis vsus esset, ne eundem finem patiatur, quem illi, dicit autem sic.

Verunt amen Deus redimet animam meam de manu Inferi, cùm acceperit me.

His, qui cum inopia degunt, & à diuitum superbia conculcati sunt, consilium, & admonitionem affert.

Ne timueris, cùm dites factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.

Ne inquit, aliquid magnum præsentem felicitatem existimes: non enim perspicuæ diuitiæ stabiles sunt. Nam qui in hac vita supercilia cõtrahunt, & maxillas inflant, paulò pòst omnibus derelictis, morti tradentur.

Quia anima eius in vita ipsius benedicetur.

Aliqui ait, diuitem viuentem beatum existimant, atqui mortuum, miserrimum nominant.

Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei.

Hoc manifestius Symmachus dixit, Laudabunt te, si benefeceris ei. Hæ nanque sunt veræ laudes, non modò viuum, verùm etiam mortuũ celebrem, & clarum esse. His laudibus autem dignus est, qui diuitias in propriam vtilitatem dispensauit: quandoquidem beneficia in alios collata, in ipsum beneficij auctorem reuertuntur.

Introibit vsque in progenies patrum suorum, & vsque in æternum non videbit lumen.

Pro *Introibit*, Introibis, tres alij Interpretes explanarunt. Videbis inquit hunc, de quo dixi, Ne timeas, cùm dites factus fuerit homo, eandem mortem sustinere, quam eius maiores, non modò præsenti lumine, verùm etiam sempiterno priuatum.

Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Causa autem horum ferina vita est, quam plerique homines elegerunt, honoris à Deo collati, obliti. Qui enim rationis participes dicũtur, temeritatem rationis expertem adamarunt.

Psalmi XLIX. Interpretatio.

Psalmus Asapho.

Hic est magister cantorum alius chori, vt historia Paralipomenon nos edocuit. Nam ea, quę à quadragesimo primo psalmo interpretata fuerunt, filijs Choræ principibus alius chori ad canendum commissa fuerunt. habent verò & alios psalmos, quibus eorum inscriptio est, quos (Deo duce) interpretabimur. Præsens autem psalmus Asapho attributus, cõsonans est proximè præcedenti psalmo. Etenim hic futurum iudicium prædicit, & Dei, & Saluatoris nostri aduentum. Vaticinatur etiam nouum testamentum, ostendens legis cultum minimè Deo gratum.

Deus deorum Dominus locutus est, & vocauit terram, à solis ortu vsque ad occasum.

Superior etiam psalmus cunctos homines ad doctrinam accersiuit. Hic quoque itidem omnes fines orbis terrarum aduocat. hæc enim verba, A solis ortu ad occasum vsque, hunc habent sensum. Hæc verò clausula, *Deus Deorum*, à tribus Interpretibus aliter expolita est, Fortis Deus locutus, vocauit terram. Cæterùm Septuaginta Deos nominant illos, qui imperium sortiti sunt, & iudicandi officium commissum habent, id quod solius Dei proprium est. Hoc octogesimus primus psalmus, qui etiam Asapho inscriptus est, nos edocet: nam cùm dixisset, Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos iudicat, subiunxit, Quousque iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? iudicate egeno, & pupillo, humilem, & pauperem iustificate. Porrò id ad sacerdotes, & alios pertinet, quibus mandatum est, vt ius reddant. sic etiam lex iubet, Deis ne maledixeris, nec Principi populi tui obtrectaueris. Verùm propriè Dij vocari possent, quicunque ad diuinam imaginem effícti sunt, illamq; synceram conseruant, horum enim Deus vniuersam terram congregat in iudicium. Exod. 22.

Ex Sion species decoris eius.

Sanè hic est ipse Deus, qui in Sione suum decorem, pulchritudinemque ostendit, & salutarem crucem perpessus est, qui psalmis superius explanatis, nominatus est Speciosus forma præ filijs hominum.

Deus manifestò veniet, Deus noster, & non silebit.

Ne enim arbitremini secundum aduentum priori similem fore: siquidem tunc propriam maiestatẽ humilitate, & pauperie obtexit. Nũc autem manifestam omnibus ostendet, imperando, & regnando, non amplius æquitate vtens, sed iustè iudicans: hoc nanque significat, *Non silebit.*

Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.

Hæc beatus Daniel præuidit, Fluuios enim inquit, ignis traxit ante se, solium eius flamma ignis, rotæ ipsius, ignis vrens. Cap. 7.

Aduocabit Cœlum desuper, & terram, vt dijudicet populum suum.

Etiam cùm legem promulgauit, beato Mosi imposuit, vt populum cogeret, & cœlum terramque attestaretur, id quod exordium cantici voluit esse, Attende cœlum, & loquar, & audiat terra verba ex ore meo. Vocat autem hæc in testimonium, non tanquam animata, sed vt ea, quæ alia opera continent, ad terrorem audientium. sic etiam beatus Abrahamus septem agnos statuit testes, dicens, Meus est puteus. sic etiam Montem Iacob. & Laban vocauit Collem testimonij. Gene. 21. Gene. 31.

Congregate illi sanctos eius qui ordinãt testamentum eius super sacrificia, & annunciabunt cœli iustitiam eius, quoniam Deus Iudex est.

Per ea, quæ suprà dicta sunt sanctissimus Vates ostendit terribile ipsius iudiciũ, per hæc autem & per ea, quæ sequuntur docet imperfectũ legis

legis cultum, nullumque ex sacrificijs, quæ afferebantur Deo gratum esse. Porrò nominat sanctos, Mosem, Aronem, Elezarum, Phines, eosq; qui post ipsos fuerunt, qui omnes ex præscripto legis sacrificabant. Iubet autem illos congregari, non vt ab eis pœnas exigat, tãquam ab hominibus, qui de Deo malè senserint, (ipsius enim est lex, & quilibet è supradictis, volens huic obtemperare, victimas offerebat) Sed vt per hos præsentes propriam mentem ostendat, & vt derelicta doctrina infantibus congruenti, perfectas afferat disciplinas. Vbi autem hæc facta fuerint; cœli inquit, sententiæ iustitiam admirabuntur. Sanè per *Cœlos*, Cœlestes potestates tacitè innuit.

Audi populus meus, & loquar tibi.

Et ostendens ad quem populum verba faciat, subiunxit.

Israël, & testificabor tibi.

Deinde propriam ostendit maiestatem.

Deus Deus tuus ego sum.

Qui ab Aegyptiaca seruitute te liberaui, qui per mare tibi viam aperui, qui in solitudine te paui, qui legem illam tibi tradidi: Ne enim me alium putes latorem legis, cùm videas legum differentiam.

Non in sacrificijs tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

Non accusabo inquit, te de incuria sacrificiorum: hæc enim mihi continuè affers, sed iubeo, ne hisce rebus iustitiam terminari putes.

Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues, cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est.

Omnium sum, ait, & conditor, & Dominus, & terrestrium animantium, & volatilium. Ne igitur existimes meæ necessitati subuenire: quãdoquidem ego his omnibus id, quod sunt, dedi, & iubeo inquit, terrestres fructus è terra produci. Quoniam enim, & à terrenis animalibus hostiæ mactabantur, videlicet, boues, hirci, & oues, Et à volatilibus, Columbę, & Turtures, Et à fructibus similia, Vinum, & Oleum, vaporũq; odores; necessariò de omnibus mentionem fecit, vt totum huiusmodi cultum abijceret. Deinde per irrisionem inquit.

Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terra, & plenitudo eius.

Si inquit, cibi indiguero, tua mihi largitione opus non est. Siquidem vniuersi terrarum orbis conditor sum, & Dominus. Deinde propriam naturam affectionis expertem edocet.

Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?

Hoc modo cùm illorũ stultitiam ostendisset, docuisset q; statuisse, vt antiquitus illæ victimæ ab ipsis afferrẽtur, eò quòd adhuc eorum mens simplex esset; nũc nouum aperit testamentum, & hostiam instituit ipsi placentem.

Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & inuoca me in die tribulationis tuæ, eruam te, & honorificabis me.

Tempestiuè sanctæ Trinitatis venerandum numerum patefecit, & cum nouo testamento coniunxit: post hoc enim etiam sanctæ Trinitatis cognitionem recepimus. Diuisit autẽ res, non vt diuideret individuæ Trinitatis operationes, sed vt numerum Vatis more posteros edoceret. Dicit igitur, Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde altissimo preces tuas, & inuoca me in die afflictionis tuæ. Porrò tres personas hinc discimus, Non quòd est tantùm Deus, neque altissimus, neque laudis hostiam recipiens, petitiones largitur: Quælibet nanque proprietas, & Deus, & altissimus, & bonorum largitor est. Cęterùm *Hostiam laudis*, nuncupat Hymnos iustis congruentes: *Preces* verò, Promissiones. sic enim in vigesimoprimo psalmo dicit, Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Quoniam autem dixit, Non in sacrificijs tuis arguam te; docet posthac in quibus reprehensus est.

Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.

Quia enim sunt nonnulli alios cùm peccant reprehendentes, & diuinarum legum recordantur, ipsi verò quę docent minus obseruant; meritò in istiusmodi homines inuehitur, dicens, Cur meis iudicijs elati, & sursum, & deorsum de lege disputantes, nihil vtilitatis hinc percipitis, sed verba mea despicitis? Narrat autem peccatorum genera.

Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.

Multa, inquit, & varia peccata abs te audacter patrata sunt: siquidem cùm Apostolico more dicas, Ne adultereris, tu tamen adulteraris, & eorum, qui talia committere audent, socius es, & particeps. Porrò cùm ab ore tuo omnem veritatem abieceris, illud mendacij, & malitię implesti. Dolus autẽ tibi linguam exacuit. Quamobrem & tuam cognationem contemnis, & naturæ leges conculcas, & clanculũ insidias contra tuos fratres contexis, verbis calumniando, & operibus insidiando. Hoc pacto cùm narrationem de iniquitate fecisset; docet patientiam, quam habet, & prædicit pœnam, quam irrogaturus est. Rom. 2.

Hæc fecisti, & tacui. Existimasti Inique, quòd ero tui similis.

Ego quidem hæc abs te patrari videns, & patientia vtens; expecto tuam pœnitentiam: Tu verò mea patientia abuteris, hinc peccandi occasione arrepta, cùm suspicatus sis, me tua iniquitate delectari, & ideo te supplicijs non afficere. Quapropter,

Arguam te, & statuam contra faciem tuam peccata tua.

Quoniam enim blandis patientiæ medicamentis curari non potuisti; acerbiores tibi medicinas adhibebo, & correptionis cauterium afferam. Consonant autẽ hæc illis Apostoli vocibus, Ignoras quòd Dei bonitas in pœnitentiam te ducit, secundum verò duritiem tuam, Ad Rom. 2.

& impœnitens cor thesaurizas tibi ipsi iram in die iræ,& reuelationis, & iusti Iudicij Dei, qui reddet cuilibet secundum opera sua.Hoc modo supplicium interminatus; rursus benignus Deus admonitionem attulit.

Intelligite hæc, qui obliuiscimini Deum,nequando rapiat,& non sit qui eripiat.

Studiosè,inquit, vnumquodque ex his, quæ dicta sunt intelligite. Et vos, qui Deum obliti estis,(obliuio enim Dei, cóciliatrix peccati est) pœnitentiæ medicamentis vulnera curate, antequam mors rapiat,quæ quidem Leonis more in homines grassatur, cùm res nulla vehementem illius impetũ cohibere possit. Deinde nouam legis promulgationem assumit,& hac psalmi finem exornat.

Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

Porrò hoc Symmachus explanatius exposuit, Sacrificans super laude honorabit me, & modestè eunti diuinam salutem ostendam. Conuenit enim non solùm hymnis Deum celebrare, & laudis hostiam ipsi afferre, verùm etiam modestè incedere & propriam vitã emendare: nam hoc pacto potest à Deo salus impetrari. Cæterùm secundum Septuaginta,Sacrificio inquit, laudis oblector,& hoc arbitror,gloriam mihi esse congruentem, & per hoc meum iter ostendam ei, qui mihi illud affert, cuius finis est salus à Deo obtenta. Sanè notandum est hoc in loco duarum personarũ mentionem fecisse, Sacrificium enim inquit, honorabit me. Et cùm per hæc propriam personam ostendisset,subiunxit,Et illic iter,quo ostendam illi salutare Dei. Oportebat nanque simul cum nouo testamento,quod perfecta omnia docet, etiam perfectam Theologiæ disciplinam coniunctam esse.

Psalmi L. Interpretatio.

2.Reg. 12. *In Finem. Psalmus Dauidi, Cùm venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bersabee Vxorem Vriæ.*

Inscriptio manifestò argumentum psalmi nos edocuit, atque ipsa psalmi verba satis sunt ad sententiæ affectum ostendendũ. Tamen sciendum est, psalmum futurorum prædictionẽ habere,& idcirco In Finem inscriptus est, sermone declarante,vaticinationem finem habiturã. Verùm nemo ambigat,An magnus Dauid tempore pœnitentiæ vaticinationis gratia dignatus fuerit: quandoquidem hoc ex alijs psalmis disci potest,in quibus confessus est. Etenim in sexto psalmo de futuro iudicio vaticinatus est, Non enim inquit, est in morte, qui memor sit tui,in Inferno autem quis confitebitur tibi?Et in trigesimo primo psalmo beatos existimat, qui absque labore peccatorum remissionem acceperunt, quod sola baptismatis gratia largiri potest:atque etiam in proposito psalmo propalam nos docuit spiritus gratia non fuisse priuatum,Spiritum enim tuum inquit, bonum ne auferas à me: non enim spiritus gratiam sibi ipsi præberi petijt,sed ne hęc ab ipso auferatur, supplicauit. A radio igitur hoc illuminatus, & propheticis oculis prævidens, fore vt populus ab ipso rectus in peccata incideret, & pro illorum expiatione in seruitutem abduceretur, atque Babylonem incoleret; conscripsit præsentem psalmum, & propria vulnera curans, & accommodatum remedium populo præparans, atque etiam omnibus nobis, quotquot vulnerati,curatione indigemus.

Miserere mei Deus,secundum magnam misericordiam tuam,& secũdum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Et diuino Dauidi, & captiuo populo,& his, qui inter nos malè affecti sunt verba proposita quadrant. Nam magna vulnera æquè magnis remedijs indigent, & qui in grauem morbum incidit,maiori indiget cura,& qui maxima cõmisit,maxima benignitate eget. Propterea magnus Dauid obsecrat,vt tota misericordia in ipsum effundatur, totusque miserationum fons peccati vulnus perfundat,neq; enim aliter fieri potest,vt peccati vestigia deleantur: meritò autem *Iniquitatem* vocat peccatum: duplicem enim habet legis transgressionem.

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Iam enim inquit,per Vatem Natham veniam mihi dedisti. Omnis generis autem calamitates, velut quædam cauteria, & incisiones adhibuisti, verùm adhuc purgationibus indigeo, cùm plurimùm grauis odoris ob peccatũ admiserim, rursus igitur me laua ò Domine,vt omnes peccati sordes abstergas.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco,& peccatum meum contra me est semper.

Non enim post abs te impetratam veniam, peccati oblitus sum,verùm semper meorũ malorum imagines, & peccata audacter patrata perspicio, & nocte somnio, & interdiu mente reuoluo. Hoc autem vt peccatores efficiant, etiam Deus per Esaiam iubet,Ego enim ait,sum, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor,tu autem recordare,& iudicemur, dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Consonantia his verbis etiam ipse beatus Dauid scripsit in psalmo, Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Esa. 43. Psal. 43.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.

Cùm, inquit, maximas largitiones à te consecutus sim; rebus contrarijs dona compenso, ausus committere ea,quæ à lege denegata sunt. Non enim dicit, se nulla iniuria Vriam offendisse, quandoquidem & illum, & eius vxorem offendit,sed maximum crimen in ipsum Deum commisisse,qui eum elegit,qui pro pastore Regem fecit,& hostibus superiorem reddidit, & omnis generis bonis auxit: præclarè autem apposuit,Malum corã te feci. Huius enim historia meminit, Apparuit enim ait, commissum peccatum coram Domino. Atqui si ex captiuo populo hæc dicuntur, sic intelligendum est, Tibi soli peccaui, In tua dona, inquit, ingratus fui, legesque mihi positas transgressus sum, cumq; 2. Reg. 11.

vniuersa bona consecutus sim,erga hæc,beneficij immemor factus sum; Babylonios autem cùm nihil offenderim, ab illis magnopere offensus sum.

Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris.

Ego ipse ait,meorum malorum causa fui,verùm tua iustitia splendet. Etenim si hoc modo iudicium constituatur, & beneficia à te in me collata in medium afferantur, & mala à me audacter commissa cum illis cõparentur; tu quidem iudicaberis & iustus, & benignus, ego verò iniquus,& ingratus videbor. Hęc igitur particula *VT*, in hoc loco non causam declarat: nõ enim propter hoc peccauit, vel ipse Dauid,vel ipsę populus postea, vt Deus iustus videretur, sed contrà, peccato ab his commisso Dei iustitia ostenditur: omnem enim curam,& de his, & de illis,& de omnibus hominibus gerit.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Ab initio ait, & à principio peccatum in naturam imperium habuit: quandoquidẽ mandati transgressio Euæ conceptionẽ præuenit, post enim transgressionem & diuinam sententiam,& paradisi priuationem, cognouit Adam vxorem suam Euam,& cùm concepisset, peperit Chaim. Hoc igitur vult dicere,cùm peccatum nostros maiores occupasset, quandã viam, & tramitem per humanum genus effecit. Hoc & beatus inquit Paulus, Quoniam enim per hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Hoc etiam vniuersitatis Deus admirabili Noë dixit,Sensum hominis in malum ab adolescentia sua omnibus diebus assiduè vergere. Cæterùm per hæc omnia discimus peccati vim naturalem minimè esse, (nam si ita se haberet, à supplicio liberi essemus) sed naturam ipsam ad peccatum esse procliuem, cùm ab affectionibus turbetur, vincit tamen ratio, cùm laboribus pro auxilio vsa fuerit. Non igitur vt quidã suspicati sunt, nuptias exprobrat, & matrimonij coniunctionem,iniquitatẽ vocat,sicut nonnulli temerè putarunt. Hoc modo intelligentes hanc clausulam,In iniquitatibus conceptus sum,& in peccatis concepit me mater mea: verùm transgressionem à principio à primis hominibus audacter patratã in medium profert, & illam harum vndarum fontem fuisse dicit. Si enim illi inquit,non peccassent,non accepissent mortem, præmium peccati. si autem mortales non essent, interitu superiores fuissent. si verò interitus non extitisset,perturbationibus obnoxij non essent.si autem non essent perturbationes, peccatum locum non haberet, sed quoniam peccauerunt, interitui traditi sunt: mortales verò facti, tales procrearunt filios: hos tales,concupiscentiæ, & timores, & voluptates,& mœrores,& ira, & inuidia secutę sunt. Cum his, & illis, quæ ex istis pullulant, ratio certat,& vincens prædicatur, triumphalibusq; coronis coronatur:expugnata verò ignominia afficitur,et pœnas pendit. Atqui pro ἐνύπνιον, Symmachus ἀκύρως posuit. Roman. 5. Genes. 7.

Ecce enim veritatem dilexisti.

Sic autem ait,iudicas, & nos quidem supplicijs afficis, hos verò coronas, quoniam veritatem diligis. veritatem verò amans, naturæque imbecillitatem sciens, petentibus remedia veniam concede.

Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Ego quidem nulla venia me ipsum dignum puto, cùm post tot dona ingratus euaserim. Non enim tantùm me in regijs solijs collocasti, verùm vaticinationis gratia me dignatus es, & futura longo pòst tempore manifestasti,& ea, quæ alijs incerta sunt, mihi certa fecisti,vt & alios docerem vnigeniti tui filij humanitatem, & salutarem Crucem,& Resurrectionem,& orbis salutem, peccatorumq; liberalem remissionem, splendida, & diuina sancti baptismatis dona. Cùm hæc omnia à sancto tuo Spiritu dicerim,supplico, vt illius gratiæ me comparẽ facias,quam alijs vaticinans exclamo.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me,& super niuem dealbabor.

Sola enim baptismatis gratia hanc purgationem efficere potest,& Deus omnium conditor per Vatem Esaiam, hanc daturum promisit: Esai. 1. Nam cùm dixisset,Lauamini,mundi estote,auferte mala à cordib⁹ vestris; paulò pòst inquit, Si fuerint peccata vestra,vt coccinum,vt niuem dealbabo. Hæc & ipse beatus Dauid in sexagesimo septimo psalmo prædicit, Nam inquit, Dum discerneret cœlestis, Reges dealbabuntur in Selmon, hoc igitur hic dicit, Ego indigeo gratia, quæ danda est omnibus hominibus: quandoquidem illa sola me accuratè abluere,& niuis candorẽ mihi dare potest. Quod autem Hyssopum nullam peccatorum remissionẽ operetur, facilè ex Mosaicis scriptis discere licet;homicidam enim, & alieni tori corruptorem aspersionibus lex non purgat, verùm extremis supplicijs subijcit. Aliarum igitur rerum hyssopum est ænigma. Qui enim Agni sanguine in Aegypto hyssopo postes inspersèrunt; exterminatoris manus euaserunt. Illa autem salutaris crucis figura erant. Sanguis nanque etiã hic,& lignum salutare fuit,& salus his, qui cum fide accedebant afferebatur.

Auditui meo dabis gaudium,& lætitiam,& exultabunt ossa humiliata,

Huius mihi inquit,lætitiæ aures imple, perfectam purgationem promittens, vt per omnes partes corporis animi voluptas percurrat,& ossa,quæ nunc depressa sunt, rursus florescant,& suum robur recipiant.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Ne respicias inquit, peccata à me audacter commissa, verùm me hæc deplorantem.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Quoniam peccati senium admisi, tua benignitate me renoua. Hęc etiam per Vatem Ezechielem captiuis, qui Babyloni erant, Dominus spopondit, Dabo enim ipsis inquit,cor nouum,& spiritum nouum. *Spiritum*, non sanctum Ezech. 36.

dicit, sed rationis motum, hoc est, cùm longa hac eruditione erudierim vos, & quos fructus peccatum producat, vos docuerim; faciam, vt virtutem eligatis. Id & hoc in loco magnus Dauid petijt, vt & suum cor offensum renouetur,& mens sanetur, vt diuinam persequatur viam.

Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Manifestò per hæc verba didicimus gratia sancti spiritus minimè destitutum fuisse. Non enim tanquam priuatus supplicat, vt eam recipiat, sed ne hæc auferatur, obsecrat, néue à diuina gubernatione procul sit, precatur. *Faciem* enim hic, Gubernationem appellauit.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Quod nõ amisit, vt retineat, supplicauit, hoc est spiritus sancti gratiam. Quod autem proiecit, obsecrat, vt recuperet, hoc verò erat in Deo gaudium: omni inquit, animi voluptate perfruebar, cùm tibi plurimum confidebam: nunc autem hac spe priuatus, lætitia etiam orbatus sum: nudauit me verò hac fiducia voluptatis seruitus. Idcirco supplico, vt mens pristinum principatum recipiat, & quæ à perturbationibus in seruitutẽ redacta est, rursus contra has potestatem recuperet. Nam hoc in loco iterum *Spiritum principalem*, Rationẽ imperantem nuncupauit.

Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.

Rursus tuam benignitatem assequens, iniquam vitã amplectentibus pœnitentiæ exemplar ero,& tuæ bonitatis præco, atque impios, & iniquos homines commonefaciã, vt ad tuas preces confugiant.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.

Continuè Vriæ cædem in memoriam reuocat, hoc etiam in exordio declarauit, Quoniã peccatum meum contra me est semper.

Exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Hoc Symmachus sic interpretatus est, Loquetur lingua mea misericordiam tuam. Non enim silebo, misericordiã consecutus, verùm te laudabo, tuasq; gratias narrabo.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Siquidem peccatum linguam ligare solet, & os oppilare, strangulare, & cogere, vt conticescat. Obsecrat igitur propheta per remissionẽ, vt pristinam fiduciam consequatur, vtque linguam in laudes moueat.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.

Concinunt & hæc cum illis, quæ in proximo præcedenti psalmo dicta fuere. Ibi enim audiuimus Deum omnium largitorem dicentem, Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Cùm igitur hoc diuinus Dauid à diuina voce intellexerit; meritò inquit, Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Tu enim, inquit, dixisti ferarum sacrificia non placere tibi, idcirco sacrificium tibi gratum afferam.

Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, & cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet.

Sacrificium inquit, gratum, & acceptum tibi Deo nostro, mentis modestia est. Propterea cùm cor meum valdè depresserim, & veluti contriuerim, & valdè ipsum attenuauerim; acceptum sacrificium tibi afferam. His etiã verbis beati illi Pueri in camino vsi sunt, In corde enim, dixerunt, contrito, & in spiritu humilitatis suscipiamur coram te, vt in sacrificijs arietum, & pinguium taurorum; vt manifestum sit etiam hinc psalmum prædictionem habere earum rerum, quæ Babyloni acciderunt, & doctrinam illis accommodatam. Hinc enim cùm generosi illi Pueri sacrificium Deo gratum dicidissent, humilitatem mentis, cordisque contritionem Domino attulerunt. Da. 3.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem, Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.

Manifestò ex his verbis didicimus psalmum vaticinationis plenum esse. Nam ijs, qui Babyloni habitare coacti erant, & ex spectabant seruitutis liberationem, & suæ ciuitatis solitudinem deplorabant, hæc verba congruunt: quandoquidem supplicant, vt ciuitas aliqua misericordia dignetur, pristinamq; hæreditatẽ mœnium erigendorum, atque cultus ex lege constituti, consequatur. nam nunc ait, alienam hãbitantes terram, sacrificia tibi præscripta afferre nequimus, cùm in illa sola ciuitate dictor lex, vt tibi litemus. Si autem reuersionem consecuti fuerimus, & templum erexerimus, tunc legis sacrificia afferemus. Congruit autẽ valde ipsis, Et os meum aperi Domine, & labia mea annunciabunt laudem tuam. Ipsorum enim est vox, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Finis autem huius psalmi habet & aliam vaticinationem. Quoniam enim superius sancti spiritus dona proposuit, deinde descendendo ostendit Deum rerum omniũ Conditorem nõ placari sacrificijs ex lege præscriptis; meritò precatur, vt noua Sion consurgat, & vt cœlestis Hierosolyma super terram ædificetur, & vt quàm celerrimè nouus Reipublicæ status concedatur, qui non ferarum victimas, sed iustitiæ oblationem, & hostiam, atque sacrificia rationalia, & viuentia afferat, de quibus beatus Paulus inquit, Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Sciens enim diuinus Dauid, (vt is, qui incerta, & occulta diuinæ sapientię didicit) nouum testamentum perfectam peccatorum remissionem continere, & desiderans velociter & studiosè à peccatis liberari, necnon cupiens breuem, liberalemq; purgationem consequi, hæc dicit. Psal. 136. Roman. 12.

Psal-

Psalmi L I. Interpretatio.

1. Reg. 22. *In Finem. Intellectus Dauidi. Quando venit ad eum Doim Idumæus, & nunciasset Sauli, Venit Dauid in domum Achimelech.*

Et hinc manifestum est Achimelech duo nomina habnisse: Nam Doim (vt prima Regum historia edocet) accusauit apud Saulem Abimelech, & in cædem sacerdotũ irritauit. Hunc autẽ & hoc in loco, & in trigesimo tertio psalmo Achimelech nominat. Dauid igitur cùm resciuisset calumniam, quæ contra sacerdotes facta esset, hunc conscripsit psalmum, instruens eos, qui iniuria afficiuntur, vt constantes, fortesq; sint: docet insuper diuinæ sententiæ iustitiam. Quamobrem inscripsit psalmum, In Finem, & Intellectus, vt nos prudentia vtentes, rerum euentum expectemus. Continet etiam prædictionem eodem modo de furore Rhapsacis, qui ex Hebræis profectus, postea in seruitutem adductus, impietatẽ didicit Assyriorum, qui eum ceperunt, & maledicis in Deum verbis vsus est, fallaciq́ oratione conatus est Iudæorum exercitum occidere. Ibidem.

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate tota die?

Potentem quidem nuncupat Doim, quippe qui Sauli familiarissimus factus erat: Rhapsacem verò, vt cui cura ducendi exercitus commissa fuerat. Format autem sermonem per interrogationem, adhortans, ne ob malitiam exultet, néue omne tempus in prauitate consumat. Hæc enim verba, Tota die, Symmachus, Singulis diebus, dixit. Ibidem. 4. Reg. 18.

Iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Fatis, inquit, verbis linguam inquinas. *Cogitauit* enim, pro, Locutus est, posuit. & more acutæ nouaculæ sermonẽ profers, mortem machinans audientibus.

Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem.

Pectora, inquit, melioribus prætulisti, falsaq; verba veris præposuisti, magisq; iustitiã, quàm æquitatem amplecteris.

Dilexisti omnia verba præcipitationis, linguã dolosam.

Verba Summersionis, & Dolosam Linguam vocauit eam, quæ funditus delere per mendacium potest, ex translatione eorum, qui summergunt homines, faciuntq́ue, vt in profundis aquis delitescant. Hoc autem & Doim effecit: nam radicitus totam Iudæorum vrbem euertit, falsis vsus verbis contra Abimelech. Hoc idem & Rhapsaces facere conatus est, non tamen potuit: attulit enim fallaces pollicitationes ijs, qui super mœnibus astabant, frustratus tamen est suo aucupio.

Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.

Non effugies, inquit, cùm prauè egeris, Dei omnium Conditoris sententiam: quamprimũ enim euertet, & omnino te perdet, deq; viuentium numero delebit, teq; radicitus euulsum, morte mulctabit. Nam maximus hinc fructus percipietur, cùm ij, qui felicitate cæleſtorum hominum mœrent, istorum interitum videant, quandoquidem inquit.

Videbunt iusti, & timebunt, & super eũ ridebunt, & dicent, Ecce homo, qui nõ posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarũ, & prævaluit in vanitate sua.

Iustorum, inquit, chorus maiori metu implebitur, iustum Dei iudicium conspicatus, & lætus, & alacer videbit malitiæ sterilitatem, & præsentis felicitatis lucrum.

Ego autem sicut oliua fructificans in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum, & in seculum seculi.

Hæc enim & de se ipso dicit magnus Dauid, & Ezechiæ documentum affert: ambo nanque & cultores, & alumni pietatis fuerunt. Et in primo psalmo comparauit virtutis athletam plantæ ad ripam aquarum consitæ, semperque virenti, fructumq; tempestiuum ferenti. Et rursus hic vocauit virum iustum, oliuam multo fructu onustam, & in domo Dei consitã, quippe qui spem in Deo fixam habet, & per illam laborare, & laboriosos virtutis fructus producere non recusat.

Confitebor tibi in seculum, quia fecisti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

Huiusmodi beneficium consecutus, semper te cantabo Domine, vsquequaque desiderans, & expectans nomen tuum, quod est amabile his, qui te norunt, & hinc vtilitatem percipiam: bonum nanq; est, & maxime optabile Dei nomen non omnibus hominibus, sed ijs tantùm, qui diuina cognitione dignati sunt.

Psalmi L I I. Interpretatio.

In Finem. Pro Amalech. Intellectus Dauidi.

Pro Amalech, Theodotion traduxit, Pro Chorea. Symmachus verò, Pro Choro. Aquila autem, Tripudia. Eandẽ tamen habet hic psalmus sententiam, quam & præcedens, & itidem psalmus tertius decimus: Vnũ est enim omniũ argumentũ. Etenim damnant maledicta Sennacherib, & Rhapsacis, prædicunt autem stragem, quæ de impijs facta est. Quapropter meritò habuit titulum Choreæ, quam tripudiarunt illi, qui salutem consecuti sunt, & Deum collaudarunt. Et adiunguntur inscriptioni hęc verba, In Finem, eò quòd post quoddam tempus vaticinatio finem sortita est.

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

Non modò enim contra eos, qui vocantur Dij, verùm etiam contra illum, qui verè Deus est, linguam soluit, dicens, Non potuerunt Dei Deorum liberare suam regionẽ de manu mea, dicentes Dominũ liberaturum Hierosolymã, Vbi est Deus Emath, & vbi Deus Arphath, & vbi Deus ciuitatis Esepharim? 4. Reg. 18.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus.

Causa

Causa inquit, impietatis fuit iniqua vita. Intrepidè enim quodcunque libebat patrantes, noluntin animum inducere, Deum omnia gubernare, sed sibimet ipsis persuaserunt, neminem mundi gubernaculo præesse.

Non est qui faciat bonum.

Omnes inquit, Assyriorum prauitatem dilexerunt.

Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Veruntamen Deus, qui ab ipsis non credebatur, qui in excelsis habitat, & humilia respicit, de rebus, quæ agebantur, quæstionem facere voluit.

Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, nō est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

Inuenit, inquit, omnes à recta via diuersos, omnemq; prauitatis speciem amplexos.

Nónne scient omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam vt cibum panis? Deum nō inuocauerunt.

Atqui per experientiam iniquitatum damnū discent, qui veluti quendam panem, populum meum consumere conabantur, atque Deum ducem despiciebant.

Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

Nam vt ipsi perhorrescant, & mœreant faciā, cùm non appareant illi, à quibus exterreantur, sed cùm latenter pœna infligatur. Significat autem per hæc, plagam ab Angelo ipsis inflictam.

Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.

Hanc clausulam, Dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, Aquila, & Symmachus sic explanarunt, Deus enim dissipauit ossa aggredientium te. propterea enim ait, Trepidarunt timore, vbi non fuit timor. Quoniam Deus ab illis maledictis lacessitus, cùm vidisset ipsos suam vrbem inuasisse, mortemulctauit, & escā vulturibus & feris ipsos proposuit, & eorum ossa dissipauit. Porrò non erraret, si quis Rhapsacem hominibus placentem intelligeret, qui ex Hebræis ortus contra Deum omnium conditorem conuicia iactauit, hoc pacto ab Assyrijs gratiam inire existimans.

Quis dabit ex Sion salutare Israël?

Qui ait, nobis hanc lætitiam gratuitò largitus est, hic etiam his, qui iam captiui erant, salutem afferet: quandoquidem iam decem Tribus in seruitutem adductæ, & translatæ fuerant, & ad hæc Iudææ multæ ciuitates. Idcirco subdidit.

Cùm conuerterit Dominus captiuitatē plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel.

Tunc ait, perfectam lætitiam capiemus, cùm alios captiuos reditum consecutos viderimus. Discimus per hæc secundum Apostoli præceptum, nos lugere cum lugentibus, & gaudere cum gaudentibus, & idem vltrò citroq; sentire, propriamq; lætitiam existimare, proximi felicitatem.

Psalmi LIII. Interpretatio.

In Finem. In carminibus. Intellectus Dauidi. Cùm venissent Ziphæi, & nunciassent Sauli, Nónne Dauid absconditus est apud nos? 1. Reg. 23.

Argumentum Psalmi patet. Nā magnus Dauid Deum laudat, quippe qui vires ei suppeditauit, vt hostiū laqueos effugeret. Ziphæi enim amicitiam cum Dauide simulabant, Sauli verò indicabant, vbi & quando conabatur latere eos, qui crediderunt speculatoribus. Conflauit igitur exercitum contra ipsum copijs multis. Deinde cùm ipsum repentè deprehensurus esset; ab alienigenarum impetu prohibitus est. Cùm autem nunciatum sibi esset, ipsos contra suam regionē bellum gerere, reuersus est, studens subditis suis bello petitis opē ferre, tunc hunc hymnum magnus Dauid Deo attulit, vt illi, qui preces admiserat, quiq; formidatam calamitatem amouit.

Deus in nomine tuo saluum me fac.

Satis mihi est, ait, ad securitatem tui nominis implorati. hoc modo & diuini Apostoli magna miracula edebant, In nomine enim inquit, Iesu Christi surge, & ambula. Act. Apost. 3.

Et in virtute tua iudica me.

Iustus, inquit, & iustitiæ fons es: iudica me igitur, & me bello iniustè petentes.

Deus exaudi orationem meā, auribus percipe verba oris mei.

Suscipe meas preces cum benevolentia.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam.

Tua ope ait, indigeo ò Domine ab inimicis exagitatus, qui suæ plurimæ potentiæ confidunt, & mihi mortem inferre desiderant. Porrò hæc contra me audent, quoniam tuam prouidentiam ignorant. hoc enim subiunxit, dicens.

Et non posuerunt Deum ante conspectum suum.

Cùm autem ita supplicauerit, cumq; prænouerit non multò pòst opem sibi ferendam, exclamat.

Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos. Volunariè sacrificabo tibi.

Ego autem inquit, à tua bonitate didici, fore, vt me tuo auxilio digneris, & malis contra me comparatis circundabis eos, qui illa in me moliti sunt, iustamq; contra ipsos sententiam pronunciabis: Hoc enim significat, In veritate tua disperde illos, voluntariè sacrificabo tibi. Ego verò cùm hæc consecutus essem; omnicū studio grata tibi sacrificia afferam, & edocens sacrificij genus, subdidit.

Et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonū est. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus.

Sacrificium laudis afferam tibi, tua beneficia persequens: hoc enim mihi vtile, & tibi gratum est. Iustum autem est, vt hoc faciant omnes, qui ab omnibus calamitatibus liberati sunt, quiq; inimicorum interitum viderunt.

Psal-

Psalmi LIIII. Interpretatio.

In Finem. In hymnis. Intellectus Dauidi.

Dixit hunc psalmum beatus Dauid, cùm à Saule persecutionem pateretur, cumq; extoris esset, & in solitudine degere cogeretur. Vaticinatur itidem Iudæorum contra Saluatorē insidias, atque in se ipso Domini cruciatus adumbrat. Quandoquidem & ipse à Saule ab eo beneficijs ornato exigebatur, & à quibusdam notis prodebatur, & propheticis oculis dominum præuidebat hoc idem passurum. Idcirco & In Finem titulus legentem transmittit, atque eum commonefacit, vt ea, quę in hoc psalmo dicuntur, prudenter attendat, vt illa, quæ in Vaticinationis sententia deliteſcunt, & tractu temporis euentum habebunt. Et insuper Hymnis psalmus decantatus est, quandam vmbram habens Domini Crucis. Iustum nanque est, eum semper celebrare, qui hæc pro hominum salute pati sustinuit. Cæterùm nemo verborum humilitatem attendens, hæc indigna humanitate Saluatoris existimet. Consideret autem eum, qui fel, & acetum, & clauos, & spinas, & sputa, & alapas, & omnia opprobria sustinuit, & tandem mortem subijt, verborum vilitatem non respuisse. Quandoquidem par est, vt verba rebus consonent. Ipsius enim est vox, Matth. 11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Et rursus, Mandatum accepi, quid dicam, quidue loquar, Psal. 21. & nihil à me ipso facio. Et, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? & hæc & similia humano more locutus est, & humanam naturam ostendens, & Iudæorum imbecillitatem ędificans. Hìc igitur diuinus Dauid & iniquitatem in se patratam edocet, & futuram contra dominum impietatem adumbrat, communione cruciatuum exultans, & ferè cum Paulo exclamans, Ego stigmata domini Christi Iesu in Ad Gal. 6. corpore meo porto.

Exaudi Deus orationem, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me.

Diuersas preces affert, vt omnes admittantur supplicans. ne despexeris enim ait, me obsecrantem, sed benignè attende me, & opem fer.

Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.

Cùm enim ait, opprobrijs offendar, & bello ab iniquis hostibus petar, & cùm omnes illorum insidias considerem; multo dolore afficior. continuā nanque exercitationem loquendi sacræ literæ assiduā meditationem vocant. Hoc verò Symmachus sic interpretatus est, Somno correptus sum mecū ipse loquens, & confusus sum à voce inimici à perturbatione impij. Eundem enim & inimicum nuncupat, & impium, vt eum, qui beneficij auctori mortem moliebatur.

Quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi.

Magis diluci dè Symmachus dixit, Quoniam inclinarunt in impietatem in me, & in ira aduersati sunt mihi. mala enim sententia vsi, meā mortem struunt.

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.

Has illorum inimicitias, insidiarumq; machinationes videns, & perhorresco, & timeo, & mortem expecto. Et mirum non est, si Dauid fugitans, à multisque hostibus persecutionem patiens, mortem timuerit, cùm homo esset, & sub lege viueret, & euangelicam perfectionem à longè prouideret. Etenim ipse Dominꝰ Christus, licet sæpius sacris Apostolis prædixisset, Crucemque significasset, & cùm vehementius obiurgasset diuinum Petrum, qui ne hoc accideret precabatur, Crucis tempore exclamat, Nunc anima mea turbata est. & tantum mœrorem diuina natura permisit, vt humanitas acciperet, vt sanguinis quidem stillicidio sudaret, & ab Angelo confirmaretur, & timorē vinceret: oportebat enim in hoc, vt natura demonstraretur, quæ cruciatus susciperet. Ioan. 12.

Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescā? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.

Hoc beatus Dauid fecit. Nam cùm Saulem fugeret, & rursus cùm in Geth alienigenarum insidias conspicaretur; in solitudinem se abdidit, (vt prima Regum historia edocet) Et Dominus Christus sępius quidem in montem, frequenter in solitudinem secesit, Iudæorum inuidiam declinans. Porrò admiratione dignum est, magnū Dauidem columbæ, & non alterius auis alas accipere voluisse: manifestū est enim eum spiritus sancti gratiam desiderare, qui columbæ specie volauit.

Expectabam eum, qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus, & tempestate.

Tot enim ait, vndis inūdatus, & veluti quosdam ventorum impetus, vel turbinum recipiens; diuinam expecto opem, auxilijque spe me consolor.

Præcipita Domine, & diuide linguas eorum.

Quoniam mala conspiratione vsi sunt, dissolue Domine eorum concordiam.

Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniustitia, & non defecit de plateis eius vsura & dolus.

Hæc verba beato Dauidi minimè congruere opinor. Non enim Hierosolyma ea tempestate à Iudæis detinebatur, nec alia ciuitas Regia existimabatur, sed videtur simul prædicere Hierosolymæ repugnantiam, & iniquitatem, & eius prauitatis species persequi, iniquitatem, iniustitiam, fœnus, dolum, quæ amplectentes, fructuosas Saluatoris leges nō receperunt. Notandum est, non modò noui testamenti perfectionem, verùm etiam legis statum fœnus damnare, quod cum iniquitate, & iniustitia, & dolo copulat.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.

Verùm ea, quæ ab inimicis fiunt, toleranda & se-

& ferenda censemus? ab inimicis enim, & hostibus hæc fiunt. Præterea manifestum bellum fortasse declinari potest.

Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.

Omnium molestissimum mihi videtur, virum familiarem, & concordem, & meum sodalem, & conuictorem factum, & diuinarum, & humanarum rerum mecum conscium, res inimicas, & hostiles facere. Cæterùm per hæc verba manifestò vaticinationis gratia proditorem Iudam describit, qui dux à Rege Christo electus fuit, (Constitues enim eos principes super omnem terram) & eius mensæ, mysticorumq; sermonum compos fuit, instrumentum autem insidiantium euasit. Pro *Duce meo*, Symmachus, Familiarem meum, interpretatus est. hæc nequaquam beato Dauidi congruunt: quandoquidem nemo amicorum eius ipsum Saulem fugitantem prodidit, neque enim Doim, neque Ziphæi ex legitimis amicis eius erant, Sed Euangeliorum historiæ vaticinatio quadrat, Qui manducat mecum inquit, panem, ipse sustulit contra me calcaneum suum. cùm ita proditionem vaticinatus esset, mortem etiam eius repentinam prædicit.

Psal. 44.

Iohan. 13.

Veniat mors super illos, & descendant in Infernum viuentes.

Talem autem vitæ finem suscepit: cùm enim iugulum laqueo ligasset, breuem sustinuit mortem. In similes calamitates Iudæi post Crucem inciderunt, Romano bello traditi, non enim lege naturæ è vita euolarunt, sed hostilibus armis confixi. Deinde supplicij iustitiã ostendit.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.

Diuersorium autem nuncupat, præsentem vitam, in qua diuersamur, & non habitamus.

Ego autem ad Deum clamaui, & Dominus saluauit me, vesperi & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam, Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.

Perfectas preces (inquit Dauid) Deus videns nocte, interdiuque à me allatas, ab hostibus me liberabit, & gratuitò pacem largietur. Hæc verba, Inter multos erant mecum, Multos hostes esse declarant, ita enim Symmachus exposuit, Multi in me fuerunt.

Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante secula.

Cùm æternus Deus meas preces admisisset; imbecillitate insidiantes circundabit.

Non enim est illis commutatio, quoniam non timuerunt Deum.

Hoc Symmachus ita explanauit, Non enim mutantur, neque timent Deum. Vidimus, ait, immutabilem ipsorum consuetudinem, supradictis calamitatibus circundabit.

Extendit manum suam in retribuendo.

Hanc clausulam Tres sic exposuerunt, Extendit manum suam in eos, qui pacem habent secum. Non enim hostem, sed beneficij auctorem, & familiarem, & notum Saul persecutus est. Neque inimicum Iudas prodidit, sed Saluatorem, bonorumq; Largitorem. Hoc igitur, Extendit manum suam in retribuendo, hoc significat, Quoniam cùm manum extendisset, vt merita persolueret, nihil quidem boni attulit, verùm omnia malitiæ referta fuerunt: & hoc declarant, quæ sequuntur.

Contaminauerunt testamentum eius.

Matth. 22.

Hoc enim diuina lex præcipit, Diligere proximum sicut se ipsum: isti verò beneficij auctorem vt hostem persecuti sunt.

Diuisi sunt ab ira vultus eorum, & appropinquauit cor illius.

Cùm enim iræ obnoxij essent, alia quidem arguebant, alia verò machinabantur. Sic enim Symmachus explanauit, Leuiora butyro ora illorum, cor verò vniuscuiusque ipsorum pugnat: his autem ea, quæ sequuntur, consonant.

Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.

Porrò Saulis, & Iudæ verba talia erant. Saul quidem Dauidi dicebat, Si tu es fili Dauid. Iudas verò, Nunquid ego sum Rabbi? & osculatus est eum. Sermones quidem olei, butyríque leuitati similes sunt, consilia verò iaculis & telis acutissimis. *Sagittas* enim, Aquila Dolos exposuit. sic cùm beatus Dauid hæc de illis, quæ sibi acciderunt, percurrisset, cumque Domini insidias proposuisset; consilium omnibus hominibus affert, commonefaciens, vt in Deo spé collocent.

1. Reg. 24.

Matth. 26.

Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.

Gubernatorem, inquit, habeas Deum, & aurigam, & res tuæ ab illa prouidentia pendeant: nam hoc modo inconcussus manebis, & immobilis. Etenim ait.

Non dabit in æternum fluctuationem iusto.

Aliquãdo enim in tentationes incidere permittet, sed celerem opem feret. Hoc autẽ reuera dictis Apostolicis consonat, Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciẽt cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere.

1. Cor. 10.

Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.

Nam illos, qui iusto insidiari ausi sunt; æterno supplicio afficiet. *Puteum* nanque *Interitus*, Ineuitabilem pœnam vocauit. Quemadmodũ enim ille, qui in puteum refertum luti, & cœni lapsus est, mortem effugere non potest: sic ille, qui à Deo supplicijs affectus est, aliunde salutem inuenire nequit.

Viri sanguinũ, & dolosi, nõ dimidiabunt dies suos.

Illis enim, qui cum cæde & dolo viuere elegerunt, celerem mortem afferes, non permittens, vt cogitatum tempus viuant.

Ego autem sperabo in te Domine.

Nam hanc tuam potentiam, & iustam sententiam sciens; opem à te expecto.

Psalmi LV. Interpretatio.

In Finem. Pro populo, qui à sanctis longè factus est. In tituli inscriptione ipsi Dauidi cùm tenerent eum alienigenæ in Geth.

Titulus ostendit geminum sensum psalmi, qui consonat ipsi Dauidi, & populo captiuo facto, qui alienam terram habitare coactus erat; quandoquidem ea, quæ acciderunt, vtriq; concordant. Et illi enim Babylonijs hominibus alienigenis seruiebant: Et hic Saulem fugiens, alienigenarum inquilinus fuit. Sciẽdum est igitur bis in Geth peruenisse, primùm quidem cùm hostis esse visus est, Deinde cùm periclitatus esset, & dementiam simulasset, dimissus est, & aufugit, Postremò verò cõfisus, simul commoratus est, pacem consecutus. Præsentem igitur psalmum, cùm primum periculum subisset, conscripsit.

1. Reg. 21.

Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die.

Aduersis inimicis exactus, & bello petitus, & tanquam conculcatus, & continuè hoc patiens; tuam Dominę benignitatẽ expecto. Hoc autẽ *Tota die*, Omnem diem, Symmachus vertit, pro Assidue, & Semper.

Quoniam multi bellantes aduersum me, ab altitudine diei non timebo.

Non timui, inquit, hominum felicitates, quibus freti, bellum contra nos suscipiunt. *Altitudinem* enim *Diei*, Præsentem felicitatem vocauit, inconstantem, caducam, fluxam, nec multum temporis permanentem. Deinde edocet, Quare nõ oporteat timere felicitatibus elatos.

Ego verò in te sperabo.

Breuem inquit, prosperitatem non timui, tuum auxilium habẽs. Hoc autem Symmachus ita interpretatus est, Altitudinem diei non timebo, tibi enim confisus sum. Timori ait, fiduciam, quam in te fixam habeo, oppono.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui, non timebo, quid faciat mihi caro.

Et loquens ait, Dei memoria meos sermones orno, & oppugnatus, tuæ curæ confidens, hostes despicio.

Tota die verba mea execrabantur, aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.

Omnem, ait, cogitationem in insidias contra me mouent, meos sermones, vt falsos auertentes, & excusationem allatam repellentes.

Inhabitabunt, & abscondent, ipsi calcaneum meum obseruabunt, sicut sustinuerunt animam meam.

Magis dilucidè Symmachus explanauit, Congregabantur clàm, & vestigia mea obseruabant, expectantes animam meam. Porrò manifestauit per hæc dicta dolos ipsos, & insidias, & fraudes.

Pro nihilo expelles ipsos.

Facilè tibi inquit, & valde conueniens est, expellere ipsos, & consternere, & morte mulctare. Hoc enim, *Pro nihilo*, pro Purè, & Facilè posuit.

In ira populos confringes ipsos Deus.

Non enim solos ipsos, verùm etiam omnes, qui iniquè viuere decreuerunt, supplicijs afficies.

Vitam meam annunciaui tibi.

Omnia mea manifesta sunt tibi, res, verba, cogitationes. Nam hoc modo Symmachus explanauit, Interiora mea numerata sunt tibi.

Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissione tua.

Annuisti, inquit, meis lacrymis, & promissiones implesti. Tu enim promisisti legem ferens, iniuria affectos ingemiscentes exaudire. Sic enim in lege inquit, Ingemiscet ad me, & exaudiam ipsum, misericors enim sum.

Exod. 22.

Tunc conuertentur inimici mei retrorsum.

Te autem meas preces admittente, hostes fugient, & à temeritate cessabunt.

In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam Deus meus es.

Cum enim mearum petitionum compos factus sim ex rebus ipsis, confido, te mei curam gerere.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo.

Non feram ait, vt sine tua imploratione loquar, verùm siue breue verbum proferam, siue longis sermonibus vtar, tuo nomine hos exorabo, & te fretus, humanas insidias despiciam.

In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudis tibi.

Promissa, ait, studiosè tibi persoluam: quandoquidem *Vota*, Pollicitationes Deo factas vocat. Eodem modo & alibi, Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea. Deinde edocet de quibus, & quæ promissa sint.

Psal. 65.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, oculos meos à lacrymis & pedes meos de lapsu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

Cùm enim tot beneficia consecutus sim, cumque è diuersis insidijs emerserim; tuo cultui studeo, atque viuendi modum eligam; qui tibi gratus sit, mihi verò sempiternam vitam conciliet, atque illud lumen legitimè viuentibus promissum. Cæterùm hæc vt dixi & beato Dauidi congruunt, & captiuis, qui Babyloni detinebantur. Conueniũt autem etiam nobis, qui multas insidias ab hominibus & à Dæmonibus sustinemus, per diuinam verò curam detrimentum, quod illinc manat, declinamus.

Psalmi LVI. Interpretatio.

In Finem. Ne corrumpas ipsi Dauidi, In tituli inscriptionem. Cùm fugeret à facie Saulis Regis Israël in spelunca.

Et primum, & secundum periculum declinans, veluti in quadam columna, diuinũ beneficium in memoria inscripsit. In finem etiam & hic & ille legentes transmittit, quoniam futurarum rerum prædictionem habent. ille quidem quæ populo acciderunt prædixit: hic autẽ gẽtium vocationem vaticinatur. Porrò inscriptioni additur, Ne corrumpas, Dauidis ratiocinationem nobis detegens. Quoniam enim cùm posset Saulem perdere, & cæde hostem euertere, & imperium capere, noluit, ferè secum ipse collocutus, Ne corrumpas virtutẽ obliuiscendi iniurias. (Absit enim ait, ne manus meas in

1. Reg. 24.

ipsum extendam, quoniam Christus Domini est) meritò titulo, Ne corrumpas apposuit, edocens quibus ratiocinationibus vsus, inimicum non interfecit.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Inclusus in antro, & inclusos hostes videns diuinam misericordiam annunciat, & spem, quam in Deo fixam habet aperit. Cæterùm *Alarum vmbram* sæpius interpretatus est se diuinam curam vocare. Porrò misericordię geminatio periculi excessum declarat. Hâc verò clausulam, Donec transeat iniquitas, Symmachus, Donec transeat calumniator, dixit. non conquiescam igitur ait, obsecrando, donec ab insidiantibus liber ero. Insidiantes enim Septuaginta, Iniquitatem ab effectu, appellauerunt.

Clamabo ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi.

Diuini auxilij experientiam præceptorem habens, pro consuetudine hanc consequi obsecrò. *Clamorem* autem, Animi promptitudinem vocat.

Misit de cœlo, & liberauit me, dedit in opprobrium conculcantes me.

Cùm enim à principio me propria prouidẽtia dignatus esset, meos inimicos ridiculos reddidit. Edocet autem historia, Dauidem secutum fuisse Saulem, cùm surrexisset, & cùm à longè esset, beneficium de nocte in eum collatum ostendit, eò quòd cùm habuisset illum in manibus, noluit ei plagam infligere. Hoc autem maximum opprobrium est ei, qui salutem accepit, vt seruatorem persequatur.

Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum.

Iustam, inquit, benignitatem consecutus, ab hostium feritate liber fui: Instar enim leonum me inuaserunt, discerpere cupientes. Veritatem verò cum misericordia coniunxit, vt misericordiæ iustitiam ostenderet.

Dormiui conturbatus.

Hoc Theodotion ita explanauit, Dormiui cum consumentibus, Aquila verò, Cum incontinentibus, Symmachus autem, Cum accẽdentibus. Iure igitur conturbatus sum, cùm inter tales dormire coactus sim, cumque à talibus cinctus sim: Saulem nanque & consumentes, & accendentes, & incontinentes, & catulos leonum nominauit, feritatem mentis, & internecinam consuetudinem narrans. hoc autem per ea, quæ sequuntur, magis manifestò edocẽt.

Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Cùm ipsos leonum catulos nuncupasset; merirò dentium meminit, mucronibus, & sagittis hos comparans, & linguam acuto gladio. per omnia autem pernicioia illorum consilia aperit.

Exaltare super cœlos Deus, & in omni terra gloria tua.

Dignum autem est in omnibus te laudare, te inquam cœlum habitare creditum, & totam terram gloria implentem. Hoc etiam beatus Abacuc dixit, Operuit cœlos potẽtia eius, & laudis eius plena est terra. Cæterùm hoc verbum *Exaltare*, videlicet, Ostende omnibus hominibus altitudinem tuam. Abac. 3.

Laqueum parauerunt pedibus meis, & incurauerunt animam meam, foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.

Cùm laqueos inquit, in me instruxissent, & insidias composuissent, ipsi à nobis irretiti, & proprijs laqueis illaqueati sunt.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam gloria mea.

Hoc Symmachus ita vertit, Firmatum cor meum. Nam tuam prouidentiam clarè videns, non amplius omnis generis inimicorum machinationes perhorresco, sed paratus, & instructus sum ad tuos sermones prosequendos tuaque beneficia decantanda.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.

Deinceps sibi ipsi iubet diuinum hymnum contexere. Porrò Propriam gloriam, vaticinationis gratiam vocat, seipsum verò Psalterium, & Citharam, vt spiritus sancti instrumentum factum.

Exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in gentibus.

Non solùm nunc ait, has laudes tibi afferam, verùm etiam vera luce exorta, & lõga ignorantiæ nocte dissipata, & optato diluculo apparente, omnium gentium, & populorum magister chori ero, & veluti quibusdam chordis illorum labijs vtens, gratas tibi laudes canam.

Quoniam magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua.

Non solum enim Cœlum, & Angeli, quiin Cœlis mãsionem habent, tuam misericordiam cognouerunt, verùm etiam per nubes veritatem tuam ostendisti. *Nubes* verò, Homines diuina gratia dignatos, sacræ literæ nuncupant. Hoc autem vniuersitatis Deus per Vatem Esaiam nos edocet: cùm enim de Israël locutus esset, Dimittam vineam meam & non putabitur, & non fodietur, subdidit, Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Quemadmodum enim nubes aliunde imbrium causas suscipiunt, eodem modo & Vates, & Apostoli à diuina gratia agitati, hominum animis spiritus pluuiam attulerunt. Esa. 5.

Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.

Nam per spiritus nubes, per Vates inquam, & Apostolos, veritate exorta, vniuersorum Dominus, altissimus declaratus est, cœli & terræ creator, & in omni terra, & mari ab hominibus celebratur.

Psalmi LVII. Interpretatio.

Ne corrumpas ipsi Dauidi, In tituli inscriptionem.

Et hic psalmus eidem sententiæ cohæret, cui & superior: quandoquidem Saulis prauitatem narrat, verborumq; mendacium. Nã cùm sæpius

sæpius iuratus esset inimicitias finire; iusiurandum violauit, & insidijs vsus est. Rursus autem, Ne corrumpas, additur, quoniam cùm bis in manibus habuisset, occidere noluit.

Si verè vtique iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum.

Hæc cum Saule colloquitur, qui iuratus est non amplius eum insequi, & præter iusiurandum bellauit. Tu inquit, esto Iudex earum rerum, quæ à te fiunt, & tu, cui iudicãdi officium commissum est, rectam, & iustam sententiam profer.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra, iniustitias manus vestræ concinnant.

Et tui sermones sunt pacifici, & tua consilia sunt praua, & machinationes sunt omnibus insidijs refertæ. Considera igitur si res cum sermonibus consonant. Veruntamen frustra meum iudicium tibi tradidi, qui iustè iudicare noluisti.

Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa.

Rursus ait, cùm vos ipsos à veritate separaueritis, falsitatem amplexi estis. Hoc autem *A vulua*, & *A ventre* addidit, quippe quia Deus ante creationem ea, quę ipsis euentura erant, prænouerat. Eodem modo enim Ieremiæ dixit, Antea quàm formarem te in vtero, noui te, & antea quàm exires de vulua, sanctificaui te. Et non Pharaonem impium, & Ieremiam sanctũ fecit, sed quòd Deus tanquam Deus ea, quæ euentura erant, præsciuerit. Ier. 1.

Furor illis secundum multitudinem serpentis.

Malitiam, & calliditatem serpentis imitati sunt.

Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantãtium incantatur incantata à sapiente.

Porrò aures oppilant instar aspidis, cui natura tusitum est hoc facere propter malitiæ excessum, ne carminibus demulceatur, néue cedat incantationi editæ ab illo, qui sapiens vocatur. Nam *Sapientem* hoc in loco impropriè ferarum incantatorem nuncupauit, vt illud, Sapientes sunt ad malefaciendum. Vbi sapiens, & vbi scriba? Neque hos vt veros sapientes nominat, sed tanquam hoc à quibusdam esse videntur. Quoniam enim cùm magnus Dauid multis sermonibus cum Saule vsus esset, & seruum se ipsum nominasset, & illum Dominum & Regem, cumq; per ipsa res ostendisset eius cędem nunquam desiderasse, non persuasit illi, vt inimicitias finiret; præclarè ipsum aspidi comparauit, non secundum naturam obsurdescenti, sed aures obstruenti, vt carminis ingressum repellat. Hæc autem verba, Medicatur medicata à Sapiente, sic Symmachus vertit, Incantatur incantationibus sapientis, Vt manifestum sit incantationem pharmacum nominasse. Iere. 8. 1. Cor. 3.

Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum.

Veruntamen qui vniuersa inspicit, eius machinationes contra nos vanas demonstrabit.

Molas leonum confringet Dominus.

Et in superiori Psalmo Catulos leonũ ipsos nominauit, & hic leones, idcirco & dentium, & molarum meminit. Cęterùm *Molas* vocat interiores dentes, quibus attenuare cibum solemus: per hęc igitur, & illa ostẽdit Deum rerum omnium conditorem vniuersas eorum fraudes dissoluturum esse.

Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens.

Abiecti ait, erunt, instar aquæ dissipatæ, & penitus inutilis.

Intendit arcum suum, donec infirmentur.

Non cessat enim pœnas ipsis infligere, donec eorum potentiam rescindat.

Sicut cera, quæ fluit, auferentur, supercecidit ignis, & non viderunt Solem.

Velut iautem cera, igni admota, & liquefacta, consumentur, & vita priuati erunt. Hoc enim dixit, Et non viderunt Solem, more eorum, qui moriendo, Solis radium intueri nequeunt.

Priusquam intelligerent spinæ vestræ Rhamnum, sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.

Symmachus hanc clausulam manifestius explanauit, Priusquam spinę vestrę crescant in Rhamnum, adhuc viuentes, tanquam turbo omnia siccans, tollet. Quod autem dicit, hoc est, omne quidem peccatum, spinam sacræ literæ nuncupant. Rhamnus autem, spina est, & maxima, & veluti arbor. Minitatur igitur vaticinatio Sauli, & eius asseclis celerem pœnam. Priusquam enim ait, malitia vestra crescat, vt Rhamno similis sit, scilicet maximæ spinæ, plaga à Deo inflicta vos disperdet, & vanos efficiet: quãdoquidẽ hoc dixit, Absorbet. Quemadmodum enim illud, quod absorbetur, deinceps non videtur, sic vos ait, sempiternæ oblitioni trademini, quod etiam accidit. Nam paulò pòst cùm in alienigenarum bello vulnus accepisset, & non amplius suam malitiam auxit, sed inuitus bellum contra Dauidem dissoluit.

Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.

Gaudebit autem virtutis studiosus, cùm malitię operarium supplicijs affectum videat, non illudendo illi, sed perspiciendo diuinam prouidentiam nolentem despicere ab illis iniuria affectos. Manus autem eius lauabit, non sanguine has cruentans, & maculans, sed ostendens, se ipsum innocentem, & ab illius malitia seiunctum. Non enim vt quidam suspicati sunt in sanguine lauatur, sed propter sanguinem lauatur, vt qui nullam communionem cum illo habuerit.

Et dicet homo, si vtique est fructus iusto, vtique est Deus iudicans eos in terra.

Hęc particula *Vtique*, significanter iacet. Dicit autem cùm omnis homo videat impium vitijs affectum in hac vita pœnam pendere; confitebitur Deum esse, qui omnia, quæ fiunt inspicit, & cuncta sapienter moderatur, & iustis quidem congruentes fructus retribuit, & ab his, qui contraria elegerunt, pœnas exigit, & eos dignis supplicijs afficit.

Psalmi LVIII. Interpretatio.

In Finem. Ne corrumpas ipsi Dauidi, in tituli inscriptionem. Quando misit Saul, & custodiuit domum eius, vt interficeret eum.

Cùm Saul inuidia laboraret; mortem Dauidi struebat, & olim ipsum simul conuiuantem telo configere voluit. Cùm autem declinasset, & subterfugisset mortem, conatus est rursus in manus habere, & missis quibusdam, imperauit, vt domum obsiderent, cùm manifestò inimicitias demonstrasset. Verùm vxor eius, filia verò
1. Reg. 19. Saulis, viro suo hoc aperit, & per quandam fenestram ipsum effugere facit. Porrò cùm statuam accepisset, (sic enim historia edocet) lectum componit, & ægrotantis imaginem vestibus concinnat, & à longè ostendit ijs, quibus obsidere domum commissum erat, dicens Dauidem à quodã morbo detineri. Hæc quidem nocte euenerunt, exorta verò luce, patuit Sauli, & eius apparitoribus eum subterfugisse. Tunc igitur beatus Dauid insidias illas declinans, hunc conscripsit psalmum. Verùm de illis, quę tunc acciderũt pauca verba facit, plura autem prædicit, cùm diuini spiritus radium accepisset, cumque Iudæorum furorem in Saluatorem nostrum preuidisset. Etenim Iudæi per milites Domini sepulcrum custodientes, exorta luce, vestimenta quidem inuenerunt, mortuum verò, qui custodiebatur, non amplius viderunt: resurrexit enim mortis imperio expugnato. Proprias igitur insidias beatus Dauid videns, & præuidens eum, qui ex ipso secũdum carnem oriturus erat, grauiora à Iudæis passurum esse, prædicit & gentium vocationem, & Iudæorum dispersionem.

Eripe me de inimicis meis Deus meus, ab insurgentibus in me libera me.

Iustæ Vatis preces sunt: nam ab iniustè bellantibus liberari supplicauit. Deinde horum propositum narrat.

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me.

Homicidæ, inquit, hostes, & iniqui sunt, quibus ne minimam quidem offensionem attuli.

Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.

Vniuersis machinationibus vtentes, perdere me conantur, propria potentia freti, sed par est, vt hi, qui prius iniuria lacessiti sunt, vindictam quærant.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine.

Nulla, inquit, molestia in ipsos à nobis profecta est, cùm me arguere non possent, meam mortem moliuntur.

Sine iniquitate cucurri, & direxi.

Hæc verè Dauidi minimè cõgruunt, verùm
1. Petr. 2. filio, & domino Dauidis: Ille enim solus peccatum non fecit, neque dolus inuentus est in ore eius. Cæterùm tanquàm in figura beatus Dauid hæc dicit, non omnino testificans se ipsum innocentẽ esse, sed edocens, cùm Saulem nulla iniuria affecisset, sed multa, & sæpius beneficia in eum cõtulisset; vniuersas insidias subisse. Sic autẽ Symmachus interpretatus est, Cùm peccatum non sit, sic currunt, vt percutiant.

Exurge in occursum meum, & vide.

Te, ait, vt huius iudex lis, obsecro, qui omnia apertè scis.

Et tu Domine Deus virtutum Deus Israël, intende ad visitandas omnes gentes.

Cùm innocentiam in eo solo, qui ex ipso secundum carnem descensurus erat, contemplatus esset; cumque furorem Iudæorum eiusdem generis contra ipsum spiritu prospexisset; virtutum Dominum, & Israëlis Deum obsecrat, vt Iudæos quidem abiectos relinquat, & in gentes omnem prouidentiam transferat, & lumine diuinæ cognitionis illuminet. Cùm autem hæc gentibus annunciasset, Iudæorum vindictam prædicit.

Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

Quoniam enim propheticis oculis Crucem intuebatur, & exaudire videbatur Dominum dicentem, Pater dimitte illis peccatum, non e- Luc. 23.
nim sciunt, quid faciunt; impietatis excessum execrans, vt nullam vineam consequantur, obsecrat. deinde cœlestis cibi inopiam, quæ ipsis futura est, vaticinatur.

Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem.

Quemadmodũ enim ait, canes vrbium plateas de nocte obire solent, coacti hoc facere ob ventris necessitatem, sic isti omni cœlesti prouidentia priuati erunt, & neque vaticinandi dono perfruentur, & pontificia cura destituti penitus erunt, ac more canis circumcirca ibunt, & ne micis quidem, quæ à mensa dominorum excidunt, secundum euangelicam vocem digni fient.

Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit?

Linguam, ait, veluti quendam mucronem, & gladium exacuunt, cùm verba proferunt: res autem sunt testes verborum: lingua nanque Dominum crucifixerunt, exclamantes, Tolle Luc. 23.
tolle, crucifige eum, & sanguis eius super nos, & super filios nostros. Porrò per satellites Pilati verba ad rem contulerunt, & patibulo Saluatorem clauis confixerunt. Hoc & diuinum oraculum inquit, Ipsi loquẽtur in ore ipsorum & gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit? Quoniam verba proferunt, quibus pro gladijs vtuntur, hæc verò inquit, faciunt, tanquàm nemine inspiciente. hoc enim declarat, Quoniã quis audiuit? Veluti enim nemine nec prospiciẽte, nec exãudiẽte ea, quæ fiunt, nec pœnas exigente, hæc patrare audent. Hanc enim sententiã Symmachus explanauit. Nam pro, Quis audiuit, Tanquam nemine exaudiente, posuit.

Et tu Domine deridebis eos.

Illi quidem igitur hęc audent, tu autẽ & audis, & perspicis, & eorum vanitatem derides.

Ad nihilum deduces omnes gentes.

Non solùm enim illos, verùm etiam omnes gentes superare facile tibi est. sic & diuinus Esaias inquit, excessum diuinæ potentiæ osten- Esa. 40.
dere

dere nitens, Si omnes gentes sicut stilla situlæ, & quasi momentum stateræ, & quasi saliua reputatæ sunt, & reputabuntur, cui comparabitis Dominum, & cui similitudini ipsum assimilabitis?

Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es.

Te, inquit, meæ fortitudinis susceptorem & custodem habeo: quandoquidem tuam prouidentiam consecutus sum.

Deus meus misericordia eius præueniet me.

Anteuertis semper preces ò Domine, & propter excessum benignitatis, obsecrationes non expectas.

Deus ostendit mihi super inimicos meos.

Communes inimicos Vates existimat Saluatoris inimicos. Deinde futura his prædicit.

Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ.

Supplico, inquit, ne extremam perniciem ipsi subeant: sunt enim inter eos multi, qui pœ-
Psal. 6. nitentiæ remedijs curari possunt, Quoniã non est in morte, qui memor sit tui, in Inferno autem quis confitebitur tibi? Quam igitur pœnam ipsis infligere vis?

Disperde illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.

In totum, inquit, orbem eos dissipa, & sparsos, & inquilinos redde, quoniam mala conspiratione contra te vsi sunt. Quænam sit hæc, edocet.

Delictum oris eorum, sermo labiorum ipsorum.

Hæc consonantia sunt his, quæ paulò antè expositа fuerunt. Etenim superius dixit, Ecce ipsi loquentur in ore ipsorum, & gladius in labijs eorum. Et hic rursus, peccatum oris, labiorumque sermonem insimulat; per omnia edocens illius clamoris eos pœnas pendere, quem concordissimè emiserunt, iustam Pilati sententiam deprauantes. nam ille vt innocentem ipsum dimittere volebat, isti verò clamabant,
Luc. 23. Tolle tolle, crucifige eum, sanguis eius super nos, & super filios nostros. Cæterùm hæc manifestius Symmachus exposuit. Nam pro Disperde illos in virtute tua, sic dixit, Transfer ipsos in virtute tua, & dissipa ipsos protector noster Domine, peccato oris eorũ, & verbo labiorum ipsorũ. Exules ipsos inquit, fac, & seruos pro liberis redde, propter peccatũ oris eorum, & propter verbũ labiorum ipsorum. Eodem modo malam illam consonantiam ædificij illius turris dissensione dissoluit, & perniciosæ concordiæ morbo, salutare remedium, linguarum diuisionem attulit.

Et comprehendantur in superbia sua.

Propter ea quæ, ait, patrare ausi sunt, pœnas dabunt. Et Christo, qui salutem largitus est, seruire nolentes, verùm Cæsaris Regnum amplexi, Cæsaris seruituti subijcientur.

Et de execratione & mendacio annunciabuntur in consummatione; in ira consummationis; & non erunt.

Symmachus magis dilucidè hanc clausulam exposuit, Comprehendantur in superbia eorũ execrationes, & mendacia loquentes confice, in ira consume, ita vt non sint. Postquam enim cælumnijs vsi sunt, dicentes ipsum imperasse, ne census Cæsari daretur, & cùm hæc ab eo audissent, qui adhortabatur ipsos, vt ea, quæ sunt Luc. 23.
Cæsaris Cæsari darent, & quæ sunt Dei Deo; execrationibus, & conuitijs ipsum lacessebant, per illas inquit, execrationes, & calumnias, & peccatum oris hanc consumptionem ipsos perpessos esse. *Consumptionem* autem, nõ extremam perniciem vocat, sed eò quòd populus Dei nõ amplius ipsi vocantur: quandoquidem dispersi per orbem, & Romanis seruire coacti, legis cultu priuati sunt, procul à celeberrima metropoli degunt, regio sceptro orbati fuerunt, Pontificis cura minimè perfruuntur, vaticinandi gratia destituti sunt. hoc igitur *Non erunt*, videlicet in populum. Non amplius ait, per se ipsos viuent solam habitantes Palæstinam, & Dei populus appellantur. *Consumptionem* verò, Omnis generis supplicia nuncupat. Etenim Caligulæ tempestate quarti Cæsaris maxima discrimina susceperunt, atque etiam & Neronis tempore in multas calamitates inciderunt. Et Vespasianus multas Iudææ ciuitates obsedit, & Titus cùm Hierosolymam cinxisset, & ciuitatem diripuit, & eos, qui mortem declinarunt, captiuos in seruitutem abduxit. & posthæc in alias res molestas vniuersi generis incurrerũt, & nunc similiter in ciuitatibus, quas incolunt, occasione quadam oblata sæpius inexpiabilia patiuntur, ob execrationes, & mendacia, & peccatum oris pœnas pendentes, atque per ipsas res discunt Crucifixum omnium Dominum constitutum fuisse: hoc nanque Vates inquit.

Et scient quia Deus dominabitur Iacob, & finium terræ.

Nam hoc admirabile fuit, quòd qui ante Crucem ab ipsis Iudæis non credebatur, post iniuriosam illam mortem toti orbi crucifixus dominatur, his quidem sponte colentibus, his verò metu coactis.

Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.

Quoniam enim dixit, In ira consummationis, & non erunt, Ne quis Vatem contraria dixisse opinetur, cùm dixisset, Disperde in virtute tua; iure eodem sermone vsus est, & inquit ipsos instar canum fame laborantium, & de nocte ciuitatem obeuntium, dissipandos esse, nullo cœlesti cibo perfruentes: Quandoquidẽ rerum vicissitudo fuit, Et Iudæi quidẽ, qui olim Filij erãt, ob eorũ scelera Canum ordinẽ sortiti sunt, Gentes verò, quæ quondam canibus similes erant, filiorum honore dignatæ sunt.

Ipsi dispergentur ad manducandum, si verò non fuerint saturati, & murmurabunt.

Symmachus hanc clausulam superioribus adscripsit, ita dixit, Flectantur vesperi, tumultuentur vt canes circundantes ciuitatem volutati, ne ieiuni pernoctent. Porrò secundum Septuaginta, sic intelligendum est, quoniam vt Canes isti per totum orbem terrarum dispersi cœlestem cibum quærent, non inuenientes autem hunc, eò quòd non credunt ei, qui à Vatibus cunctis prædictus fuit, murmurant, in hoc ingratum animum ostendentes,

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane misericordiam tuam.

Illi quidem hæc audentes, talia patientur, Ego verò tuam misericordiam canã, & tuę mentis lumine oriẽte, & diluculo orbi largito, immensam tuam benignitatem omnibus in Ecclesijs celebrabo.

Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ. Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es. Deus meus misericordia mea.

Perfruitus sum nanq; semper tua ope, & per tuam prouidentiam ingruentes calamitates subterfugi, & te fontem misericordiæ, & benignitatis nuncupo. Hęc beatus Dauid propheticis oculis à longè videns; & Iudæorum calamitates prædixit, & ipse semper dominum laudare promisit, & promissiones absoluit, per piorum hominum linguas hymnos afferens.

Psalmi LIX. Interpretatio.

In finem. Pro his, qui mutabuntur. In tituli inscriptione ipsi Dauidi in doctrinam, cùm succendit Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & conuertit Ioab, & percussit Aedon in valle Salinarum duodecim millia. 4. Reg. 13. & 14.

Hæc quidem iam acciderunt, & in secundo Regum libro scripta sunt. Porrò In finem, titulus edocet, vt intelligamus in historia quãdam vaticinationem delitescere. Additum est etiam titulo, His, qui mutabuntur. Mutatio vicissitudinem quandam innuit: non rerum, quæ acciderunt, sed futurarum: non enim dixit, His, qui mutati sunt, sed, His, qui mutabũtur. Cæterùm tituli inscriptio victoriam significat. In summa vaticinationis argumentum ponere necessarium est, cùm supradictas victorias beatus Dauid consecutus esset; præuidit propheticis oculis futuram populi transgressionem, propter quam in seruitutem abducendus erat. Præuidit etiam futurum illinc reditum ob diuinam gratiam, & necessariũ putauit res tristes, & gratas simul scribere, ob vtilitatem futurorum hominum, qui inueniendi erant in illis rebus.

Deus repulisti nos, & destruxisti nos.

Hoc in loco seruitutem prædicit, deinde Dei iustitiam, & benignitatem.

Iratus es, & misertus es nobis.

Ob peccata enim iratus es, post vindictam verò misertus es.

Commouisti terram, & conturbasti eam.

Babyloniorum irruptiones per hæc ostendit: nam instar terræmotus omnia penitus deleuerunt. deinde benignitatem postulat.

Sana contritiones eius, quoniam commota est.

Rursus ea, quæ acciderunt percurrit.

Ostendisti populo tuo dura.

Quænam hæc?

Potasti nos vino compunctionis.

Multitudine enim calamitatum veluti quodam vino nobis torporem induxisti, & nostros animos doloribus replesti. sic nanque Aquila explanauit, Potasti nos vino torporis.

Dedisti metuẽtibus te significationem, & fugiant à facie arcus.

Hoc magis dilucidè beatus Ezechiel edocet, Vidisse nanque ait Angelum ab vniuersorum Deo missum, vt totam vrbem obiret, & imponeret signũ in frontibus gementium peccata populi. Verùm illa erant figura nostra: quan doquidem à diuina gratia verũ signum accepimus, quo vtentes, inimicorum tela superamus. Ezec. 9.

Vt liberentur dilecti tui.

Hoc signo autem ait, eos, qui tibi dicati sunt, conseruas, qui ob suam virtutem tuo amore digni facti sunt.

Saluum fac dextera tua, & exaudi me.

Transfer, inquit, calamitates, quæ tuum populum manent, & veluti quadam dextera tua gubernatione iacentes erige. sic cùm preces attulisset, responsum habet, & hoc occulere non vult, sed omnes edocet.

Deus locutus est in sancto suo.

Hoc est per sancti spiritus gratiam, quæ Vatis lingua pro instrumento vsa est.

Lætabor, & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor.

Sichima, ciuitas est à Iacob Ioseph o derelicta: in hac autem Ephraim post Tribuum diuisionem regnum auxit. *Conuallem* verò *Tabernaculorum*, Israëlitarum regionem dicit, tanquam desertam factam. Promittit igitur Deus omnium conditor eos, qui captiui erant, reducere, & patriam terram distribuere, & sic ipsam habitatorum refertam reddere, vt de mensuris incolæ contendant, & hac re vsi, distributionem faciant.

Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei.

Galaad, non Tribus, sed locus est: *Manasses* verò, habet idem nomen, quod & Tribus. Galaaditem autem terram à principio in hæreditem habuit, propriam igitur dicit & tribum, & huius terram prænuncians & reditum, & locorum illorum habitationem. Ephraim autem pristinam fortitudinẽ se redditurum esse spondet. Porrò Capitis mei, Symmachus, Imperij mei, posuit, videlicet, propugnatorem ipsum, vt olim efficiam.

Iudas Rex meus.

Quoniam enim post reditũ, indiuiduę manserunt Tribus, solum autem Iudam Zorobobel habebant Ducem, & Regem; meritò Ephraim quidem fortitudinem capitis, vel Imperij vocauit, Iudam verò Regem. Hæc clausula *Rex meus*, sic intelligitur, id est, à me electus Rex, qui & meo populo dominatur. Eodem modo apud Esaiam, Hæc dicit Dominus Christo meo Domino, hoc est, à me vncto. Esa. 45.

Moab olla spei meæ.

Hoc Aquila sic interpretatus est, Moab lebes lauacri mei. Syra autem interpretatur, Situla lotionis meæ. Quoniam enim in talibus vasis & pedes abluere, & sordidatam vestem pedibus abijcere solemus, subiectionem Moab per Situlam lotionis meæ ostendit. Olla autem pro pœna, in sacris literis accipitur. sic beatus Ezechiel edocet, iussus Lebetem Hierusalem nuncupare, & carnem incolas, ignem verò Babylonios, & ius necessarium cibum, quo deficiente carnes comburuntur: sic & beatus Ieremias ollam succensam vidit, Et faciem eius à facie Aquilonis. Dicit igitur, Manasses propriã terram recuperabit, & Ephraim pristinum robur recipiet, & Iudas omnium Rex nuncupabitur. Moabitæ autem ipsis subijcientur, & inexpugnabilem eorum fortitudinem intuentes, non solùm illi, verùm etiam Idumæi, & alij alienigenæ. Ezec. 16. Ieremi. 1.

In Idumæam extendam calciamentum meũ, mihi alienigenæ subditi sunt.

Nam præter Moabitas, & Idumæos in seruitutem redigam, & alienigenas seruire cogam. Alienigenas igitur, diuina scriptura Palæstinos vocat, non quòd aliæ gentes eiusdem generis sint, cuius & Iudæi, sed quia cùm aliæ gentes longè distent, Palæstini nõ modò finitimi sunt, verùm etiam inter eos habitant. sic etiam Iebusæi Hierosolymam diu incoluerunt. sic Gabaonitæ Gabaonem terram, & Gazei, & Ascalonitæ, & alij propè habitabant, & hæc magis dilucidè historiæ declarant. cùm hæc ab vniuersorum Deo Vates ita didicisset, populi felicitatem post reditum videre desiderat, & ait.

Quis deducet me in ciuitatem munitam, aut quis deducet me vsque in Idumæam? Nónne tu Deus, qui repulisti nos?

Ciuitatem munitionis, Hierusalem nuncupat, Hanc Symmachus, Munitam interpretatus est. Quoniam enim vastata, atq; mœnibus spoliata fuit, & post reditum proprijs mœnibus instaurata est; Vates cinctam mœnibus videre desiderat, & vsque in Idumæam, vt Rex, currere, & aspicere eos, qui perpetui hostes erant, seruire coactos. Cæterùm hæc inquit, tu Domine fac, qui repulisti nos, & Babyloniorum imperio nos subdidisti. sic cùm bona vaticinatus esset, pro molestis supplicat.

Et non egredieris Deus in virtutibus nostris.

Vides nos inquit, ita acerbè bello petitos, & non Dux es nostri exercitus, neque pro consueto more fortiter te geris.

Da nobis auxilium ex tribulatione, & vana salus hominum.

Hanc coniunctionem ET, cùm permutasset Symmachus, manifestissimam interpretationẽ fecit, Dicit autem sic, Da nobis auxilium ex tribulatione, vana enim salus hominis. Fer opem inquit, malè affectis, quandoquidem tu solus calamitates soluere potes: auxilia autem hominum, cùm tu non exististis, vana sunt. idcirco subiunxit.

In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

Eius opem inquit, implorabimus, & hac freti erimus: Ipsa nanque sola satis est ad res tristes consumendas, atque ad inimicorum nostrorum potentiam euertendam.

Psalmi LX. Interpretatio.

In Finem. In hymnis Dauidi.

Exordium huius psalmi superioris psalmi finem sequitur. Nam cùm dixisset, In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos; edocet captiuum populum, quas preces Deo afferre decet.

Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.

Admitte, inquit, meas preces ò Domine, & benignè verba orationis meæ exaudi. Deinde edocet, qui sint ij, qui deprecantur.

A finibus terræ ad te clamaui.

Quoniam enim multorum dierum itinere Babylon à Palæstina distabat, ij qui in seruitutem abducti erant, extremitates terræ se incolere suspicabantur, illam terram habitare coacti.

Dum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me.

Obsecro autem te, vt consolationem à te consequar. Nam conquerens, atque imminentes calamitates deplorans; tua ope perfruitus sum, hostibusq; superior euasi.

Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.

Cùm tui auxilij particeps esse sperassem; spe minimè deiectus sum: quandoquidem fuisti mihi & Dux, & turris fortitudinis. Ob tuam enim curam cùm inimicorum insidias subterfugissem; reditum consequebar.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula, protegar in velamento alarum tuarum.

Tabernaculum Dei, Hierosolymam nominat: in illa enim se ipsis conspiciendum præbebat. Dicit igitur, cùm reditum consecutus fuero; continuò tuo templo assidebo, & tua prouidentia perfruar. *Alas* nanque, Dei gubernationem vocat. Hoc autem, *In secula*, pro Continuè, posuit.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meã, dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Semper autem te celebrabo. Quoniam cùm meas preces admisisses, hæreditatẽ nostris maioribus promissam nobis illorum posteris reddidisti. Hæc verò dicunt, cùm primùm iter ingressi essent. Sciendum est igitur supradicta verba veræ hæreditatis ænigmata continere, vera autem hæreditas est vita æterna, de qua inquit dominus Christus hominibus, è dextera consistentibus, Venite benedicti patris mei, hæredes estote Regni, quod paratum est vobis ante mundi constitutionem. Hanc hæreditatem Dominus timentibꝰ eum se daturum spopondit, & his tanquam in figura promissam terram reddidit. Matth. 25.

Dies super dies Regis adijcies, annos eius vsque in diem generationis, & generationis, Permanet in æternum in conspectu Dei.

Cùm ita supplicassent, cumq; ea, quæ petierunt accepissent, præter hæc à Deo omnium conditore hanc gratiam postulant, vt diutius Regem sibi datum conseruet. Tunc autem Zorobobel ipsis imperabat: verùm non omnia vaticinationis verba ei congruunt. Hoc enim, Dies super dies Regis adijcies, illi conuenit, cętera verò nequaquam, verùm ei, qui ex illo secundum carnem descensurus erat: In illo enim vaticinationis verba vera fuerunt. Anni eius

vsque in diē generationis & generationis, permanet in æternū in conſpectu Dei. Idem enim Vates in centeſimo primo pſalmo dicit illi, Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Zorobobel igitur Domini Chriſti figura fuit: nam quemadmodum è Babylone captiuos in patriam terram reduxit, ſic Dominus Chriſtus omnem humanam naturam in ſeruitutem redactam in antiquam generis nobilitatem reuocauit, & deuicto mortis imperio, his, qui ſub illo viuunt, vitam largitus eſt.

Veritatem, & miſericordiam eius, quis requiret?

Quis inquit, poteſt veram, & iuſtam Dei miſericordiam accuratè diſcere? etenim eius iudicia abyſſus multa.

Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, vt reddam vota mea de die in diem.

Nam ſemper te ſingulis diebus celebrabo, tua beneficia enarrabo, atque vota non mentiar. *Vota* enim, Promiſsiones vocat.

Pſalmi LXI. Interpretatio.

In Finem. Pſalmus Dauidi. Pro Idithum.

Symmachus autem ſic explanauit, Triumphalis per Idithum, Cantus in Dauidem. Declarat igitur pſalmum beati Dauidis eſſe, Idithum verò eum ceciniſſe, vt enim præfectus chori, Deum rerum omnium largitorem in diuino templo laudat, ſicut Paralipomenon liber inquit. Pſalmus autem Macedonicos impetus, atque illuſtris Antiochi contra Machabæos inſidias vaticinatur, pietatiſque athletas edocet, quibus verbis in rebus aduerſis vti debeant.

Nónne Deo ſubiecta erit anima mea?

Cùm diuinā legem tranſgredi coacti eſſent, & Idolis ſacrificare, atque ſuillas carnes participare; propriam mentem in pietatem accendunt, & pro religione ſtudium exacuunt, nónne ò anima omnibus rebus Dei cultum præfers? Deinde vtilitatem, quæ hinc percipitur, edocent.

Ab ipſo enim ſalutare meum: Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus, ſuſceptor meus, non mouebor amplius.

Ipſe cultus ò anima tibi ſalutem præbet: nam ipſe eſt Deus & bonorum omnium largitor, & ipſe poteſt eos, qui commouentur, confirmare. Opem eius igitur implorans, ab ijs, qui deijcere conantur, liberabor. ſic cùm ſuas ratiocinationes accendiſſent, in aduerſarios, ſermones transferunt.

Quouſque irruitis in hominē, interficitis vniuerſi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ?

Porrò ſenſus huius verſiculi perplexus eſt. Quouſque crudelitate contra nos vtimini, & naturæ communitatem non conſideratis? verùm tanquam murum inclinatum, & macerié, quæ à vento lapſum timet, irruere, & deijcere feſtinatis, internecinam ſententiam habentes, videlicet, ne valdè efferamini, tanquam nos imbecilles eſſemus: habemus enim adiutorem vniuerſorum Deum.

Verùntamen pretium meū cogitauerunt repellere.

Vnum inquit, ſtudium habent, vt Dei prouidentia me priuent, à qua omnem honorem, & gloriam habeo: quandoquidem piorum hominum honor, ſeruire Deo eſt. Idcirco & diuinus Paulus vbiq; ſeruū Chriſti ſe ipſum nominat.

Cucurrerunt in ſiti.

Has autem inſidias nō ſubſeciuis horis contra me ſtruunt, ſed cum omni ſtudio hoc faciunt, ſitientes me in foueā impietatis deijcere. Quibus autem machinationibus vtuntur?

Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.

Blandis quidem verbis vtuntur, trucidare conantes, verùm perniciem intus occultam habent. ſic cùm illorum inſidias demonſtraſſent, rurſus ſibi ipſis imperant, vt forti animo ſint, & diuinum auxilium expectent.

Verùntamen Deo ſubiecta eſto anima mea, quoniā ab ipſo patientia mea.

Ne derelinquas ò Anima Dei cultum, verùm auxilio ab ipſo allato confirmata, moleſtiarum impetus perfer.

Quoniam ipſe Deus meus, & ſaluator meus, adiutor meus non emigrabo.

Nam ipſum ſciens, & verum Deum eſſe, & ſalutis fontem, non patiar, vt ſeruitutem permutem, vtq; ad alterius imperium confugiā. Hoc enim, Non emigrabo, pro, Non transferar, poſuit. Non ero ait, profugus, & impietatis miniſter.

In Deo ſalutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.

Iiſdem ſermonibus ſæpe vtuntur, Deum, & Saluatorem, & gloriam, & adiutorem Deum rerum omnium conditorem vocantes, vt impietatis impetus repellant. Idcirco & alios omnes conterraneos in eandem pietatem excitant, non ferentes, vt ſoli ipſi victores vocentur.

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter in æternum.

Omnibus hominibus neglectis ò mei conterranei, in eo firmā ſpem conſtituite, & omnē mentem in ipſo collocate, abſque vlla dubitatione adiumentum ab ipſo expectantes. Hoc enim, Effundite coram illo corda veſtra, hoc ſignificat, videlicet, Omnes cogitationes conſecrate, nec vllam dubitationem admittite.

Verùntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant.

Hanc clauſulā magis clarè Theodotion explanauit, Atqui vapores filij hominum, mendaces filij hominum, vt momentum ſtateræ. Nihil, ait, ſtabile in humanis rebus eſt, verùm vapori ſimile eſt ſurſum ſublato, & actutum diſſipato. Momento ſtateræ ſimile eſt etiam, quæ modò deorſum vergit, modò autem ſurſum fertur, & nihil firmū, & permanens habet. Porrò interpretatio Septuaginta ſic intelligenda eſt, Vanæ quidem omnes res humanæ ſunt, veruntamen plurimi confidunt fluxis rebus tanquam perennibus, qui æquitatem deſpiciunt, iniquæ autem mentis trutinam tenent, & iuſtitiam quidem contemnunt, iniuſtitia verò gaudent.

Ipſi

Ipſi de vanitate in idipſum.

Veruntamen nullum fructum hinc reportant, quandoquidem omnia vana ſunt, quæ velociſsimam viciſſitudinē ſuſcipiunt: ſic enim Symmachus expoſuit, Ipſi euaneſcunt ſimul. Hinc admonitionem aduerſarijs, qui diuitijs exultant, afferunt.

Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere.

Ne ait, humanam felicitatem ex iniquitate congeſtam amore dignam exiſtimetis.

Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.

Inſtar autem fluuij, videntes opes ad veſtras domos confluere, nolite illis veſtram mentem ſummittere. Et cur hæc conſulis, & commonefacis?

Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.

Audiui, inquit, à Deo rerum omnium conditore declarante, Iudicium & malorum, & bonorum remunerationem fore. Cæterùm hoc verbum *Semel*, nō vt numerum oſtenderet poſuit, ſed vt rem, quę omnino futura eſt, demonſtraret. Declarauit inquit, ſemel Deus, nec fieri poteſt, vt id non eueniat. *Due* verò dicit, contra iniquos pœnam, & benignitatem, quę pijs conceditur. Hæc igitur legem ferens Deus promiſit, Ego enim ſum inquit, Dominus Deus tuus, Deus Zelator, vindicans peccata patrum in filios, vſque ad tertiam, & quartam generationē, odio habentibus me, & cuſtodientibus mandata mea. Exod. 20.

Pſalmi LXII. Interpretatio.

Pſalmus Dauidi, Cùm eſſet in ſolitudine Idumææ.

Fugitans Saulē beatus Dauid, venit ad Achimelech, & illinc ad Achim, qui in Gethregnabat, deinde rurſus in periculū incidens, & hoc declinans, peruenit in ſolitudinem, in qua præſentem conſcripſit pſalmum, amorem patefaciens, quem in Deum habebat, Sauliſq; interitum prædicens.

Deus Deus meus ad te de luce vigilo, ſitiuit in te anima mea.

Deſiderium, inquit, quod erga te Domine habeo, & ſomnum exigit, & in tuum cultum me excitat.

Quàm multipliciter tibi caro mea.

Theodotion explanauit, Multipliciter: Aquila verò, Intenta eſt: Symmachus autem, Deſiderat. Omnes autem interpretationes poſui, vt docerem hanc particulam ποσαπλῶς non diuidi, vt ſegregetur πῶς ab ἁπλῶς, ſed eſt vna pars orationis exaggerationem deſiderij ſignificans. Reſpondet enim ait, caro animi amori, & illius ſtudijs non repugnat: vult autem dicere, Anima mea, & corpus meum auet, & exoptat te: quemadmodum ille, qui aquam dulciſsimam, & pellucidam ſitit.

In terra deſerta inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi.

Nullum damnum à ſolitudine percepi, ſed vt ille, qui tuo tabernaculo aſsidet, ſic tibi laudes affero. Hoc enim *In ſancto*, Tabernaculum dicit: Nondum enim diuinum templum erectum erat.

Vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Aſto autem tibi, inexplicabilem tuam potentiam contemplans. Quoniam enim tuam naturam nemo aſſequi poteſt, à rebus à te factis occaſionem laudandi te arripio.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te.

Nam tuam miſericordiam malo, quàm vitam diuitum, & potentium, & ocioſam, & negotijs impiicitam, & delicatam, & remiſſam, & in tuas laudes labia moueo.

Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.

Hoc autem per totam meam vitam perficiā, labijs quidem laudans, manus verò expandens, tuam benignitatem poſtulans.

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.

Porrò has tuas laudes animæ pinguedinem exiſtimo, & pinguem, & opimam hanc fieri opinor: quandoquidem tuorum oraculorum meditatio, voluptas, & ſempiternus cibus eſt.

Et labijs exultationis laudabit os meum.

Idcirco cum omni animi propenſione hymnum tibi afferam, ſciens lucrum, quod hinc percipitur.

Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus, & in velamento alarum tuarum exultabo.

Symmachus autem hanc clauſulam ſic explanauit, Recordor tui ſuper ſtratum meum, per ſingulas vigilias meditabar te, & amictus ſub alis tuis benedicebam. Cæterùm Vigilias nocturnas dicit: Diuidentes enim nocturnū tempus ij, quibus commiſſum eſt, vt cuſtodiāt, hoc faciunt, ſibi ipſis ſuccedentes, & alij quidem in tres partes diuidunt, alij verò in quatuor. Et Dominus in quarta vigilia noctis ad ſacros Apoſtolos venit. Dicit igitur diuinus Dauid ſuper ſtratum iacens, dulciſsimum ſomnum per ſingulas vigilias exegi, tuam contemplationem habens, hymniſq; beneficia à te in me collata cōpenſābam. Nam veluti quodā alarum tegumento tua inexpugnabili prouidentia me cuſtodis. Marc. 6.

Adhæſit anima mea poſt te.

Nequeo, inquit, vel paululū meam mentem à tua memoria diuellere, ſed veluti quodam poculo amatorio calido inflammatus, tuo amori alligatus ſum mea memoria, perinde ac aliquo glutino. Deinde oſtendit amoris fructum.

Me ſuſcepit dextera tua.

Cùm enim videas me ſic affectum, tuo auxilio me dignum iudicas.

Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam.

Cùm nihil deliquerim, ſtudent tamen me de medio tollere.

Introibunt in inferiora terræ.

Atqui noui eos morte afficiendos. Deinde etiam interitus modum prædicit.

Tradentur in manus gladij.

Hoc ab hoſtili dextera patientur.

Par-

Partes vulpium erunt.

Et hoc inquit, non à potentioribus quibuſdam hoſtibus patientur, ſed à finitimis alienigenis, qui quidem more vulpium nonnunquã inuadunt, identidem verò exagitati, fugiunt. Porrò expeditus ſenſus horum verborum hoc tacitè innuit, plures ex his, qui in conflictu occumbent, ne ſepultura quidem dignos fore, ſed à feris dilaniandos.

Rex verò lætabitur in Deo.

Ego verò, inquit, cùm regnum abs te acceperim, non ob illorum interitum lætabor, ſed ob tuum tantùm auxilium, quo fretus omnes inimicorum inſidias effugi.

Laudabuntur omnes, qui iurant in eo, quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

Omnes autem poſthac audacter Regem nominabunt, & per huius Caput iurabunt, non amplius veriti ſycophantas, quorum os morte obſtructum eſt. Saule enim inquirente; timebant cum Dauide colloqui: hoc autem mortuo, omnes deinceps condignum honorem ipſi Regi habebant, & Regis ſalute, pro iureiurando vtebantur: hinc arrepta occaſione conciliandi ſibi apud illum dignitatem & gratiam.

Pſalmi LXIII. Interpretatio.

In Finem. Pſalmus Dauidi.

Et hic Pſalmus eiuſdem eſt argumenti: narrat enim inſidias à Saule comparatas, & prædicit ſe ab illis liberum fore.

Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam.

Admitte, inquit, Domine meas preces, meamq; mentem confirma, ne hoſtiles impetus formidem.

Protege me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.

Conuentum, vocat Concordiam, & conſpirationem in malis, quam vt ſuperet etiam atque etiam rogat, diuina ope tanquã muro quodam munitus. Deinde percurrit omnes illorum machinationes.

Quoniam exacuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum,

Calumnias, inquit, ſtruunt in bellum, quod in me comparatur, & id quidem cùm nullam ipſis dederim cauſam. *Immaculatum* enim vocauit hîc eum, qui culpæ eſt expers. Rem verò amaram, Aquila, Verbũ amarum dixit, & Theodotion, Sermonem amarum, & Symmachus, Impleuerunt arcum ſuum, ſermonem amarum. Hoc autẽ, In occultis, Symmachus dixit, Clanculum, hoc eſt, inſidijs, & dolis vtentes: hoc autem ſequentia indicant.

Subito ſagittabunt eum, & non timebunt.

Inſidiantes, inquit, de repente inuadunt, non timentes Deum, qui omnia videt.

Firmauerunt ſibi ſermonẽ nequam, narrauerunt, vt abſconderent laqueos.

Hoc apertius Symmachus dixit, Firmauerunt ſermonem prauum, narrauerunt, vt occultarent laqueos. Etenim cùm meam molirentur mortem, narrauerunt, & conſultarunt, quibus machinationibus contra me vtendum eſſet, & re ipſa ſermones confirmarunt. Hæc autem committere audent, propterea quòd neminem putant rebus humanis præeſſe. Hoc nanque ea, quæ ſequuntur declarant.

Dixerunt, quis videbit eos?

Oppinantur, ait, neminem eſſe iudicem eorum, quæ fiunt.

Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.

Omnem, inquit, adhibuerunt mentem, omnes aduerſum me excogitarunt inſidias, nullam doli ſpeciem intactam reliquerunt, palàm inuadentes, clanculum inſidiantes, ſpeculatoribus vtentes, ſolitudines obeuntes, ſaxoſa loca inquirentes.

Accedet homo, & cor altum, & exaltabitur Deus.

Hoc explanatius Theodotion interpretatus eſt, dicit autem ſic, Et mentem, & profundum cor hominis Deus configet. Etſi enim millies ſua praua ſtudia occultarint; manifeſta tamen ſunt Deo omnia inſpicienti, qui propriam oſtendit altitudinem, dum pœnas à nequam hominibus exigit.

Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorũ, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.

Cæterùm qui iſta atrocitate vtuntur, ſua opinione decepti ſunt: Quemadmodum enim iacula à pueris emiſſa nihil damni afferunt his, qui petuntur, ſic iſtorum linguæ nihil offerunt eos, qui configuntur, imò in caput ipſorum, qui percutere conantur, omne malum recidit.

Conturbati ſunt omnes, qui videbant eos.

Qui verò ipſos inſpiciunt à ſuis prauis conſilijs aberraſſe; perturbationis, & formidinis implebuntur, vel potius impletiſunt, diuinamque prouidentiam timuerunt. hoc autem ſequentia indicant.

Et timuit omnis homo, & annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt.

Cogitantes enim, & reuoluentes Dei regimen, diuinum iudicium timuerunt.

Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo.

Qui enim egregiè diuinas leges meditantur, voluptate affecti, fixam in Deo ſpem habent.

Et laudabuntur omnes recti corde.

Nam qui ſuam mentem Deo adhibent, neque ſinunt, vt à via recta aberrent; etiam ab hominibus gloriam conſequentur.

Pſalmi LXIIII. Interpretatio.

In Finem. Pſalmus Dauidi.

In nonnullis exemplaribus adiungitur, Canticum Ieremiæ, & Ezechielis, & populi peregrinantis, cùm profecturi eſſent. Hæc non leguntur neque in Hebraico, neque in alijs Interpretibus, neque apud Septuaginta in Sexcuplici, ſed quidam fortaſſe, cùm neq; pſalmi ſententiam attendiſſet, neque hiſtoriam didiciſſet, hanc appoſuit inſcriptionem. Primùm omnũ enim

enim Ieremias minimè fuit particeps illius ſeruitutis, ſed conceſſa ſibi electione viuendi, vbi liberet; voluit in Patria vitam degere. Quapropter verba huius pſalmi nequaquam conueniunt ijs, qui in ſeruitutem proficiſcebantur. Cùm enim procul eſſent à Patria, & Deum laudare deſiderarent, & hoc ne facerent cùm à lege prohiberentur, (eorum nanque eſt vox, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?) dicebant in Babylone, Deum precantes. Pſal. 136.

Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem.

Porrò omnia, quæ in hoc Pſalmo dicuntur, Babyloni commorãtibus accommodata ſunt: quandoquidem iſti ob reuerſionem gaudentes, hunc hymnum Deo afferunt. Horum autem predictioni immiſta eſt etiam vaticinatio gentiũ ſalutis. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem. In illa, ait, ciuitate hymnum tibi afferri precepiſti, ibi igitur vt hunc tibi reddam, obſecro.

Exaudi orationem meam.

Admitte, inquit, meas preces, & à ſeruitutis vinculis me libera.

Ad te omnis caro veniet.

Hoc apertè vaticinationem de vera Dei cognitione, quam gentes habituræ ſunt, continet. Nam nunc, inquit, vt nos reuerſionem conſequamur, ſupplicamus, vtque in conſecrato tibi templo hymnum tibi apportemus. Et paulò pòſt, tota hominum natura ab errore multitudinis Deorum liberata; ad te verum Deum confugiet.

Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos.

Symmachus autem ſic vertit, Sermones impiorum tyrannide me preſſerunt, impijs, ait, & iniquis hominibus ſeruire cogor. Deinde ſeruitutis cauſam declarat.

Et impietatibus noſtris tu propitiaberis.

Non iniuſtè, ait, ad ſeruiendum condemnatus ſum, verùm ob antiquam impietatem à me audacter patratam, à qua ob tuam benignitatem liberari obſecro. Hinc beatam exiſtimant vitam, quæ domi tranſigitur, quippe quæ ſit magiſtra, & conciliatrix pietatis.

Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, habitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis domus tuæ.

Felix, inquit, & beatus populus, qui omnibus gentibus à te prælatus eſt: ſanctis enim tuis atrijs aſsidens; illinc vtilitatem, & diuinam gratiam reportabit.

Sanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate.

Tuum enim templum ſanctitatis refertum eſt, & tuam iuſtitiam per tua oracula eos, qui accedunt, docet.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longe.

Rurſus hoc in loco orbis ſalutem prædicit, atq; Patriarchæ Iacob vaticinationis meminit: ipſius enim eſt vox, Non deficiet Princeps ex Iuda, & dux ex femoribus eius, donec veniat, cui repoſitũ eſt, & ipſe erit expectatio gentium: Hunc hîc ſpem vocauit omnium finium terræ, & in mari longe. Significat autem per Geneſ. 49.

hæc in inſulis habitantes, & homines in continentibus è regione, eoſq; qui ſorte electi ſunt, vt fines terræ incolant: Exaudi nos, inquit, tu, qui paulò pòſt omnem hominum naturam diuinæ cognitionis lumine illuſtras. Deinde Dei potentiam (vt licet) narrat.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius quis ſuſtinebit?

Hanc vocẽ *Præparans*, Firmans, Symmachus dixit, & Conturbans: Theodotion, Mitigans, explanauit. Dicit autem montes quidem ſtabiles, & immobiles facis, mare autem moues, cùm vis, & rurſus ſedas, cuius neſtrepitus quidem remanet audientibus. Perficis aũt vnumquodque eorum inexplicabili potentia vtens, qua veluti quodam cingulo cingeris. Quoniã enim cinctus ad conficiendum quod vult, magis expeditus eſt; Zonam eleganti figura Dei virtutem nuncupauit. Hinc deinceps noui teſtamenti officia perſequitur.

Turbabuntur gentes.

Apoſtolorum præconia declarauit, quæ tumultum, & tempeſtatem hominibus actutum concitarunt ſecundum Domini vocem, Veni nanque ſegregare hominem à proximo ſuo, filium à patre, filiam à matre, & nurum à ſocru. Pòſt autem tempeſtatẽ ſedauit, & pacem omnibus conceſsit. Matth. 10.

Et timebunt, qui habitant terminos à ſignis tuis.

Præceſsit nanque tumultus, conſecutus eſt autem timor ob miraculorum magnitudinem exortus, & pietatem docuit.

Exitus matutini, & veſpere delectabis.

Nam miraculorum timore homines perculſi, priſtinum errorem derelinquentes, & verum Deum cognoſcentes, exoriente, & occidente Sole gratam, & iucundam hymnorum cantilenam Deo afferent. Hoc Symmachus oſtendit, Progrediente diluculo, & veſperi hymnos dicent.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam.

Symmachus autem ita dixit, Fructuum vbertate ipſam ditabis. Nam non amplius nobis ſolis myſticam pluuiã afferes, ſed totum orbem ad ſatietatem vſque irrigabis, Multiplicaſti, vt locupletes eam.

Flumen Dei repletum eſt aquis.

Symmachus tria cum deſiderio poſuit, Viſita terram, Potabis eam, Fructuum fertilitate locupletabis ipſam, riuulis Dei aquarum refertis. Porrò orbem diu ſterilem, fructuoſum, & ſimul frũctibus onuſtum Dominus reddidit, diuinis riuulis irrigationem afferens. Riuuli autem diuini aquarum referti, quinam alij eſſe poſſunt, quàm diuini Apoſtoli? de quibus Dominus Chriſtus, inquit, Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, fluuij ex ventre eius fluẽt aquæ viuentis. & rurſus, Qui bibit ex aqua, quam ego dabo illi, non ſitiet in æternum, ſed erit aqua, quam ego dabo illi fons aquæ viuentis ſalientis in vitam æternam. Cæterùm Dei flumen ſecundum Septuaginta, eſt ſpiritus ſancti gratia, quæ in riuulos diuiſa, & huic quidem ſermonem Ioan. 4. Ibidem.

nem sapientiæ effundens, alij verò scientiam suppeditans, alij autem medicamentorum gratiam, & alij genera linguarum, & per hæc orbem terrarum irrigans.

Parasti cibũ illorum, quoniam ita est præparatio.

Porrò Symmachus hoc modo vertit, Facies, vt omne semen eius opportunos fructos ferat, sic confirmans ipsam. Nam cùm à pristino errore ipsam liberasses, perfecisti, vt virtutis fructus opportunè ferat, qui te delectabunt, agricolas verò nutrient. Secundum enim Septuaginta, fructus, qui producitur, est serentium cibus. Parasti enim, inquit, cibum illorum, quoniam est præparatio tua. Propterea, inquit, perfecisti, vt ipsi fructum ferant, vt per hunc alantur.

Riuos eius inebrians.

Hinc manifestum est, vaticinationem rerum futurarum esse, & nequaquam narrationem earum rerum, quæ acciderunt.

Multiplica genimina eius.

Perseuera, inquit, ò Domine, quemadmodum quosdam riuos eorum mentes irrigare, & in fertilitatem excitare.

Instillicidijs eius lætabitur germinans.

Stillicidia autem à diuinis concionatoribus opportunè allata, multa lætitia ipsam afficient, & vt floreſcat, facient.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.

Esa. 61. & Luc. 4. *Annus bonitatis* apud Esaiam vocatur annus domini acceptus. Spiritus enim, inquit, Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, prædicare annum Domini acceptum, Annum igitur bonitatis, tempus post Saluatoris nostri humanitatem nuncupat, tanquàm quandam vbertatem afferens pietatem scilicet: huic igitur diuinum oraculum benedictionem precatur.

Et campi tui replebuntur vbertate. Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur.

Hac autem bonitate exoriente, quæ olim solitudo erat, maturum fructum dabit, & aræ Idolorum sacrificijs inquinatæ, excipientes eos, qui Deum semper laudant, quiq́ue Angelorum vitam amplectuntur, splendidæ, & illustres erunt. Porrò verba ad rem collata sunt: quandoquidem intuemur omnes currentes ad eos, qui montis crepidinem occuparunt, & ad summum virtutis cumulum peruenerunt,

Induti sunt Arietes ouium.

Ezech. 34. *Arietes ouium*, Ezechiel Vates, Potentes nominat, sed illeeos accusat, quòd bona pascua pascebant, & reliqua pedibus conculcabant, atque puram aquam bibebant, & reliquam pedibus turbabant. Hic autem bona his vaticinatur, dicit enim ipsos vestiri, & indui: naturam verò indumenti diuinus Paulus declarat, Quicunq; enim, ait, in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quoniam enim piscatores à principio, & mercenarios, & pauperrimos Dominus Christus elegit, spiritus gratia vaticinatur etiam diuitum, & potentium salutem: idcirco, inquit, Induti sunt Arietes ouiũ: Nam non

Ad Gal. 3.

solùm oues, verùm etiam ipsi arietes ad salutare baptisma accedunt.

Et valles abundabunt frumento.

Pauperes autem quadam veluti sorte electi, quiq́ue pietatem exercere decreuerunt; proprium fructum Deo afferent: hic quidem triginta, hic verò sexaginta, & hic centum.

Clamabunt etenim hymnum dicent.

Porrò omnes, quià principio electi sunt, cum omni animi studio Deum laudabunt, qui hanc vicissitudinem hominum naturæ largitus est. Scimus igitur nonnullos Interpretes verba Psalmi summatim attendentes, dixisse singulas res, quæ in hoc psalmo cõtinentur, post seruitutis reditum accidisse, cùm præter libertatem vberrimum anni statũ habuerint, & abundantes imbres, vt & Iordanes inundaret: ipsum enim Dei flumen vocari dixerunt. Ego autem cùm nihil eiusmodi ab historia fuisse didicissem, (in multa enim inopia, & diu vixerunt, vt Hesdras edocuit) cumq́ue inuenissem in psalmo claram vaticinationem de gentium salute; (Ad te enim, inquit, omnis caro veniet, Et, Exaudi nos Deus salutaris noster spes omnium finium terræ, & in mari longè) hunc sensum verbis illis accomodatum esse censui. Qui verò fabulis se oblectant, & Hierosolymæ ædificationem fingunt, & proprias cogitationes, veluti somnia narrant, non fuisse hæc, sed fore post Iudæorũ reuocationem dixerunt, præter aliorum dogmatum euersionẽ hanc fabulam componentes, quos cum suis deliramentis derelinquamus, & nos diuina oracula attingamus cum Dauide exclamantes, Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis.

Psal. 11.

Psalmi LXV. Interpretatio.

In finem. Canticum psalmi Resurrectionis.

Hic titulus apud Hebraicum exemplar non legitur, neque apud alios Interpretes, neque apud Septuaginta in Sexcuplici, verùm nonnulli (vt verisimile est) hanc inscriptionem apposuerunt. Cæterùm diuinus Dauid captiuis, qui Babyloni erant, hunc psalmum conscripsit, qui nõ amplius vt reuerterentur rogabant, sed iam reditum consecuti erant, & iter arripuerant. Prædicit etiam gentium salutem.

Iubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.

Omnes homines, inquit, nobiscum hymnos communicate, & debitum honorem Deo nobiscum mittite. meritò autem in eandem communionem omnem hominum naturam accersunt, quandoquidem in ipsis omnium salus adumbratur: nam vt illi ex Babyloniorum seruitute liberati fuere, sic omnes homines ab acerba Dæmonis tyrannide absoluti sunt. Deinde hymnorum cantilenæ modum edocent.

Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua domine? in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Pro viribus, inquit, admiramini miracula à Deo vniuersitatis edita. Tanta enim & talia sunt,

sunt, vt magnitudo eorum, quæ acciderunt, ab impijs minimè credatur. Habet autẽ alium sensum à veritate confirmatum hæc clausula, In multitudine virtutis tuæ mẽtientur tibi inimici tui. Cùm, inquit, lumine diuinæ cognitionis terrarum orbem illustraueris, atque ad pietatem plures conuerteris; tunc qui perfidiæ tenebris detinentur, pietatem simulabunt, impietate abiecta, & hoc cõtinuè fieri videmus: multi nanque græco errori inseruientes, hunc manifestò confiteri non audent, & cùm Iudæi vrgentur, Crucis trophæum celebrant, & vndique vaticinationis veritas elucescit.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo altissime.

Hoc manifestius Symmachus dixit, Omnes, qui supra terram sunt, venerabuntur te, canentes laudabunt nomen tuum. Cæterùm hæc vaticinatio est præsentis temporis, quo omnibus in gentibus vniuersorum Deus laudatur, & Dominus Christus altissimus ab omnibus vocatur.

Venite, & videte opera Dei, quàm terribilis in consilijs super filios hominum.

Adhibete, inquit, mentem, & singula considerate, quæ à Deo omniũ conditore facta sunt, eiusq́ue admirabilem sapientiam admiramini, per quam hominum genus ad pietatem ducit. sic enim & Theodotion intellexit, Terribilis in consilijs super filios hominum. sed Symmachus, Terribiles artes pro filijs hominum, exposuit. Terribilibus enim, ait, admirabilibusq́; artibus pro omnium salute vsus est. Deinde narrat ea, quæ olim acciderunt.

Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede.

Hoc in loco tempus mutatum est: præterita enim tanquam futura dixit. Alij verò tempus permutarunt, & Symmachus sic dicit, Conuertit mare in aridam, flumen transierunt pede. Hic enim est, inquit, Deus, qui & nobis reditũ, & vobis salutem largitus est, qui olim & maris flumen diffidit, nostrosq́ue maiores sine vllo discrimine transire fecit.

Ibi lætabimur in ipso.

Hoc est, apud Iordanem: huius enim reminiscentes, & docentes, quo modo ipsum maiores nostri transierunt, subiunxerunt, Ibi lætabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in æternum.

Sempiternum habet, inquit, Imperium, & Regnum sine fine.

Oculi eius super gentes respiciunt.

Non modò de nobis curam gerit, verùm etiam toti orbi prouidet, & omnibus paulò pòst suam scientiam præbebit. sic cùm hoc Vates apertè vaticinatus esset, deinde cùm interioribus oculis præconio repugnantes perspexisset; manifestissimè illorum perfidiam, & superbiam prædicit.

Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Hos quidem Theodotion, Declinantes vocauit: Deficientes, verò Aquila: Manifestius autem Symmachus dixit, Infideles non exaltentur in semetipsis. Cæterùm videmus huius vaticinationis finem. Quandoquidem tres, vel quatuor Græci in impietate perseuerantes, sibi ipsis placent, minimè cum multitudine consensisse: hos diuinum oraculum commonefacit. Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis. irritant enim in se ipsos iustum Iudicem, iustamq́ue pœnam sibi asciscunt.

Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius.

Ακουτίσατε, Auditam facite, Symmachus dixit. Pergunt autem gentes adhortari, vt à patrijs institutis desciscant, illorumq́; Deum laudent, & huius potentiam ignorantes doceant: hoc enim dixit, Auditam facite, videlicet, Alios docete.

Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.

Nam cùm impijs hominibus me tradidisset; non siuit me aberrare, rectamq́ue viam linquere. Verùm notandum est hæc omnia piorum chorum percurrisse, simul enim cum eis homines pietate fulgentes misit, tanquam quosdam præceptores, & pædagogos, vt vngerent, & illuminarent, & ducerent omnes in pietatem: Talis fuit Daniel, talis Ezechiel, Ananias, Azarias, & Misaël, his, & talibus hæc verba supradicta dicere congruit: ex persona enim illorum spiritus gratia hæc conscripsit.

Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Hæc enim nos pati permisisti, ostendere volens pietatis nostræ integritatem.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.

Talis fuit caminus, in quo spiritus flans refrigerabat athletas. *Laqueus*, Leonum lacus, & erat ineluctabilis laqueus, veruntamen per diuinam gratiam hunc laqueum Vates effugit. Verisimile autem est ipsos verberari, & cædi, veluti captiuos, & seruos ab his, qui eos ceperunt. Propterea dixerunt, Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra: seruos pro liberis fecit. Veruntamen ab omnibus his liberati, reuersionemq́; consecuti, sacrificia à lege cõstituta afferemus, & hoc enim subiunxit.

Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutũ est os meum in tribulatione mea.

Quod, inquit, promisi cùm mœrebam, cumq́; obsecrabam, beneuolè persoluam.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hircis.

Quod tibi afferre decet, libẽtissimè sacrificabo. *Medullata* verò vocauit Pinguia, & Opima: sic enim & lex offerre præcepit pura, & optima. Verùm Malachias Vates execratur eos, qui talia habent, & cæca, & manca adducũt: Hoc fuit principium illorũ malorum Chain. Discimus autem per hæc Deum venerari illis rebus, quas charissimas, & pretiosissimas habemus.

Malac. 1.

Venite, audite, & narrabo vobis omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

Non frustra,inquit,hęc dona afferre promitto , verùm cùm magna munera ab ipso consecutus fuerim, quæ & vos discere dignos existimo,qui diuinũ honorem habetis. Eodem modo in vigesimo primo psalmo inquit,Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Cæterùm per hęc discimus his communicare,& his
Matt. 7. præcipuè res diuinas enarrare oportere.Ne detis enim, inquit , sancta canibus, nec proijcite
Esa. 24. margaritas vestras ante porcos. Et mysteria mea mihi,& meis.

Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea.

Symmachus autem sic explanauit , Ore meo imploraui , & actutum lingua mea in altum elata est. Cùm primùm enim preces attulissem; petitiones mihi concessæ fuere,& lætitiæ refertus , in gratiarum actionis hymnum linguam impuli.

Iniquitatem si aspexi in corde meo , non exaudiat Dominus.

Symmachus sic dixit,Iniquitatem si pręuidi in corde meo, ne exaudiat Dominus. Si obsecrando, inquit, à seruitute liberari, & reditum consequi , aliquam iniquitatem post reuersionem me facturum esse cogitaui, diuinam benignitatem ne consequar. Quoniam autem non mentior,res testantur.

Propterea exaudiuit Deus, & attendit vocem deprecationis meæ.

Cùm enim me purum, & innocentem à talibus cogitationibus vidisset; copiosè suis donis dignum fecit. sic cùm hæc piorum chorus persecutus esset ,in hymnũ sermones concludit.

Benedictus Deus,qui non amouit orationẽ meam, & misericordiam suam à me.

Hymnis,inquit,beneficij auctorem remunero, qui preces meas admisit, & misericordiam largitus est.

Psalmi LXVI. Interpretatio.

In Finem. In hymnis Cantici Psalmi Dauidi.

Hic psalmus clarum sensum habet , & multorum verborũ anfractu in interpretationem non opus est: prædicit enim Dei verbi humanitatem,& salutarem aduentum,omniumq; gentium salutem.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis,illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Cùm sanctissimus Vates propheticis oculis futuram omnibus hominibus salutem per diuinum aduentum præuidisset; supplicat,vt hic quàm celerrimè concedatur , vt benedictionem,quę ex hoc procedit,percipiamus omnes. Deinde per ea,quæ sequuntur, hoc manifestius nos edocet.

Vt cognoscamus in terra viam tuam.

Vt,inquit, terram incolentes semitam ad te ferentem discant, & ad ipsam ducantur. Et ne quis opinetur de Iudæorum terra hæc dicta esse,iure apposuit.

In omnibus gentibus salutare tuum.

Supplico , inquit , vt tuus conspectus appareat , vt gentes in tenebris sedentes illuminet, & ad salutem attrahat.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. lætentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate , & gentes in terra dirigis.

Propterea conuenit,vt omnes populi,& gentes,quę per totum orbem sunt,lætentur,& tripudient,tuaque beneficia narrent:quandoquidem cognouerunt, nihil eorum,quæ sunt,neglectum, & sine cura esse : verùm te omnium Iudicem existere, qui iustas sententias pronũcias, atque errantes ad veritatem conuertis: credere verò nolentes supplicijs afficis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Non temerè eundem sermonem repetiuit, verùm auditores attentiores reddere voluit.

Terra dedit fructum suum.

Non amplius homines ex terra nati, Deum, qui omnibus præest, ignorant, qui secundum Vatem,inuenit omnem viam scientiæ,Posthæc Baruc. 3.
in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est: idcirco dulcissimum pietatis fructum illi afferent.

Benedicat nos Deus Deus noster , benedicat nos Deus.

Quemadmodum bis gentes ad hymnos canendos excitauit, eodem modo bis benedictionem illis quæsiuit. Sciendum est autem, quòd benedicẽtes homines Deum, verba tantùm illi afferunt , operibus verò illum beneficijs afficere non possunt: Deus autem benedicens , sermones operibus confirmat, & omnis generis bonorum vbertatem benedictis præbet. Deinde edocet, quomodo possit diuinam benedictionem consequi.

Et metuant eum omnes fines terræ.

Qui enim religiosè erga diuinas leges affectus est,futurumq; iudicium timet; per harum obseruantiam Deum colit. Diuinus autem cultus benedictionem operatur, ipse igitur psalmi finis non Iudæos, sed omnes homines docuit, vt diuinũ timorem habeant, & declarat ipsum esse Deum nostrum, qui salutem ijs, qui in eum credunt,tractauit. Erubescant Hæretici impiè agentes , & minimè confitentes ipsum Deũ ex Deo, vnigenitum patris filium ante secula, qui nouissimis diebus ipse filius hominis factus est immutabiliter (vt dicimus) ob hominum salutem.

Psalmi LXVII. Interpretatio.

In Finem. Psalmus Dauidi.

Videns beatus Dauid impietatem , quæ inter homines versabatur , & Dæmonis imperium,edoctus autem à sancto spiritu aduentum Dei & Saluatoris nostri ; petitionem affert, rogans,vt quàm celerrimè veniat, & recipit actutum futurorum declarationem,& eodem tempore docetur, & edocet humanæ naturæ salutem, hostiumque perniciem , & omnino admirabilem rerum vicissitudinem.

Exurgat

Exurgat Deus , & dissipentur inimici eius, & fugiant,qui oderunt eum, à facie eius.

Tempus est , inquit, vt tu domine exurgas, vtque hominum salutem procures : quamprimum enim totum inimicorum agmen in fugam conuertetur , tuĩ aduentus splendore dissipatum. Cæterùm hoc verbum *Exurge*, (vt sæpius diximus) non modò patientiæ cessationem vocat, verùm etiam Resurrectionis Saluatoris mũdi per tres dies : cùm libentissimè pro nobis mortem subijt.

Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Quemadmodum enim ventorum impetus fumum dissipat, vt cera igni admota dissoluitur , sic ô Domine tua præsentia hominum hostes penitus vanos reddes. Quos nanque Peccatores, Septuaginta dixerunt , Impios nominarunt omnes alij Interpretes , & Hebraicum exemplar,& Syrum.

Et iusti epulentur.

Cùm autem, inquit, hoc perfectum fuerit; lætitiæ refertus erit iustorum chorus.

Et exultent in conspectu Dei , & delectentur in lætitia.

Ostendit per hæc non contra homines has preces attulisse , verùm contra Dæmones, hominibus bellum inferentes,quibus dissipatis,& vanis effectis exultant gentes, & Deum, qui salutem largitus est,laudant.

Cantate Deo, & psalmum dicite nomini eius , iter facite ei,qui ascẽdit super occasum, Dominus nomen illi, exultate in conspectu eius.

Hic propheticus sermo sacros Apostolos adhortatur,vt cum tripudijs,& hymnis ad gentes currant, iterque vniuersorum Imperatori præ-
Matt. 28. parent. Similia sunt hæc ijs, quæ à Domino dicta fuere, Euntes docete omnes gentes, baptizantes illas, In nomine patris & filij, & spiritus sancti. Per hanc autem disciplinam , & baptismatis regenerationem aspera via fiet facilis,& præparatur Deo volenti habitare in ipsis & inambulare secũdum Vatem:Super occasum au-
Luc. 12. tem ipsum cõscendisse, inquit,ostendens tenebras,quæ in terra hominũ animis obfusæ sunt. Hoc quidẽ sic Symmachus dixit,Sternite viam ei,qui vehitur in terra inculta: Inculta autẽ est solitudo,quam sæpius sacræ literę gentes nuncupant, Lætare enim, inquit, desertum sitiens.
Esa. 54. Et rursus,Multæ filię desertæ, magis quàm eius quæ habet virum . Hanc solitudinem & incultam terram,& lumine priuatam, & idcirco occasum nominatam,sol iustitię ingressus,& caliginem dissipauit,& suum templum effecit.

Turbabuntur à facie eius patris orphanorum , & iudicis viduarum.

Non ferunt nanque eius conspectum,iustum ipsum iudicem esse scientes : Nam propter viduarum tutelam, & orphanorum curam, eius prouidentiæ iustitiam ostendet. Hunc dæmonum tumultum, & timorem diuinorum Euangeliorũ historia nos edocet : intelligimus enim
Matt. 8. ipsos dicentes , Quid nobis & tibi fili Dauid, venisti ante tempus torquere nos?

Deus in loco sancto suo.

Quoniam dixit, Exurgat Deus, & Iter facite illi,qui ascendit super occasum;iure hanc clausulam apposuit, quasi dicat, Nemo opinetur vniuersorum Deum gubernare loci mutatione vtentem:simile est illud,quod à Domino dictũ Ioan. 3.
est, Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo,filius hominis,qui est in Cœlo:per hæc enim ostendit diuinam naturam minimè circunscribi posse,& docuit descẽdisse, & cùm in terra degeret, & cum hominibus versaretur, tamen in cœlis erat , à patre nunquam separatus.

Deus , qui inhabitare facit vnius moris in domo, qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

Vnanimes, vocat eos, qui vnum propositum habent,quique de sola virtute rationem habere decreuerunt,& non modò hæc,& modò illa malunt : hos in diuina domo inhabitare dicit. *Vinctos* autem,eos,qui vndique peccati vinculis circundati sunt , quos solutos, fortes euasuros esse prędixit. Talis fuit Matthæus,talis Iacobus Alphæi,talis Zachæus, qui à peccati vinculis liberati, valde viriliter contra eum, qui eos vinxit,bellum susceperunt. Non solùm autem, inquit, vinctos viriles reddit, verùm etiã eos,qui in cumulũ impietatis peruenerant,& tanquam in sepulcris grauiter olentibus , videlicet in proprijs corporibus habitabant ; hos inquam cum illis salute dignos faciet.

Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est, et enim cœli distillauerunt.

Hanc clausulam Symmachus sic interpretatus est, Deus cùm præcederet populum suum, & ambularet per incultam terram, terra cõcussa est,& Cœlum stillauit. Cùm,inquit, transiturus esses in illam solitudinem , & terram incultam , & quæ nondum radium luminis accepit; agitasti terram & commouisti,& è cœlo gratiæ rores stillasti. Hoc autem tempore crucis accidit,quandoquidẽ terra mota est,& petræ scissæ sunt:hoc verò post in cœlos reditum,tũc enim Ioan. 20.
insufflata est spiritus gratia Apostolis,quę similis fuit quibusdam roris stillicidijs. Deinde manifestius Iudæos edocens Deum omnia hæc facientem, subiunxit.

A facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.

Qui enim in Sinai monte, inquit, maioribus nostris apparuit, hic & terram commouit tempore Crucis,(nostram insaniam redarguens)& spiritus gratiam largitus est.

Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.

Quemadmodum superius Rores vocauit, hoc in loco Pluuiam nuncupauit: ad vtilitatem nanque discentium,gratia affatim præceptoribus suppeditabatur. *Pluuiam* enim, Doctrinæ irrigationem vocat. *Voluntariam* autem appellauit ob liberum arbitrium , non enim ex necessitate irrigatur aliquis , sed doctrinæ acquiescens,consequitur gratiam.

Et infirmata est, tu verò perfecisti eam.

Infirmatam esse ipsam hæreditatem, inquit: infirmitatem verò impiorum impetus nuncu-

 pauit,

Cor. 12. pauit. sic & Dominus Paulo, inquit, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate perficitur. Verùm irruptionis tempore confirmas, & corroboras athletas: hos enim habes hereditatem, secundum vaticinationem dicentem, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessioné tuam terminos terræ. Porrò Symmachus sic exposuit, Quam effecisti, & fundasti. & Aquila manifestius dixit, Tu fundasti eam, quę laborabat: Eam enim quę in persecutionibus multos suscepit labores, intrepidam reddidisti. (Psal. 2.)

Animalia tua habitabunt in ea.

Animalia Dei, sacros Apostolos nuncupat, quibus conscensis, errorem exegit, hominesq; ad Dei cognitionem conuertit. sic & de Paulo testatus est, Quoniam vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filijs Israël: Idcirco ipsos equos diuinus Abacuc nominauit, Ascendere fecisti enim, inquit, in mari equos tuos, turbátes aquas multas. Hos habitare in Dei hęreditate, hoc est, in gentibus, diuinum oraculum prædixit. Habitant enim vsq; ad hodiernum diem, qui non modò sepulcris sanctos reddunt accedentes, verùm etiam doctrina suorum scriptorum hominum animos conuertunt. (Act. Apost. 6; In Canti.)

Parasti in bonitate tua pauperi Deus.

Hæc autem, inquit, inopi hominum naturæ ob tuam bonitatem largitus es.

Dominus dabit verbum euangelizantibus in virtute multa.

Quos superius Animalia appellauit, hoc in loco Euangelij præcones nominat. & quoniam piscatores erant, & publicani, & coriarij, electi sunt autem pręceptores Philosophorum, & Sophistarum, & Rhetorum, & eorum, qui ob dicendi facultatem se ipsos efferebant, meritò edocet, vnde haurientes doctrinæ flumina irrigationem afferunt.

Rex virtutum dilecti, speciei domus tuæ diuidere spolia.

Symmachus verò hoc modo exposuit, Dominus dedit verba euangelizantibus multo exercitu. Reges militum dilecti fuerunt, amabiles facti sunt, & regimen domus [illegible] spolia. V[illegible] qui [illegible] scri- [illegible] & nemo mi- [illegible] exercitus Du[illegible]. Reg[illegible], horum præceptores appellau[illegible], amabilesq; nominari dixit. sic au[illegible]sos, & Dominus vocat, Vos amici mei estis [illegible] non dicam vos seruos, sed amicos. sic & diuinus Apostolus dicit, Si enim dilectio Dei continet nos; quis separabit nos à dilectione Christi? *Spolia* verò nuncupat eos, qui sua membra peccato seruientia fecerunt, quique hæc in seruitute Diabolo obiecit: hos autem sacris Apostolis distribuit, cùm hunc quidem Romanis pręceptorem, hunc verò Grecis præfecisset, & hos Indis, & hos Aegyptijs præcones declarasset. Hæc spolia sacris Apostolis species domus distribuit. *Domus* auté *Dei* secundú diuinum Apostolum, hi, qui credi- (Cap. 1.; Ioan. 15.; Roma. 8.)

derunt sunt. *Species* verò *Domus*, est gratia spiritus sancti, quę hanc pulchrá, & illustrem reddidit, vniuersi generis donorú largitione. & hoc magis dilucidè per ea, quæ sequuntur edocuit.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.

Pennas verò *Columbæ* vocat Spiritus gratiam: in specie namq; Columbæ apud Iordanis flumen apparuit. Dorsum autem auro ornatum esse dicit: nam hæc quidem simpliciora, & faciliora puris affert, perfectioribus verò altiora, Mysteria enim mea mihi, & meis: & his quidem vt puris lac præbet, his verò solidum cibum. Esa. 24. *Cleros* autem nuncupat Duo testamenta. Dicit igitur, ad vtriusque doctrinam accedite, & videbitis omnem spiritus sancti gratiam. Non simpliciter tamen accedere, sed etiam cótinenter assidere iussit. Hoc enim significauit, *Si dormiatis*, Eò quòd qui dormit, immobilis permanet.

Dum discernit Cœlestis Reges, super eam niue dealbabuntur in Selmon.

Et superius Reges, Apostolos nuncupauit, tanquam Regni cœlorum hæredes, vt etiam in quadragesimo quarto psalmo Principes nominauit, Constitues enim eos, inquit, Principes super omnem terram. Cæterùm spiritus sancti aduentum prædicit, in die Pentecostes, in quo ipsi linguarum discriminis gratiam acceperút. Dicit igitur ea tempestate, qua ipsis orbis terrarum regna diuidit, & hunc quidem his gentibus, hunc verò illis præesse iubet; illustrabit ipsos, & similes niui ostendet. Prædicit autem etiam locú, in quo hæc fient. *Selmon* enim Hierosolymam nominauit: in illa nanque ciuitate Apostolorum chorus degés, sancti spiritus gratiam consecutus est.

Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis.

Quos vocauit Animalia, & Euangelij pręcones, & Reges, & Montem nuncupat: sic etiam Dominus in sacris Euangelijs, inquit, Non potest ciuitas abscondi, supra montem posita. Sic etiam Esaias clamat, Erit nouissimis diebus mós Domini perspicuus. Pinguem enim ipsum, & casei refertum vocat, tanquam satis cibi gregibus in ipso pascentibus præbentem, & multam vbertatem à diuina gratia recipientem. (Matt. 5.; Esa. 2.)

Vt quid suspicamini montes coagulatos? mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.

Aquila sic dixit, Cur æmulamini editos mótes? mons, quem desiderauit Deus, vt ibi se ipsum collocaret. In Iudęos diuinum oraculum inuehitur, & iniqua Hæreticorum conuenticula, qui se ipsos ecclesiam nominant, & inquit, Cur efferimini æmulando, & æquiparando vos monti, quem Deus habitaculum suum reddidit?

Etenim Dominus habitabit in finem.

Non enim sicut apud vos Iudæi præfixum tépus habitauit, sic & in hoc docebit, sed sempiternam habitationem in hoc habebit: Hoc enim declarat, *In Finem.*

Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium,

Nam

Nam non sicut apud vos Iudæi paucos sanctos habuit, super quibus conscendit, & in quibus habitauit, sic & nunc habebit. Ex illis nanque infiniti sunt, diuina conscensione digni: Noua enim hæreditas mille habet, & decé millia sanctorum hominum lætantium, & afferentium Deo pium cultum, qui rectè viuunt, & coronas merent, quiq; ad præmium cœlestis vocationis festinant.

Dominus in eis in Sina in sancto.

Qui in móte Sinai nostris maioribus se conspiciendum præbuit, ipse etiam hos reget: non enim alius ille, & alius hic: Etenim ipse Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. sic cùm propheticus sermo demonstrasset eum, qui descendit, quique hostium agmen euertit; ostendit ipsum ascendentem, & ijs, qui olim captiui erant, libertatem largientem. (Roma. 10.)

Ascendisti in altum, captiuam fecisti captiuitatem.

Ascensus descensum ostendit, & testis Apostolus dicens, Quod autem ascendit, quid est, nisi quod & descendit prius in inferiores partes terrę? Qui descendit ipse est, & qui ascendit supra omnes cœlos. Captiuam autem fecit captiuitaté, cùm recepisset eos, qui olim captiui facti erát, & quasi vicissim captiuam cepisset ipsam seruitutem, & libertaté ipsis largitus esset. (Ephes. 4.)

Accepisti dona in hominibus.

Ibidem. Apostolus dicit, Dedit. vtraque autem acciderút: quandoquidem qui accepit ab accedentibus fidem, largitur gratiam.

Etenim non credentes inhabitare.

Hanc clausulam manifestius Aquila interpretatus est, Vtiq; non credentes, vt in ipsis habitares. Non respexisti, inquit, in antiquam eorum perfidiam, verùm & repugnantes videns, perseuerasti eos beneficijs afficere, donec ipsos propriam habitationem redderes.

Dominus Deus benedictus, benedictus Dominus die quotidie.

Meritò sanctissimus Vates ad canendos hymnos linguam soluit. semper inquit, laudatu dignus es, cùm hac benignitate vsus fueris.

Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Qui salutem nobis, inquit, donauit, hic nobis & iter complanabit, ne his bonis frustremur.

Deus noster Deus saluos faciendi.

Concedet autem hoc, cùm sit fons salutis.

Et Domini Domini exitus mortis.

Ipse enim nobis aperuit ineluctabilem mortis custodiam, & portas æneas confregit, & vectes ferreos cótriuit, & hoc per ea, quæ sequuntur declarauit.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Reserauit nobis, inquit, mortis ianuas, cùm capita inimicorum confregisset, qui inquirunt hominum peccata, quiq; ne capillum quidem capitis inexploratum relinquunt. Dicit autem per Capillum, minimum peccatum. Quod verò, ait, hoc est, peccantibus Deus mortem præscripsit: Inquirens autem Diabolus, veluti quidam acerbus carnifex hominum vitam, ne minimum quidem peccatum despicit: verùm naturam humaná morte mulctat. Cùm eadem igitur natura Dominum Christum circundatum vidisset; accessit, inquirens causas mortis: hoc enim & Dominus in sacris Euangelijs inquit, Venit princeps mundi huius, & in me nihil inueniet. Veruntamen cùm nihil inuenisset, eum tamen morte affecit. Hæc verò iniustitia illius imperium euertit, hominibus autem Inferos reserauit, quemadmodum in sermonibus de prouidentia pluribus verbis dictum est. & diuinus Apostolus, Diabolú mortis imperium habere dixit. (Ioan. 14.; Hebr. 2.)

Dixit Dominus ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris.

Porrò Symmachus sic exposuit, Dixit Dominus ex Basan conuertá à profundis maris. *Basan* autem in linguam nostram couersa, Dedecus sonat. Dedecus verò fructus est peccati: ab hac igitur nos vniuersorum Deus conuertet, & à profundo maris. Quid sit verò maris profundum, ipse Vates docet, exclamans.

Vt intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Sic Symmachus hanc clausulam explanauit, Vt frangatur pes tuus cum sanguine, & lambat cruorem lingua canum tuorum ab vnoquoq; inimicorum tuorum. Quoniam enim ostendit vniuersorú Deum veluti quendam virum fortem victorem hostes expugnantem, & eos, qui iniustè captiui erant liberantem, sermone describit, sanguinum riuos, & mortuos conculcatos, hosque insepultos proiectos, canibusque in escam expositos. sic per Esaiam exclamat, Torcular calcaui solus, & de gentibus nullus est mecum: calcaui eos in furore meo, deduxi in terram sanguinem eorum, & vestimenta mea aspersa sunt victoria illorum. (Esa. 63.)

Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

Ingressus Dei, Gubernationes vocat. *Sanctum* autem, Templum ex semine Dauid erectum. Clara ait, omnibus hominibus tua prouidentia facta est, & varias tuas dispensationes omnes cognouerunt.

Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.

Hinc deinceps Ecclesiarum lætitiam docet. *Principes* verò sacros Apostolos appellat, tanquam harum architectos factos. *Iuuenculas* autem *Tympanistrias*, Puellas vocat virginitatem exercentes, & diuinam symphoniam Deo afferentes. Deinde ea, quæ dicta sunt manifestiora facit.

In ecclesijs benedicite Deo Domino de fontibus Israël.

Demonstrauit veteris testamenti cessationem: quandoquidem vnum erat Iudæorú templum; hîc verò Ecclesiarum multitudinem vaticinatur, in quibus ex Israëliticis fontibus Deum rerum omnium conditorem laudari pręcipit. Cæterùm Fontes Israëlis iure quis nominare poterit Vatú libros, ex quibus dulcem

cantum Deo afferimus. Quoniam autem prꝛeter propheticos fontes, Apoſtolicos etiam nobis largitus eſt; meritò ſubdit.

Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.

Aquila autem dixit, Ibi Beniamin paruus imperans ipſis: ſecundum Theodotionem verò, Præceptor illorum. Porrò *Beniamin adoleſcens,* Philip. 3. eſt beatus Paulus, qui ex tribu Beniamin ortus eſt: *Adoleſcens,* tanquam poſt omnes vocatus, & appellatus. Prætera Adoleſcentem ipſum Actuum hiſtoria vocat. Hic eccleſijs imperat, & inſtruit gẽtes, & volẽtes ad ſalutem ducit. Fuit autem in exceſſu mentis, cùm didiciſſet in cœlis eſſe eum, quem ipſe perſecutus eſt, quemque mortuum exiſtimauit. Poſtquam autem non modò beatus Paulus, verùm etiam reliquus Apoſtolorum chorus res diuinas credentes docet; meritò & de his propheticus ſermo mentionem fecit.

Principes Iuda duces eorum, Principes Zabulon, & Principes Neptalim.

Ex his nanq; Tribubus cæteri Apoſtoli originem duxerunt, & illi, qui vocabantur Fratres Domini, ex tribu Iudæ genus traxerunt. Petrus autem, & Andreas, & Iacobus, & Ioannes, & Philippus ex oppido Bethſaidæ fuerunt: Matthæus, & Iacobus dicti ſunt habitare Capharnæum. Simon Zelotes Cananæus nominatus eſt. omnia autem hæc loca Galilææ ſunt. Zabulon, & Neptalim ibi ſuam habuerunt ſortem, & huius rei duo ſunt teſtes, vnus quidem Vates, alius verò Euangeliſta, hic prædicens, hic verò teſtimonium perhibens. Dicit autem ſic, Terra Zabulon, & terra Neptalim, & cæteri maritimam regionem incolentes, trans Iordanem Matth. 4. & Galileæ gentium, populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Eſa. 9.

Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, à templo tuo in Hieruſalem.

Symmachus autẽ ſic expoſuit, Impera Deus de fortitudine tua, corrobora hoc Deus, quod feciſti nobis per templum tuum, quod eſt ſuper Hieroſolymam. Confirma, inquit, domine gratiam, quam dediſti per templum tuũ, quod ex nobis reparaſti, quod collocaſti ſupra omne imperium, & potentiam, & poteſtatem, & ſuper omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. *Hieroſolymam* enim cœleſtem ciuitatem nuncupat, de qua Galat. 4. beatus Paulus teſtatus eſt, Verùm ſuperna Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum. Petunt igitur per cognationem, quam cum templo habent, vt gratia, quæ ipſis conceſſa fuit, roborentur, vtq; ob ſacrificium fruantur cumulo beneficij in ſe collati. Hinc prædicit mutationem Regum.

Tibi offerent Reges munera.

Cùm enim à perſecutionibus deſtitiſſent, debitum honorem tanquam Deo afferent, & quemadmodum ipſi tributum à ſubditis accipiunt, ſic ipſi veluti ſerui, & ſubditi tibi dona afferent, & huius rei teſtes ſunt oculi, intuentes vaticinationis veritatem.

Increpa feras Arundinis.

In aliquibus autem exemplaribus, Nemori, habetur: ſiue Nemus ſit, ſiue Arundo, peccatũ per hæc ſignificatur. Porrò in his locis feræ rationis expertes luſtra habent, quas per diuinam implorationem Vates nos exigere docuit.

Congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos, qui probati ſunt argento.

Tauros vocat Iudæorum multitudinem, ob eorum vſitatam audaciam. *Iuuencas* verò *populorum,* eos, qui ex gentibus crediderunt, nominauit propter nouitatem vocationis. Prædicit igitur diuinum oraculum Iudæorum impetus factos in principio diuini præconij contra homines pios. Hoc verò, inquit, facient, volentes ipſos excludere, & felicitate eos priuare, quæ ipſis data fuit, qui inſtar argenti igne examinati, declarati ſunt eſſe probati. Hoc de ipſis beatus Paulus inquit, Aemulantur vos non bene, Galat. 4. ſed cõtendentes excludere, & varias ſanctorum cædes efficientes, iure etiam de his inquit.

Diſſipa gentes, quæ bella volunt.

Sic cùm de illis, qui contradicunt, vaticinatus eſſet, orationem transfert in credentes.

Venient legati ex Aegypto.

Porrò primùm de Aegypto mentionem facit, vtpote quæ ab ab antiquo impietatis imperio emerſerit. Meminit autem horum Actuum Act. Apoſt. 2. hiſtoria, commemorãdo eos, qui collecti erant in die Pentecoſtes, qua ſancti ſpiritus gratia ſuperuenit Apoſtolis.

Aethiopia præueniet manus eius Deo.

Et hoc euentum ſortitum eſt: teſtis eſt Eunuchus Candacis Reginæ Aethiopum, quem Act. Apoſt. 8. Philippus ad veritatem deduxit. Deinde totius orbis regna vocat.

Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino.

Omnes, inquit, qui per tõtum orbem terrarum eſtis, diuinæ cognitionis lumen accipite, & pro pietate hymnos afferte.

Qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem.

Dominus enim Chriſtus non modò in hc cœlum, quod videtur aſcendit, verùm etiam ſuper illud, quod eſt ſuper hoc, & ſedit in dextera magnificentię in excelſo cœnaculo, omnibus hominibus radios ſui orientis demittens.

Ecce dabit vocem ſuam vocem virtutis.

Significat autem per hæc poſt Saluatoris noſtri aſſumptionem, ſpiritus ſancti aduentum: nam hunc Dominus etiam virtutem appellauit, Manete enim inquit, in ciuitate hac, donec Luc. 24. induamini virtutem ex alto. Cæterùm de hac voce etiam beatus Lucas mentionem facit, dicens, Facta eſt autem vox de cœlo tanquam ve- Actor. 2. nientis ſpiritus vehemẽtis, & impleuit domum vbi erant ſedentes.

Date gloriam Deo.

Simile eſt hoc lationi Apoſtolicæ legis. Glorificate enim, inquit Deum in corpore veſtro, 1. Cor. 6. & in ſpiritu veſtro, quæ ſua ſunt: nam cùm tot tantaque bona conſecuti ſimus; iuſtum eſt ſemper beneficij auctorem laudare.

Super Iſraël magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.

Ex Iſraël nanque ſacri Apoſtoli originem trahentes, Dei magnificentiam oſtendebant per ea,

per ea, quæ edebant miracula, & qui illis ſucceſſerũt, cùm docendi munus præceptoris more obiiſſent, veluti quædam nubes aquam è pelago ſpiritus ſancti haurientes, irrigationem hominibus afferunt.

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.

Cæteri verò inquit, omnes virtutis ſtudioſi ad diuinas laudes celebrandas accingunt ſe, Matth. 5. ſecundum Domini vocem dicentem, Luceat lux veſtra cõram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.

Deus Iſraël, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem populo ſuo.

Non temerè autem hoc in loco de Iſraël meminit, ſed quoniam cùm Iacob Eſau timuiſſet, deinde cùm diuino conſpectu dignus factus eſſet; corroboratus eſt, mentiſq; timorem diſcuſſit. Edocet autem nos ſermo eum, qui illum fortem reddidit, & inimicis ſuperiorem effecit, nouum ſuum populum confirmaturum, & pacatum, & inuictum effecturum eſſe.

Benedictus Deus.

Finis accommodatus eſt pſalmo: quandoquidem oportebat, vt tantorum bonorum narratio diuino hymno concluderetur.

Pſalmi LXVIII. Interpretatio.

In finem. Pro his, qui mutabuntur. Pſalmus Dauidi.

Quarundam rerum viciſſitudinem pſalmus prædicit. Dictatus eſt in Iudæos, qui exules Babyloni erant, & formatus eſt tanquam ab illis deprecantibus & libertatem poſtulantibus: Veruntamen vaticinatur, & à ſeruitute liberationem, & reditũ, & Hieroſolymæ ædificationem, & prorſus priſtinã Iudææ felicitatem. Cõtinet etiam vaticinationẽ de Domini cruciatibus, & propter hos vltimã Iudæorum perniciem, quæ eos apprenſura erat. Quoniam enim quæ ab inimicis perpeſſi ſunt, hæc contra beneficij auctorem, & Saluatorẽ auſi fuerũt, quæ inimicis precabãtur, hęc in ipſos iuſtus iudex pronunciauit.

Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.

Piorum frequentia has preces affert. *Aquas* verò, vocat Calamitatum multitudinem: vndique ait, res moleſtæ circunſtant me.

Infixus ſum in lumo profundi, & nõ eſt ſubſtantia.

Symmachus ſic vertit, Immerſus ſum in infinitas voragines, & non eſt ſtatus: ex tranſlatione eorum, qui in profundum mare inciderunt, quique vel maximè deorſum feruntur, & vix fundum attingere poſſunt. Declarat autem per hæc malorum magnitudinem.

Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.

Varijs figuris orationem exornat, non inueniens dignam comparationem malorum, à quibus detinebatur.

Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ.

Semper, inquit, ſupplicans exclamo; vt & ipſa inſtrumenta vocis laborent. *Clamorem* verò Intentionem obſecrationis mentis dicit.

Defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.

Porrò hoc dixit ex tranſlatione eorum, qui aliquem neceſſarium & notum peregrè redeuntem expectant, & vias circumſpiciunt. Defeſſus ſum, inquit, tuam opem expectans. Deinde quæ ſuperius ex tranſlatione poſuit, manifeſtius edocet.

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Cõfortati ſunt, qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè.

Et numerum ſuperant hoſtes, & magnam habent potentiam, & odio me proſequuntur, licet odij cauſam ipſis non dederim.

Quæ non rapui, tunc exoluebam.

Minimè peccaui & iniuſtè pœnas luo: non enim ego prior ipſos lædens, ab illis in ſeruitutem redactus ſum.

Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.

Omnia ò domine tu cognoſcis, & nihil eorum, quæ fiunt, te latet. ſcis igitur me in illos nihil commiſiſſe: tuas autem leges tranſgreſſus ſum. Hoc illi ſimile eſt, Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Pſal. 50.

Non erubeſcant in me, qui expectant te domine, domine virtutum. non confundantur ſuper me, qui quærunt te, Deus Iſraël.

Ne ſim, inquit, alijs pœnæ exemplar, expectans quidem à te ſalutem, deceptus verò mea ſpe, ſed diſcant per ea, quæ mihi contigerunt, illi, qui tui notitiam habent, quòd ſperantium in te, ſalutis, & non decoris es auctor.

Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam.

Dedecore repletus ſum, tua opprobria recipiens: quandoquidem aſsiduè aduerſarij mihi obtrectant, tuam imbecillitatem, meam ſeruitutem appellantes.

Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.

Enumerat miſerię cauſas, in miſericordiam illum, qui miſericors eſt, excitans. & prius quidem impiorum probra poſuit, deinde cognatorum, & ſociorum ſegregationem: quandoquidem tanquam bello captum non permiſerunt me inter cognatos verſari.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

Non parum autem ſanctæ tuæ domus, & impiorũ irriſio diſcruciat, & angit me: non enim ex mea imbecillitate ea, quæ contra illum à me facta ſunt; ratiocinantur. & propterea maledictis contra te prolatis pungor: videor enim ipſorum ego cauſa eſſe. Illud verbum Comedit me, Symmachus, Conſumpſit me, dixit.

Et operio in ieiunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi, & poſui veſtimentum meũ cilicium, & factus ſum illis in parabolam.

Propter hæc diſcrucior, & ieiunio macero corpus, verùm & hoc ipſum illis ridendi anſam præbet: affligo autem me ipſum, etiam ſacci amictu, lugubrem habitũ gerens, & hinc etiam illuſionis cauſam arripiunt.

Aduerſum me loquebantur, qui ſedebant in por-

ta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.

Et in conuentibus, inquit, & in conuiuijs mea iactant, & illudunt mala. Olim enim iuxta portas conuentus habebant.

Ego verò orationem meam ad te Domine.

Symmachus autẽ sic, Oratio mea ad te Domine. His inquit ita actis, ego ad te faciem protendo, & à te expecto opem.

Tempus beneplaciti Deus.

Symmachus autem sic, Tempus reconciliationis Deus. Satis est, inquit, pœna, qua me affecisti. Tempus iam est, vt hanc dissoluas, tuamque misericordiã mihi ostendas. *Beneplacitum* enim, bonam appellat voluntatem.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

Ne meis peccatis supplicium metiaris, sed immensæ tuæ benignitatis misericordia: vtere autem vero, & iusto tuo decreto contra tot mala in me patrantes. Deinde tropicè rursus calamitates enumerat, sua narratione misericordiam commouere tentans.

Eripe me de luto, vt non infigar.

Similis sum his, qui in limosam foueam cadunt, & mortem expectant, propterea à te salutem efflagito.

Libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Oro autem & vt ab hostibus, & à malis, quæ illi mihi infligunt, me liberes. *Profundit atẽ* enim *Aquæ*, Pœnas ab illis irrogatas appellauit.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.

Ne respuas, ait, Domine meam salutem, neque claudas benignitatis ostium: Etenim in puteum incidentes, donec putei ostium apertum est, habent quandam tenuem spem, vt illinc liberentur: operto autem eius ore, de salute desperant.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundũ multitudinem miserationũ tuarum respice in me.

Ob tuam benignitatem, non propter meum meritum affer liberationem ab his malis, quæ narraui: Intuere me igitur malis circundatum, solue calamitates: satis enim est vel solus tuus conspectus ad dissipandam rerum aduersarum nebulam.

Et ne auertas faciem tuam à puero tuo.

Hoc enim, qui ira perciti sunt, facere solent, vt respuant preces delinquentium.

Quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Ob doloris excessum celerem consolationem concede.

Attende animam meam, & libera eam.

Solo enim aspectu pores molestias finire.

Propter inimicos meos libera me.

Mea quidem peccata veniam transcendunt, verùm hostes impij sunt, & prauitati seruiunt: propter igitur opprobria, quę ab illis perpessus sum, tuæ benignitatis me participem fac. Hoc nanque per ea, quæ sequuntur declarauit.

Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reuerentiam meam, in conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me.

Nihil eorum, quæ fiunt, te latet, sed omnia perspicis, & illorum opprobria, & meam confusionem: perturbor enim, & mœreo, dum ab illis iniurijs afficior.

Improperium expectauit cor meum, & miseriam, & sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, qui consolaretur, & non inueni.

Nam talibus vndique doloribus cinctus, & etiam alios grauiores expectans, nullam habeo consolationem. Hi quidem, qui me angoribus conficiunt, innumerabiles sunt: qui autem dolorem mihi leuet, & mœroris participatione tristitiam minuat, non est.

Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Et ipsum cibum, inquit, amarulentum, & tristem mihi præpararunt: Quandoquidem iniucundus est cibus ijs, qui cum mœrore comedunt, licet iucundissimus sit.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.

Lætitiam igitur eorum Domine in calamitates conuerte, & in ea, quæ fecerunt incidant. *Mensam* enim, Lætitiã vocauit: Supplicia verò *Laqueum*: Quandoquidem Symmachus sic explanauit, Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in supplicium, vt comprehendantur.

Obscurentur oculi eorum ne videant.

Infer in eos tenebricosas calamitatum caligines.

Et dorsum eorum semper incurua.

In seruitutem illos Domine condemna, vt ea, quæ committunt patiantur, in laboriosum opus semper incurui.

Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.

Omnem, inquit, vindictæ iram in eos immitte, & celerem, & maximam calamitatem inuehe: per *Furorem* enim, Celeritatem declarauit: talis nanque est furor. per *Iram* autem, Perseuerantiam: quandoquidem talis est natura iræ. Nam furor celer est, & non multum tempus durat, Ira verò magis tarda est, & magis diuturna. per furorem igitur iræ, celerẽ, & perseuerantem pœnam appellauit.

Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Semper iustam sententiam petit, & ijs rebus, quas in alijs patrarunt, supplicat, vt subijciantur. Quoniã enim cùm Hierosolymam, & alias ciuitates Iudææ diripuissent; desolatas illas reddiderunt, hæc vt illorum patria patiatur obsecrat, & hæc, quæ petijt, obtinuit. Nam Babylon desolata fuit, & vsq; in hodiernum diem sic permanet. Tamen sciendum est, quæ Iudæi petierunt vt Babylonij paterentur, qui impietate & prauitate in eos vtebãtur, hæc ipsos perpessos esse, cùm in beneficij auctorem, & Saluatorem rabię perciti essent. Babylonij nanq; amarum cibum ipsis proposuerunt, non talem cibum

cibum ipsis præbentes, verùm ob laboriosam seruitutem, suauitatem, quæ cibis innata est, auferentes. Iudæi autem nulla iniuria affecti, sed omnibus beneficijs ornati, ipsi beneficij auctori fel, & acetum attulere, veluti quædam vinea pernicriosa. Idcirco eisdem supplicijs subacti fuerunt, & facta est mensa illorum in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Quandoquidem pro pristina felicitate in seruitutem condemnati fuerunt, & oculi eorum obscurati sunt, veram lucem videre nolentes, & terga illorum semper seruitute, & paupertate inflexa sunt ob elatam ceruicem, & durum eorum collum, & habitatio eorum facta est deserta, & in habitaculis Hierosolymæ nemo illorum habitat. suis igitur execrationibus subiecti fuerunt, & quæ Babylonijs ipsi iniuria affecti imprecati sunt, hæc perpessi fuere iniuria afficientes, cùm ingrati etiam erga beneficij auctorem fuissent. Propterea & diuini Apostoli huius Psalmi verbis pro testimonijs vsi sunt, geminum vaticinationis sensum scientes. Sed ad sequentia interpretationem conuertamus.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Tu enim, inquit, peccatorũ pœnas exigens, veluti quibusdam carnificibus, istis me dedisti, hi verò pluribus malis me circundederunt, quæ non præcepisti, & dolorem, qui mihi ob peccatum accidit, adauxerũt. Hanc eorum inhumanitatem vniuersitatis Dominus insimulat, & inquit, Ego eos tradidi in manus tuas, tu autem misericordiam nõ dedisti eis, & iugum senioris grauasti, & inuenis non misertus es. *Esai. 47.*

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.

Porrò pœnam ob peccatum irrogatam, iniquitatem vocauit, scilicet, Impone ipsis impiè viuentibus cõdignam pœnam, & ne bona consequantur, quæ iustis distribuere soles.

Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.

Hoc respondet illis, quæ in primo psalmo habentur, Et non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum. Horum verò librorum beatus Daniel meminit, Constituit enim, inquit, iudicium, & libri aperti sunt. Quod autem dicit, hoc est, Quas res tuis cultoribus concedis, earum ne isti participes sint, neque reuocationem consequantur, cuius nos, inquit, ob tuam benignitatem compotes erimus. *Daniel 7.*

Ego sum pauper, & dolens, salus tua Deus suscepit me.

Hinc deinceps rerum vicissitudinem prædicit, & à seruitute liberationem, captiuorumque reditum: & idcirco In finem psalmus inscriptus est his, qui mutabuntur. Nam duas mutationes habuerunt: cùm enim Babyloni pœnitentiam egissent, pristinam libertatem receperunt, postea autem cùm in Dominum rabie perciti essent; & in extremam seruitutem condemnati fuerunt: vtraque igitur præsens psalmus vaticinatur. Hoc autem *Pauper*, & *Dolens sum*, hoc significat, Cùm, inquit, me in paupertate vidisses, & in multis doloribus de me periculum fecisses; tua salute me dignatus es.

Propterea laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.

Non enim immemor beneficiorum ero, sed illa hymnis pensabo, narratione tuorum erga me meritorum tuam magnitudinem nescientibus ostendens.

Et placebit Domino super vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas.

Magis autem gratum erit tibi laudis sacrificium, quàm iunior, & pinguis vitulus, modò vngulas, & modò cornua producens. Stultitia Iudæorum deploratu digna est, cognoscere nolentium legis cultus fatuitatem, licet captiui, qui Babyloni detinebãtur polliciti sint, Deum hymnis celebrare post reditum, non autem sacrificia offerre, eò quòd hymnorum cantus Deo sit acceptior. verùm condemnationem simul cum istis in præsenti missam faciamus, & ad interpretationem redeamus.

Videant pauperes, & lætentur.

Omnes, inquit, qui in eiusmodi malis inciderunt, bone spei exemplum à nobis arripiant.

Quærite Deum, & viuet anima vestra.

Præterea admonet, vt ob spem in Deum collocatam, & propter preces salutem accipiant.

Quoniam exaudiuit Dominus pauperes, & vinctos suos non despexit.

Nam nostras preces admisit, cùm inopiam vidisset, vinculaque seruitutis soluit. Compeditos verò ipsos vocauit, quoniam ipse eos in seruitutem tradidit.

Laudent illum cœli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis.

Totum, inquit, orbem in hymnorum communionem voco: quandoquidem non sufficit humana lingua diuina beneficia explicare.

Quoniam Deus saluam faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ.

Porrò hunc hymnum ipsi affero, illustrem, & splendidam Sionem videns, & Iudææ ciuitates, quæ nunc desolatæ sunt, pristinam felicitatem consecutas. sic cùm nouam ædificationem vrbiũ vaticinatus esset; prædicit & incolarum frequentiam.

Et inhabitabũt ibi, & hæreditate acquirent eam.

Cùm, inquit, hi, qui in seruitute detinebantur, reditum consecuti fuerint; & proprias ciuitates ædificabunt, & illas incolent, nõ solùm ipsi, verùm etiam eorum filij, & posteri. Hoc enim subiunxit.

Et semen seruorum tuorum possidebit eam.

Quoniam autem propter furorem, quo in Saluatorem cõciti fuerunt, extremam pernicie futuri erant subire, meritò hunc finem psalmo imposuit.

Et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

Non enim omnes, qui ex Israël originem ducunt, ipsi Israëlitæ sunt, neque quòd sint ex semine Abrahę, ideo sunt omnes filij. Respondent autem his Vatis verba, Si fuerit numerus filiorum Israël, tanquam arena maris, reliquiæ saluabuntur. Hoc etiam beatus inquit Dauid, Et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea. *2. Reg. 17.*

Nam

Nam post crucem,& illam rabiem canes illi exacti fuerunt: diligentes autem ipsum in Sion habitarunt, laudis sacrificium afferentes.

Psalmi LXIX. Interpretatio.

In finem. In Reminiscentiam Dauidi, quòd saluum fecit Dominus.

Hunc autem titulum in aliquibus exemplaribus inueni,sed nec apud Hebraicum, nec apud alios Interpretes; congruit tamen sensui psalmi.quandoquidem Vates salutem petit, & liberationem ab his,qui bello eum persequebantur.Cæterùm beatus Dauid hunc psalmum dixit,cùm Absalonem fugitaret,meritò In reminiscentiam inscriptioni appositum est: peccati enim memoria vehementius, quàm hostes ipsum pungebat. Propterea exclamat.

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina.

Multæ,inquit, & vniuersi generis calamitates intercludunt me, idcirco vt celerem mihi opem concedas, expeto.

Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam.

Sua spe, inquit, decipiàntur, qui meam cædem desiderant, & hinc verecundiam reportent.

Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. Auertantur statim erubescentes qui dicunt mihi euge,euge.

Prætereaij, qui meis malis lætantur, in fugam conuertantur, meam mutationem videntes.

Exultent,& lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Hoc verbum,*Dominus*,non iacet in Sexcuplici. Omnis, inquit, voluptatis tui studiosos refertos redde, vt tua beneficia decantantes tripudient.

Ego verò egenus, & pauper sum Deus, adiuua me.

Videlicet, eorũ iustitia, qui suprà dicti sunt, priuatus sum, & in inopia degens,virtutis diuitias non habeo.

Adiutor meus, & liberator meus es tu.

Quandoquidem tuã opem consecutus sum.

Domine ne moreris.

Opem fer quamprimum, & ne petitionem procrastines.

Psalmi LXX. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. Filiorum Ionadab, & priorum captiuorum. Sine titulo apud Hebræos.

Et ipsemet, qui inscriptionem fecit præ se tulit hanc apud Hebraicum exemplar non inuenisse,sed se hanc apposuisse. tamen sciendum est, filios Ionadab non primos captiuos fuisse: quandoquidem beatus Ieremias vinum ipsis afferre à Deo iussus fuit, vt Iudæorum transgressionem redargueret: at illi cùm bibere noluissent ob mandata illorum, deinceps Vates Iudæorum perfidiam damnauit, vt qui hominum leges custodiunt, & lationem diuinæ legis transgrediuntur. Dictus est autem psalmus ex persona eorum, qui Babyloni exulabunt, quique reditum desiderabant, & à seruitute liberationem exoptabant. Conscripsit verò ipsum beatus Dauid, piorum ordini verba accommodans.

Ieremi. 35.

In te Domine speraui, non confundar in æternum.

Ne à spe, inquit, decidam, tuam opem expectans, neque diutius contumelioſus sim.

In iustitia tua libera me, & eripe me.

Vt mihi, & Babylonijs ius reddas, obsecro, vtq; iustam sententiam in illos pronuncies: sic enim ego ab illorum seruitute liber ero.

Inclina ad me aurem tuam, & salua me, esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias. Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.

Te propugnatorem habeo, & munitum vallum,& tutum propugnaculum: benignè igitur meas preces susci pe.

Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.

Supplico tibi Domine, vt à potentia iniquorum,& impiorum hominum me liberes.

Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea.

Iuuentutem,nuncupat sub magno Mose tempus, quando libertate perfruiti sunt, cùm Aegyptijs diutius seruissent. Ex illo, inquit, tempore spem in te collocaui, tuamq; opem expecto.

In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus.

Diem Natalem,& Partum, ex Aegypto reditum nuncupat: hoc autem & Deus omnium conditor per sanctissimum Ezechielem edocet:cùm redargueret enim Hierosolymæ impietatẽ; deinde cùm dixisset,Pater tuus Amorræus,& mater tua Gethæa; subdit, Et quando nata es, in die ortus tui nõ est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita. Quoniam enim vmbilicus est veluti quædam radix,per quam fœtus augetur, & alitur : Israël verò post ex Aegypto exitum, Aegyptiorum impietatem innatã habuit; meritò, inquit, non est præcisus vmbilicus tuus, Quoniam inquit,ex vtero matris cibum trahis,& in pristinis studijs perseueras. Igitur piorum cœtus Deum obsecrans, dicit, Quoniam ab initio, & à principio spem fixam in te constitui.

Ezech.16.

In te cantatio mea semper.

Te hymnis,& laudibus prosequar, & ob tuam prouidentiam illustris factus sum.

Tanquam prodigium factus sum multis.

Verùm post illum splendorem multam mutationem suscepi, vt res meæ multis veluti portentum & signum visæ sint.

Et tu adiutor fortis

Veruntamen tuam opem expecto.

Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

Conuerte igitur imminentem mihi calamitatem,

tatem, & linguam in hymnorum cantilenam impelle,vt semper tibi hymnum afferam. Nam *Tota die*, Semper, Symmachus dixit.

Ne proijcias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea,ne derelinquas me.

Illa prouidentia, qua in iuuentute perfruitus sum,& nunc vt perfruar obsecro, & ne in ipsa senectute tua cura destitutus sim, supplico. Quoniam enim ex Aegypto exitum, iuuentutem appellauit; Senectutem, Seruitutis tempus nuncupauit: eò quòd multum temporis in medio intercesserit.

Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam,consilium fecerunt in vnum, dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum,quia non est,qui eripiat.

Omnes, inquit, hostes meis calamitatibus insultant, & omnis generis malis me cingunt, tua cura me destitutum vidẽtes, & suspicantes penitus me negligi, & non amplius tuum auxilium me consecuturum esse. Idcirco exclamo.

Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice.

Celerem opem mihi concede,& ne longè à tua cura me constituas. *Longinquitatem* eius, non Dei naturam dicit: Vbique enim præsens est, & omnibus adest, verùm Prouidentiam, & auxilij efficaciam.

Confundantur, & desciant detrahentes animæ meæ.

Symmachus autem sic explanauit, Confundantur,& consumãtur, qui aduersantur animæ meæ. A suis conatibus frustrentur, & hinc pudorem reportent, & inanes fiant, qui meam mortem struunt.

Operiantur confusione, & pudore, qui quærunt mala mihi.

Ignominiosi, & ridiculi fiant, qui vniuersis malis me circundant.

Ego autem semper sperabo in te.

Nam hæc facta esse videns; in te firmam spem constituam.

Et adijciam super omnem laudem tuam.

Et varium hymnorum cantum tibi afferam.

Os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum.

Non desistam tuam iustam sententiam prædicare, & omnes edocens, quomodo me & hostes iudicasti, cùm ab illorũ seruitute liberasses.

Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentia Domini.

Symmachus sic interpretatus est hanc clausulam, Non enim scio numerare, ingrediar in potentia Domini. Quoniam promisit Dei iustitiam narrare, & salutem in se collatam, hæc autem promissio humanas vires superat; meritò subiunxit, Quoniam ignoro numerare. Hoc etiam in trigesimo nono psalmo beatus Dauid inquit, Multa fecisti tu Domine Deus meus,mirabilia tua,& cogitationibus tuis,non est,qui similis sit tibi : subiunxit, Annũciaui,& locutus sum, multiplicata sunt super numerũ. Hoc idem & in hoc loco inquit, Quoniam non scio numerare: Tales nanque scripturas, & disciplinas mea natura minimè discit, ingrediar tamen in potentia Domini,prout humana natura poterit,te celebrabo.

Domine memorabor iustitiæ tuæ solius, Deus docuisti me à iuuentute mea.

Laudibus te prosequar Domine, iustitiam tuam erga me videns,& tuorum mandatorum recordans: hæc enim ab ineunte ætate me docuisti. & hinc manifestum est, Iuuentutem,sub magno Mose tempus vocare: per illum nanque lex lata fuit.

Et vsque nunc pronunciabo mirabilia tua,& vsq; in senectam & senium Deus ne derelinquas me.

Ego quidem tua mirabilia nescios docebo. Tu verò vt à principio vocatus es Deus meus, semper me tua cura dignum facias.

Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.

Vaticinantis more beatus Dauid futura prædicit,& Senectutem legis finem nuncupat.Hoc autem post Domini Christi aduentum perfectum est. manifestius verò beatus Paulus nos edocet de Nouo Testamento narrans: dicens autem sic, Dicendo autem nouum veterauit prius, quod autem antiquatur,& senescit, prope est interitum. & hic igitur eos,qui Babyloni exulabãt,vaticinantis more hæc dicere edocet.

Hebre. 8.

Et vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me.

Deinde ostendens quam Senectutem nuncupet,subiunxit,Donec annunciem brachium tuum generationi omni,quæ ventura est.

Potentiam tuam, & iustitiam tuam.

Generatio autem ventura, fuit post humanitatem vnigeniti Dei filij, postquàm Ecclesia ex gentibus conflata est, quæ ex Iudæis proconos accepit,sacros scilicet Apostolos. De hac gente in vigesimo primo psalmo dicit, Annunciabitur domino generatio ventura, & annunciabunt iustitiam eius populo, qui nascetur,quem fecit Dominus. Alius igitur populus est præter Iudæorum, quem non gignendum,sed pariendum esse Vates prædixit. Dicit igitur & in hoc loco, Ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum omni generationi, quæ ventura est,potentiam tuam, & iustitiam tuam. Simile est autem hoc Patriarchæ Iacob vaticinationi,Non deficiet Princeps ex Iuda, & Dux ex femoribus eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium.

Gene. 49.

Deus vsque in altissima, quæ fecisti magnalia.

Aquila,& Symmachus sic exposuerunt,Deus vsque in altitudinem,quæ fecisti magnalia: videlicet, Sublimia, & magna sunt Domine, quæ à te facta sunt, & satis sunt ad persuadendum omnibus,vt altissimum te nominent.

Deus quis similis tibi?

Nihil potest, inquit, se conferre & æquiparare tibi : tu enim omnes superas & natura, & potentia,& omnibus bonis. Hinc reditum prædicit.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas, & conuersus viuificasti me.

Cùm, inquit, ob peccata à me commissa, vniuersi generis calamitatibus me affecisses; iterùm in vitam me reduxisti.

Et de

Et de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.

Quendam reditum in vitam, inquit, me conſecutum eſſe exiſtimo, præter humanam opinionem, cùm à tot calamitatibus liberatus ſim. Ezech. 37. hoc & per Ezechielem Deus inquit, Quoniam aperiam ſepulchra veſtra, & reducam vos ex Babylone, hoc eſt humanæ deſperationi finem imponam, & præter hoſtium ſpem reditum vobis largiar.

Multiplicaſti magnificentiam tuam, & conuerſus conſolatus es me, & de Abyſſis terræ iterum reduxiſti me.

Symmachus ſic dixit, Augebis magnificentiam meam, & conſolatione circundabis me: & alia verò ſimiliter prædixit: ob tuam enim curam, quã de me geris, tua bonitas oſtendetur.

Nam & ego confitebor tibi in populis Domine.

Nunquam enim tua dona celebrare deſiſtã, & neſcios edocens. Notandum eſt hoc in loco, multorum populorum mentionem feciſſe, qui, poſtquam Saluator noſter homo factus eſt, per præcones, qui ex Iudæis fuerunt, ſalutem conſecuti ſunt.

Invaſis pſalmi veritatem tuam Deus, pſallam tibi in cithara ſanctus Iſraël.

Vtar autem vſitatis inſtrumentis, hymnorũ cantilenam contexens.

Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi, & anima mea, quam redemiſti, ſed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam, cùm confuſi, & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

Prædicit eodem tempore Babyloniorũ perniciem, quæ fuit tempore Cyri Perſarum Regis, & Iudæorum reuocationem. Nam inquit, Euerſis illis, ego reditũ conſequar: conſecutus verò hũc, lętus & gaudẽs tripudiabo, tua beneficia celebrans, tuamq; legẽ ſemper meditans.

Pſalmi LXXI. Interpretatio.

In Salomonem.

Quòd Salomoni propoſitus Pſalmus nequaquam congruat, opinor Iudæos etiam confiteri, ſi veritatem dicere voluerint, nedum fidei alumnos. Primùm enim nec Salomon finibus terræ dominatus eſt, neque ab his, qui Occidentem, & Orientem habitant, tributum accepit. Deinde cùm eſſet homo, & vixiſſet tempus naturæ congruens, vitæ finem accepit, & hunc non glorioſum. Pſalmus verò Sole & Luna antiquiorem eum, qui per vaticinationem promittitur, oſtendit: magis autem apertè verborum interpretatio hæc docebit. Cæterùm inſcriptio non inepta eſt, verè autem Saluatori congruit: quandoquidem Salomon pacificus interpretatur, & hoc manifeſtius Paralipomenon hiſtoria nos edocet. dicit enim Dauidi per Paral. 22. Nathan Deus, Quoniam Salomon eſt nomen eius, & pacẽ in diebus eius dabo. Hanc autem appellationem & Dominus Chriſtus habet, inquit & exclamat Paulus magnus veritatis præco, Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, Epheſ. 2. & medium parietem maceriæ ſoluens. & ipſe Ioan. 14. Dominus ſacris Apoſtolis inquit, Pacem meã do vobis, & pacem meam relinquo vobis. Eius igitur Regnum, & pacem ab ipſo allatam, atq; gentium ſalutem hic pſalmus vaticinatur. Et quoniam & Deus eſt, & homo, cùm hoc quidẽ ſit ſemper, hoc autem propter nos aſſumpſerit, vtraque vaticinatio edocet, & dicit ipſum tanquam Deum omnium poteſtatem habere, hanc verò vt hominem à ſuo patre recipere.

Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis.

Et Rex, & filius Regis eſt Dominus Chriſtus: idcirco & Regem, & filium Regis vaticinatio ipſum nuncupat. ſic etiam Patriarcha Iacob, Gene. 49. Leonem, & Catulum Leonis eum nominat: Catulus enim Leonis, inquit, Iuda ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens recubuiſti, vt Leo, & quaſi Catulus Leonis, quis ſuſcitãbit eum? Nõ enim ſolùm Rex eſt, ſed etiam Regis filius: etenim vt Deus ex Deo vniuerſorum Rege genitus eſt, & vt homo primum parentem Regem Dauidem habet. Hoc diuinum oraculum obſecrat, vt tanquam homini à Deo iuſtitia concedatur. Deinde cauſam aperit.

Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.

Eos nanque, qui peccati paupertate tenentur, ab acerbi tyranni ſeruitute liberabit, cùm iuſtè ipſum, & eos, qui ab eo detinebantur, iudicauerit.

Suſcipiant montes pacem, & colles iuſtitiam.

Perſonæ fictio eſt, omnium rerum viciſſitudinem oſtendens: ſic populi exitum narrans, inquit, Montes exultaſtis vt arietes, & colles ſicut agni ouium. Videmus tamen & montium, & collium mutationem. Nam pro impietate, quæ olim in ipſis regnabat, homines Angelorũ vitam amplexi, euangelica iuſtitia in ipſis fruuntur: & qui pro hominibus legationes obibant, diuinas reconciliationes gerunt. Pſal. 113.

Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

Meritò diabolum Calumniatorem vocauit: quandoquidem Deum ipſum calumniatus eſt, cùm dixiſſet, ipſum ligni communionem propter intuidiam inhibuiſſe. & in Iob huiuſmodi falſis verbis vſus eſt, cùm dixiſſet, Nunquid Iob. 1. fruſtra timet Iob Deum? tange enim, inquit, cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Hunc & in octauo pſalmo inimicum, & vltorem nominauit: hic verò calumniatorem, ſed hunc dominus depreſſit, & euertit: eos verò, qui ab ipſo tyrannide preſi erant, libertate & ſalute dignos fecit.

Et permanebit cum Sole, & ante Lunam in generationem & generationem.

Qui, inquit, hæc omnia rectè dirigit, neque dierum principium, (vt verbis vtar Apoſtoli) neque vitæ finem habet: genitus eſt enim à patre ante lunam generatione generationum, hoc eſt, infinita ſecula, ante mundi conſtitutionem fuit, verùm ſimul permanebit cum Sole, videlicet perennem ſtatum habebit: aliam autem ſimilitudinem magis idoneam nõ inuenit. Cùm verò Solem inſignem & temporum, & dierum opificem nouiſſet, huic comparauit eum, qui rerum viciſſitudinem ex tenebris in lucem eduxit;

eduxit: Quoniam etiam ipſe Dominus Chriſtus Sol iuſtitiæ nominatur.

Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

Per hæc magis clarè nobis humanam generationem oſtendit, ſine ſtrepitu genitam, & valde quietè & myſticè. ſicut enim lana imbrem recipiens, nullũ fragorem emittit, & ſtillicidia inſtar roris in terrã delatã ſenſum nullum auribus præbent; ſic domini conceptio facta eſt, neq; ipſo ſponſo reſciſcente, qui cum ipſa habitabat. deinde enim poſt vterum aliquam indignitatem ſuſpicatus, occultè dimittere eam voluit, verùm ab Angelo edoctus fuit, cęleſtem eſſe fœtum, & non humanum.

Orietur in diebus eius iuſtitia.

Et euentus verba reſtificantur: nam humana natura à priſtina impietate liberata, pietatẽ didicit: ſi autem aliqui eorum, qui crediderunt, ſecundum euangelicas leges nõ viuunt, tamen myriades ſunt, quę numerum ſuperant, & inter milites, & idiotas, & vrbanos, & agreſtes, qui de virtute multam rationem habent.

Et abundantia pacis, donec auferatur luna.

Multę enim prouinciæ, & regna per ſingulas gentes diuiſa, frequentibus bellis vexata, pacis dono frui nequibant: continuè enim in armis vitam traducebant. & hæc bella multi Romanorum, & Græcorum cõſcripſerunt. edocent nos etiam Regum, & Machabæorum hiſtoriæ, quot mala prouinciæ ſibi aſciſcebant. Poſt autem Dei, & Saluatoris noſtri humanitatem, illa ceſſarunt: vnum verò Regnum noſtræ habitatę regioni imperat, per quod florida pax diuino præconio robur largita eſt. Hoc autem *Donec auferatur Luna*, Scilicet, Per omne præſentis vitæ tempus: ſuperuacuum enim eſſet de futuro dicere, quo vera pax ſemper viget.

Et dominabitur à mari vſque ad mare.

Scilicet omnibus orbis finibus dominabitur: Quoniam enim trans terram magna ſunt maria, quæ tranſmitti non poſſunt, quæ nonnulli Atlantica vocãt, vel Eoum, & Heſperium oceanum, meritò orbis terræ imperium vndecunq; mari ſeptum eſſe declarauit. & hoc manifeſtius ſequens verſiculus fecit.

Et à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.

Flumen, Iordanem inquit, in quo Dominus Luc. 5. baptizatus eſt, à patre teſtatus, ipſum eſſe dilectum filium, in quo bene complacuit. Ex eo tempore inquit Euangeliſta incepit prædicare, Matth. 3. & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cœlorum. Idcirco & vaticinatio inquit, Dominabitur à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum. Deinde alio modo hoc manifeſtius facit.

Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis, et inſulæ munera offerent, Reges Arabum, et Saba dona adducent.

Tharſis, Carthaginem ciuitatem Libyæ principem, & beatus Eſaias, & admirabilis Ezechiel nuncupant. *Saba* autem, Aethiopiæ gens eſt, Sed Libyci, & Afri etiam nuncupati, Heſperiam orbis partem occupant: Aethiopes autẽ Eoam, & auſtralem. Arabes verò mediam continentem, & Inſulares eas regiones, quæ in maris medio ſunt, obtinent: hos autem, inquit, proſtratos fore ante ipſum, & adorationem & dona vt Deo, & Regi allaturos, inimicos verò execrationibus in ſerpentem factis obnoxios fore, Super pectus, ait, & ventrem gradieris, & terram Gene. 3. comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimici Dei, & Saluatoris noſtri nequiſſimi dæmones ſunt, in quos concul candi ſupra ſcorpios, & ſerpentes poteſtatem largitus eſt. Poſtquàm autem trium vel quatuor nationum mentionem fecit, & per ænigma omnium gentium mutationem manifeſtauit; magis dilucidè orationem fecit.

Et adorabunt eum omnes Reges terræ.

Alij quidem in præſenti vita volentes, alij verò omnes poſt reſurrectionem. Nondum enim, quemadmodum dicit diuinus Apoſtolus, Hebr. 2. videmus illi omnia ſubijci, ſed tunc illi flectetur omne genu cœleſtium, & terreſtrium, & Philip. 2. infernorum.

Omnes gentes ſeruient ei.

Hæc patriarchæ Iacob vaticinationi reſpondent, Quoniam ipſe erit expectatio gentium. Gene. 49. Cæterùm prædictionis finem videmus: quandoquidem non eſt gens, quæ euangeliorum præconiorum ignara ſit, ſed ſunt in ſingulis nationibus, qui diuinæ cognitionis lumen acceperunt.

Quia liberauit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor, parcet pauperi & inopi, et animas pauperum ſaluas faciet.

Adorabunt ipſum omnes, ab acerba Diaboli tyrannide liberati. Potentem nanque ipſum appellauit: Pauperem verò, Humanam naturam, vtpote quæ per id temporis Deo deſtituta erat. Præterea diuinis eius legibus potentes reprimit, & gehennæ minis percutit, & facit, vt quadam temperantia vtantur erga pauperes. hoc enim ſubiunxit.

Ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum.

Fœnus autem Auaritiam appellauit: ſic enim antiqua lex ipſum nuncupat, Fœnus & auari- Deut. 28. tiam non tanges. perſuadebit igitur, inquit, eis, qui iniquitate, & auaritia lætantur, vt miſericordia, & benignitate vtantur.

Et honorabile nomen eorum coram illo.

Honorificus, ait, & glorioſus apud omnes erit.

Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ.

Pro *Arabia*, Saba, cæteri Interpretes poſuerunt: verùm vtrunque munera ipſa allata ab omnibus Regibus, & Barbaris prædicit. *Viuet*, pro, Permanebit, poſuit.

Et adorabũt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei.

Continuè ipſum laudibus celebrabunt, & eius patrem laudabunt, cùm per ipſum occaſionem hymnorum cantilenæ arripuiſſent. Nam hęc clauſula, Et adorabunt de ipſo, illis verbis Apoſtoli reſpondet, Gratias ago Deo meo per 2. Cor. 2. Ieſum Chriſtum. & rurſus, Per quem acceſſum Ad Ephe. 2. habuimus apud patrem, per hunc igitur omnes patrem colent, & laudabũt ipſum de bonis per filium in ſe ipſos collatis. Celebrabunt autem & ipſum, tanquam ab ipſo hæc conſecuti.

Erit firmamentum in terra in summis montium.

Ipſe, inquit, eos, qui in ipſum crediderunt confirmabit, & fulciet, & ſublimes & excelſos declarabit, tanquam in ipſis montium crepidinibus collocatos. Hoc autem & Dominus ſuis diſcipulis inquit, Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Matth. 5.

Superextolletur ſuper Libanum fructus eius.

Poſtquàm de editis montibus mentionem fecit; meritò & Libani meminit, vt altiſſimi montis inter omnes, qui in Palæſtina ſunt: & inquit eius doctrinam, atque huius interpretes, & præcones ſublimiores illuſtrioresq; Libano fore.

Et defloreſcent de ciuitate ſicut fœnum terræ.

Qui igitur ipſi crediderunt, talem fructum producent: Infideles verò Iudæi areſcenti fœno aſsimilabuntur.

Erit nomen eius benedictum in ſecula, ante Solem permanet nomen eius.

Benedictum, apud nullum exemplar legitur, neque in Sexcuplici, neque in Hebraico. Hæc particula *Ante*, Sole & Luna vetuſtiorem ipſum eſſe declarat. Nõ enim ſimpliciter. Ante Solem permanet, ſed generàtione generationum ante Solem & Lunam poſuit. Sol nanque & Luna eiuſdem temporis ſunt, eodem enim tempore facti fuerunt. Dixit enim, inquit, Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & fecit Deus duo luminaria magna. Si igitur eſt ante Lunam generatione generationum, eſt etiam ante Solem. Genes. 1.

Et benedicentur in ipſo omnes Tribus terræ.

Hoc in loco de promiſsionibus Abrahæ, Iſaac, & Iacob factis, mentionem facit: his enim tribus Patriarchis promiſit Deus ſe benedicturum modò quidem omnes gentes terræ, modò verò omnes Tribus terræ: Diuerſis modis omnem hominũ naturam appellat. Hoc & beatus Paulus interpretans, inquit, Abrahæ autem dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius: non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Atq; etiã in epiſtola ad Hebræos, Nuſquam enim Angelos apprehendit. De hoc propoſitus pſalmus prædicit per ipſum, dicens omnes Tribus ſe benedicturum eſſe. Galat. 3. Hebr. 2.

Omnes gentes beatum dicent ipſum.

Partim tanquã de homine, partim verò tanquam de Deo diuinum oraculum narrat. reperimus hanc vocem *Beatum*, de Deo etiam poſitam eſſe, Beatus, inquit, & ſolus, & potens Rex regnantium, & Dominus dominantium, ſolus habens immortalitatem, lucem inhabitans inacceſsibilem. Nam omnes gentes, inquit, beatum ipſum, laudibusque dignum nominabunt. Deinde ſanctiſsimus Propheta manifeſtius eius occultam diuinitatem docens, ſubiunxit. 1. Timot. 6.

Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.

Nam hic ipſe, inquit, qui prædictus eſt, quique prædicta miracula perfecit ipſe eſt, & Iſraël Deus, & omnium Dominus.

Et benedictum nomen gloriæ eius in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Propterea decet ab omnibus ipſum celebrari. etſi enim eius naturam vt inacceſſam ignoramus, tamen ſalutare eius nomen didicimus.

Et replebitur gloria eius omnis terra, fiat, fiat.

Sæpius per totum pſalmum hæc prædixit, & cùm vaticinationem abſoluiſſet, appoſuit hæc, vt firmiorem prædictionem efficeret. Dicit autem ipſum in omni terra manifeſtũ, & notum fore, Deum, & omnium Dominum eſſe, & ab omnibus honorem & cultum ipſi tribuendum eſſe, cùm radijs diuinæ cognitionis ſuæ eos illuſtrauerit. Cæterùm hoc cùm per ſancti ſpiritus gratiã Propheta didiciſſet, & deſiderio inflãmatus eſſet; obſecrat, vt fiat hoc, & vaticinatio ſuum finem ſortiatur. idcirco per epilogum dicit, Fiat, fiat. Vel ſecũdum Aquilam, Confirmans, videlicet, ea, quæ prædicta ſunt, vera, & non falſa ſunt, & certum finem prædicunt.

Pſalmi LXXII. Interpretatio.

Pſalmus Aſaph.

Vt ſuprà diximus, nonnulli hunc Aſaphum pſalmos compoſuiſſe dictitarunt, aliqui verò muſicum, & Chori præfectum fuiſſe, alij autem Dauidẽ etiam hos pſalmos dixiſſe, & Aſaphum conſcripſiſſe. ſed hæc quidem, vt quilibet vellet, accipiat: quandoquidem nihil detrimenti hinc ijs, qui vel hoc modo, vel alio id accipiũt, emerget. Cæterùm nos diuino numine afflati, pſalmi ſententiam aperiemus. Abductus populus Babylonem captiuus, multis, & varijs calamitatibus circundabatur, ſed videntes Babylonios impiè, & iniquè viuere, & in multa felicitate, & proſperitate eſſe, ſe ipſos verò aduerſis rebus, & calamitatibus affici: ratiocinationes de diuina prouidentia reuoluebant, mente volutantes, & ratiocinantes, Quare nequiſsimi homines nullum calamitatum periculum ſuſcipiunt, ſed omni felicitate fruuntur, ſecundis ventis delati? Cùm hæc ſancti ſpiritus gratia à longè præuidiſſet, vtilitatem illis tractans, atq; etiam omnibus hominibus hunc conſcripſit pſalmum, & illorum ratiocinationes manifeſtò annuncians, & queſitorum ſolutionem aferẽs. Congruit igitur omnibus doctrina pſalmi, qui ſimilia ratiocinantur, vel loquuntur. veruntamen formatur tanquàm ab illis, qui in patriam reuerſi fuerunt, & mentis perturbationem narrabant.

Quàm bonus Iſraël Deus.

Hæc particula, *Quàm*, non ſecundum comparationem poſuit, verùm vt exceſſum bonitatis oſtenderet. Dicit autem Deum Iſraëlis multam curam gerere.

His qui recto ſunt corde.

Sed hoc non omnes ſciunt, verùm hi, qui rectis, & ſanis cogitationibus vtuntur: ſic cùm illos laudaſſet, cogitationum perturbationem, quam illi habebant, patefecit.

Mei autem penè moti ſunt pedes.

Ego

Ego igitur ferè à propria via diuerſus ſum.

Penè effuſi ſunt greſſus mei.

Symmachus ſic explanauit, Pro nihilo mota ſunt ea, quæ fulciebant me. Periclitatus ſum, inquit, ne exciderem à ſanis, & firmis cogitationibus, & pertuliſſem maximum lapſum: hoc enim declarat, Effuſi ſunt, tanquam re effuſa, & diſſoluta, & ſubterfluente. *Pedes* autẽ & *Greſſus*, per tranſlationem Ratiocinationes vocat. Deinde cauſam aperit.

Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.

Inuidia enim accendebar, videns homines impiè, & iniquè viuentes in pace, atque in multa felicitate.

Quia non eſt reſpectus morti eorum.

Symmachus autem ſic expoſuit, Non ſunt ægritudines morti eorum, & non conquerebantur de morte ſua. Non enim, inquit, diſcriminibus agitati, ſe ipſos deſperabãt. Porrò ἀνάνευσις, Renutum ſignificat: quandoquidem nos volentes aliquid negare, abnuere ſolemus.

Et firmamentum in plaga eorum.

Res triſtes, inquit, ne parum quidem temporis ipſis adhærent.

In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.

Secundo flumine, inquit, res eorum feruntur, & neque laboribus, neque ærumnis, neque caſtigationibus cincti ſunt aliorum hominum inſtar.

Ideo tenuit eos ſuperbia in finem, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.

Hinc in ſuperbiã, & faſtum elati ſunt: & cùm pœnas pro priſtinis peccatis non dederint; in maiorem iniquitatem inciderunt. Hoc enim *Operti ſunt*, Multitudinem iniquitatis declarauit, vtpote quæ vndique ipſos circundabat.

Prodijt, quaſi ex adipe iniquitas eorum.

Adeps, vt ſæpius diximus, Felicitatem, & proſperitatem ſignificat. Inquit igitur eos, qui in huiuſmodi ſecundis rebus ſunt, ſolere magna cum licentia delinquere.

Tranſierunt in affectum cordis, cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in Cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra.

Non ſatis autem fuit ipſis contra homines iniuſtè agere, verùm cœlum ipſum verbis, & cogitationibus auſi ſunt petere. Per hæc autem tacitè innuit in Deum execrationes, in populum conuitia, & in diuinum templum furores. Hoc manifeſtius dixit in quadrageſimo primo pſalmo, Fuerunt lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?

Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis.

Hæc propheticus ſermo tanquam hunc ſermonem Deo differente poſuit, mœrentes conſolãs. Nam cùm illi, inquit, in Deum execrationibus vſi eſſent, cumq; afflictionibus nos ſubiecíſſent; bona de nobis Deus rerum omnium conditor decreuit, reuerſionem promittens, & vitam naturæ congruentem. & hinc patet, pſalmum accommodatum eſſe illis, qui iam reuerſi erant, & ea, quæ Babyloni acciderunt narrabant. Dicit enim, Ideo redibit populus meus huc, hoc eſt, in Iudæam: ibi igitur, vitam degentes huc dicunt. ijs nanque, qui Babyloni erant nequaquam hoc reſpõdet. Cæterùm *Dies pleni*, Senectutem vocauit, videlicet, & redibũt, & ad ſenium vſq; vitam propagabunt. Sic cùm Dei promiſsiones oſtendiſſet, ad eandem narrationem reuertitur de Babyloniorum conuitijs, atque de perturbatione eorum mentis.

Et dixerunt quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo.

Symmachus autem magis dilucidè explanauit, Hi verò dixerunt, quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia altiſsimo. Deus enim, inquit, illa promiſit, hi verò apud ſe ipſos opinati ſunt, Deum neque obſeruare, neque quæ fiunt perſpicere. Deinde cùm illorum impietatem per hęc demonſtraſſet; proprias cogitationes in medium profert.

Ecce ipſi peccatores abundantes in ſeculo, obtinuerunt diuitias.

Homines impiè viuentes, affatim bonis fruuntur, & firmas habent felicitates. Hoc enim *In ſeculum*, ſecundum præſentem vitam dicit: ſæpius enim hominis vitam ſeculũ nuncupat, Seculum nanque noſtrum, inquit, in illumina- Pſal. 89.
tione vultus tui.

Et dixi ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum.

Ego autem videns illos epulantes, & diuitijs elatos, opinatus ſum, nunquid iuſtitię poſſeſsio inanis ſit?

Et laui inter innocentes manus meas.

Lucratus ſum igitur, ait, cùm à longè eſſem ab ijs, qui vitijs affecti ſunt. Hoc enim *Laui inter innocentes*, ſcilicet innocentem me ipſum cuſtodiui, & malorum minimè particeps fui.

Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.

Porrò cùm de iuſtitia curam geſsiſſem, & flagitiorum communionem fugitaſſem; crucior, & quotidie angoribus conficior.

Si dicebam, narrabo ſic, Ecce generationi filiorum tuorum iniſti pactum.

Derelictis, inquit, alijs cogitationibus, hoc mecum ipſe mente reuolui, nunquid Deus pacta violauit, quæ nobiſcum inijt? Hoc enim *Pactum iniſti*, ſcilicet, ſi tranſgreſſus es compoſita pacta? *Filios*, autem vocant ſe ipſos, vtpote quos ſic ipſos Deus nominauit, Filius meus primi- Exod. 4. & 5.
genitus Iſraël, Et filios genui, & exaltaui.

Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſima eorum.

Verùm cùm, inquit, illas ratiocinationes dereliquiſſem, laborabam, quoniam multis laboribus, & ærumnis me affecit Deus, peccatorum pœnas exigens: redibo tamen & ſanctum eius templum intuebor, & malum horum finem videbo. Deinde per diuinã gratiam hoc edocet.

Verùntamen propter dolos poſuiſti eis mala, deiecíſti eos dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam, veluti ſomnium ſurgentium.

Hæc omnia Cyri tempore Babylonijs acciderunt:Illos nanque captiuos abductos,in seruitutem redegit,Iudæis verò reditum largitus est. Meritò autem eorum felicitatem somnio comparauit: quandoquidem scena præsentis vitæ ab insomnio nihil differt, & hoc ab ipsis Babylonijs facilè videri potest. Qui enim paulò antè elati,& superbi erant,tanquam toti terrarum orbi imperantes, potentiam quidem repente amiserunt & in extremam seruitutem inciderunt.

Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Si imago parum temporis florem habet,imagini igitur Babyloniorum potentiam æquiparat,breui tempore duraturam.Hanc autem,inquit, in nihilum rediges, pœnas impietatis exigens,qua contra tuam ciuitatem vsi sunt.

Quoniam inflammatum est cor meum.

Hæc, inquit, putabam, cùm ab illorum iniquitate accensus essem: resumpsit enim exordium, Quia Zelaui super iniquos. & quod ibi inuidiam vocauit, id hoc in loco cordis ardorem nuncupauit.

Et renes mei commutati sunt.

Renes,vt sæpissimè dixi,Cogitationes nominat,Pias,inquit,cogitationes habens ferè ob illorum spiritum à recto tramite deflexi.

Et ego ad nihilum redactus sum,& nesciui.

Hoc manifestius Symmachus dixit, Porrò nescius eram, & ignorans. Hanc perturbationem ob ignorantiam passus sum,tua iudicia nesciens.

Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

Sed non amplius hoc patiar,neque feram aliquid indagare,vel curiosè cõquirere eorũ,quæ à tua sapientia administrata sunt, verùm instar iumenti tuos nutus sequar: sic enim à tua prouidentia nõ me distraham. Nam vt Iumentum ducentem sequitur, quod non curiosè exquirit,quò trahatur:sic à tua gratia gubernatus sequar & ego,minimè tuam prouidentiam curiosè inquirens.

Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me,& cum gloria suscepisti me.

Hinc ea,quæ post reditum acciderunt dicit. Vt beneuolens pater errantem filium inueniens,huius dextera apprehensa, domum reducit, sic in patrium solum reduxisti me, cùm à seruitute me liberasses; cùm autem per gentes transitum largitus esses, gloriosum, & præclarum me reddidisti.

Quid enim mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram?

Aquila manifestius explanauit,Quis mihi est in cœlo,& tecum in terra alium nolui tibi conferre? Verùm & in cœlo, & in terra te Deum noui,& tuum Imperium amplector.

Defecit cor meum,& caro mea.

Idcirco te desidero,& concupisco,& secundum animam, & secundum corpus, & tuam opem expecto.

Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum.

Te enim & hæreditatem, & partem habeo, atque bonorum vsum.

Quia ecce,qui elongant se à te,peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abste.

Qui autem à longè se ipsos à tua cura fecerunt,& Idolis seruire decreuerunt;fructum defectionis interitum habent. *Fornicationem* nanque hic, Idolorum cultus vocat. sic per Ieremiam inquit Deus,Abijt super omnem mõtem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi, & dixi cùm fecisset hæc omnia, Ad me reuertere, & non est reuersa. & rursus, Mœchata est cum lapide, & ligno, scilicet cùm me sponsum dereliquisset; Deos,qui non sunt, coluit.& hîc igitur Fornicationem, Idolorum honorem nuncupauit. Hoc autem non de Babylonijs dixit, sed de his, qui ob impietatem in seruitutem abducti erant. Hi enim Deum sponsum habentes,fornicati sunt,cùm Dæmonum seruitutem amplexi essent:verùm suo periculo edocti,exclamant. Ier. 3.

Mihi autem adhærere Deo, bonum est, ponere in Deo spem meam.

Nam cùm per ipsas res periculum feciſſem; nunquàm à Deo, qui salutem mihi largitus est, me separabo:& spe in ipsum fixa,me ipsum corroborabo.

Vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.

Per hanc spem nanq; reuersionem consecutus sum, & tua mirabilia Hierosolymæ prædico: Hanc enim Filiam Sion nuncupauit. Nam vt filios hominum, homines vocat, sic filiam Sion, Sionem nominat: geminum verò nomen illa ciuitas habebat, quãdoquidem ipsa à sacris literis Sion,& Hierosolyma vocatur.

Psalmi LXXIII. Interpretatio.

Intellectus Asaph.

Futuram Hierosolymæ perniciem diuinum oraculum vaticinans, eos qui hunc psalmum attingunt,iubet,vt perdiscant,& intelligãt psalmi sententiam. Nonnulli igitur his rebus,quæ tempore illustris Antiochi acciderunt, psalmum accõmodarunt, neq; historiam attẽdentes, neque psalmi vaticinationẽ diligenter perpendentes: quãdoquidem psalmus diuini templi incendium dicit, atque domorum euersionem, ciuitatisque direptionem. hæc verò penitus ab Antiocho facta fuisse ab historia nequaquam didicimus.Nec Babyloniorum obsidioni congruit: Prophetas enim tunc temporis multos habebat,Ieremiam,Vriam Semei filium,Ezechielem, Danielem: psalmus autẽ,inquit, Iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius.si igitur neque Babylonijs, neque Macedonibus quadrat, manifestum est, perniciem Romanorum tempore ipsis inflictam prædicere: postquã nullam reuocationem sortiti sunt, pœnas impietatis pendentes, qua in Saluatorem vsi sunt. Admiratione autem digna est inexplicabilis Domini bonitas: quoniam cùm absolutè prænouerit eorum stuporem,vaticinatione futurorum malorum ab impietate auertere

auertere conatur. Veruntamen exordium psalmi declarat hoc argumentum prophetiam habere.

Vt quid Deus repulisti in finem?

Non enim ad tempus nos repulisti, quemadmodum Babyloniorũ tempestate accidit, sub quibus septuaginta annos seruiuimus. Neque quemadmodum euenit sub Antiocho, cui per septem annos,& sex menses subditi fuimus, secundum Danielis vaticinationem: sed in finem nos repulisti, & ad exitum nos condemnasti.

Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ.

Permanentem indignationem contra tuas oues habuisti.

Memor esto congregationis tuæ,quam possedisti ab initio.

Ab initio,& à principio noster Deus nũcupatus es,& populus tuus Domine vocati sumus.

Redemisti virga hæreditatem tuam.

Cùm enim tuam opem cõsecuti essemus;ab Aegyptiorum seruitute liberati fuimus. *Hæreditatem* autem ipsos beatus Moses appellauit, Pars autem Domini inquit, populus eius Iacob funiculus hereditatis Hisraël. *Virgam* verò,Regale sceptrũ nominauit:scilicet, tua pars à principio facti sumus, tua hæreditas vocati sumus, sub tuo Regno fuimus. Sic enim & in quadragesimo quarto psalmo, Regale sceptrum, Virgam appellauit:dicit enim, Virga æquitatis,virga Regni tui. Deut. 32.

Mons Sion in quo habitasti in eo.

Cùm autem nos ab Aegyptiorum seruitute liberasses, in promissam terram maioribus nostris introduxisti,& tibi ipsi monte Sionis consecrasti,vt tanquam in regijs quibusdam domibus habitans,tuum populũ dirigeres. Hæc autem prædixit, cùm nondum Hierosolymæ templum ædificatum esset: post enim Dauidem, & Asaph,Salomon hoc erexit.

Leua manus tuas in superbias eorum in finem.

Exige ab ipsis superbiæ pœnas. Hoc autem *Leua manus tuas*,ex metaphora posuit eorũ, qui peccatores manibus cædunt. Hoc autem Vaticinationis gratia dixit, non propter hostes impiè viuentes,quãdoquidem minimè pro Christo crucifixo amore accensi, illud bellum susceperunt, sed vt orbem terrarum subijcerent. vsus est tamen illis Deus,tanquam carnificibus, per illos, eos, qui se impiè gesserunt, supplicijs afficiens.

Quanta malignatus est inimicus in sancto?

Neque Hebræus, neque cæteri Interpretes, neq; Septuaginta in Sexcuplici secundũ multitudinis numerum,In Sanctis, posuerũt,sed singulariter, In sancto tuo: vt manifestũ esset eos, qui hæc inquiunt, de templo dicere, lugentes, & deplorantes ea, quæ ab illis in hoc templum facta fuere. Cæterùm huic sententiæ ea,quę sequuntur consonant,& declarant.

Et gloriati sunt, qui oderunt te in medio solennitatis tuæ.

Nam in solenni Paschatis die, toto populo secundum legem coacto,Titus cùm exercitum collocasset, illorũ metropolim obsedit. Quoniam enim in Paschatis celebritate Saluatorem cruci suffixerunt, per idem tempus impietatis pœnas pendent.

Posuerunt signa sua signa,& non cognouerunt sicut in exitu super summum.

Trophæa inquit, quæ signa & indicia victoriæ sunt,erexerunt supra nostras portas,notam omnibus posteris victoriam facientes. & Pilatus regalia signa præter legem in ciuitatem introduxit:Suis autem caput Imperatores Romanorum in portæ lapide incidebant. Porrò per hæc omnia didicerunt eos diuina cura destitutos esse. Hæc etiã dominus in sacris Euangelijs prædixit, Cùm videritis abominationem desolationis,stantem in loco sancto, tũc qui sunt in Iudæa fugiant ad montes. Marc. 13.

Quasi in silua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, in securi & ascia deiecerunt eam.

Lignarijs & fabrilibus instrumentis vtentes, & mœnia disturbarũt, & domorum ianuas destruxerunt,& quæ bene, & optimè elaborata erant,vt quercum exciderunt.

Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.

Non satis fuit illis aliarum domorum depopulatio, sed in consecratum tibi templum furorem protulerunt: & hæc quidem igni proiecerunt, hæc verò manibus euerterunt, sanctis rebus tanquam communibus vsi.

Dixerunt in corde suo, cognatio eorum simul, quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra, signa nostra non vidimus, iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius.

Cùm nos aggressi essent cum magna conspiratione; vnum propositum habuerũt,vt legem à te latam deleret.Per *Dies Festos* enim,Modum viuendi ex præscripto legis ostendit. Hæc autẽ inquit,ausi sunt,neque miracula,quæ maiorum nostrorum tempore fuerunt, videntes, neque à vaticinationis gratia conuicti: Quãdoquidem his omnibus actutum destituti fuerunt. nam rursus post reditum, Prophetas habuerunt, Egæum, Zachariam,Malachiam, & Prophetas his seniores,& populo,& Regibus futura prædixerunt,& hostium impetus manifestos fecerũt. & hoc facile ex historia discipoterit.

Vsquequo Deus improperabit inimicus, irritat nomen tuum in finem?

Quousque horum iniquitatibus nos addicis, & maledica verba illorum æquo animo fers?

Vt quid auertis manum tuam,& dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?

Sinus Dei, Bonorum thesaurus: *Manus* verò, Operatio. cur nam pro consueto more bona nõ suppeditas,sed à sinu manum aufers? Porrò hoc posuit ex translatione eorum, qui plenum sinũ habent, & cùm ab aliquibus postulati sunt, & largiri nolunt;manum retro trahunt.

Deus autem Rex noster ante secula.

Atqui ab initio & à principio te Regem scimus, & veluti à Rege semper bona consecuti sumus.

Operatus est salutem in medio terræ.

Denique curâm, quam de nobis gessisti, omnibus claram fecisti. Hoc nanque *Inmedio terræ*, videlicet, Omnes viderunt.

Tu confirmasti in virtute tua mare.

Nam fugitantibus nobis Aegyptios, & à mari transire prohibitis; tu admirabile illud iter largitus es, cùm liquidam naturam firmâ effecisses, & per vndas vtrinque muros dedisti.

Contribulasti capita Draconum in aquis, tu confregisti caput Draconis.

Dracones quidem Aegyptios vocat, *Capita* verò *Draconum*, Eorum duces, & centuriones, & præfectos. *Draconem*, quem singulariter dixit, Pharaonem nominat, qui multis principibus præerat. Idcirco multa ipsum habere capita dixit: Hos verò omnes, inquit, demersisti, & quod mare pro nobis contraxisti, in illos dissoluisti, & illis vndis eos obruisti.

Dedisti eum escam populis Aethiopum.

Finitimi Aegyptiorum sunt Aethiopes, qui crebrum bellum cum illis gesserunt: sed cùm Pharao cum suo exercitu in mari summersus esset; expugnabiles facti sunt Aegyptij Aethiopibus. & quemadmodum qui exurit facile cibum deuorat; sic ipsos valdè facile expugnabant. propterea diuinum oraculum ait, Escam dedisti populis Aethiopum, id est, expugnabiles eos reddidisti, efficiens vt facilè ab Aethiopibus consumerentur.

Tu dirupisti fontes, & torrentes.

Porrò apud Hebraicum exemplar, atq; alios Interpretes Fons legitur: siue autem fontem dicamus, siue fontes, à veritate non aberrabimus. *Fontem* enim propheticus sermo vocat Aquam, quæ è saxo scaturijt: Sed hæc diuisa, fecit, vt multæ myriades riuis fruerentur. Reperimus autem non semel, sed bis id factum. Primùm quidem Exodi liber edocet. Deinde verò Numerorum liber. *Fontem* autẽ meritò nominauit Lapidem, qui aquæ fluxiones emisit. *Torrentes* verò rursus ipsos appellauit, tanquam minimè secundum naturam profluentes, sed tunc primum eductos: quemadmodum enim Torrentes minimè perennes sunt, sed ex pluuijs aquis consistunt, sic aqua illa diuino nutu data fuit.

Exod. 17. *Num.* 33.

Tu siccasti fluuios Ethan.

Symmachus autem sic exposuit, Tu siccasti fluuios antiquos. Eos nanque, qui non erant, neque à principio fluebant, manare in solitudine iussisti. Eos autem, qui iam diu profluebant, & antiquum cursum habebant, cessare à suo cursu voluisti. hoc etiam & in alio psalmo inquit, Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea, Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum, & collocauit illic esurientes. Quandoquidem Gomorræorum, & Sodomorum, aliorumq; finitimorum fluuios siccauit ob incolarum iniquitatem. Terræ autem aridæ ex saxo fluuios dedit, sitienti populo aquarum fluxiones afferens: Facile enim ipsi est, vt voluerit aquarum naturam mutare. Per hoc igitur & alium sensum sermo declarat, Iudæis quidem ob impietatem vaticinationum flumina Deum minimè allaturum: Gentes verò, quę olim desertę erant aquarum riuulis è lapide irrigaturum esse. Petra autem (vt inquit diuinus Apostolus) est Christus, & hæc omnia suprà dicta ab illo versiculo, Operatus est saluté in medio terræ, nostrorum beneficiorum figuram continent. Etenim ibi per aquas seruitutis liberatio fuit, & hîc per aquas principium libertat is est. Ibi Draconum capita aquis contrit sunt, & hîc Dæmonum potentiæ euersæ sunt baptismatis gratia. Illi expugnabiles post mare Aethiopibus facti sunt, & nostri hostes post sanctum lauacrum contemptibiles facti sunt his, qui antè nigras animas habuerunt. & alia similiter facilè videri possunt ab his, qui attendere volunt. Nos autem ad reliquam interpretationem transeamus.

1. Cor. 10.

Tua est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram, & Solem, tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem, & ver, tu plasmista ea.

Ab eorum proprijs beneficijs ad communia orationem transtulit, & edocet Deum omnium cõditorem totius naturæ creatorem esse, Diei, & noctis conditorem, luminis largitorem, & Solis opificem, & temporis moderatorem. Nam per *Ver*, & *Aestatem*, declarauit temporum mutationes. & pro hac clausula, Tu fecisti omnes fines terræ, Aquila, & Theodotion, Stabilisti, explanarunt: Symmachus verò, Firmasti dixit. Ostendit autem sermo ipsum dedisse omnibus, vt sint, & hanc partẽ terræ in campos, hanc verò in montes, & saltus distribuit, hanc verò cauauit in receptaculum aquarum palustrium, & marinarum.

Memor esto huius.

Tu, qui, inquit, omnia hæc fecisti, & tot, tantarumque rerum opifex es, memor esto huius, hoc est, Synagogæ, quam ab initio possedisti: ad illud nanque id retulit.

Inimicus improperauit Domino, & populus insipiens incitauit nomen tuum.

Ne in nos, inquit, respicias, sed in inimicorum execrationes.

Ne tradas bestijs animas confitentes tibi.

Non simpliciter diuinum oraculum omnibus precatur, sed bona petit diuinum nomen confitentibus. *Bestias* verò vocat Hostium feritatem.

Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Et pauperes esse possunt, qui mente humiles sunt, Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.

Matth. 5.

Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.

Nam qui tuo splendore minimè perfruũtur, sed ignorantiæ tenebras adamant, refertas domos iniquitatis, & supplicij, quod hinc emanat, habent: scilicet vniuersis malis affecti sunt, propterea quòd tenebras elegerunt.

Ne auertatur humilis factus confusus.

Obsecramus, ne precibus frustremur, neque cum pudore reiecti simus.

Pauper, & inops laudabunt nomen tuum.

Qui

Qui autẽ tua ope gubernantur, & hanc consecuti sunt, hymnum tibi afferre solent.

Exurge Domine, iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die.

Concinnè admodum pronomen mutauit: non dixit causam meam, sed causam tuam. ego enim inquit, iustè hæc perpessus sum, illi verò multas execrationes in te ausi sunt.

Ne obliuiscaris vocesinimicorum tuorum, superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Et hîc hostium superbiam cum sua persona copularunt, non propter se ipsos, sed propter illos obsecrantes, vt aliqua misericordia diguentur.

Psalmi LXXIIII. Interpretatio.

In finem. Ne corrumpas. Psalmus Cantici Asaph.

Symmachus autem sic exposuit, Triumphalis de immortalitate psalmus Asaph. Quoniam psalmus iusti Dei Iudicij prædictionem continet, & vaticinatur optima studiosorum præmia, meritò per inscriptionem sermo commonefacit, ne pias cogitationes perdamus, sed integras illas conseruemus, vt immortalitatis hereditatem adeamus. Hic igitur psalmus dicitur ex persona captiuorũ, qui Babyloni erant, qui Deum laudare spondent, si diuinam gratiam consecuti fuerint.

Confitebimur tibi Deus, confitebimur tibi, & inuocabimus nomen tuum.

Et hinc patet, hæc eos percurrere, tanquam nondum reuersionem consecutos. Promittunt autem Deũ laudibus prosequi, & augusto eius nomine illustres fore. Hoc enim verbum & *Inuocabimus nomen tuum*, hoc declarat, Rursus tuo nomine nuncupabimur, & tuus populus vocabimur.

Narrabimus mirabilia tua, cùm accepero tempus.

Aquila autem, & Symmachus sic dixerunt, Cùm accepero Synagogam. Cùm, inquit, reuersi fuerimus, & in tuum consecratum templum coacti erimus; tunc te secundum legem laudabimus, & tua beneficia docebimus: quandoquidem illud tempus ad hoc faciendũ nos adhortabitur: nunc enim exclamamus, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? sic cùm ea Propheticus sermo docuisset, quæ Babyloni captiuos dicere oportet, ostendit Deum respondentem ad factas promissiones, & dicentem.

Psal. 136.

Ego iustitias iudicabo.

Iustè, inquit, vobis, & Babylonijs ius tribuã.

Liquefacta est terra, & omnes, qui habitant in ea.

Nã totius orbis Iudex sum, & omnes dignis supplicijs afficiam.

Ego confirmaui columnas eius.

Verùm omnia possum, quippe qui omnium rerum sum opifex: Ego enim terrã feci, & fundaui, firmans ipsam finibus, veluti quibusdam meis columnis. Præceptum enim posui, & non præteribit. Idcirco cùm Iudex sim, punire quidem nolo, sed supplicia prædico, vt commina-

Psal. 148.

tionibus peccatores prudentiores efficiam; & admoneo, & consulo, vt omnem speciem iniquitatis odio habeant, & vt de iusta, & moderata mente curam gerant. Hæc nanque per ea, quæ sequuntur, edocuit.

Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu.

Nam hæc perturbatio omnium grauissima est, vt non modò peccent, verùm etiam, vt in hoc glorientur.

Nolite extollere in altum cornu vestrum.

Deinde, quam altitudinem vocet ostendit.

Nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.

Etenim animalia cornuta magnopere his cornibus gloriantur. Adhortatur autem ipsos sermo diuinus, ne iniquitatem superbia augeant, neque linguam in Deum moueant.

Quia neque ab exitu, neque ab occidente, neque à deserti montibus, quoniam Deus Iudex est.

Exitum, Orientem dicit, sic etiã apud quintam editionem legitur. *Montes* verò *Deserti*, Boreales, & Australes partes sunt. Hæ enim ob nimium frigus, & calorem penitus inhabitabiles permanserunt. Docet igitur, Dei iudiciũ subterfugi nequaquã posse, siue quis ad Eoas partes peruenerit, siue ad Hesperias, siue in Australes, siue in Aquilonares effugere conatus fuerit; diuinæ sententiæ succumbet. Deinde edocet vitæ vicissitudines, diuina mẽte factas.

Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinauit ex hoc in hoc.

De hoc autem calice admirabilis Ieremiæ vaticinatio edocet: Iubetur enim à Deo omniũ conditore, vt hunc accipiat, & Hierosolymæ, & principibus, & finitimis gentibus potũ præbeat. *Vinum* verò, Suppliciũ vocat, vtpote quod ebrietatis instar robur aufert, & membrorum compositionem dissoluit. Dicit igitur diuinus sermo, modò quidem nobis, modò verò illis pœnam afferre: & nunc quidem hunc in altum extollit, & illum deprimit, & rursus altitudinẽ in alios transfert, & calamitates immutat, & felicitates conuertit. Hæc verò non temerè Babyloni captiui dicere didicerunt, verùm experti, & Babyloniorum seruitutem, & propriã libertatem. Nam Cyrus non multum post temporis illorum potentiam expugnauit, his verò pristinam libertatem restituit.

Ieremi. 25.

Verùntamen fex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.

Grauiorem pœnam *Fecem* nuncupauit. Ego quidem, inquit, nitidius bibi, hoc est, minoribus malis succubui, ipsam autem fecem Babylonij sorbent, id est, peiora his, quæ fecerunt, patientur. Quandoquidem ego cùm septuaginta annos seruiuerim; reditum consecutus sum, illi verò sempiternę seruituti tradentur.

Ego autem annunciabo in seculum, cantabo Deo Iacob.

Quemadmodum enim nobis bibentibus illi nostris malis insultabant, sic nos illorum pœnas intuentes; Deo laudes afferemus, non illis illudentes, sed memores beneficiorum facti.

Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabitur cornu iusti.

Porrò per hæc verba præmoniti fuerunt, se post reditum euersuros esse eos hostes, à quibus bello petebãtur, propterea igitur dixit, Omnia cornua peccatorum confringam. Quoniam ex varijs gentibus collecti, bellum in ipsos susceperunt: de his verò mentionem facit Ezechielis vaticinatio, atque etiam Michęi, & Zachariæ, quibus profligatis, illustres, & clari euaserunt, quippe qui talem victoriam consecuti sunt. Cæterùm *Cornu iusti*, Piam mentem vocauit. Si quis verò Zorobabel intelligere voluerit eum, qui hoc in loco iustus dicitur, quo ministro Deus vsus, victoriam illam tractauit, à veritate non aberraret.

Psalmi LXXV. Interpretatio.

Psalmus Asaph. In finem, in carminibus, Canticum Assyriorum.

Hanc additionem, scilicet, Canticum Assyriorum non inueni in Sexcuplici, sed in aliquibus exemplaribus, hoc igitur argumentum habet psalmus: ea enim, quæ in Sennacherim acciderunt prædicit, & pœnam exercitui inflictam.

Notus in Iudæa Deus, in Israël magnum nomen eius.

Cùm enim vna nocte tot tantæq; myriades per Angelum letalem plagam accepissent; manifestus omnibus factus fuit vniuersorũ Deus, magnopere de Israël curam gerere, & in Iudæa se conspiciendum præbuisse.

Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.

Multitudine enim hostium de medio sublata, qui superstites permanserunt, subterfugerunt, diuinæ potentiæ nũcij facti, idcirco omnes non fuerunt simul cum huiusmodi nuncijs trucidati. Hinc ciuitas pace perfrui cœpit, & opinati sunt omnes Deo placuisse, verisimè in Sion habitare.

Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum.

Ante Vrbis mœnia, inquit, armatos, & sagittarios, & scutatos eodem tempore prosligans, penitus eorum arma inanissima reddidit.

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.

Symmachus sic dixit, Illustris es, & immensus à montium præda. Quandoquidem in nostris montibus cùm hostes mortis prædæ prodidisses; immensus, & illustris apud omnes ostensus es, illuminas enim miraculo insçios, & doces, qui sis.

Turbati sunt omnes insipientes corde, dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt.

Magna enim superbia abusi contra te, frequentem tumultũ perpessi sunt ob animæ imprudentiam, & securè dormire opinantes, spe frustrati sunt, Quandoquidem somnum mors susceperit. hoc etiam historia edocet, Cùm enim consurrexissent, cadauera tantùm inuenerunt.

Omnes viri diuitiarum in manibus suis.

Symmachus sic exposuit, Omnes viri fortes manibus suis. Nihil, inquit, manuũ robur ipsos adiuuit, per quod omnium diuitias diripere sperauerunt. & edocens, cur nihil inde adiuti sint, subdidit.

Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui ascenderunt equos.

Annuisti tantum, inquit, & actutum cecidêrunt illi, qui equestrem artem scire efferebantur. Per hoc autem *Dormit auerunt*, Mortis procliuitatem declarauit. Quemadmodum enim homo nictans, facilè, si voluerit, dormit, sic illi breuem finem vitæ acceperunt.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi?

Quis enim potest tibi reluctari, & effugere pœnam, quæ à te irrogatur?

Ex tunc ira tua.

Subitò cùm execrationes audisses, sceleratos illos afficere potuisti, sed æquo animo tulisti, mutationem expectans.

De Cælo auditum fecisti Iudicium.

E Cœlo, inquit, sententias pronuncias contra quos volueris. Hoc quidem ἠκούσας, Auditum facies Symmachus dixit.

Terra tremuit, & quieuit, dum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.

Timore, inquit, impleti sunt omnes, & ab impetu contra nos cessarunt, cùm vidissent te veluti quendam Iudicem in illos quidem sententiam proferentem, & eos, qui rectis cogitationibus vsi sunt, & qui tuam opẽ annunciant, salutis compotes factos fuisse.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

Cùm tot bona cõsecuti essemus; in hymnorum cantilenas cogitationes consecramus, ne minimam quidem earum partem in aliam curam occupantes.

Vouete, & reddite Domino Deo vestro.

Inuicẽ iubentur, vt promittant dona, & promissiones perficiant. turpe enim & ingrati animi crimen est, vt finitimi ob timorem hoc faciant, & hi, qui beneficium consecuti sunt, vt ingrati animi morbo laborent. Hoc nanque per ea, quæ sequuntur, ostendit.

Omnes qui in circuitu eius affertis munera. Terribili, & ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud Reges terræ.

Afferent autem dona, cùm propter edita miracula animo fracti essent, cumq; per rerum euentum didicissent, ipsum verè Deum esse, qui potentibus, & eis, qui terræ imperare opinantur, mortem infert.

Psalmi LXXVI. Interpretatio.

Pro Idithum. Psalmus Asaph.

Porrò Symmachus per Idithum dixit, & ipsi etiam chorus Deum laudantium commissus erat. Hic igitur psalmus inscriptus est Asaph, vel quòd ipse dixerit, vel quòd Dauidis vaticinationi subseruierit: decidere enim de rebus dubijs, non sine periculo est. Cæterùm prædicit cogitationum perturbationes, & dolores, qui

qui hinc emanabant, Iudæorum, qui Babyloni seruire coacti erant. Edocet autem quas preces par est, vt illi Deo afferant, malorum liberationem postulantes. Formauit verò psalmum, tanquã si illi post reditum hæc narrarent, & Deum laudibus prosequerentur.

Voce mea ad Dominũ clamaui, voce mea ad Deũ, & intendit mihi.

Studiosè, inquit, preces attuli, & actutum petitionis compos factus sum. Deinde huius tempus edocet.

In die tribulationis meæ Deum exquisiui.

Nam cùm doloribus affectus essem; diligenter tuam opem expetiui. Studiosas preces tacitè innuit. Deinde ostendit obsecrationis modum.

Manibus meis nocte contra eum & non sum deceptus.

Symmachus autem sic explanauit, Manus mea nocte continuè extensa est. De nocte quietem agens, manus sustuli, supplicans, vt benigni tatem consequerer, & spe minimè decidi: quandoquidem hoc significat, *Non sum deceptus*, videlicet, non frustra vigilaui, verùm obsecrationis fructum percepi.

Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.

Omnem quidem consolationis causam abieci, solam autem consolationem Dei memoria habui.

Et garriui, & defecit spiritus meus.

Symmachus sic dixit, Mecum ipse loquebar, & continuè animo deficiebam, cùm mecum ipse sermocinarer. præterea cùm perpenderem mala quibus distinebar, desperabam me fore vnquam ab illis liberum, & stimulos acerbi mœroris patiebar.

Anticipauerunt vigilias oculi mei.

Vigilias vocat Noctis diuisiones, secundum quas custodes sibi inuicem excubias tradunt. Declarat autem per hæc totius noctis vigilias.

Turbatus sum, & non sum locutus.

Hæc ijdem in quadragesimo primo psalmo dixerunt, Ad me ipsum anima mea turbata est. Non enim æquo animo tuli meas cogitationes alijs patefacere.

Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum.

Tuorum, inquit, pristinorum beneficiorum memoriã renouaui, & perpẽdi quot beneficia maiores nostri à te consecuti sunt, Quomodo ab Aegyptiorum seruitute liberati fuerunt, Quomodo mare rubrum transierunt, Quomodo promissa terra maiores nostri potiti sunt.

Nocte cum corde meo garriebam, & inquirebat spiritus meus.

Hoc autem *Inquirebat*, Theodotion quidem, Scrutatus est: Aquila verò, Inquisiuit, dixit. Cùm hæc inquit, nocte mecum ipse mente reuoluerem; scrutatus sum, cur de nostris maioribus talem curam gesserit, nos verò afflictos despicit: & præter hæc, ista etiam cogitaui.

Nunquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet?

Nunquid igitur penitus res nostras renuit, & alienos nos à sua cura fecit?

Consummauit verbum à generatione in generationem.

Symmachus sic exposuit, Perfecit sermonem de quolibet seculo: timueram autem, & hoc inquit, Quoniam Deus præuidens à principio, quæ singulis secutis euentura erant; suos fines secundum vnamquanque ætatem imposuit.

Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas.

Sed rursus mecum ipse considerans, me consolabar, Deum misericordem non passurum esse, vt res nostræ veluti cuidam obliuioni proderentur, & vt quodam veluti pariete iræ, fontes misericordiæ clauderet.

Et dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dextræ excelsi.

Ego, inquit, huiusmodi mutationis conciliator mihi ipsi fui: Ego autem ob peccatum supplicium genui: principium igitur malorum habeo: nunc incepi erudiri à dextera excelsi, quæ pro pristinis beneficijs sinistras pœnas irrogat: *Mutationem* nanque Diuinæ dexteræ, Pœnam vocauit, vtpote quæ solet bona subministrare: verùm hæ cogitationes, non mihi satis fuerunt: admonui autem me ipsum de domini bonitate. Hoc enim dicit.

Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis garriam.

Omnia nanque miracula, quæ à principio erga nos edidisti, in medium afferam, & ipsa continuè meditãs; bonas spes minimè eijciam.

Deus in sancto via tua.

Symmachus sic dixit, Deus in sanctitate via tua: Aquila verò, In sancto facto. Sanctus es inquit, & in sanctis requiescis, & in his habitas, & deambulas.

Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia.

Omnibus præstas Domine: solus enim, vt volueris, miracula edis.

Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob, & Ioseph.

Omnibus hominibus fortitudinem tuam demonstrasti, cùm ab Aegyptiorũ seruitute liberasses populum, qui tuus vocatur; qui primum parentem Iacob habuerunt, ex cognatione Ioseph illustres euaserunt.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum.

Per omnia Domine tuam potentiam ostendisti. Nam Aegyptios cecidisti, tuum populum liberasti, in mari apparuisti, & pelagus diffissum est, & fluxa natura vtrinque constitit.

Vocem dederunt nubes: etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.

Symmachus sic vertit, Strepitum dedit Aether. Nam vehementi flante noto, vt historia inquit, mare diuisum fuit. aere autem conuoluto, & nubibus coactis, ventus fit. Supplicia autem tua inquit, sagittarum instar in inimicos venerunt: fragore verò tonitrui curruum Aegyptiorum

gyptiorum rotas impediſti: Hoc & hiſtoria e-
Exod. 14. docet, Iamq; aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpexit Dominus ſuper impetum Aegyptiorum, & ſubuertit rotas curruũ & vi ipſos impulit.

Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ.

Nam miraculorũ lux inſtar fulguris per totum terrarum orbem percurrit.

Commota eſt, & contremuit terra.

Perhorruerunt omnes tuam potentiam audientes. hoc enim & Raab meretrix ſpeculatoribus dixit, Terror veſter & tremor veſter irIoſue. 2. ruit in nos, audiuimus quòd Dominus Deus veſter mare rubrum diuiſit à facie veſtra.

In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.

Facilè eſt tibi, & mare diffindere, & ſuper multas aquas ſuperuehi, & ne veſtigium quidẽ relinquere: incorpoream enim habes naturã. Hæc autem ſuperius poſuit: Etenim, inquit, nemini conſpectus populi dux fuiſti, neque veſtigium tui greſſus nobis oſtendiſti.

Deduxiſti populum tuum ſicut oues in manu Moyſi, & Aaron.

Nam illis miniſtris vſus, & per illos locutus; tuum populum deduxiſti, & tuam legem docuiſti. Cæterùm de his omnibus mentionem fecerunt, Deum rerum omnium conditorem ad miſericordiam excitantes, precanteſque, vt illius ope digni fiant.

Pſalmi LXXVII. Interpretatio.

Prudentiæ Aſaph.

Deus rerum omnium conditor cùm legem dediſſet filijs Iſraël, iuſsit, vt hanc continuè ſuos liberos docerent, atque etiam cauſas dierum feſtorum ſuis poſteris aperirent, & diuina beneficia ediſcentes; grati forent in eum, qui hæc omnia largitus eſt. Inquit enim, Docebis Deut. 4. hæc omnia filios tuos, & filios filiorum tuorum, & obſeruabunt mandata Dei, vt bene ſit ipſis. Hoc etiam per hunc pſalmum vaticinandi gratia effecit: ſiquidem commonefacit populum, omnemq; eius poſteritatẽ eorum quæ à Deo effecta ſunt, ac bonorum ab ipſo ſuppeditatorum, & denique ingrati eorum animi, qui hæc acceperunt.

Attende popule meus legem meam.

Vos iubeo, vt ea, quæ dicuntur, ſtudioſè audiatis: quandoquidem præſentem admonitionem, veluti quandam legem affero.

Inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

Promptè ea, quæ à me dicuntur, auribus percipite.

Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.

Quoniam enim patres inſimulat in filiorum vtilitatem, *Parabolam* hanc, narrationem vocauit, eò quòd obſcura eſt, & occultam vtilitatẽ continet. Appoſuit autem ſe antiquas propoſitiones afferre, & edocens vnde hæc didicit; ſubiunxit.

Quanta audiuimus, & cognouimus ea.

Deinde harum rerum præceptores oſtendit.

Et patres noſtri narrauerunt nobis, non ſunt occultata à filijs eorum in generatione altera, narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit.

Ab initio, & à principio inquit, hi, qui miraculorum ſpectatores fuerunt, ſuos filios hæc docuerunt, & illi rurſus ſuis poſteris hanc doctrinam tranſmiſerunt. hoc verò inquit, fecerunt, vt diuinæ legi obtemperarent. hoc enim ſubdidit.

Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob, et legem poſuit in Iſraël.

Teſtimonium vocat Tabernaculum in ſolitudine erectum, tanquam tabulas teſtimonij habens. Nam *Legem* (vt iam ſuprà diximus) & præceptà vocat, & teſtimonia, & iudicia, & iuſtificationes, & hoc magis dilucide à nobis dictum eſt in duodeuigeſimo pſalmo.

Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis.

Hoc, inquit, per illam legis lectionem iuſſit, vt parentes hanc miraculorum narrationem, veluti quandam hæreditatem poſteris deferrent.

Vt cognoſcat generatio altera, filij, qui naſcentur, exurgent, & narrabunt filijs ſuis.

Sic enim illi à parentibus hæc edocti, rurſus eandem doctrinam ſuis filijs afferebant, & horum memoria perpetua cuſtodiebatur. Et quis eſt doctrinæ fructus?

Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Domini, & mandata eius exquirant.

Nam Dei potentiam diſcentes, & quomodo illi bona omnia facere facile eſt, firmam ſpem in ipſum conſtituent, legeſque ab ipſo latas ſequentur.

Ne fiant ſicut patres eorum, generatio prauа, et exaſperans.

Nam parentum ingratum animum diſcentes, & quomodo ob legis tranſgreſsionem Deum ſæpius irritauerunt, illorum exemplum cuſtodiunt.

Generatio, quæ non direxit cor ſuum, et non eſt creditus cum eo ſpiritus eius.

Illi nanque firmam fidem non habuerunt in Deum, cùm rectum tramitem incedere noluerint, ſed contrariam mentem diuinis inſtitutis habuerunt.

Filij Ephrem intendentes, et mittentes arcum conuerſi ſunt in die belli.

Tribum Ephraim potiſsimùm accuſat, vtpote quæ Idolorum honorem magni fecit. hoc nanq; Iudicum hiſtoria nos edocet, & tertius Regum liber: Ipſi enim iuuencas conſtituerunt, & nouem Tribus à cultu ſecundum legem deſciſcere fecerunt: & ſic defectionis conciliatores fuerunt. cùm hoc ſpiritus gratia vel maximè præuidiſſet, peccata, quæ nondum patrata erant, arguit, accommodatum conſilium ipſis afferens: ſciebat quidem ipſos admonitionem non accepturos eſſe, congruens tamen præſidium affert. cùm autem illorum robur docuiſſet, & iaculandi peritiam; timiditatem redarguit. Conuerſi ſunt

ſunt in die belli. Nam ob ſcientiam rei militaris ſe efferentes hoſtibus ingruentibus in fugam verſi ſunt.

Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.

Concinnè admodum mentis liberum arbitrium demonſtrauit: quandoquidem inquit, noluerunt ſecundum legem viuere, neque vitæ rationem legis amplecti.

Et obliti ſunt benefactorum, & mirabilium eius, quæ oſtendit eis.

Et oſtendens quando hæc fecit, ſubiunxit.

Coram patribus eorum fecit mirabilia.

Deinde tempus, & locum demonſtrat.

In terra Aegypti, in campo Taneos.

Omnes è memoria obliterarunt omnia Dei miracula, quæ in Aegypto edita fuere, quorum eorum parentes ſpectatores extiterunt.

Interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in vtre.

Breuiter miracula narrat, & à maximis exorſus eſt, Quandoquidem maris miraculum, & per hoc iter conceſſum, ſupra naturam eſt: nam aquarum naturæ inſitum eſt, vt in procliuem partem defluant, & tamen illas vtrinque firmauit Deus rerum omnium conditor, tanquam in quodam vtre cùm coercuiſſet verbo. Quoniam enim vtrium textura liquidam naturam poteſt continere, meritò hanc ſimilitudinem in mari diffiſſo poſuit, oſtendens potentiam verbi Dei.

Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.

Nam nubes ipſa interdiu Solis moleſtiam repellebat, nocte verò ignis vſum præbebat.

Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abyſſo multa.

Nam non breuem ſtillam eduxit, ſed fontẽ, qui multis illis myriadib⁹ ſatis fuit. & hoc magis apertè per ea, quæ ſequuntur, edocuit.

Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas.

Aqua enim quæ ſcaturijt, in multos riuulos diuiſa fuit, facilem & magnificam gratiam ſitientibus præbens.

Et appoſuerunt adhuc peccare ei, in iram concitauerunt excelſum in aquoſo, & tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis.

Veruntamen neque hoc à mala eorum mente prauitatem expulit, ſed perſeuerarunt ingrati animi vitio laborare: & poſt tot miracula de diuina potentia periculum facere voluerunt, & cibo indigentes, non petierunt vt acciperent id, quod neceſſe erat, ſed Dei impotentiam accuſarunt.

Et malè locuti ſunt de Deo, dixerunt, nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?

Facilè, inquit, & leuiter aquarum negotium fuit: nam aqua in terræ cauernis abdita, in lucem edita eſt. Cibum verò panis, qui ſeritur, & tempore producitur, quomodo nobis affatim largietur, imminentemq; famem eximet?

Ideo audiuit Dominus, & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſraël.

Idcirco, inquit, cùm Deus rerum omnium conditor indignè tuliſſet, diſtulit ipſis dare terram, quæ eorum maioribus promiſſa fuit, & vniuerſis ſupplicijs affecit. ſed non celerẽ mortem ipſis attulit, expectans, vt filij multiplicarentur. De hac autem pœna, quæ per ignem infligitur, etiam beatiſsimi Moſis ſcripta mentionem fecerunt, hanc verò plagam inquit ipſis inflictam eſſe.

Quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius.

Cæterùm cùm tales eſſent; cibum tamen ſine labore ipſis præbuit. hoc enim quę ſequuntur edocent.

Et manduuit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum.

Non enim vſitatos partus nubes ediderunt, ſed pro imbre, cui natura inſitum eſt, vt ſparſa ſemina irriget, admirabilem cibum emiſerunt. Reſeratas autem Cœli ianuas, ſuppeditationẽ è ſuperiori loco demiſſam, vocauit. Quoniam enim penuarijs cellis ianuas ponere ſolemus, & has reſeramus, cùm aliquid auferre volumus, Propheticus ſermo oſtendit Deum rerum omnium conditorem, tanquam ex quibuſdam cellis penuarijs manna largientem.

Et panem Cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.

Panem Angelorum vocat, veluti per Angelos ſubminiſtratum. A diuinis enim literis accepimus, Angelos diuinis nutibus obtemperare. Dicit autem ſic diuinus Apoſtolus, Nónne Heb. 1. omnes ſunt miniſtri ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? & rurſus, Si enim ſermo, qui per Angelos dictus eſt, fuit firmus, & reliqua. *Panem* verò Cœli, tanquam ſupernè allatum vocat, etenim aues, quæ aërem penetrant, volatilia Cœli, ſacra ſcriptura nuncupat.

Cibaria miſit eis in abundantiam.

Ad ſatietatem vſque ait, hunc cibum ipſis impertijt. Deinde & carnium largitionem narrat.

Soluit Auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua Africum, & pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.

Nam per ventos illarum auium genus vndique collegit, & deuolare iuſsit in horum tabernacula: venationem vltrò venientem ipſis largiens.

Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, & circa tabernacula eorum, & manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.

Conſecuti ſunt, inquit, quod deſiderarunt, & ingluuiem impleuerunt: veruntamen ſatietatis pœnas pependerunt.

Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, Et occidit pingues eorum, et electos Iſrael impediuit.

Poſtquam enim, cùm magnum periculum de diuina potentia feciſſent, non crediderunt Deum poſſe ſuppeditare ipſis cibum, caſtigationem

onem adduxit,edocens vtraque posse facere,& bona largiri,& pœnas infligere: Veruntamen nihilominus peccare perrexerunt. hoc enim subiunxit.

In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius, & defecerunt in vanitate dies eorum,& anni eorum cum festinatione.

Peccantes, inquit, & errantes, & nullam curam gerentes de his,quæ sibi ipsis prodesse poterant: sed inanissimis inutilibusq; curis confecti,& hæc cum omni studio persequentes è vita excesserunt.

Cùm occideret eos,quærebant eum,& reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & rememorati sunt, quia Deus adiutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est.

Non frustra ipsis misericors Deus compedes induxit: quandoquidem hinc non minimam vtilitatem percipiebant. Nam bona consequentes non intellexerunt, supplicijs verò affecti, diuinam benignitatem petentes, ad ipsum accesserunt.

Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo,nec fideles habiti in testamento eius.

Porrò ipsum diligere spondebant,falsis sermonibus vsi. Nã mens verbis repugnabat,contraria diuinis legibus volens,diuinisq́ue oraculis credere nolens.

Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum,non disperdet eos.

Cæterùm ipsè propria benignitate vtens,noluit ipsos penitus interimere.

Et abundauit, vt auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suam.

Symmachus autem sic dixit, Et magnopere auertit iram suam, & totam eius iram non accendit. minimè celerem ipsis inquit, peccatorum pœnam attulit.

Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens.

Nam eorum naturæ imbecillitatem nouit, & breui finem vitæ eos accepturos esse.

Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in ira concitauerunt eum in aquoso, & cõuersi sunt,& tentauerunt Deum,& sanctum Israël exacerbauerunt.

Per hæc omnia diuinam patientiam edocet: exquisitè autem vnumquodq; eorum ex historia discipoterit. Nam aliquando quidem Vitulum Deũ fecerunt, aliquando verò Belphegor adorarunt, & aliàs tyrannidé contra magnum Mosem meditati sunt,& cùm manna consecuti essent, ingrati animi vitio laborarunt,& cùm iussi essent, vt promissam terram acciperent, timorem proponebant, & præter hæc innumerabilia alia fecerunt, quæ derelinquemus ne longum faciamus.

Exod. 32. Num. 25.

Non sunt recordati manus eius die, qua redemit eos de manu tribulantis.

Noluerunt in memoriam reuocare pristina beneficia; neque Dei fortitudinem considerare, per quam Aegyptiorum seruitute liberati fuerunt. Deinde miracula,quæ ibi edita fuere percurrit.

Sicut posuit in Aegypto signa sua,& prodigia sua in campo Taneos.

Tanis Pharaonis domus regias habebat: ibi pœnas magnus Moses Aegyptijs irrogauit.

Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent.

Nam primum quidem non modò fluuiatiles aquas,verùm etiam quæ ex pluuijs colligun tur, in sanguinis naturam conuertit,contradicentes siti premens.

Misit in eos Cynomyam, & comedit eos, ranam, & disperdidit eos,et dedit rubigini fructus eorum, et labores eorum locustæ.

Cynomya autem,& Rana iræ ministris vsus, acerbos dolores ipsis incussit. Rubigine autẽ & locusta terræ fructus consumpsit.

Et occidit in grandine vineas eorum,& moros eorum in pruina.

Rubigine quidem, & locusta fructus terræ corrupit:grandine & pruina ipsas arborum radices euellit. Atqui συκαμίνους alii interpretes, συκομόους interpretati sunt.

Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessiones eorum igni.

Symmachus verò sic, Qui tradidit pestilentiæ iumenta ipsorum,& corpora eorum vulturibus. cùm enim frequentem interitum paterentur,esca facta sunt volucrum carniuorarũ.

Misit in eos iram indignationis suæ,indignationẽ, & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.

Furorem, & Iram, & Afflictionem,Acerbas pœnas nuncupauit. *Angelos* autem *malos*, Supplicij ministros appellauit:neque naturę,neque electionis nequitiam,malitiam vocans, sed supplicij pœnam. sic etiam Malam diem,Supplicij diem vocat. Hoc quoque Symmachus ostendit: etenim pro, Angelis malis, Angelos mala infligentes, dixit.

Viam fecit semitæ iræ suæ.

Pro eo quod est, benignitas non impediuit pœnã, sed locum dedit iustæ castigationi. Hoc per ea,quæ sequuntur ostendit.

Et non pepercit à morte animabus eorum, & iumenta eorum in morte conclusit.Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti,primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Cùm enim contrariam eorum mentem inspexisset; pœnas ipsis abundè incussit,primùm quidem iumentis perniciem, deinde insperatam mortem primigenijs infligens. *Tabernacula* verò *Cham*, Aegyptum nominauit: Quoniã Mesrem filius fuit Cham, Mesrem autem Aegyptus.

Et abstulit sicut oues populum suum, & perduxit eos tanquam gregem in deserto.

Hoc pacto cum illos correxisset; in solitudinem suum populum deduxit,imitatus pastorem,qui suo gregi anteit.

Et eduxit eos in spe,& non timuerunt.

Quandoquidem cùm multas dedisset arras suæ potentiæ; iussit vt sibi confiderent, néue timerent. Hoc autem à Deo rerum omnium conditore factum est: illi autem diuina potentia freti esse noluerunt.

Et

Ea,quæ hoc loco desunt reperiuntur in fine Psalmorum.

Et ad nihilum redegit valde Israël.

Quandoquidem celeberrimum illum. populum,qui præter omnium opinionem ab Aegyptiorum seruitute liberatus fuit, quem mare vidit,& fugit,& Iordanes conuersus est retrorsum;hunc inquam,finitimi facillimè expugnarunt.

Et repulit tabernaculum Sylo,tabernaculũ suum, vbi habitauit in hominibus.

1. Reg. 2.

Hęc autem deinceps principium Regum historiæ edocet, quæ mentionem fecit de Eli sacerdotũ principe,& de iniquitate filiorũ ipsius.

Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.

Virtutem ipsorum & pulchritudinem, Arcam vocat. Hanc autem Ophni,& Phinees in auxilium

Num. 25. suorum educentes; propriæ iniquitatis pœnas luerunt. Cæterùm Arcam cùm cepissent alienigenę,veluti trophæum quoddam Daon consecrarunt: Idolum autem erat hoc,quod ab illis colebatur.

Et concluſit in gladio populum suum,& hæreditatem suam spreuit.

Tradidit enim ipsos hostium manibus ob impietatis excessum:Hęreditatem autem ipsos

Deut. 32. nominauit,vt qui ipsi Deo quàm maximè curæ fuerint.sic autem eos, & magnus Moses nũcupauit, Factus enim est, inquit, pars Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israël.Deinde supplicij species percurrit.

Iuuenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ,sacerdotes eorum in gladio ceciderunt,& viduæ eorum non plorabantur.

Hos etenim igni tradidit: de his autem vsitatus luctus non edebatur, cùm vnusquisq; in suis malis occupatus esset. Cæterùm Ophni & Phinees sacerdotes, qui arcam ipsam inuexerunt,cæsi sunt,ab ipso rerum euentu edocti,ne diuina ope freti sint,qui delinquere pergunt.

Et excitatus est tanquam dormiens Dominus.

Veruntamen cùm ipsos huiusmodi pœnis subiecisset,edocet illorum hostes,quęnam fuerint harum rerum causæ.

Tanquam potens & crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.

Cùm enim Deus excusisset à se patientiam, veluti somnum quendam, alienigenis plagam intulit, ob quam apud omnes ignominiosi effecti sunt.Intelligit enim fundamẽti morbum, id,quod historia edocet. Hoc etiam vaticinatio ostẽdit,inquit enim, Percussit inimicos eorum in posteriora:modestè significans partem, quæ plagam accepit. *Somnum* verò, Patientiam vocauit: Ebrietatem autem ex vino, indignationem nuncupat. Etenim est veluti quædam res aduentitia Dei pœna, quæ iustè peccatoribus infligitur.

1. Reg. 5.

Et repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit.

Rursus alijs tribubus derelictis, solius Ephraim meminit,futurã tyrannidem præuidẽs: quãdoquidem ex hac Ieroboam originem ducens,ex Dauidico Regno decem Tribus abduxit. Cæterùm Ioseph, & Ephraim eandem Tribum dicit:filius enim Ioseph fuit Ephraim:reiectam autem hanc Tribum esse dicit, cùm tabernaculũ in Sylo non permanserit,sed Hierosolymã diuinę arcę gratia trãslata fuerit,in qua Salomon etiam postea diuinũ templum erexit.

Sed elegit Tribũ Iuda,montem Sion,quem dilexit.

Elegit tamen Tribum Iudęo b Iesse virgam, quæ expectabatur vt floresceret. hoc autem germen & Patriarcha Iacob vaticinatus est, benedicens Iudæ.verùm meminit huius virgę etiam diuinus Paulus sic dicens,Manifestum au- *Ad Ebr. 7.*
tem est,quoniam ex Iuda dominus noster Iesus Christus ortus sit. propter hanc igitur virgam Tribum Iudæ alijs prætulit. Quoniam autem hoc mysterium à multis quodammodo ignorabatur, valde clarè subdidit, Montem Sion quem dilexit, vt aliarũ Tribuum inuidiam restingueret, ferè dicens, nullam inuidiæ ansam arripite, quandoquidem ob Sionem montem, Iudæ Tribum elegit. præterea & venerandum montem ostendere vult, eò quòd in ipso templum ædificandum erat.

Et ædificauit sicut vnicornium sanctificium suum.

Vno cornu aiunt Vnicornem munitum esse. Vnum autem Deum colere etiam lex edocuit, iure igitur vnicum templum vni Deo consecratum Vnicorni comparauit.

In terra quam fundauit in secula.

Symmachus autem sic,Vt terram,quam fundasti in secula. cæteri etiam eundem sensum exposuerunt.Dicit igitur sicut vnam terram ędificauit,sic Iudæis præcepit, vt vnũ templum erigerent.

Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium.

Eodem tempore per hæc verba ostendit & Dauidis virtutem,cùm nominasset ipsum seruum Dei,& Dei liberalitatem, quoniam pastorem Regem fecit.

De post fœtantes accepit eum.

Symmachus verò sic exposuit, Sequentem prægnantes duxit ipsum. Porrò amplificatio diuinæ liberalitatis est hoc: neque enim perfectus pastor erat, sed pastoris minister, qui parientes oues sequebatur.

Pascere Iacob seruum suũ, & Israël hæreditatem suam, & pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

Hoc autem gubernationis excessum ostendit: Non enim pastorem ouium quibuslibet hominibus prę fecit,verùm cùm prudentiam simplicitate temperasset, secundum diuinas leges ipsos deduxit. His similis est latio legis Domini,Estote prudentes sicut serpentes, & simpli- *Matt. 10.*
ces sicut columbæ. Nam cùm vtriusq; vitium eripuisset,& huius quidem maleficentiam, huius verò insciti am abstulisset; laudatam virtutem miscuit: hanc etiam nos in nobis ipsis exercere decet, nos inquam, qui instar beati Dauidis vocati sumus, magis autem maioribus in rebus: nam maiorum rerum ministerium nobis commissum est,& dignè deambulare debemus instar vocationis,qua vocati sumus,secundum diuini Pauli præceptum.

Psalmi LXXVIII. Interpretatio.

Psalmus Asaph.

Diuinum oraculum furorem Antiochi cognomento Illustris in Iudæorum populum prædicit: vaticinationem autem in deprecationem format, tanquàm à pijs hominibus, qui tunc futuri erant allatam, qui nondum vicerant, sed adhuc calamitatibus cincti erant.

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.

Sapienter spiritus gratia eos, qui cum grauioribus illis calamitatibus luctabantur, preces exordiri edocuit: non enim propria mala primùm narrant, verùm impietatẽ in diuinum templum audacter patratam, cùm templum nihil in diuinas leges commiserit. Gentes, inquit, impietate, & iniquitate assuetæ, tua hæreditate potitæ sunt: ausi enim sunt in templi tui adyta ingredi, nedum altaribus sacrificijsque Dęmonum res tuas sanctas maculare.

Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.

Nam cùm funditus totam Vrbem diripuissent, fecerunt vt inclyta illa Hierosolyma nihil differret à tugurio, quod in pomorum custodiam extruitur.

Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus Cœli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ.

Tanta inhumanitate, & furore in tuos cultores vsi sunt, vt horum corpora feris, auibusque carniuoris escam exponerent.

Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret.

Porrò internecinam mentem habentes, pios homines necant, feceruntque vt sanguinis riui per terram fluerent, nec permittunt eos, qui occiduntur sepultura dignos esse.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Hæc apud finitimos nos infames reddiderunt, propterea ludibrio vicinis facti sumus. Vicinos autem & finitimos vocat Idumæos, Ammanitas, Moabitas, & alias finitimas gentes, quæ semper contrarię & inimicæ ipsis fuerunt.

Quousque Domine irascēris in finem, accendetur velut ignis Zelus tuus?

Deus omnium Conditor legem ferens, se solum colendum esse præcepit, & nullum alium, qui Deus vocatur, adorandum, quoniam ego inquit, Dominus Deus tuus, Deus Zelotes ignis consumens: de hoc autem diuinum oraculum hoc in loco mentionem fecit, Accendetur velut ignis Zelus tuus. Ne amplius Domine, inquit, irascaris, nęue ignis instar ob peccata nostra iram contra nos accendas.

Exod. 34.

Effunde iram tuam in gentes, quæ te nō nouerunt, & in Regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quoniam peccatorum pœnas ab hominibus exigis, obsecro te, vt in illos iram transferas, qui penitus tuum nomen discere noluerunt, sed supremæ impietati obnoxij sunt.

Quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.

Manifestum autem est hoc signum illorum impietatis: nam cùm nihil mali à nobis passi essent, nos tamen internecione perdiderunt, regionem verò depopulati sunt. Hanc autẽ clausulam, Locum eius, Aquila quidem, Speciem eius exposuit, Symmachus vero, Pulchritudinem eius, Theodotion autem, Decorem eius, interpretati sunt, per quæ magis diuina domus ostenditur: concinnè autem populum Iacob appellauit, memoria primi parentis Deum in misericordiam concitans.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.

Religiosi erant, qui hanc deprecationem attulerunt, & multum studium pro pietate fuscęperunt. celebris nanque est Machabęorum virtus, meritò igitur supplicant, ne pristinorum peccatorũ pœnas à populo exigat. sed hoc quidem dixerunt, nec secundum appositum, scilicet, vt Deus præsentem eorũ pietatem intueretur. hoc enim quàm maximè eximiam eorum virtutem demonstrat, videlicet pristinorum quidem peccatorum reminiscī, præsentem verò pietatem occulere.

Citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis, adiuua nos Deus salutaris noster.

Porrige quàm primùm tuam inexpugnabilem opem, nam omni cura destituti sumus: te autem solum adiutorem & Saluatorem habemus.

Et propter gloriam nominis tui domine liberæ nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Nusquam de sua virtute mentionem fecerunt, sed vt ob diuinum nomen diuinum auxilium consequantur, obsecrāt. nobis enim malè habentibus in tuum nomen opprobrium recidit. Deprecamur igitur, vt errata negligas, calamitatesque conuertas, atque tuam potentiam inscijs ostendas.

Ne fortè dicant gentes, vbi est Deus eorum?

Porrò alij Interpretes tanquam hoc gestum esset, dixerunt, Quorsum dicunt gentes, vbi est Deus eorum? hoc inquit, me affligit, hoc me pungit qualibet cuspide acutius, audacter contra te opprobria dicta esse, & homines insultantes dicere, vbi est Deus vester, quem dicitis Aegyptum castigasse, diffidisse mare? quę quidem res magnæ sunt & celeberrimæ.

Et innotescat in nationibus coram oculis nostris vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est.

Obsecramus igitur, vt isti parricidij pœnas pendant, vtq; omnes alij nobiscum iustã tuam sententiam perspiciant, iramque pro tuis cultoribus, qui necati sunt.

Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum, secundum magnitudinē brachij tui posside filios mortificatorum.

Vt respicias te obsecro in eos, qui superstites adhuc sunt, atq; in vincula coniecti sunt, mortemq; expectant, & ne vsque ad extremam perniciem nostrum genus condemnare velis, verùm filios eorum, qui interfecti sunt, saluos reddas, nouumque examen ex ipsis efficias.

Et

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi domine.

Infinita supplicia ob opprobrium patratum finitimis inflige. non enim certum numerum ob ea, declarauit, verùm vt maxima pœna ipsis infligatur petijt. simile est illud, Sterilis genuit septem, scilicet multos. Dixit autem Sinum, ex translatione eorum, qui aliquid in sinu ferunt, & tutò continent, vt nihil excidat: videlicet, imple eos calamitatibus semper imminẽtibus. 2. Reg. 2. 5

Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in seculum, in generationem & generationem annunciabimus laudem tuam.

Cùm autem tuus populus vocemur, tuusque grex nominemur; semper laudes tibi afferemus, & gratias pro beneficijs agemus. cumq; hæc continuè gesserimus; posteris hominibus horum narrationem afferemus. Hoc verbum *Confitebimur*, quo vsi sunt, gratiarum actionis nomen declarat.

Psalmi LXXIX. Interpretatio.

In finem. pro his qui mutabuntur. Testimonium Asaph. Psalmus pro Assyrio.

Præsens psalmus quarundam rerum vicissitudinẽ prædicit: etenim mutatio hoc declarat, & testificatur, propterea & Testimonium inscriptioni apponitur. Prædicit autem gratia spiritus sancti Iudæorum direptionem, & seruitutem, quam apud Babylonios seruierunt. Cæterùm psalmus in deprecationem Deo rerum omnium conditori formatur, tanquam ab illis ipsis allatam. edocet enim ipsos vaticinationis gratia, quibus verbis Deum placare oportet, & ad misericordiam excitare. Vaticinatur autem futuram salutem omnibus hominibus per dominum Christum.

Qui pascis Israël intende.

Te domine obsecro, vt preces admittas, qui pastoris instar populum gubernas.

Qui deducis velut ouem Ioseph.

Iosephum, qui in fratres, veluti in quosdam lupos incidit, cùm ab illorum manibus liberasses, in Aegyptum deduxisti, insidiantibusq; superiorem fecisti. sic cùm curam in eum habitam percurrisset, in magis communem potentiam descendit.

Qui sedes super Cherubin manifestare.

Quoniam enim horũ duntaxat magnus Moses effigies quasdam in sanctis sanctorum consecrauit, & in medio horum altare posuit, per illud verò pontificibus Deus se cōspiciendum præbebat; iure hoc in loco de Cherubim mentionem fecit, atque deprecatus est, vt ille, qui supra hos sedet, manifestaretur.

Coram Ephraim, & Beniamin, & Manasse.

Vt tuo populo appareas inquit, obsecro: per has nanque Tribus omnem ostendit populum. Horum autem meminit, quoniam de Ioseph mentionem fecit. Ephraim verò, & Manasses filij fuerunt Ioseph, & Beniamin frater eius vterinus.

Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.

Tanquam patientem, & otio vtentem Deum excitat: omnem tuam inquit, potentiam moue, nostram salutem tractans.

Deus virtutum conuerte nos.

A seruitute nos libera, & reditum largire; Deinde negotij facilitatem edocet.

Et conuerte faciem tuam, & salui erimus.

Satis enim est, vt appareas, & nostris calamitatibus finem imponas.

Domine Deus virtutum quousque irascēris super orationem serui tui?

Quousque domine meas preces auertis, ob mea delicta iratus? Cęterùm Seruum tuum, Populum nominat: etenim alij Interpretes, In orationem populi tui, pro, Serui tui, posuerunt.

Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.

Tempus hoc in loco mutatum est: nam cæteri tanquam gesta hæc essent dixerunt. Cibasti nos pane lacrymarum, & potum dedisti nobis in lacrymis cum mensura. Dicit autem, te nostrum cibum, & potum lacrymis miscuisse: nam lugentes, & mœrentes necessarium cibum sumimus. hoc autem fecit, cùm supplicia peccatis mẽtitus esset. hoc etiã dominus, In qua mensura mẽsi fueritis, remetietur vobis. Hãc mensuram etiam Vates Zacharias vidit, Babylonis perniciem prædicens: Duas enim mulieres vidisse ait, alas quidem vpupæ habentes, mensuramq; ferentes, & iussas, vt hãc Babylonẽ ferãt. per hæc diuinæ sententiæ iustitiam discimus. Matth. 7. Zach. 5.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos.

Ignominiosi facti sumus etiam apud finitimas gentes, quæ semper nobiscum inimicitias gesserunt.

Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus.

Tuo igitur aspectu tenebrosam calamitatum caliginem discute, & reditum largire: potens enim es, & potentiarum dominus. Deinde antiqua beneficia persequitur, obsecrans, vt eandem opem consequatur.

Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius plantasti radices eius, & impleuit terram.

Tu domine iniustam Aegyptiorum potentiam euertisti, Tu Chananæorum gentes ad interitum vsque consumpsisti, cumq; tuum populum veluti vineam ex Aegypto transtulisses, omnemq; commeatus facilitatem per iter largitus esses, in Chananæorum terram ipsam conseuisti.

Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.

Cùm per translationem vineam populũ nominasset; perstitit in figura: & montes quidem, finitimarum gentium robur vocat, Vmbram verò, quæ hos operit, Hierosolymæ potentiam his impositam: *Cedros* autẽ Dei, Sublimes principes, qui à Deo imperium sortiti sunt: Arbusta verò quæ Cedros operuerunt, Israëliticum

Regnum illustrius his effectú. Porrò hoc tempore béati Dauidis, & Salomonis euenisse scimus. Nam magnus Dauid non modò ab alienigenis,& Iudæis, & Ammonitis,& Moabitis,verùm etiam ab vtrisq; Syris vectigal recipiebat: ad Salomonem verò Aethiopú Regina cucurrit: Sic Iudæorú Regnum celeberrimum apud omnes euasit. Cæterùm Vineæ palmites,populi frequentiam dicit,& Propagines,Proselytos, qui ex gentibus accesserunt, quique diuinam cognitionem receperunt. Per omnia hæc pristinam populi felicitatem declarauit.

Vt quid destruxisti maceriem eius, & vindemiant eam omnes,qui prætergrediuntur viam?

Curnam ipsam tua cura destituisti,expugnabilemque feci sti, quibuslibet cupientibus offendere? *Maceriem* autem,tutelá vocauit: Nam quod est maceries vineæ, hoc Dei cura est his, qui ipsa digni effecti sunt. Cæterùm prætergredientes viam,hostes nuncupauit: Quemadmodum enim viatores vineam,quę sine sepe,& custodia est, tutò vindemiant;sic,qui diuina prouidentia priuatus est,expugnabilis quibuslibet volentibus lædere fit.

Exterminauit eam aper de sylua,et singularis ferus depastus est eam.

Diuersos Assyriorum impetus per hæc demonstrauit. Nam Salmanasar,& Senecharim alias ciuitates diripuerũt. Nabuchodonosor autem cùm Hierosolymá obsedisset,eos,qui mortem declinarunt in seruitutem abduxit.& postquam Hierosolymam vineam nuncupauit;iure agrestem aprum huius hostem vocauit: præcipua autem vitis inimica hęc est fera. Porrò singularem ferũ appellat,qui soliuagus viuit,quiq; alijs truculentior est, vtpote qui cum cæteris consuetudiné minimè habet. Quoniam igitur Nabuchdonosor alijs Regibus truculentior erat;meritò singularem ferum nominauit.

Deus virtutum conuerte,respice de Cælo,& vide, et visita vineam istam, et perfice eam, quam plantauit dextera tua.

Precatus igitur est potentem dominum,vt è cœlo vineę detrimentum intueatur,malumque curatione dignum fiat:quandoquidem tua ipsa prouidentia pristinam felicitatem donauit. *Dexteram* verò,Prouidentiam vocat.

Et super filium hominis,quem confirmasti tibi.

Hoc in loco domini Christi ex hac vinea propagationem edocet,obsecrat enim,vt vinea eius cura digna fiat, ob templum, quod ex ipsa erigendum erat, quod filium hominis manifestò nuncupauit. Similiter & dominus sacris in Euangelijs, cùm esset Deus simul, & homo, filium hominis se ipsum nominat, à natura, quæ videtur,appellationem accipiens. Docet igitur propheticus sermo eos, qui captiui facti erant, Deum rerum omnium conditorem obsecrare, vt vineę parcat propter salutarem radicem,quę illinc producenda erat:quandoquidem eo modo etiam seipsum nominat dicens,Ego sum vitis vera,vos palmites,& pater meus agricola est. Nam vt homo vitis est,vt verò Deus,& agricola est, bonum semen serens in agro suo. Quoniam enim ex hac vite,quæ inutilis euasit, quęque pro botris spinas agricolæ attulit, ortum duxit; ipse factus est vitis vera, maximosq; palmites produxit, frequentiam eorum, qui ipsi crediderunt: horum vmbra verè montes operuit, & arbusta cedros : ipsa vitis verè extendit palmites vsq; ad mare, & vsque ad flumen propagines eius:propter hanc obsecrant,vt illa veniam consequatur, narrantes omnia eius mala.

Matth. 16. Mar. 14. & Luc. 22.

Ioan. 15.

Incensa igni,& suffossa.

Hîc precipuè patet psalmũ in Babylonium, & minimè in Antiochum (vt quibusdam visum est)vaticinari. Nam Babylonius templum combusserit, plurimamq; vrbis partem igni tradidit,sic & hîc dicit,nõ modò fructibus vindemiatis eum abijsse,verùm etiam illam recidisse, & radicitus euulsisse & igni consumpsisse.

Ab increpatione vultus tui peribunt, fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi,& non discedimus à te.

Nam his primitijs à nobis arreptis, tota hominum natura verum Deum cognoscet, benignitatemque concessam laudabit.

Viuificabis nos,& nomen tuum inuocabimus.

Hoc autem modo etiam mortis imperium destruetur, nosque sempiternam vitam consequemur,te saluatorem Deum colentes.

Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus.

Igitur propter hæc omnia, atque propter futuram salutem, quæ per nos omnibus hominibus concedetur,à molestis rebus nos libera, & largire reditum: si enim tantùm apparueris, salutis compotes erimus.

Psalmi LXXX. Interpretatio.

In finem. Pro Torcularibus. Psalmus Asaph.

Præsens psalmus Iudæorum reuocationem prædicit,atque defectionem,quam postea fecerunt,postquam vocatio gentium fuit,pietatisq; fructus in sanctis ecclesijs,veluti in quibusdam torcularibus Deo allatus est. Formatur autem psalmi exordium, tanquam iam reuersi essent ij, qui illam deprecationem afferunt, & tripudiant,seq; vltrò citroq; adhortantur,vt Deum, qui salutem largitus est,concelebrent.

Exultate Deo adiutori nostro.

Symmachus autem,Benedicite,dixit,Aquila verò, Laudate. Afferte Deo hymnum de gratiarum actione,qui suam curã nobis impertijt.

Iubilate Deo Iacob.

Triumphalis est hæc vox Iubilationis,vt sæpius diximus. Adhortantur igitur se inuicem, vt hymnorum cantilenam Deo contexant, qui victoriam tribuit.

Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium iucundum cum cithara.

Diuersis instrumentis vsi diuinam symphoniam canebant, & hoc Paralipomenon historia edocet. Admonet igitur propheticus sermo,vt mutuis tripudijs reddãt symphoniacum illorum instrumẽtorum sonum,& hos quidem lyris, illos autem tympanis, alios verò citharis Deum

Deum celebrare. Cæterùm Symmachus Psalterium,Lyram appellauit.

Buccinate in neomenia tuba in insigni die solennitatis vestræ, quia præceptum in Israël est,& Iudicium Deo Iacob.

Præcepit Deus sacerdotibus tubis vti:in memoriam reuocant ipsi populo tubas, quæ in monte fuerunt. Nam Deo rerum omnium conditore in monte Sinai loquente,inquit, vox tubæ valdè resonabat. Sacerdotes igitur tubis vtentes,illius aduentus populum admonent. hi igitur reditum consecuti, diuinaque ope adiuti;meritò cum alijs instrumentis,vt tubis vtantur commonefaciunt.

Testimonium in Ioseph posuit illud cùm exiret de terra Aegypti.

Iosephum hîc,Totum populum vocat. Quoniam enim Ioseph fuit in causa,vt ipsi in Aegyptum pedes inferrent; ex ipso populum appellauit. Dicit autem cùm ex Aegypto ipsum liberasset; hanc legem populo dedisse. Deinde beneficia quibus ipse perfruitus est, persequitur.

Linguam,quam non nouerat,audiuit.

Nam cùm nunquam diuina voce dignatus esset, hanc audiuit, legem in solitudine accipiens.

Diuertit ab oneribus dorsum eius, & manus eius in cophino seruierunt.

In Aegypto labores, acerbamq; seruitutem, atque lateritium opus per hæc declarauit. nam humeris,vt par est, lutum ferre cogebãtur,terga autem potissimũ horum labores sentiebant. hinc Dei personam alloquentem inducit,& primum quidem beneficia, quæ illi acceperunt,ipsis in memoriam reuocat, deinde admonitionem,& consilium affert, demum prædicit cordis duritiem,& duritiei supplicium.

Exod. 12.

In tribulatione inuocasti me,& liberaui te.

Ingemuisti in Aegypto laboribus afflictus,& subitò benignitate te dignum feci, hoc & historia edocet, Ingemuerunt enim inquit, filij Israël ab operibus duris,& ascendit clamor eorum ad dominum.

Exod. 2.

Et exaudiui te in abscondito tempestatis.

Symmachus autem sic, Exaudiui te per occultum tonitru, & reliqui Interpretes Tonitru similiter posuerũt. Cæterùm per hoc id ostendit, ego minimè apparens, sed inuisibilem habens naturã; omnibus hominibus perspicuam attuli salutem,veluti quoddam tonitru plagam Aegyptiorum castris inflixi, ostendens omnibus quantam tui curam gererem.

Probaui te apud aquam contradictionis.

In Maran venientes, amaramque aquam inuenientes,& contra Mosen clamauerũt,& contra Deum locuti sunt. Ab euentu igitur locus appellationem sortitus est. Dicit igitur ingratam tuam mentem apud illam aquam cõargui, facile autem eius qualitatem conuerti, & amaram,dulcem reddidi.

Exod. 15.

Audi populus meus, & contestabor te.

Cùm igitur periculum de mea potentia feceris; promptè accipe leges à me tibi allatas: contestari enim est,predicere tibi perfidię pœnam, obedientiæque fructum.

Israël si audieris me,non erit in te Deus recens,neque adorabis Deum alienum. Ego enim sum dominus Deus tuus,qui eduxi te de terra Aegypti.

Hæc etiam legis exordium continet. Ego enim sum,inquit,dominus Deus tuus,qui eduxi de terra Aegypti, non erunt tibi alij Dij præter me. & hîc igitur iubet, ne alienum & nouum Deum colant,sed eum qui libertatem ipsis largitus est. Cæterùm hæc,& Arrij, & Eunomij amentiam redarguunt. Si enim non est æqualis vnigenitus, iure alienus vocari posset : & si aliquando non erat,recens est, & nõ est sempiternus: manifestò igitur diuinam legem transgrediuntur, alienum, & nouum Deum colentes. Verùm tempus non est, vt illorum stuporem redarguamus : satis tamen sint hæc ad illorum impietatem coarguendam.

Dilata os tuum, & implebo illud.

Obtemperantem, inquit, per obedientiam te ipsum præbe, & accipies bonorum affluentiam. Hinc in reprehensionem sermonem conuertit.

Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi.

Ego igitur hoc consilium ipsi attuli, ipse verò nec audire, nec attendere ea, quæ à me dicta fuere, voluit.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.

Symmachus autem sic expositit ,Dimisi igitur ipsos in fastu cordis, vt ambulent consilijs suis : sic etiam Aquila;Et dimisi ipsos in prauitate cordis eorum, ambulabũt in consilijs suis. Nam cùm minimè dicto audientem vidissem, mea cura ipsum expoliaui. Sin verò ipsum suis consilijs ferri,veluti nauem fundo gubernaculoque carentem. Verùm vaticinationis veritas quibuslibet cupientibus in contemplationem proposita est. quandoquidem Iudęi cùm Dei cura destituti essent, in omnem terram, atque mare dispersi sunt,& serui ex liberis facti sunt: Porrò omni impietati seruiunt: veneficijs, Dæmoniumque carminibus vtentes, Deum verò, qui salutem ipsis concesserit,colere nolentes.

Si populus meus audisset me, Israël si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.

Si autem meis admonitionibus inhæsissent, atque mea mandata secuti essent;facilè eorum hostes euertissem: Nam hæc particula *Pro nihilo*, Facilitatem declarat: videlicet facile, & sine labore, & puncto temporis illis perniciem afferre potuissem.

Inimici domini mentiti sunt ei.

Porrò Aquila sic dixit, Odio habentes dominum negabunt: nam negatione Christi contra se ipsos odium concitarunt, & se ipsos inimicos domini præbuerunt,mentientes ipsi, & inita fœdera transgredientes. post enim lationem legis respondit, inquit, populus, Omnia quod dixit dominus,& Deus faciemus,& audiemus,& promissiones tales fuerunt,opera verò sine vlla dubitatione cõtraria fuerũt : quandoquidẽ cũ proprius dominus apparuisset, cruci

confixerunt, sed impietatis præmium acceperunt, nimirum sempiternum interitum. Hoc autem vaticinatio ostendit.

Et erit tempus eorum in secula.

Porrò magis dilucidè Symmachus dixit, cùm enim dixisset, Osores domini mentientes ipsi: subdidit, Sed erit tempus eorum in secula. *Tempus* autem vocat, Calamitates; sic enim Syri, & Hebræi nominare consueuerunt, & multi etiam apud nos eodem modo has nominant. Dicit igitur non secundum tempus quoddam præfixum in huiusmodi calamitates Iudæos incursuros, verùm in secula Dei cura priuatos, victuros esse. Cæterùm simile est hoc septuagesimi tertij psalmi exordio, Vt quid Deus repulisti in finem? etenim ibi vltimum Iudæorum interitum prædixit.

Et cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.

Cùm autem ingrati animi morbo magnopere laborassent; bonorum, quæ iam ipsis suppeditata fuere, minimè recordati sunt: in solitudine enim dulcissimam aquam ipsis è lapide eduxi, quæ illis sitientibus mellis dulcedine similis esse visa est, in terra autem promissionis fructus è terra vberius ipsis largitus sum, à parte enim totum declarauit, & per frumentum aliorum fructuum largitionem significauit.

Psalmi LXXXI. Interpretatio.

Psalmus Asaph.

Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.

Iudæorum principes Deos, vtpote quibus iudicandi officium commissum erat, nominauit: eodé modo ipsos etiam lex nuncupat, Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Quoniam enim verè Iudex est Deus, & hominibus iudicandi officium commissum est, propterea Iudices Dei nuncupati sunt, tanquam in hoc Deum imitantes. sed iustus iudex hoc in loco non iustè iudicantes, neque firmiter iustitiæ stateram tenentes, redarguit, futurumque iustum iudicium ab ipso exercendum prædicit. Exod. 22.

Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?

Quousque inquit, incorruptam sententiam non profertis, sed potentium, atque iniquorum hominum iniustitiam vestro cum dedecore excusatis, pauperesq; ab his iniuria affectos despicitis?

Iudicate egeno, & pupillo, humilem, et pauperem iustificate.

Vterque autem horum auxilio indiget.

Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.

Cùm vos præsides sitis, cumque iudicium vobis creditum sit; ne fiat pauper iniquis hominibus præda.

Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.

Sed nihil horum cognoscere voluerunt, neque meorum verborum lumine illuminari: propterea velut in nocte, & in tenebris viuentes versantur.

Mouebuntur omnia fundamenta terræ.

Ob hanc veritatem tumultu, & perturbatione vita referta est, crebrisque malis terra quatitur.

Ego dixi dij estis, et filij excelsi omnes.

Ego igitur vos honoraui, meique nominis participes vos feci, atque meos filios nuncupaui.

Vos autem sicut homines morimini, & sicut vnus de principibus cadetis.

Symmachus autem sic dixit, Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Nam cùm proprij honoris nescij fueritis, eadem, quæ Diabolus, passi estis, cui cùm à me Imperium creditum esset, cumque bonis, quæ ipsi largita fuere, vt par erat, vti noluisset, ex honore excidit. cæterùm vos similem mortem alijs hominibus patiemini, gloriam nullam post mortem habentes. sic cùm sermo diuinus iniustos Iudices coarguisset; vero & iusto Iudici supplicat, vt toti terrarum orbi iudicium exerceat.

Exurge Deus iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

Hæc autem apertè domini Christi iudicium præ se ferunt: ipsi nanque secundum humanitatem pater dixit, Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Propterea hunc Propheticus sermo obsecrat, vt quamprimùm appareat, iusteque iudicet, & iniustos iudices à iudicandi officio cessare faciat, atque Iudæorum hæreditatem deferat, demumque gentium salutem omnibus hominibus afferat. Psal. 2.

Psalmi LXXXII. Interpretatio.

Cantus psalmi Asaph.

Post à Babylone reditum, cùm finitimi perspexissent nouam ædificationem diuini templi, Iudæorumque amplitudinem, eodem tempore coguntur, cumque alias gentes barbaras collegissent; in Iudæos bellum susceperunt. Et hæc vaticinatur diuini Ioël, & Ezechiel, & Michæas, & Zacharias vates admirabiles. Vicerũt tamen omnes, duce quidem Zorobabel, è cœlo verò Deo ferẽte opem, hostiumq; audaciam euertente. hæc præsens psalmus præcinit. Cæterùm vaticinatio in deprecationẽ formatur, diuino lumine illustrante eos, qui tũc bello petiti erant, quomodo Deum placare oporteat.

Deus quis similis erit tibi?

Tota inquit, Angelorum hominumq; natura in vnum coacta tuæ potentiæ minimè comparari potest: dispar enim imperium habes. Hæc autem particula *Quis*, pro Nemo posuit.

Ne taceas, neque compescaris Deus.

Oramus te domine, vt ne vsitata patientia vtare: quandoquidẽ, *Neque compescaris* hoc significat. Sic enim & Symmachus expositum, Ne quiescas. Deinde edocet obsecrationis causam.

Quo-

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui te oderunt, extulerunt caput.

Instar inquit, maris resonant, & fluctuant, superbia, & audacia in nos vtentes, qui propter inimicitias, quas contra te exercent, bellũ nobis intulerunt: Nam tecum inimicitias gerentes; populum tibi commendatum obsident.

Super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.

Symmachus autem sic pro Sanctis tuis, Contra occultum tuum, dixit: Aquila verò, Contra absconditum tuum: sic etiam Theodotion exposuit. Postquam enim ex ipsis secundum carnem oriturus erat dominus Christus: gentes autem coactæ sunt, volentes Iudæorum genus radicitus euellere; hanc deprecationẽ spiritus sanctus ipsos afferre edocet: quoniam nõ modò in nos malitia & insidijs vtuntur, verùm contra occultum tuum in nobis absconditũ, quem ex Iudæ Tribu florescere prædixit: nam recisa radice, vnde fructus orietur? Cæterùm hoc per Esaiam vniuersitatis dominus manifestauit, Quomodo inquit, si inueniatur acinũ in botro, & dicent, ne dissipes illum, quoniam benedictio domini est in ipso, sic faciam propter seruum meum, vt non disperdam totum, Et educam de Iacob semen, & de Iuda, tunc inquit, reliquos internecioni tradam. Ob acinum vnum igitur totus botrus cura perfruitus est, imò verò tota vinea: illo autem percepto, alioque fructu cum ipso collecto, reliqua vinea feris tradita est, & aper ex sylua vastat ipsam, & singularis ferus depascit, & omnes prætergredientes viam, conculcant, vt volunt. Hoc autem hîc orantes dicunt, non solùm contra nos, sed etiam consonditum tuũ furere audent. Esa. 65.

Dixerunt, venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israël vltra.

Extremam perniciem nobis inferre, celeberrimamq; Hierosolymam sempiternæ obliuioni prodere volunt. Deinde finitimos enumerat, ex quibus conuocati, & alij conuenerunt.

Quoniam cogitauerunt vnanimiter, simul aduersum te testamentum disposuerunt.

Qui contra te bellum concordissimè susceperunt, hi sunt.

Tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ.

Idumæi ab Esau originem duxerunt. Edom enim, Esau nominatus est. Ismaelitę verò Ismaelis posteri sunt.

Moab & Agareni.

Moab filius fuit Lot. Hæc gens ex hoc conflata est. *Agareni*, alia Tribus Ismaelis fuit, ab Agar vocata, ipsa verò mater fuit Ismaelis.

Gebal, & Amon, & Amalech.

Porrò, & Amalech nepos & ipse fuit Esau: gens quidem ab hoc conflata est. Ammon filius fuit Lot: hæ gentes diuisiones sunt Arabiæ, & Gebillini Idumeæ vicini sunt.

Alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Alij Interpretes, Alienigenas Philistæos vocant, quos nos Palæstinos appellamus. Hi enim soli ex genere Chanaã derelicti, & apud Israel habitantes, meritò alienigenæ potissimũ nuncupati sunt.

Etenim Assur venit cum illis.

Illa tempestate Assyrij non regnabant. innuit igitur sermo Samaritas, qui cùm incolæ Assyriorum post decem Tribuum seruitutẽ essent, in eorum ciuitatibus habitarunt.

Facti sunt in adiutorium filijs Lot.

Porrò Dauidicus sermo Moabitas, & Ammanitas ostendit, qui in populum potissimùm rabie perciti fuerunt, reliquasque gentes congregauerunt.

Fac illis sicut Madian, & Sisare, sicut Iabin in torrente Cyson, disperierunt in Endor.

De pristinis beneficijs mentionem faciunt, vt grati eandem opem efflagitantes. Hos igitur Duces Barach, & Prophetissa Debora profligauit. Iudic. 4.

Facti sunt vt stercus terræ.

Nam cùm insepulti extitissent; consumpti sunt, & veluti quoddam stercus cum terra misti sunt.

Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana, omnes principes eorum.

Verùm de his omnibus Iudicũ historia meminit: necauit autem ipsos Gedeon à diuina gratia eductus. horum instar, vt eorum hostes consumantur, obsecrant, causamq; docent. Iudic. 7. & 8.

Qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei.

Iuueniliter nanque exultant, & insaniunt, vt consecrato tibi templo potiantur. *Sanctuarium* enim *Dei* Templum appellauit. Symmachus verò Sanctuarium, Mansionem dixit. Hîc perspicuum factum est totum psalmi argumentũ. Postquam enim reuersi templum erexerunt, & omnis legis cultus per hoc absoluebatur, (sine hoc enim secundum legem minimè adorabatur) sed ob legis cultum finitimi Iudæis inimici erant; in templum totum impetũ fecerunt, vt cum hoc & Hebræorum genus, & legis cultus facerent, vt cessaret.

Deus meus pone illos, vt rotam.

Videlicet impera, vt ipsi varijs calamitatibus circumuertantur, continuisque malis circunda.

Et sicut stipulam ante faciem venti.

Dissipa ipsos instar stipulæ à vento agitatæ.

Sicut ignis qui comburit sylua, & sicut flamma comburens montes, ita prosequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.

In nemoribꝰ sponte flamma accenditur, cùm arbores à vehementiori vento agitantur, & inuicem colliduntur, & collisione effectum efficiunt, & paulatim inuicem accenduntur. veluti igitur hæc vt isti ab ipsis consumpti sint, eorumq; iniquitatibus prodantur, obsecrant, secundum vaticinationem dicentem, Ambulabitis lumine ignis vestri, & flamma, quam accendistis. Esa. 50.

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine.

Frustrati enim illis rebus, quas volunt, & dedecore referti; tuam potentiam nouerint.

Erubescant & conturbentur in seculum seculi, & confundantur et pereant, et cognoscant, quia nomen tibi dominus, tu solus altissimus in omni terra.

Bona inimicis petunt, etsi bello petiti sint: orant enim, vt ipsi pro audacia, & ignominia diuinam cognitionē reportent, ab Idolorumque fraude liberi fiant; experientia autem discant, quoniam ipse est solus, & Deus, & dominus in excelsis habitans, & humilia respiciens, totumq; orbem gubernans & moderans.

Psalmi LXXXIII. Interpretatio.

Pro Torcularibus. Filijs Chore.

Psalmus geminam vaticinationem continet, non modò Iudæorum reuocationem, verùm etiam totius orbis salutem. *Torcularia* autem, vt iam suprà diximus, Ecclesias appellat: in his enim Ecclesijs cœlestis vitis proprium affert fructum, salutareque vinum conficimus, quod verè fidelium cordi lætitiam affert.

Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria domini.

Hæc & ij, qui Babylone degebant, docti sunt dicere, vt reditum sitirent, & cultum secundum legem affectarent, atq; etiam nos instruimur eadem dicere, qui salutem consecuti sumus, quique ex diuinis altaribus vtilitatē percipimus. Cæterùm potissimum nobis vaticinatio conuenit. multa enim tabernacula fore præcinit, & multa torcularia nuncupat, & de multis aris similiter mentionē facit. Iudæi autem vnum habebant templum, & vnum similiter altare. vnumquodque verbum eorum, quæ à Propheta dicta sunt, in amorē diuinum mentem accendit. Dilecta enim quidem dicit, amoreq; digna Dei tabernacula esse: non simpliciter autem ipsa desiderare asserit, sed etiam deficere in atria domini. consonantia verò his sunt ea, quæ sequuntur.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Non modò autem anima exultat, & lætatur, sed etiam corpus lætitiæ particeps fit, resurrectionis spem accipiens. Hoc enim sermo diuinus tacitè innuit: propterea & viuum Deum appellauit, tanquam vitæ largitorem. Quoniā enim Babyloniorum Dei atque etiam nostrorum maiorum, penitus inanimi, & stolidi erant; congruenter admodum ij, qui ab illis liberati sunt, viuum, & verum Deum nominant.

Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidū, vbi reponat pullos suos.

Aquila autem sic exposuit, Etenim auis inuenit sibi domum, & passer nidum sibi, vbi reponat pullos suos. Quemadmodum enim passeres & turtures, atque etiam reliquæ aues vagantur quidem non habentes nidum, cùm verò hunc construxerint, in ipso commorari solent, & ibi eorum proprios pullos alunt, sic nos olim errauimus, nunc verò à tua gratia prouocati, & nidos prope tuas aras inuenientes, proprios pullos instruimus, cum nostris filijs tibi assidentes, cœlestemq; cibum à te reportantes.

Altaria tua domine virtutum Rex meus, & Deus meus.

Nostri enim nidi, & cubilia, & bonorum fructus, tua sancta altaria sunt, apud illa enim veluti pulli hiantes; diuinum, & salutarem cibum à te percipimus.

Beati qui habitant in domo tua domine, & in sæcula sæculorum laudabunt te.

Horum autē singula ex translatione ijs, qui Babylone degebant, consonant: nobis verò secundum ipsam veritatem conueniunt. etenim illi longè à diuino templo permanentes beatos esse dicunt eos, qui illinc opem consequuntur. & nos cùm diuinā dulcedinem gustauerimus, beatos nuncupamus eos, qui Deo continuè assistunt, diuinisq; bonis perfruuntur.

Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo.

Diuinus sermo beatum esse dicit eum, qui semper diuinæ curæ compos factus est, quique diuina gratia mentem habet illustratam, & semper pias cogitationes in se ipso reuoluit: quandoquidē Ascensiones Dei in corde factas, Pias cogitationes de Deo propheticus sermo nuncupauit.

Dispositiones in valle lacrymarum in loco, quē posuit. Etenim benedictionem dabit legislator.

Qui enim ascensiones in suo corde admisit, & legislatoris benedictiones adeptus est; non risui, delicijsq;, sed luctui, & lacrymis se ipsum dat, ex hoc corpore liberari cupiens: Audiuit enim dominum dicentem, Beati, qui lugent, quoniam ipsi ridebunt, & beati, qui mœrent, quoniā ipsi consolabuntur. Cùm igitur homo hæc consilia executus fuerit, legislatoris benedictionem expectat. Vallis autem lacrymarū, per figuram quidem est locus, in quo cùm Angelus apparuerit, populi transgressionē redarguit, & in lacrymas concionem mouit: sic etiā locus ille ab illo euentu vallis lacrymarum dictus est. Propriè autem, & verè præsens vita lacrymarum vallis est, in qua Adā in sudore vultus pane vescitur, & Eua in doloribus filios parit: & nō modò peccatores, verùm etiam ingemiscunt, & ille quidem dicit, ad mortem vsq; tristem esse, ille verò exclamat, Suscipe animā meam, & fac domine, quod mihi bonum est, vel vt moriar, vel vt viuā. Et magnus veritatis præco inquit, Et nos primitias spiritus habentes in nobis ipsis ingemiscimus. sic videri potest etiā sanctos vexatos, lacrymis continuè vtentes, & lætitiam hinc reportantes. In hac igitur valle lacrymarum, qui ascensiones receperunt, lacrymas effundunt, & qui laboriosam vitā amplexi sunt, legislatoris benedictionem expectant.

Genes. 3.

Matth. 7.

Ibidem.

Matth. 26. Mar. 14.

Rom. 8.

Ibunt de virtute in virtutem.

Augent enim quotidie robur, incrementoq; virtutis magnam vim sibi parant. sic ij, qui studiosam vitam amplexi sunt, à precibus in hymnorum cantilenam pergunt, & ab hymnorū cantilena in supplicationē, & ex illa in diuinorum oraculorum lectionem, hinc in consilia, & admonitiones imperfectorum hominum progrediuntur, & à virtute in virtutem transeuntes, quotidie proprias diuitias augent.

Videbitur Deus Deorum in Sion.

Deus Verbum, inquit, cùm homo factus esset, cumq; per carnem hominibus apparuisset, & cùm

& cùm primùm in Sion se conspiciendum præbuisset; hanc rerum mutationem fecit.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob, protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

Hæc sanctissimus Vates deprecatur, à longe hominum salutem perspiciens, & obsecrans vniuersorum Deum, qui semper preces admittit, vt propria cura populus qui salutē adeptus est, compos factus sit. hunc enim Christi faciē
1. Cor. 12. nuncupauit. sic enim & diuinus Apostolus appellauit, Vos enim estis corpus Christi, & membra ex parte. & rursus, Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij.

Quoniam melior est dies vna in atrijs tuis super millia.

Nam tuam opem tuus populus semper consequens, tuo templo assidet, vtilitatem tamen hinc reportans: quę enim quis vna die hinc metere posset; nequiret aliunde percipere, licet multa millia dierum contereret. Decebat porrò dicere hæc eos, qui Babylone captiui detinebantur, quiq; cum impijs hominibus viuere cogebantur, & nihil emolumenti inde reportabant, sed animo reuoluebant pristinā vtilitatē, quæ à diuino templo percipere soliti erant.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Sic autem diuina domus mihi amabilis est, vt elegerim prope hanc in solo proiectus esse, & ante huius ianuas volutari, quàm in eximijs, illustribusque peccatorum sedibus commorari. eodem modo hæc etiam & his, qui Babylone captiui erant, conducibilia sunt, & nobis accommodata. Etenim illos spiritus sancti gratia, ne diuinæ domus destitutionē despiciant; edocuit: & nos instruimur domus Deo consecratas semper concupiscere.

Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit dominus. Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.

Qui enim hanc rationem de Deo habent; omnibus his bonis perfruentur: quandoquidē ex rebus diuinis nostra misericordia scaturit, & multa illinc, & affluens veritatis largitio: illinc enim bonorum dogmatum doctrinam recipimus, diuinamq; gratiam ex spiritus sancti fontibus haurimus, atque etiam insignes, & admodum illustres euadimus, & vt vno verbo dicam, omnium bonorum fruitionem illinc percipimus, omnem malitiam, atque prauitatem abijcientes, simplicem & veram vitam eligentes.

Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Finis toti psalmo accommodatus est. Beatū enim esse dicit, & felicem nuncupat, qui omnē præsentis vitæ felicitatem pro nihilo ducit, & soli spei, quam in Deo fixam habet, fidit, & demum salutem, quæ hinc oritur, vindemiat.

Psalmi LXXXIIII. Interpretatio.

In Finem. Filijs Chorę Psalmus.

Eodem tempore, & vmbram, & veritatem psalmus præcinit. Adumbrauit enim vniuersitatis Deus per ea, quæ Israëlitis acciderunt, omnium hominum salutem. Etenim illos liberauit nunc quidem ab Aegyptiorum seruitute, nunc verò à Babyloniorum manibus. sic etiam omnium hominum naturam, & ab acerbi Diaboli tyrannide, & ab interitu vindicauit. Vaticinatur igitur psalmus & Iudæorum è Babylone reditum, & totius orbis terrarum salutem.

Benedixisti domine terram tuam.

Benedicere, est aliquid boni velle. Quoniam igitur, & ob ciuium iniquitatem condemnauit, vt Iudæa terra deserta esset, & Adamo post peccatum patratum pœnā inflixit, scilicet terrę maledictionem, Spinas enim inquit, & tribu- Genes. 3.
los: ob benedictionem propheticus sermo rerum tristium expulsionem demonstrauit.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.

Soluisti tristia seruitutis vincula, & libertatem captiuis largitus es, cùm patrata peccata despicere voluisses. Cæterùm totā hominum naturam captiuam fuisse, & à Saluatore nostro Deo libertatem accepisse, ipse testis est per E- Esa. 61.
saiā exclamans, Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum: Cùm enim in Synagoga hanc vaticinationem dominus le- Luc. 4.
gerit, Iudęis inquit, Hodie impleta est hęc scriptura in auribus vestris.

Mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ.

Dimisisti indignationem in nos, & benignitatem ostendisti.

Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis.

Hi, & illi bonum libertatis nuncium accepisse videntur, sed nondū hanc consecuti esse: idcirco obsecrant, vt perfectè benignitatem consequantur.

Nunquid in æternum irasceris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Conuenit his, qui à calamitatibus liberati sunt, his verbis vti, & nequaquam peccatorum veniæ fidere, verùm perhorrescere, & Iudicem placare. Supplicant igitur hi, ne eadem ira extendatur, vt in seculum alterum perseueret, sed quamprimùm finiatur.

Deus tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Nouimus autem te domine benignum, & credimus te reditum & vitam nobis largiturū esse: nos verò hæc adepti cum lætitia hymnum tibi afferemus.

Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Nam cùm Cyrus Persarum Rex (secundum Esaiæ vaticinationem) redeundi potestatē largitus esset, festinant concessum iter arripere: propterea igitur Deum orant, vt celerem reuersionem ob benignitatem ipsis concedat, Tuam inquit, nobis bonitatē ò domine quamprimùm ostende, & salutem, & hinc liberationem consequimur, sic cùm deprecationē Propheta

Bona inimicis petunt, etsi bello petiti sint: orant enim, vt ipsi pro audacia, & ignominia diuinam cognitionē reportent, ab Idolorumque fraude liberi fiant; experientia autem discant, quoniam ipse est solus, & Deus, & dominus in excelsis habitans, & humilia respiciens, totumq; orbem gubernans & moderans.

Psalmi LXXXIII. Interpretatio.

Pro Torcularibus. Filijs Chore.

Psalmus geminam vaticinationem continet, non modò Iudæorum reuocationem, verùm etiam totius orbis salutem. *Torcularia* autem, vt iam suprà diximus, Ecclesias appellat: in his enim Ecclesijs cœlestis vitis proprium affert fructum, salutareque vinum conficimus, quod verè fidelium cordi lætitiam affert.

Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria domini.

Hæc & ij, qui Babylone degebant, docti sunt dicere, vt reditum sitirent, & cultum secundum legem affectarent, atq; etiam nos instruimur eadem dicere, qui salutem consecuti sumus, quique ex diuinis altaribus vtilitatē percipimus. Cæterùm potissimum nobis vaticinatio conuenit. multa enim tabernacula fore præcinit, & multa torcularia nuncupat, & de multis aris similiter mentionē facit. Iudæi autem vnum habebant templum, & vnum similiter altare. vnumquodque verbum eorum, quæ à Propheta dicta sunt, in amorē diuinum mentem accendit. Dilecta enim quidem dicit, amoreq; digna Dei tabernacula esse: non simpliciter autem ipsa desiderare asserit, sed etiam deficere in atria domini. consonantia verò his sunt ea, quæ sequuntur.

Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Non modò autem anima exultat, & lætatur, sed etiam corpus lætitiæ particeps fit, resurrectionis spem accipiens. Hoc enim sermo diuinus tacitè innuit: propterea & viuum Deum appellauit, tanquam vitæ largitorem. Quoniā enim Babyloniorum Dei atque etiam nostrorum maiorum, penitus inanimi, & stolidi erant; congruenter admodum ij, qui ab illis liberati sunt, viuum, & verum Deum nominant.

Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidū, vbi reponat pullos suos.

Aquila autem sic exposuit, Etenim auis inuenit sibi domum, & passer nidum sibi, vbi reponat pullos suos. Quemadmodum enim passeres & turtures, atque etiam reliquæ aues vagantur quidem non habentes nidum, cùm verò hunc construxerint, in ipso commorari solent, & ibi eorum proprios pullos alunt, sic nos olim errauimus, nunc verò à tua gratia prouocati, & nidos prope tuas aras inuenientes, proprios pullos instruimus, cum nostris filijs tibi assidentes, cœlestemq; cibum à te reportantes.

Altaria tua domine virtutum Rex meus, & Deus meus.

Nostri enim nidi, & cubilia, & bonorum fructus, tua sancta altaria sunt, apud illa enim veluti pulli hiantes; diuinum, & salutarem cibum à te percipimus.

Beati qui habitant in domo tua domine, & in sæcula sæculorum laudabunt te.

Horum autē singula ex translatione ijs, qui Babylone degebant, consonant: nobis verò secundum ipsam veritatem conueniunt. etenim illi longè à diuino templo permanentes beatos esse dicunt eos, qui illinc opem consequuntur. & nos cùm diuinā dulcedinem gustauerimus, beatos nuncupamus eos, qui Deo continuè assistunt, diuinisq; bonis perfruuntur.

Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo.

Diuinus sermo beatum esse dicit eum, qui semper diuinæ curæ compos factus est, quique diuina gratia mentem habet illustratam, & semper pias cogitationes in se ipso reuoluit: quandoquidē Ascensiones Dei in corde factas, Pias cogitationes de Deo propheticus sermo nuncupauit.

Dispositi in valle lacrymarum in loco, quē posuit. Etenim benedictionem dabit legislator.

Qui enim ascensiones in suo corde admisit, & legislatoris benedictiones adeptus est; non risui, delicijsq;, sed luctui, & lacrymis se ipsum dat, ex hoc corpore liberari cupiens: Audiuit enim dominum dicentem, Beati, qui lugent, Matth. 5. quoniam ipsi ridebunt, & beati, qui mœrent, quoniā ipsi consolabuntur. Cùm igitur homo hæc consilia executus fuerit, legislatoris benedictionem expectat. Vallis autem lacrymarū, per figuram quidem est locus, in quo cùm Angelus apparuerit, populi transgressionē redarguit, & in lacrymas concionem mouit: sic etiā locus ille ab illo euentu vallis lacrymarum dictus est. Genes. 3.

Propriè autem, & verè præsens vita lacrymarum vallis est, in qua Adā in sudore vultus pane vescitur, & Eua in doloribus filios parit: & nō modò peccatores, verùm etiam ingemiscunt, & ille quidem dicit, ad mortem vsq; tristem esse, ille verò exclamat, Suscipe animā meam, & fac domine, quod mihi bonum est, vel vt moriar, vel vt viuā. Et magnus veritatis præco inquit, Et nos primitias spiritus habentes in nobis ipsis ingemiscimus. sic videri potest etiā sanctos vexatos, lacrymis continuè vtentes, & lætitiam hinc reportantes. In hac igitur valle lacrymarum, qui ascensiones receperunt, lacrymas effundunt, & qui laboriosam vitā amplexi sunt, legislatoris benedictionem expectant. Ibidem. Matth. 26. Mar. 14. Rom. 8.

Ibunt de virtute in virtutem.

Augent enim quotidie robur, incrementoq; virtutis magnam vim sibi parant. sic ij, qui studiosam vitam amplexi sunt, à precibus in hymnorum cantilenam pergunt, & ab hymnorū cantilena in supplicationē, & ex illa in diuinorum oraculorum lectionem, hinc in consilia, & admonitiones imperfectorum hominum progrediuntur, & à virtute in virtutem transeuntes, quotidie proprias diuitias augent.

Videbitur Deus Deorum in Sion.

Deus Verbum, inquit, cùm homo factus esset, cumq; per carnem hominibus apparuisset, & cùm

& cùm primùm in Sion se conspiciendum præbuisset; hanc rerum mutationem fecit.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob, protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

Hæc sanctissimus Vates deprecatur, à longe hominum salutem perspiciens, & obsecrans vniuersorum Deum, qui semper preces admittit, vt propria cura populus qui salutē adeptus est, compos factus sit. hunc enim Christi faciē nuncupauit. sic enim & diuinus Apostolus appellauit, Vos enim estis corpus Christi, & membra ex parte. & rursus, Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij. 1. Cor. 12.

Quoniam melior est dies vna in atrijs tuis super millia.

Nam tuam opem tuus populus semper consequens, tuo templo assidet, vtilitatem tamen hinc reportans: quę enim quis vna die hinc metere posset; nequiret aliunde percipere, licet multa millia dierum contereret. Decebat porrò dicere hæc eos, qui Babylone captiui detinebantur, quiq; cum impijs hominibus viuere cogebantur, & nihil emolumenti inde reportabant, sed animo reuoluebant pristinā vtilitatē, quæ à diuino templo percipere soliti erant.

Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Sic autem diuina domus mihi amabilis est, vt elegerim prope hanc in solo proiectus esse, & ante huius ianuas volutari, quàm in eximijs, illustribusque peccatorum sedibus commorari. eodem modo hæc etiam & his, qui Babylone captiui erant, conducibilia sunt, & nobis accommodata. Etenim illos spiritus sancti gratia, ne diuinæ domus destitutionē despiciant; edocuit: & nos instruimur domus Deo consecratas semper concupiscere.

Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit dominus. Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.

Qui enim hanc rationem de Deo habent; omnibus his bonis perfruentur: quandoquidē ex rebus diuinis nostra misericordia scaturit, & multa illinc, & affluens veritatis largitio: illinc enim bonorum dogmatum doctrinam recipimus, diuinamq; gratiam ex spiritus sancti fontibus haurimus, atque etiam insignes, & admodum illustres euadimus, & vt vno verbo dicam, omnium bonorum fruitionem illinc percipimus, omnem malitiam, atque prauitatem abijcientes, simplicem & veram vitam eligentes.

Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Finis toti psalmo accommodatus est. Beatū enim esse dicit, & felicem nuncupat, qui omnē præsentis vitæ felicitatem pro nihilo ducit, & soli spei, quam in Deo fixam habet, fidit, & demum salutem, quæ hinc oritur, vindemiat.

Psalmi LXXXIIII. Interpretatio.

In Finem. Filijs Chorę Psalmus.

Eodem tempore, & vmbram, & veritatem psalmus præcinit. Adumbrauit enim vniuersitatis Deus per ea, quæ Israëlitis acciderunt, omnium hominum salutem. Etenim illos liberauit nunc quidem ab Aegyptiorum seruitute, nunc verò à Babyloniorum manibus. sic etiam omnium hominum naturam, & ab acerbi Diaboli tyrannide, & ab interitu vindicauit. Vaticinatur igitur psalmus & Iudæorum è Babylone reditum, & totius orbis terrarum salutem.

Benedixisti domine terram tuam.

Benedicere, est aliquid boni velle. Quoniam igitur, & ob ciuium iniquitatem condemnauit, vt Iudæa terra deserta esset, & Adamo post peccatum patratum pœnā inflixit, scilicet terrę maledictionem; Spinas enim inquit, & tribulos: ob benedictionem propheticus sermo rerum tristium expulsionem demonstrauit. Genes. 3.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.

Soluisti tristia seruitutis vincula, & libertatem captiuis largitus es, cùm patrata peccata despicere voluisses. Cæterùm totā hominum naturam captiuam fuisse, & à Saluatore nostro Deo libertatem accepisse, ipse testis est per Esaiā exclamans, Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum: Cùm enim in Synagoga hanc vaticinationem dominus legerit, Iudęis inquit, Hodie impleta est hęc scriptura in auribus vestris. Esa. 61. Luc. 4.

Mitigasti omnem iram tuam, auertisti ab ira indignationis tuæ.

Dimisisti indignationem in nos, & benignitatem ostendisti.

Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis.

Hi, & illi bonum libertatis nuncium accepisse videntur, sed nondū hanc consecuti esse: idcirco obsecrant, vt perfectè benignitatem consequantur.

Nunquid in æternum irascaris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Conuenit his, qui à calamitatibus liberati sunt, his verbis vti, & nequaquam peccatorum veniæ fidere, verùm perhorrescere, & Iudicem placare. Supplicant igitur hi, ne eadem ira extendatur, vt in sęculum alterum perseueret, sed quamprimùm finiatur.

Deus tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Nouimus autem te domine benignum, & credimus te reditum & vitam nobis largiturū esse: nos verò hæc adepti cum lætitia hymnum tibi afferemus.

Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Nam cùm Cyrus Persarum Rex (secundum Esaiæ vaticinationem) redeundi potestatē largitus esset, festinant concessum iter arripere: propterea igitur Deum orant, vt celerem reuersionem ob benignitatem ipsis concedat, Tuam inquit, nobis bonitatē ò domine quamprimùm ostende, & salutem, & hinc liberationem consequimur. sic cùm deprecatione Prophęta

pheta tanquam ex illorum persona attulisset; Dei responsum recipit, & inquit.

Audiam quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.

Audiuit inquit, misericors dominus preces, & pacis sententiam pronunciauit, largitusque est hanc ijs, qui pœnitentia vsi sunt, quique ad Deum mentem flectere mouerunt: quandoquidem cordis conuersio ad Deum est liberatio à peccandi licentia, & iustitiæ principium. his & ea quæ sequuntur respondent.

Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra.

Adhæret enim Deum timentibus salus, & hanc consequuntur, qui diuinas leges implere decreuerunt. Talis mutatio, & reditum nobis, quem cum gloria faciemus, largita est, & pristinam amplitudinem, per quam patriam videbimus.

Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.

Ijs quidem, qui delinquunt, & pœnitentia ducuntur; benignitatis flumina misericordiam suppeditant, eos verò, qui veritatẽ amplectuntur, misericordiæ flumina inundant: propterea inquit, Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi. Nam Iudæi quidem, & tota hominum natura veritatis cognitionem Deo attulerunt, benignus autem dominus misericordiam retribuit: sic rursus cùm hi iustitiam attulerint; pacem illis donauit, & reconciliationem largitus est, demumq; pristinas inimicitias finiuit, & veritas iustitiæ occurrit, & veritati misericordia. & hoc magis dilucidè per ea, quæ sequuntur declarauit.

Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit.

Nam cùm homines veritatem amplexi essent; Deus rerum omnium conditor iustam curam de nobis gessit, & Diabolum è tyrannide eiecit.

Etenim dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Hac eadem rursus coniunctione vsus est: dicit enim, Misericordia, & benignitate Deum vsum esse, ipsos verò decorum fructum allaturos esse. Non enim fertilitatẽ per hæc demonstrauit, sed virtutis fructum.

Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.

Finis psalmi manifestò potissimum edocet nos præsentem vaticinationem communem omnium gentiũ salutem præcinere. Dicit enim, dominus iustitia vtens, veluti quidam hospitũ dux, nostri itineris dux est, virtutis viã terens, & proprijs vestigijs hanc apertã nobis reddens. Confirmat autem ipse dominus hunc sermonem, modò quidem Ioanni dicens, Sine modò, *Matth.3.* sic enim oportet implere omnem iustitiã. modò verò proprijs suis discipulis, Discite à me *Matth.11.* quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animis vestris. Aliàs verò cùm eorum *Ioan.13.* pedes lauerit, post alia & hæc dixit, Ego dominus & magister laui pedes vestros, exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum facio, ita & vos faciatis. Ipse igitur primus iustitiæ viam incessit & mutauit obliquam in rectam & asperam in vias planas, & factus est nobis via, vt inquit ipse dominus, Ego sum via, veritas, & vita, *Ioan.14.* nemo venit ad patrem, nisi per me.

Psalmi LXXXV. Interpretatio.

Oratio Dauidi.

Beatus quidem Dauid secundum inscriptionem deprecationem Deo attulit, orans, vt alicuius gratiæ compos factus sit. Præcinit autem & Assyriorum in Hierosolymam impetum, & Ezechiæ spem, quam in Deo constituit. Prædicit etiam omnium gentium vocationem, & salutem.

Inclina domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops, & pauper sum ego.

Exordium deprecationis humillimæ mentis est. Nam vterque iustitiæ diuitias possidens, & diuinus Dauid, & admirabilis Ezechias has quidẽ non considerabant, in naturæ verò paupertatem respiciebant, & Deum obsecrabant, vt huius communis paupertatis miseretur. Cæterùm hanc clausulam, Inclina domine aurem tuam, ex translatione posuit alicuius ægroti, qui ob imbecillitatem non potest adeò clarè loqui, vt exaudiatur, & medicum cogit, vt aurem oris eius admoueat.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.

Non pugnantia Propheta locutus est, cùm pauperem simul & sanctũ nominasset, sed quoniam hic, & ille hostes iniustos, & iniquos habebant, qui nulla iniuria ab ipsis affecti erant, & iniustas cædes desiderabant. Porrò sanctum seipsum & Ezechiam nominauit, quoniam nullam hostibus causam præbuerunt. quod autem dicit, hoc est, Pauper & inops sum, cùm me ipsũ circunspicio, & nullam virtutis possessionem habeo, cùm verò hostibus comparatus sum, sanctus videor: hi enim impij & iniqui sunt, ego verò tuam cognitionem habeo, & hi quidem iniustè petunt me, ego autem iniustũ impetum recipio.

Saluum fac seruum tuum domine Deus meus sperantem in te.

Ego spem in te collocaui domine, saluũ me fac, da spei salutis præmium.

Miserere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die.

Tuam mihi benignitatem domine præbe: continuè enim tuam misericordiam denuncio. Nam *Tota die*, Symmachus, Singulos dies, dixit.

Lætifica animam serui tui, quoniam ad te domine animam meam leuaui.

Finem impone mœrori eius, qui se tuæ seruituti addixit, & animæ lætitiam præbe, quæ in te vergit.

Quoniam tu domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.

Natura bonus es, & benignus, & liberalis his, qui ad fontes tuæ misericordiæ confugiunt.

Hoc

Hoc autem Mitis, Aquila, & Theodotion, Placabilis dixerunt. Mansuetudo igitur, patientiã tacitè innuit.

Auribus percipe orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.

Tali igitur benignitate vtens; benignè meas preces admitte.

In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudisti me.

Cùm de tua mansuetudine periculum feciss em; preces tibi affero: nam obsecranti mihi, postulata concessisti.

Non est similis tui in Dijs domine, & non est secundum opera tua.

4.Reg.18. Postquàm impius Rapsaces elatis illis verbis vsus est, Num potuerunt Dij gentium quilibet liberare suam ipsius regionem de manu mea? quoniam liberabit dominus Hierosolymã de manu mea? Vaticinatio igitur Ezechiam exclamare edocet, Non est similis tui in Dijs domine, & non est secundum opera tua. Illi enim nomen rei expers habent, & hoc verò furati arripuerunt, tu autem appellationem rei respondentem habes. Nam congruenter admodum opera cum diuina appellatione coniunxit, Non est similis tui in Dijs domine, & non est secundum opera tua. Hi nanque inanimes penitus sunt, neque sibi ipsis opitulari possunt, tua verò magnificentia omnes hominum linguas vincit.

Omnes gentes quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te domine.

Porrò tempore magni Dauidis hoc nequaquam euenisse scimus: Ezechiæ verò tempestate verisimile est, quosdam ob Assyriorum internecionem obstupefactos ad Deum colendũ venisse. Cæterùm Vaticinationis veritatẽ tempus post humanitatem Dei, & Saluatoris nostri ostendit. Post enim salutarem crucem in omnẽ terrarum orbem diuinus Apostolorum chorus missus fuit. Inquit enim ipsis dominus, Euntes *Matth.28.* docete omnes gentes. Docuerunt autem, sicut iniunctum illis fuit, & ignorantiæ caliginem discutientes, fuerunt in causa, vt gentes iustitiæ Solem viderent, & Deum, qui salutem largitus est, adorarent. Hoc & ea, quæ, sequuntur edocent.

Et glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.

Afferent tibi hymnum, cùm te esse solum Deum didicerint: etenim tuorum miraculorum magnificentia hanc scientiam illis subministrabit.

Deduc me domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.

Cùm futuram liberationem ab errore gentibus vaticinatus esset; orat, vt & ipse hanc itineris demonstrationem consequatur, & in veritatis via iter faciat.

Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

Qui in Deum hanc reuerentiam habet; legitimam vitam amplectitur: mater verò lætitiæ talis vita est: meritò igitur Propheta precatus est, vt metu diuino suum cor lætetur. sic enim *Psal.104.* & alibi inquit, Lætetur cor quærentium dominum. &rursus, Memor fui Dei, & delectatus *Psal.76.* sum.

Confitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, Quia misericordia tua magna est super me.

Noui inquit, te meas preces admissurum esse, rebusq; tristibus finem impositurum, atque facturum, vt gratiarum actionis carmen pro benignitate mihi concessa tibi afferam.

Et eruisti animam meam de Inferno inferiori.

Discriminum magnitudinem per hæc aperuit: etenim diuinus Dauid talia sæpius passus est, & cùm à Saule bello petitus esset, & cùm ab Absalone persecutionem pateretur. Cæterùm Assyriorum impetus perspicua mors erat. Idcirco extremam mortem, & talia pericula, Inferos infimos nominauit.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagogæ potentium quæsierunt animam meam.

Et Dauidis hostes iniquitati assueti erant, & Assyrij impij, & prauitatis operarij erant, & hi quidem, & illi robur prauitati respondens habebant. metus autem hinc his, qui bello petiti erant, ancipitem mentem faciebat: propterea ad Deum confugiunt, & illinc opem efflagitant.

Et non proposuerunt te in conspectu suo.

Tuam prouidentiam in eorum mentes minimè admiserunt.

Et tu domine Deus miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax, respice in me, & miserere mei.

Quoniam benignitatis fons es, & misericordiæ & commiserationis flumina profundis: adest etiam tibi veritas, & iudicas vitijs affectos, stillarum tuæ bonitatis participem me fac, hostibusq; superiorem me fac.

Da Imperium tuum puero tuo, et saluum fac filium ancillæ tuæ.

Etenim seruus tuus sum, tuęq; ancillę filius, videlicet, à principio sub tuo imperio vitam duxi, idcirco veluti seruus à domino salutem peto.

Fac meum signum in bonum.

Signorum aliqua supplicij sunt, vt fuerunt illa apud Aegyptios, Aliqua verò salutis, vt apud Hebræos. Propterea Propheta diuisione vsus est: & non simpliciter Signum dixit, sed salutem, & admirationem afferens, bonorumq; affluentiam mihi tractans.

Et videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu domine adiuuisti me, & consolatus es me.

Nam cùm hostes curam, quam de me geris, viderint; ignominia pleni erunt, & infames apud omnes fient.

Psalmi LXXXVI. Interpretatio.

Filijs Chorę. Psalmus Cantici.

Et hic psalmus gentium salutem præcinit, & pium viuendi statum prædicit, quem Dominus Christus cùm homo factus esset, docuit.

Fundamenta eius in montibus sanctis.

Fundamenta pietatis, diuina sunt documenta;

ta: Montes verò ſancti, ſupra quos fundamenta iecit, Saluatoris noſtri ſunt Apoſtoli: quandoquidem de his beatus inquit Paulus, Superædificati eſtis ſupra fundamentum Apoſtolorũ, & Prophetarum, cùm eſſet eius lapis angularis Chriſtus Ieſus. & rurſus, Petrus & Iacobus, & Ioannes, qui videntur columnæ eſſe. & dominus Petro poſt veram & diuinam illam confeſſionem, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. & rurſus, Vos eſtis lux mundi, & nõ poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. ſupra hos ſanctos montes dominus Chriſtus pietatis fundamenta iecit.

Epheſ. 2.
Galat. 2.
Matth. 16.
Matth. 5.

Diligit dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob.

Quæ ſit autẽ hæc Sion diuinus Paulus enucleat, Acceſsiſtis ad Sion montem ciuitatẽ Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, & multorũ millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiã primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis. Et rurſus, Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. & de Patriarcha Abrahamo in Epiſtola ad Hebræos, cùm diſſeruiſſet, & hæc appoſuit, Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus. & rurſus de alijs ſanctis ſermonem habens, inquit, Qui enim hoc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere, & ſiquidem ipſius meminiſſent, à qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetunt, id eſt cœleſtem. Diſcimus igitur quandam ciuitatem ſuper cœlos eſſe, Hieroſolymam nuncupatam, non turres, & mœnia habentem, neque ſplendidis lapidibus micantem, ſed ſanctorum choris illuſtratam, & Angelica conſuetudine decoratam. Huius ciuitatis ianuas, non aberraret quis, ſi terrenas Eccleſias nominaſſet: per has enim in illam introiri poteſt. etenim in his prius inſtructi, & exercitati; illius ciuitatis viuendi modum diſcimus. Has inquit ianuas diuinus ſermo amabiles eſſe vniuerſorum Deo, Iudæorumq; tabernaculis præſtare.

Heb. 12.
Gal. 4.
Heb. 11.
Ibidem.

Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.

Admirabilia quædam, & inopinata ſunt, quę de te prædicta fuere, & omnem humanam expectationem tranſcendunt. Porrò hæc, quę dicta ſunt, terreſtri Hieroſolymæ nequaquã congruentia eſſe, ſequentia teſtantur.

Memor ero Raab, & Babylonis ſcientibus me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.

Hæc inquit, ò diuina ciuitas de te dicta ſunt: te homines diu vitijs inquinatos, tenebriſque ignorantiæ oppreſſos, vt in te habitent, & tuæ conſuetudinis participes ſint, dignos factos eſſe. Idcirco de ſupradictis gentibus mentionem fecit, tanquã de iniquiſsimis, & de his, qui imperium coniunctũ cum impietate habuerunt, & per has & alias declaret. *Raab* enim, & Chananæa & meretrix fuit. *Babylon* verò effera & impia eſt. *Alienigenæ* autẽ, ſunt Phyliſtæi. oſtendimus autem, quinam ſint iſti, & Dæmonum cultores, & impij. Cæterùm in Tyri impietatẽ, & luxuriã Vates Ezechiel tragicè inuectus eſt. Populum autem Aethiopum, non modò ipſos Aethiopes propheticus ſermo nũcupauit, quorum animæ corporis nigrori reſpondent, verùm etiã cunctas animas nigras: etenim in canticis canticorum ſponſa exclamat, Nigra ſum, ſed formoſa ò filiæ Hieruſalem. & demonſtrauit eodem tempore, & impietatis tenebras, & pulchritudinem à diuina gratia conceſſam. Hę igitur gentes nunquam in Iudæorum Hieroſolymam conuenerunt; neque ſtatum legis dilexerunt. Poſt autem Saluatoris noſtri humanitatem, & hanc Hieroſolymam habitarunt, & per orbem terrarum eccleſias implerunt, & in cœleſtem Sionem tranſmigrant, illiuſq; beatæ conſuetudinis compotes fiunt.

Ezech. 16.
Cant. 1.

Mater Sion dicet homo.

Porrò vnuſquiſque Sionem, matrem nuncupauit, & omnis homo dicet, quoniam mater Sion eſt.

Et homo natus eſt in ea.

Illa verba, Dicet homo, cum his coniuncta ſunt. Qui enim matrem Sionem nominat, confitebitur etiam ortum hominis, qui natus eſt in ea: & ne quis hunc hominem tenuem eſſe ſuſpicetur, ſtatim ſubdidit.

Et ipſe fundauit eam altiſsimus.

Nam hic homo, qui in hac natus eſt, & creator eſt, & opifex, cùm altiſsimus ſit, & Deus.

Dominus narrabit in ſcriptura populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea.

Symmachus autem ſic expoſuit, Dominus numerabit ſcribens populos, hic natus eſt illic. Qui enim populos in illa verſantes, ſua ipſius ſcriptura dignatus eſt, in ipſa ſecundum humanitatem natus eſt, cùm Dominus eſſet, & Deus. Hunc autem numerum Dominus noſter ſacros Apoſtolos edocuit, cùm dixerit, Veſtri autem capilli capitis numerati ſunt. & hanc deſcriptionem proprijs ſuis Apoſtolis aperuit, dicens, Nequaquam gaudete, quoniam Dæmones ſubijcientur vobis, ſed quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.

Luc. 12.

Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.

Etenim cœleſtis illa Reſpublica ab omni mœrore remota, ſynceram, & puram habet lætitiã, & voluptatem. Cęterùm pietatis alumni in hac minimè tanquam diuerſorio, ſed tanquam in propria, & æterna ſede commorantur.

Pſalmi LXXXVII. Interpretatio.

Canticum pſalmi. Filijs Chorę. In finem. pro Maheleth ad reſpondendum. intellectus Heman Ezraitæ.

Symmachus autem pro Maheleth, dixit, Duplicis chori: Aquila verò, Pro illis rebus, quę ad chorum ſpectant. Et Heman chori cuiuſdam cantorum, & Deum laudantium præceptor erat. reſponſio autem tacitè innuit, chororum ordines inuicem ſibi reſpondentes. Vaticinatio igitur Iudæorum calamitates præcinit, & Babylone ſeruitutem. Edocet autem eodem tempore totius ſimul humanæ naturæ poſt patratum peccatũ dolores. Cæterùm vaticinatio

1. Paral. 6.

pſalmi

pſalmi in deprecationem formata eſt, quæ ab his, & communiter ab omnibus miſericordi Deo affertur. hæc deprecatio verò hominibus magis pijs eſt congruens.

Domine Deus ſalutis meæ in die clamaui, & nocte coram te. Intret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad preces meas.

Te Deus meæ ſalutis dominum noui: idcirco dies, nocteſque obſecro, vt meas preces admittas.

Quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea in Inferno appropinquauit.

Cùm malorum multitudinem, quæ circunſtãt me, perſpexerim, oro te: prope enim ipſam mortem ſum, tuique auxilij indigeo.

Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum.

In calamitates quaſdam ineluctabiles incidi, & nullam liberationẽ inuenio, ſed ſimilis ſum ijs, qui in foueam illapſi ſunt, & minimè aſcendere poſſunt.

Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio.

Omni ope, & cura orbatus ſum.

Inter mortuos liber.

Cùm nondum finem vitæ ſubiuerim, neq; mortis ſeruitutem acceperim, inter mortuos me ipſum numero.

Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum nõ es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.

Illa verba, Factus ſum ſicut homo, & cum his cõiuncta ſunt, Factus ſum vt homo ſine adiutorio inter mortuos liber, & qui nondum mortis ſeruitutem recepit. Factus ſum, ſicut vulneratus, qui in bello plagam accepit. Hoc enim ſic Symmachus dixit, Tanquam vulnerati iacentes in ſepulchro, quorum non es memor amplius, qui è tua manu eiecti ſunt.

Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & in vmbra mortis.

Et hæc verba & ijs, qui Babyloni degere coacti erant, accommodata ſunt, & toti hominum naturæ: etenim illi prauis hominibus ſeruientes; funeſtam vitam viuebant, & omnes homines in omnis generis calamitates poſt patratum peccatum inciderunt. Poſt enim mandati trãſgreſsionem; mors, & luctus, & lachrymæ, gemitus, & vlulatus, viduitates, & orbitates, & infinita alia, quæ explicari non poſſunt, tenebras etiam viuentibus offuderunt.

Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

Symmachus autem ſic expoſuit, Furor tuus ſuper me irrupit, & tempeſtatibus tuis afflictaſti me. Pergis, inquit, in me animaduertere, & varios calamitatum impetus mihi inferre. ex tranſlatione hæc poſuit naufragorum, & eorum qui multos vndarum impetus, & ventorum impreſsiones ſubeunt.

Longe feciſti notos meos à me.

Deſertus ſum & à familiaribus, & à cognatis. Etenim qui Babyloni captiui erant, quique ſeruitutis iugum ferebant, cùm diſsipati, amicorumque coniunctione, & familiaritate priuati eſſent; nullam hinc conſolationem habebant. Cæterùm omnes homines impiè viuentes, nulla re ab Angelis cuſtodiuntur.

Poſuerunt me abominationem ſibi.

Videlicet hoſtes.

Traditus ſum, & non egrediebar.

Ab ingruentibus malis nullam liberationem inuenio.

Oculi mei languerunt præ inopia.

Hanc clauſulam Symmachus ſic interpretatus eſt, Oculus meus effluxit ob afflictionem. In lacrymis enim oculos meos conſumpſi, ob dolores lacrymas profundere coactus.

Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas.

Vnam igitur viam concede, vt à doloribus liberari poſsim, tuam Domine nempe opem: expandens enim ſemper manus te precor. Porrò acerbum animi dolorem hæc figura præ ſe fert: nam neceſsitate coactus, ſtudioſius quiſlibet hoc modo eum obſecrat, qui præſidium ſibi afferre poteſt.

Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?

Adhuc mihi vitam ducenti, tua miracula oſtende. Nam mortem oppetens, hæc minimè intuebor. non enim eſt medicus, qui à morte liberare poterit, quæ nam medicina hanc habet vim?

Nunquid narrabit aliquis in ſepulcro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis?

Fieri non poteſt, inquit, vt mortui, qui in pulueres diſſoluti ſunt, & in tenebris mortis degunt, & ſempiternæ obliuioni proditi ſunt, tuam benignitatem percipiant, & tuorum miraculorum ſpectatores ſint.

Ego autem ad te Domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te.

Nam in vita deſiderans ab impendentibus malis liberari; mœrens, te veneror, & diluculum deprecatione præuenio.

Vt quid Domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me?

Cur igitur Domine me reijcis, tuamque beneuolentiam non impertis?

Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.

Iuuentus quidem Iſraelis, ex Aegypto Exitus eſt, omnium autem hominum vita extra paradiſum poſt mãdati tranſgreſsionem. hi autem, & illi omne tempus intermedium calamitoſam vitam degerunt.

Exaltatus autem humiliatus ſum, & conturbatus.

Nam Iudæi quidem poſt ſplendorem in ſeruitutem inciderunt; & hominum natura ſecundum diuinam ſimilitudinem facta, & vita paradiſi digna effecta, cùm maiora cõcupiuiſſet, etiam à bonis, quæ dono acceperat, excidit.

In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me, circundederunt me ſicut aqua.

Omnem inquit, iram in me excitaſti, & maximè horrendis ſupplicijs perterruiſti, & in his velut aquis me ſummerſiſti.

Tota die circundederunt me ſimul.

Ab his quotidie inundor.

Elongaſti à me amicũ, & proximum, & notos meos à miſeria.

Porrò tot, tantisque calamitatibus colluctans, nullam à familiaribus consolationem habeo, ob seruitutis miserias horum consuetudine priuatus. Cæterùm hæc non modò Iudæis dicere conuenit, neque solùm omnibus hominibus ante Saluatoris aduentum, verùm etiam nunc eis, qui similia patiuntur hæc deprecatio accommodata, & congruens est: quandoquidē
Roma. 15. secundum diuinum Apostolum, Omnia, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinā scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.

Psalmi LXXXVIII. Interpretatio.

Intellectus Aethan Israëlitæ.

Beatus Dauid falsos Deos adytis & templis honoratos videns, solam verò Dei arcam sine honore esse; se diuinum ædificaturū templum promisit. hāc eius sententiam Deus amplectens, bonam promissionem fependit, & spondet ex eius lumbis rationale sibi templum erecturum esse, & per hoc omnium hominum salutem tractaturum, & Regnum ei sine fine largiturum. Hæc autem promissa per vatem Natham ei fecit, & hoc apertè Paralipomenon historia edo-
Paral. 17. cet. Et in secundo Regum libro Natham ei dici-
2. Reg. 7. t; Et annunciabit tibi Dominus, quoniam domum ædificabis ei. De his etiam mētionem
Actu. 2. facit Actuum historia: Nam beatus Petrus inter Iudæos concionem habens, post alia multa, & hæc locutus est, Propheta igitur cùm esset Dauid, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius Christum secūdum carnēm oriturū, sedere super sedem eius; præuidens locutus est de resurrectione Christi, quoniam neque derelicta est in Inferno eius anima, neque caro eius vidit corruptionem. Has pollicitationes etiam patriarchæ Abrahamo
Gene. 15. fecit, dicit enim illi, In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. interpretans autē hoc
Galat. 3. diuinus Paulus, sic dicit, Abrahę dictę sunt promissiones, & semini eius. nō dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. In has promissiones intuentes horum posteri, & respicientes se ipsos captiuos factos, & regiam ciuitatem desertam, & extinctum esse Regnum; promissa Deo vniuersorum conditori in memoriam reuocant, & modò quidem Patriarcham Abrahamum in medium afferunt, Deum admonentes de fœderibus filiorum eius, & posterorum: modò verò beatum Dauidem, & promissiones ei factas attestantur. eodē modo beati martyres Ananias, Azarias, & Misaël in camino Deum orantes, de Abrahamo, & Isaac, & Israële mentionem fecerunt. Iam verò vaticinationis gratia in illorum vtilitatem hunc conscripsit psalmum, edocens quomodo oporteat Deum demulcere, & ab ipso benignitatem percipere. Idcirco Intellectus inscriptus est. hac igitur intelligētia ijs, qui instruuntur, potissimum opus est, ne quid absoni, dum affliguntur, dicāt, sed diuinam præ-
1. Par. 6. stolentur misericordiam. Cæterùm Aetham ipsi canentium in templo, Deumq; laudātium, chorus commissus erat.

Misericordias domini in æternum cantabo, in generatione & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo.

Qui diuinam misericordiam efflagitant, misericordiam celebrant; & qui pollicitationum veritatem, quæ Dauidi factæ fuere, videre desiderant, eam omnes posteros docere promittunt.

Quoniam dixisti, in æternum misericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis.

Dei est sermo Dauidi dictus, se misericordiam in æternum ipsius semini custoditurum: hanc igitur promissionem in memoriam reuo- 2. Reg. 7.
cant. Tu enim inquit, dixisti, te misericordiam aucturum, sed non detracturum esse: quandoquidem hoc verbum *Aedificabitur*, pro Augebitur posuit, & Symmachus Firmabitur dixit: spopondisti inquit, verborum veritatem re ipsa corroborare.

Disposui testamentum electis meis. iurauī Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam.

Illud verbum *Dixisti*, & cum his coniunctum est. Has pactiones cum electis feci. electos verò nuncupat Abraham, & Isaac, & Israëlem. & insuper dixisti iurasse Dauidi, in æternum eius semen custodire, & fore vt per omnia secula eius thronus floresçat. sic cùm Dei promissa percurrissent, finemque rerum minimè cernerent; nihil quidem absurdi à calamitatibus dicere coguntur, sed laudibus vniuersorum præsidem prosequuntur.

Confitebuntur cœli mirabilia tua domine, etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

Theodotion autem hoc modo vertit, Et fidem tuam in ecclesia sanctorum. Te enim ab omnibus laudari cōuenit, maximè verò ab his, qui cœlos incolunt, quique expressius tua mirabilia cernunt, & harum promissionum firmitatem sciunt. De hac ecclesia, quæ super cœlis est, & beatus Paulus meminit, Accessistis enim Hebr. 12.
dicens, ad Sion montem ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem; & ecclesiam primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, & similis erit Deo in filijs Dei?

Symmachus autem sic, Quis enim in æthere se opponet domino, seque æquabit domino in filijs Deorum? Filios Dei appellat Deos, sicuti filios hominum, homines. Nuncupat autem Deos, qui non sunt, sed qui ab infidelibus existimantur Dij esse. Dicit igitur, omnibus cœlitibus præstas, omnibusque sine comparatione superior es, & nullus eorum, qui sunt, conferri tecum poterit. Redarguit enim falsitatem Deorum, qui ab hominibus facti sunt. similibus verbis etiam alibi vsus est, dicens, Et Psal. 134.
Deus noster præ omnibus Dijs. Cæterùm hanc similitudinem Prophetæ faciunt, minimè ignorantes differentiæ magnitudinem, sed vt infidelium imbecillitati accommodatam doctrinam afferant.

Deus

Deus qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt.

Quoniam de Dijs, qui non sunt, mentionem fecit: ignorabatur verò ab impijs hominibus Deus, qui est; meritò sanctos in medium attulit, à quibus verus Deus laudatur, quibus terribilis est, vt qui propinquiores illi sunt, & inexplicabilem eius potentiam cognoscunt. *Consilium* autem *Sanctorum* nominauit hoc in loco Sanctorum cœtum.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es domine, & veritas tua in circuitu tuo.

Continuè de veritate mentionem faciūt, cupientes promissionum euentum videre, & dicunt ei, Quis tibi domine eorū, qui sunt, comparari poterit? potentiam voluntati respōdentem habes: omnia vera, & firma sunt apud te. deinde potentiæ signa prosequuntur.

Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratū superbum in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tu es inquit, omniū opifex, & dominus, & facile est tibi, & mare perturbare, & tráquillitatē efficere. Cùm autem maris meminerit; & de his, quæ in hoc facta fuere mentionem facit. *Superbum* enim Pharaonem appellat, & Inimicos, Aegyptios, quos mari obruit, suoque populo salutem dedit. eodem autem tempore vaticinatur præceptorum superbiæ interitum: etenim hos cum suo malo exercitu in sancto baptismate euertit.

Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti.

Non modò enim maris, & totius terræ, verùm etiam imminentium cœlorum tu es auctor, & opifex: tuum enim opus est non solum cœlum, quod conspicitur, sed etiam illud, quod hoc superius est.

Aquilonem, & mare tu creasti.

Sic exposuit Theodotion, boream, & notum tu creasti, & venti inquit, & orbis partes opera tua sunt. Porrò non temerè harum duarum partium meminit. Sed quoniam ex parte Australi Hierosolymę sunt Aegyptij, & ex Aquilonari parte sunt Assyrij, cùm euertisset verò Aegyptiorum audaciam, libertatem ipsis largitus est, facile tibi, inquit, est & hos, vt illos, qui non sunt, destruere.

Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.

Per hæc totam promissionis terram ostēdit: quandoquidem hi montes illius terræ sunt. Hoc autē Exultabunt, Aquila laudabunt, Symmachus verò, Benedicent dixit. non dixit hoc montes facturos esse, sed homines, qui montes, vel iuxta montes incolunt.

Tuum brachium cum potestate.

Proprium tibi est cum potentia omnia efficere. Nam *Brachium*, pro efficacitate, *Potestatem*, verò, pro Potentia accepit: etenim Aquila pro Potestate, Potentiam posuit.

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.

Symmachus autem sic dixit, Inexpugnabilis manus tua, sublimis dextera tua. Sæpius diximus per Brachium, efficaciam declarari, per Dexteram verò, bonam efficaciam. duplicis igitur efficaciæ indigentes, vtrarumque mentionem fecerūt: etenim hostes prostigatos cernere desiderant, & ipsi salutem consequi efflagitant. Idcirco inexpugnabilem manum, sublimem verò dexteram vocant, quippe quæ illos supplicijs afficere potest, ipsosq; liberare. Hoc autem & ea, quæ sequuntur, declarant.

Iustitia, & Iudicium præparatio sedis tuæ, misericordia, & veritas præcedent faciem tuam.

Supplicantes enim, vt & ipsos, & Babylonios iudicet, precantur, vt in illos iustam proferat sententiam, ipsis verò misericordiam præbeat, & promissionis veritatem ostendat. Propterea dixerunt eius iudiciale solium iustitia, & iudicio ornatum esse, misericordiam, & veritatem Deum præire, quippe quia multis antè seculis promissio facta fuit.

Beatus populus, qui scit iubilationem.

Iubilatio, vt sæpius diximus, vincentium est vox. Quoniam igitur debellati, in seruitutem abducti fuerunt: beatos esse dicunt eos, qui victoriam cōsecuti sunt. sanè sermo diuinus præcinit populum mysticam exultationem in omni terra, & mari Deo afferentem, triumphalemque hymnum canentem. Huic autem sententię ea, quæ sequuntur consonant.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.

Exultabunt autem, & ob victoriam contra inimicos partam triumphabunt, & tibi victorię auctori triumphalem hymnum afferent, tuo aduentu illustrati, & à te splendorem consecuti, & perenni gaudio perfruentes, iustitiamque secundum legem exequentes, demumque & illustres hinc effecti.

Quoniam gloria virtutis tu es.

Ob tuam potentiam inquit, extollentur: à te enim hoc gaudium acceperunt.

Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Porrò nos inquit, hanc spem habemus tuamque opem præstolamur: propter hanc enim hostibus superiores erimus. Nam *Cornu*, Robur, & Imperiū vocauit, ex translatione animalium cornutorum, quæ cornibus munita sunt, hisq; vtuntur contra aggredientes.

Quia domini est assumptio nostra, & sancti Israël Regis nostri.

Hac sanè spe alimur, te Regem habentes, & sub tua gubernatione viuentes.

Tunc locutus es in visione sanctis tuis.

Symmachus autem sic dixit, Tunc locutus es per visionem filijs tuis: Quandoquidem tuas promissiones per Vates factas scimus: Hos enim prophetas & videntes, & intuentes appellabant.

Et dixisti, posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum.

Tu inquit, tuo seruo Dauidi testatus es, & cùm in virtutis officijs potentem inuenisses; tua ope eum dignatus es, & elegisti, & vnxisti, & Regem creasti.

Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

Dixisti autem te ipsi robur præbiturum, & tuam opem ei largiturum.

Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Promisisti autem etiam inimicorum eius insidias vanas demonstraturum, eisque, qui eum contumelijs afficere conantur, superiorem facere.

Et concidam à facie ipsius inimicos eius, & odientes eam in fugam conuertam, & veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Cæterùm promisisti & omnes eius inimicos euersurum, & perennem benignitatem ipsi largiturum, illustremque atque amplissimum ipsum facturum.

Et ponam in mari manum eius, & in fluctibus dexteram eius.

Dabo autem illi terræ, & maris imperium: quandoquidé per Flumina, Continentem terram declarauit.

Ipse inuocabit me, Pater meus es tu Deus meus, & susceptor salutis meæ, & ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ.

Atqui nec Dauidis tempestate, nec celeberrimi Salomonis finem hæc sortita sunt: quandoquidem neque Salomon, neque Dauid mari potitus est, neque primogenitus Dei nominatus est, neque Regum omnium potestatem accepit. sic enim Aquila interpretatus est, Sublimem Regibus terræ. & Symmachus, Longè supremum Regum terræ, dixit. Si autem hęc verba nec Dauidi, nec Salomoni accommodata sunt, & vera Dei promissio est, allucinantur Iudæi, nolentes eum, qui secundum carnem ex Dauide ortus est, colere, qui totius terrę, & maris imperium habet, omniumq; Regum supremus est: Habens alios quidem voluntarios cultores, aliorum verò imbecillitatem redarguęs, qui contradicere audent: nam infinitis machinationibus vsi sunt, nec leges ab ipso latas infirmare potuerũt. Cæterùm Primogenitum beatus Paulus ipsum nuncupat, Vt sit primogenitus in multis fratribus. Et, Primogenitus ex mortuis. Et, Primogenitus totius creaturæ. & dominus ipse Mariæ post resurrectionem inquit, Vade dic fratribus meis, ascẽdam ad patrẽ meum, & patrem vestrũ, Deum meum, & Deum vestrũ. Vt enim Deus vnigenitus est, solus enim ex patre genitus est: Primogenitus autẽ vt homo. fratres enim habet eos, qui crediderũt, vt homo: sic vt Deus Deũ eius patrem vocat, Deũ verò ipsum nominat, vt homo. In ipso igitur vaticinatio finẽ habet, & sequentia hoc testantur.

Roma. 8. Coloss. 1. ibidem.

Ioan. 20.

In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi, & ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli.

Ostendant igitur Iudæi regium Dauidis solium, & vsque in hodiernum diem permanens, quod in æternum Deus se custoditurum promisit. Demonstrent autem illius semen Regno præditum. si autem neutrum horum ostendere possent, & illi, qui hæc valdè impudenter loquuntur, duorum alterum supereſt, vel falsam Dei promissionem nũcupare, vel veram ipsam confitentes; rerũ testimonia admittere. Quandoquidem Christus ex Dauide secundum carnem natus, sedit in dextera maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quãto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? De ipso etiam beatus inquit Dauid, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Iam verò per dominum Christum Dauidis semen in æternum permanet, & eius solium perenne est. sic enim beatus Esaias vaticinatus est, nam cùm dixisset, Quod puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius Imperium super humerum eius, & vocatur nomen eius magni consilij Angelus, admirabilis, cõsiliarius, Deus, fortis, Dominus, princeps pacis, pater futuri seculi: subdidit paulò pòst, Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & in iustitia, amodo vsq; in sempiternum. sic cùm hæc de domino Christo Dauidicus sermo præcinuerit; de Regibus, qui in medio fuerunt, verba fecit.

Hebr. 1.

Psal. 2.

Psal. 109.

Esa. 9.

Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.

Si inquit, innumerabilia patrauerint delicta ij, qui à Dauide genus ducunt, ipsis quidem pœnas irrogabo: promissionem autem, quam Dauidi pollicitus sum, firmã seruabo. Misericordiam autẽ meam nequaquam illi negabo, hoc est, nullo pacto Dauidi nocebo in veritate mea. Hoc verbum *Nocebo*, Symmachus, Transgrediar vertit, Aquila verò, Non mentiar.

Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.

Non fallam tuas promissiones, non transgrediar pacta, sed promissorum veritatem ostendam.

Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar.

Firmam enim cùm fecerim ipsi promissionem, hanc ad finem perducam: Verbum nanq; *Iuraui* confirmandi gratia posuit. siquidẽ, qui aliquid pollicentur, solent suas pollicitationes iureiurando firmare.

Semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis.

Pro hoc nomine *Testis*, Symmachus dixit, Quis testificatus est. & in septuagesimo primo psalmo beatus Dauid de domino Christo prędixit, Ante solem permanebit nomen ipsius, & simul cum Sole durabit, & ante Lunam in secula seculorum. Quoniam enim Sol est in causa temporis metiendi, exoriens, occidens, & diem noctemque efficiens; meritò per Solem voluit solij æternitatem ostendere: promisit autem semen illius in perpetuum conseruare. Porrò qui hæc pollicitus est, & testatus est, in cœlo est, & veris, fidelibusque vtitur verbis. Hoc modò cùm

cùm dixissent promissiones Dauidi factas, deplorant calamitates sibi immissas.

Hiere. 22.

Tu verò repulisti, & despexisti, distulisti Christum tuum. Auertisti testamentum serui tui.

Symmachus verò sic, Tu autem ipse reiecisti, & reprobasti, iratus es cum Christo tuo, execratus es pactum serui tui. Tu autem ipse, qui respondisti te illa præbiturum; repulisti quidẽ Dauidis posteros, vilesque reddidisti, & in seruitutem abduxisti, euertisti autem huius Regnum: nam Testamentum Regnum vocat. Sanè captiui abducti fuerunt bini Dauidis posteri, Iechonias, & Sedecias, in his verò Dauidis Regnum desijt. Zorobabel autem, qui post seruitutem populum duxit, administrator fuit, non Rex.

Profanasti in terra sanctuarium eius.

Sanctuarium, Templum vocat, quod voluit Dauid quidem ædificare, cæterùm Salomon post Dauidem illud erexit. hoc dicit, violatum esse Babyloniorum incursu, & simile esse herbæ florenti: euersum enim in puluerem conquieuit, & solo æquatum est.

Destruxisti omnes sepes eius.

Omni ipsum tutela destituisti.

Posuisti firmamentum eius formidinem.

Antiquitus enim contra hostes mœnibus fretum, à sua audacia excidit, & illud horror circunstetit.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.

Moabitæ, Ammanitæ, Alienigenæ, Idumæi, Syri, Assyrij, Babylonij.

Factus est opprobrium vicinis suis.

Ridiculus factus est populus, & ignominiosus finitimis.

Exaltasti dexteram deprimentium eum.

Potentiores ipso hostes reddidisti.

Lætificasti omnes inimicos eius.

Fecisti, vt suis inimicis ludibrio foret.

Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello.

Inutilia ipsi arma fuerunt, cùm tua ope priuatus esset.

Destruxisti eum ab emundatione.

Symmachus autem sic, Fecisti, vt eius audacia desineret. Non enim potest aspersionibus expiari, cùm in potestate hostium sit, cumque à tuo templo viuat.

Et sedem eius in terra collisisti.

Funditus eius Regnum euertisti.

Minorasti dies temporis eius.

Cùm in æternũ promiseris te eius Regnum seruaturum; tamen paulò pòst tempore ipsi finem imposuisti.

Perfudisti eum confusione.

Ignominiosus factus est, & dedecoris repletus est. Sedecias enim erutis oculis, pistrino addictus est in omne reliquum tempus. Iechonias autem & ipse seruijt. Hæc verò omnia ignominię, & opprobrij referta sunt. Hoc pacto cùm vaticinationis verba res aduersas ostendissent; hortantur ad venerandum, & precandum.

Vsquequò domine auertis in finem, exardescet sicut ignis ira tua?

Symmachus autem, Quousque domine occultaberis in finem, & exardescet instar ignis furor tuus? Quousque inquit, domine dolores nostros inspicere non vis, neque appares, vt nostris calamitatibus finem imponas, sed nostrorum peccatorum memoria tuam iram velut ignem accendis?

Memorare, quæ mea substantia.

Auctor es & conditor, & modulos mearum virium cognoscis.

Nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum?

Non temerè, neque frustra homines effinxisti, sed bonitas opificij præcesserit, per bonitatem enim solam nos formasti: ne despexeris igitur nos, tot tantisque malis destinatos.

Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu Inferi?

Cuiuslibet hominis finis, mors est: fieri enim non potest, vt ipsa morte superiores simus: viuentibus igitur tuã benignitatẽ impertias. Deinde rursus eum de promissionibus admonet.

Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ domine, sicut iurasti Dauid in veritate tua?

Eleganter autem vbique veritatis affert testimonium, excitans ad confirmationem pollicitorum eum, qui pollicitus est, & principium à misericordia exorsus est, & in finem rursus de misericordia mentionem facit: hac enim maximè indigebant.

Memor esto domine opprobrij seruorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium.

Symmachus autẽ sic, Et portaui in sinu meo opprobrium multarum gentium. Ne despicias me inquit, qui non ab vna, sed ab infinitis gentibus ignominia afficior, non modò enim Assyrij, & Babylonij mihi insultant, sed etiam finitimi omnes, qui continenter mecum inimicitias exercent. Cæterùm non mihi tantùm illudunt, sed etiam contra te linguam exagitant, & maledicis verbis te incessunt, putantes meam seruitutem ex tua imbecillitate procedere. hoc nanque per ea, quæ sequuntur, ostendit.

Quod exprobrauerũt inimici tui domine, quod exprobrauerunt commutationem Christi tui.

Symmachus autem, & Theodotion sic, Exprobrauerunt vestigia Christi tui. Vestigia verò Christi appellauit illius temporis Reges, per quos sermo de Christi Regno ambulauit. & Septuaginta communionem ipsos nuncupauerunt, vt qui fuerunt maiores ipsius secundum carnem, quique veluti in tenebris quibusdam regnum administrabant. Per Christum igitur tuum, cuius vestigia, & commutatio hi sunt, fac domine, vt nostra opprobria cessent.

Benedictus dominus in æternum, fiat, fiat.

Bonæ spei est hymnorum cantilena; nam cùm credidissent Deum, preces admisisse, hunc hymnum ipsi attulerunt. Sanè hunc sensum & Aquila magis accuratè ostendit; nam cùm Amen Amen interpretatus esset; inquit, Certus & fidelis, videlicet, verus, & admodum verax: Benedictus igitur in æternum, promissa enim operibus confirmas.

Psalmi LXXXIX. Interpretatio.

Oratio Moisi hominis Dei.

Nonnulli quidem Interpretum hanc deprecationem magnum Mosem feciſſe dictitarunt, aliqui verò magnũ Dauidem eam conſcripſiſſe, ſed diuino Moſi accommodaſſe, dixerũt. Atqui geminam vaticinationem pſalmus continet. præcinit enim non modò Iudęorum calamitates, verùm etiã res caducas, & fluxas totius humanæ naturę edocet. Vaticinatur etiam malorum mutationem in melius.

Deus refugium factus es nobis à generatione in generationem.

Nam Iudæorum quidem perfugium fuit, nõ modò in Aegypto, ſed etiam in ſolitudine & Ieſu Naue tempeſtate, & Gedeonis, & Barac, & Iephthe, & Sampſonis, & Samuelis, & Dauidis, & demũ per Propheras ipſis omnem opem impertijt. Cæterùm tota hominũ natura his verbis vtitur, omnia beneficia Deo in memoriam redigens, quomodo Enoch tranſtulit, quomodo omnes, cùm ferinã vitam amplexi fuerint, perdidit & diuinum Noë ſeruauit, vt eſſet veluti ſcintilla humano generi, quomodo cùm patriarcham Abraham elegiſſet omnibus gentibus benedictionem ſpopondit. Non enim, vt nonnulli infidelium dicere audẽt, ex pœnitentia Deus rerum omniũ conditor ad gentes beneficijs ornãdas venit, ſed ſemper de omnibus hominibus curam gerit, & hoc vaticinatio nos aſſererе docuit, Domine refugiũ factus es nobis à generatione & generationem: ſemper enim tua ſpe perfruiti ſumus.

Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſeculo, & vſque in ſeculum tu es Deus.

Ante enim omnes res genitas tu es, & ante montes, & terram, & totum terrarum orbem: ſempiternus enim es ſine principio, & ſine fine, nullo termino circumſcriptus. Nam cum his verbis, Priuſquam montes fierent, hæc etiam clauſula, Tu es Deus, coniungitur.

Ne auertas hominem in humilitatem.

Obſecro te igitur, te inquã perennem, ſempiternum, ſemper refugium nobis factum, ne penitus nos tot tantisque malis cinctos deſpicias. Quoniam enim ipſe Adamum ad ſudores, & labores cõdemnauit, cùm dixerit, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, ex qua ſumptus es, quoniam terra es, & in terram reuerteris; cõgruenter admodum vaticinationis ſermo nos orare docet, ne omnino auertamur in humilitatem, atque in deſtinatas miſerias; atque etiam Iudæi ſeruire coacti, hanc deprecationem afferunt, ſeruitutem deplorantes.

Gen. 3.

Et dixiſti, conuertimini filij hominum.

Aquila autem ſic, Et dices, conuertimini filij hominum. Non fruſtra inquit, obſecramus, ſed manifeſtò ſcientes ipſum noſtras preces admiſſurum eſſe, malorumque præſentium viciſſitudinem nobis allaturum, commonefaciendo, vt conuertamur, vtque à priſtina libertate liberemur.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præterijt, & cuſtodia in nocte.

Senſus verborum perplexus eſt. Hæc enim clauſula priori reſpondet, Ne conuertas hominem in humilitatem, quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præterijt, & cuſtodia in nocte: in medio verò iacẽt hæc verba, Et dixiſti, conuertimini filij hominum. Dicit autem exiguam, & admodum calamitoſam harum rerum vitam eſſe: apud te verò qui æternus, & ſempiternus es, etiam mille annorum numerum vni diei ſimilem eſſe. Nocturnam enim cuſtodiam, quartam partem noctis appellauit: nam illi, quibus cuſtodire iniunctum eſt, noctem in quatuor vigilias diuidunt. Quarta autem vigilia noctis etiam dominus ad ſuos Apoſtolos peruenit.

Matth. 14. Marc. 6.

Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

In longum tempus inquit, eos hiſce miſerijs ſubdidiſti. eodem autem tempore indicat Iudæorum abiectionem poſt crucem Saluatoris noſtri, atq; diuinæ curæ deſtitutionem, non parum temporis, ſed diu duraturam.

Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat.

Nam Iudęi diuino auxilio à principio dignati, & floruerunt, & germinarunt, maximumque ſplendorem acquiſiuerunt. cùm verò tempeſtiuum fructum agricolæ dare noluiſſent, ſed ſua corda obduraſſent; penitus exaruerũt: quãdoquidem priſtinam opem non amplius ſortiti ſunt. Porrò *Mane*, vocat Principium curę Iudæorum. *Veſperi* verò, Diuini præſidij ceſſationem: hoc ſanè poſt crucem orbati fuerunt.

Quoniam defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus.

Et Iudæis, & omnibus hominibus hæc accommodata ſunt. Etenim humana natura peccatorũ pœnas pendens; calamitatibus ſubdita eſt, & vniuerſis fluctibus circundatur, & Iudæi ob prauitatem mentis è libertate exciderunt.

Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui.

Symmachus autem ſic, Appoſuiſti iniquitates noſtras coram te, & negligentias noſtras, vt lucerent in conſpectu tuo. His ſupplicijs nos ſubieciſti, cùm vidiſſes nos contra leges, quæ in medio ſunt, peccare, & ſimul cum iniquitate vitam traducere.

Quoniam omnes dies noſtri defecerunt; & in ira tua defecimus.

Peccatum inquit, iram in nos concitauit: ira ſupplicium induxit: ſupplicium dolores: in doloribus enim noſtrã exiguam vitam duximus.

Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.

Nihil firmũ, & conſtans humana natura habet, ſed inſtar aranearum tela facile cõueilitur.

Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius labor, & dolor.

Similia ſunt hæc ijs, quæ à patriarcha Iacob dicta fuere, Dies mei praui & parui non peruenerunt in dies patrum meorum. Sunt igitur, qui plus temporis, quàm quod dictum eſt, viuunt, ſed illos contingit paulò plus viuere. Hîc verò docet,

Gen. 47.

docet, quod communiter, & vt plurimùm accidit: ſicut enim nullam fecit mentionem de his, qui immatura morte pereunt, ſic etiam miſſam fecit longæuam eorum vitã, qui nimis conſenuerunt. inquit tamẽ hoc tempus & breue eſſe, & doloris, & laboris pleniſſimum.

Quoniam ſuperuenit manſuetudo ſuper nos, & corripiemur.

Ecce enim quot malis circundati ſimus ob modicam tuam iram. Nam *Manſuetudinem* vocauit Mediocrem pœnam, quæ ipſis ſuperuenit.

Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam?

Symmachus autem ſic explanauit, Quis nouit vires furoris tui, & ſecundum timorẽ tuum iram tuam? Si parua tua inquit, indignatio talem animaduerſionem inſtixit, quis poteſt conſiderare pœnam, quæ ab ira tua irrogatur? Innuit verò ſermo ſempiternum ſupplicium.

Dinumerare dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia.

Obſecro inquit, vt tui beneficij compos ſim, & vt dona tuæ dexteræ enumerare, & narrare poſsim, atque à tua gratia eruditos imitari queam, qui alios ad tuam cognitionem deducunt.

Conuertere domine vſquequò, & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.

Ne amplius domine nos dolentes deſpicias, ſed preces admitte, benignitateq; tuos ſeruos dignos fac.

Repleti ſumus mane miſericordia tua, exultauimus, & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris.

Apud Septuaginta tempus mutatum eſt. Nã Aquila, & cæteri ſic dixerunt, Imple nos mane miſericordia tua, & laudabimus, & exultabimus in omnibus diebus noſtris. Mane, & Diluculum, calamitatum viciſſitudinem vocant, & ſupplicant, vt illæ tenebræ diſcutiantur, & lux ipſis oriatur, non ob eorum virtutem, verùm propter diuinam miſericordiam, cùm hoc inquit, futurum ſit, omni voluptate referti, congruentes laudes afferemus.

Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annos, quibus vidimus mala.

Hîc etiam tempus mutatum eſt. Nam Symmachus, & cæteri, Lætifica nos, dixerunt. Præbe, inquit, lætitiam pro mœrore, & largire nobis conuerſionẽ aduerſarum rerum nobis imminentium.

Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua.

Et hinc patet, hæc non tanquam facta eſſent dixiſſe; ſed veluti futura: non enim dixerunt, Reſpexiſti in ſeruos tuos, & in opera tua: tua nanque inquit opera nos ſumus, & ſerui tui imperij, idcirco vt tuam opem conſequamur eſflagitamus.

Et dirige filios eorum.

Hoc eſt, ſeruos tuos. Nam qui Babyloni ſeruiebant preces afferentes, obſecrant Deum, vt filios ſeruorum ſuorum, qui mortem oppetierunt, reduceret. & natura humana orat, vt ad veritatem deducantur ij homines, qui in Saluatoris noſtri aduentu inueniuntur.

Et ſit ſplendor Domini Dei ſuper nos.

Diuinæ cognitionis lumen illuſtres, & ſplendidos reddidit. & Iudęi poſt reditum omnium ampliſsimi fuerunt.

Et opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige.

Pulchra additio huius clauſulæ, Super nos. nam iuſtitiæ lucrum noſtrum eſt: & Deus quidem virtutis ſtudioſis fauet, & his ſuffragatur: horum ſanè fructum ſerentes metunt. Deus enim nullius rei indiget, gaudet tamen ſecundis rebus, & felicitate hominum.

Pſalmi XC. Interpretatio.

Laus Cantici Dauidi. Sine titulo apud Hebræos.

Pſalmus quidem ſine titulo eſt. Docet verò inexpugnabile robur ſpei in Deo collocatæ. Nam cùm beatus Dauid propheticis oculis ea, quæ in beatum Ezechiam acciderunt, à longè perſpexiſſet, & videns, quo modo in Deo ſua ſpe fixa, Aſſyriorum profligauerit exercitum; hunc conſcripſit pſalmũ, omnes homines edocens, quantam bonorum affluentiam habent ij, qui firmam ſpem in Deo conſtituerunt.

Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Qui, ait, diuino auxilio fretus eſt, à Deo cœli præſidium conſequetur, firmiſsimumq; vallũ habebit, atque tutam ſecuritatem.

Dicet Domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum Deus meus ſperabo in eum.

Is nanque, qui firmam ſpem in eo figit, præter hanc, eũm moderatorem, & indiſſolubile vallum appellabit.

Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

Hinc deinceps cum illo, qui credidit verbã facit, & dicit, fidendum eſſe, quoniam non modò manifeſtis inimicis ipſum ſuperiorem reddet, verùm etiã inſidiantibus; & clam inſidias venantibus. Per *Laqueum* quidem, Occultas inſidias demonſtrauit. Verbum autem Aſperum, Verbum doloris, Symmachus explanauit. Iſtiuſmodi ſanè ſunt, qui fraudes, & calumnias ſtruunt, veruntamen multi hos ſuperauerunt ob firmiſsimam ſpem in Deo fixam. eodẽ modo beatus Ioſeph adulterij calumniam ſuſtinens, huius laqueos declinauit. ſic etiam admirabilis illa Suſanna cœleſti præſidio adiuta eſt.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi; & ſub pennis eius ſperabis.

Propugnator nanque tibi erit, teq; bello petitum operiet. Poſuit ſanè hoc ex tranſlatione eorum, qui primarij in acie conſiſtunt, & humeris eos, qui à tergo ſunt operiunt. *Pennas* quippe vocat Prouidentiæ vires. poſuit autem hoc, auium ſimilitudine vſus: etenim illæ alis pullos operiunt. Sic beatus Moſes Dei curam vocauit, Cuſtodiuit ipſos, ait, vt pupillam oculi, & ſicut Aquila, quæ protexit nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos volat, expandens alas ſuas, aſſumpſit eos, atque portauit humeris ſuis. Hoc

Deut. 32.

Matth. 23. etiam Dominus Hierosolymæ dixit, Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluistis?

Scuto circundabit te veritas eius.

Quoniam superius de verbo aspero, atque de fraudibus mentionem fecit; iure hoc in loco eius armaturam, veritatem esse promisit.

Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.

Non modò hostes, qui cernuntur, verùm etiam eos, qui non videntur superabis, porrò ob spem in Deo fixam, & nocte superuenientes insidias declinabis, & interdiu impetus ab hostibus factos, & audaciam habens, vtpote qui à Deo custoditur, timorem exiges, neque meridie pugnabis, sed dæmonum insidias effugies, cœleste auxilium nactus. Cæterùm Dæmoniũ meridianum, posuit secundum opinionẽ, quæ apud multos inualuit. Verisimile autem est, vt hominum insidiatores post cibum atque satietatem veluti ad paratam prædam concurrant, & eos, qui cœlesti cura orbati sunt, facile superent.

Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt. Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.

Pro Latere tuo, Symmachus, & Aquila, Ex transuerso, verterunt. Dicit autem, siue à tua dextera, siue à læua tua multitudo infinita accesserit, tibi quidem nihil nocebit: videbis verò illos diuina plaga percussos. Hoc etiam Ezechiæ tempestate euenit: duo de viginti enim myriades, & quinque millia Assyriorum confixa fuerunt absque bellicis instrumentis. sic Gedeonis tempore, sic Nathan, atque etiam Iosaphat, & Elisæi Vatis tempestate hoc idem factum est.

Quoniam tu Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.

Porrò hanc opem, inquit, consecutus es, cùm diuina spe vsus fueris, & Deum tibi perfugium feceris. Nam orationis structuræ aliquid deest, nimirũ hoc, Dixisti enim tu Domine spes mea. Prophetia nanque hunc loquendi modum habet, & potissimùm psalmi. veruntamen consequentia clarum facit dubium. Quoniam enim inquit, in Deo spem tuam constituis, & in auxilium ipsum imploras; ab ipso opem consequeris.

Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Superior eris Diabolicis incursionibus, & inde nihil damni accipies. eodem modo diuina gratia domum Iob vallauit, & testis est ipse hostis exclamans, Nónne tu vallasti ea, quæ intus, & foris eius domus sunt? Postquam autem concesserit; & ille propriam malitiam ostendit, & iustus Iudex athletam victorẽ coronauit. Iob. 1.

Quoniã Angelis suis mandabit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

Hoc & in trigesimo tertio psalmo inquit, Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Audimus etiam Patriarcham Iacob dicentem, Angelus, qui eripuit me ex omnibus malis. Et magnus Abraham seruũ adhortans inquit, Deus mittet Angelum suum ante faciem tuã, & accipies illinc mulierem filio meo Isaac. vbique igitur discemus per Angelos vniuersorum Deum eos, qui in eo spem collocarunt, custodire. Genes. 48. Genes. 42.

In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Omne genus auxilij ab ipsis cõsequeris, necundè exiguum detrimentum patiaris: paruum enim malum per hanc clausulam declarauit, Ne fortè offendas ad lapidẽ pedem tuum. Cæterùm In manibus portabunt te, videlicet, manu regent, & deducent, & omne genus auxilij tibi afferent.

Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.

De ferocissimis, & acerbissimis feris mentionem fecit, cùm imperium contra omnes species malitiæ ostendere voluisset: quandoquidẽ per Leonem quidem, & Draconem, Robur indicauit: robustæ enim sunt magnopere hæ feræ. Per Aspidem verò, & Basiliscum, Extremã malitiam tacitè innuit. Aspis nanque letale venenum immittit. Basiliscus verò aspectu tantùm detrimentum infert, & tamen multi, qui Deo crediderunt, has feras superarunt. sic admirabilis ille Daniel Leonum ora ligauit, sic diuinus Paulus nullum damnum à Vipera accepit, sic Noë inter feras versans, incolumis euasit, sic innumeri, qui solitariam vitam amplexi sunt, & simul cum feris vitam duxerunt, & ob firmam spem in Deo fixam, harum pernicie euaserunt. Daniel. 14. Actu. 28. Genes. 7.

Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum.

Hæc deinceps vniuersorũ Deus fatur, edocens, quinam sit spei fructus, Liberabo enim, inquit, ex supradictis visibilibus, inuisibilibusque insidiatoribus ipsum mea spe munitum. Idcirco eum custodiam, & protegam, ipsumq; loquentem audiam, & preces admittam.

Cum ipso sum in tribulatione.

Et si in aliquam tentationem inciderit, vnà ero, & idoneam consolationem afferam.

Eripiam eum, & glorificabo eum.

Non modò à grauioribus rebus ipsum liberabo, verùm etiam illustrem efficiam.

Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Porrò faciam, vt ad profundam vsque senectutem perueniat, & futuram salutem in futura vita illi præmonstrabo. Hæc etiam beatus ille Ezechias consecutus est: nam cùm vitæ incrementum petierit, quindecim annorum numerum accepit. Cæterùm ex Assyriorum internecione maximam amplitudinem comparauit, & valdè ipsi hęc clausula consonat, Eripiam eum, & glorificabo eum, & ostendam illi salutare meum. Verùm & omnes, qui suas spes in Deo collocarunt, vniuersis bonis perfruentur, quẽadmodum & antiquæ nos edocent historiæ, & ea, quæ nunc cernuntur, testantur. 4. Reg. 20.

Psalmi

Psalmi XCI. Interpretatio.

Psalmus Cantici, in Diem sabbati.

Sabbatũ otium præcipiebat, sed non omne otium, quandoquidem spiritus opus multiplicabat: precibus enim, & hymnis dare operam iubebat, & Deo geminas hostias adolere: corporeorum igitur laborum cessationem lex de sabbato habere dixit. Quoniam igitur futura vita ab huiusmodi curis est libera; iure requies nuncupatur. Propterea, & beatus Paulus exclamat, Festinemus ingredi in requiẽ eius. & rursus, Nunquid deest sabbatismus populo Dei? Postquam igitur psalmus iustorũ præmium, & impiorum supplicium precinit, & in illa quiete hæc fient; meritò hanc accepit inscriptionẽ. Heb. 4. Ibidem.

Bonum est cõfiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Vtile, ait, & quæstuosum esse, de nocte, & interdiu te beneficij auctorem laudibus prosequi, tuaq; beneficia narrare, tuam inquam benignitatem nobis concessam, atque veritatem in impios homines. Nam in illos quidem veritate vtens, iustè animaduertis, nos verò tuã cognitionem habentes, tua ope dignaris.

In decachordo psalterio cum cantico in citharа.

Huiusmodi symphoniacis instrumentis Deũ laudare solebant. Dicit igitur, Iustum est, nos musica instrumenta percutientes ex lege præscripta, & vocis cantum efficientes, hymnum cum gratiarum actione tibi afferre.

Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

Perspiciens enim tua opera, tuasq; inexplicabiles gubernationes; gaudeo, & exulto, animiq; voluptate linguam in hymnorum cantilenam impello.

Quàm magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Symmachus verò sic, Magnopere cogitationes tuæ profundæ sunt. Aquila verò, & Theodotion, Profundæ factæ sunt. Tua nanque opera inquit, magna, & admirabilia sunt. Nam hæc particula, Quàm, amplificationem significat: sapientia autem tua inaccessam profunditatẽ habet. Quæ nam mens tuæ prouidentiæ rationes inquirere potest? sed nos hoc quidem, & inscios docemus. Cæterùm qui mente orbati, rationisq; expertes sunt; nec scire volunt, nec discere ab alijs patiuntur. Hæc enim infert.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

Diuersis modis hæc dixit. is, qui mente laborat, & prudentia priuatus est, nihil horum cognoscit, neque hæc audire vult.

Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, vt intereant in seculum seculi.

Hoc verbũ *Apparuerint*, Floruerũt Aquila dixit, sic etiã Symmachus explanauit. Noluerunt intelligere insipientes, quoniam veluti fœnum floruerunt, & instar herbæ viridis è terra apparuerunt iniquitatis operarij, sempiternumque interitum post præsentem felicitatem reportabunt, sed felices ipsos, & beatos vocabunt, videbunt tamen calamitosum eorum finem.

Tu autem altissimus in æternum Domine, quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Nam illi quidem fœni instar marcescent, & corrumpentur, tu verò vbique imperium habes, cùm omnium supremus sis, & supplicijs subijcis eos, qui stultitia detinentur.

Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum.

Porrò nos tuam cognitionem habentes, tuorumq; hostium euersionem intuiti; in te gloriabimur, & exultabimus, quippe qui à multorum Deorum errore liberati sumus, & eum, qui verè Deus est, colimus. Vnicornem enim rursus hoc in loco in medium attulit, vt per vnicum cornu, vnum Deum ostenderet. vt enim illud animal à natura vnum accepit cornu, sic pietatis alumni vnam diuinitatem venerantur.

Et senectus mea in oleo pingui.

Sic Symmachus dixit, Vetustas mea sicut oliua florida. Florebo enim, seniumq; deponã, florentemq; oliuam imitabor. Cæterùm secundum Septuaginta veluti quoddam oleum ob voluptatem opimus fiam.

Et despexit oculus meus inimicos meos, & insurgentibus in me malignantibus: audiet auris mea.

Hoc verbũ, Despexit, & Symmachus, & Theodotion, & ipsum Hebraicum exemplar, Inspiciet, dixerunt. Quandoquidem ea, quæ dicta sunt, futurorum est vaticinatio. sed est mos apud Septuaginta, qui futura tanquam facta explanarunt, in hoc etiam declarantes vaticinationis firmitatem. Nam sicut non potest fieri, vt ea, quæ facta sunt, infecta sint, sic etiam nec potest fieri, vt spiritus sancti vaticinatio sine certo fine maneat. Dicit igitur, non modò impiorum calamitosum finem cernam, verùm etiam auribus percipiam cunctos hoc enarrantes, & penè iustitiam admirantes. Sic sanè hæc clausula diuiditur, Et insurgentibus in me malignãtibus, hîc oportet distinguere, deinde subiungere, Audiet auris mea. Audiã (multis enarrantibus) interitum inquam iniquè viuentium, eorumq; qui innumera mala in me aucupati sunt.

Iustus vt palma florebit, et sicut cedrus in Libano multiplicabitur.

Peccatores igitur fœni instar florentes, brevi extincti, & corrupti sunt. Iustus verò Cedri densitatem, & calorem, & odorem, Palmæ verò altas comas, & fertilitatem imitatur, vtræq; autem diu permanent, temporis verò ad crescendum indigent. talis etiam est virtutis consitio, multo labore, & tempore producitur, sed in altitudinem erecta tempestiuum, dulcissimumq; fructum fert, multamque vmbram ei, qui ipsam possidet, præbet.

Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.

Hi autem, inquit, qui arboribus his comparati sunt, agricolam quidem habent Deum, viridarium verò diuinum templum.

Adhuc

Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, & benè patientes erunt, vt annuncient, quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.

Symmachus sic hanc clausulam interpretatus est, Adhuc senes fructum ferent, opimi, & floridi erunt, annunciantes, quoniã rectus Dominus, qui munit me, & non est iniustitia in eo. Nam in futura vita promissam perfectionẽ accipientes, multum, & pinguem Deo afferent fructum, iustam eius sententiã laudantes: quandoquidem gubernationem, quæ nunc occulta est, tunc apertam cernentes, & sapientiam admirabuntur, & iustitiam laudabunt. *Senectutem* quidem, Perfectionẽ vocauit. perfectum nanque senem appellamus, imperfectum verò iuuenem. per vetustatem igitur, futuram demonstrauit perfectionem, in qua iustitiæ fructus multiplex producetur, Deiq; iustitia omnibus perspicua fiet.

Psalmi XCII. Interpretatio.

Laus Cantici Dauidi. Sine titulo apud Hebræos.

Hoc verbum, Sine titulo apud Hebræos, non est in Sexcuplici, nec apud Eusebium. Mutationem omnium hominũ psalmus præcinit. Deus enim immutabilis est, perennisque semper eodem modò se habens, non enim modo quidẽ regnat, modò verò regnum non habet, sed natura quidem semper est Rex, verùm non semper hoc hominibus apertum fuit: nam diu plurimi ipsum ignorantes, congruentem Deo honorem, Idolis afferebãt, post autem Dei & Saluatoris nostri humanitatem, instar luminis diuina cognitio per totum terrarum orbem percrebuit.

Dominus regnauit, decorem indutus est.

Quoniam enim Christi crux tristis visa est
Esai. 53. ijs, qui fructum hinc oriturum sciebant, ita vt Vates exclamaret, Et vidimus ipsum, & non habebat speciem, neque decorem, sed speciem eius despecta, deficiens præ filijs hominum: post verò in cœlos reditum, radios Deo dignos misit, meritò Propheta exclamat, Dominus regnauit, decorem indutus est. Non enim, quæ non habebat, assumpsit, sed quæ habebat demon-
Ioan. 17. strauit. eodem modo proprio patri dixit, Clarifica me pater in claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret.

Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Christum esse Dei potentiam, & Dei sapientiam, manifestè nos diuinus Paulus edocuit. igitur non aliundè potentiam accepit, quam non prius habebat, sed propria potentia in hostes vsus est. Cæterùm ipsum format diuinus sermo, veluti quendam Regem, vniuersa arma indutum, cinguloq; vtentem, & aduersus hostes dimicantem. Deinde ostendit rectè facta, quæ hinc procedunt.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.

Constantem, inquit, & firmum orbem reddidit, cùm ipse mundus à diuina cognitione firmitatem habuerit, & à falso errore liberatus fuerit. non amplius enim homines, nunc quidem hos, nunc verò illos Deos honorant, sed vero Deo cultum afferunt.

Parata est sedes tua à seculo tu es.

Non nunc, ait, Regni electionem accepisti, sed perpetuum habes imperium, & Regnum sempiternum. De Regno etiam in quadragesimo quarto psalmo testatus est, Sedes tua Deus in seculum seculi. Cæterùm immutabile eius Regnum, & firmum esse in centesimo primo psalmo rursus nos edocuit, Tu enim, inquit, idem ipse es, & anni tui non deficient. vtraque igitur hæc testimonia beatus Paulus ad Domi- *Hebr. 1.*
num Christum retulit.

Eleuauerunt flumina domine, eleuauerunt flumina voces suas, eleuauerunt flumina fluctus suos.

Fluuios, Sacros Apostolos vocauit, eosque, qui post illos Euangelij præconiũ acceperunt: hi nanque fluuiorum instar omnem irrigationem hominibus attulerunt. sic ipsos beatus etiam Abacuc appellauit, Fluminib⁹ terra scin- *Abacuc 3.*
detur, hoc est, diuidetur, & irrigationem accipiet. sic etiam dominus inquit, Qui credit in *Ioan. 7.*
me, quemadmodum dicit scriptura, flumina ex ventre eius fluent aquæ viuæ. hi igitur fluuij extulerunt suam vocem, diuina prædicantes dogmata, & propria itinera facientes. *Fluctus* enim, Semitas nuncupauit. Quoniam enim mos est naturæ aquarum, subiectam terram terere, semitamq; effiocere; meritò fluctus aquarũ iter vocauit: quandoquidem primi illi, quibus diuinum præconium creditum fuit, viam secundis præpararunt, & expeditam, & facilem doctrinam tractarunt.

A vocibus aquarum multarum, mirabiles elationes maris.

Quemadmodum magnis fluminibus in pelagus influentibus, & in arena vndarum impetum inhibentibus; marinæ vndæ in multum spatium ob fluuialium aquarum pugnam reflectuntur: sic & dulcis & potanda Apostolorum doctrina ad falsum, amarumq; orbis mare allata, tempestas quædam exorta fuit, & vndæ alia super aliam consurrexerunt. Hoc etiam beatus Abacuc vaticinatus est, cùm dixisset enim, Flu- *Abacuc 3.*
minibus terra scindetur, videbunt te, & dolebunt populi, diuidens aquas itineris, subdidit, *Ibidem.*
Dedit Abyssus vocem suam altitudo cogitationis suæ. Hac perturbatione vnaquæque ciuitas referta fuit: ipsius enim domini est vox, Nõ *Matth. 10.*
veni mittere pacem in terram, sed gladium, separare hominem à proximo suo, filium à patre suo, filiã à matre sua, sponsam à socru sua. Verùm principium diuini præconij tempestatem habuit, nunc verò maris dominus procellam increpuit, & in auram constitit, & siluerunt fluctus eius, & facta est tranquillitas magna.

Mirabilis in altis dominus.

Aquila quidem sic, Maximus in altitudine dominus. Sanè valdè accommodatè hoc suprædictis apposuit, officij robur ostendens. Nam maximus, & altissimus est, & dominus, & potentiam habens, nec lingua explicandam, nec mente comprehendendam.

Testi-

Testimonia tua domine credibilia facta sunt nimis.

Omnia autem hæc à principio prædixisti, & per tuos sanctissimos Vates præcinuisti: effectuum sanè testimonio veritas demonstrata est. Perpulchra quippe est hæc additio huius particulæ *Nimis*, videlicet, Ne minima quidem falsitas in vaticinationibus considerari potest, sed accuratè omnia, quæ cernuntur, prædicta fuere.

Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum.

Porrò hoc omnium bonorum maximum, & pulcherrimum est, quòd non ad tempus bonorum delectatio nobis concessa est, neque temporibus quibusdam præscripta, secundum Iudæorum cultum, sed perennis, & perpetua, & sempiterna: nam hæc recenti tuæ domui congruentia, & accommodata sunt. Domum verò Dei, Fidelium cœtum diuinus Paulus nuncupauit, cui sanctitatem conuenire sanctissimus
2. Cor. 7. Propheta dixit. Conuenit igitur nos secundũ Apostolicum præceptum purgare quidem nos ipsos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei, vt dignam Deo domum præparantes, æternum incolam in hospitium accipiamus.

Psalmi XCIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. Quarta Sabbati. Sine titulo apud Hebræos.

Patet inscriptionem quosdam alios apposuisse, & nec Vatem, nec eos, qui hunc psalmum à principio exposuerunt. Argumentum verò huius psalmi hoc est. Multi Iudæorum, & Principes, & Reges iniquitatem dilexerunt, & iniustè
Esai. 1. iudicantes, sententiam proferebant, homicidia-
Ibidem. que patrare audebant, innocentium sanguinem muneribus vendentes. hos beatus Esaias accusauit, Audite inquiens, Principes Sodomorum. & rursus, Principes tui infideles diligunt munera, sequuntur retributiones, orphanis non iudicant, causa viduæ non ingreditur ad illos. non modò insimulauit, verùm etiam commonefecit, Iudicate orphano, & defendite viduam. Hanc etiam accusationem beatus
Abacuc, 1. Abacuc factitauit, colloquium Deo afferens, dicebat, Facies homines, quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem, & impius deuoret iustum. sic etiã admirabilis Ieremias, atque etiam reliqui Vates, horum iniustitiam arguebant. Hæc à longè propheticis oculis diuinus Dauid præuidens hunc conscripsit psalmum, vt per symphoniæ harmoniam, quæ in diuino templo fiebat, homines illius temporis vtilitatem perciperent. Cæterùm Dei prouidentiam edocet, & supplicium, quod hinc oritur ijs, qui iniquè viuere decreuerunt. format sanè psalmum ex persona piorum hominum, qui hæc ab illis patiuntur.

Deus vltionum dominus, Deus vltionũ liberè egit.

Porrò pro, Liberè egit, Aquila, Appare, dixit: sic etiam cæteri Interpretes. Te ait, obsecro omnium Deum, & dominum, & mundi machinam moderantem, atque condignum supplicium impijs infligentem, vt exaudias, vtq; precationem admittas.

Exaltare, qui iudicas terram, reddere retributionem superbis.

Ostende omnibus tui imperij sublimitatẽ, & euerte superborum hominum supercilium, per experientiam edocens te totius orbis iudicem esse.

Vsquequò peccatores domine, vsquequò peccatores gloriabuntur, effabuntur, & loquentur iniquitatem? loquentur omnes, qui operantur iniustitiam?

Non vt interitum patiantur iniqui, obsecrat, sed ne regnent, & imperium veluti viaticum ad iniustè agendum habeant.

Populum tuum domine humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt, viduam, & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.

Omne iniquitatis genus ò domine ab his audacter patratur, & ob imperium exultant, & iniustis vtuntur verbis, & res verbis asperiores sunt. & hæ quidem viris priuatæ; & hi parentum orbitatem deplorantes, his proponuntur, veluti parata præda. & qui ex gentibus accesserunt, & secundum tuas leges viuere cupiunt, iniustam cædem ab ipsis patiuntur: quandoquidem Proselytos, hos nuncupauit.

Et dixerunt, non videbit dominus, nec intelliget Deus Iacob.

Hæc impietatis exaggeratio est. hęc enim inquit, audent, minimè existimantes te inspicere, neque de humanis rebus te curam gerere. non simpliciter autem apposuit, *Deus Iacob*, sed in amplificationẽ insimulationis. Nam cùm magnam Dei curam erga populum didicerint, & per Vates, & per sacerdotes & in bello & in pace non timent vniuersorum Deum tantuã inspicientem. Hinc deinceps consilium, & admonitionem affert.

Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.

Serò saltem ò insipientes intelligere velitis, & rerum naturam discere.

Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?

Validam admodum doctrinam syllogismi instar attulit. Qui ex cœno ait oculum finxit, quique videndi vim ipsi largitus est, aureisque similiter formauit, & audiendi sensum donauit; ipse inquam non videt, & non audit? sed horum opifex his viribus priuatus est, quas alijs largitus est?

Qui corripit gentes, non arguet?

Gentes ait, quæ nec legem acceperunt, nec prophetica doctrina perfruuntur, supplicijs subijcit, & vestram iniquitatem non arguet?

Qui docet hominem scientiam.

Atqui hominum naturam rationis participem ipse composuit, & per ea, quæ in totius mundi machina cernuntur, atque in singulos dies fiunt, magnam scientiam effecit.

Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

Sed enim non modò videt & audit, verùm etiam

etiam noſtras cogitationes ſcit, ſuſpicantes fal ſitatem de eius prouidentia. ſic cùm congruentem eis adhibuiſſet medicinam; ipſis iniuria affectis idoneam conſolationem affert, probabiliorem verò ipſam verbis efficit.

Beatus homo, quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum.

Nonnulli quidē miſeros vocare ſolent eos, qui pietatem amplexi ſunt, & qui à diuina lege fructum percipiunt.

Vt mitiges ei à diebus malis.

Qui enim perexiguam correptionē in præſenti vita habuit; futurum iudicium mitius habebit. *Diem* enim *malam*, Sempiternum vocauit ſupplicium.

Donec fodiatur peccatori fouea.

Qui enim iniquitatem adamarunt, perenni ſupplicio prodentur. ſicut enim is, qui in profundam foueam prolapſus eſt, nemine opem ferente, ex illa emergere nequit; ſic fieri non poteſt, vt æternam pœnam ſubterfugiant, niſi diuina benignitas hoc permiſerit.

Quia non repellet dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet.

Et diuinus populus in præſenti vita congruenti ope perfruetur, vtpote qui hæreditas, & populus eius nuncupatur.

Quouſque iuſtitia conuertatur in iudicium?

Hanc igitur opem conſequetur, donec Dei iuſtitia apparuerit, omnibus hominibus iudicium reddens. tacitè autem iunuit diuinus ſermo & ſaluatoris noſtri Dei humanitatem, & Iudæorum inficiationem. Iuſtitiam enim vocauit dominum Chriſtum, & ipſe ſol iuſtitiæ nominatus eſt, & de ipſo beatus Paulus aſſerit, 1. Cor. 1. Data eſt nobis ſapientia à Deo Iuſtitia & ſanctificatio, & redemptio. cùm igitur de Dei prouidentia mentionem feciſſet, & dixiſſet, Quoniam non repellet dominus plebem ſuam, & hæreditatem eius non derelinquet, & futuram eorum negationem præuidiſſet; meritò ſubdidit, Donec iuſtitia conuertatur in iudicium: donec enim iuſtitiæ aduentum negabunt, cœleſte auxilium conſequentur.

Et qui iuxta illam omnes, qui recto ſunt corde.

Aquila verò & Theodotion, Et poſt illam omnes, qui recto ſunt corde. Hanc enim inquit, ſalutem, quam iuſtitiam vocauit, conſequentur ij, qui mentem perfidiæ expertem habent, rectiſq; vtuntur ratiocinationibus. his verò domini verba reſpondent. Nam videns Petrum, & Andream mittentes rete in mare, dixit eis, Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominū. Matth. 4. Luc. 9. & ei, qui dixit, Permitte mihi, vt reuertar, & patrem meum ſepeliam, dixit, Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem veniens, ſequere me. Iudæorum igitur prouidentiæ negationem ponit. Ipſa autem iuſtitia eos, qui recto ſunt corde, aſſeclas habebit, ipſi adhærentes, & ipſam amplectentes, nec penitus volentes eam derelinquere.

Quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem?

Manifeſtius Symmachus explanauit, Quis ſurget ſuper me aduerſus facinoroſos? quis inſtabit ſuper me contra operantes iniquitatem? Omni humano inquit, auxilio priuatus ſum, ſed habeo magnum adiutorem, qui facile hoſtium agmen profligare poteſt. Hoc enim per ea, quæ ſequuntur, declarauit.

Niſi quia dominus adiuuet me, paulominus habitaſſet in Inferno anima mea.

Niſi enim ab ipſo opem conſecutus eſſem; omnes me morti prodidiſſent.

Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua domine adiuuabit me.

Actutum enim tuam opem implorans, & propriam imbecillitatem docens, tuam benignitatem adipiſcebar.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Reſpondentem doloribus conſolationem à tua bonitate accipiebam. ſic etiam beatus inquit Paulus, Sicut abundant paſſiones Chriſti 2. Cor. 1. in nos, ita per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. & rurſus, In omnibus tribulationē patimur, ſed non anguſtiamur, egemus, ſed non deſtituimur, perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur. Ibidem.

Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, quæ fingit laborem in præcepto?

Manifeſtius autem Symmachus, Non coniungetur tibi ſedes ærumnæ, quæ fingit calamitatem contra præceptum. Non patietur inquit, vt cum iniuſtè iudicantibus particeps iniuſtitiæ ſit, qui pugnantem tuis præceptis ſententiam proferunt, & miſerias, quæ hinc procedunt, ſuſtinent. Sedem enim doloris, & iniquitatis, Iniuſtos vocauit Iudices, qui laborem, & calamitates metunt, nimirum iniuſtitiæ fructum.

Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.

Solent enim iniuſti iudices contra iuſtos omnes adhibere machinas, & innocentes, & inſontes morte mulctare.

Et factus eſt mihi dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium ſpei meæ.

Ego autem à domino opem aſſecutus ſum, ipſumq; tutiſsimum vallum habui.

Et reddet illis dominus iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos, diſperdet illos dominus Deus noſter.

Porrò illi propriorum laborum vindemiabunt fructus, condignaq; ſceleris præmia accipient. Hæc non illis ſolis, ſed etiam omnibus hominibus ſcripta ſunt: de omnibus enim hominibus Deus rerum omnium conditor curā gerens; congruentem omnibus adhibet medicinam.

Pſalmi XCIII. Interpretatio.

Laus cantici Dauidi. Sine titulo apud Hebræos.

Ioſias Rex admodum pius fuit. Hic cùm vidiſſet maiorem partem populi Idolorum cultum amplexam; præcepit, vt omnes Idolorum ſacerdotes necarentur, & horum aræ radicitus 4. Reg. 23. con-

conuellerentur, & effoſsis ſepulcris ſacerdotum, qui iam deceſſerunt, horum oſſa in ipſis 4. reg. 22. Dæmonum aris comburerentur. Deinde vniuerſum populum coactum commonefecit, vt pœnitentiam agerent, Deumque placarent, & hoc pacto declinarent perniciem intentatam: quandoquidem Olda propheteſſa grauiora & difficilia toti populo prædixit. Hęc igitur cùm beatus Dauid propheticis oculis à longè præuidiſſet; hunc conſcripſit pſalmum, in illorum vtilitatem, & in omnium hominū doctrinam. Formatus eſt verò pſalmus ex perſona Ioſiæ, & Dei ſacerdotum.

Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſaluatori noſtro.

Tripudiantium eſt exordium, & gaudentium ob impietatis liberationem. Communiter inquit; triumphalem Deo mittimus hymnum. Iubilatio namque vincentium eſt vox. Vicit quippe piorum chorus impiorum agmen, meritò igitur triumphalem Deo afferunt cantilenam:

Præoccupemus faciem eius in confeſsione; & in pſalmis iubilemus ei.

Ante ſupplicij tempus pœnitētiam agamus, & priuſquam in nos ſententiam proferat; dominum demulceamus, afferamus verò ipſi congruentes laudes. deinde Dei victoriam, & Idolorum ſtragem edocet.

Quoniam Deus magnus, & Rex magnus ſuper omnem terram.

Inexplicabilis enim eſt potentia Domini noſtri. Hic eſt verus Deus, hic in omnes imperiū habet, falſamque appellationem eorum, qui Dij appellātur, redarguit. Deinde ſigna Dei potentiæ oſtendit, vt à natura humana fieri poteſt.

Quoniam in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſius ſunt. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam manus eius formauerunt.

Omnium eſt conditor, omnium dominus, ipſe omnia gubernat, manu vniuerſitatem continet, humidam ſubſtantiam, & aridam ipſe verbo fabricauit, ipſius ſunt etiam montium crepidines, licet ſæpiſsimè dæmones ſtolidis hominibus perſuaſerint, vt ibi delubra eis erigerent.

Venite adoremus, & procidamus antè eum, ploremus coram domino, qui fecit nos.

Propenſo igitur animo concurramus, & congruentem ipſi honorem afferamus, & lugentes, & plorantes, miſericordiam efflagitemus. ipſe enim noſter eſt opifex, & dominus. Docet autem hiſtoria Ioſiæ, & populi lacrymas, quas poſt Deuteronomij lectionem profuderunt.

Quoniam ipſe eſt Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.

Et natura dominus noſter eſt, & præcipuè noſter eſt Deus, quandoquidem nos populū ſuum nuncupat, & veluti de proprijs ouibus de nobis curam gerit. Deinde infidelibus minitantur pœnam, territantes eos patrum memoria, & per illam accuſationem vtilitatem tractantes.

Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione.

Quoniam priſtinam veſtrā impietatem dominus ob propriam benignitatē deſpexit, nunc ſaltem eum commonefacientem, ſalutaremq; doctrinam afferētem, audite, & ne præfractam, & contrariam patrum mentem imitemini. Exacerbationem enim in ſolitudine ſępius factam, Repugnantiam, vocauit. ſic etiam in alio inquit Pſal. 106. pſalmo; Quoties exacerbauerunt eum in deſerto, & irritauerunt ipſum in terra inaquoſa. Cæterùm oſtendit mentis liberum arbitrium: non enim ſimpliciter dixit, Ne obdureſcite, ſed nolite obdurare corda veſtra, edocens ipſos eſſe architectos huiuſmodi duri cordis. Deinde manifeſtius parentum perfidiæ meminit.

Secundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea quadraginta annis.

Quoniam enim in promiſſam terram ingredi nolebant, formidinem, & ſtolidam timiditatem obijcientes, dicentesque fore, vt ipſi occiderentur, ſuique liberi captiui fierent, per quadraginta annos fecit, vt ipſi in ſolitudine vitā degerent, donec ipſi à die abſorpti fuerint.

Proximus fui generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde.

Aquila, & Symmachus, pro hac clauſula, Proximus fui, Aegrè tuli, tranſtulerunt. Idcirco inquit; genus illud execratus ſum, videns leuem, & inconſtantem eorum mentem.

Ipſi verò non cognouerunt vias meas, quibus iurauī in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.

Hi autem iuratas minas noluerunt attendere, neque comminationes pœnitentia finire voluerunt, propterea terram patribus promiſſam, minimè conſecuti ſunt. Nam illam terram, eius requiem appellauit, vel ſecundum alios Interpretes, quietem. Quoniam enim in ſolitudine iter facientes; frequentes loci mutationes faciebant, præeunte tabernaculo, in quo Deus habitare exiſtimabatur, in terra verò promiſsionis, & ipſi ab itinere ceſſarunt, & tabernaculum in præſcriptis locis fixum fuit, iure requiem promiſsionis terram nuncupauit. *Vias* autem Dei, Gubernationes appellauit.

Pſalmi XCV. Interpretatio.

Canticum Dauidi, quando domus edificata fuit poſt captiuitatem. ſine titulo apud Hebræos.

Nec hanc inſcriptionem beatus Dauid conſcripſit, nec qui à principio vaticinationem expoſuerunt, ſed alius quiſpiam, vt veriſimile eſt, ſummatim ſenſum pſalmi attendens, hunc poſuit titulum. Prima facies autem literæ conuenit his, qui è Babylone reuerſi fuere, diuinumq; templum erexere, quoniam in ipſis omnium hominum ſalus adumbrata fuit. Præcinit tamē vaticinatio & primum, & ſecundùm Dei, & Saluatoris noſtri aduentum, & futurum iudicium, & ſalutem gentibus iam præbitam.

Cantate domino canticum nouum.

In recentibus enim rebus, recenti hymnorum cantilena opus eſt.

Cantate Domino omnis terra.

Quomodo hæc Iudæis, qui bello petuntur ab omnibus, consonant? non enim lætati sunt ij, qui illorum libertatem viderunt, sed contra doluerunt, & omnis generis malis ipsos afficere conati sunt. Diuinum verò oraculum totum terrarum orbem in choream vocat.

Cantate domino, & benedicite nomini eius, annũciate de die in diem salutare eius.

Singulis, inquit, diebus beneficium collatum narrate. Deinde docet, quibus oportet hanc narrationem afferre.

Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

Omne hominum genus hac perfruatur doctrina, diuinaque discant miracula.

Quoniam magnus dominus, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos.

Inexplicabilem enim vniuersorum dominus sublimitatem habet, & propriam potentiam in Deos, qui falsum nomen habent, præ se tulit, illorumq; deceptionem redarguit. Hoc enim per ea, quæ sequuntur ostendit.

Quoniam omnes dij gentium Dæmonia, dominus autem cœlos fecit.

Nam, qui dij vocantur, praui Dæmones visi sunt, noster verò cœlorum opifex declaratus est.

Confessio, & pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.

At qui cùm humanam naturam accepisset, & per hanc hominibus apparuisset, suæ maiestatis fulgores emittit, & omnes ad eius cultum trahit. *Sanctificationem* enim eius, Templũ nuncupauit, quod assumpsisset. Cæterùm pulchritudinis iam meminit in quadragesimo quarto psalmo, Specie enim inquit, & pulchritudine præ filijs hominum.

Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriam, & honorem, afferte domino gloriam nomini eius.

Accurrite igitur omnes homines ad dominum, qui salutem largiri vult, congruentemq; ipsi afferte honorem, & vos, qui beneficij auctorem corporeis oculis minimè cernitis, nomini eius laudes afferte.

Tollite hostias, & introite in atria eius, Adorate dominum in aula sancta eius.

Hostias Rationis compotes dicit, quas continuè à sacerdotibus afferri videmus: Atriorum verò multitudinem, Ecclesias declarat. atqui Iudæis non hoc imperauit, ne quis legis sacrificia suspicetur, sed patrijs gentium præcepit, quæ noui Testamenti sacrificia in ecclesijs afferunt. De his & per alium Vatem Deus locutus est, cum Iudæis colloquens, Non est voluntas mea in vobis, & hostiam ex manibus vestris non accipiam, quoniam ab ortu solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum inter gentes, & in omni loco sacrificium affertur nomini meo, & hostia pura. *Malac. 1.*

Commoueatur à facie tua vniuersa terra.

Porrò Aquila, Parturite à facie eius vniuersa terra, dixit: sic etiam Symmachus. similia sunt hæc his, quæ à Vate Esaia dicta fuere, Ob timorem tuum domine in vtero cõcepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis tuæ, quem fecimus super terram. hîc igitur propheticus sermo adhortatur gentes, quæ salutis semina acceperunt, vt pietatem parturiant, & pariant, & commoueantur à pristino statu, & in diuinis rebus firmentur, & figantur. *Esa. 26.*

Dicite in gentibus, quoniam dominus regnauit, etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur.

Prædicate igitur vniuersitatis Dei Regnum, quod orbem errantem mutauit, illumque, qui huc, & illuc ferebatur, firmum reddidit. sic etiam Symmachus, Dominus regnauit, & firmauit orbem terrarum immobilem. Patet igitur Dei Regnum perenne esse, tunc verò declaratum est ob rerum vicissitudinem.

Iudicabit populos in æquitate.

Postquam Regem Deum ostendit; iure iudicij meminit, iustitiam, & æquitatem huius demonstrans.

Lætentur cœli, & exultet terra.

Tota inquit, vniuersitas lætitiam cum hominibus communicet, & cœlestia, & terrestria voluptate referta sint. si enim ob vnum peccatorem pœnitentiam agentem Angeli gaudent, maiorem profectò lætitiam habebunt in omnium hominum mutatione.

Commoueatur mare, & plenitudo eius.

Theodotion verò, & Symmachus sic exposuerũt, Resonabit mare cum plenitudine eius. Omnis enim hominum vita, quæ marinã imitatur tempestatem, diuinorum præconiorum sonitum accipiet. eodem tempore sanè prædicit impetus infidelium factos contra veritatis præcones, quemadmodum & in alijs psalmis ostendimus.

Gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt.

Symmachus autem sic, Gaudebit ager, & omnia, quæ in eo sunt. Explanans verò dominus zizaniorum parabolam, agrum nominauit mundum. dicit igitur, omnia gaudio, & voluptate plena fore.

Tunc exultabunt omnia ligna syluarum.

Aquila autem, Tunc laudabunt omnia ligna nemoris. Illa potissimùm Deo afferent hymnum, quãdoquidem ex ipsis salutare lignum fuit, in quo Saluatoris corpus suffixum fuit, per quod hominibus germinarũt bona. Sciendum est igitur, vt verisimile est, vaticinationis sermonẽ prosopopœia vsum esse: quandoquidem & cœlum, & terra, & mare, & ager, & lignum ratione, & anima carent, sed ij, qui in hisce locis sunt, Deo afferunt laudes. Insulares enim, mare incolunt: Terram verò ij, qui in continenti sunt: Cœlum autem Angeli: qui verò vident nemora ab Idolorum cultu libera, Deo gratias agunt. eodem modo Vates filiorum Israëlis, ex Aegypto iter edocés, rursus eadem figura vsus est, Mare vidit, & fugit, & Iordanes conuersus est retrorsum, Montes exultauerunt sicut arietes, & colles sicut agni ouiũ, & interrogationem affert, & responsionem recipit, futurarum rerum lætitiam per hæc ostendens. *Psal. 113.*

A facie domini quoniam venit, quoniam venit iudicare terram.

Ele-

Elegantissimè bis posuit, Quoniam venit, quoniam venit: quandoquidem primus aduentus diuinam cognitionem hominibus dedit, secundus verò iudicium de rebus faciet.

Iudicabit orbem terræ in iustitia, & populos in veritate sua.

Tunc enim inquit, tunc iustum Iudicium faciet, non amplius pristina patientia vtens, sed rerum veritatem discutiens, rectamq; sententiam in omnes proferens.

Psalmi XCVI. Interpretatio.

Dauidi, quando terra eius constituta est. Sine titulo apud Hebræos.

Qui hunc titulum posuit, confessus est, se non inuenisse apud Hebræos, sed ex se ipso apposuisse. Igitur inscriptio non est ipsius vaticinationis, neque enim sensus psalmi huic argumento quadrat: quandoquidem totius orbis terrarum ordinem, & constitutionem, & non Iudææ tantùm Propheta fatur. Verisimile autem est, & eum, qui inscriptionem posuit, Vatis terram totum orbem intellexisse, tanquam omnibus hominibus huius dulci symphonia vtentibus. Præcinit tamen psalmus & primum, & secundũ Dei & saluatoris aduẽtum, gentiumq; diuinam cognitionem, & futurum iudicium.

Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ.

Per hæc priorem saluatoris aduentũ prædicit: propterea & eos, qui continentem, & insulas incolunt, in choream, & lętitiam excitauit. etenim hi, & illi ex futurarum rerum spe voluptatem capientes, exultãt: regnare verò dominum dicit, nõ tanquam vt Regnum tunc acceperit, tanquam tunc hominibus proprium Regnum ostenderit. & ne idem repetamus, obsecramus eos, qui hoc accuratius discere voluérint, vt ea, quæ paulò antè à nobis explanata sunt, legant.

Nubes, & caligo in circuitu eius, iustitia, & Iudicium correctio sedis eius.

Per Caliginem, & Nubem, diuinam naturam, quæ minimè cerni potest, docuit. Vt enim is, qui nube, & caligine obfusus est, perspici non potest; sic omnino nõ potest fieri, vt diuina natura, quæ videri nequit, cernatur. Veruntamen mentionem facit eundem ipsum esse, qui per nubem, & caliginem in Synai monte apparuit, & edocet, licet diuina natura videri non possit, tamen per effectum potentia huius cõsiderari potest. Iustitiam enim homines docuit, atque eos, qui omnia indifferenter faciunt, cum recto iudicio viuere edocuit. hæc eius regnum, & sedes effecit. *Daniel. 7.*

Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Hęc secundi aduentus vaticinationes sunt, & Diuinus Daniel perspexit, Thronus eius flamma ignis inquit, & rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt.

Illuxerunt fulgura eius orbi terræ.

Geminæ sunt vires ignis, videlicet comburendi, & illuminandi: verùm hanc illustrandi vim sanctorũ chorus consequitur: Per alteram verò iniqui homines supplicijs afficiũtur. Fulguri verò suum aduentum dominus comparauit. Dicit autem sic, Vt autem fulgur transit ab oriente, & videtur vsque ad occidentem, sic erit aduentus filij hominis.

Vidit & commota est terra.

Quis enim formidabile illud iudicium non perhorresceret?

Montes sicut cera fluxerunt à facie domini, à facie domini omnis terra.

Non tantùm subditi, verùm etiam ipsi Dynastæ, & Reges cerę instar, quę igni admouetur, timore conficientur. Quantò enim plurium rerum regimen habuerunt, tantò maioribus supplicijs succumbent. Quantò autem maius est æs alienum, tantò maior est timor.

Annunciauerunt Cœli iustitiam, & viderunt omnes populi gloriam eius.

Hoc & fuit, & erit. Nam quando dominus ortus est, cùm Angelorum chorus apparuisset, ob hominum salutem Deo hymnum attulit, & clamabant, laudantes, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. *Luc. 2.* Cœlos igitur vocauit cœlestes potẽtias: quemadmodum terram sępius, qui terram incolunt, nuncupat. Cæterùm viderunt populi orbem terrarum ob propriam mutationem Dei & Saluatoris nostri potentiam. Secũdus quidem aduentus manifestò domini regnum omnes homines docebit, tunc omnes Angelorum symphoniam audiemus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.

Vera igitur exorta luce, cedant tenebræ, & confundantur ij, qui errori seruiũt, delitescant qui simulachra venerantur.

Adorate eum omnes Angeli eius.

Et hanc vaticinationem beatus Paulus Saluatori accommodauit: inquit autem sic in epistola ad Hebræos, Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei. *Hebr. 1.* Sanè admodum opportunè hoc in loco Vates hoc posuit. cùm enim ostendisset eos, qui Idola venerantur, pudore affectos esse, & delitescentes; ostendit innumerabiles myriades Angelorum nostrum Deum laudibus prosequentes.

Audiuit, & lætata est Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua domine.

Et hic piorum Rempublicam Sionem nũcupat. Filias verò Iudæ, Ecclesias per orbem terrarum. ex Iudęis nanque Saluatoris Apostoli originem traxere, qui has consueuerunt & genuerunt, & testis est diuinus Apostolus Corinthijs *1. Cor. 4.* præcipiens, & planè inquiens, In Christo enim Iesu per Euangelium, ego vos genui. Quoniam igitur vna est saluatoris ecclesia, in vnum enim corpus omnes fideles sunt. Et rursus, Multæ sunt ecclesiæ, multa enim membra corporis sunt. Per Sionem igitur communem piorum cœtum vocauit: per filias verò Iudæ, Conuẽtus

credẽtium in vrbibus, & in oppidis, & in agris, & in angulis. Dicit autem hos, & illos ob iusta iudicia lætitia plenos fore.

Quoniam tu dominus altissimus super omnem terram, & nimis exaltatus es super omnes Deos.

Porrò omnes gaudent, & exultant, cùm veri Dei, & Regis cognitionem acceperint, Deorumque gui non sunt, vituperationem viderint. Nam horum vanitas redarguta, tua verò sublimitas declarata est. Postquam verò non sola fide nobis opus est, verùm etiam bonis operibus; necessariò & hanc admonitionem Propheta affert.

Qui diligitis dominum odite malum.

Si bonum à vobis amatur, contrarium respuite. Quænam communicatio est luminis cum tenebris? Per hoc verbum *Malum*, Omnes malitiæ species detestatus est.

Custodit dominus animam sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Auersantes malitiam, & de recto, iustoq; viuendi modo curam gerentes, gubernatorem, & custodem vniuersitatis habebitis dominum, superioresque irruentibus inimicis eritis.

Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia.

Non enim omnes homines luce perfrui voluerunt, neque omnes à fide lætitiam acceperunt: ipse enim iustitiæ sol salutis radios omnibus emisit, sed sunt, qui oculis allucinati sunt, & lucem cernere noluerunt.

Lætamini iusti in domino, & confitemini memoriæ sanctificationis eius.

Omnes igitur, qui lumen consecuti, virtutisque fortem amplexi estis; exultate, Deumque laudibus extollite, beneficiorũ multitudinem enarrantes. Confessionem enim hoc in loco, Gratiarum actionem appellat.

Psalmi XCVII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi.

Et hic etiam psalmus idem habet argumentum: quandoquidem vtrunque Saluatoris aduentum præcinit, sed plura de priori percurrit.

Cantate domino canticum nouum.

Quoniam de priscis rebus prædicat mutationem, & nouam quãdam præcinit rempublicam; iure nouum canticum Deo afferri iubet.

Quia mirabilia fecit.

Immensa enim, & inopinata sunt ea, quæ à Deo vniuersitatis fiunt.

Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Sæpius diximus, Manum, actionem dicere, Dexteram verò, bonam actionem. Dicit autem hominum salutem eius potentiæ esse opus, immensa autem benignitate vtens, suum quæstum hominum vitam ducere. Propterea non dixit, Saluauit ipsum dextera eius, sed, Saluauit sibi. Nam cùm ab idolorum errore ipsos liberasset, cumq; sublimitatem eius regni ostendisset, salutem impertijt. & hoc manifestius per sequentia declarauit.

Notum fecit dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.

Omnibus hominibus salutaria flumina attulit, iustumque eius regnum gentibus demonstrauit.

Recordatus est misericordiæ suæ Iacob, & veritatis suæ domui Israël.

Hæc valde similia sunt vaticinationibus vatis Esaiæ; per illum enim vniuersitatis Deus domino Christo inquit, Dedit te in testamentum generis in lucem gẽtium, vt esses in salutem ad fines vsque terræ. Quoniam enim & admirabilibus Patriarchis, Abraham, Isaac, & Iacob, & diuino Dauidi vniuersitatis Deus spopondit, ex eorum semine secundum carnem oriturum esse Christum, salutemque per ipsum omnibus hominibus præbiturum; Testamẽtum vocauit promissionem patribus factam. Testamentum enim alij Interpretes, Fœdus dixerunt. Genus autem eius, Israëlem nuncupauit: quoniam ex Iudæis Christus secundum carnem originem duxit, vt inquit Apostolus. Dedi te igitur in testamentum generis, hoc est, vt impleas fœdera cum Iudæis inita, sed in lucem non amplius Iudæorum, verùm gentium. Hi igitur per fidem salutem consecuti sunt: illi verò per fidiæ tenebras adamarunt. hoc & hic beatus inquit Dauid, Recordatus est misericordiæ suæ Iacob, & veritatis suæ domui Israël; quãdoquidem promissiones illis factas implcuit. *Esa. 42.*

Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Non enim solis Iudæis veritatis lux, sed etiam omnibus hominibus illuxit.

Iubilate Deo omnis terra, cantate, exultate, & psallite.

Quoniam igitur omnes ab acerba Diaboli tyrannide liberati estis; triumphalem Deo, qui salutem donauit, afferte hymnum. Iubilatio nanque vincentium est vox: idcirco implemus, quod præceptum est. Hunc nanq; hymnum iubilantes, & exclamantes secundum mysticum tempus Deo afferre solemus, canentes, & psallentes, & cum omni hilaritate tripudiantes.

Psallite Domino in cithara, & in voce psalmi.

Et hæc sanè lex perspici potest, quę continuè in ecclesijs impletur: quandoquidem spiritus cithara diuinam pulsamus melodiam, effecimus verò etiam nos nostra corpora citharas rationis compotes, & vtimur pro chordis quidem dentibus, & pro ære, labijs, lingua verò agitata concinnum pulsat sonum, quolibet plectro acutius. mens autem linguam mouet, veluti quidam peritus musicus scienter faciens mutationẽ huius. Hæc cithara gratior est Deo, quàm illa, quæ anima caret, & ipse testis est ad Iudæos per Vatem exclamans, Auerte à me sonum cantionum tuarum, & vocem organorum tuorum non audiam. *Amos. 5.*

In tubis ductilibus, & voce tubæ cornea.

Tubam sæpius Vocem sacræ literæ vocant. Similiter dominus sacris in Euangelijs inquit, Cùm facis eleemsynã, noli tubam canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. videlicet, ne prædices, neque manifestam omnibus facies, ne inani gloria benignitatis lædas fructum. In hoc igitur loco, Tubam, doctrinã vocat, per quam bene-

beneficia in nos collata discimus, & fructuosas docemur leges. Ductiles tubas, Aeneas, dicit. Tubas verò corneas, ex cornibus factas: his autem vti Iudæi solebant. Cæterùm vmbra nostrarum rerum apud illos erat. vt igitur illi agnum rationis expertem immolabant, nos verò salutarem, qui tollit peccata mundi; sic illi inanimatis vtebantur tubis, nos verò tubis, quæ animam, & rationem habent, vtimur. nostri igitur sunt Apostoli, & diuini Prophetæ, & ij, qui post illos fuerunt, qui docendi gratiam sortiti sunt.

Iubilate in conspectu Regis domini.

Triumphalem afferte hymnum Regi, & vniuersitatis domino.

Commoueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.

Symmachus autem sic, Resonet mare cũ plenitudine ipsius, orbis terræ, & qui ipsum incolunt. Porrò potissimum in vrbibus populo frequentibus vaticinationis euentus videri potest. Mare enim fluctuans, piorum populorum in ecclesijs frequentia imitatur. Talis quippe est psallentium sonus. secundum autem interpretationem Septuaginta, diuinum oraculum motum, & mutationem eorum qui mare, & terram incolunt, declarauit. Agitatur enim, quod mouetur, mouetur verò, quod mutatur.

Flumina plaudent manu simul.

Rursus Flumina, eos, qui docendi munus sortiti sunt, nominauit, qui instar fluminum diuinos riuos profundunt, quos plaudere dicit, Deumque laudibus prosequi. Vincentium enim rursus est plausus.

Montes exultabunt à conspectu domini, quoniam venit iudicare terram. *Matth. 5.*

Hic Montes appellauit eos, qui excelsam & sublimem habent mentem, supra quos Dei ciuitas ædificata est, Non potest enim inquit, ciuitas abscondi supra montem posita. Et fundamenta eius in montibus sanctis. Hos inquit lætari & exultare, Dei & Saluatoris nostri aduẽtum scientes: expectantes enim laborum præmia; gaudent, Iudicis iustitiam scientes.

Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate. *Roma. 18.*

Nam prior quidem aduentus multam habuit misericordiam, secundus verò iustitiam habebit. Omnes enim inquit, stabimus ante tribunal Christi, vt vnusquisq; reportet per corpus secundum ea, quæ gessit siue bonum, siue malum. Hoc etiam Vates inquit, Semel locutus est Deus, Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi domine misericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. *Psal. 61.*

Psalmi XCVIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. sine titulo apud Hebræos.

Præsens psalmus Iudæorum è Babylone reditum præcinit, & Saluatoris nostri aduentum, Iudæorumque perfidiam prædicit.

Dominus regnauit, irascantur populi.

Et Iudæi, & Græci insaniunt, & rabie perciti sunt, Regnum domini Christi audiẽtes. & cùm Iudæi libertatem consecuti fuerunt, in eos omnes finitimæ regiones furebant, inopinatam eorum reuersionem intuiti. declarabat autem hoc potentiam eius, qui ab ipsis colebatur.

Qui sedes super Cherubim moueatur terra.

Porrò hic inquit, qui à nobis prædicatur, est Deus, & dominus cœlestium potẽtiarum. Hanc clausulam, Qui sedes, tanquam cum hominibus sermocinans dixit. Nam natura, quę est sine corpore, quæ comprehendi, atque circumscribi minimè potest, & terrę ambitum, & habitantes in ea vt locuitas continet; cuius nam indiget sedis? omnino tamen formãt oratione Deum rerum omnium conditorem regio more Cherubinis vehi, territantem, timoremque audientibus injicientem. *Esa. 40.*

Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.

Cùm Iudęi reuersi essent, diuinumque templum erexissent; Dei potẽtia omnibus demonstrata fuit. Nam potissimum is, qui crucem subiuit, totius orbis dominus declaratus est, sacris Apostolis salutare præconium gentibus afferentibus.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, & sanctum est.

Decet igitur omnes te laudibus decantare, tuaque beneficia percurrere, & minimè tuam naturam accuratè inquirere, sed nomini tuo honorem afferre, quod terribile, & sanctum est: quandoquidem sanctos credentes reddit, terret verò infideles.

Honor regis iudicium diligit.

Conuenit autem nobis timere vt Regem, & iustitia vtentem. nam proprium veri Regis est, subditos iustè gubernare. Honor enim Regis iudicium diligit, hoc est, diligere iustitiam, honoratum efficit Regem. Hoc autem quod sequitur declarat.

Tu parasti directiones, iudicium, & iustitiam in Iacob tu fecisti.

Nam veluti iustus Rex rectam, & iustam sententiam protulit, cùm Israelem à potentia, quę erat contra eos, qui seruiebant, liberauerit. Cæterùm secundum aliam vaticinationem sic intelligendum est. Ostendisti promissionis tuæ veritatem, cùm pollicitationes, quæ maioribus Israelis factæ fuere perfeceris, cumque per semen Abrahæ salutem largitus fueris.

Exaltate dominum Deum nostrum, adorate scabellum pedem eius, quoniam sanctum est.

Rependite beneficij auctorem eas res, quas potestis, congruentemque illi afferte honorem. *Exaltate* autem, scilicet, Sublimem ipsum prædicate. Scabellum verò pedum eius, Olim quidem Hierosolymæ templum existimabatur, nunc verò Ecclesiæ, quę per totum orbem terrarum, atque mare sunt, in quibus cultum sanctissimo Deo afferimus.

Moises, & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant ipsum.

Non temerè alijs prætermissis Vatibus, de hisce tantùm mentionem fecit, sed vt innatum Iudæorum furorem, & tyrannidem doceret.

etenim Mosis, & Aaronis tempestate sacerdotium subripere conati sunt. Et Samuelis tempore, diuinum regnũ aspernati, humanum adamarunt. Edocet igitur diuinus sermo eos nihil noui facere, si contra Saluatorem rabie perciti sunt, salutareque eius regnum non admittunt, quandoquidem à principio, insania fuit ipsis familiaris.

Inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.

Atqui ait, multam cum Deo habebant fiduciam: hi nanque implorabant, ipse verò exaudiebat, & postulata concedebat, & cernentibus omnibus cum ipsis loquebatur, per nubem apparens. Deinde edocet non iniustè hanc ipsis gratiam impertisse.

Quoniam custodiebant testimonia eius, & præcepta, quæ dedit illis.

Nam secundum legem vitam ducentibus, & secundum eius præcepta viuentibus, hanc largiebatur gratiam.

Domine Deus noster, tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuisti eis.

Tu es ò domine ait, qui à nobis prædicaris, qui tãtæ fiduciæ ipsos participes fecisti, & multa benevolentia ipsos dignatus es.

Et vlciscens in omnes adinuentiones eorum.

Symmachus autem sic, Et vltor in doloribus eorum. Alios quidem magni Mosis tempestate tyrannide prementes igni tradidit, eosque qui flammam declinarunt, viuentes sepulturæ intulit, iubens terræ, vt illos absorberet, locumque tyrannidis sepulcrum extempore paratum reddidit, & eos, qui per mare ambularunt, & profundum illud mare p destri itinere trãsierunt; demersit in terra, inopinatis fluctibus vsus. alios verò tempore Vatis Samuelis dominatui subegit, vniuersique generis calamitatibus circundedit.

Exaltate dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius, quoniam sanctus Dominus Deus noster.

Horum igitur admirabilium virorum pietatem imitati, congruentem Deo afferte honorem. Cæterùm Mons sanctus, olim quidẽ Sion appellabatur, nũc verò diuinæ cognitionis sublimitas. Sic enim & Esaias, & Michæas vaticinati sunt, Erit in vltimis diebus mons domini perspicuus: hoc est, Dei cognitio omnibus clara erit. nouit etiam diuinus Apostolus mysticum montem Sionem, Montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierosolymam *cœlestem. Iussi sumus igitur secundum scientiam, quæ data est nobis à Deo, cultum ipsi afferre.

Esa. 2.

Hebr. 12.

Psalmi XCIX. Interpretatio.

Psalmus Dauidi. In confessionem. sine titulo apud Hebræos.

Vates hoc in loco omnes homines in hymnorum cantilenam vocat, adhortans per omnia Saluatorem Deum colere.

Iubilate Deo omnis terra.

Omnes homines triumphalem Deo afferte hymnum. *Terram* enim, Habitantes terram nuncupat.

Seruite domino in lætitia.

Non enim est Dei, & Saluatoris nostri regnũ, secundum amaram Diaboli tyrannidem, sed eius imperium benignum, & mansuetutum est. Gaudentes igitur ad seruitutem accedite.

Introite in conspectu eius in exultatione.

Symmachus autem, Cum gloria, dixit. Aquila verò: In laudibus. Exultantium, & lętantium est hymnus.

Scitote, quoniam ipse est Deus noster.

Per has res discite nostrũ dominum ipsum esse Deum rerum omnium conditorem. has eruditiones gentibus sacer Apostolorum chorus attulit, vt Actuum historia docet.

Ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Non enim nos nostrùm ipsorum conditores fuimus, sed ab ipso formati sumus. sic beatus Paulus Athenienses docuit, Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cœli, & terræ cùm sit dominus, non in manufactis templis habitat, nec à manibus hominum colitur, indigens aliquo, cùm ipse dederit omnibus vitam, & inspirationem, & omnia, fecitq; ex vno sanguine, omne genus hominum habitare super vniuersam faciem terræ. Hoc etiam hoc in loco vates docet, Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Symmachus verò, Ipse fecit nos, qui non eramus.

Actu. 17.

Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.

Per hæc non modò imperium, verùm etiam curam ostendit. non solùm enim noster dominus est, sed etiam pastor, bonam nobis porrigens pastionem. nos verò eius populus sumus, vt Regis, & oues, vt pastoris.

Introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis.

Eius portas, & *Atria*, Ecclesias nũcupat. quandoquidem ipsę nobis aditum ad ipsas prębent, in quibus decet diuina, & salutaria eius beneficia percurrere, hymnumque de gratiarum actione veluti donum afferre.

Confitemini illi, laudate nomen eius, quoniam bonus est dominus, in æternum misericordia eius, & vsque in generationem & generationem veritas eius.

Quomodo enim non est iustũ, laudibus prosequi eum, qui inexplicabili benignitate vsus est, optimisq; promissionibus finem imposuit? quas enim tempore seculi nostrorum maiorum spopondit, has nostra tempestate perfecit, & quam salutem pollicitus est, verè donauit.

Psalmi C. Interpretatio.

Psalmus Dauidi.

Aliqua exemplaria Quaternioni sabbatorum habent. neque apud Hebræum, neque apud alios Interpretes, neque apud Septuaginta hanc inuenimus additionem. Hoc autem argumentum psalmus habet. Iosias Rex omnes Idolorũ aras funditus euellit, horum verò sacerdotes confixit, & in pristinam pietatem populum deduxit. non autem de sola dogmatum sanitate rationem habuit, verùm etiam de officijs virtutis: rectè iudicans, hominem iustitiam, iniuria affectis opem ferens, & iniuria afficientes plectens, ciuium vtilitatis curam gerens. cùm hæc à longè beatus Dauid perspexerit; hunc conscripsit psalmum & illius virtutem percurrens, & omnibus hominibus, veluti quendam perfectionis characterem proponens.

4. Reg. 22. & 23. & 2. Paralip. 34. & 35.

Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine.

Quoniam enim & iniuria affectos miserabatur, & iniuria afficientes admirabilis Iosias condemnabat; illorum narrationem, laudem misericordiæ, & iudicij nuncupauit.

Psallam, & intelligam in via immaculata.

Symmachus verò sic, Canam. considerabo viam immaculatam, quam per sancti spiritus gratiam videbam esse puram, Deoq; gratam: huic igitur per dulcem symphoniã adhęrebo.

Quando venies ad me?

Talem enim hic admirabilis vir puritatem habuit, vt cũ fiducia ad Deum clamaret. Quando venies ad me? videlicet, regales aulas instructas tibi præparaui: tuum aduentum domine exopto, tuamq; præsentiam desidero, sed concede, quod efflagitatur.

Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Cum integritate vixi, non vsus sum fraude, neque alius eram intus, quàm foris videbar, sed occulta apparentibus respondebant.

Non proponebam ante oculos meos rem iniustam.

Non modò iniquas actiones detestatus sum, sed etiam harum cogitationes respui, in primis mentem disponens, & moderans.

Facientes præuaricationes odiui.

Auersabar autem despicientes diuina præcepta.

Non adhæsit mihi cor prauum.

Familiares autem mihi erant, qui iustitiam honorabant, hi verò qui contraria malebant, & rectam mentem habere nolebant, longè à meis cogitationibus summouebam.

Declinantem à me malignum non cognoscebam.

Si autem aliquis familiarium malitia vtens à mea consuetudine recedere voluit, ne discessionem quidem duxi huiusmodi discessionẽ. sic nullius momenti erat mihi is, qui prauitatem eligebat.

Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.

Porrò occultas delationes non admittebã, verùm eos, qui hoc facere conati sunt, exigebam.

Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam.

Neque superbia vtentes meos sodales faciebam.

Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum.

Eos verò, qui fide prædíti sunt, magniq; res diuinas ducebant, meorum collegiorum atq; consiliorum participes faciebam.

Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Non modò de amicis, & consiliarijs, verùm etiam de ministris multam gessi curam. ex seruis nanque, eis, qui virtutis studiosi erant, & cuiuslibet sceleris expertes, vtebar.

Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.

Neminem autem superbia elatum domesticum habere volui.

Qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.

Si autem quis consolauit, aut quæsiuit iniusta, sua spe decidens, abijt.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.

Hoc manifestò ab historia didicimus. quandoquidem omnes impios sacerdotes morte mulctauit, & sacram expiauit vrbem. Cęterùm qui vult huius viri virtutem accuratius discere, inueniet hanc ex secundo Paralipomenon libro, & quarto Regum historia.

4. Reg. 22. & 23. 2. Paral. 34 & 35.

Psalmi CI. Interpretatio.

Oratio pauperi, cùm anxiaretur, & coram domino suas preces effundit.

Prædictionem afflictationis populi Iudæorum, qui Babyloni captiuus erat, psalmus habet, reditumq; illinc. vaticinatur autem eodẽ tempore gentium vocationem, & salutem. Cæterùm conuenit cuilibet homini, qui cum aliqua calamitate luctatur, vtque diuinam opem consequatur, obsecrat. Pauperem enim, vocat diuini auxilij indigentem.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Meam deprecationem domine suscipe, mihique obsecranti opem fer. Clamorem enim, Suspirium, Symmachus dixit.

Non auertas faciem tuam à me.

Benevolus mihi esto, & missam fac indignationem.

In quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam, in quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Hæc psalmi verba ostendunt etiam futurorum esse prædictionem, & minimè rerum iam factarum narrationem. Quoniã enim in multa felicitate, & splendore in diuini Dauidis Regno populus erat, iure Propheta illorum persona vtens, precationem affert, & vt diuinam consequatur opem supplicat: quandocunque hoc tempus venerit.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.

Hinc secundum proprium idioma, futuras calamitates tanquam præteritas narrat, & inquit, fumi instar vitæ tempus consumptum esse, & ex mœrore torrem aridum corpus esse factum, tanquam ab aliquo ignis impetu combustum. sic etiã Aquila explanauit, Et ossa mea sicut cinis exaruerunt.

Percussus sum vt fœnum, & exaruit cor meum.

Sed enim veluti fœnum extinctus sum, pristinumq; florem amisi.

Quia oblitus sum comedere panem meum, à voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

Cuiuslibet enim cibi apperitum perdidi, pristina verò felicitate penitus spoliatus sum. corpore enim confectus sum ex tabe, quæ è tristitia euenit, nudis verò ossibus cutem hærentem habeo.

Similis factus sum pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus sum, sicut passer solitarius in tecto.

Multis vtitur comparationib⁹, volens dignè ob oculos ponere calamitates. per quamlibet autem harum auium timorem demonstrat, gubernatorisq; destitutionem. Quandoquidem passer ob ægritudinem somnum abigit. & nycticorax habitatas domos fugiens, desertas derelictasq; præteruolat. Domicilia enim, Parietinas Symmachus dixit. sic etiam alia auis in solitudinibus versatur.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, aduersum me iurabant,

Ridiculus hostibus factus sum, & ego qui felix, & illustris eram, detestatio factus sum ijs, qui olim me admirabãtur: per meas enim calamitates iurant, ne patiar ea, quæ quidã perpessi sunt.

Quoniam tanquam cinerem panem manducabã, & poculum meum cum fletu miscebam, à facie iræ indignationis tuæ.

Hęc & septuagesimus nonus inquit psalmus, Cibabis nos pane lacrymarum, & potabis nos lacrymis in mensura. Magnitudinem doloris per hæc ostendit. si enim edendi tempus dolore refertum erat, tantò minus aliud tempus ab hoc dolore erat liberum. his autem inquit, circundatus sum malis, quoniam tu Domine in me iram tuam excitasti.

Quoniam eleuans allisisti me.

Cùm enim me sublimem ostendisses, illustremq; declarasses; repente me eiecisti. Hanc enim clausulam, *Eleuans*, ex translatione posuit eorum, qui in altum aliquid subleuant, & in solo frangunt.

Dies mei sicut vmbra declinauerunt, ego autem sicut fœnum arui.

Prope ipsum vitæ occasum inquit, sum, & similis sum vmbræ declinanti, & deinceps desinenti, aridumq; fœnum imitatur, metentium manus accersens.

Tu autem domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione, & generationem.

Verùm ego quidem talem naturam habeo, talibusq; calamitatibus obnoxius sum. Tu autem sempiternus cùm sis, & æternus, aliquam mutationem præsentium malorum facilè largiri posses. hoc enim infert.

Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.

Concede calamitati mutationem in melius, etenim tempus misericordiam efflagitat. Per hæc tacitè innuit finem præscriptæ pœnæ septuaginta annos. sic etiam admirabilis ille Daniel cùm seruitutis tempus enumerasset, precationem affert. his concinunt verba huius cœlestis musicæ, Quia tempus miserẽdi eius, quia venit tempus.

Quoniã placuerunt seruis tuis, lapides eius, & terræ eius miserabuntur.

Nam Sion admodum amabilis est nobis, licet deserta effecta sit. Porrò amatu digni sunt lapides derelicti, & memoria pulueris, quæ ex direptione facta est, misericordiam nobis ingerit.

Et timebunt gentes nomen tuũ domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

Nam videntes nostram reuersionem, ciuitatisq; instaurationem ij, qui nostras afflictationes conspexere; & Reges, & Principes, & subditi tuam admirabuntur potentiam, & timentes, te solum esse Deum credent. hoc quidem factum finitimi admirati sunt, sed tantũ abfuit, vt crederent Deo vniuersitatis, etiam vt ipsis eodem tempore bellum intulerint. Cæterùm hoc in loco sermo diuinus omnium gentium, & Regum conuersionem præcinit: quarum rerum alias quidem iam perfectas videmus, alias verò futuras esse speramus. inquit enim diuinus Apostolus, Nondum enim illi omnia subiecta videmus, veruntamen docuit omne genu ipsi flectendum esse, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Philip. 2.

Quia ædificauit dominus Sion, & videbitur in gloria sua.

Quoniam enim nescientes diuinas dispensationes Iudæorum seruitutẽ, Hierosolymæq; vastitatem, Dei imbecillitatem suspicabantur, iure gloriam appellauit Dei, vrbis instaurationem, videlicet, rursus Sione ædificata, in pristina gloria vniuersitatis Deũ omnes cernent.

Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.

Nam non despexit, veluti captiuorum, & seruorum preces, sed admisit, libertatemq; largitus est.

Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit dominum.

Hoc autem beneficium in acta relatum semper conseruabimus, vt posteri tuam benignitatem discant. Populum verò qui creatur, illum, qui è gentibus conflatus est, vocauit. De quo, & beatus inquit Paulus, Si quis in Christo noua est creatura. & ipse diuinus Dauid in vigesimo primo inquit psalmo, Annunciabitur domino generatio ventura, populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. hic populus & antiqua, & noua edoctus, congruentem Deo, qui salutem largitus est, affert hymnum. 2. Cor. 5.

Quia prospexit de excelso sancto suo, dominus de cælo in terrã aspexit, vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum, vt annuncient in Sion nomen domini, & laudem eius in Hierusalem.

Omnia nanque inspiciens, & moderans rerũ omnium conditor Deus, inspectos audiuit, libertatisq; sententiam protulit, vt captiui pro interemptis redirent, patriamq; vrbem instaurarent, vtq; consueto more in illa cultũ secundum legem Deo afferrent.

In conueniendo populos in vnum, & Reges vt seruiant domino, respondit ei in via virtutis tuæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi, ne reuoces me in dimidio dierum meorum.

Cùm

Cùm inquit, reditum consecuti fuerimus, cogentur populi, & Reges, tuam admirantes potentiam. tunc igitur tantam habebimus lætitiam, vt bonitatem tuam obsecremus, vt annorum additionẽ concedas, & minimè in medio nostrorum annorum nos morte afficias. Viam autem virtutis, vocat Fortitudinem Dei per reuersionem concessam.

In generatione generationum anni tui.

Tu enim sine fine naturam habes, & facile est tibi, & alios longæuos facere.

Initio tu domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanebis.

Quid enim ab vniuersorum opifice non potest fieri? Tu donasti terræ illud, quod est, cœlos, qui non erant, fecisti. Hæc verò mutationem recipiunt, tu autem immutabilem habes naturam. Cæterùm ab elementis, quæ omnia claudunt, aliarum rerum omnium ipsum fuisse creatorem ostendit.

Et omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium volues eos, & mutabuntur.

Symmachus autem sic, Et omnes sicut vestimentum senescent, & sicut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Omnia enim, quæ cernuntur, senescent, vestimentorumq; vetustatẽ imitabuntur: Tu autem ipsa mutabis, & renouabis, & immortalia pro mortalibus facies. Hoc & diuinus Apostolus inquit, Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Rom. 8.

Tu idem ipse es, & anni tui non deficient.

Tu quidem domine Vniuersitatem moderaris, vt vis. tu autem immutabilem naturam habes, mutationeq; superiorem. Hæc igitur diuinus Apostolus in epistola ad Hebræos ad filij proprietatem retulit, Veruntamen in filio patrem contemplamur: quæ enim ille facit, hæc & filius eodem modo facit, & eadem natura in vtroque cognoscitur, vnam actionem Trinitatis scimus. Hebr. 1.

Filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum in seculum dirigetur.

Symmachus posuit, Permanebit. Significat autem illos à seruitute liberos Hierosolymam habitaturos esse: At horum semen in æternum permanebit. de hoc semine diuinus Apostolus inquit, Donec veniat semen, quod promissum est. & Habrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. non dicit, & seminibus, tanquam in multis, sed tanquã in vno, & semini tuo, quod est Christus. Hoc semen in æternum permanebit. vnitum enim cum Deo verbo, immortalem habet naturam, & credentibus vitam largitur, secundum domini vocem, Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem viuet in æternum. Galat. 3. Ioan. 6.

Psalmi CII. Interpretatio.

Halleluia.

Videtur quidẽ psalmus præsens consequens esse præcedenti, idemq; argumentum habere: quandoquidem in illo calamitates, quas Babyloni patiebantur deplorantes Deum, vt reditum consequerentur obsecrabant. hic verò illa, quæ efflagitarunt consecuti, beneficij auctorẽ laudant. Cæterùm ego opinor hanc cœlestem symphoniam omnibus hominibus congruere, & ijs, qui ab acerbiori seruitute liberati sunt, maioriq; libertate digni effecti fuere. Declarat autem verborũ sensus hoc argumentum magis esse verum, quàm illud.

Benedic anima mea domino, & omnia; quæ intrà me sunt, nomini sancto eius.

Qui erga diuina beneficia grato animo affecti sunt; in diuinas laudes se ipsos accendunt, beneficij auctorem ijs rebus, quibus possunt, remunerantes. Potest autem semper laudari, constanterq; memoria beneficiorum ipsius animo circunferri. Hi & omnia, quæ intra sunt consecrant, omnemq; mentem ad diuinum hymnum appellunt. Nam ea, quæ intra sunt, Ratiocinationes, cogitationesque, atque omnes animi motiones appellauit.

Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.

Rursus se ipsam anima excitare docetur, obliuionisq; nebulam discutere, & beneficiorum memoriam renouare. Retributiones quidem, Beneficia Symmachus dixit. Deinde hęc sigillatim percurrit.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Nam hic peccatorum veniam condonauit; hic perturbationum sanitatem tibi gratificatus est: hæc omnia paralyticus cõsecutus est, quandoquidem eo tempore audiuit, Dimittuntur peccata tua, & tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. similiter mulier peccatrix hanc veniam consecuta est. similiter latro. similiter publicani. similiter omnes, qui crediderunt. Mar. 2. Luc. 7. Luc. 23.

Qui redimit de interitu vitam tuam.

Eos verò, qui Babylonem in seruitutem abducti fuere, à seruitute liberauit, mortalem autem vitam minimè mutauit: Nobis verò resurrectionis spes largitus est, pignusque spiritus præbuit, & veste immortalitatis nos induit.

Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Gratia saluati estis, vt inquit diuinus Apostolus, & hoc non ex vobis, Dei est donum, vt nemo glorietur. & rursus, Iesus Christus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorũ primus ego sum, sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi in vitam æternam. Gratiæ igitur, & benignitatis est corona. sic diuinus Esaias ex persona sponsæ exclamat, Exultabit anima mea in domino, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. & paulò pòst, Et eris corona gloriæ in manu domini, & diadema regni in manu Dei tui. Hæc autem omnia munera, & dona sponsalia sunt sponsi, solam enim fidem sponsa attulit. Ephe. 2. 1. Timoth. 1. Esai. 61. Idem 62.

Qui

Qui replet in bonis desiderium tuum.

Quoniam concupiscentia vituperabilis est, quam diuina lex detestatur; elegantissimè In bonis apposuit: bona enim nostra desideria do
Matth.7. minus implet, Petite enim inquit, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. quærite autem Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua.

Hanc rursus renouationé dominus per sanctum baptisma nobis donauit, cumq; peccati
Esai.40. senium abraserit, iuuenes pro senescentibus fecit. consonantia his per Vatem Esaiam Deus inquit, Sustinentes autem me, mutabunt fortitudinem, & assument pennas vt Aquilæ. Quoniam enim cùm fabricati essemus; diuinos, regiosq; characteres accepim⁹: deinde vniuersis peccati desiderijs eos tabefecimus, & corrupimus, spondet nobis diuinus sermo reconciliationem. Regia est hæc auis, auiumq; regnum ei commissum est. Cæterùm edocet nos & diuinæ liberalitatis modum.

Faciens misericordias dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Non enim ob iustitias, quas fecimus nos, (vt
Tit.3. inquit diuinus Apostolus) sed secundum magnam misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti. & cùm conspexisset nos iniuria affectos à veritatis inimico, nobis quidem misericordiæ fontes aperuit, in illum verò iustam protulit sententiam.

Notas fecit vias suas Moisi, filijs Israël voluntates suas.

Non autem ex pœnitentia hanc nobis tractauit salutem, sed à principio hanc per Vates sanctissimos præcinit, & per diuinum Mosem nostram adumbrauit salutem, & mare sancti baptismatis figura fuit, lapis verò immortali riuorum vmbra, cœlestisque cibi manna imago extitit, & alia, ne singula percurram, sic possunt inueniri apud illos adumbrata.

Miserator, & misericors dominus longanimis, & multum misericors.

Porrò horum omnium bonorum inquit, est causa, diuinæ bonitatis abyssus, immensa benignitas, & misericordiæ pelagus.

Non in perpetuum irascetur nobis, neque in æternum comminabitur, non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Noluit supplicium nostris peccatis metiri, neque diutius iram extendere.

Quoniam secundum altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suã super timentes se, quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Si longiora his spatia inuenire potuisset, omnino & ipsa in medium attulisset, nitens diuinæ bonitatis profunditatem ostendere: verùm humana mens nec cœlo sublimiorem mensuram, nec ortu & occasu longinquius interuallum inuenit.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se.

Cùm sit opifex, & conditor, patris bonitatè imitatus est, & eundem amorem erga seruos, quem pater erga filios, demonstrauit.

Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam puluis sumus.

Nouit enim opifex nostræ naturæ imbecillitatem, scit vnde formati sumus, & quò rursus reuertemur.

Homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri sic efflorebit.

Nihil à fœno, & à flore differimus, qui quidé verno tempore viget, paulò verò pòst languescit, & diffluit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum.

Symmachus autem sic, Quoniá spiritus pertransit ipsum, deinde non subest spiritus. De anima loquitur, quæ cùm præsens est, corpus & viuit, & operatur: cùm verò demigrat, extinguitur, & corrũpitur, vt nec priora signa cognoscat, nec sciat hoc corpus illius esse, & hoc huius: & id quilibet exquisitè scire poterit, in sepulchra inspiciens. omnia enim eodem modo fiunt, inutiles interitus, impensæ, pristinosq; characteres non conseruant.

Misericordia autem domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum, & iustitia illius in filios filiorum his, qui seruant testamentum eius, & memores mandatorum ipsius ad faciendum ea.

Natura igitur sic fragilis est, sed diuina misericordia gratificatur, vt diuturnam ducant vitam, & iustitiæ remunerationem maioribus debitam ad posteros vsque conseruat. sic regnum ad quartam vsque progeniem filio seruauit, licet perfectam pietatem minimè habuerit, sed in principio regni zelum ostenderit. sic diuino Dauidi inextinctam generis scintillam custodiuit, præsertim cùm multi impij in medio extiterint. hoc autem inquit, se misericordiã custodientibus testamentum eius prębituru esse. & non simpliciter ijs, qui eius mandatorum memores sunt, sed ijs, qui opera verbis addũt, & secundum ea propriam dirigunt vitam.

Dominus in cœlo parauit sedem suam, & Regnum ipsius omnibus dominabitur.

Hoc ijs, quæ in alio psalmo dicta sunt, est simile, Qui in altis habitat, & humilia respicit. Psal.112.
Etenim hoc in loco sermo diuinus nos edocet, vniuersitatis dominum in cœlo habere solium, & vniuersi mundi machinam inspicere, & moderari, quippe qui omnium opifex est, & Rex, & dominus.

Benedicite domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendã vocem sermonum eius.

Meritò cœlestes potentias in communicationem hymnorum cantilenæ accersiuit. Nam non potest humana natura dignè te beneficij auctorem laudibus prosequi: incorporeæ verò, & sanctæ naturæ liberam ab affectionibus habent vitam: sufficientes sunt ad diuina mandata perficienda.

Bene-

Benedicite domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Multi, & varij sunt cœlestium ordines, Principatus enim, & Potestates, Throni, & Dominationes, & Seraphim, & Cherubim, & alia nomina nobis ignota, vt inquit diuinus Apostolus, sed omnia per duo hæc nomina diuinum oraculum comprehendit. Angelos enim vocauit, tanquam diuinis mandatis operam nauantes, diuinaq; verba transmittentes: Virtutes verò tanquam sufficientes ad id, quod eis præceptũ est faciendũ, & id, quod suapte natura possunt à suo conditore acceperunt.

Benedicite domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius.

Neque hoc Iudæis congruit: nam illi cùm ab his, qui eos in seruitutem abduxerant, aliquod Sionis canticum canere iussi essent; dixerunt,
Psal.136. legitima faciẽtes, Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? nobis verò diuinus Apostolus præcipit, in omni loco orantes,
1.Timoth.2. sursum tollere manus sanctas. Hoc etiam dominus Christus Samaritanæ dicit, Amen amen
Ioan.4. dico tibi, quoniá venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabunt patrem, spiritus enim est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.

Benedic anima mea domino.

Finis accommodatus est exordio. Cùm enim in communicationem diuinæ symphoniæ cœlestes substantias accersiuisset, docet & nos pro viribus conditorem honorare, hymnumq; de gratiarum actione æqualem nostræ potentiæ afferre.

Psalmi CIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi.

Gratia spiritus sancti non modò doctrinam de moribus, & de præceptis hominibus affert, verùm etiã quomodo Creatorem laudare conueniat, accuratè docet. propterea hunc cõscripsit psalmum, diuino Dauide ministro vsa, vt discamus omnes, quibus laudib⁹ beneficij auctorem remunerare oportet. Communia igitur beneficia hoc in loco percurrit, & ostendit vniuersitatis Deum simul esse, & omnium opificem, & moderatorem.

Benedic anima mea domino.

Vnumquemq; pietatis alumnum Deum beneficij auctorem laudibus prosequi, docet.

Domine Deus meus, quàm magnificatus es vehementer.

Per exaggerationem hanc particulam *Quàm*, posuit. sed hoc verbum, Magnificatus es vehementer, non vt incrementum ostenderet, dixit, sed vt immensam magnitudinem indicaret. sic enim Symmachus explanauit, Et Deus meus magnus valde, non enim cùm esset paruus, magnificatus est, verùm cùm natura magnus esset, hoc pijs hominibus demonstratum est: neque tota magnitudo, sed quantã humana natura comprehendere potest.

Confessionem, & decorem induisti.

Symmachus sic, Laudem, & gloriam induisti. Non enim amplius hi, qui tuis perfruuntur bonis, te ignorant, neque tuum honorem simulachris afferunt, sed te laudant, & tibi gloriæ debitum pendunt.

Amictus lumine sicut vestimento.

Consonantia his Apostolus inquit, Qui so- 1.Timoth.6.
lus habet immortalitatem, lucem inhabitans inaccessibilem. tanta enim est illa lux, vt nemo appropinquare audeat, redundantia luminis visum auertit. si enim sensibilis Sol hoc facere cogit eos, qui insaturabiliter intueri conantur; quis potest inaccessam lucem contemplari? Est quidem igitur lux vera, & amicitur lumine, sicut vestimento, & lucem inaccessam habitat, & nubes, & caligo in circuitu eius, & posuit tenebras latibulum suum. & hæc minimè sibi inuicem pugnantia sunt, quandoquidem inaccessa lux ijs, qui nequaquam ipsam cernere possunt, idem est, quod caligo, & tenebræ, neque enim hæc in illo videri possunt, & hoc igitur, & illud declarat eius naturam minimè conspici posse.

Extendens cœlum sicut pellem.

Per hæc operis facilitatẽ docuit. sicut enim homini pellem extendere facile est, & tabernaculum efficere; sic Deus rerum omnium conditor magna cœlorum coria extendit, verbo solo vsus.

Qui tegis aquas superiora eius.

Hoc etiã beatus Moses docuit, inquit enim Deum dixisse, Fiat firmamentũ in medio aqua- Genes.2.
rum, & diuidat mediam aquam, quæ est super firmamentum, & mediam aquam, quæ est sub firmamentum.

Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.

Per hæc prouidentiam vbique penetrantem declarauit. Stat enim inquit, & supra ventos & nubes, & ipse omnia moderatur, & gubernat, & vtilitatem, quæ hinc producitur, opportunè largitur. Porrò eodem tempore edocet diuinam naturam vbique adesse, & ad omnia peruolare. Quoniam enim rerum omnium sensibilium, ventorum natura est velocissima: actutum enim ab occasu ad ortum vsque percurrit, & ab ortu vsque ad occasum, non inueniens in sensibilibus aliam celeritatis exactiorem similitudinem; dicit Deum super pennas ventorum vehi, per hæc vbique ipsum adesse, declarans. Inuenimus autem filijs Israël in nube vniuer- Exod.40.
sitatis creatorem apparuisse, & in tabernaculo & Num.9.
per nubem se conspiciendum eis præbuisse. atqui cùm Salomon domum consecrasset, nubes 2.Para.5.
domum operuit. & dominus Christus in mon- Matth.17.
te tribus illis Apostolis splendidam nubem circa se ipsum ostendit. & cùm assumeretur, luci- Act.Apost.1.
da nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.

Ostendit ipsum opificem non modò earum rerum, quæ videntur, sed etiam illarum quæ minimè cernuntur. eosdem autem spiritus, & ignem appellauit, potentiam, & celeritatem per vtrunque edocens: quandoquidem spiritus natura

tura acuta est, potens est verò ignis vis. Cæterùm Angelis ministris vniuersitatis Deus vtès, dignos homines beneficijs afficit, & indignos plectit. Idcirco, & ignis meminit, puniendi vim declarans.

Qui fundasti terram super stabilitatem suam.

Aquila verò, & Symmachus, Super sedē eius.

Non inclinabitur in seculum seculi.

Nam cùm ipsam super se ipsam fabricasset, dedit ipsi, vt nunquam moueatur, & hoc modo permaneat, quatenus ipse voluerit. sic & alibi inquit, Suspendens terram super nihilum.

Abyssus sicut vestimentum eius.

Τὸ ἄυτῆς pro ἄυτῆς posuit. sic enim Aquila et Theodotion explanarūnt, Abyssum sicut indumentum induisti ipsam. Humidam autem naturam abyssum sacræ literæ nuncupant. sic etiā in principio creationis beatus inquit Moses, Terra autem erat inuisibilis, & incondita, & tenebræ erant super faciem abyssi. Quoniā igitur terra aquis vndique cingitur, & magna quidem maria, quæ minimè nauigari possunt, terræ sunt complementa, & fines, & alia, quæ transmitti possunt, mediam ipsam secant; iure ait abyssum sicut vestimentum terræ incumbere. Genes. 1.

Super montes stabunt aquæ, ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt, ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.

Per omnia docet Dei prouidentiam vniuersitati præsidentem. nam propterea mare vndis montium crepidines imitans, continentem nequaquam inundat, sed quemadmodum nos tonitruum perhorrescimus, sic illud positum terminum timet. Hæc clausula, Super Montes stabunt aquæ, videlicet, tanquam montes steterunt. illud verò, Ascendunt montes, scilicet, tanquam montes.

Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.

Mare quidem arenam veretur, & vsque ad illam rabie percitum, veluti freno, diuino termino inhibitum, rursus coercetur, & retrorsum cedit.

Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.

Deinde horum vtilitatem demonstrat.

Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua, super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.

Et hoc maximum est argumentum diuinæ prouidentiæ, non modò hominum indigentiā implere, verùm etiā rerum omnium aliarum. propterea montes secans, itinera aquis fecit, vt non solùm homines affatim fontium riuos haberent, sed etiam genera terrestrium, animantiumque, quæ aërem penetrant. Hanc autem clausulam, Expectabunt onagri in siti sua, Symmachus sic explanauit, Recreabit onager sitim suam.

Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.

Non modò inferius aquarum naturam scaturire facit, sed superius per nubes irrigationē affert. Deinde vtilitatem, quæ hinc oritur, tacitè innuit.

Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum, vt educas panem de terra.

Oritur herba, & iumenta in vsum hominum nata nutrit. aluntur autem fructus per imbres, & maturi fiunt, & hominibus proponuntur. Hoc & in alio inquit psalmo, Homines, & iumenta saluabis domine. Veruntamen ob hominum vsum, & iumenta hac perfruuntur prouidentia.

Et vinum lætificet cor hominis, & exhilaret faciē in oleo, & panis cor hominis confirmet.

Porro Symmachus explanatius dixit, Producens fœnum iumentis, & herbam vsui hominum, vt proferas cibum ex terra, & vinum vt lætificet cor hominis, illustret faciem oleo, & panis cor hominis confirmet. Ad hoc enim inquit, Deus rerum omnium conditor terræ pluuias continuè suppeditat, vt vniuersi generis fructus producat, & pane quidē hominum naturam confirmet, & alat, vino verò lætificet, iucundioremq; efficiat vitam, oleo autem non solùm vt intus nutriat corpora, verùm etiam foris illustret.

Saturabuntur ligna campi.

Hebræus autem, & cæteri Interpretes, Ligna domini, posuerunt. Cùm fructuosas arbores percurrisset, necessariò & de sterilibus mentionem fecit, tanquam hominibus necessarium vsum præbentibus. idcirco, & domini ipsas appellauit, quippe quæ ipsæ sua sponte oriuntur, & minimè manu elaboratę sunt, sed diuino verbo sunt productæ. propterea infert.

Et cedri Libani quas plantasti.

Non enim aliqui lignatores harum consitores fuerunt, sed diuinum verbum montium crepidines harum copiosas effecit. & Libani quidem veluti celeberrimi mentionē faciens, & arborum, quæ in ipso sunt, alios montes, & arbores per hæc indicauit.

Illic passeres nidificabunt, Herodij domus dux est eorum.

Aquila verò sic, Illic aues nidificabunt, Herodij abietes domus ipsi. Nam hæ ipsæ arbores alium hominibus vsum præbent, & alium auibus. hominibus quidem ad domorum structuram sunt aptæ, auiumque domos ipsæ recipiunt.

Montes excelsi Ceruis, petra refugium Herinacijs.

Tua prouidentia inquit, ne perexigua quidem despicit animantia, sed ceruis quidem montium iuga hospitium dedisti, exiguis verò animalibus, saxorum cauernas.

Fecit Lunam in tempora.

Cùm terrestria omnia persecutus esset, cumque naturarum, quæ minimè cernuntur fabricationem ostendisset; & luminarium mentionem facit, quæ quarta die facta fuere, & dicit Lunę creationem ob temporum doctrinam fuisse. quandoquidem eius mutationes tempus metiuntur: ipsa enim mensuram mensis efficit, cùm tot diebus crescat, & decrescat.

Sol cognouit occasum suum.

Non quòd animatus sit, neque quòd ratione vtatur, sed quòd ex diuino præscripto iter faciat, sic apparens diem efficit, & noctem delitescens, eundemque cursum semper tenet, atque mensuras conseruat.

Posuisti tenebras, & facta est nox.

Et necessarius est etiam huius vsus: lucis enim recessui succedit, requiem verò mortalibus præbet.

In ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli Leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Luc. 10.

Nox quidem hominibus quietem procurat, securitatem verò feris largitur, vt esurientes ventres expleant. Hæc verò clausula, vt quærant à Deo escam sibi, videlicet, etiam his diuina prouidentia vsum præbet. Nam postulare quidem hominum est, qui ratione vtūtur, quærere verò animalium ratione carentium. verūtamen etiam his Deus necessarium nutrimentum donat.

Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur, exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.

Oriente autem Sole, hæc quidem in sua lustra diuertunt. sed cùm homines pridianum laborem deposuerint; promptè rursus laboribus de die incumbunt.

Quàm magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti.

Cùm singula eorum, quæ dicta sunt Vates perpendisset, cumque grandem Dei prouidentiam didicisset; in medio narrationis in laudes prorumpit, inquiens, omnia Dei opera admirabilia, & admiratione digna, atque sapientia referta esse. Nam noctem à nonnullis impijs calumnijs exagitatam, admodum vtilem inuenit, sterilesque arbores aliam commoditatem afferentes, & genera ferarum in multis rebus conducibilia.

Impleta est terra possessione tua.

Porrò alij Interpretes, Creatione tua, posuerunt, videlicet, vniuersi generis bonorum ipsam implesti. à terra igitur in propinquum mare transit, & ait.

Hoc mare magnum, & spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.

Cæterùm hoc diuinæ prouidentiæ est argumentum, cùm perexigua genera cum maximis versentur, & nequaquam omnino ab illis consumantur.

Illic naues pertransibunt.

Et hæc est maxima hominum vtilitas. quandoquidem per artem perficiendi nauem, & per nauigandi scientiam à nobis inuicem vehimur, & res necessarias, fructusque, qui apud nos sunt alijs suppeditamus, & ab illis, eos, qui apud ipsos sunt, recipimus.

Draco iste, quem formasti ad illudendum ei?

Per Draconem, magna cete indicauit, quę in magnis pelagis libenter morantur. Hanc clausulam, Ad illudendum ei, pro ταύτη posuit, scilicet mari: ipsum nanque mare Hebræus, & Syrus masculi generis vocant. adeò inquit, est magnum, vt infinita piscium genera contineat, & maxima cete tutò in ipso natent. Si verò aliquibus videtur, hunc Draconem per allegoriam significare Serpentem obliquum, & marinum, propterea quod dicit Esaias, Gladiū magnum, sanctum, & potentem in Draconem irruere; nos huiusmodi sententiam nequaquam repudiamus: quoniam & apud Iob hoc inuenimus animal à diuinis Angelis conculcatum, & dominus potestatem dedit suis discipulis, vt incederent supra Serpentes, & Scorpios, & super omnem potentiam inimici.

Omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore.

A te ait, opportune omnia commodum reportant. animantia nanque ratione carentia cibum quærunt, largitorem verò ignorant, recipiunt tamen hunc à Creatore.

Dante te illis, colligent.

Te præbente hanc affluentiam, horum vnumquodque perfruitur bonis, quæ à te proposita sunt.

Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

Facilitatem suppeditationis bonorum per hæc declarauit. sicut enim facile est, digitos introrsum inflexos extendere; sic facile est Deo omnium bonorum copiam largiri.

Auertente autem te faciem turbabuntur.

Quemadmodum autem omni voluptate eos imples, qui tuis bonis perfruūtur, beneuolè hęc largiens: eodem modo, auertente te, perturbatione, & timore omnia implentur.

Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.

Te nanque permittente, & animæ, & corporis diuortium fit, post quod, corpus interitui traditur, & in pristinum puluerem dissoluitur. Spiritum quippe hoc in loco, Animam appellauit.

Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.

Hoc in loco manifestò resurrectionem nobis prædixit, nouamque vitam per sanctum baptisma. sic autem Elias ille magnus fecit, cùm puerulo viduæ ter inspirasset, cumq; per gratiā spiritus, quæ in ipso habitabat, in vitam reduxisset. Sic etiam Elisæus filium Sumanitidis viuum effecit, cùm spiritus insufflatione vsus esset, cumque vitam spiritu, qui vitam largitur, procurasset. Sic cùm diuinam potentiam, huiusque vim ostendisset; linguam in hymnorum cantilenam transfert. 3. Reg. 17. 4. Reg. 4.

Sit gloria domini in seculo.

Semper ait, ab omnibus eum laudibus affici; iustum est.

Lætabitur dominus in operibus suis.

Futuram Dei cognitionem hominum per hæc vaticinatus est: quandoquidem cùm à pristino errore homines liberati essent, Deique cognitionem accepissent; lætatur Deus, non quòd colitur, sed quòd videat homines salutem consecutos.

Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.

Iure hæc apposuit, edocens, diuinam naturam nullius rei indigere, nō enim cùm colitur,

delectatur, veluti huius rei indigens, sed vt is, qui salutem præbere vult, veritatem ostendit, & cùm plectere posit, non infligit pœnam, cùm
Esa 19. sola sua præsentia terram quatiat, & igne, & fumo montes impleat. Hoc sanè in Synai monte fecit, cùm enim apparuisset, totum montem fumantem ostendit.

Cantabo domino in vita mea, psallam Deo meo quàm diu fuero.

Psal. 6. Et hæc meritò addidit, Quandoquidem nõ est in morte, qui memor sit eius, in inferno au-
Matth. 25. tem quis confitebitur ipsi? sic fatuis illis virginibus thalami ianua occlusa fuit, cùm tempus ferẽdæ lampadis in olei emptionem triuerint.

Iucundum sit ei eloquium meum.

Eloquium, Sermocinationem Symmachus dixit: Aquila verò, Colloquium. Cæterùm precor ait, vt hæ meæ laudes dulces, & iucundissimæ videantur.

Ego verò delectabor in domino.

Nam hoc ait, perfecto, & hinc lætitiam percipiam.

Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non sint.

Cùm diuinam pulchritudinem, inexplicabilesque diuitias, vt ab humana natura fieri potuit, percurrisset; vt omnes homines eiusdẽ cognitionis participes sint, desiderat, vtq; peccatorum conuenticula penitus deficiant, supplicat, non vt ipsi intereant, sed vt commutentur, obsecrans, & vt eorum agmen desistat, efflagitans, cùm commutati fuerint, diuinasque res didicerint. Cæterùm si quis hæc verba aliter considerare voluerit, tanquàm Vate impios homines execrationibus subijciente, etiam hoc pacto Apostolicæ doctrinæ vaticinationẽ re-
1. Cor. 16. spondẽté inueniet. etenim beatus Paulus Corinthijs scribens, hũc posuit finem, Siquis non diligit dominũ Iesum, anathema sit: hoc enim proprium est eorum, qui ardenti animo amant.

Benedic anima mea domino.

Qui igitur tot bonorum largitorem laudare noluerint, illa patiantur, quæ dixit. Tu verò ò anima tuum Saluatorem, & opificem in cœlum laudibus effer.

Psalmi CIIII. Interpretatio.

Psalmus Halleluia.

Et hic psalmus Deum rerum omnium conditorem laudibus canere iubet: declarat sanè etiam inscriptio, quãdoquidem Halleluia, Laudate dominũ interpretatur. Cæterùm de promissionibus à Deo ad Patriarchas factis, mentionem facit, & de bonis per illos ab ipso tributis eorum posteris. satis nanq; est horum, & illorum recordatio ad eos exacuendos, & accendendos, qui talibus beneficijs affecti sunt, vt ad maiorum suorum virtutis æmulationem excitarẽtur. & simul edocet nouum populum, non iniustè ingratum illum populum sua propria cura priuasse. Quoniam enim Dei populus appellabatur & manifestò diuinam opem consequebatur, destitutus verò hac postea omnino fuit, per præsentes psalmos omnes homines edocet, quot, & quantis beneficijs ipsum affecerit, & quomodo beneficiorum ingrati illi facti fuerint, vt omnes, iusta in illos sententia prolata, iustitiam perdiscant, pœnasque ingrati animi videntes; ne eandem viam, quam illi, incedant, sed rectum tramitem ingrediantur.

Confitemini domino, & inuocate nomen eius.

Hoc autem verbum Inuocate, Prædicate, Symmachus dixit. Iubet verò sermo diuinus de gratiarum actione laudes afferre, diuinaque beneficia narrare.

Annunciate inter gentes opera eius.

Clarum, & perspicuum est, non Iudæis solùm, sed etiam gentibus omnibus vtilitatem procurare.

Cantate ei, & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius.

Laudibus, dulcibusque cantibus ipsum remunerate, atque miracula ab ipso edita nescios docete.

Laudamini in nomine sancto eius.

Sed Aquila, Gloriamini, pro Laudamini, posuit. Præcepit sanè sermo, vt nõ ob diuitias, non ob robur, non ob potentiam exultemus, sed in Dei scientia, & prouidentia. Hoc & diuinus Apostolus commonefecit, Qui enim inquit, glo- *2. Cor. 10.*
riatur, in domino glorietur. Hęc etiam sapien- *Ibidem. 3.*
tissima illa Anna narrat, Ne glorietur sapiens in eius sapientia, neq; fortis in sua fortitudine, & ne glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, in intelligendo, & cognoscendo dominum, & faciendo iudicium, & iustitiam supra terram.

Lætetur cor quærentium dominum.

Nam fructus spei in Deo collocatæ, est lætitia.

Quærite dominum, & confirmamini.

Et edocens, quomodo hoc facere oporteat, infert.

Quærite faciem eius semper.

Non semel, aut bis, sed per totam vitam supernũ auxilium quærere conuenit, vtilitatemque percipere: inexpugnabiles nanq; & inuicti erunt quærentes eum. hoc etiam dominus le-
Matth. 7. gem ferens pollicitus est, Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit; & qui quęrit, inuenit; & qui pulsat, aperietur.

Mementote mirabilium eius, quæ fecit, prodigia eius, & iudicia oris eius.

Nolite inexplicabilia miracula obliuioni tradere, quę iusta sententia adornans dominus fecit. Iudicia enim hoc in loco, Miracula à Deo iusta edita nuncupauit. quoniam enim de illis, quæ in Aegypto facta fuere verba facit, iustitiam pœnæ Aegyptiorum prædocet.

Semen Habraham serui eius, & Iacob electi eius.

Eosdem & hoc, & illo modo nuncupat, Filios quidẽ vt posteros, Electos verò, vt eos, qui apud omnes gentes populus Dei vocãtur. Hoc autem & per ea, quæ sequuntur demonstrauit.

Ipse dominus Deus noster, in omni terra iudicia eius.

Cùm enim ipse sit omnium Deus, & dominus,

nus, totique orbi dominetur; proprium populum hos appellauit.

Memor fui in seculum testamenti sui verbi, quod mandauit in mille generationes.

Per hæc continuationem, & perpetuitatem promissionum, quæ Habrahæ factæ fuere, docet. Non enim vt aliqui dixerunt, hic sermo est hyperbolicus, sed verus, & diuinus. promisit autem vniuersitatis Deus in semine eius se benedicturum esse omnes gentes, semen verò eius dominus Christus secundum carnem ortus, qui sempiternũ habet imperium, regnumque perenne. hoc sanè mille seculorũ commemoratio indicauit. non enim annorum numerum sermo significat, sed continuationem, & æternitatem, seculorũ multitudo tacitè innuit.

Quod disposuit ad Habraham, & iuramenti sui ad Isaac, & statuit illud Iacob in præceptum, & Israël in testamentum æternum.

De hoc iureiurando & diuinus Moses men-
Genes. 22. tionem facit, Dixit enim, inquit, Deus Habrahæ, per memetipsum iurauí, si non benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli multitudine, & benedicẽtur in semine tuo omnes Tribus ter-
Genes. 26. ræ. Hoc iureiurando etiam ipsum Isaac admonet, & confirmat fœdera cum Iacob inita, atq; etiam hæc implet. per Mosem quidem, cùm illorum posteros ab Aegyptiorũ seruitute liberauerit: per Iesum verò Naue, cùm promissam terram dederit; finem verò promissionis per Dominum Christum perfecit.

Dicens tibi dabo terram Chanaam, funiculum hereditatis vestræ.

Funiculum, Dominationem terræ vocauit. proprium enim illorum est, qui possident, terram mensuris subijcere.

Dum essent numero breui, paucissimi & incolæ eius.

Hęc autem inquit, parentibus promisit, cùm essent pauci, & admodum numeratu faciles. Demonstrat quippe per hoc promittentis potentiam, licet sic pauci extiterint, tantæ terræ imperium largiri potuit.

Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

Nam Patriarchæ diuersabantur, & neque in vno loco consistebant; verùm modò quidem huc, modò verò illuc tabernacula trãsferebãt.

Non reliquit hominem nocere eis.

Eos enim superiores reddidit ijs, qui conabantur lædere.

Et corripuit pro eis Reges, nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.

Sic in Pharaonem animaduertit animaduer-
Gene. 12. & 20. 26. & 31. sionibus magnis, & formidabilibus. De Sarra vxore Habrahæ sic nocte Abimalech perterruit, cùm dixisset, En morieris propter Sarram vxorem Habrahæ, ipsa verò cohabitat cum viro. sic Isaac venerandum apud illos, qui tunc Palęstinam incolebant, reddidit. sic minitatus est
Gene. 31. Laban occidere volenti, Caue enim inquit, ne loquaris aspera in filium meum Isaac. Christos autem appellat, non tanquam oleo vnctos, sed tanquam iam electos factos, Prophetam verò, & ipse Deus Habraham appellauit, Redde enim ait, mulierem viro, quoniam Prophera est, & orabit pro te, & seruaberis.

Et vocauit famem super terram.

Peccatum castigationem attrahit, castigatio verò ferinam vitam redarguit; redargutio verò vitæ mutationem efficit. Famem igitur induxit ob iniquam hominum vitam, qui tunc temporis erant: veruntamen, & hoc modo de suis curam gessit.

Et omne firmamentum panis contriuit.

Videlicet omnium rerum, quę nutrire poterant, inopiam fecit, non solùm frumenti, sed etiam hordei, & leguminum, & aliarum rerum, per quas homines vitam tolerant.

Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph.

Vtraque eodem tempore declarauit, & fratrum nequitiam, & eius sapientiã: nam illorum prauitate opportunè vsus est. non enim ipse eos impulit, vt fratrem venderent, sed illorum peruersitati indulsit, ipse verò opportunè hoc vtẽs; Seruum declarauit regem, & suo generi in Aegyptum reditus dux fuit. oportebat enim eos, qui appellati erant populus Dei, vt amplissimi, & illustres fierent per miracula pro ipsis edita: quandoquidem cura erga illos habita horum Deum prædicauit, audientesque diuinę cognitionis lumine illustrauit.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.

Post enim adulterij calumniam in vincula coniectus est, & actutum vt verisimile est, ferreo vinculo ipsi circundederunt. Hoc igitur Symmachus sic dixit, In ferrum pertransijt anima, eius videlicet, ad cædẽ vsq; periclitatus est.

Donec veniret verbum domini, eloquium domini inflammauit eum.

Porrò hæc omnia perpessus est more auri probatus, non vt Deus omnium conditor virtutis Iosephi aliquid adulterinũ nosceret, illè inquam, qui nouit omnia, priusquam ipsa fiant, sed vt alijs hominibus philosophiam ostenderet, veritatisque exemplar proponeret.

Misit rex, & soluit eum Princeps populorum, & dimisit eum, cõstituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.

Et vtilitatem dispensationis ostendens, infert.

Vt erudiret Principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.

Insignis enim per somniorum interpretationes Regi factus, & potestatem consecutus, in diuinam cognitionem alios deducebat, non verbis solùm vtens, sed etiam operibus in ipsam pietatem trahebat.

Et intrauit Israël in Aegyptum, & Iacob incola fuit in terra Cham.

Hæc inquit, occasio fuit Patriarchæ, vt in Aegyptũ peregrè iret. Terram verò Cham, Aegyptum nominat. Quoniam Mesrem filius secundus Cham fuit, Cham enim inquit, genuit *Gene. 10.*
Chas primigeniũ, & Mesrem fratrẽ eius. Chas autem Acthiopiam sacræ literæ nuncupant, & Mesrem, Aegyptum. Iacob, & Israẽlem eũdem

nominat, nam hoc quidem nomen ex parentibus traxit, & hoc Deus illi imposuit, declarans per hanc appellationem ipsum ei apparuisse.

Et auxit populum suum vehementer, & firmauit eum super inimicos eius.

Hoc & Exodi historia edocet, Quanto enim magis inquit, Aegyptij ipsos affligebant, tanto plures fiebant, terraque ipsos multiplicabat.

Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius.

Non quòd ipse Aegyptiorum mentem mutasset, sed quòd eorum libero arbitrio locum dedisset, corumq; insidias minimè prohibuisset, & vt eos, qui insidias patiebantur, superiores insidiantibus ostenderet.

Et dolos facerent in seruos eius.

Interdum quidem Aegyptij obstetricibus committebant, vt Hebræorum infantes occiderent, interdum verò, vt hos in flumen proijcerẽt, iubebãt. Veruntamen & hoc modo mortis machinationes Hebræorũ genus declinauit.

Misit Moisem seruum suum, & Aaron, quem elegit sibi ipsi, posuit eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.

Cùm enim ipsos artifices, & ministros libertatis suorum tribulium creasset, potentiam miracula edendi ipsis commisit.

Misit tenebras, & obscurauit, quoniam exacerbauerunt sermones eius.

Non enim beati illi serui diuinis mandatis repugnãtes fuere, sed iussa exequebãtur, & longissimam noctem, & triduanam ipsis induxit, imò potius tenebras nocte obscuriores: quandoquidem nox licet Lunæ lumine careat, astrorum tamen splendore temperatur. Porrò Tenebras illas, sacræ literæ Palpabiles vocant.

Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.

Non enim solùm aquarum colorem, sed ipsam gustus qualitatem mutauit, vt omnia piscium genera corrumperentur.

Et dedit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipsorum.

Quoniam enim Hebræorum infantes in flumen proiecerunt; conuertit quidem in sanguinem aquam fluminis, vt in hoc cædem factam redargueret. Ranas verò illinc repentes scaturire fecit, instar necatorũ infantium in domos irruentes, & vsque ad ipsos regios thalamos progredientes.

Dixit, et venit Cynomia, et Cynifes in omnibus finibus eorum.

Exod. 8. Nam verba effectus consequebantur, & actutum Deo imperante, & Mose dicente, & Cynomia, & Cynifes terram implerunt, Aegyptios terminos minimè transeuntes: neque hominibus alijs perniciem hanc inferentes, sed Dei hostibus castigationem infligentes. hoc enim indicat, In omnibus finibus eorum, videlicet, extra Aegyptiorum terminos nihil tale factum erat cernere.

Posuit pluuias eorum grandini, ignem comburentem in terram ipsorũ, et percussit vineas eorum, et ficus eorum, et contriuit ligna finium eorum.

Nam nubes quidem vitatos partus commutarunt, & pro imbribus grandines pepererunt: fulmina autem cœlestesq; flammæ simul grandine ferebantur, licet contrarię naturę inuicem essent, aqua, & ignis inuicẽ minimè corrumpebantur, neque enim ignis congelatam aquam grandinis liquefaciebat, nec aqua flammam restinguebat, sed naturale certamen deponentes; cõiuratam pœnam Aegyptijs irrogabant, illorumq; feritatem redarguebant: quòd cùm hominines essent, minimè naturam verebantur, sed eos, qui eiusdem naturæ, cuius & ipsi erant, seruire acerbè cogebant. Idcirco & vineæ, & ficus eorum, aliaque arborum genera funditus ab ipsis corrumpebantur.

Dixit, & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus, & comedit omne fœnum in terra eorum.

Per grandinem quidem, & ignem, arbores perdidit: per locustam verò, & bruchum paludes, prata, segetes: non enim tãtùm fructus, sed etiam eorum herbam consumpsit.

Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorum.

Hanc extremam plagam Aegyptijs incussit, postquam fecit, vt Iudæi festinanter exirent: omnis domus querimonijs, & vlulatibus plena erat, cùm omnes filij primigenij mortem obirent. Nam cõtra eos, qui charissimi erant, suam iram exercuit, acerbioribus iaculis feriens eos, qui nihil doloris ob priores calamitates ostendebant.

Et eduxit eos cum argento et auro.

Quoniam enim Aegyptij, vt Hebræi res suas proprias acciperent, minimè permittebant, præter res suas proprias, Aegyptiorum opes acceperunt, veluti quandam acerbæ seruitutis mercedem, aurum & argentum reportarunt. non enim iniustè hoc facere Deus præcepit, sed vt iniuria afficientes plecteret, & iniuria affectos consolaretur.

Et non erat in Tribubus eorum infirmus.

Non enim plagarum Aegyptijs incussarum participes fuerunt.

Lætata est Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor supra eos.

Porrò sic huiusmodi vniuersi generis supplicijs exterriti fuerũt, vt Hebræorum libertatem commune beneficium ducerent.

Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem vt luceret eis per noctem.

Ipsa enim nubes interdiu ipsis vmbraculum fuit, molestiamque Solis radiorum prohibebat: nocte verò ignita luminis commodum suppeditabat.

Petierunt, et venit coturnix, et pane cœli saturauit eos.

Quoniam enim carnes concupiuerunt, inopinatam auium venationem ipsis præbuit, illisque, qui panis indigebant, suppeditauit per nubem non alium cibum, quàm illum è cœlo præbitum.

Dirupit petram, et fluxerunt aquæ, et abierunt in siccoflumina.

Eorum etiam sitim curauit inauditis partubus saxi: quandoquidem in arida terra, & humore priuata vt flumina scaturirẽt, imperauit.

Flumi-

Flumina autem vocat aquarum lapidis riuos, quæ illis largitæ fuere.

Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Habraham puerum suum, et adduxit populũ suum in exultatione, et electos suos in lætitia.

Cęterùm hæc omnia illis impertijt, promissa ab eo Habrahæ facta perficiens.

Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt.

Non modò enim ab Aegyptiaca seruitute liberos fecit, sed etiam Chananæorum ipsis largitus est terram, alienorumq; laborum dominos fecit, in illos iustè animaduertens, & suas pollicitationes confirmans. quòd autem non iniustè eos, qui primùm Palæstinam incolebant, exegit; docet quidem & per ea, quæ Iudæis imposuit, cùm præceperit, vt imitationem vitæ illorum fugerent. edocet etiam cùm promissiones Habrahæ fecerit, cur non actutũ imperium
Gene. 15. illius terrę dederit, sed diu diuersari fuit. Nondum enim inquit, impletæ sunt iniquitates Amorræorũ vsq; in hodiernum diem, videlicet nondum extrema pernicie digna patrare ausi sunt, & minimè iustũ erat ipsis pœnam irrogare, neque maioris peccati præscientia, supplicij sententiam pronunciare, verùm rerũ finem expectare: mensura enim vtor, & statera moderor, & nihil est, quod non apud me libratũ sit, propterea quadraginta annorũ periodum expecto. sic & illos exegit, & his promissiones persoluit.

Vt custodiant iustificationes eius, et legem eius requirant.

Largitus est quippe ipsis ait, terram, quam promiserat, cùm eis legem dedisset, cumq; vt secundum hanc legem vitam degerent, præcepisset.

Psalmi CV. Interpretatio.

Halleluia.

In centesimo quarto psalmo diuinum oraculum diuina persecutus est narrando beneficia: in hoc verò & beneficia commemorat, & eorum ingratum animum, qui beneficia consecuti sunt, insimulat, & pœnas ipsis variè irrogatas docet. Formatus est autem tanquam ex persona hominum magis piorum, communes deplorantiũ calamitates, & vt indulgentiam consequantur obsecrantium.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Et propter pristina beneficia dominum celebrate, & meliores spes cõcipite: bonus enim, & benignus est dominus, misericordiaque semper vtitur. Deinde edocet, quàm humanam naturam transcendit diuinorum miraculorum narratio.

Quis loquetur potentias domini? auditas faciet omnes laudationes eius?

Nullus sermo satis est ad Deum vniuersitatis laudandum.

Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.

Peccati agnitionẽ virtutis beatificatio subsequitur. qui enim pro peccato pœnas luit; felices existimat illos, qui peccati expertes sunt, quique suam vitam ex iustitiæ præscripto instituunt. felicem verò arbitratur non eum, qui semel iustitia vsus est, sed qui semper, & perpetuò virtutis vestigijs insistit.

Memento nostri domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo.

Hoc in loco nouum populum tacitè innuit, ecclesiamque ex gentibus conflatam, quam salute dignam fecit, cuius aliquam communicationem subripere Iudæorum populus docetur. concinunt huic sententiæ & ea, quæ sequuntur.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt laideris cum hæreditate tua.

Obsecramus inquit, vt nouæ tuæ gentis lætitiæ participes simus, vtq; illius bonitatis, quæ illis donata fuit, compotes fiamus.

Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

Veluti enim hæreditatem quandam ait à parentibus, tuarum legum trãsgressionem accepimus. Parentes sanè vocat, non sanctos Patriarchas, sed eos, qui post illos fuere. hoc nanque per sequentia declarauit.

Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, & non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

Tot tantisq; enim in Aegypto miraculis editis, tuam potentiam intelligere noluerunt.

Irritauerunt ascendentes in mari, mari rubro.

Cùm enim Aegyptios persequentes vidissent, mare fugam inhibens; tuam opem præstolari noluerunt, sed magno Mosi obstrepebant, dicentes, Ne essent monumenta in Aegypto, e- Num. 14.
duxisti nos, vt necares nos in solitudine hac. verùm licet ingrati postea fuerint, tamen salute eos dignatus es. hoc enim subdit.

Et saluauit eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam, & increpuit mare rubrum & exiccatum est, & deduxit eos in abyssis, sicut in deserto, & saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici.

Nam cùm verbo maris fundum aperuisset; immensam illam abyssum ipsis veluti solitudinem vt equitari posset, fecit. Quoniam enim in solitudinibus multa facilitas currentibus est, cùm non sint arbores, neque sepes prohibentes; transitus facilitatem solitudinis comparatione indicauit.

Operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit.

Omnes nanque Aegyptios summersit, & ipsum mare Hebręis quidem salutem, Aegyptijs verò supplicium attulit.

Et crediderũt verbis eius, & laudauerunt laudem eius.

Nam virorum laudantium Moses dux fuit: Mulierum verò chori Maria sanctissima vates, Exod. 15.
& hoc canticum in acta relatum est.

Citò fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius, & concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deũ in inaquoso.

Nam tot, & talia habentes pignora diuinæ

potentiæ,necessarium vsum accipere minimè postularunt, neque diuinum expectarunt donum, sed actutum conuitijs in diuinos seruos vsi sunt.

Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum.

Petitionem, Concupiscentiam vocauit: quandoquidem non petierunt, sed oblocuti sunt, & dedit tamen ipsis & carnis affluentiam,& panem minimè manibus factum,& aquam dulcissimam,& copiosissimam.

Et irritauerunt Moisem in castris, Aaron sanctum domini.

Num. 16. Core quidem, & eius Tribus sacerdotium subripere conati sunt. Dathan & Abiron aliam excogitarunt tyrannidem.

Aperta est terra,& deglutiuit Dathan,& operuit super cõgregationem Abiron, & exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.

Ibidem. Dathan quidem, & Abiron cum tota familia absorpti sunt: Core verò, & qui cum illo erant, ab igne è cœlo misso combusti sunt. hæc autem supplicia Deus inflixit, alios sapere cogens, sed nihil emolumenti hinc percipere voluerunt.& hoc declarat narratio earum rerum, quas committere ausi sunt.

Et fecerunt vitulum in Oreb.

Non temerè de monte mentionem fecit, sed vt impietatis hyperbolen doceret: quandoquidem dominus vniuersitatis in monte illo apparuit.in hoc inquam monte timore ipsos impleuit, cùm apparuerat cum maximo igne, tubis vtens,& strepitu, & tonitruis, & post hunc terrorem legem afferens: in hoc igitur monte impietatem patrare ausi sunt.

Et adorauerunt sculptile.

Et hoc alius dementiæ est criminatio. quod enim per humanam artem formam accepisse videbant, huic diuinum honorem afferebant.

Et mutauerunt gloriam eius in similitudinem vituli comedentis fœnum.

Congruenter admodum illorum dementiam tragico more deplorat. Nam pro illo,qui talia edidit miracula, & inopinatam illam dedit salutem, & qui tot, & talia facere potest, vituli simulacrum honorauerũt, cuius exemplar cibi indiget, sed vituli cibus non est panis, qui ijs,qui rationis compotes sunt,affertur,sed herba, & fœnum, & eius natura rationis expers est, & fœnum est cibus, & seruitus hominibus data est. imago multo vilior est,nõ modò enim rationis est expers, verùm etiam inanima est, nec mugire, nec comedere potens, sed tamen hanc imbecillem imaginem Deo rerum omnium conditori prætulerunt.

Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto,mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

Nec enim suæ salutis meminerunt, neq; Aegyptiorum supplicij, neq; magni miraculi maris,sed omnia repente expuerunt.

Et dixit vt disperderet eos, Si non Moises electus eius stetisset,in confractione in conspectu eius,vt auerteret iram eius,ne disperderet eos.

Exod. 32. Nam Deus cùm dixisset, Sine me, & iratus ira, delebo eos, & faciam te in gentem magnã, dixit beatus Moses, Aut remitte eis hoc peccatum,aut si non vis,dele me de libro tuo, quem scripsisti.

Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem,non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis, & non exaudierunt vocem domini.

Aliam perfidiam commemorat. Nam cùm Deus præcepisset,vt promissam ingrederentur terram;timiditatis vitio laborantes, planè procrastinarunt, Chananæos quidem generosos esse asserentes, se ipsos verò idoneam potentiam minimè habere, quæ cum illorum potentia conferatur: hoc sanè perspicuum est argumentum perfidiæ.nam illos,qui tot,tantorumque miraculorum spectatores fuere, omnipotentiæ eius,qui ipsis salutem largitus est,fidere par erat.

Et leuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto,& vt deijceret semen eorum in nationibus, & disperderet eos in regionibus.

Porrò pœnam perfidiæ respondentem irrogare voluit, & omnes eodem tempore morte mulctare. veruntamen vsitata benignitate vtẽs; aliqua ex parte animaduersionem intulit.

Et initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum, & irritauerunt eum in adinuentionibus suis.

Cùm in intemperantiam rursus prolapsi essent, mulieribusque Moabitarum permisti essent,illorum impietatem didicerunt. Beelphegor autem, est simulachrum ab illis cultum: & Phegor quidem simulachri locus vocabatur, Beel verò est Idolũ.hoc sanè dicunt,Saturnum linguâ Græca nũcupari. Verùm sacrificia mortuorũ,à Græcis Inferiæ appellantur,quas mortuis afferre solebant. sed si aliquis ipsos Deos, mortuos vocaret,nequaquam aberraret.

Et multiplicata est in eis ruina.

Nam rursus aliam mortem ipsis induxit.

Et stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei ad iustitiam in generationẽ, & generationem vsque in sempiternum.

Quassationem, Symmachus plagam dixit. Cæterùm hoc historia edocet, Cùm Zambrim Num. 25. cum quadam Madianitide rem habere voluisset, Phinees astu vsus, simul cum muliere eum confixit: huius amorem Deus amplexus ipsum quidem celebrauit,pœnam verò inflictam alijs pronunciauit.

Irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius,& distinxit in labijs suis.

Nam cùm Moses sororẽ lugeret; multa cum Num. 20. temeritate necessarium vsum ab eo petierunt, ipse verò mœrore luctus perculsus,& horũ incontinentiam intuitus,ira & tristitia detentus, non cũ vsitata musica diuinũ mandatum ministrauit, sed cùm ambiguitatem quandam verbis miscuisset, saxum percussit, & aquam eduxit:hoc enim declarat,Et distinxit in labijs suis, scilicet,dubijs verbis vsus est. inquit enim, Dixit Moses ipsis, Num ex petra hac educã vobis Ibidem. aquam? Idcirco iratus vniuersorum Deus,non per ipsum terrã patribus promissam eis dedit, sed

sed vt ipse finem vitæ obiret, iussit, per Iesum verò Naue promissa perfecit. Et videtur quidẽ vniuersitatis moderator hanc pœnam ei inflixisse,sed alia moliens,hoc gessit. Nam primùm quidem Iudæorum insaniam sciens, non permisit per ipsum, vt tota promissio suum finem fortiretur, ne ipsum Mosem Deum esse suspicarentur: qui enim vituli imaginem Deum fecerunt,quem honorem non attulissent illi, qui tot miraculorum minister fuit? Propterea etiã eius sepulcrum occultauit. ideo legẽ ad tempus esse latam ostendere voluit,ab his, quæ legislatori acciderunt. si enim lator legis promissa terra perfrui non potuit; hinc facilè cognosci potest,neque ipsos hac cura diutius perfruituros esse. sic cùm ea,quę in solitudine acciderunt,narrasset; transgressionem in promissionis terra patratam redarguit.

Non disperdiderunt gentes, quas dixit dominus illis,& commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum,& seruierunt sculptilibus eorum,& factum est illis in scandalum.

Commercium enim inhibuit, ne impietatis participes essent, finem cum principio de medio tollens, & simul cum radice fructum delens,& minori malo peius reprimens. sed tamẽ isti cùm in hoc diuinam transgressi fuerint legem; neque impias trucidarunt gentes, neque communicationẽ cum ipsis fugerunt, sed prauam illorum vitam æmulati sunt.

Et immolauerunt filios suos, & filias suas Dæmonijs,& effuderunt sanguinem innocentem, sanguinẽ filiorum suorum,& filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaam, & infecta est terra in sanguinibus,& contaminata est in operibus eorũ.

Colophonem impietatis vltimum reliquit. quam enim impietatis hyperbolen missam facit is,qui sanguinibus filiorum,& filiarum terram inquinat, & Dæmonibus, qui sanguinem vorant horum sacrificia affert? nam Deo neque legitima afferebant, Idolis verò natorum etiã cædes.

Et fornicati sunt in adinuentionibus suis.

Fornicationem hoc in loco, non modò Intemperantiam,verùm etiam Idolorum cultum vocat. Quoniam enim Deo copulati, illorum cultum adamarunt; Dæmonum honorem meritò fornicationem appellauit.

Et iratus est furore dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam, & tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos, & tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum.

Hæc & Iudicum historia edocet, atq; etiam & Regum libri. Nam modò quidem Moabitis, modò verò Ammanitis,aliàs autem Amalachitis, & Medianæis, & alienigenis liberos prodidit, vtilitatem procurans.

Sæpe liberauit eos, ipsi autem exacerbauerunt eũ in consilio suo,humiliati sunt in iniquitatibus suis.

Infligens nanque pœnam, rursus benignitatem impertiebat, ipsi autem contraria rependebant.

Et vidit cùm tribularentur, & audiuit orationem eorum.

Hæc etiã historiæ edocent, ipsos Deum obsecrasse à necessitate impulsos,& cùm obsecrauerint,exauditos fuisse.

Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.

Ob enim promissiones Patriarchis factas, misericordiam suppeditauit. Pœnitentiam verò nuncupat, Pœnæ cessationem: quandoquidem Deus pœnitentię affectum non habet,neque modò hos, modò illos diligit, sed omnia sapienter moderans,& supplicia infligit,& benignitatem porrigit.

Et dedit eos in misericordias in conspectu omniũ, qui ceperant eos.

Sic Cyrum demulsit, in misericordiam deflexit,& vt captiuis libertatem daret,fecit.

Saluos nos fac domine Deus noster, & congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.

Et hæc ostendunt, diuinum oraculum ipsos docere, quomodo oporteat Deum placare, & opem ab ipso consequi. & diuinus Apostolus Ad Rom. 2 futuram Iudæorum salutem per Eliam Thesbiten asserit, Veniet enim ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem ab Iacob,& hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorum. non igitur ædificationem Hierosolymæ operiri oportet, secundum fabulas stultorum hominum, & cultum secundum legem, & sacrificia ratione carentia, & circumcisionem, & sabbatum, & vmbratiles illas aspersiones post sanctũ baptisma. Hæc nanque omnia anicularũ ebriosarum sunt deliramenta: sed vocationem & veritatis cognitionẽ,& fidem in dominum Christum,& noui testamenti statum.

Benedictus dominus Deus Israël à seculo, & vsque in seculum,& dicet omnis populus, Fiat, fiat.

Laudabilis enim in omnib⁹ dominus rerum omnium conditor sit, qui Israëlis Deus vocatur, qui ob hominũ salutem talia molitus est. Decet sanè omnem populum laudantium voci,Amen afferre: quandoquidem Fiat, fiat Hebræus,Amen,& Amen vocat. Vnde etiam consuetudo in ecclesijs permansit,vt precationem sacerdotis populus per verbum Amen comprobet:& sic ipsam communi consensu, atque benedictione confirmet.

Psalmi CVI. Interpretatio.

Sepius ostendimus,vmbram noui testamenti,esse vetus,nihilominus ex hoc præsenti psalmo id disci potest: quandoquidem Iudæorum libertatem psalmus præcinit,& omnium hominum salutem prædicit: multã verò consequentiam cum præcedentibus habet. Centesimus enim quartus promissiones à Deo Patriarchis factas continet, & dona illorum posteris præbita,& ille,qui pòst sequitur,Iudæorum ingratum animum erga beneficia docuit, pœnasq; irrogatas ipsis ob illud ingrati animi vitium. Hic autem seruitutis libertatem ob inexplicabilem Dei benignitatem ipsis concessam vaticinatur, quoniam & in illis res nostræ adumbratæ sunt: cernimus quippe in psalmo nostræ

salutis vaticinationes, imò magna ex parte nobis, quàm illis vaticinatio consonat.

Confiteamini domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Rursus sermo diuinus, vt nos Deum beneficij auctorem laudemus hortatur, causam verò symphoniæ benignitatem esse dicit.

Dicant qui redempti sunt à domino, quos redemit de manu inimici.

Et Iudæos à Babyloniorum seruitute liberatos hymnos canere oportebat, & nos hoc facere semper conuenit, qui à Diaboli tyrannide liberati sumus.

Et de regionibus congregauit eos, à solis ortu, et occasu, ab Aquilone, et mari.

Hoc Iudæis ita euenit. per totum enim terrarum orbem dissipati, vitam ducunt. Ecclesiam verò gentium in omnibus orbis partibus, & Eois, & Hesperijs, Australibus, & Aquilonaribus vocauit, & conflauit. & huiusmodi conuentus vbique terrarũ, & maris videri possunt. In Iudæis tamen obscurè hoc factum fuit, cùm nonnulli è Babylone reuersi essent, pauci verò quidam per id temporis ex Aegypto, & ex finitimis gentibus collecti fuissent.

Errauerunt in deserto, et in inaquoso.

Et Babylon erat deserta, & sine aqua: deserta enim Deo & spiritus irrigatione erat: populus quidem Iudæorum seruiens, illa priuatus erat. Et illi, qui ex gentibus crediderunt, similiter in solitudine, & in terra sine aqua vitam degebant, cùm spem minimè haberent, cumq; impij essent, vt inquit diuinus Apostolus.

Viam Ciuitatis habitaculi non inuenerunt.

Nec enim Iudæi eos, à quibus captiui facti sunt, declinare potuerunt, neque ij, qui ex gentibus crediderunt ante Saluatoris humanitatẽ, viam in diuinam ciuitatem ducentem inuenerunt. Ciuitas hic intelligenda est, Pius status.

Esurientes, et sitientes, anima eorum in ipsis defecit.

Diuinæ doctrinæ fames, & hos, & illos premebat. Iudæi nanque Babylone seruientes, & sacerdotibus orbati erant, & cultum secundũ legem perficere minimè poterant. Cæterùm gentes neque diuinam acceperunt legem, neque spiritus doctrinis perfruebantur, per quas animæ nutriri solẽt. hanc igitur famem Iudæis
Abacuc. 1. Deus minitatus est, Inducam enim ait, famem super terram non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei.

Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos.

Iudæorum quidem religiosissimi Deo preces attulerunt, & hoc Danielis vaticinatio nos
Dani. 2. edocet: etenim ipse, & Ananias, & Azarias, & Misael pro omnibus peccantibus, diuinam efflagitarunt misericordiam, & gentes vniuersi generis calamitatibus colluctantes, ingemiscebant, & eiulatibus, fletibusq; inconsolabilibus vtebantur, resurrectionis spes non habentes, solutionem malorum à quibus detinebantur ex vniuersitatis Deo non expetebant, vidit tamen eos lugentes benignus Deus, & misericordiam porrexit.

Et deduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis.

Iudæis nanque per Cyrum Persen reditum donauit, gentes verò per sanctissimos Apostolos deduxit, superamq; ciuitatem ostendit, quæ fundamenta in montibus sanctis habet, cuius artifex, & opifex est Deus.

Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.

Symmachus autem sic, Et prodigia eius erga filios hominum edita. Hymnum igitur de gratiarum actione misericordia Deo non attulit, nec etiã mirabilia, sed ij, qui talibus bonis perfructi sunt. admirabilis quidem, & admiratione digna Iudæorum libertas fuit, sed longè admirabilior, & omni admiratione dignior orbis salus, & mutatio in melius, errorisq; cessatio, atque veritatis cognitio. horum autẽ omnium diuina misericordia conciliatrix fuit. Nõ enim propter iustitias nostras, quas fecimus, vt ait di-
Ad Tit. 3. uinus Apostolus, sed secundum multam suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundè.

Quoniam satiauit animam inanem, & animam esurientem impleuit bonis, sedentes in tenebris, & vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro.

Et Iudæos seruituti, & ærumnæ obnoxios, & fame absumptos à malis, à quibus detinebantur, liberauit, totamq; hominum naturam diuinis doctrinis aluit, & cùm ab ignorantiæ caligine liberasset, lumine diuinæ cognitionis illustrauit, & imminentem mortis vmbram discussit, cùm resurrectionis spem largitus esset, & indissolubilia peccati vincula confregit. Vnusquisque enim inquit, suorum peccatorum Esa. 5. catenis stringitur: & væ illis, qui sua peccata veluti lõgo funiculo sibi ipsis ascisc unt, & tanquam loro iugi iuuencæ iniquitates suas.

Qui exacerbauerunt eloquia Dei, & consilium altissimi irritauerunt: & humiliatum est in laboribus cor eorum, & infirmati sunt, nec fuit, qui adiuuaret.

Harum autem omnium rerum tristium Iudæis, atque etiam omnibus hominibus peccatum causa fuit. nam illi pœnas pendentes, Babyloniorum seruituti traditi fuere, & omnes homines post præcepti transgressionem laborum miserijs obnoxij fuerunt. post hæc enim audiuit Adã, Maledicta terra in operibus tuis, Genes. 3. spinas, & tribulos germinabit tibi, in doloribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quoniam terra es, & in terram reuerteris. Talibus calamitatibus cincti, solutionem nullam imminentium malorum inuenerunt, sed ille, qui hisce malis hos addixit, ipse inquam liberationem ab his largitus est.

Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos, & eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit.

Miseratus nanque hos, & illos, hos quidem ab impendentibus calamitatibus, hos verò ab igno-

ignorantiæ tenebris liberauit, seruitutisq; vincula perfregit.

Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum, quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Portas æreas, & Vectes ferreos, Ineluctabilia mala nuncupauit. Sicut enim non potest fieri, vt is, qui intra tales ianuas, & vectes detentus est, effugiat: sic vt Iudæi Babyloniorũ subterfugerent seruitutẽ, omnesq; homines mortis imperium, minimè fieri poterat. sola autem diuina misericordia & illorum, & huius potentiam euertere potuit, solutionemq; à rebus tristibus gratificari.

Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter iniustitias enim suas humiliati sunt.

Nec Iudæi, nec tota hominum natura iniustè in mala incidit, sed & isti, & illi pœnas eorum, quæ patrare ausi sunt luunt. Verũtamen & hos, & illos talibus malis implicatos, salute dignatus est.

Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.

Nam Iudæi quidem tantis miserijs cooperti, etiam cibum ipsum auersabantur. hoc enim & in alio psalmo, veluti ex illorum persona Vates dixit, Quoniam oblitus sum comedere pa-
Esai. 101. nem meum. sed gentes nec suorũ philosophorum doctrinas attendere volebant: propterea hi quidem Socratem ad mortem condemnarunt, alij verò Anaxarchũ inusitata morte mulctarunt, alij autem cùm Pythagoræ discipulos acerbè cruciassent, immaturam mortem illis inflixerunt. veruntamen & his vniuersorum Deus immortalem cibum impertijt, & cum omni animi promptitudine ad hunc accurrere persuasit, & à mortis ianuis vindicauit.

Et clamarunt ad dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.

Deinde salutis modum docet.

Misit verbum suum & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.

Nam cùm Deus verbum humanitatem accepisset, cumque vt homo missus esset; (vt enim Deus incircumscriptus, & vbique adest, omniaque continet) vniuersa animarum vulnera sanauit, mentesq; corruptas curauit. sic mulierẽ
Matth. 15. illam peccatricem sanam fecit, & vt bono animo esset, præcepit. Sic Paralyticum consolida-
Luc. 5. uit, cùm dixisset, Dimittuntur tibi peccata tua.
Luc. 23. sic latroni paradisum reserauit. sic publicanos præceptores orbis reddidit. sic ad sanctum baptisma accedentes, renouat, & expiat, à vulneribusq; peccati liberat.

Confiteantur domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum, & sacrificent ei sacrificium laudis, et annuncient opera eius in exultatione.

Pro hisce omnibus, iustum est ait, laudibus prosequi benignum Deum, qui tali misericordia vsus est, inopinatamq; salutẽ nobis est elargitus. Oportet autem non sola miracula scire, sed nescios docere, omnesq; in diuinas laudes accendere. notandum est igitur vt sacrificium laudis Deo afferamus hic admonuisse, & nequaquã hostias animalium ratione carentium. Quapropter hoc in loco cultum secundum legem eijcit. Sacrificium verò laudis, Aquila, Sacrificium Eucharistiæ appellauit.

Qui descendunt in mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis: ipsi viderunt opera domini, et mirabilia eius in profundo.

Per similitudinem Vates hæc posuit, dicit autem hoc, Quemadmodum hi, qui nauigant, & magna secant maria, potissimùm diuina miracula cernunt, in graues tempestates incidentes, & præter omnem humanam spem salutem consequentes, sic & Iudæi cùm in calamitates illas incurrissent, & libertatem recepissent, diuinam didicerunt potentiam, atque etiam omnes homines nouam rerum vicissitudinem conspicientes, & pristini erroris cessationem, animarumq; tranquillitatem, demumq; resurrectionis portum, horum largitorem admirantur.

Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus eius: Ascendunt vsque ad cœlos, et descendunt vsque ad Abyssos.

Per hęc quidem docuit, ipso annuente, & tristia fieri, & postea iucunda succedere.

Anima eorum in malis tabescat. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrij, et omnis sapientia eorum deuorata est.

Perstat in similitudine, & videtur quidem de nauigantibus dicere. Cæterùm per hæc tacitè innuit, vniuersas naturæ calamitates, quas nemo humana sapientia vsus soluere potest: quandoquidem nec nauium gubernatores huc & illuc ebriorum instar agitati, cùm adest tempestas, omnem adhibentes artem, mala superare possunt.

Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos, et statuit procellam eius in auram, et siluerunt fluctus eius, et lætati sunt, quia siluerunt.

Porrò illis nauigantibus, & ipsum implorantibus, suam opem affert, & actutum annuit, in mansuetam auram procellam conuertit, & pelagus à fluctibus liberatur, & qui cum tristibus rebus colluctabantur, per eius gratiam malorum mutationem nacti sunt. sic Iudæi ab acerba illa seruitute liberati fuere.

Et deduxit eos in portum voluntatis suæ.

Simulac enim voluit, malorum solutio facta est, & pro tempestate, portus apparuit. & hoc potius nobis quàm illis congruens est: in voluntatis nanque suę portum nos deduxit, diuinam suam cognitionem largitus.

Confiteantur domino misericordiæ eius, et mirabilia eius filijs hominum, et exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.

Et hoc à gentibus, quæ crediderunt, continuè perfectũ esse videri potest. In cunctis enim orbis terrarum ecclesijs, sacro sedente cœtu, omnis populus beneficij auctorem laudat, diuinæ benignitatis miracula narrantes.

Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.

Hi autem, qui salutem consecuti sunt, ipsum celebrant, inopinatam intuentes mutationem.

qui

qui enim olim sacrorum Vatum fluminibus irrigati erant, tempestiuumq; fructum Deo afferebant; nunc ne perexiguo quidem imbre perfruuntur, sed ob propriam prauitatem pristina irrigatione penitus destituti sunt.

Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitu aquarum.

Gentes quippe, quæ olim desertæ erãt, quæque ne perexiguam quidem stillam habebant; doctrinæ fluminibus irrigantur, vtpote quæ in suum commodum irrigationes rationis compotes recipiunt.

Et collocauit illic esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis.

Eos nanque, qui olim fame laborabant, cœlestisque cibi indigentes erant; in illis fluminibus habitare fecit, & piam conflauit Rempublicam.

Et seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis.

Et hæc omnia Vates per translationẽ dixit. & dominus huiusmodi comparationibus vsus
Ioan.4. & 15. est, & aliquando quidem Apostolos messores vocauit, aliquando verò se ipsum satorem, & agricolam, & terram bonam eos, qui facilè in se ipsos verbi semina admittunt. Et Apostolus
1. Cor. 3. inquit, Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. & rursus, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. seminarunt igitur Apostoli salutaria præconia, hortosq; rationis compotes Deo conseuerunt, & tempestiuum iustitiæ fructum Deo attulere, & omnes post illos, quibus doctrina commissa est, hoc idem faciunt.

Et benedixit eis, & multiplicata sunt nimis, & iumenta eorum non minorauit.

2. Cor. 9. Qui enim seminat in benedictionibus, & in benedictionibus metet, secundum diuinum Apostolum. Iumenta quippe vocat eos, qui ab eis pasti sunt; quos ipse auxit, cùm virtutem edendi miracula eis suppeditasset, & testis est be-
Actu. 2. atus Lucas in Actibus dicens, Dominus autem adiungebat eos, qui salui fiunt quotidie Ecclesiæ. & ipse dominus oues credentes nuncu-
Ioan. 10. pat, Oues enim inquit, meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam dabo eis. Hinc rursus mala, quæ Iudæis euentura erant vaticinatur.

Et pauci facti sunt, & vexati sunt à tribulatione malorum, & dolore.

Hi igitur ait, qui olim solitudinem incolebant, & terram aridam, tot talesq; benedictionis, affluentiæque irrigationes consecuti sunt. Iudæi verò ob prauam eorum mentem hac priuati, & penitus steriles permanentes, in vniuersas calamitates inciderunt, & per totum terrarum orbem dissecti sunt, vt eorum metropolis hominum frequens à paucissimis habitata sit.

Effusa est contemptio super Principes eorum.

Euentus sanè prædictionem testantur: etenim qui videbantur eorum Principes, & præceptores, nullius momenti facti sunt, sed qui olim illustres, & amplissimi erant, penitus ignobiles sunt, & ab illis ipsis despiciuntur.

Et errare fecit eos in inuio, & non in via.

Symmachus autem sic explanauit, Et errare faciet eos in vanitate mentis. Deus nequaquam errorem inducit, sed errorem respuit: eos autem, qui minimè obtemperantes sunt, sine gubernaculo ire sinit, isti verò sine gubernaculo huc, & illuc vagantes errant. Hoc & Iudei perpessi sunt: nam diuina derelicta via, suas sequuntur cogitationes.

Et adiuuit pauperem de inopia.

Gentes nanque, quæ olim mendicæ erant, diuinam consecutæ sunt opem, spiritualibusque diuitijs potitæ sunt.

Et posuit sicut oues familias.

Aquila autem sic expositum, Et eripiet pauperem ex paupertate, & ponet vt gregrem cognationis. Tanquam enim de suis ouibus curã gerit, & tanquam de cognatis secundum carnem rationem habet, & gubernat.

Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.

Hæc nanque cernentes ij, qui rectis vtuntur cogitationibus, voluptate implentur, hi verò, qui impiè & iniquè viuere decreuerunt, in terram despicere & obmutescere cogentur, iusta sententia coerciti.

Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias domini?

Nam non cuiuslibet est intelligere, & dignoscere benignas Saluatoris dispensationes, neque cuiuslibet est diuina mandata custodire, sed illius, qui sapiẽtia, & prudentia vtitur, quiq; ad dominũ clamat, Aperi oculos meos, & con- Psal. 118.
siderabo mirabilia de lege tua.

Psalmi CVII. Interpretatio.

Canticum Psalmi Dauidi.

Et hic psalmus eodem modo & Iudæorum reditum vaticinatur, & gentium salutem prædicit. Cæterùm multam habet cognationem cum quinquagesimo sexto, & nono psalmo.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam in gloria mea.

Et iam suprà diximus Vatem suam vaticinationis gratiam, gloriam vocare, vaticinationis musica vtentem. Dico tibi domine me amplũ habere cor, & propensum ad diuinæ tuæ gratię susceptionem.

Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara, exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis domine, et psallam tibi in gentibus.

Psalterium, & Citharam se ipsum Vates nominat. Nam veluti in instrumento musico, sic in ipso spiritus gratia vaticinantem musicam pulsat. accẽdens igitur se ipsum in domini laudes, respondet rursus, & promittit hoc prima luce facere, quippe qui tunc temporis non ipse solus hymnum allaturus, sed cum infinitis gentibus, & populis diuinam symphoniam editurus est. *Diluculum* verò, nuncupat Dei, & Saluatoris nostri humanitatem: ex illo enim veritatis lux illuxit, ex illo inquam per totum terrarum orbem in omnium hominum linguis be-

atus

atus Dauid canit, diuinaq; beneficia laudibus celebrat.

Quia magna est super cœlos misericordia tua, et vsque ad nubes veritas tua.

Amplitudo tuæ misericordiæ cœlorum latitudinem superat, radij tuæ veritatis omnia penetrarunt. Cæterùm iam suprà diximus, Nubes Vates, & Apostolos, eosque qui docendi munus consecuti sunt, nuncupare. quandoquidem per hosce, veluti per quasdam nubes, spiritus irrigationem hominibus affert: per ipsos vera præcepta didicimus.

Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua.

Abac. 3. Hoc & beatus dixit Abacuc, Operuit cœlos virtus eius, & laudis eius plena est terra. Hoc & beatus Dauid in octauo inquit psalmo, Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Hoc igitur verbum Exaltare, pro Ostende te sublimem, & omnibus superiorem, & omnis terra tuam discat gloriam.

Vt liberentur dilecti tui, saluum fac dextera tua, & exaudi me.

Salus autem eorum, quos tua consuetudine dignatus es, omnibus hominibus potentiam declarat. Admitte igitur meas preces, tuamq; porrige dexteram. *Dexteram* verò, vocat Bonam actionem.

Deus locutus est in sancto suo.

Videlicet, per spiritus sancti gratiam.

Exaltabor, & diuidam Sichima, & conuallem tabernaculorum dimetiar.

Quod Vates efflagitauit, cõsecutus est. Quoniam dixit, Exaltare super cœlos Deus, & respondet inquiens, Exaltabor, deinde modum aperit, Diuidam Sichima. Hæc sanè est ciuitas, quæ Iosepho potissimùm data fuit. sed conuallis, quæ prius deserta erat, & in qua tuguria pastorum erant, habitatoribus implebo. & postquam reuersi fuerint, ipsis diuidam.

Meus est Galaad, & meus est Manasses, et Ephraim susceptio capitis mei, Iuda Rex meus.

Diligam enim non modò Manasses, sed etiã illius regionem. quandoquidẽ Galaad nomen est regionis. Manasses verò est nomen tribus. sed Ephraim pristinam potentiam reddam, & Iudam omnium Tribuum Regem faciam. Post enim reditum indiuiduę permanserunt tribus. Zorobabel autem harum, & illarum dux fuit, Sed propriè quidem, & verè dominus Christus ex Iuda secundum carnem ortus, toti imperat orbi.

Moab Lebes spei meæ, in Idumæam extendam calciamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt.

Porrò tale meo populo impertiam robur, vt alienigenas vincat, & Moabitas & Idumæos subditos habeat. accuratius quippe hæc in quinquagesimo nono psalmo explanauimus.

Quis deducet me in ciuitatem munitam, vel quis deducet me vsque in Idumæam? nõne tu dominus, qui repulisti nos?

Vates lætitia refertus ob bonorum prædictionem, conspicere desiderat vrbem ædificatam, quæ iam euersa erat, & Idumæos Iudæis seruientes: hæc autem inquit, nemo alius præstare potest, quàm tu solus, qui nunc nos repulisti, cùm seruire præceperis.

Non exibis Deus in virtutibus nostris.

Sed Symmachus sic exposuit, Et non præisti Deus in nostris exercitibus. quandoquidem nunquam expugnati sumus, te exercitum ducente, & Phalangis duce.

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

Comprime igitur molesta, tuum auxilium affer: ex nullo enim alio loco hoc cõsequi possumus. omne nanque hominum auxilium, te non adiuuante, vanum & inutile est.

In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum rediget inimicos nostros.

Propterea tuum imploramus auxiliũ: quandoquidem per hoc solum hostes superare poterimus.

Psalmi CVIII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi.

Salutarem crucem, Iudæorumq; furorem, & Iudę proditionem hic psalmus præcinit: deducit verò nos in hũc sensum, beatus Petrus concionem habens, Iudæq; proditionem insimulans, & hanc vaticinationem declarans. Cæterùm nemo audiens dominum ferentem legem, vt persequentibus benedicamus, vaticinationẽ repugnantem legislatori esse ducat: non enim hoc in loco diuinus sermo imprecando loquitur, sed futura Iudæis, & Iudæ supplicia prædicit. Hæc autem vaticinatio formatur tanquam precatio, vt plerunq; diuinæ scripturę mos est.

Deus laudem meam ne tacueris, quoniam os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.

Humano more hæc dominus Christus asserit: vt enim homo precatur, mensuram humanæ naturæ implens, vt autem Deus, precationem eorum, qui syncerè preces fundunt admittit. *Laudem* verò, Crucem vocat, etenim sacris in Euangelijs suam gloriam nominat, Ve-
Ioan. 12. nit enim ait hora, vt glorificetur filius hominis. Os quippe peccatoris, & os dolosi, Iudam appellauit: quandoquidem iste proditionis fœdera cum Iudæis occultè iniuit.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me.

A Iuda in totum Iudæorum cœtum sermonem transfert: hi enim inuidiæ seruientes, iniustam machinati sunt mortem.

Et expugnauerunt me gratis, pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi.

Non modò enim malo aliquo à me prouocati non sunt, sed etiam infinitis bonis lacessiti, quibus perfruiti sunt, pro quibus diligere me debentes, hostilia gesserunt.

Ego autem orabam.

Et hoc sacrorum Euangeliorum historia te- Luc. 23.
statur. Nã cruci affixus, clamabat, Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.

Et posuerunt aduersum me mala pro bonis, et odiũ pro dilectione mea.

Ego

Ego igitur ipsos beneficijs cumulaui, ipsi verò contraria mihi rependerunt.

Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris eius.

Constitue pro Constitues,& Stet,pro Stabit, dixit, & hoc perspicuè diuinus Euangelista edocuit: beatus enim Ioannes interrogabat, Ioan. 13. Quis esset proditor, dominus verò dixit, Cui intinctum panem porrexero,ille est,& cùm intinxisset ait, dedit Iudæ, & post bucellam, introiuit in eum Satanas, faciles ingressus inueniens: ipse enim sua sponte ad Iudæos accedens,proditionis pacta cum eis iniuit,& postea multis affectus beneficijs,ingratus perstitit:voluntariè igitur hostem contubernalem suscepit.

Cùm iudicatur,exeat condemnatus.

Pro,Exibit.

Et oratio eius fiat in peccatum.

Pro, Fiat. Omni nanque excusatione orbatus est proditor: idcirco cùm iudicatur, condemnatur,& precatio ab ipso allata, criminationem adauget. non enim beneficij auctorem ignorabat, sed etiam diuinis perfruitus est colloquijs,maximorumq; miraculorum non modò spectator ipse fuit, verùm etiá artifex, cùm ab ipso potestatem accepisset.

Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter.

Et hæc vaticinatio suum sortita est finẽ. ipse enim actutum per laqueum mortem perpessus Actu. 1. est,& Matthias loco illius ordinatus,Apostolorum impleuit numerum.

Fiant filij eius orphani,et uxor eius vidua,nutantes transferantur filij eius.

Hæc non Iudæ modò, verùm etiam omnibus perfidis Iudæis congruunt: paucis enim annis post crucem elapsis, totum eorum genus extorrefactum fuit,& hi quidem trucidati,horum verò mulieres cum filijs in seruitutem abductæ fuerunt. & hoc diuinum oraculum precatus est.

Et mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis.

Vel secundum alios,Exruinis suis. Incensis enim domibus, & ædificijs, vel ruderibus factis; ex habitatoribus alij cæsi,alij verò captiui abducti fuere.

Scrutetur fœnerator omnem substantiam suam.

Symmachus autem sic, Collidat exactor ea, quæ sunt ipsi. Exactores autem Romanorum Reges sunt, exigentes impositum tributum. hi verò totam Iudæorum diripuerunt substantiã, omnia diligenter scrutantes, vt & occulta inuenirent, & sibi vendicarent.

Diripiant alieni labores eius, vt non sit illi adiutor,nec sit, qui misereatur pupillis eius.

His verò perfectis,& rebus, quæ ad illos spectabant, hostibus diuisis,nemo eius adiutor erit, neque eorum liberi misericordia digni erunt.

Fiant nati eius in interitum in generatione vna deleatur nomen eius.

Nam nondum quadraginta annis elapsis Iudeorum populus extremam internecionẽ subiuit, & non amplius per se ipsos rempublicam administrant,neque proprios habent Reges, & Principes, neque celeberrimam illam metropolim, neque secundum legem cultum perficiunt,sed vana omnia illa sunt, & arca, & tabulæ,& Cherubinorum effigies, & propitiatoriũ, & candelabrum, & altare, & Pontificalis stola, & alia multa, quæ amplissima à Deo ei præbita fuerunt.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu domini, & peccatum matris eius non deleatur.

Paterna virtus sæpenumero etiam filijs peccantibus profuit, vt fides Habrahæ Iudæis, & Dauidis pietas Salomoni. Sed prauitas patrum filijs similibus pœnam adauget: quandoquidẽ ex nullo loco nulla misericordiæ occasio inuenitur. hoc igitur diuinus sermo inquit,Iudęi extremũ exitium perferentes, præter proprias impietates etiam ob memoriam paternorum malorũ maiori execratione digni videbuntur. Patres quippe suos vocat eos, qui in solitudine impiè egerunt, & eos qui tempore Iudicum, & Regum, & qui post è Babylone reditum iniquè vixerunt. Matrem verò ait Hierosolymam, in qua scelus parricidij in dominum Christum patrare ausi sunt. Hoc etiam dominus sacris in Euangelijs inquit, Vt veniat super generatio- Matth. 23. nem hanc omnis sanguis innocens, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occiderunt inter templum,& altare. Omniũ enim eodem tempore pœnas pendent.

Fiant contra dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum.

Omnes nanq; ait, impietates,quæ ab eis audacter commissæ sunt, semper Deus intuens; nulla misericordia eos dignabitur,sed internecione mulctabit. & hinc patet, non de solo Iuda, sed de omnibus infidelibus hæc percurrere: quandoquidem à singulari persona in multos orationem transfert: non enim dixit,Eius, sed Eorum.

Pro eo,quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem, & mendicum,& compunctum corde mortificare.

Hæc autem inquit,crudeliter, & ferinè patientur,cùm parricidium commiserint, cumque eum, qui omni moderatione,& mansuetudine vsus est, ad necem vsque insecuti fuerint. Et hæc verba Apostolus comprobat,& ipse dominus etiam. Apostolus exclamans inquit, Cùm 2. Cor. 8. esset dies,propter nos egenus factus est, vt illius inopia diuites essemus. Et rursus, Qui cùm Philip. 2. in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniit,formã serui accipiens. Et dominus inquit, Matth. 11. Discite à mẽ,quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animis vestris. Et alibi, Matth. 8. & Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Luc. 9. filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suum.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Hoc in loco manifestò modum optandi permutauit, & vaticinationis more vtraq; posuit.

Quoniam

Quoniam & maledictionem, quam adamarũt, accipient; & benedictione, quam accipere noluerunt,priuabuntur.

Et induit maledictionem, sicut vestimentum.

Nimirum vndique hac cinctus erit.

Et intrauit sicut aqua in interiora eius.

Non modò enim foris, verùm etiam intus circundãtur malis,& ab hisce aquæ instar circunfunduntur. Deinde quoniam aqua irrigat quidem corpus,& currit,& non habet firmum humorem;subdit.

Et tanquam oleum in ossibus eius.

Oleum enim diutius in corpore permanet. quod autem dicit, hoc est, malorum copia ingruet,quæ aquæ vehementiam,olei verò firmitatem imitabitur.

Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut zona, qua semper præcingitur.

Vndique inquit,prædictis malis, sicut vestimento operiatur,& veluti cingulo stringatur.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud dominum.

Alij verò, Qui contra steterunt, explanarunt.

Et qui loquuntur aduersus animam meam.

Hos vindemiabunt fructus ij, qui contra me scelus in se ipsos admiserunt, & proditor, qui hisce seruiuit. Quoniam enim Dei inimicum, legisq́ue transgressorem eum vocabant; meritò dixit, Qui detrahunt mihi apud dominum.

Et tu domine domine fac mecum propter nomen tuum,quia suauis est misericordia tua.

Et hæc dominus Christus humano more dixit: quandoquidem omnia, quæ ad humanitatem spectant,præter peccatum impleuit: genitus est enim secundum legem naturæ, nam ex muliere nasci,humanę naturæ est,sed ex virLuc. 2. gine,est supra naturam: pannis est inuolutus, & circuncisus fuit, nutrimentumque ex lacte acMatth. 4. Ioan. 19. Luc. 11. Luc. 22. & 24. cepit,& sacrificia attulit, ieiunauit, & esuriuit, sitiuit,& laborauit. similiter sacris in Euangelijs scriptum est, continuè ipsum orasse, & hoc in loco etiam humano more diuinum implorat auxilium.

Libera me quia egenus, & pauper sum, & cor meum conturbatum est intra me.

Et hoc ab ipso sacris in Euangelijs dictum inuenimus, cùm enim ad crucem accessurus esIoan. 12. set, dixit, Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater salua me ex hac hora,sed propterea veni in horam hanc.

Sicut vmbra cùm declinat ablatus sum, & excussus sum sicut locusta.

Per hæc mortem demonstrauit. instar enim vmbræ inquit, vergentis, & deficientis, finem obiui vitæ, sed etiam vt locustæ à ventis iactatæ,& huc,& illuc agitatę,vitam duxi,ciuitatem non habens, non castellum, non domum, sed modò quidẽ in hanc,modò verò in illam, aliàs autem in montes transiens, & in solitudinem currens.

Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum.

Non enim dissolutam,& delicatam duxit vitam,sed simplicem, & incultam, & squalidam, & testes sunt ei sacri Apostoli, quos eligere dignatus est, & panes hordeaci, quos afferebant, & spicæ, quas vellebant, manibusque terebant propter famem. Hanc sanè clausulam, Caro mea immutata est propter oleum, Symmachus sic explanauit, Et Caro mea immutata est ob vnctionem.

Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt me, & mouerunt capita sua.

Et hoc sortitum est finem, videntes eum in cruce, & mouentes capita sua, dicebant, Vah, Matth. 27. qui destruis templum hoc, & in tribus diebus excitas illud,descende nũc de cruce: alij autem dicebant, Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere.

Adiuua me domine Deus meus, saluum me fac propter misericordiam tuam, & sciant, quia manus tua hæc, & tu domine fecisti eam.

Discant inquit,nõ inuitum cruci tradidisse, sed tuæ dispensationis opus: Per meam enim crucem salutem omnibus largiri voluisti. Manum verò,Dei potentiam vocat.

Maledicent illi, & tu benedices.

Vsque in hodiernum diem Iudæi Saluatorem execrari pergunt,sed illis execrantibus,illustrius in dies præconium fit.

Qui insurgunt in me, confundantur, seruus autem tuus lætabitur.

Neq; hoc dictum in aliud argumentum psalmum accipere nos cogit. Audimus enim, & di- Philip. 2. uinum Paulum dicentem, quoniam se ipsum exinaniuit,formam serui accipiens. Et ipse per Esaiam exclamans inquit, Qui formauit me ex Esa. 49. vtero seruum sibi. & paulò pòst, Posui te in testamentum generis in lucem gentium, vt sis salus vsque ad extremum terræ. & in sacris Euangelijs sic inquit, Quemadmodum filius ho- Matth. 20. minis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Seruus igitur assumptæ naturæ est nomen, quoniam seruit illa. quomodo enim expugnabatur, cùm esset cum Deo verbo coniuncta? cumque rerum omnium imperium accepisset? sed vt ipsius naturæ proprietas ostenderetur. non dignitatem igitur nomen serui hoc in loco declarat, sed naturam.

Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua.

Rursus eos,qui detrahunt,Cæteri, Qui contra steterunt,interpretati sunt. Vaticinationem res testantur. qui enim in continuo dedecore sunt,hoc veluti indumento induuntur.

Confitebor domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.

Ecclesiæ caput dominus Christus vocatur, & corpus eius cœtus Ecclesiæ. proprium hymnum,huius Ecclesiæ hymnum appellat.

Quia astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam.

Hoc in quintodecimo psalmo dixit, Præuidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Diuina enim natura cùm indiuiduam copulam effecisset; aderat quidem humanę naturæ,

permittebat tamen, vt illa pateretur, cùm hominum salutem tractaret: quandoquidem facile erat ipsi, quam assumpsit naturam, immortalem reddere, verùm quia illa crux mundo salutaris futura erat; permisit, vt crucifigeretur, sed illam postea immortalitate donauit, atque ab interitu immunem reddidit. & ipse quidem è cruciatibus humanæ naturæ nullum sensit detrimentũ, sed illã sua gloria impleuit, & cum illa regnat, atque rebus omnibus dominatur. Quamdiu autem ipsam habuit morti obnoxiam; humano more sinebat omnia præter peccatum, & pati & loqui.

Psalmi CIX. Interpretatio.

Psalmus Dauidi.

Cùm in præcedenti psalmo prædixisset ea, quæ ad Christi crucẽ spectarent, prædicit nũc Saluatoris assumptionem, quæ post patibulum fuit. Meminit autem exordij huius psalmi diuinissimus Petrus in Actibus, dicit autem sic, *Act. 2.* Non enim Dauid ascẽdit in cœlos. dicit autem ipse, Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. & ipse dominus videns *Matth. 22.* Pharisæos alias de Christo opiniones habere; quæstionem huiusmodi ipsis proposuit, Quid vobis videtur de Christo? cuius est filius? Cùm autem illi dixissent, Dauidis; respondit, quomodo ergo Dauid in spiritu dominum ipsum vocat, dicens, Dixit dominus domino meo? Deinde argumentatur: si Dauid vocat ipsum in spiritu dominum, quomodo filius ipsius est? Hoc autem inquit, non inficiando, quin Christus filius esset Dauidis, sed adiungendo id, quod ignorabatur ei, quod in aperto erat. Christum nanque filium esse Dauidis, confitebantur etiam Pharisæi, sed eundem Dauidis esse dominum penitus ignorabãt. Adiungit igitur, quod deerat, sed rem manifestam minimè tollit, docens ipsum Christum & filium esse Dauidis secundum carnem, & eiusdem esse dominum, tanquam Deum, & creatorem. Sapienter ergo beatus Dauid diuinitatem Christi prædicat, & inquit.

Dixit dominus domino meo.

Si Dauid Rex, & pius Rex, qui vaticinandi gratia dignus effectus est, dominum suum vocat Christum, meritò non solùm est homo secundum Iudeorũ insaniam, sed etiam est Deus, quippe qui & opifex, & dominus Dauidis est. Cæterùm communio nominum eiusdem substantiæ eos esse ostendit, Dominus enim domino dicit, & non dominus creaturæ, neque dominus figmento.

Sede à dextris meis.

Magnum igitur est hoc, & nõ modò omnem humanam naturam excedit, verùm etiam totam vniuersitatem. atqui & hoc humano more dictum est, vt enim filius Deus sempiternum *Psal. 44.* habet imperium, Sedes enim tua inquit, Deus in seculum seculi: non enim post crucem, & cruciatus hoc honore vt Deus dignus effectus est, sed vt homo accepit, quod vt Deus habebat. neq; enim cùm humilis esset, sublimis effectus est, sed cùm sublimis esset, cumq; in forma Dei *Phil. 2.* esset, humiliauit semetipsum, formam serui accipiens. idcirco & euãgelista exclamat, Vnige- *Ioan. 1.* nitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et ipse dominus inquit, Ego in patre, & pater *Ioan. 14.* in me est. & alibi, Clarifica me tu pater clarita- *Ioan. 17.* te, quam habui, priusquam mundus fieret. vt homo igitur intelligit, Sede à dextris meis: nam vt Deus sempiternum habet imperium.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Inimici potissimùm est Diabolus, & huius ministri Dæmones, & qui suis diuinis præconijs resistunt, nimirum Iudæi, & Græci. Hæc autem particula *Donec*, non tempus significat, sed sacrarum literarum est idioma. sic enim & per Vatem inquit Deus, Ego sum, ego sum, & do- *Exod. 3.* nec senio confecti eritis, ego sum. patet quippe substantiam Dei minimine simul cũ hominum senectute terminari. Si enim de cœlis, & terra Vates inquit, ipsi peribunt, tu autem permane- *Psal. 101.* bis: & rursus, Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient; multò magis, licet homines senescãt, & moriantur, vniuersitatis creator permanet. hoc Apostolico illi dicto simile est, O- *1. Cor. 15.* portet enim ipsum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedes eius. nec sanè, hæc particula *Donec*, hoc in loco tempus indicat: quam enim haberet rationem adhuc aliquibus repugnantibus ipsum regnare, post autem omnium subiectionem regno priuari? Atqui Daniel Va- *Daniel. 7.* tes post ferarum internecionem ipsum inquit regnare in secula, & regni eius non fore finem. Quo modo autem, & sancti simul cum ipso regnant, vel cum quo simul regnant? cùm is, qui regnum promiserit, regnum deposuerit? Hæc igitur particula *Donec*, non tempus significat, sed secundum diuinæ scripturæ idioma iacet.

Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion.

Virga quidem ex Iesse est Bethleem, Egre- *Esa. 11.* dietur enim inquit, virga ex radice Iesse, & flos ex radice ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, & reliqua: hæc autem salutaris crucis virgę imperium declarat: per illam enim totam inimicorum aciem subegit, In Sione autem hæc fixa fuit.

Dominare in medio inimicorum tuorum.

Non enim secundis ventis diuinorum Euangeliorum præcones efferebantur, sed à Græcis & Barbaris obsessi, vndisq; impietatis circumcluſi; hostibus dominati sunt, plurimosq; conuerterunt, & veluti quosdam captiuos Regi abduxerunt, & vt huius seruitutem amplecterentur, fecerunt.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum.

Immortale habes imperium, potissimum autem hoc, in die Iudicij ostendis, in qua splendidos, & illustres sanctos reddes. Diem enim virtutis, Secundum Saluatoris vocauit aduentum, in quo veniet cum Angelis in gloria patris, tunc autem & Sancti sicut Sol resplendent, secũdum ipsius domini vocem.

Ex

Ex vtero ante Luciferum genui te.

Hoc in loco suæ diuinitatis magnificentiam aperuit. & cùm ei dominus dixisset, Sede à dextris meis, eiusdem substantiæ esse declarat, & eiusdem esse naturæ prædicat. Hoc enim Ante Luciferum, Ante tempus, & secula ipsum esse demonstrat. Hoc autem, Ex vtero, eiusdem esse substantiæ docet. Non enim aliunde ait, sed ex mea natura genitus es, nimirum ex ventre, qui per similitudinem intelligitur. vt enim ex vtero homines gignunt, & ea, quæ gignuntur, eandem habent naturam, quam & genitores; sic ex me genitus es, & genitoris in te ipso substantiam ostendis.

Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Accuratè hæc diuinus Apostolus interpre- *Ad Heb. 7.* tatus est in epistola ad Hebræos, & pontificatus *Gene. 14.* huius æternitatem ostẽdit: eò quòd Leuiticum sacerdotium non cum iureiurando promissiones acceperit, hoc autem iureiurando confirmatum sit, idcirco, Et nõ pœnitebit, apposuit. quoniam cùm multa sæpius vniuersitatis Deus dispensasset, hæc mutationibus obnoxia esse promisit, sic Iudæorum sacerdotium & fecit, & sedauit, sic regnum illud constituit, & euertit, sic Assyriorum, & Babyloniorum imperium vt esset permisit, & vt cessaret præcepit. Hoc igitur sacerdotium sempiternum esse volés, iurasse inquit, nequaquam fore, vt pœniteat. humano more hæc dixit: quandoquidem affectus expers est diuinitas, affectus est autem pœnitentia. Cæterùm Melchisedech non Iudæorum, sed gentium est sacerdos. sic & dominus Christus non pro Iudæis tantùm, sed pro omnibus hominibus semetipsum obtulit Deo. Exorditur autem sacerdotium in nocte, qua crucem subiit, cùm accepit panem, & gratias egit, fregit, & *Matth. 26.* dixit, Accipite, & comedite ex ipso, Hoc est corpus meum. Similiter & calicem cùm temperasset, dedit discipulis suis, dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Inuenimus autem Melchisedech sacerdotem, & Regem esse, (figura igitur erat veri sacerdotis, & Regis) & afferentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem, & vinum. Hæc enim Habrahę attulit, cùm proprij sacerdotij exemplar in lumbis patriarchæ secundum spiritum præuidisset. si igitur ex Dauide Christus secundum carnem ortus est, & Dauid ex Iuda, & pontificatum secũdum ordinem Melchisedech accepit Christus; Leuiticum sacerdotium cessauit, & in Iudę Tribum maioris sacerdotij benedictio trãsijt. Sacerdos autem nunc est Christus, qui ex Iuda secũdum carnem ortus est, non ipse aliquid offerens, sed vocatur caput eorum, qui offerũt: quandoquidem eius corpus Ecclesiam vocat, & propterea sacerdotio fungitur, vt homo, recipit autem ea, quæ offeruntur, vt Deus: offert verò ecclesia corporis eius, & sanguinis symbola, omne fermentum per primitias sanctificans.

Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges.

Repugnantes, & audaces Principes, & Reges in die Iudicij supplicijs mulctabit. Hoc autem, Dominus à dextris tuis, simile est illi, quod in quintodecimo psalmo dictũ est, Præuidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. etenim ibi humano more hoc dixit, & declarauit naturã, quæ in vnum coniuncta est, indiuiduam esse, & hic eodem tempore & diuina dicit, & humana. Hoc enim, Sedè à dextris meis, Humanę naturę congruens est. Hoc verò, Ex vtero ante Luciferum genui te, Diuinitatem declarat. & Tu es sacerdos in æternum, rursus tanquam ad hominem dictum est. similiter autem, Dominus à dextris meis, hoc est, indiuiduam habes diuinitatem, quæ in vnum coniuncta est.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.

Manifestius hoc in loco Iudicium declarauit, & illo die homines impios, vitijsque inquinatos se supplicijs traditurũ esse, & in præsenti vita sæpius multis castigationibus obnoxios fecit, suam potentiam nescios docens.

De torrente in via bibit.

Multa inquit, cùm humanitatem accepisset, humilitate vtetur, vt & aquis, quæ in via inueniuntur, sitim pelleret. Cæterùm vaticinatio videtur mihi sensum alium profundiorem habere. *Calicem*, Crucem solet nuncupare, Pater *Matth. 27.* enim inquit, si possibile est, vt transeat calix iste à me. *Torrentes* verò, Iudæos vocat, qui diuinam gratiam nacti sunt, non autem hac semper sunt perfruiti. Quemadmodum enim torrentes non perennem aquarum fluxum habẽt, sed ex imbribus, qui ex nubibus gignuntur, consistunt, sic Iudæi ad tempus legis gratiam habuerunt à sacris Prophetis, veluti à quibusdam nubibus suppeditatam. Postea verò æstate appe- *Ioan. 4.* tente secũdum domini vocem, (Leuate inquit oculos vestros, & respicite in regiones, quoniam albæ sunt ad messem) necessariò torrens priori aquarum copia destitutus, permanet & siccus, & omni humore priuatus: quoniam igitur Iudæi crucem machinati sunt, & calicem dominus passionem vocat; meritò Vates cùm hęc præuidisset, dixit, De torrente in via bibit. *Viam* quippe, Vitam appellat. hanc verò sententiam & sequentia testantur.

Propterea exaltabit caput.

Hoc sanè illi, quod ab Apostolo dictum est, *Philip. 2.* respondet, Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit ipsum. patet autem hoc humano more posuisse: nam vt Deus non cùm humilis esset, sublimis effectus est, sed cùm maximè sublimis esset, submisit seipsum: vt autem, homo. quod non habebat, accepit.

Psalmi CX. Interpretatio.

Halleluia.

Cùm Ammanitæ, & Moabitæ, & Idumæi plurimas copias conflassent; tribui Iudæ olim aliquando bellũ intulere: imperabat verò huic

Iosaphat, ex Dauide originem ducens, vir pietate probatus. hic cùm hostium multitudinem nouisset, cum toto populo ad Deũ accessit inexpugnabilem opem efflagitans, & protinus suæ petitionis compos factus fuit. Adhortatus est enim ipsos vniuersitatis Deus, vt contra hostes bono animo essent, tanquam ipso exercitum ducente. exorto igitur die hostes contra seipsos vltro citroq; commoti sunt, & seipsos vt inimicos necauerunt, vt nemo mortem illam declinaret. cùm hoc ex quadam specula Iudæorum exercitus conspiceret, veluti ad paratam prædam cucurrit, diripuit verò inimicos, & cum multa opum copia redijt, & vt Paralipomenon historia edocet, cum musicis instrumentis in diuinum templum ingressi sunt, victoriæ largitorem laudantes. hæc cùm Vates præuidisset, hunc conscripsit psalmum, veluti quendam hymnum à pio Iosaphat prolatum. hymni est etiam inscriptio: quandoquidem Alleluia, sicut iam explanauimus, Laudate dominum sonat. Significat enim Allelu, laudate, Ia, Dominum, vel eum, qui est.

Paralip. 20.

Confitebor tibi domine in toto corde meo.

Ex tota mente ò domine tibi laudes de gratiarum actione affero.

In consilio iustorum, & congregatione.

Non ego solus, sed etiam piorum cœtus vna mecum: illa enim tempestate ab Idolorum errore populus liberatus erat, cùm Rex omnes pietatem docuerit. *Consilium* igitur *Iustorum*, Piorum collegium appellat.

Magna opera domini.

Reuera enim admirabilia, admirationeque digna sunt, quæ ab eius potentia sunt effecta.

Exquisita in omnes voluntates eius.

Efficit enim quæcunque vult, vnumquodque verò eorum, quæ perfecta sunt, sapientia est refertum, & ab omnibus laudem sibi comparat.

Confessio, & magnificentia opus eius.

Omnia, quę ab ipso facta fuere, & opus, & gubernatio magnifica sunt, & naturam excedunt, & apud omnes homines laudibus digna sunt. *Confessionem* hoc in loco, Gratiarum actionem vocat.

Et iustitia eius manet in seculum seculi.

Nihil iniustum est eorum, quæ facta sunt, sed omnia iustitia prædita sunt, semper autem hac vtens, moderatur omnia.

Memoriam fecit mirabilium suorum.

Quoniam manifestò hostium internecionem fecit, & hoc idem maiorum tempore perfecit, modò quidem cùm Aegyptios obruerit, aliàs verò cùm Amalachitas confixerit, passis Mosis manibus, & cùm Chananæos & Gethæos, & alias gentes per Iesum Naue euertit, recordationem mirabilium, hostium pœnam vocauit, hoc est celeberrima illa miracula ab infidelibus falsa existimata, nouo edito miraculo, vera ostẽdisti, cùm admonuisses nos de ijs, quæ nostrorum maiorum tempestate fecisti.

Misericors, & miserator dominus, escam dedit timentibus se.

Escam, alij Interpretes, Prædam dixerunt, vera sunt vtraque: etenim veluti ad paratã prędam ad hostium diuitias cucurrerunt, satisque cibi hinc compararunt.

Memor erit in seculum testamenti sui.

Symmachus autem sic, Prædam dedit timentibus eum, recordãs sempiterni testamenti sui. promissionum enim, quæ patribus factæ fuere, perpetuam habet memoriam, & per illam nobis bona impertijt.

Virtutem operum suorum annunciabit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium.

Admodum expresse suam potentiam nobis ostendit, cùm hostium diuitias vobis largitus esset. non modò enim ab illorum damno nos liberauit, sed etiam eorum opes in nostras domos transtulit.

Opera manuum eius veritas, & Iudicium.

Non iniustè, sed admodũ iustè hęc fecit, cùm enim de nobis nulla in re conqueri possint, penitus nos euertere conati sunt: veram igitur & iustam in eos protulit sententiam.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in seculum seculi, facta in veritate, & æquitate.

Legem ferens Deus, suam beneuolẽtiam custodientibus suam legem spopõdit. hoc & hîc, inquit, de obseruantia mandatorum vera esse promissa, & qui hæc perficere decreuerunt, sua ope semper perfruũtur: etenim nos purè ipsum precati, hostibus superiores euasimus. hoc enim per ea, quæ sequuntur declarauit.

Redemptionem misit dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum.

Pollicitationes enim Dei non modò sunt verisimæ, sed in æternum permanent.

Sanctum, & terribile nomen eius.

Iis enim, qui credunt, sanctum & optatissimum est eius nomen, & effundẽs bonorum flumen, infideles verò, & vitijs affectos castigat, & plectit.

Initium sapientiæ est timor domini.

Oportet igitur ipsum timere, & cum timore quodam contremiscere, quandoquidem hoc est primum elementem diuinæ doctrinæ. *Sapientiam* enim, non rectè loquendi facultatem, sed diuinorum cognitionem vocat. ad tirones igitur timor spectat, ad perfectos verò amoris possessio.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

Ad perfectionem cognitio nequaquam satis est, sed contemplatio actione indiget: & conuenit eum, qui diuino intellectu dignus effectus est, cognitionem operibus ornare, & per hanc intellectus largitorem colere.

Laudatio eius manet in seculum seculi.

Congruenter admodum & hoc apposuit, edocens virtutis studiosum fructum hinc reportare: quandoquidem Deus licet nemo ipsum laudibus prosequi vellet, sempiternum, & perennem habet hymnum. Hunc igitur psalmum apud Hebræos per elementorum seriem conscriptum esse asserunt, & secundum literarum ordinem positum esse, & consequentem similiter iacere.

Psalmi

Psalmi CXI. Interpretatio.

Halleluia.

Inscriptio etiam hunc psalmum hymnum nuncupat, pietatis verò doctrinam volentibus affert.

Beatus vir, qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis.

Qui hac reuerentia præditus est, diuinoque timore indutus, omne eius auxilium in diuinorum oraculum executionem transfert, & cum omni animi alacritate hęc implere festinat. Deinde demonstrat talium seminum fructum.

Potens in terra erit semen eius.

Quoniam enim hominibus illius temporis hoc admodum desiderabile erat, hoc donum custodientibus mandata se daturum esse pollicetur: ideo per Habraham quidem dedit, Israëli; per Dauidem verò ijs, qui ex ipso originem traxere, & per Israelem posteris, licet iniqui fuerint.

Generatio rectorum benedicetur.

Nam qui de æquitate, & iustitia curam gerunt, diuinæ benedictionis fructus metent.

Gloria, & diuitiæ in domo eius.

Et has promissiones tanquam imperfectis, qui nõdum perfecta audire possunt, facit. perfectos enim Dominus Christus contraria docet, inquiens, Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; æs in zonis vestris, non peram in via, neque calciamenta, neq; virgam. & rursus, Nisi quis renunciauerit omnibus, quę possidet, non potest meus esse discipulus. &, Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Veruntamen hæc præcipiens, illa imperfectis & spondet, & largitur. sic Salomoni diuitias, & gloriam auxit. sic filijs Israël Aegyptiorum diuitias donauit.

Matth. 19.

Luc. 14.

Matth. 19.

Et Iustitia eius manet in seculum seculi.

Deus enim rerum omnium conditor æternam habet memoriam, & perpetuam eius conseruat gloriam.

Exortum est in tenebris lumen gentibus.

Tenebras modò quidem ignorantiam, modò verò calamitates nominat. & lumen similiter, nunc quidem cognitionem, nunc verò malorum liberationem appellat. dicit igitur nescijs veritatem se demonstraturum, in malorumque impetu suam opem allaturum. sic Iosephum ex fratrum parricidio eripuit, sic eundem à calumnia liberauit, sic erepta Sarra suum auxilium Abrahæ impertijt, sic Laban perterruit, & fugientem insequente potentiorem ostendit. diuinæ igitur potentiæ hoc est argumentum, exercitationis causa permittere, vt iusti in grauiora incidant, & horum nebulam discutere, puramque serenitatem efficere.

Genes. 37.

Misericors, & miserator, & iustus.

Hæc autem moderatur, iustitia, & misericordia, & bonitate vtens: nam curam gerit quidem vt benignus, coronare verò iustos volens, certamina permittit. Soluit verò hæc protinus ob immensam bonitatem.

Beatus homo, qui miseretur, & commodat, disponit sermones suos in iudicio.

Symmachus autem sic, Bonus, munificus, & commodans, qui dispensat res suas cum iudicio. Qui enim proprium dominum imitatur, largè conseruos colit, miserans quidem vt naturæ particeps, commodans verò tanquam à communi domino remunerationem expectãs, nihil sanè talis iniustè efficit, sed rectis cogitationibus vsus, & verba, & opera ornat.

Quoniam in æternum non commouebitur.

Firmam enim huiusmodi homo habet mentem, quæ nullam mutationem accipit in temporum angoribus.

In memoria æterna erit iustus.

Celeberrimus autem erit hic, & ab omnibus decantatus, & sempiternam relinquet gloriam.

Ab auditione mala non timebit.

Porrò nec minas timebit, neq; nuncios, qui terrorem incutere possunt.

Paratum cor eius sperare in Domino.

Symmachus, Paratũ, rursus explanauit, Firmum. Firmam enim habet, ait, & constantem in Deo spem, & propterea huiusmodi tumultus pro nihilo habebit.

Confirmatum est cor eius, non commouebitur, donec despiciat inimicos suos.

Non modò enim hostes non timebit, verùm etiam illorum stragem ob spem in Deo collocatam expectat.

Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.

Vnumquodque eorum virtutis doctrinam volentibus affert. dicit autem eum, qui reuerentia, diuinoq; timore præditus est, non simpliciter indigentibus misericordiam præbere, sed cum multa alacritate hoc facit, imitaturque ferentes largè semina, & dissipantes ob manipulorum spem: similiter enim & hic iustitiæ lucrum expectat.

Cornu eius exaltabitur in gloria.

Cornu, Robur vocat, ex translatione animalium, quæ cornibus armata sunt, & hisce aggredientes vlciscuntur. Dicit igitur eum, qui virtutis diuitias possidet, potentem, atq; amplissimum fore.

Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatoris peribit.

Qui verò iniquè viuere decreuerunt, iustorum splendorem cernentes, inuidia quidem tabescent, parricidijque machinationes struent. non erunt sanè compotes desiderij sui, & quod concupiscent non consequentur: & iniusta enim hæc, & admodum illicita.

Psalmi CXII. Interpretatio.

Halleluia.

Alius hymnus & hic est in vtilitatem cõscriptus, & excitans homines ad laudibus decantandum beneficij auctorem.

Laudate pueri dominum.

Pueros hoc in loco, non inuenes, vt nonnulli suspicati sunt, sed seruos vocat: sic enim &

Aquila,& Symmachus,& Theodotion explanarunt,& Hebræus Abdi dicit. Sic etiam Syrus, & laudate,Hebræus Halleluia dixit, vt sit manifestum,quoniã Halleluia,Laudate Dominum interpretatur.

Laudate nomen Domini. sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & vsque in seculum.

Conuenit, ait, vos cùm serui sitis, cumq; id, quod estis à Deo acceperitis, eius nomen laudare,licet ignoretis naturam, quandoquidem benedictionem, & gloriam sine principio, & sempiternam habet: Hoc autem A seculo vsq; in seculum,hoc declarat. oportet tamen & vos veluti creatori hymnum de gratiarum actione afferre.

A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.

Diuinam cognitionem post humanitatem vnigeniti gentibus præbitam psalmus præcinit. olim nanq; vniuersitatis creator, neq; à Iudæis omnibus laudabatur, sed à paucis piè viuentibus, post autem ex virgine ortum, salutaremq; crucem, in omnẽ terram sonus præconum veritatis exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum, & impleta est tota terra diuinæ cognitionis,veluti aqua multa operiret maria,hoc & per
Malach. 1. Vatem alium inquit Deus, Non est mihi voluntas in vobis, & sacrificium nõ susc ipiam ex manibus vestris, ab ortu enim solis vsq; ad occasum solis magnum est nomen meum in gentibus,& in omni loco sacrificatur,& offertur nomini meo oblatio munda. Consonantia autem his cœlestis symphonia præcinit.

Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius.

Omnes enim gentes didicerunt ipsum esse sublimem,& dominum, omniumq; opificem, & à cœlestibus Angelis celebratum.

Quis sicut Dominus Deus noster?

Iere. 10. Sæpius hoc diuina scriptura dicit. Quis similis tibi in Dijs Domine? quis similis tibi in
Psal. 88. sanctis glorificatur?& beatus Dauid,Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis
Psal. 17. similis erit Domino in filijs Dei? & rursus, Quoniam quis est Deus præter Dominum, aut quis est Deus præter Deum nostrum? Per omnia hæc Deum rerum omnium conditorem nequaquam comparari posse, discimus, & nihil est eorum,quæ sunt,quod cum Dei natura,aut potentia,aut vi conferri possit.

Qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra.

Nam ille, qui in cœlis habitare videtur, omnia inspicit,& nihil eorum, quæ sunt, neglectum sinit.

Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus populi sui.

1. Reg. 2. Hæc & beatissima Anna dixit, hymnum de gratiarum actione Deo texens. Cernimus autem hæc ipsa à Deo vniuersitatis continuè fieri:sic beatũ Dauidem cùm pastor esset, Regem fecit: sic & Iosephum cùm in seruitutem incidisset,in regali constituit solio:sic Mosem cùm opilio esset, populi gubernatorem declarauit, Pharaonisque Deum elegit:sic gentes impietatis paupertati seruientes, & in peccati stercore sedentes, bonis, quæ Israëli concessa fuerant, dignatus est. sic humanam naturam, cùm in ipsum mortis profundum decidisset,assumpsit, & sursum erexit, & collocauit super omnem principatum,& potestatem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non modò in seculo hoc,sed etiam in futuro.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Et hoc similiter videri potest inter homines accidisse. Etenim & Sarram, & Rebeccam, & Rachaëlem, & Annam, & Sampsonis matrem, & Elizabeth, cùm steriles essent, matres filiorum reddidit. sed magis propriè,& magis verè hoc in Ecclesia considerari potest,quandoquidem cùm hęc sterilis,& sine filijs olim esset,matrem fecit ob innumeros filios lætãtem, secundum vaticinationem dicentem,Lætare sterilis, Esa. 54. quæ non paris,erumpe, & clama, quæ non parturis,quoniam multi filij desertæ magis, quàm illius,quæ habet virum.

Psalmi CXIII. Interpretatio.

Halleluia.

Et hic est hymnus,qui beneficia à Deo in Iudæos collata percurrit,Deique potentiam narrat,Idolorumque imbecillitatem illudit. Quadrat autem etiam hic hymnus ijs, qui ex gentibus crediderunt, quique ab Idolorum errore liberati fuere. Discunt enim quanta sit differentia inter simulachra, quæ non sunt, & Deum,qui est.

In exitu Israël de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro, facta est Iudæa sanctificatio eius, & Israël potestas eius.

Cùm Dominus Israëlem ex Aegypto liberasset,atque ab illorum alienigenarum, & barbarorum seruitute vindicasset;populum hunc, suum declarauit, & in Iudæa proprium templum ædificauit: Sanctificationem enim hoc nuncupauit.

Mare vidit,& fugit,Iordanes conuersus est retrorsum,Montes exultauerunt sicut arietes, & colles sicut agni ouium.

Hæc, quæ dicta sunt, tanquam personas inducit, suoque sermone dat sensum rebus inanimatis,Dei potentiam prædicans. te enim ait, populum ducente, hinc inde cum formidine mare recessit, expeditũ iter præbuit & fluuius, & suorum fluxuum cursum compescuit, & inhibuit vrna,(tanquam si ratione præditus esset) tuam sentiens potentiam. & colles, & montes moti sunt,& tripudiare videbantur,quippe qui cœlorum dominum receperunt. Dicit autem montem Sinai & Oreb: in illis enim Deus apparuit. deinde & interrogationem suprædictis affert.

Quid est tibi mare, quod fugisti? & tu Iordanes, quia conuersus es retrorsum? montes exultastis sicut arietes,& colles sicut agni ouium.

Et quia ratione carentia,& inanimata erant, ipse pro eis respondet.

A facie

A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob, qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

Vnumquodq; horum ait, factum est ob dominum,qui ibi apparuit, terræ motus hanc habet causam, marisque diuisio: ipse enim sterilem lapidem omni humore priuatum, qui neque ob duritiem secari poterat, aquarum affluentia inundauit, iubens vt inde fontes abundè scaterent:mirum igitur non fuit. imperauit enim rerum auctor,& mare disiluit, & rupes aquam emisit, & cœlum manna subministrauit,& venti cothurnices congregarunt, cæteraque omnia facta sunt ipsius tantummodo nutu.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, & super misericordiam tuam,& veritatem tuam,ne quando dicant gentes,vbi est Deus eorum?

Hæc ijs,qui olim ex circunciſione erant, dicere congruebat, qui diuinum implorabant auxilium pristinorumq; beneficiorum recordabantur, Ne in nos respicias Domine, neque multas contumelias,quæ nobis fiunt negligas: quandoquidem ij, qui iustam pœnã ignorant, nostram seruitutem tuam imbecillitatẽ suspicantur,& dicunt,Vbi est Deus eorum?

Deus autem noster in cœlo omnia quæcunque voluit, fecit.

Porrò illi dicunt,vbi est Deus ipsorum? Nos autem scimus te esse Deum omnium opificem, cœlum habitationem habentem, potentiamq; voluntati respondentem. Deinde per comparationem idola redarguit,dicens.

Simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.

Nam tu quidem quæcunque vis,facis, Simulachra verò à gentibus culta, non efficiunt, sed efficiuntur, & à materia honorem habent, ex auro enim,& argento, coloribusq; efficta sunt: Ab arte verò formã accipiunt. Argentarij nanque,& aurifices, & pictores hæc faciunt, à materia igitur, & arte substantiã sibi comparant. Deinde per plura eorum imbecillitatem tragicè decantat,dicens.

Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.

Simulachra quidem sensuum domicilijs induta sunt,operatione verò priuantur. Viliora igitur non modò sunt ijs, qui ipsa finxerunt, sed etiam minimis animantibus: quandoquidem musca,& culices, & his tenuiores, in sensuum sedibus vim habent: vident enim, & audiunt,euolant,& ambulant: ij verò,qui tanquã Dij coluntur, neque vim tenuiorum animantium ratione carentium habent.

Non loquentur in gutture suo.

Quoniam enim Dæmones, qui per ipsa operabantur, falsisq; vaticinationibus vtebantur, non per inanima simulachra has proferebant, sed per homines rationis cõpotes,vel per nonnulla signa aliquid denunciabant, meritò inquit, Non loquentur in gutture suo, immobiles enim, & inanimæ penitus sunt huiusmodi imagines.

Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.

Porrò illis quidem similes fiant, & qui ipsa colunt, & qui efficiunt: quandoquidem cùm ratione præditi sint, & in huiusmodi temeritatem inciderint, iustũ est, omnem sensum amittere,instar idolorum,quæ ab ipsis coluntur.

Domus Israël sperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum est. Domus Aaron sperauit in Domino,adiutor eorum,& protector eorum est.

Illi quidem non emolumentum, sed detrimentum ex horum adoratione perceperunt, sed Israëlis domus spem in Deo, qui est, habens, continuè opem ab ipso consequitur. per diuisionem autem de sacerdotio fecit mentionẽ, hoc honorans, & edocens homines illius temporis, quantum sit discrimen inter sacerdotes,& alios homines.

Qui timent Dominum sperauerunt in Domino, adiutor eorum, et protector eorum est.

Alium ordinem præter superiores posuit. edocet quippe diuinus sermo, licet aliquis sacerdotij dignitatem non habeat, neque ex Israëlitica cognatione sit, diuino tamen timore præditus sit,& de virtute curam gerat, æqualẽ opem etiam ipsum ab vniuersorum Deo consecuturum: erant sanè olim apud Iudæos huiusmodi homines multi,qui ex Abrahæ radice minimè orti erant:ex alijs nanque gentibus accesserunt Proselyti nuncupati,quique res diuinas magnificiebant.& modò gentes cognationem Abrahæ secundum carnem non habent, sed Abrahæ fidem habentes, filij Habrahæ vocantur.

Dominus memor fuit nostri,et benedixit nobis, benedixit domui Israël, benedixit domui Aaron, benedixit omnibus, qui timent Dominum.

Eandem diuisionem etiã hoc in loco fecit, fructumq; spei demonstrauit, benedictionem enim spei coniunxit,& hanc inquit impertijsse non modò domui Israëlis, & Aaronis domui, verùm etiam timentibus eum. Deinde rursus ætatum,dignitatumq; diuisionem facit.

Pusillis cum maioribus.

Non enim modò benedixit iuuenibus, verùm etiam eis,qui consenuerunt, nec solùm diuitijs affluentibus, sed etiã hominibus in paupertate viuentibus,nec solùm eis, qui libertate sunt honorati, verùm etiam eis, qui seruitutis iugum ferre coacti sunt.

Adijciat Dominus super vos, super vos, et super filios vestros.

Ijs,qui diuinam spem possident, incrementum, & amplificationem propheticus sermo precatur.

Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum, et terram.

Porrò consequemini ait, omnino hanc opẽ, vtpote qui ab vniuersorum creatore benedictionem accepistis.

Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.

Ipse enim Cœlum habitationem habet, non

hoc,quod videtur,ſed illud,quod ſuperius eſt, quod huiuſce veluti tectum eſt,quemadmodũ hoc,quod videmus,noſtrum eſt tectum.Habitat verò in cœlo vniuerſitatis Dominus, minimè circumſcriptam habens naturam, ſed choris Angelorum,qui ibi verſantur,gaudens: terram igitur hominum generi diſtribuit. Non igitur Iudæorum tantùm curam gerit, ſed omnium hominum,quibus & terram habitationem dedit.

Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui deſcendunt in Infernum,ſed nos,qui viuimus,laudabimus te Domine, ex hoc nunc, & vſque in ſeculũ.

Mortuos vocauit eos, qui inanimis Idolis ſeruiunt:quid enim eſt illis ſtupidius?Viuentes verò eos,qui Deum viuentem adorant,quibus diuinum attribuit hymnum. Præterea edocet decere eos, qui Deum colunt, cum omni alacritate ipſum laudare, adhuc viuentes vtpote quos hoc mors facere prohibeat. Idcirco in alio inquit pſalmo, Cantabo Domino in vita mea,pſallam Deo meo quandiu fuero. *Pſal.145.*

Pſalmi CXIIII. Interpretatio.

Halleluia.

Multis, & vniuerſi generis calamitatib⁹ Antiochus cognomento Illuſtris Iudæos afflixit, & fuit in cauſa,vt multi,qui in deſidia viuebãt, diuinam tranſgrederentur legem,pietatis verò ſtudioſi pro hoc propenſo animo certamina ſuſcipientes, triumphales coronas adepti ſunt. hanc horum fortitudinẽ præſens pſalmus prænarrat autem eodem tempore & miſeriarum impetus, & robur ab vniuerſorũ Deo ipſis præbitum.

Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ,quia inclinauit aurem ſuam mihi.

Hæc dicere vaticinatio ipſos edocet, nihil mihi potius eſſe, nihilq; deſiderabilius, quàm res diuinas, & Deum colere, quandoquidem meas preces admittit, ſuaq; ope me dignatur.

In diebus meis inuocabo.

Propterea per totam meam vitam ipſum laudibus celebrabo, auxiliumq́ue ab ipſo implorabo. deinde narrat calamitatum multitudinem.

Circundederunt me dolores mortis, & pericula Inferni inuenerunt me.

Propriè dolores vocantur illi, qui ante partum parturientis ſunt. ex hac igitur tranſlatione dolores inferorum vocantur illæ calamitates, quæ prope ipſam mortem ducunt. Dicit igitur multis,vniuerſiq; generis doloribus circundatos eſſe, adeo vt prope ipſam mortem ſint,inferorumq; ianuas apprehenderint.

Tribulationem, & dolorem,inueni, & nomen Domini inuocaui.

Verum nequaquam otio, neque deſidiæ me ipſum addixi,cùm in has incidiſſem, neque ad alias vitæ voluptates me applicui,ſed luctibus, lacrymiſq; vſus, & continuè precans, diuinam efflagitabam opem. hoc ex Machabæorum hiſtoria accuratius diſci poteſt. Cùm enim in ſolitudinem pietatis alumni effugiſſent, & fame, & ſiti preſi eſſent, Deum obſecrabant, auxiliuḿque ab ipſo naçti ſunt.

O Domine libera animam meam.

Hæc,inquit, precans dicebam, Opem fer ô Domine, ab impendentibus malis noſtras animas libera:noueram igitur preces fundens,poſtulata me conſecuturũ, cùm de eius benignitate periculum fecerim. Hoc enim ſubdidit.

Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.

Fontes enim miſericordiæ hominibus profundit,habet autem & iuſtitiam, iniuſtos pœnitentia vti nolentes plectit. bis enim de miſericordia mentionem facit, cùm ſemel de iuſtitia meminerit: Vincit enim Dei benignitas iuſtitiæ ſententiam.

Cuſtodiens paruulos Dominus.

Talem enim de hominibus gerit curam, vt etiam omni curafœtus dignetur, & non modò eos,qui iam in lucem editi ſunt curat, ſed etiã conſeruat, & cuſtodit qui in vuluis matrũ deliteſcunt, atq; in aquis malè olentibus natant, & in anguſto loco cohibentur, & in lucem effert, lactiſq́ue fontes ſubminiſtrat, & ab inimicis dæmonibus inſidiantib⁹ vindicat,& vt vno verbo dicam, paternam curam impertit. non temere autem horum diuinus ſermo fecit mentionem,verùm edocens,non modò vniuerſitatis Deum iuſtorum fructus remunerare, ſed etiam in benefaciendo ipſum præuenire,& eos, qui non ſunt, fabricare, & cùm effinxerit, curam gerere, demumq́ue poſt perfectam ætatem iuſtitiæ fructus operiri, & rurſus tunc viros probos plurimis beneficijs afficere.

Humiliatus ſum, & liberauit animam meam.

Symmachus autẽ ſic,Defeci,& ſalutem mihi præbuit. ſi enim infantes, qui nondũ eius cognitionem acceperunt, talem ab ipſo curam conſequuntur;quanto magis ijs,qui ſyncerè ipſum colunt,ſalutem impertit? Protinus igitur,cùm nos ob calamitates depreſſos vidiſſet; ſua ope dignatus eſt.

Conuertere Domine in requiem tuam, quia benefecit tibi.

Adhortantur ſe ipſos, & accendunt in fortitudinem, multitudinem beneficiorum præ ſe ferentes,& ſe ipſos docent,quamuis pro pietate mortem ſubiuerint, in iucundam tamen, & gratam vitã transferendos eſſe. Requiem enim illum vocauit. indicant autem hoc etiam ea, quæ ſequuntur.

Quoniam eripuit animam meam à morte, oculos meos à lacrymis, & pedes meos à lapſu, placebo Domino in regione viuorum.

Regionem autẽ *viuorum*, Non præſentem nuncupat vitam, in qua ſunt fletus, & gemitus, & morbi,& mortes,& peccata, & calamitates,ſed vitam ab his omnibus liberam,in qua ſine erumnis eſt virtutis poſſeſſio,& ſine laborib⁹ iuſtitiæ diuitiæ adſunt. Qui enim has hìc comparare cum laboribus voluerint, amplificabunt illic ipſas ſine laboribus. hymnũ igitur de gratiarum actione afferent, eò quòd oculi quidem à lacrymis ſunt liberati, & pedes labilem vitam

vitam effugerunt,& anima peccati mortem declinare potuit,& edocent ſe ipſos,vt rerum triſtium impetus viriliter perferant, mortemq́ue deſpiciant, eo quòd vita tranquilla morti ſuccedat.

Pſalmi CXV. Interpretatio.

Halleluia.

Hebræus,cæteriq; Interpretes, atque etiam Syrus hunc præcedentibus connectunt: quandoquidem eundem ſenſum habet, & nonum pſalmum bifariã diuidentes, horum duorum pſalmorum coniunctione æqualem pſalmorũ numerum conſeruant. idem tamen habet argumentum. Qui enim illic de viuentium regione mentionem fecerunt, & hunc finem poſuerunt,hoc in loco exordientes dicunt.

Credidi propter quod locutus ſum.

Non enim corporeis oculis illam conſpexi regionem, ſed manifeſtam fides hanc mihi fecit.

Ego autem humiliatus ſum nimis, ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.

Aquila autẽ ſic, Ego dixi, dum obſtupeſcerem, omnis homo mendacium, Theodotion verò, Omnis homo defecit, ſed Symmachus, Et dixi,dum anxius eſſem, omnis homo mentitur. Verùm non temerè omnes poſui interpretationes,ſed oſtendere volens humanam felicitatem, mendacium vocare, quæ quàmprimum diffluit, conſtanſq́ue nihil habet: quandoquidem ait,cùm repentinam huiuſmodi mutationem conſpexiſſem, cumq; priſtinæ noſtræ felicitatis meminiſſem, & aſsiduas calamitates cernerem,dixi mœrens, nihil eſſe firmum, atque ſtabile, ſed is, qui præſentibus tanquam permanentibus fidit,fruſtratur, ſuaq́ue ſpe abcerrat. Hoc etiam in trigeſimo octauo pſalmo inquit, Veruntamen omnia vanitas omnis homo viuens. harum rerum conſcius ſapiens ille Salomon,licet omni felicitate affluxerit, & naturam rerum humanarum attigerit, hoc poſuit exordium, inquiens, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Eccleſ.1.*

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Multis,varijſq́ue beneficijs affectus, ignoro quas res beneficij auctori rependam. Non temere autem hunc verſiculum cum ſuperiori coniunxit, ſed edocens etiã in varijs vitæ mutationibus propriam opem hominibus vniuerſitatis Deum impertire,vniuerſiq; generis conſolationem mœrentibus afferre: hoc & beatus inquit Paulus, Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarũ, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra,vt poſsimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur, & ipſi à Deo, quoniam ſicut abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita abundat per Chriſtum conſolatio noſtra. Hoc etiam beatus Dauid inquit, Secundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuę lętificauerunt animã meam. *2.Cor.1.* *Pſal.93.*

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, vota mea Domino reddam coram omni populo eius.

Decet igitur audacter pro ipſo mortem ſubire,& hanc remunerationem pro varijs beneficijs dare. *Calicem* enim *ſalutis*, pro pietate appellauit mortem: ſic enim & dominus nominat,Pater enim,ait,ſi poſsibile eſt,tranſeat à me calix iſte. & Apoſtolorum iugo communicationem Regni poſtulanti ſic inquit, Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Hoc igitur & hoc in loco præclari, & optimi, & pietatis athletæ vt faciant ſe ipſos adhortantur, & hanc promiſsionem perficiunt, eorum ciuibus cernentibus,vt & ipſos in eundem amorem accenderent. Deinde huiuſmodi mortis fructũ demonſtrat. *Matth.26.* *Matth.20.*

Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorũ eius.

Si autem Deus eſt pretioſus, cui nam ſanctorum non venerandus eſt?

O Domine ego ſeruus tuus,ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Siquidem igitur mortem illam admiratione dignam ſubiuerimus, gloriam, & honorem à Deo conſequemur.Si verò hoſtibus ſuperiores facti, illorum aciem proſtigauerimus, hymnũ de gratiarum actione Domino afferemus, ſeruitutem confitentes, & hanc ex maioribus habere gloriantes, homines enim ſeruire coacti, aliquando maiores habuiſſe liberos gloriãtur. Beneuoli verò Dei ſerui ſeruitutem ex maioribus habere confitentur, meritò hanc maximam eſſe credentes.

Dirupiſti vincula mea.

Cùm à multis,diuerſiſq́ue calamitatibus me liberaſſet.

Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo, vota mea Domino reddam in conſpectu populi eius, in atrijs domus Domini in medio tui Hieruſalem.

Porrò à calamitatibus liberatus, erga beneficia minimè ingratus ero, ſed laudis ſacrificiũ rependam, hymnumq́ue de gratiarum actione ciuibus omnibus meis cernentib⁹ perſoluam, & hinc vtilitatem percipiens: afferam quippe hoc ſacrificium rationis compos in templo nomini tuo conſecrato. Hinc igitur etiam diſci poteſt, lege obtinente eos, qui magis ſecundũ ſpiritum legem attendebant, hoſtias rationis compotes ſacrificijs ratione carentibus prætuliſſe,nouum teſtamentum adumbrantes. Decet ſanè ſcire omnibus triumphatoribus Martyribus vtrumque pſalmum congruere: quandoquidem idẽ propoſitum eſt horum,& illorum: illi nanque pro lege, & pro latore legis mortem admiratione dignam ſubiuerunt,& hi pro illo,qui ſalutem dedit,mortemq; euertit,præſenti vitæ mortem prætulerunt.

Pſalmi CXVI. Interpretatio.

Halleluia.

Hic etiã hymnus omnibus hominibus congruens eſt:adhortatur enim ſpiritus gratia eos, qui

qui salutem adepti sunt, vt beneficij auctorem laudent.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Eodem tempore omnes in choream vocat: quandoquidem gentibus omnibus non modò Græcis, & Romanis, verùm etiam omnibus barbaris salutis occasionem præbuit, sacris Apostolis beneficij ministris vsus, Euntes enim inquit, docete omnes gentes, baptizantes illas In nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes illas seruare omnia, quęcunque mandaui vobis. huic legi obtemperantes, totam terram, atque mare percurrerunt, & hi quidem Indos ad Christum adduxerunt, hic verò Aegyptios, alius autem Aethiopes. Et beatus Paulus breuiter docet, quot gentib⁹ salutaria præconia attulit, inquiens ita, Vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim euangelium Christi, (non enim rectam incedentes viam, sed gentes, quæ in medio erant, circumeuntes salutaria afferebant præcepta) sic autem prædicaui euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarẽ, sed sicut scriptum est, quibus non est annunciatum de eo videbunt, & qui nõ audierunt de eo, intelligent. Postea igitur in Italiam venit, & in Hispanias peruenit, & Insulis, quæ in mari iacent, vtilitatem attulit, Romanis quidẽ scribens ait, Spero enim cùm in Hispanias proficisci cœpero, quòd præteriens, videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte perfruitus fuero. Et admirabili Tito scribens inquit, Huius rei gratia dereliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui tibi. Sic maximus ille Ioannes Asiam à pristino errore liberauit, sic diuinus Andreas Græciam diuinæ cognitionis radijs illustrauit, sic diuinissimus Philippus vtrorumque Phrygum errorem redarguit, sic magnus Petrus ab Hierosolyma vsque ad Romanorum vrbem percurrit, omnibus veritatis radios afferens, sic omnes totum terrarum orbem obeuntes, & ignorantiæ nubẽ discusserunt, & iustitię Solem demonstrarunt. merito igitur diuinum oraculum, vt omnes gentes Deo afferant hymnũ, commonefacit, postquam omnes salutem adepti sunt.

Matth. 28.

Roman. 15.

Esai. 52.

Tit. 3.

Laudate eum omnes populi.

Per totum terrarum orbem Iudæi olim dissipati erant, vnum Deum colere edocti, postquam igitur non amplius vnicam incolebant Palæstinam, neque vnum faciebant populum, ab vno Rege gubernati, sed inter gẽtes dispersi, illorum principibus obediebant, per se ipsos verò viuebant legis præcepto obtemperantes; iure non populum ipsos, sed populos nominat: quandoquidem plurimi etiam ex his diuinum susceperunt præconium. In vrbem nanque Hierosolymę tria millia, & quinque millia eodem tempore piscatores piscati sunt. & postea multæ myriades fuerunt, vt inquit diuinus Iacobus, & in Syria, & Cilicia, & Lycaonia, & Pisidia, & Asia, & Pamphylia, & in cæteris omnibus gentibus pristinis Iudæis diuina præconia Apostoli attulere, & hi quidem crediderunt, & veritate perfruiti sunt, alij verò fructuosis doctrinis contradicebant: meritò igitur sermo diuinus hos, vt beneficij auctorem laudent, adhortatur: hos nanque populos nuncupauit.

Quoniã confirmata est super nos misericordia eius.

Vnico nanque populo vsus, nostram tractauit salutem. sic & beatus inquit Paulus, Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum multam suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundè. Et rursus, Gratia saluati estis per fidem & hoc non ex vobis (Dei enim donum est) & alibi, Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed misericordiam consecutus sum. Commendat autem Deus suã charitatem in nobis, quoniã cùm essemus adhuc peccatores, Christus pro nobis mortuus est, iure igitur diuinũ oraculum inquit, Quoniam confirmata est super nos misericordia eius.

Tit. 3.

Ephes. 2.

Timoth. 1.

Roman. 5.

Et veritas Domini manet in æternum.

Quam enim salutem per sanctissimos Vates promisit, largitus est: hoc etiam beatus ait Paulus, exordiens epistolam ad Romanos, Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis. Et rursus, Dico enim Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem pro misericordia honorare Deum. Postquam igitur Deus rerum omnium conditor promissa impleuit, & salutem, quam pollicitus est, donauit, omnibusque misericordiæ fontes reserauit, & vos, qui ex Iudęis accessistis, & nos, qui ex gentibus credidimus, consonantem laudem communiter beneficij auctori rependamus.

Roman. 1.

Roman. 15.

Psalmi CXVII. Interpretatio.

Halleluia.

Et hic etiam hymnus est ab his, qui salutem à Deo consecuti sunt, allatus. Iudæi nanque post reuersionẽ, cùm omnes finitimi in vnum coacti essent, atque etiam gentes alias & barbaras conflassent, deinde cùm plagis à Deo illatis profligati essent, secundum Ioelis, & Ezechielis, & Michææ, & Zachariæ vaticinationem, hunc hymnum de gratiarum actione Deo afferunt. Quoniam autem in illis potius res nostrę adumbrabantur, congruit hæc suauis symphonia ijs, qui ex gentibus crediderunt, qui cùm à multis principibus & subditis, populis, & ducibus populi, & Regibus, & Imperatoribus persequentibus cruciati, & supplicijs affecti, infinitas mortis species perpessi essent, hostibus superiores euaserunt. His igitur & illis spiritus gratia hymno diæ doctrinam proposuit.

Confite-

Confit emini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Laudibus prosequamini eum, qui bonus est, & bonorum largitor, quandoquidẽ perennem habet misericordiam, & hanc precantibus suggerit.

Dicat nunc domus Israël, quoniam bonus, quoniã in seculum misericordia eius. Dicat nunc domus Aaron, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Cùm horum per diuisionẽ meminisset, eorum qui ex gentibus crediderunt, communem memoriam facit.

Dicant nunc omnes, qui timent Dominum, quoniã bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Omnes inquit, Dei benignitatem laudate, & vos, qui ex Israëlis genere originẽ ducitis, maiorumque pietate gloriamini, & qui inter ipsos sacerdotio dignati estis, & qui ex diuersis gentibus estis maiorum impietate liberati, quandoquidem vnus est omnium Deus, variaq; beneficia omnibus affert, & petentibus misericordiã porrigit. Deinde manifestius Dei prouidentiam edocet.

De tribulatione inuocaui Dominum, et exaudiuit me in latitudine.

Non enim malorũ impetum impediuit, sed ostendit pericula, & actutum hæc dissipauit. Hoc etiam in quarto inquit psalmo, In tribulatione dilatasti me, hoc est, maiorẽ dolore consolationem mihi attulisti.

Dominus mihi adiutor, et non timebo, quid faciet mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.

Vniuersitatis enim dominum adiutorem habens, hostium impetus minimè perhorresco, spero enim ab ipso opem nactus, stragem illorum quàmprimum videre. Deinde bonis ratiocinationibus piam mentem confirmat.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine, bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

Nam bonus & benignus est, & bona vult, & quæcunque vult facere potest, immortalemq; potestatem habet. Homines verò & natura interitui obnoxij sunt, & mente volubiles, & sæpius bona volunt, aliquando verò volentes iniuria affectis opem afferre, non possunt, & licet imperent, ad tempus habent imperium, & Regnum apud homines fluxum est, parumq; temporis durat; melius est igitur hominum opem derelinquere, & diuinum auxilium implorare.

Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini vltus sum eos.

Ecclesia quidem omnium gentium perpessa est impetus, Hierosolyma verò non omnium, sed aliquarum: ab illis igitur hyperbolicè hæc oratio profertur, sed ab Ecclesia verè. Qui enim per singulas gentes crediderunt, ab infidelibus tumultus, & pericula passi sunt, veruntamen & hi, & illi Deo freti, repugnantes expugnarunt.

Circundantes circundederũt me, & in nomine Domini vltus sum eos.

Symmachus autem sic, Circundederunt me, & rursus circundederunt me. hoc est, frequentibus irruptionibus, varijsq; obsidionibus vsi sunt, ego autem Dei imploratione munitus, illorum aciem profligaui.

Circundederunt me sicut apes fauum.

Quemadmodum inquit, Apes fauum inuenientes, mellis humorem sugunt, sic isti pietatis dulcedinem mihi, quæ in me inest, eripere conati sunt.

Et exarserunt sicut ignis in spinis.

Sperarunt autem admodum facilè me superare, sicut ignis cito spinas consumit.

Et in nomine Domini vltus sum eos.

Hæc autem expectantes, sua spe decciderunt, mea spe debellati, quandoquidem meum dominum omnibus illis oppositi, & per ipsum victoriam reportaui.

Impulsus euersus sum, vt caderem, et Dominus suscepit me.

Hæc his & illis congruunt: illi enim extremã internecionem perpessi essent, nisi diuinam nacti essent gratiam, & hi in impietatem prolapsi essent, nisi diuina virtus eos sulsisset.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Ipsum igitur habemus, & potentiam, & victoriam, & fontem laudis: ab ipso enim bona consecuti, cum lætitia, & laude hymnum afferimus.

Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum.

Post enim victoriam cùm à pristinis luctibus liberati essent, in gaudijs & laudibus erant, Deũ decantantes.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.

Dexteram vt sæpius diximus, Bonã actionem nuncupat. Sanè bene agentes victoriam non sibi ipsis ascribunt, neque propria alacritate, & potentia freti sunt, sed hanc à diuina gratia se adeptos esse exclamant.

Dextera Domini fecit virtutem, non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.

Cùm igitur superum auxiliũ adeptus essem, cumq; mortem superassem, diuina beneficia & nescios docebo, & scientibus in memoriam reuocabo, horumq; beneficiorũ memoria amorem erga ipsum accendam.

Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me.

Siuit enim, vt res tristes me adorirentur, paternè me erudiens, molestam verò horum nubem discussit, & à detrimento, quod illinc manare potuerat, me penitus vindicauit.

Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas, confitebor Domino.

Portas iustitiæ non templi ianuas nuncupat, sed diuersas virtutis species: per illas nanque vniuersitatis Deus dignè laudari potest. & hoc planius per sequentia demõstrauit, veluti enim responsionem quandam dat, & inquit.

Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.

Sic etiam adolescenti viam ad æternam vitam ducentẽ discere volenti, dominus inquit, Mandata nosti, non mœchaberis, non furtum facies,

Luc. 18.

Exod 20.

facies, honora patrem tuum, & matrem tuam, & dilige proximum tuum sicut te ipsum. eodē modo & dominus portam se ipsum nominauit, vtpote qui virtutis est dux, & præceptor, Ego enim ait, sum ostium ouium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Hoc etiā hic diuinum inquit oraculum, Hæc domini porta, iusti intrabunt in eam. Ioan. 10.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

Laudo te igitur, qui meas preces admisisti, salutemq; largitus es.

Lapidem, quem reprobauerunt, hic factus est in caput Anguli.

Hoc licet millies Iudęi impudenter negent, tamen ad alium referre non possunt: etenim diuisarum Tribuum Zorobabel dux erat, sed non diutius perstitit, Dominus autem Christus cùm in vnum coegisset duos parietes à se inuicem ex diametro distantes, eos inquā, qui ex Iudæis, quiq; ex gentibus crediderunt, hos quidem impietati seruientes, illos verò legis iugum ferentes, ea, quæ separata erant, coniunxit, & vnam ex vtrisque conflauit ecclesiā, Angulum quendam imitatus, duos muros colligantem, hunc igitur lapidem, quem olim ædificabant Pharisæi, & Saducæi, & Sacerdotes, & Scribæ reprobauerunt, & cruci affixerunt, sed factus est in caput Anguli, vel secundum Symmachum, Angularis. De hoc lapide per Vatem Esaiam Deus vaticinatus est, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem pretiosum, electum, angularem, honoratum in fundamentis eius, & omnis qui crediderit in illo, non confundetur. Hoc & beatus inquit Paulus, Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, cùm sit petra angularis eius Christus Iesus. Hunc lapidē beatus Daniel vidit excisum sine manibus, edocens Virginis fœtum sine communicatione fuisse, hunc vidit, idolum terentem, hoc est vitæ vanitatem, & montem magnum factum, & orbem operientem. Esai. 28. Heb. 2. Dan. 2.

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Huiusce autem gratiæ largitor est Deus, nos verò inexplicabilem eius benignitatem admiramur.

Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.

Diem à Deo factā vocat, in qua hic lapis post crucem à mortuis redijt: actutum enim post è mortuis reditum sacris Apostolis præcepit, vt irent, & docerent omnes gentes, sanè hanc diē potissimùm à Deo factam esse dicit. Quoniam etiam à principio lucem in hac Deus fecit, & cùm hæc Dies Saluatoris resurrectionem accepisset, radios iustitiæ solis in totum terrarum orbem emisit, & cùm lucem fabricasset, lucem diem vocauit, nihil aliud sanè in illa die fecit. hæc igitur dies sola secundum primum diem, luminis institutionem accepit, in secunda nanque die firmamentum fecit, in tertia, plantas, & semina, & in alijs similiter alia. In prima quippe die lucem, vocauit verò lucem diem; iure igitur inquit, Hæc dies quam fecit dominus, exultemus, & lætemur in ea, vtpote qui in ipsa bonorum fontes accepimus.

O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare.

Et in posterum tempus ô Domine salutem largire, & viam ad te ducentem facilem, & expeditam nobis fac.

Benedictus qui venit in nomine Domini.

Porrò hanc vocē pueri domino attulerunt, in reprehensionem eorum, qui diuina oracula docere profitebantur, & veritatem cognoscere nolebant. cùm enim Scribæ & Pharisæi Samaritanum dominū appellassent, pueri ipsum esse venientem & benedictū dicebant, & hanc vocem, ô *Sanna*, in hac etiam vaticinatione inest, quandoquidem, saluum me fac, ô Sanna positum in Hebræo contextu inuenimus. Hinc etiam & beatus Ioannes Baptista suos discipulos ad veritatem ducens, per illos dominum interrogauit, tu es, qui venturus es, an alium expectamus? & cùm esset dominus, in nomine Domini venit, sic etiam Iudæis dixit, Ego veni in nomine patris mei, veniet alius in suo nomine, & illum accipietis, & cùm esset benedictus, benedicti est filius, similiter & Pontifex interrogauit, tu es filius benedicti? Matth. 21. Matth. 17.

Benediximus vobis de domo Domini.

Hæc suis amicis, qui victoriam adepti sunt inquiunt, Huiusce lapidis benedictionem vobis afferimus, qui domus factus est, in qua Deus verbum habitauit, Verbum enim inquit, caro factum est, & habitauit in nobis. & dominus Iudæis dixit, Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ioan. 1. Ioan. 2.

Deus Dominus illuxit nobis.

Manifestò hoc in loco dominum Christum Deum declarauit. Quem enim superius lapidē vocauit, & postea benedictum, & qui venit in nomine domini, ipsum nominat Deum, & dominum, qui se ipsum ad conspiciendum præbuit, quique salutem ijs, qui crediderunt largitus est.

Constituite diem solennem in condensis vsque ad cornu altaris.

Congregamini omnes, & diem festum maximum agite, propriam salutem celebrantes, vt ad altare vsq; ipsum, frequentia constipata perueniat, quandoquidem In condensis, pro Constipati, & frequentia coarctati posuit. Hoc nanque verbum Condensum, densum etiam qui extra nostrum sermonem sunt, vocant.

Deus meus es tu confitebor tibi, Deus meus es tu, et exaltabo te.

Te noui Deum, te noui Dominum, te beneficij auctorem per vitam celebrabo.

Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. Confitemini Domino, quoniā bonus, quoniam in seculum seculi misericordia eius.

Primùm se ipsos, vtpote aliorū duces in hymnorum cantilenam mouentes, hoc pacto & alios adhortantur, vt bonum dominum celebrent, quippe qui affatim misericordiæ fontes porrigit. Sciendum est autem ijs, qui à gentibus

bus illis obsessi erant, congruere, vt scirent eum, qui ex ipsis secundum carnem oriturus, quique omnibus salutem largiturus erat: sic enim audaciores contra inuadentes euadebant, recreati ob fidem benedictionis, quæ in ipsis occulebatur.

Psalmi CXVIII. Interpretatio.

Halleluia.

Multas, variasque rerum vicissitudines diuinus Dauid habuit: etenim hostes fugitauit, & hostes insecutus est, & in mœrores incidit, & iucundiorem rursus habuit vitam, & diuinam incessit viam, & cecidit inter eundum, & rursus diuinas secutus est leges. Hæc omnia igitur eodem tempore in hoc psalmo collegit, & preces ab ipso Deo allatas singulis temporibus inuicem connectens, vnam vtilissimam precationem homines docet, per quæ asserit, quomodo possit fieri, vt rectè eam virtutis partē exequamur, quæ in agendo consistit: non negligit tamen dogmatum sedulitatem, sed præceptis de moribus horum doctrinam apponit, vt presens psalmus possit exquisitæ virtutis studiosos in ipsa perficere, & segniter viuentes ad studiū accendere, & mœrentes recreare, & corrigere pigros, & vt vno verbo dicam, vniuersi generis medicinam varijs hominū affectibus adhibere.

Beati immaculati in via.

Eos beatos esse ait, qui regiam incedunt viam, non deflectendo nec dextrorsum, neque sinistrorsum legis præcepta transgredientes: qui sint hi, edocet.

Qui ambulant in lege Domini.

Qui enim secundum hanc viuunt, reprehendi minimè possunt. *Viam* nanque Vitam vocat: quandoquidem hanc ex partu ad sepulcrum vsque omnes incedimus.

Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.

Et decimum octauum explanātes psalmum, diximus, quid differat lex à testimonio, & à iustificationibus, & à iudicijs, & à mādatis: tamen summatim ea, quæ dicta sunt in memoriam reuocemus. Legem vocat ab vniuersitatis Deo per diuinum Mosem latam, Mandata verò, & præcepta, rursus vocat legem, tanquam regio more ab ipso iniunctam, & imperatam, Iustificationes tanquam illam, quę rectè agentem iustum declarare potest, Iudicia autem, tanquam diuinas sententias ostendentem, & digna præmia eorum, qui secundum legem, & eorum, qui iniquè viuunt, Testimonia verò, tanquam testantem, & demonstrantē quibus supplicijs obnoxij sunt ij, qui ipsam transgrediuntur. Beatos igitur esse dicit etiam hic eos, qui Dei testimonia continuè perscrutantur & in toto corde Deum quærunt: non cuiuslibet autem est hoc, sed eius, qui virtutis fastigium apprehendit, quandoquidem huiusmodi homo minimè mentem suam in Deum, & in inanes vitæ curas partitur, sed totum se ipsum Deo addicit.

Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.

Hanc diuisionem etiam in primo psalmo fecit: etenim ibi cùm beatos esse dixisset eos, qui dies noctesque in lege Domini meditantur, & cùm meditationis fructum ostendisset, subdidit, Non sic impij, non sic, & hoc in loco igitur, cùm beatos esse dixisset innocentes, eosq;, qui reprehendi minimè possunt, edocet iniquitatis operarios aliam sibi ipsis viam præparasse, & illam, quæ à Deo fixa est, derelequisse.

Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Hoc & per legem, & per Vates, & per sacra Euangelia Dominus iubet, & tota diuina scriptura huiusmodi latione legis referta est. Non enim simpliciter custodire, sed valde custodire præcipit, hoc est cum omni sedulitate.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Propterea ait, precor, vt mea via tua lege veluti quadam regula dirigatur, vt custodire possim tuas iustificationes. & ostendens huius fructum, infert.

Tunc non confundar cùm prospexero in omnibus mandatis tuis.

Peccati enim fructus est pudor, sic & diuinus Apostolus inquit, Quem igitur fructū habetis tunc, in quibus nunc erubescitis? Qui verò omnia mandata Dei perficiunt, à conscientia fiduciam habent. Roma. 6.

Confitebor tibi in directione cordis in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ.

Confessionem, Gratiarum actionē vocat. tunc inquit purum hymnum afferre potero, cùm omnia tua iudicia didicero, & secundum ipsam vitam duxero.

Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas vsquequaque.

Sepius diuina gratia nōnullos ad breue tempus deserit, vtilitatem illis hinc procurans. Sic cùm magnus Elias derelictus esset, in timiditatis affectum incidit, & humanæ naturæ imbecillitatem didicit, sed actutum rursus diuinam nactus est gratiam. Sic diuinus Petrus, cùm negasset, prolapsus est, sed protinus dominus eum suffulsit. Destitutus autem penitus diuina ope Iudas parata præda hostibus fuit. Derelictus etiam fuit beatus Dauid post peccatū illud, & in asperas illas calamitates incidit, sed rursus erga Deum fiduciam recepit, & illinc opē cōsecutus est: Saul verò penitus hac orbatus, & spiritus gratiā amisit, & prauo spiritui obnoxius fuit; Iure igitur Vates precatur, ne derelinquatur vsquequaq;, hoc est, ne gratia auxiliāte spolietur.

In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

Volubilis est iuuentus, & ad malū prona, vārijs enim perturbationum vndis circunfunditur, indiget igitur duce, qui ad portum dirigat. Hoc autem est proprium diuinorum oraculorum: hęc enim auertendo nos à vijs prauis, possunt nos corrigere, & ad diuinam viam deducere. quod enim est in equino pullo frenum, & domitor, hoc idem est in adolescentibus diuinus sermo.

In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis.

Multi quidem Deum quærunt, sed non in toto corde, partiuntur enim hoc non modò in rerum humanarum curas, verùm etiam in absurdas concupiscentias, & in inuidias, & fraudes, & proximorum insidias, diuinorum verò studiosus omnem Deo consecrat mentem, & ab illius prouidentia pendet.

In corde meo abscondi eloquia, vt non peccem tibi.

Qui aurum possidet, vel argentum, vel pretiosos lapides, non foris hæc proponit, sed intus in cellis, & thalamis occulit, vt manus eorum, qui parietes effodiunt, declinent. Similiter qui virtutis diuitias habet, has in anima abscondit, ne per inanem gloriam animarum fures eas subripiant. aliud etiam diuinus sermo edocet: nam ne omnibus diuina oracula afferamus, commonefacit, Non date enim, ait, Matth. 7. sancta canibus, nec proijcite margaritas vestras ante porcos.

Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.

Videlicet mansuetus, & benignus, & dignus, vt ab omnibus laueris, idcirco precor te, vt ea à te discam, quæ me iustum reddere possunt.

In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.

Quæ enim à tua bonitate discerem, hæc nescios docebo.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus diuitijs.

Laboriosa est quidem virtutis via, sed perfectis iucunda: propterea inquit Dominus Chri- Matth. 11. stus, Accipite iugum meum super vos, iugum enim meum bonum est, & onus meum leue. hoc etiam diuinum inquit oraculum, tuorum testimoniorum possessionem quibuslibet diuitijs iucundiorem sibi esse. Hæc clausula, Sicut in omnibus diuitijs, non temerè iacet, sed vniuersi generis opes declarat, quandoquidem multæ sunt diuitiarum species. Alius enim aurum habens, nominatur diues, alius verò argentum, & alius multa terræ iugera arboribus consitę, partim verò satæ, & alius pascua. sed hæc omnia Vates comprehendens, diuinisque testimonijs comparans, dixit iucunda esse sibi diuina testimonia, quemadmodum opum studiosis omnes diuitiarum species.

In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.

Propterea, ait, tuorum sermonum meditationem continuè ostentabo, per tuasque vias iter faciam.

In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.

Tenacem tuorum oraculorum memoriam mihi ipsi custodiam.

Retribue seruo tuo.

Non cuiuslibet est hac voce vti: nemo enim prauam conscientiam circumferens in præmium Iudicem excitat: qui autem rectis vtitur cogitationibus, cum fiducia hac vtitur voce.

Viuifica me, & custodiam sermones tuos.

Tuam enim nactus opem, peccati mortem effugiam, & vitam ex sermonibus tuis percipiam.

Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

Non enim omnes, qui diuina oracula lectitant, horum mirabilia considerant, sed hi, qui supero splendore perfruuntur, quod etiam beatus inquit Paulus, Cùm autem conuersi fue- 2. Cor. 3. rint ad Deum, auferetur velamẽ. Dominus autem spiritus est. Ipse igitur diuino lumine illustratus, iure exclamat, nos verò omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatẽ tanquam à domini spiritu: nos autem decet dominum orare, vt velum oculorum mentis nostræ auferens, diuinorum oraculorum potentiam ostendat.

Incola ego sum in terra, ne abscondas à me mandata tua.

Terram nõ habitamus, sed diuersamur, cùm parum enim temporis vixerimus, in aliam trãsimus vitam. Sanè hoc non omnes volunt scire, sed in præsentibus bonis tanquam permanentibus, & stabilibus efferuntur, qui verò diuinarum rerum eruditus est, breuitatem vitæ nouit, idcirco incolam se ipsum nuncupat, & supplicat, vt diuina mandata non ignoret.

Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

Multi diuina iudicia desiderant, cœlorumque regnum apperunt, sed non semper, modò verò diuinis oblectantur, & modò corporis affectus sequuntur, sed Vates exoptat hoc habere desiderium continuè.

Increpasti superbos.

Qui diuinas leges despiciunt, in superbiæ morbum incidunt, sed à iusto Iudice pœnam accipiunt. hoc sanè Absalon perpessus est, hoc Saul, hoc Pharao, & Sennacherim, & Nabuchodonosor, & alij innumeri. Hoc cùm Vates sciret tanquam Propheta subiunxit.

Maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Hanc execrationem lex etiam transgredientibus affert, Maledictus enim ait, omnis, qui nõ Deut. 27. permanet in ijs, quæ iacent in libro legis huius, vt faciat ipsa.

Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia testimonia tua exquisiui.

Contumelijs affecit Vatem Nabal, cùm seruum fugitiuum vocasset, & Getthæi. mœrens igitur ob hos, obsecrat, vt opprobria auertantur, vtpote qui diuina testimonia quæsiuit. non respondent igitur hæc verba conuitijs à Semeo iactatis, illa enim post peccatum fuerunt, hæc verò Nabal, aliorumque ante peccatum extiterunt.

Et enim sederunt principes, & aduersum me loquebantur.

Et Saul, & Abner, & Architophel, & Absalõ.

Seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

Ego autem tuam ditionem confitens, tuas iustificationes meditabar.

Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.

Humana enim doctrina reiecta, tua mandata sequor.

Adhæ-

Adhæsit pauimento anima mea.

Hyperbolen humilitatis per hæc declarauit. sic enim & in quadragesimo tertio inquit psalmo, Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.

Viuifica me secundum verbum tuum.

Non vitam sine termino petit, sed vitam secundum legem.

Vias meas enunciaui, doce me iustificationes tuas.

Omnes meas actiones tibi Domine præ me tuli, & nihil mearum rerũ te latere permisi, idcirco meis precibus annuisti, precor autem te, vt accuratè tuas iustificationes perdiscam.

Viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Diuino intellectu nobis opus est, vt secundum diuinam legem virtutem percurramus, & qui alijs misericordiam impertit, ne ad inanem respiciat gloriam, & qui in bonis operibus se exercet, humanam laudem contemnat, & vir continens ne ob intemperantiæ dedecus, sed ob virtutis desiderium continentiam amplectatur; iure igitur Vates supplicat, vt diuini intellectus particeps sit, vt iustitiæ viam cognoscat.

Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.

Assiduus peccati impetus sæpius cogitationum tenorem dissoluit, & est in causa vt athleta deficiat, & eam efficit, quæ desidia vocatur, remissa verò anima in somnũ incidit, somnus verò mortem inducit, idcirco vt confirmetur & corroboretur Vates obsecrat. hoc etiam in Psal. 12. alio inquit psalmo, Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte.

Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei. viam veritatis elegi, & mandata tua non sum oblitus.

Necessaria est etiam hæc precatio, quandoquidem decet nos ab vniuersitatis Deo implorare auxilium, vt ab iniustitiæ via deflectamus, & veritatis iter sectemur, & firmam memoriam Dei testimoniorum circumferamus.

Adhæsi testimonijs Domine, noli me confundere.

Non simpliciter dixit, Secutus sum, sed Adhæsi, hoc est, nec parum quidem temporis ab hisce meam mentem segregaui. Cæterùm quærit, vt huiusmodi affectus fructum percipiat, nimirum, vt ne vnius quidem ignominiæ periculum faciat.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.

Vtrisque opus est & nostra promptitudine, & Dei auxilio, neque enim diuina gratia bonam alacritatem non habentibus datur, neque humana natura absque cœlesti auxilio rectè agere potest. Hoc & Vates edocet, mandatorũ tuorum viam sine impedimento cucurri, cùm rursus facilitatem à te acceperim. *Latitudinem* Psal. 4. *enim viæ*, Facilitatem vocauit. & alibi ait, In tri- Psal. 17. bulatione dilatasti me. & rursus, Dilatasti gressus meos sub me, & non sunt infirmata vestigia mea.

Legem pone mihi Domine in viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.

Legem pone, Symmachus, Ostende dixit, Aquila, & Theodotion, Illustra. Semper inquit, tuæ legis illustrationis indigeo, vt iustificationum tuarum viam cognoscam, & hanc sine impedimento incedam.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Et Dominus, vt scripturas perscrutemur iussit, sed perscrutantibus cœlesti lumine opus est, vt & inueniant illud, quod quæritur, & conseruent quod ceperunt.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Non simpliciter efflagitat, vt vniuersorum Deus eius dux sit, sed etiam propensi animi desiderium ostendit.

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.

Aquarum natura in procliue ferri solet, & si quem exitum inuenerit, illuc tota confluit, sic Diabolo peccato viam referante, hominum natura in peius vergit. Igitur congruenter admodum Vates precatur, vt in diuina testimonia cor inclinetur, & vt tentationem transgrediendi in alterutram partem effugiat.

Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.

Vanitas, quod inutile, & stultum est, vocatur, huiusmodi quippe sunt ea, quę in vita iucunda videntur. sic hæc & sapiens Salomon nominat, Eccle. 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. & cùm enarrasset quomodo ædes ædificauit, & conseuit hortos, & fecit aquarum piscinas, subdidit, Et ibidem. ecce omnia vanitas, & afflictio spiritus. Supplicat igitur Vates, vt mẽtis oculi in nullam aliam contemplationem vergant, & ne præsentium rerum vanitate demulceantur.

Et in via tua viuifica me.

Secundum tuas leges mihi concede, vt viuere possim.

Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

Constantem in tuis sermonibus me redde, iugiter timorem tuum in me custodiens: videlicet, timor tuus mihi incumbat, territans, & nequaquam sinens, vt ex tuis oraculis deflectam.

Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia iudicia tua iucunda.

Aquila autem pro Suspicatus sum, Formidaui dixit, sic etiã Theodotion: sed Symmachus, Quod vereor, explanauit. Opprobrium autem hoc in loco vocat dedecus, quod ex peccato oritur: hoc enim & formidabat, & timebat, & suspectam ducebat vitam, propterea non subdidit, vt solet, Quoniam iudicia tua quæsiui, aut custodiui, sed quoniã iudicia tua bona. non modò enim peccatoribus pœnam interminaris, verùm etiam pœnitentibus salutem polliceris: quandoquidem Iudicia, iustas Dei sententias vocat.

Ecce concupiui mandata tua, in æquitate tua viuifica me.

Mihi optanti viam iustam concede.

Et veniat super me misericordia tua Domine.

Omnes nanque diuinæ benignitatis indigentes sumus,& ille,qui vltimum virtutis fastigium apprehendit,huius continuè indiget.

Salutare tuum secundum eloquium tuum, & respondebo exprobrantibus mihi verbum.

Quam salutem ô Domine in sacris tuis sermonibus pollicitus es,largire, vt insultantibus mihi cum fiducia loquar. Qui enim in calamitatibus existit,conuicia suffert,qui verò iucundam vitam ducit, redarguit contumelijs afficientes.

Quia speraui in sermonibus tuis.

A tuis enim promissis pendeo, & per hanc incedo spem.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque,quia in iudicijs tuis supersperaui.

Vt nos veritatem diligamus Vates edocet, & vt hanc cum omni alacritate ab vniuersitatis Deo efflagitemus.

Et custodiam legem tuam semper in seculum,& in seculum seculi.

Sic enim erga tuas leges propensior custos euadam.per hanc igitur clausulam,In seculum, & in seculum seculi,futuram vitam demonstrauit, in qua pura, & syncera diuinarum legum obseruantia omnibus dabitur.

Et ambulabam in latitudine, quia mandata exquisiui,& loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.

Cum multa inquit, facilitate incedens, & secundum mandata tua viuens, neque regiam potentiam timui, sed cum multa fiducia cum ipsis colloquebar,quandoquidé vita secúdum legem acta,fiduciam affert, & huiusce rei testis est magnus Dauid: Nam ante peccatum cum multa fiducia cum Saule sermocinabatur, post peccatum, parricidam fugitans filium,prospiciens in terram, caputq; operiens, ambulabat. & Elias ille magnus iustitia fretus Acham impietatem redarguebat, sic diuinus Daniel Nabuchodonosor dicebat,Et nunc Rex cõsilium meum placeattibi, eleemosynis redime peccata tua, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. sic diuinus Paulus cũ Agrippa, & Phesto, & Phelice differebat.sic triumphatores martyres impios Reges despiciebant.

Daniel. 4.

Et meditabar in mandatis tuis,quæ dilexi, & leuaui manus meas ad mandata tua,quæ dilexi.

Non enim in sermone est Dei Regnum, sed in opere,& qui fecerit, & docuerit,hic magnus vocabitur in regno cœlorum, idcirco diuinus Vates meditationi actionem præposuit:cùm enim dixisset,Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi, subdidit,Et leuaui manus meas ad mandata tua,quæ dilexi. Quæ enim per diuina oracula didici, hæc per opera executus sum, non enim auditores legis, iusti sunt apud Deum,vt inquit diuinus Apostolus, sed factores legis iustificabuntur.

Et exercebor in iustificationibus tuis.

Continuè enim has meditabar.

Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Legem ferens Deus custodientibus legem suam beneuolentiam promisit,& transgredientibus supplicium: vt recordetur igitur suarum promissionum Deum precatur,quãdoquidem ait, in illas sperare me docuisti. & ostendens spei vtilitatem,subdidit.

Hæc me consolata est in humilitate mea,quia eloquium tuum viuificauit me.

Hanc enim in calamitatibus consolationem habui,super quas vectus super vndas nauigaui.

Superbi iniquè agebant vsquequaque, à lege autem tua non declinaui.

Superbos nuncupat Saulem, Absalonem, Ammanitarum Regem, qui fecit iniqua illa in eos, qui ab ipso missi fuerunt, sed illi quidem inquit, iniquã amplexi sunt vitam, ego verò tuas leges secutus sum. Cæterùm hæc dicere possent etiam triumphatores martyres,qui grauia, & aspera illa à crudelibus, & impijs tyrannis perpessi sunt.

Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine, et consolatus sum.

In mentem enim reduxi ea, quæ in Abel, & in Habraham, & in Isaac, & in Iacob, & in Mosem patrata fuere,quomodo vt in varias tentationes inciderẽt permisit, & deinceps illustres, & amplissimos ipsos declarauit, cõsolationem hinc idoneam reportabam.

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Ego quidem malè patiens, tuorum iudiciorum memoria reficiebar: mœrebam tamen, & laborabam, multos cernens intrepidè tuas infirmare leges.

Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.

Diuersatus est beatus Dauid apud alienigenas, cùm à Saule persecutionem pateretur. Peregrinationem autem ipsum vocare opinor minimè illud tempus, sed totam vitam, non enim veluti habitãs, sed tanquam diuersans viuebat, Deique iustificationes canens, vitam traducebat,sic enim explanarunt & cæteri Interpretes, Cantica erant mihi omnia mandata tua in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.

De nocte semper sanctorum chorus surgens, & preces fundit,& Deum rerum omnium conditorem laudat. Opinor porrò *Noctem* hoc in loco,Tentationum tempus nominari,quandoquidem nebulam inferunt & noctis instar hominibus superueniunt,in hoc sanè potissimùm necessaria est vniuersitatis Dei memoria, quæ recreat,& bono esse animo iubet, contrariasq; cogitationes exigit.

Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui.

Sic,inquit,superare potui, & eligere tuarum iustificationum possessionem.

Portio mea Domine,dixi custodire legem tuam.

Non omniũ Deus est portio, sed eorum, qui perfectas res amplexi sunt: sic Sacerdotum, & Leuitarum pars,& hæreditas fuit. Leuitis enim inquit, non erit pars in medio fratrum suorum, quoniam pars eorum ego Dominus. sic etiam,& in decimoquinto inquit psalmo,Dominus

nus pars hæreditatis meæ,& calicis mei. Dicit igitur & hoc in loco omnia alia despiciens, Te partem,& opum copiam,& diuitias habeo. Idcirco tuas leges custodire festino.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.

Vbique in toto corde appostuit,etiam in hoc legi obtemperans: sic enim vniuersitatis Deus iussit, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis,& ex tota potentia tua.

Matth. 22.

Miserere mei secundum eloquium tuum.

Non infinitè vt misericordiam consequatur obsecrat,sed vt secundum diuinum oraculum misericordiæ particeps sit. Hoc dicere potest etiam prudens ægrotus medico, Vt scis,medicinam adhibe,& vt ars præcipit. Hoc etiã prudens mercator gubernatori dicere potest, Secundum legem artis dirige nauem, & vt scientia iubet,guberna.sic etiam decet nos diuinam misericordiam efflagitare:quandoquidem qui postulatur,scit misericordiæ modum: sæpe enim per animaduersionem salutem procurat, & pœna fit benignitas. sic etiam medicus & secat,& comburit, laboranti sanitatem tractans. sic etiam nos decet misericordiam petere. nam aliquãdo per paupertatem misericordiam impertit, & per ægritudines benignitatem largitur, & secundum medicinæ rationem contrarijs contraria curat.

Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.

Hebræus autem, Vias meas,habet, sic etiam cæteri interpretes explanarunt, & Septuaginta in sexcuplici. dicit autem, perpendens meas vias erga tua testimonia meos pedes direxi, & nec sinebam, vt ab itinere, quod ad te ducit, deflecterem.

Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.

Cùm enim paratum ipsum erga rerum tristium impetus reddidissem; ex inopinata irruptione tempestatem minimè perpessus sum: sic diuinus Daniel, sic beati Pueri, sic admirabiles illi Machabæi, sic omnes Saluatoris martyres impiorum impetus vicerunt. Hoc etiam Dominus sacris in Euangelijs adhortatur, Vigilate,quoniam nescitis qua hora fur veniet.

Matth. 24.

Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.

Insidias siue Dæmonum, siue hominum funes vocauit, accipiens occasionem similitudinis ex nexu:sic etiam Esaias inquit, Væ qui extenditis peccata vestra sicut funiculo longo. Cùm autem hi,ait,funiculi me circũdedissent, diuinæ legis memoriam minimè deposui. Deinde memoriæ causas edocet.

Esa. 5.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ.

Non modò enim interdiù, verùm etiam de nocte,& in ipso medio noctis,in quo cum multa voluptate somnus hominibus superuenit, te laudare non desistebam,& iustas tuas sententias extollebam. Hoc etiã diuinus Apostolus cum Sila fecit: Vinctus enim cum Sila, & ligneis soleis alligatus, post verbera, & flagella, hymnorum cantilenam cum precibus miscuit, & optimæ vigiliæ fructus perceperunt, quandoquidem diuinę liberalitatis compotes fuerunt.

Act. 16.

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

Symmachus hanc vocem Particeps,Coniunctus dixit,& Syrus, Amicus. Auersans enim eos, qui repugnantia tuis legibus elegerunt; socios habui, & familiares eos, qui tuum timorem magnificiebant, quique vitam legitimè traducere decreuerunt. Hoc etiam in alio inquit psalmo, Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.

Psal. 138.

Misericordia tua Domine plena est terra, iustificationes tuas doce me.

In omnes inquit, affatim misericordiæ fontes profundis, & oriri facis tuum solem super bonos,& malos,& pluis super iustos,& iniustos, & non quotidie iram inducis, sed suffers, hos quidem,qui nuptias alienas perfodiunt, & hos, qui iniusto sanguine fœdantur, & alios, qui aliena sibi vendicant,& illos,qui execrationibus linguam maculant, & alios, qui aliquid iniqui patrare audent: tali igitur benignitate vtens,& me hac ô Domine dignum fac, tuarum iustificationum scientiam largiens.

Bonitatem fecisti cum seruo tuo secundum verbum tuum.

Tuę bonitatis periculum feci,propterea rursus vt hanc consequar, precor, & vt secundum tuas leges viuam obsecro.

Bonitatem,& disciplinam,& scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.

Nouit Vates castigationis vtilitatem, & dominum benignitate vtentem hanc correptionem hominibus afferre, propterea vt hanc consequatur petit: quandoquidem Deus bonitate vtens, castigationem inducit, castigatio verò scientiam efficit. sic etiam Vates Ieremias precatur,Corripe nos domine, veruntamen in iudicio & non in furore, ne fortè ad nihilum redigas nos. sic etiam ægrotus sanitatem desiderans, & ferri incisionem & cauterium quærit. Deinde edocet vnde castigationis vtilitatem cognouerit.

Iere. 10.

Priusquam humiliarer, ego deliqui, propterea eloquium tuum custodiui.

Ego, ait, mihi ipsi castigationis causa fui: quandoquidem sententia de pœna est omnis iniustitiæ expers: pœnam secuta est castigatio, castigationem legum obseruantia:ægrotaui, incisus sum,vulneratus sum.

Bonus es tu domine.

Reuera bonus es, & benignus.

Et in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Idcirco audacter quæro tuarum iustificationum scientiam à te accipere.

Multiplicata est super me iniquitas superborum, ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Qui enim superbia vtuntur,omnem insidię speciem in me nectunt, veruntamen in illam transgressionem minimè commoueor, tuis mandatis directus.

Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego verò legem tuam meditatus sum.

Esa. 6. Matth. 13. Exod. 7.

Simile est hoc Vatis illi dicto, Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos clauserũt. simile est etiam illis, quæ in Exodo de Pharaone feruntur, Et induratum est cor Pharaonis. Illi igitur ait, contrarium habuerunt cor, cùm ipsius mollitiem in duritiem conuerterint, & veluti lac firmauerint, & coagulauerint, ego verò ad legis meditationem cor adhibui.

Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.

Gratias agit Vates ob seuera medici remedia, hinc discens sanitatem, quam consecutus est, processisse.

Bonum mihi & lex oris tui super millia auri, & argenti.

Etsi à filio à Regno exactus sum, tamen per animaduersionem tuam legem acquisiui, quæ quibuslibet diuitijs mihi antiquior est.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, da mihi intellectum, vt discam mandata tua.

De amore erga naturam humanam creatorem admonet, quandoquidem cùm verbo omnia creasset, ipse dicitur hominum naturam finxisse, non manibus vsus, incorporeus enim est, sed plurimum affectum erga creatorem ostendens: precatur igitur eum, qui formauit, vt figmento prudentiam suggerat.

Qui timent te, videbunt me, quia in verba tua supersperaui.

Argumentum lætitiæ ait, pijs hominibus ero, cùm in te spem collocassem, cumq; respondentem spei finem nactus essem.

Cognoui domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.

Hæc potissimùm dicit, vt suum gratum animum ostenderet. Bene ait, noui te & rectè, & iustè me condemnasse, & varijs calamitatibus me vinxisse.

Fiat misericordia tua, vt consoletur me.

Sed deinceps benignitatis, & consolationis est tempus.

Secundum eloquium tuum seruo tuo.

Esa. 30. Ierem. 3.

Nam his, qui pœnitentia vtuntur, tuam beneuolẽtiam promisisti. Hoc etiam per Esaiam inquit, Cùm autẽ reuersus fueris, & ingemueris, tunc saluaberis. & per Ieremiam exclamat, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam, quia lex tua meditatio mea est.

Mortuum se ipsum existimat, diuina beneuolentia priuatum, idcirco vt reuiuiscat per diuinam benignitatem precatur.

Confundantur superbi, quia iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.

Non hostibus imprecatur, sed pro eis preces fundit, quandoquidem pudor salutem procurat: Quam igitur medicinam consecutus est, vt illi consequantur postulat.

Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt testimonia tua.

Cùm longissimè abesset ab iustorum choro ob peccatum, cumque illi omnes infensi essent ei, non secus ac ipse Deus; precatur rursus, vt cũ illis in gratiam redeat, & familiaritatem renouet. hoc enim Symmachus explanatius dixit, Conuertant me, qui timent te.

Fiat cor meum immaculatum, in iustificationibus tuis, vt non confundar.

Cor ab omni reprehensione liberum habere desiderat, quandoquidem huiusmodi cor à pudore liberum est: propterea & rursus psalmum exordiens, innocentes, & omni reprehensione vacuos beatos esse dixit.

Defecit in salutare tuum anima mea, quia in verba tua supersperaui.

Qui vehementer aliquid desiderant, & re desiderata sunt priuati, dicuntur deficere. Similiter qui valde sitiunt, & aqua indigent, Similiter qui aliquem domesticum ex peregrinatione expectant, desiderant quidem semper, desiderij verò non compotes facti, liquefiunt, similiter etiam illi, qui cum aliquibus calamitatibus colluctãtur, & diuinam beneuolentiam expectant, ob hanc procrastinatam deficiunt.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?

Eloquiũ, & promissio diuina, vocatur etiam scriptura diuino numine inspirata. Deficit igitur non modò qui diuinam promissionem, & liberationem ab imminentibus malis expectat, sed etiam qui diuina oracula lectitat, horumq; sensum sedulo discere desiderat, & putat horum inuentionem esse sibi consolationem, & animi oblectationem.

Quia factus sum sicut vter in pruina, iustificationes tuas non sum oblitus.

Vter calefactus mollitur, & tumefactus extenditur: in pruina verò obdurescit, & contrahitur: sic etiam est corporis natura, mollitur quidem ob delitias, & extenditur, & contra animam consurgit, mœrore verò exercitationis deprimitur, & premitur, & huius testis est Apostolus exclamans, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Igitur Vates cùm à Saule persecutionem pateretur, affectibus superior erat, cùm verò pace perfruitus esset, à delitiarum saltibus læsus est, cùm autem corpus depressisset, diuinarum legum memoriam renouauit. 1. Cor. 9.

Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium?

Breue ait, humanæ naturæ est tempus. Dies enim annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Quando igitur ius mihi reddes, & ab inimicis me liberabis?

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.

Prophetæ quidem vt inimicos necaret consuluerunt, ipse verò diuinæ legi obtemperans, diuinam sententiam expectauit: verùm nobis etiam horum oraculorum doctrina vtilissima est. decet enim nos fugere non modò Græcorum fabulas, Iudæorumq; perfidiam, sed etiam hæreticorum nefaria dogmata.

Omnia mandata tua veritas.

Propterea enim tuam legem eligo, quoniam tua mandata veritate ornata cerno.

Iniqui persecuti sunt me, adiuua me, paulominus consum-

consummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.

Multa, inquit, est iniquitas, hostiumq; potentia: etenim propemodum me vita priuarunt.

Secundum misericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia oris tui.

Humilitate sermonem ornauit: non enim vitam pro iustitiæ remuneratione petijt, sed vt pro munere misericordiæ ipsam accipiat, obsecrauit, custodire promittens Dei testimonia.

In æternum Domine, verbum tuum permanet in cœlo.

Omnia enim inquit, tibi domine facilia sunt, atq; fieri possunt. mandatum enim tuum, immobiles cœlorum latitudines custodiunt. Hoc autem & in centesimo quadragesimo octauo inquit psalmo, Statuit ea in æternum, & in seculum seculi, præceptum posuit, & non præteribit. Cæterùm eodem tempore innuit non solùm cœlos, sed etiam cœlites diuinam custodire legem, & ab omni transgressione immunes esse.

In generatione, & generationem veritas tua.

Hanc nanque veritatem Iudæorum populo seruasti, alijque, qui post illos fuit. Dicit sanè ex gentibus populum, qui per Saluatorem nostrũ Christum salutem adeptus est.

Fundasti terram & permanet, ordinatione tua perseuerant dies.

Dedisti terræ in longissimum tempus perpetuitatem, & perstitit, vt iussisti, cùm diem à nocte diuisisses, & secundum tuas leges progreditur.

Quoniam omnia seruiunt tibi.

Omnia enim tibi seruiunt, tuisque nutibus obtemperant: quandoquidem tu omnium opifex es.

Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perijssem in humilitate mea.

Hæc vnusquisque, qui in impiorum calamitates incidit, dicere posset, & Ioseph etiam cùm seruitutem, adulterium, & calumniam aufugisset, & Daniel ne obsecraret prohibitus, & tres illi, qui vt imaginem venerarentur coacti fuerunt, triumphatores esq; martyres, qui varias species supplicij perpessi sunt. Meritò autem hæc ait beatus Dauid cùm à Saule exactus esset, & cum alienigenis impijs hominibus simul viuere coactus esset: particeps nanque impietatis fuisset, nisi diuinarum legum meditationem secum circumtulisset.

In æternum nõ obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.

Cùm enim re ipsa didicissem tuas iustificationes vitam producere, perennem horum memoriam conseruabo.

Tuus sum ego, saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.

Non omnes hac voce vti possumus, peccati enim seruus mentitur, se ipsum Dei seruũ esse nominans: à quo enim quisque deuictus est, illi seruus est. si igitur ab illo peccato liberati, diuinas sequeremur leges, hac poterimꝰ vti voce.

Me expectauerunt peccatores vt perderent me, testimonia tua intellexi.

Τὸ ὑπέμειναν, Expectauerunt Symmachus, & Theodotion dixerunt. Illi quidem me morte mulctare sperarunt, ego verò tua testimonia attendens, hinc vitam percipiebam.

Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

Symmachus autem sic, Totius structuræ vidi finem, amplum mandatum tuum nimis. Omnia inquit, humana, & diuitiæ, & opum copia, & potentia, & imperia, & militiæ præfecturæ, tyrannides, & Regna finem habent, & finem celerrimum: tuum verò mandatum amplum est, & immortale, & custodientibus illam perennem, & æternã vitam conciliat, & bona, quæ nullam vicissitudinem recipiunt.

Quomodo dilexi legem tuã Domine, tota die meditatio mea est.

Non omnis diuinam legem implens, ipsam non amando impletur: alij quidem timore, & formidine pœnæ, alij verò hominum gloriam aucupantes, sed synceri virtutis studiosi ob affectum erga res bonas diuina mandata implere festinant.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quoniam in æternum mihi est.

Cùm Vates inflammato studio diuinam legem diligere confessus esset; diuinæ gratiæ omnia ascribit. cùm à te enim inquit, sapientiã, & scientiam accepissem; tuam adamaui legem; maiorem enim mihi, quàm hostibus scientiam largitus es: propterea me necare student, ego verò nec inimicos vlcisci volui, cùm sempiternum virtutis lucrum perpendissem.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.

Proprium Regum est docere, subditorum verò discere. Regnauit Saul, senior etiam tempore erat, sed neque Regni potestas, neque ætatis tempus, vt ipse saperet, fecit, sed beneficij auctorem perdere concupiscebat: verùm magnus Dauid æquo iure cum subditis viuens, & iuuenilem ætatem agens, philosophiam adamauit, & nec prior alicui iniuriam inferre voluit, neque iniuria afficientes vlcisci.

Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.

Neque enim fieri potest eodem tempore, vt duas incedamus vias, nimirum incontinentiæ, & temperantiæ, iustitiæ, & iniustitiæ, sed oportet contrarias fugere, & rectam ambulare: nam hoc pacto vt diuinarũ legum custodes simus, fieri potest.

A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi.

Cùm enim te harum rerum latorẽ legis nouerim, cum omni studio ea amplexus sum.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.

Non enim sic mellis dulcedo oris sensum dulcem efficit, quàm tuorum oraculorum meditatio meam lætificat animam. Guttur enim posuit tanquam vocis instrumentum, per vo-

cem verò meditatio sit, his verò anima vtens, hinc vtilitatem percipit.

A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.

Intelligens enim quæ Deo placent; auersatus sum omnes iniquitatis species.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

Non enim in tenebris ambulo, veluti quadã lucerna, lege illustratus. Sciendum est, legem lucernam nominari, Saluatorem, & dominum nostrum iustitiæ Solem: nam illa quidem vt lucerna vix vnam illuminauit gentem, hic verò totum terrarum orbem illustrauit. sic diuinũ Ioannem lucernã dominus Christus vocauit, cùm adhuc nox esset, quando ipse Ioannes Iudæis apparuit, postea verò, lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum, illuxit. Et sacros Apostolos lucem etiam appellauit, tanquam illius luminis participes, omnes homines illustrantis. Iean. 1.

Iurauí, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Firmum animæ iudicium iusiurandum vocauit, quoniam plures res iureiurando corroborantur.

Humiliatus sum vsquequaque Domine, viuifica me secundum verbum tuum.

Non simpliciter se humiliatum esse dixit, sed vehementer humiliatum, præsertim cùm Rex esset, & Propheta, & fiduciam à virtute haberet, & diuitijs affluere t, & hostes vinceret, sed nec sapientiæ, nec fortitudini, nec iustitię fidere voluit vnquam: & hæc diuinæ gratiæ donũ esse opinatur. & vitam ab eo, qui eam dare potest efflagitans, non indefinitè petit, sed rationis compotem, & secundum legem, & à diuina lege illustratam.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, & iudicia tua doce me.

Diuinæ quidem leges plurima virtutis officia iubent, aliqua verò ex humana mente sunt appositа. sic etiam ex sacrificijs, aliqua sunt ex legis præscripto, alia verò humana mente excogitata, & hęc quidem pro peccato, & delicto, & pro expiatione lex afferre præcipit, & veluti quoddam debitum exoluebantur Deo, hæc verò ob mentis liberalitatem, munera allata appellauit: sic etiam nunc temperantiam, & iustitiam euangelici sermones præcipiunt: virginitas verò, & post nuptias continentia, & paupertas, & solitaria vita, & in eremo commoratio, mentis opera sunt, quæ legem transcendunt. Talia igitur Vates voluntaria nuncupauit: quę enim minimè legis necessitati subijciũtur, sed piæ, & religiosæ mentis sunt fructus, iure voluntaria vocantur.

Anima mea in manibus tuis semper, & legem tuã non sum oblitus.

A tua enim prouidentia custoditus, tuarum legum obliuionem abieci.

Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui.

Multas variasque homines, & Dæmones insidias in me struunt, ego verò tuorum mandatorum iter inerrans decreui incedere.

Hæreditate acquisiui testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt.

Hæreditatem sempiternam & tutam, tua testimonia esse credens, ob huius possessionem exulto & lætor.

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes propter retributionem.

Trutinæ simile est animæ consilium, mens verò, quæ ducis vice fungitur, funiculũ tenet. si igitur pijs cogitãtionibus se applicuerit; necesse est ad meliora stateram vergere: hoc ie fecisse diuinus Vates ait, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. etenim cùm perspexerim lucrum, quod hinc percipi solet, volens, libensque pro his sudores suscepi, & docens quomodo res diuinas elegerit, subiunxit.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.

Cùm enim cogitationes titillãtes nos vt delinquamus abiecerim; tuam legem prætuli.

Adiutor meus, & susceptor meus es tu, & in verbum tuum superperaui.

Non absque tua ope hoc rectè egi, sed tuum auxilium nactus, tuaq; spe educatus.

Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.

Hæc inquit, dicebam meis absurdis cogitationibus, ijsque, qui inania mihi consulere conantur, quoniam mihi nullum consilium talia suggerebant: quandoquidem vita secundum tua mandata chara mihi est. non temerè hæc secutus sum, sed cum omni studio ipsa indagabo, vt nihil horũ me lateat, verùm omnia perficiam, quot vniuersitatis dominus præcepit.

Suscipe me secundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea.

Hunc igitur habens finem, tua prouidentia me dignare, ne spe aberrans, dedecore implear. *Eloquium* hoc in loco Promissionem dicit, nimirum salutem mihi promissam largire.

Adiuua me, & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis.

Etenim tuarum iustificationum salutẽ consequi haudquaquam negligam, sed semper has meditabor. Meditationem quippe dicit, non in verbis solùm, sed etiam in operibus.

Sprenisti omnes discedentes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum.

Talem promptitudinem erga tua mandata habebo, cùm infames & ridiculos esse hæc trãsgredientes nouerim.

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi testimonia tua.

Præuaricantes, Theodotion Pro nihilo dixit, Symmachus autem, Scoriam. Sanè Vates hoc declarauit, pro nihilo habens ipse non secus ac Deus transgredientes; omnem promptitudinem ad diuinorum oraculorum absolutionem adhibuit, quippe qui transgressionem nouerit.

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.

Anima mea ait, tuo timore induta est, sed quoniam corpus in hanc consurgit, huiusque membra; obsecro, vt timore hoc configatur, vt

vt ipsa membra mortua peccato facta, animæ ducatum sequãtur. Hoc est simile illi Apostolico dicto, Mortificate mẽbra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, malam concupiscentiam, & auaritiam, quæ est Idolorũ seruitus. Et rursus, Cum Christo simul crucifixus sum, viuo autem non amplius ego, viuit verò in me Christus. Coloss. 3. Galat. 2.

Feci iudicium, & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.

Cùm ait, tuas sequi leges decreuerim, ne hostibus præda fiam. Quis ianè nunc hanc animæ puritatem habet, vt cum fiducia his verbis vtatur? his igitur etiam diuinus Apostolus similia dixit, Nam gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. 2. Cor. 1.

Suscipe seruum tuum in bonum.

Aquila, & Theodotion, Fideiube, explanarunt. hoc est, Verum dico, non mentior, crede seruo tuo promittenti, ipse esto sponsor meæ promissionis, quoniam tuas implere leges studeo.

Non calumnientur me superbi.

Tristis est calumnia, licet magnam mercedem in se habeat: in hanc mirabilis incidit Ioseph, & alij innumeri. Iubet autem etiam Dominus, vt obsecremus, ne intremus in tentationem, nihil igitur absurdum neque Vates fecit, cùm hanc petitionem petierit. Vehementer enim dura est superborum, & potentium hominum calumnia: iniustitia enim cum potentia coniuncta, maiorem efficit perniciem.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.

Rursus hic Eloquium, promissionem vocat. Continuè inquit, à te salutem expecto, & pollicitationis finem desidero. Posuit autem hoc verbum Defecerunt, vt intensum ostenderet desiderium.

Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doceme.

Is, qui tantæ virtutis studiosus erat, precatur, vt misericordiam cõsequatur, & per illam salutem petit, nec mercedem repetit, sed benignitatem implorat.

Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

Omnes quidẽ homines natura Dei sunt serui, affectu verò qui libentissime Dei imperium elegerunt: cùm huiusmodi collegij Vates esset, se ipsum seruum nominat, & vt prudentia dignus fiat obsecrat, vt Dei testimonia sciat.

Tempus faciendi Domine dissipauerunt legẽ tuam.

Deus omnia pondere, & mensura gubernat: fert quidem diutius peccata hominum: cùm verò prauitatem ob patientiam auctam viderit, tunc pœnam irrogat. hoc igitur & hoc in loco ait, tempus est consurgendi in auxilium eorũ, qui iniuria affecti sunt ô Domine, magnopere enim tuam legem hostes conculcarunt.

Ideo dilexi mandata tua super aurum, & Topazion.

Illi quidem igitur tuam despexerunt legem, ego verò tua mandata auro lapidibúsue pretiosis iucundiora duco: quandoquidem Topazius, lapis est pretiosus, ab vno quippe omnes declarauit. Cæterùm verisimile est illa tempestate hunc prælatum fuisse alijs.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.

Desiderium enim promptitudinem efficit, promptitudo verò erat in causa vt rectam viam laudaret, & iniustitiæ semitam odio haberet.

Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.

Ostendit se non frustra horum studiosum fuisse. Admiratione enim digna sunt ait, & possunt demulcere, & in amorem excitare eos, qui videre queunt. & vnde horum virtutem didicisti?

Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.

Tuo, inquit, lumine illustratus, hanc scientiam accepi, & tua lex prudentia implet omnes, qui ignorantia detenti, & infantiũ instar sunt.

Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.

Os hoc in loco vocat Mentis alacritatẽ, quandoquidem hæc spiritus gratiam attrahit: etenim alibi inquit, Dilata os tuum, & implebo illud. & diuinus Apostolus in patefactione oris, vt verbum sibi daretur precatur. & idem Vates in alio inquit psalmo, Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa: hoc etiã & hoc in loco inquit, Os meum aperui, & attraxi spiritum, quoniam mandata tua desiderabam. Cùm enim tuorum mandatorum me desiderantem conspicatus esses; tua gratia me dignatus es. Psal. 80. Ephes. 6. Psal. 67.

Respice in me, & miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.

Vt diuinam consequatur beneuolentiã precatur, non simpliciter, sed vt diligentib⁹ te misericordiam præbere soles. hoc nanque dixit, Secundum iudicium diligentium nomen tuũ, videlicet, obsecro, vt æqualem his sententiam reportem.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniustitia.

Nobis enim promptitudinem antea demonstrantibus, & Deo opem ferente, atque viam dirigente; peccativis haudquaquam locum habet.

Redime me à calumnijs hominum, vt custodiã mandata tua.

Et Dominus Christus opprobrijs, & calumnijs affectos, beatos, & felices nuncupat, sed etiam iussit, vt obsecrent, ne intrent in tentationem: Consonat igitur Euangelicis legib⁹ Vatis etiam precatio.

Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas.

Deus quidẽ incorporeus est, & simplex, compositionisque expers, sed tanquam de re corporea, & crassa diuina scriptura de ipso fatur, hominum naturã sermones metiens. Quapropter per diuinæ faciei aduentum considerandum est, rerum tristium finem, & bonarum largitionem.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

1.Cor. 12. Et hæc lex Apostolica est, Si enim vnũ membrũ ait, patitur, simul patiuntur inquit, omnia membra. Euangelicã igitur perfectionem Vates persequitur, aliorum iniquitates deplorans. Cæterùm Aquarum exitus, Lacrymarum multitudinem vocauit, hoc est, fluminis instar lacrymas profundebam, cùm hominum scelera conspexerim.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, mandasti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.

Iustè omnia gubernas Domine, & hominum curã gerens & iustitiæ operarios declarare volens, & legem dedisti, & transgredientes testaris quas pœnas luent, & custodientibus bona præmia promittis, & operibus promissa confirmas. hoc enim indicat, Et veritatem tuam nimis.

Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Et homines iniquè viuentes Vates deplorat, & iustè indignatur, latorem legis neglectum cernens. Hic zelus Phineem prædicauit, hic magnum Eliam celebrem fecit, hoc etiam zelo accensus triumphator Stephanus Iudæorum perfidiam redarguit, hunc in se ipso diuinus
2.Cor. 11. Paulus circumferens exclamabat dicens, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? & beatus Lucas de ipso
Actu. 13. ait eius spiritum incitari in ipso, vidente ciuitatem idolorum cultui deditam.

Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.

Probatus ait, & purus tuus sermo, & omni reprehensione liber, ego verò de hoc ardentẽ amorem habeo.

Adolescentulus sum ego, & contemptus, iustificationes tuas non sum oblitus.

1.Reg. 16. Cùm Deus diuino Samueli iussit, vt vnum ex filijs Iesse in Regem eligeret, alios quidem & robore, & potentia, & corporis pulchritudine præditos præterijt, percunctatus est autem Iesse si reliqui essent filij, ipse verò respondit, paruum puerum reliquum esse, qui greges pascit, & tanquã ineptum Regem vocauit. Vates autem hunc ad se adduci iussit, & cùm peruenisset, actutum vnxit. Huius muneris hoc in loco Vates meminit, & ait, Et cùm iuuenis essem, cumq; maioribus meis humilis, & tenuis habitus essem, tanta gratia me dignatus es, & Vatem simul, & Regem me fecisti, quapropter cum omni alacritate tua mandata custodire desidero.

Iustitia tua iustitia in æternũ, & lex tua veritas.

Is, qui humanis legibus obtemperat; nec in præsenti vita à latore legis honorem consequitur: qui autem diuina sequitur mandata; laborum mercedem habet, nimirum vitam æternã. Cæterùm etiam humanæ leges non omnino omnes iustitiam continent, sed Dei lex veritate micat; iure igitur inquit, Iustitia tua iustitia in æternum, & lex tua veritas.

Tribulatio, & angustia inuenerunt me.

Hæc virtutis studiosos comitatur.

Mandata tua meditatio mea est.

Nam ex horum doctrina fortitudinem disco, viriliterque tristia fero.

Æquitas testimonia tua in æternum.

Hoc est, sunt in causa, vt æterna consequamur bona.

Intellectum da mihi, & viuam.

A te nanque illustratus, vitam æternam adipiscar.

Clamaui in toto corde meo exaudi me Domine, iustificationes tuas requiram.

Clamorem rursus Animæ alacritatem vocat, propterea apposuit hanc clausulã In toto corde meo. sic etiam Moses clamabat, tacens, & ei Exod. 14.
in mente obsecranti Deus dixit, quid clamas ad me?

Clamaui ad te saluum me fac, vt custodiam mandata tua.

A te enim salutẽ consecutus, tuarum legum custos ero.

Præueni in maturitate, & clamaui, quia in verba tua superspera.

Vates cùm Rex esset, cumq; innumeris curis circundaretur, belloque occuparetur, & cùm præterea certamina recepisset; non modò illucescente vita Deo preces afferebat, verùm etiã in noctis medio minimè gallorum cantus operiens, sic Deum creatorem desiderabat, sic promptè opem illinc efflagitabat.

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.

Non solùm autem dulcissimi somni tempore, sed prima luce diuinas meditabar leges: nos verò pauperes, & ab omni cura liberi, in lectulo pernoctantes, huc & illuc nos volutantes, neque exoriente die bonorum largitoti hymnum afferimus.

Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine, & secundum iudicium tuum viuifica me.

Qui tot, tantisq; bonis affluit, vt misericordiam consequatur obsecrat, & non sine termino misericordiam postulat, sed secundum vtilem sententiam.

Appropinquarunt persequentes me iniquitati, à lege autem tua longè facti sunt.

A longè enim à diuinis legibus sunt, qui iusto bellum inferre conantur: Qui nanque vos Luc. 10.
spernit inquit, non vos, sed eum, qui misit vos, & inimicus ero inimicis meis, & aduersabor aduersantibus vobis.

Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas.

Cernis, ait, omnia, non enim recedis, sed totum terrarum orbem imples, & veritate vtens, vniuersitatem moderaris. hoc etiam ipse Deus per Vatem inquit, Deus appropinquans ego Ierem. 23.
sum, & non Deus à longè. & beatus Paulus, In ipso inquit, viuimus, & mouemur, & sumus. Act. 27.

Initio cognoui de testimonijs tuis, quia in æternũ fundasti ea.

Testimonia, Cœlum, & terram nuncupat: Idcirco & Moses magnus canticum exordiens fatur, Attende cœlum, & loquar, & audiat terra Deut. 32.
verba oris mei. In his quippe cõtinuè Dei prouidentia cernitur, cum multo enim ordine omnia

nia progrediuntur, & hinc ait, Propè es tu, & his quæ sunt semper præstò es, nullaque res te præterit.

Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.

Luc. 14. Qui se humiliauerit, exaltabitur, secundum
Matth. 5. Domini vocem. &, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. hac etiam diuinus Vates alias virtutes decorauit, & hanc prætendens, diuinum auxilium promittit.

Iudica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum viuifica me.

De promissionibus dominum admonet, & ab ipso salutem petit, precaturque, vt iudicium inter eum, & suos inimicos constituatur.

Longè à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt.

Salute, inquit, quæ à te procedit, iniquè viuentes se ipsos priuarunt, nolentes discere ea, quæ vt facerent, iussisti.

Misericordiæ tuæ multæ Domine, secundum iudicium tuum viuifica me.

Multæ sunt benignitatis diuitiæ: iusta est tua sententia, ab hisce salutem efflagito.

Multi, qui persequuntur me, & tribulant me, à testimonijs tuis non declinaui.

Nec, inquit, cùm multis calamitatibus cinctus essem, aliquid eorum, quæ à te lege lata fuere, transgredi volui. Atqui cùm argumentum psalmi dixerimus, asseruimus omnia diuinum Dauidem quæ sibi acciderunt in hoc psalmo congessisse, & alia illis molestis rebus; quæ à Saule in ipsum facta fuere congruere, alia verò ijs, quæ ab Absalone patrata sunt, hæc patet, cùm à Saule persecutionem pateretur, deprecantem dixisse: quandoquidem illa tempestate peccati expers erat.

Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.

Sic beatus Paulus Iudæos, sic ipse Dominus Hierosolymam deplorabat, sic diuinus Ieremias populi iniquitatem lamentabatur.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine, in misericordia tua viuifica me.

Continuè mandatorum, & legum, & iustificationum, & testimoniorum mentionem facit, desiderium de hisce præ se ferens.

Principium verborum tuorum, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

Certas habes promissiones, & veritate eas ornas, reque sermones confirmas. Principium autem verborum, Pollicitationes Habrahæ factas vocat: ex illo nanque Iudæorum gẽus constitit, sed impleuit, promissa, & auxit populum sicut stellas cœli multitudine, & in semine eius secundum promissiones omnes gentes benedixit. Hoc enim indicauit cùm dixisset, In æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ. Cùm enim esset Vates, perspiciebat sempiternum Christi imperium. Idcirco & veritate inquit præditum esse diuinorum sermonum principium.

Principes persecuti sunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum.

Hostes, inquit, & persequentes me minimè timui, tuas verò leges veritus sum, quapropter cùm dormientem hostem inuenissem, necare minimè ausus sum, & parricidam illum; & infestum filium miseratus dicebam, Parcite filio 3.Reg. 26.
meo.

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.

Cùm de hostibus persequentibus mentionem fecisset, iure & de spolijs meminit. Dicit autem & si occidissem omnes illos, & si prædatus essem quæcunque spolia colligere potuissem, non sic lætatus essem, quàm tuis legibus gauisus sum.

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.

Verus etiam est hic sermo: qui enim inflammato studio erga diuinas res affectus est, contraria odio habet.

Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ.

Nonnulli, Septies; Sæpissimè explanarunt, & hoc & illud ardẽtem amorem Vatis demonstrat: quandoquidem diuinæ laudis satietas haudquaquam ipsum capiebat.

Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est illis scandalum.

Qui diuino amore flagrant, & pacem cum ipso per obseruantiam mandatorum possident, licet ab hominibus bello petantur, placidam transfigunt vitam, & testis est diuinus Paulus exclamans, In omnibus tribulationem patimur, 2.Cor. 4.
sed non angustiamur, egemus, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur. & Dominus cùm sacros Apostolos ficut oues in medio luporum in totum terrarum Matth. 10.
orbem misisset, dixit eis, Pacem meam do vo- & Ioan. 14.
bis, pacem meam relinquo vobis.

Expectabam salutare tuum Domine, & mandata tua dilexi.

Neque calamitatibus cinctus, bonas abieci spes, sed tuam salutem expectaui, tua mandata sequens.

Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit eam vehementer. seruaui mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Cùm enim nouissem te omnia conspicere, & me viuere sub te spectatore; non modò tua mandata perfeci, verùm etiam cum flagranti studio hoc feci.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Cùm totam deprecationem attulisset, precatur, vt preces admittantur, & minimè proijciantur, & obsecrat, vt prudentiam accipiat non humanam, sed diuinorum oraculorum scientiam.

Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.

Postulationem, Obsecrationẽ vocat: hoc enim apud alios Interpretes inueni. Diuersis igitur verbis vtens, dominum demulcet.

Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iustificationes tuas.

Ructus cibum sequitur: cùm enim inquit, tuas iustificationes didicerim, tibi huiusmodi

rerum

rerum præceptori hymnorum cantilenam afferam.

Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.

Meditationi tuorum oraculorum linguam consecrabo, cùm nouerim tua mandata omni iustitia prædita esse.

Fiat manus tua, vt saluet me, quoniam mandata tua elegi.

Symmachus quidem, Malui, Aquila verò, & Theodotion, Selegi, explanarunt. *Manum* autẽ vocat Diuinam vim, à qua obsecrat, vt diuinam consequatur opem.

Concupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est.

Desidero, ait, à te salutem adipisci continuè tuam legem meditans.

Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.

Porrò noui me haud quaquam spe frustrari, sed veram vitam à te consequar, & te bonorum largitorem laudabo.

Erraui sicut ouis, quæ perijt.

Hoc & Vati dicere post peccatum congruebat, & toti hominum naturæ.

Quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Etsi enim aliqua mandata transgressus est, tamen horum obliuionem penitus non admisit, sed has preces Vates profudit, & tota hominum natura salutem consecuta est: Nam bonus pastor ad palantem ouem cucurrit, & cùm montes, & colles obiuisset; (quandoquidem apud hos Dæmones honorans errabat) inuenit, & supra humerum reduxit, & magis ob ipsam lætatus est, quàm ob nonaginta nouem minimè vagantes. Nos autem cùm explanationem psalmi summis labijs attigissemus, legentes obsecramus, ne sint contenti rebus à nobis scriptis, neque autument hæc solùm Vati congruere, sed vnusquisque opportunam vtilitatem ex hisce percipiat, salutaremq; medicinã proprijs affectibus præparet.

Psalmi CXIX. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Theodotion Carmen ascensuum, sed Symmachus, & Aquila, In ascensus, verterunt. Indicant ascensus, siue gradus captiui populi è Babylone reditum: quandoquidem gratia spiritus sancti seruitutem, & futuram libertatem prænoscebat, & hanc, & illam prædixit, illorum vtilitatem procurans, & nobis hinc lucrum afferens, verùm non eadem quilibet è psalmis graduum vaticinatur, sed vnus quidem calamitates, quæ Babylone ipsis acciderunt, & hic reditus lætum nuncium, alius autem in itinere lætitiam, & alius bella, quæ post reuersionem gesta fuere, alius templi instaurationem, & varietas vaticinationis satietatẽ hymnorum cantilenæ exigit. Cæterùm vnusquisque horum psalmorum formatus est in sanctorum chorũ, qui ea tempestate erat: quandoquidẽ propheticus sermo illos quę hîc proposita sunt dicentes inducit: atqui primus graduum & calamitates, & diuinam beneuolentiam narrat.

Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Porrò exordium mœroris magnitudinem, & diuinæ benignitatis hyperbolẽ docuit. mœrens enim ait, Dominũ oraui, beneuolentiamque adeptus sum. Deinde narrat quibus verbis vsus sit, precans.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.

Obsecro, ait, vt ab iniustè insidiantibus, dolosisque fraudibus vtentibus me liberes. Huiusmodi erant ij, quiob precationem laqueos Danieli posuerunt, acerbi accusatores eorum, qui eodem tempore quo etiam cum Anania rei erant.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs.

Gratia spiritus hoc in loco mœrentes consolatur, & iustam sententiam pronunciatam in eos, qui dolis vtuntur, tacitè innuit. Nam potentem quidem vniuersorum Deum vocat, Sagittas verò potentis, suppliciorum celeritatem, ex translatione sagittarum, quæ emittuntur, & facilè aërem secant. Carbones autem desolatorios, vocat supplicij vehementiã, & consumptionem, & euersionem, huiusmodi est natura ignis, hoc est, ne afflicteris ab iniqua lingua percussus, parata nanque sunt supplicia à iusto Iudice emissa, quæ sagittarum celeritatem, & carbonum desolatoriorum vim imitantur.

Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est.

Hæc ait, dicebã, preces fundens, & cùm has benignus exaudisset, misertus est. Incolatum autem vocat, in aliena terra stationem, Septuaginta quippe annorum tempus, diuturnum iure nominatur, tantam enim perfectam hominum vitam Propheta dicit esse, Dies enim inquit, annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. *Psal.89.*

Habitaui cum habitantibus Cedar.

Cedar secundus Ismaelis filius fuit: posteri autem non longè ab vrbe Babylonis vsque in hodiernum diem habitant. Quoniam igitur à principio inuicem infestam vitam ducebant, (Eijce enim inquit, ancillam & filium eius, nõ erit enim hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac) meritò se ipsos deplorant, quippe qui ex pristina quidem libertate elapsi sunt, & prope seruos vitam traducebant, & seruire coacti sunt. *Genes.22.*

Multum incola fuit anima mea.

Longum inquit, est peregrinationis tempus.

Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus, cùm loquebar impugnabant me gratis.

Hoc in loco Babyloniorum prauitatem edocet, cùm enim nihil ait, conqueri possent, insidijs petebant, & ijs, & qui pacem amplectebantur, veluti hostibus vtebantur.

Psal.

Psalmi CXX. Interpretatio.

Canticum Graduum.

His, qui Babylone adhuc degebant, etiam hic psalmus conuenit.

Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.

A multis, varijsque calamitatibus cinctus, vndique oculos circunferebam, aliquam opem consequi desiderans.

Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram.

Verùm noui me nullũ humanum auxilium adipisci posse, satis quippe est mihi Dei beneuolentia: & ostendens auxilij potentiã, infert, Qui fecit cœlũ & terram. Qui enim verbo hęc condidit, & mihi ferre opem potest. Deinceps quid ipsis faciundum sit Vates persequitur.

Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.

Si steteris inquit, firmã habens in ipso spem; omnem ab ipso opem consequeris. Hanc igitur clausulam, Non dormitet qui custodit te, humano more posuit, ex translatione eorum, qui greges, & exercitus, & ciuitates diligenter custodiunt: Nam diuinam naturam affectu carentem esse, per ea, quæ sequuntur, declarauit.

Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israël.

Natura quidem est peruigil custos: te autem fluctuante; & ipse incuriam de te veluti quendam somnum accipit: quandoquidem non amplius de te curam geret, sed insidias tibi nectere volentibus permittit.

Dominus custodit te, dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Hoc in decimo quinto inquit psalmo, Præuidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. & hoc in loco igitur inquit, eum prope manum tuam dexteram existentem, te protecturum, & custoditurum, & omni auxilio dignaturum.

Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.

Dicunt Lunam non modò humidam, verùm etiam calidam esse, & comburere non secus ac Solem corpora. Dicit autem & de nocte, & interdiu ab ipso curam consecutus, illæsus custodieris. Cæterùm de antiquis historijs ipsos admonet: Etenim cùm ab Aegyptiorum seruitute liberati essent, nube tecti, solaris flammæ vim non senserunt.

Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam dominus, Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & vsque in seculum.

Vniuersi generis Dei prouidentiam per ea, quæ dicta sunt, declarauit, qua præsente, hostibus superiores euadimus, laqueosque eorũ, qui cernuntur, & haudquaquam cernuntur, declinamus.

Psalmi CXXI. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Supradictos quidem mœrentibus Vates accommodauit, hunc autem ijs, qui cum gaudio reditus lætum nuncium iam acceperunt, & iucundissimum iter arripuerũt: exultantes enim & tripudiantes inuicem dicunt.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus.

Religionis est hæc vox: nam exultant, & gaudent, non tanquam domum recepturi, sed veluti diuinum templum visuri.

Stantes erant pedes nostri, in atrijs tuis Hierusalẽ.

Iam inquit, stare videmur in illis sacris atrijs, diuinumque cultum perficere.

Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.

Symmachus autem sic explanauit, Hierosolyma, quæ ædificatur, vt ciuitas, quæ propinquitatem habet. Quæ enim nunc deserta est, domosque dissectas habet, rursus floresceet, & frequentabitur, pristinaque mœnia habebit.

Illuc enim ascenderunt Tribus Tribus domini, testimonium Israël, ad confitendum nomini domini.

Roboam tempestate diuisæ fuerunt Tribus, & Dauidici Regni decem separatæ fuere: Verùm post reuersionem vnum imperium euasit, & omnes in Hierosolymam concurrerunt, visitatum honorem secundum legem Deo afferentes. Hoc igitur Vates hîc vaticinatur, Tribus pristinam concordiam fore vt accipiant; vtque in Hierosolymam concurrant, Deum visitato more laudantes. Cæterùm testimonium; Diuinam nuncupauit legem palàm iubentem; vt Israël in locum concurrat, quem selegit dominus Deus.

Quia sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.

Cùm diuina vaticinatus esset, & humana prædicit. Quoniam enim Hierosolymæ non modò diuinum erectum erat templum, verùm etiam regiæ domus, & eò omnes confluebant; qui controuersias decidere volebant; necessariò hoc etiam prædixit Vates: Quoniam minimè in Samariam decem Tribus confluent, sed quemadmodũ Dauidis tempore illud certum habebant tribunal, sic etiam post reditum ibi omnes cogentur.

Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem, & abundantia diligentibus te.

Porrò Symmachus sic dixit, Amplectimini Hierosolymam, otiabũtur, qui diligunt te. hoc est, cùm profunda pace perfruiti effetis, Hierosolymæ habitationem amplectimini: quandoquidẽ in omni lætitia, qui hanc diligunt, erunt.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Symmachus autem sic vertit, Pax in mœnibus sit, robur in regijs domibus. Sanè precatur ipsi Hierosolymæ diuinus Dauid bona, vt & mœnia, & domus regiæ, & habitationes, quæ in ipsa sunt, pace fruantur.

Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te; propter domum Dei nostri quæsiui bona tibi.

Hæc autem inquit, tibi precor, non ego ipse in te degens: quomodo enim ille, qui multò

ante finem vitæ susceperit, hæc dicere potest? sed desiderans, vt sui ciues pace fruantur, & exoptans, vt domus Dei mei pristinam amplitudinem recipiat.

Psalmi CXXII. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Et hic psalmus pietatem iustorum illius temporis ostendit.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.

Cùm omne humanum auxilium pro nihilo habuerim, tuam ô domine expecto opem, à tuaque prouidentia pendeo, te nanq; noui esse cœlorum dominum. Cæterùm ipsum in Cœlis habitare dicit, non veluti loco circumscriptum, sed veluti lætantem cœlestibus potentijs, quæ cœlos incolunt.

Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad dominum Deum nostrum.

Sicut enim inquit, famuli in dominorum manus respiciunt, vtpote qui vitæ commeatus illinc percipiunt; eodem pacto etiam nos domine à te bonorum fructum percipere præstolamur. Ancillę quidem, non vt eadem diceret, mentionem fecit, sed vt affectus magnitudinem prę se ferret: quandoquidem magis ancillæ, quàm serui, quippe quæ continuè versantur in cubiculis suarum dominarum, has attendere solent, & ab ipsis beneuolentiam sibi parare studeant.

Donec misereatur nostri.

Non enim præscripto tempore spem definimus, sed expectamus, donec misericordia digni effecti simus.

Misereri nostri Domine miserere nostri.

Repetitio deprecationis studium demonstrat.

Quia multum repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra.

Efflagitamus quippe ait, misericordiam, non tanquam digni hanc consequi, sed admodum contumelioli facti.

Opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Symmachus hoc pacto interpretatus est, Anima nostra satiata est, obloquentibus his, qui abundant, despicientibus superbis. Efferentibus enim se Babylonijs, nobisque insultantibus, & exprobrantibus, nos tristitia afficimur. secundum Septuaginta sic considerandum est, Opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Conuerte inquit, domine res, & ijs, qui nunc efferuntur propter felicitatem, qua circumfluunt, nostras calamitates irroga.

Psalmi CXXIII. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Post è Babylone reditum omnes finitimi Iudæorum libertatem ægrè ferentes, communiter in ipsos bellum susceperunt, & barbaras gentes colligentes, eodem tempore cũ eis bellarunt, sperantes eorum memoriam fore vt delerent: sed rursus vniuersitatis Deus suis opem tulit, & omnes hostes confixit. Cæterùm hoc asserunt plurimi vatum, & Ioël, & Ezechiel, & Michæas, & Zacharias, & præter hos insuper multi. Hæc etiam hoc in loco vaticinatus est beatus Dauid.

Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israël, nisi quia dominus erat in nobis, cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.

Nolite vestræ potentiæ victoriam ascribere, Deus enim huius largitor fuit. Dicite igitur inuicem tripudiantes, Nisi diuinam opem consecuti essemus, inimicis in nos irruentibus, ne sepultura quidem digni fuissemus, sed veluti à feris viuentes absorpti essemus.

Dum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Inuidiam, & inimicitias finitimarum gentium per hęc declarauit, furebant enim Iudæorum cernentes libertatem.

Torrentẽ pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Per figurã omnia dixit. Quoniam enim inquit, Fortè viuos deglutissent nos: ostẽdit copiarum magnitudinem, torrentis instar irruentium, & omnes operire desiderantium: igitur congruenter admodum torrentis similitudinẽ posuit: sicut enim torrens ex multis aquis pluuijs collectus, vehementior euadit, eodem pacto illi, qui tunc in Hierosolymam irruperunt, ex multis, varijsque gentibus coacti fuere, sed diuina sententia fuerunt profligati. hoc nanq; & Vates edocet.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Eodem tempore & illorum immanitatem, & Dei auxilium demonstrauit: quandoquidem dentes posuit, vt illorum feritatem ostenderet.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Grato animo propriam imbecillitatem confitentur, passeri se ipsos comparantes, & Dei prędicant potentiam, hostium demonstrantes robur. Venatores nanque illos appellant, edocet verò salutis modum.

Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Nam non modò salutem sumus consecuti, verùm etiam hostium internecionem perspeximus.

Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

Quapropter omnem humanam potentiam pro nihilo habemus, & cœlorum, & terrę opificem auxilium habentes, cuius vel appellatio ad salutem nobis satis est.

Psalmi CXXIIII. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Qui illam victoriam adepti sunt, triumphalem canunt hymnum, & spei in Deo collocatę vim prædicant.

Qui con-

fidit in domino, sicut mons Sion.

Qui diuina spe munitus est, sicut mons Sion firmus, inconcussusque manebit amplissimus, & illustris.

Non commouebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.

Eum, qui Hierosolymam incolit, secundum Hierosolymæ leges viuere oportet. ijs nanque, qui hoc pacto habitant, & legis scopo obtemperant, firmitatem Vates pollicetur.

Montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi sui.

Sicut enim montes ciuitatem cingunt, sic diuina cura diuinum munit populum.

Ex hoc nunc, & vsque in seculum.

Non enim ad tempus est diuina potentia, sed sempiterna, & hac dignos putat eos, qui ipsius cultum magni faciunt.

Quia non relinquet dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.

Esa. 10. Et Assyrios virgam furoris per Esaiam vatem dominus appellauit, Væ enim inquit, Assur virga furoris mei, & iræ meæ, & in manu eius indignatio mea, gentem iniquam mittam, & contra populum meum mandabo, vt spolia auferat, & prædam diripiat. hoc est, veluti quadam virga Assyrijs vsus, animaduersione dignos castigo. Dicit igitur Vates etiam hic, Dominus vniuersitatis iusta vtens sententia, non sinet iniustorum virgam iustorum cœtui infligi. Deinde causam aperit.

Vt non extẽdant iusti ad iniquitatem manus suas.

Vt ne censentes inquit, virtutis studiosi sine ordine, & sine gubernatione omnia ferri in peius vergant, & hinc damnum reportent.

Benefac domine bonis, & rectis corde.

Cùm Dei iustitiam ostendisset, iustas preces fundit, orat enim, vt æqualia prędia boni consequantur. hoc etiam dominus ait, Qua mensura metimini, remetietur vobis. &, beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Matth. 7. Matth. 5.

Declinantes autem in obligationes adducet dominus cum operantibus iniquitatem.

Obligationes, Aquila quidem, Simultates explanauit, Obliquitates Symmachus, & Theodotion, Peruersa. atqui Vates nihil iniusti petijt, verùm vt boni bona consequantur: qui verò rectam viam declinarunt, & obligationibus, & simultatibus vsi sunt, respondentem finem inueniant.

Pax super Israël.

Illis autem interitum recipientibus, hi pace perfruiti sunt. Sciendum est autem hoc nomen Iacob adeptum esse cùm diuino conspectu dignus effectus esset: cognominess igitur habet omnes, qui eosdem mores, & animam, fidemq; puram habent: Non enim omnes qui ex Israël Israëlitæ sunt, sed qui Israëlis pietatem amplectuntur.

Psalmi CXXV. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Cyrus Rex vt omnes redirent Iudæi, iussit, plurimi verò prauam habentes mentem, in omnibus diuinis legibus repugnantes, regredi noluerunt: qui autem auitæ pietatis curam gerebant, legisque cultum desiderabant, libentissimè redierunt. Hi igitur in hoc psalmo propriam cernentes libertatem exultant, & precantur, vt hanc & sui ciues consequantur.

In conuertendo dominus captiuitatem Sion, facti sumus quàm consolati.

Quàm, exaggerationem hoc in loco significat. Multam inquit, lætitiam consecuti sumus, cùm Deus finem supplicij soluerit, & libertatem captiuis largitus fuerit.

Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Eucstigiò enim voluptate perfusi, linguas in hymnorum cantilenam impulimus. Exultationem enim Aquila, Laudem, Symmachus, Gloriam interpretati sunt.

Tunc dicent inter gentes, magnificauit dominus facere nobiscum.

Hoc sanè nos apud omnes celeberrimos reddidit. omnes nanque Dei magnificentiam admirãtur, quoniam ab acerba illa seruitute nos liberauit, & nos quidem clamamus.

Magnificauit dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.

Absurdum est enim, vt hi, qui diuina cognitione sunt orbati, benignitatem nobis largitam admirentur, nos verò, qui beneficia consecuti sumus ingrati animi vitio laboremus.

Conuerte domine captiuitatem nostram, sicut torrens in Austro.

Qui hæc bona adepti sunt, vt alij sui ciues consequantur, desiderant, & communem dominum obsecrant, vt etiam illis libertatem impertiat, vt reuertentium frequentia torrentem imitetur. Cæterùm *Austrum* Hierosolymam vocat, appellationem à situ posuit: sic etiam ipsam Ezechiel & Abacuc nominant: Verùm aliud sermo demonstrat. Cùm enim Auster humidus ventus sit, nebularum aërem implet, & vehementes pluuias inducit, atque etiam niuem dissoluere solet, & aquis torrentes implet; sic igitur inquit, nostros ciues vndique dissipatos, iubè vt cogantur, & torrentis instar iter faciant.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Non frustra preces fundimus; sed scientes lacrymarum fructus. qui enim cum his semina iaciunt, vberrimam messem cernentes, lætantur:

Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Diuersis modis eandem dixit sententiam; varietate doctrinæ maiorem vtilitatem procurans.

Psalmi CXXVI. Interpretatio.

Canticum Graduum Salomonis.

Olim Salomon diuinum erexit templum, sed illud æquatum solo à Babylonijs Zoroba-

bel excitauit.hunc opinor Salomonem nominari, tanquam ex Salomone genus ducentem, & tanquam opus Salomonis instaurantē: quandoquidem diuinus sermo minimè Salomonis ædificationi congruit, sed ei,quæ à Zorobabel post reditum facta fuit. Tunc quidem ipsi ædificationem tentarunt,prohibebant autem finitimæ gentes continuè ipsæ bellum inferentes, & Persarum Regem in ipsos lacessentes: & hæc Esdræ historia manifestius edocet. Qui igitur Zorobabel tempestate, & Iesu filij Salatiel, & qui post ipsos pietate præditi erant, hanc psalmi narrationem afferunt.

Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam, nisi dominus custodierit ciuitatem,frustra vigilat qui custodit eam.

Nemo neque ex ijs,qui ædificant,neq; ex ijs, qui custodiunt, propria sit fretus potentia, sed diuinum imploret auxilium: hoc nanque concurrente,vtrunque facilè est: procrastinata verò diuina ope,vanum est hominum studium.

Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis,qui manducatis panem doloris.

Surgere,& non Surgite, legendum est, vt infinitus sit modus, & non imperandi. Dicit autem omnia vana esse,Deo rerum omnium conditore minimè concurrēte, & ante lucem surgere,& expergisci ob ciuitatis excubias, & ob præsens ædificium. Quapropter commonefacit eos, qui cum dolore ob hostium impetus panem comedunt,vt spes in Deo collocent.

Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas domini filij merces fructus ventris.

Somnum hoc in loco per trāslationem quietem appellauit: quietem verò etiam somnus hominibus præbet. Deo igitur inquit,propria cura nos dignante, hostes superare poterimus, & sine labore ædificare,& tutò viuere, & sine cura dormire, plurimorumque filiorum patres esse secundum promissionem, promisit enim se nostrum genus facturum,sicut arenam, quæ est apud littus maris. hoc & hoc in loco inquit, Ecce hæreditas domini filij merces fructus ventris, hoc est,diuina promissio, & circa filios benedictio veluti quædam merces nobis, qui in ipso spem constituimus,data est.

Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum.

Theodotion, Sicut sagittæ in manu potentis,sic filij iuuentutis: secundum hunc sensum Aquila,& Symmachus explanarunt.Dicit autē, Deo consisi,non modò frequentes erimus, verùm etiam potentes veluti quædam sagittæ à quodam potente emissæ,& licet imbecilles nūc simus,& admodum miseri;(hoc nanque indicat, Excussorum) valde robusti euademus superum auxilium nacti.

Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis.

Hoc est, hostibus. Nam non modò non vincemur, verùm etiam hos superabimus, & felices apud omnes erimus.

Non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in portis.

Videlicet, cùm ante portas cum legatis ab hostibus missis sermonem habuerimus: sanè hoc secundum veterem morem dixit: Non enim intra portas legati missi admittebantur, sed foris respondebant. Cæterùm in omnibus in Deo spei collocatæ fortitudinem demonstrauit.

Psalmi CXXVII. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Cùm in præcedēti psalmo ostendisset,quantum conciliet boni,spes in Deo collocata; hìc beatos esse dicit, qui cum spe diuinum habent timorem, per quem virtutis possessio augetur: necessaria quippe est his, qui Deo crediderunt vita secundum Deum: quandoquidem hic finis pietatis perfectus est.

Beati omnes,qui timent dominum.

Non eum, qui ex Habraham genus trahit, neque ex Israēle semen diuinū oraculum beatum esse asserit,sed eum, qui diuino timore est decoratus. hoc beatus Petrus in Actibus inquit, In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum,& operatur iustitiam,acceptus est illi. Cæterùm tacitè ostendit diuinus sermo & diuini timoris characterem: infert enim. Actu. 10.

Qui ambulant in vijs eius.

Non enim omnis, qui dicit, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Proprium igitur eorum, qui Deum timent, à diuinis vijs haudquaquam deflectere, sed in ipsis continuè iter facere. Matth. 7.

Labores manuum tuarum manducabis.

Porrò Symmachus, Labores manuum tuarum manducans,beatus es.vt planū sit Septuaginta Interpretes κόπους,non fructuum perceptionem vocasse, sed manuum partem. Dicit autem bonorū, quæ à te seminata sunt, fructus vindemiabis.Hoc etiam beatus inquit Apostolus, Qui parcè seminat, parcè metet, & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus metet. 2. Cor. 9.

Beatus es,& bene tibi erit.

Non modò enim verbo felix,& amplissimus eris,sed re ipsa felicitatem habebis.

Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

Quoniam illa tempestate hæc felicitas censebatur; pollicetur ipsis propheticus sermo etiam mulierum fœcunditatem, vt florentibus vitibus,& botris onustis sint similes.

Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.

Et in quinquagesimo primo psalmo iustum oliuæ comparauit,Ego enim inquit,sicut oliua fructifera in domo Dei; & hìc timentis dominum filios nouellis plantis oliuarum assimilauit, tanquam pietatis irrigationem, tempestiuumq; fructum ferentes,& folium minimè abijcientes, secundum virum in primo psalmo beatum dictum.

Ecce sic benedicetur homo,qui timet dominum.

Nam morum,& non generis Deus est Iudex. sic etiam

sic etiam Iacob ex Esau genus ducentem, coronis dignatus est, sic etiam Abimalech ad veritatem deduxit, sic Eunuchum, sic Cornelium, sic omnes gentes.

Benedicet tibi dominus ex Sion.

Secundum opinionem, quæ tunc increbuerat,locutus est: quandoquidem ibi Deus habitare censebatur.

Et videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Hoc nanque videre sitiebant ij, qui è Babylone regressi fuerunt, ciuitatis solitudinem cernentes.

Et videas filios filiorum tuorum.

Magna gratia existimabatur,in extremā peruenire senectutem, filiosque filiorum videre: benedictiones illius temporis opinionibus accommodatas terminat. bonorū possessionem minimè in his bonis consistere beatus Esaias docuit,Ne dicat Eunuchus,ego sum lignum aridum, quoniam hæc dicit dominus Eunuchis custodientibus sabbata mea,& eligētibus,quæ ego volo, dabo ipsis in domo mea, & in pariete meo locum clarum, & nomen bonum, præstantius filijs,& filiabus. Esa. 56.

Pax super Israël.

Rursus Israeli pacem precatur, vera autem pax,pax est cum Deo: carnalis verò Israël, cùm ex illa excidisset, etiam alia orbatus est.

Psalmi CXXVIII. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Etiam hic psalmus gentium prædictionem continet, quæ in Iudæos post reditum irruerunt,& docentur dicere.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël, sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.

Iuuentutem, Vocat in Aegypto vitam, & illinc liberationis, & beneficij auctorem celebrans, diuinas gratias enumerat, quoniam ab initio, & à principio multi inimici in me irruerunt,& vniuersis malis me cingere conati sunt, verùm per diuinum auxilium declinaui illorum insidias. Verius igitur hæc nouo populo congruunt,qui multos quidem hostium impetus sustinuit, omnes verò superauit, hostesque supplices reddidit.

Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.

Aquila,& Theodotion, Arauerunt, explanarunt. Iudicat autem sermo flagella,& verberationes triumphatoribus Martyribus ab impijs inflictas:hęc & ij qui cum beato Daniele erant, & admirabiles Ananias, Azarias, & Misaël, & Antiochi tempore Machabæi.

Prolongauerunt iniquitatem suam.

Aquila autem,Produxerūt,sed Symmachus, Protraxerunt malo afficientes, hoc est, diutius mihi bellum inferre perseuerarunt,& suam iniquitatem augere.

Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.

Ceruices, Laqueos Aquila, & Symmachus dixerunt,sed Theodotion, Torques interpretatus est. sanè omnia sunt vera, etenim quos laqueos sanctis viris pararunt,horum Deus contudit,& torques ipsis circundatos contriuit,& ipsas peccatorum ceruices concidit.

Confundantur,& conuertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

A suis malis conatibus decidant ait, & in fugam conuertantur, qui Sioni bellum inferunt.

Fiant sicut fœnum tectorum,quod priusquam euellatur exaruit, de quo non impleuit manum suam,qui metit,& sinum suum,qui manipulos colligit.

Nonnulla exemplaria,nō Priusquam exaruit, habent, sed priusquam euellatur, quod etiam in segetibus fieri semper cernimus. Nemo enim spicam adhuc viridem metere vult,sed expectat,vt matureſcat,& crescat, & tunc falcem immittit. Herba verò super domos orta,antequam fructum producat, solis impetu arescit. his herbis,vt hostium conatus similes sint,precatur, vtque harum instar immaturum finem accipiant.

Et non dixerunt, qui præteribant, benedictio domini super vos, benediximus vobis in nomine domini.

Qui autem vberes segetes intuentur, agricolarum curam admirari solent, & prætereuntes eis benedicunt,qui talia metunt, colligentibus verò fœnum è tectis,nemo vnquam quippiam dixit.

Psalmi CXXIX. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Iustorum chorus hanc Deo affert precationem,testatur autem & hoc psalmi exordium.

De profundis clamaui ad te domine.

Hoc est,ab imo, & ipso corde preces fundo: eos nanque, qui solis labijs vtuntur, diuinæ literę condemnant,& modò quidem inquit Vates Ieremias Deo rerum omnium conditori, Iere. 12.
Propè es tu ad os eorum, & longè à renibus eorum,modò verò ipse Deus per Esaiam vatem Esa. 29.
Iudæos criminatur,inquiens, Hic populus labijs me honorat,cor autem longè est à me. Verùm qui in præsentia precantur, ex profundo corde preces emittunt.

Domine exaudi orationem meam: fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Licet humano more verbis vsi sint, tamen diuinitatem incorpoream esse norunt,& audiendi vim aures appellauit,& videdi potentiam, oculos: quandoquidem nostri oculi videndi vim habent, & auribus audiendi vis commissa est. Deus autem qua potentia audit, hac etiam videt,& qua videt,hac etiam audit.

Si iniquitates obseruaueris domine.

Iustorum chorus dominum precatur,ne pœnas peccatis metiatur:sic etiam beatus Ananias populi peccata suæ personæ ascripsit.

Domine,quis sustinebit?

Si enim iustitiæ trutinam rectè tenebis, quis potest sententiam ab hac irrogatam sustinere? necesse est enim omnes interitum subire.

Quia apud te propitiatio est.

Habes benignitatem iustitiæ coniunctam,& hac magis,quàm illa vti soles.

Propter nomen tuum sustinui te domine, sustinuit anima mea in verbo eius.

Nomen, Aquila, & Theodotion, Timorem explanarũt, Symmachus autem,Legem:veruntamen sermonis sensus patèt.Dicit enim,Hanc tuam bonitatem sciens; (veluti enim quadam lege misericordia vteris)meliores spes non abijcio, bonorum promissionẽ expectans. Nam Verbum, hoc in loco bonã promissionem vocauit: sanè benignitatem pœnitentibus pollicitus est.

Speravit anima mea in domino, à custodia matutina vsque ad noctem.

Nimirum toto die, quandoquidem matutina custodia nouissima est noctis hora: postremi enim custodes ad vsque tempus illud excubant.

A custodia matutina speret Israël in Domino.

Non contenti sunt iusti solùm diuitias spei in Deo collocatæ habere, verùm etiam omnes alios ad similem possessionem adhortantur, & fructum, qui hinc prouenit, declarant.

Quia apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.

Vaticinationem oratio cõtinet de Domino. Ipse enim est agnus Dei,qui tollit peccata mundi. sic etiam diuinus Gabriel sanctissimæ Virgini inquit, Paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, quoniam ipse saluum faciet populũ suum à peccatis eorum. Ioan. 1. Luc. 1.

Psalmi CXXX. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Propheticus sermo humilitatem edocet, & illorum, qui hanc diligunt personam inducit, precantium, Deumque obtestantium.

Domine non est exaltatum cor meum.

Cordis altitudo, non modò impios, sed etiam sanctissimos lædit viros, & edocet Paralipomenon historia, de pio rege Ezechia dicens, Quoniam humiliatus est ab altitudine cordis eius. Propterea etiam Dominus sacros suos discipulos adhortatur inquiens, Omnis, qui se humiliauerit, exaltabitur, & omnis,qui se exaltat, humiliabitur, Paral. 32. Luc. 14.

Neque elati sunt oculi mei.

Proprium superborum est, supercilia erigere, & buccas inflare, & omnes despicere. Hi verò ab effectu liberi, non hoc docent, iudicem tanquam nescium, sed tanquam scientẽ intestimonium implorant.

Neque ambulaui in magnis.

Symmachus autem, In maiestatibus, Aquila verò, In magnificentijs.

Neque in mirabilibus super me.

At Symmachus, Neque in transcendentibus me.Hoc est, me ipsum metiebar,& quæ me excedunt, non aggressus sum.

Si non humiliter sentiebam,sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus est super matrem suam, ita retributio in anima mea.

Porrò Symmachus, Nisi dignam censui, & comparaui animam meam infantulo à lacte depulso apud matrem suam, sic retribuatur animæ meæ. si non ait, te timui, & me ipsum tibi subegi infantis instar ab vbere depulsi, suamq; matrem verentis, sed altã habui mentem; obsecro, vt eandem remunerationem consequar.

Speret Israël in Domino ex hoc nunc, & vsque in seculum.

Demonstrauit diuinus sermo qua de causa de rectis officijs narrationem fecit: non enim seipsos iactantes propriam virtutẽ narrant, sed alios in equalem amorem accẽdentes.propterea totum Israëlem, vt eidem spei inhæreat adhortati sunt, & vt continuè hanc habeat, vtq; fructus, qui hinc oriuntur, percipiat.

Psalmi CXXXI. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Multam hic psalmus cum octagesimo octauo cognationem habet: etenim ibi, & hic captiui,qui Babyloni erant, vniuersorum Deum obsecrãt, promissiones magno Dauidi ab ipso factas pro precibus afferentes, vt veniam consequantur precantes.Cæterùm vaticinationem totius orbis Saluatoris, qui secundum carnem ex Dauidis genere oriturus erat, continet.

Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.

Quoniam cùm multa peccata commisissemus, omni audacia orbati sumus: oramus te Domine, vt Dauidis recorderis, illiusq; mansuetudinis, & pietatis. Huius sanè præcedens psalmus mentionem fecit, & planè edocuit eius mentis moderationem.

Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob: si introiero in tabernaculum domus meæ,si ascendero in lectum strati mei: si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino,tabernaculum Deo Iacob.

Hæc planius Paralipomenon historia edocet. Nam primùm quidem preces fundit, se ipsum erecturum diuinum templum.Postquam autẽ per Vatem Natham Deus prohibuit, prædixitque templi ædificationem à Salomone faciendam, distulit quidem ædificium, non autem segnitiam amplexus est, sed aurum, & argentum, & ferrum, & æs, &ligna, & lapides coaceruauit, & hęc omnia, vt dixi, liber ille edocet eos, qui lectitare volunt. 1. Paralip. 17. & 22.

Ecce audiuimus eum in Effrata, inuenimus eum in campis syluæ.

Preces fundit,vt Deo templum erigeret, sed vnigenitum Dei verbum ex fructu lumbi eius sibi animatum, rationisque particeps templum ædificaturum esse promisit. Quapropter inquit vaticinatio, Ecce audiuimus ipsum in Effrata, & inuenimus ipsum in campis syluæ. *Effrata*, illa, quæ nunc appellatur Bethleem, nominabatur: Ibi enim Dominus Christus ortus est, qui Iudęis suum corpus tacitè ostendens dixit, Ioan. 2.

Solui-

Soluite templum hoc. Campos verò syluæ nuncupat locum templi, qui Hierosolymæ erat, qui desertus erat, & ædificium minimè habebat: quandoquidem ibi magnus Dauid exterminatorem Angelum per preces Deo fusas cohibens; & aram erexit, & sacrificium attulit, & in templi ædificationem consecrauit. Quoniam autem duo sunt tabernacula, vnum ex lignis, lapidibusque, aliud verò ex corpore, & anima, & hoc Hierosolymæ à Salomone editũ est: illud verò in Bethleem sancti spiritus gratia contexuit: qui autem ea tempestate erant pij,hoc quidẽ cernebant,& illud expectabant, iure prophetícus sermo inquit, Ecce audiuimus ipsum in Effrata, hoc à spiritu sancto faciendum, Inuenimus ipsum in campis syluæ, secundum promissionem spiritus à Salomone ędificatum.

Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.

Tempus permutatum est.Dicunt autem,nos illuc ingressos,adorare,credentes templum diuino conspectu dignum effectum esse. Hunc nanq; habet sensum, Vbi steterunt pedes eius: non modò sine corpore diuinitatem esse, sed etiam incircumscriptam credimus.Secundum corpus diuina scriptura de ipso narrat, humanis auribus sermonem accommodans.

Surge Domine in requiem tuam.

Excitationem Dei cultum secundum legem vocant,non hoc indigentis,sed afferentium pietatis amplectentis,& obsecrant, vt eius gratia actutum appareat, vtque pristinam amplitudinem templo largiatur.

Tu,& arca sanctificationis tuæ.

Quoniam in sanctis sanctorum arca stabat, tabulas legis habens, imminebat autem huic propitiatorium,per illud autem Pontifici indicia quædam diuini aduentus fiebant,iure arcę meminit: Nam cùm Deus cœlum,& terram fecisset (secundũ beati Pauli vocem) non in manu factis templis habitat. sic etiam sapiens Salomon precatus est, Si cœlum cœli non sufficient tibi.Hoc etiã vniuersitatis Deus ait,Cœlum mihi sedes,terra autem scabellum pedum meorum, quam domum ædificabitis mihi, aut qui locus requiei meæ est? Hebr. 9. & Actu. 17. 2. Paral. 2. Actu. 7.

Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultatione exultabunt.

Hoc nanque ait,perfecto, & domo instaurata, & rursus arca in adytis posita, sacerdotes quidem rem diuinam secundum legem facientes, iustificabuntur,qui verò sacerdotalis dignitatis minimè participes sunt,pietatis tamen sunt studiosi; omni lætitia implebuntur.

Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.

Christum, hoc in loco Regnum nuncupat. & quia tunc eorum Reges impij erant, per Dauidem orant,ne regni genus restinguatur. Deinde de promissionibus factis admonent.

Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum.

Verissimus ait, est ille, qui pollicitus est, veritatisque fons est, & fieri haudquaquam potest, quin pollicitatio suum sortiatur finem.

De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Vna quidem promissio hæc est, & finem habuit: non modò enim Salomon, sed etiam qui ex Salomone originem traxerunt, regijs sedibus digni effecti fuere. Cæterùm vaticinationis finem dominus Christus confirmauit, Dauidis regnum corroborans:hoc nanque beatus vaticinatus est Esaias, Quoniam puer natus est nobis,& filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & vocatur nomen eius magni consilij Angelus, admirabilis, consiliarius,Deus,fortis,potens, princeps pacis, pater futuri seculi amen. & paulò pòst,Super thronũ Dauid,& super regnum eius sedebit,vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & in iustitia à modò vsque in sempiternum:hanc quippe pollicitationem vt dixi,dominus Christus confirmauit, alteram verò minimè interminatam Deus dedit: dicit autem sic. Esa. 9.

Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc,quæ docebo eos, & filij eorum vsque in seculum sedebunt super sedem tuam.

Talis igitur domini promissio est, sed illorũ iniquitas cursum intercidit: euestigiò enim Salomon cùm in impietatem incidisset, diuinam iram sibi asciuit. Quapropter solium tyrannide pressum est,alteriusque regnum decem Tribus admiserunt; postea autem duæ Tribus regno Dauidico priuatæ fuere.

Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.

A principio inquit, domine hanc alijs vrbibus prætulisti,& hanc propriam habitationem reddidisti.

Hæc est requies mea in seculum seculi.

Hæc inquit, tu dixisti domine, & pollicitus es in Sione semper requiescere. etsi enim priscum templum ob Iudæorum stultitiam desolatum est;tamen ibi rursus loci illi ob diuinam gratiam cruce,& resurrectione,& assumptione digni effecti fuerunt, & ex omni terra, & mari omnes concurrerunt, vt gratiã reportent, quæ in illis affluit.

Hîc habitabo,quoniam elegi eam.

Et hoc suum sortitum est finem, & domorũ mutatio facta est. diuinum autẽ oraculum Sionis mentionem fecit: illius autem est crucis,resurrectionisque locus.

Venationem eius benedicens benedicam.

Symmachus autem, Annonam eius benedicens benedicam. Hoc est, omnium bonorum affluentiam ipsis præbebo.

Pauperes eius saturabo panibus.

Porrò indigentibus largiar necessarium rerum vsum.

Sacerdotes eius induam salutẽ.

Quam superius iustitiam vocauit,hoc in loco salutem nominauit: quandoquidem iustitię fructus est salus.

Et sancti eius exultatione exultabunt.

Sanè virtutis studiosi omnis voluptatis repleti erunt.

Illuc producam cornu Dauid.

Hic versiculus prima facie Zorobabelẽ de-

monstrare videtur. Quoniam autem nec in posteros, nec in filios regimen transmisit; aliquis iure non posset ipsum nominare cornu, cùm parum temporis imperasset: quandoquidem cornu fortitudinem, & firmitatē indicat. Postquā verò vaticinatio Zorobabeli minimè congruit; sermo Christi ortum secundum carnem prædicit. sic etiam beatus Petrus in Actibus inquit, Propheta igitur cùm esset Dauid, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius Christum secundum carnem oriturum, sedere super sedem eius, præuidens, locutus est de resurrectione eius.

Actu. 2.

Parauí lucernam Christo meo.

Lucernam rursus diuinus sermo Templum ex Dauide nominat, cùm lucem Dei matris tacitè demonstrasset.

Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Dedecoris igitur Iudæi sunt testes, qui inimicitias amplexi sunt, & confusionem collegerunt. *Sanctificationem* verò Ecclesias per totum orbem atque mare dixit, quæ Christi corpus vocantur, quæque sanctitatis fontes ab ipso reportant.

Psalmi CXXXII. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Roboam tempestate Tribus diuisæ fuerūt, & decem quidem Ieroboam secutæ sunt, duæ verò Dauidicum regnum amplexæ sunt: post igitur è Babylone reditum, & rursus coactæ sunt, & concordiam adamarunt, & vnum habuerunt imperium, & communem cultum secundum legem perficiebant. hæc igitur psalmus præcinit.

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.

Per ipsos inquit, euentus didicimus, nihil fraterna cōcordia iucundius esse. Fratres quippe nuncupat Tribus, quoniam etiam harū principes cognomines vnius patris filij erant.

Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron.

Oleum sacerdotale ex varijs rebus odoriferis compositum erat, sed neque illud ipsum ex se ipso tantum odoré emittebat, sed omnium mistio, & temperamentum quàm plurimum odorem reddebat. huic meritò fraternum consensum comparauit: quandoquidem collecta ex pluribus rectis officijs perfectæ virtutis, odorem efficit.

Quod descendit in oram vestimenti eius.

Illi vnguento ait, similis est amoris vnctio, quod à capite Aaronis fluebat: non modò autem ad mentum vsque deueniebat, sed etiam eius tunicam circa pectus sanctam reddebat. *Oram* enim vocauit, quem Torquem appellamus. hoc autem Aquila, Vestimentorum os dixit. quemadmodum igitur à capite per barbam ad vestem vsq; sacrum vnguentum percurrens, odoris sacerdotem implebat; sic à Principe ad subditos vsque concordiæ vtilitas peruenit.

Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Rursus in aliam similitudinem transit, consensus vtilitatem edocens, & hunc dixit similem esse rori, qui ab Hermon in Sionem affertur. Tantus autem hic est, vt tegulæ stillicidia emittant. Hermon autem mons est, qui Palæstinæ terram ab Israële disterminat.

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum.

Non in Ermon, sed in Sione, in quo vitalis ros sancti spiritus in sacros Apostolos missus fuit, per quem omnes illi, qui crediderunt, sempiternam gratiam percipiunt.

Psalmi CXXXIII. Interpretatio.

Canticum Graduum.

Consonat autem etiam hic psalmus ijs, qui è Babylone regressi fuerunt. Cæterùm omnibus pijs admonitionem proponit, vt non modò interdiu, verùm etiam de nocte Deum laudibus prosequantur.

Ecce nunc benedicite Dominū omnes serui Domini.

Non omnium est Deum laudare, sed eorum, qui diuinum imperium amplexi sunt, & domini cultum magnificiunt: eorum enim, qui peccati vulnera acceperunt, proprium est lacrymas profundere, & lugere, diuinamque benignitatem efflagitare.

Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.

Cùm Deum celebrare adhortatus esset, docuit etiam laudis modum. Vbiq; enim vt sancti manus tollant, diuinus Paulus præcipit, præsertim autem in consecratis locis, debitum honorem Deo afferre decet.

In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.

Cùm locum docuisset, docuit etiā tempus, quandoquidem ad hymnos canendos accommodata est nox, quę multam quietem suggerit, & à multis tumultibus est libera. Hoc autem Manus tollere, & vsitatus mos etiam iubet.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

Nam ne quis rerum omnium conditorem Deum Sioni circumscriptum esse suspicaretur; meritò ipsum rerum omnium opificem esse demonstrauit. per Cœlum nanque, & terram, vniuersitatem totam comprehendit. nam inquit, In Cœlo enim Angeli, & in terra homines, & ea, quæ propter hos facta sunt.

Psalmi CXXXIIII. Interpretatio.

Halleluia.

Hæc est alia laus, & ipsa ab his, qui libertatem adepti fuerunt, Deo allata. Cæterùm Halleluia iam interpretati sumus.

Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum.

Postquam diuina natura haudquaquam cerni potest, vt hæc laudetur commonefacit. iure dixit, Laudate nomen domini. contenti estote inquit, Dei appellatione, & ne quæratis cernere, quæ nefas est cernere.

Qui

Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri.

A seruitute Babyloniorum ait, vos liberati, diuinorum atriorum magnificentia perfruentes, horum bonorum largitorem laudate.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus.

Pro ansa canendorum hymnorum, bonitatem eius, qui celebratur, arripite.

Psallite nomini eius, quoniam bonum.

Porrò plurimū emolumenti hinc vobis acquiritur. Deinde de beneficijs in ipsos collatis mentionem facit.

Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israël in possessionem sibi.

Symmachus autem sic, Et Israëlem in electionem sibi. Multa ait, cura ipsum dignatus est, propriumque populum appellauit, & omnes homines curans, huius potissimùm curam gessit. Hæc autem etiā beatus Moses dixit, Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adā, constituit terminos gentium iuxta numerum Angelorū Dei, & facta est pars domini, populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israël.

Deut. 32.

Quia ego cognoui, quoniam magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus Dijs.

Per ipsis inquit, res didicimus nostri Dei robur, & Deos, qui à gentibus alijs sunt honorati, ipsi minimè conferri posse. Nemo enim ei, qui est semper, eum, qui haudquaquā est comparat. Deinde ab opere rerum omniū Dei potentiam tacitè ostendit.

Omnia quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra, & in maribus, & in omnibus abyssis.

Ea, quæ facta sunt, minimè potentia definiri possunt, sed voluntate: potuerat enim & plura, & multò his maiora fabricare, sed tot, & talia voluit: veruntamen omnia sunt eius opera Cœlum, & cœlestia, terra, & terrestria, mare, & ea, quæ in ipso sunt. Cæterùm Abyssos vocat immensam aquarum multitudinem. Porrò multitudinis numero maria vocauit, quoniam vnū mare in multa æquora diuiditur: quandoquidem est Atlanticus sinus, & Oceanus, & Tyrrhenus, & Ionicus, & Aegeus, & Arabicus, & Indicus, & Pontus Euxinus, & Propontis, & Hellespontus; & alia æquora multò plura, quàm supradicta.

Educens nubes ab extremo terræ.

Etenim aquarum natura, quæ ob diuinum verbum deorsum tendit; subducitur; & sublimis fit, & continentem irrigat. Ab extremo autem terræ dixit Nubes sursum tolli; quoniam ex marinis aquis constant, fines verò sunt sinus marini.

Fulgura in pluuiam fecit.

Miscuit affluentiam imbrium fulguribus, & ostendit miraculum omnium mirabilissimum: in aquis enim fulguris ignis percurrens, neque illas calefacit, neque ipse extinguitur.

Qui educit ventos de thesauris suis.

Ventorum thesauros, non quasdam apothecas esse dicit, sed quoniam cùm Aër vento careat, sæpenumero voluntas diuina cùm vult, facilè illum mouet, thesaurum ventorum vocauit. Simulac enim nuit, vndique spirant. sed cùm commune opificium, & prouidentiā demonstrasset; deinceps Iudæorū beneficia percurrit.

Qui percussit primogenita Aegypti ab homine vsque ad pecus.

Nouissimam plagam primam posuit, quoniā post hanc, libertatem receperunt.

Et misit signa, & prodigia in medio tui Aegypte.

Vniuersa miracula, & animaduersiones per hæc declarauit.

In Pharaonem, & in omnes seruos eius.

Non enim potuit Regnum à flagellis à Deo illatis ipsum liberare, sed & in ipsa mala & subditi, & Rex incidit. sic & magno Mosi vniuersitatis Deus inquit, Ecce ego percutiam omne primogenitum Aegypti à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam.

Exod. 11.

Qui percussit gentes multas.

Quæ olim Palestinam incolebant.

Et occidit Reges fortes, Seon Regem Amorræorum, & Og Regem Basan.

Horum regnum diuinus Moses euertit.

Et omnia regna Chanaan.

Hos beatus Iesus expugnauit, & regiones, & ciuitates, quę ab illis detinebantur, populo distribuit: hoc & hoc in loco vates inquit.

Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël seruo suo.

Nam veluti quandam hæreditatem paternā terram, quæ ab illis impijs Regibus olim tenebatur, Israëli horum Deus largitus est.

Domine nomen tuum in secula, & memoriale tuū in generatione, & generationem.

Nam miraculorum magnitudo, quę à te edita sunt, tuum nomen omnes edocuit, atque etiā in futura secula tuorum beneficiorum memoria conseruabitur.

Quoniam iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur.

Non enim nos ab hostibus oppugnatos cernens, despicies, neque condigna nostris peccatis supplicia infliges. sic cùm Dei, qui est, potentiam ostendisset, comico more eorum, qui vocantur, & non sunt Dij, imbecillitatem irridet. & quoniam Deos nominauit; ostendit eos, cum re etiam appellatione priuatos.

Idola gentium, argentum, & aurum, & opera manuum hominum.

Atqui noster Deus omnium est ait, opifex, illi autem non solùm efficiendi potentiam non habent, sed etiam ipsam formam ab arte humana acceperunt: quandoquidem ex materia, & arte eorum substantia constat.

Os habent, & non loquentur, oculos habent, et non videbunt, aures habent, & non audient.

Similitudines inquit, sensus habent, actione autem priuati sunt.

Neque enim est spiritus in ore ipsorum.

Huius autem etiam natura animalium ratione carentium est particeps: quandoquidem quodlibet animaliū respirat. Idola autem neque in hoc animalibus ratione carentibus assimilari possunt.

Similes

Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.

Huius sensuum defectus sunt digni participes esse, & eorum opifices, & qui ipsa colunt. nam cùm rationis essent participes, cumque Deos, qui vita, & ratione priuati sunt, suspicati essent; iustum est, vt illorum temeritatis sint compotes.

Domus Israël benedicite Domino.

Illi quidem ait, tantum honorem inanimis Idolis tribuunt, Vos verò rerum omnium opificem laudibus prosequimini.

Domus Aaron benedicite Domino.

Diuisit sacerdotes à populo, & commonefecit, vt per se ipsos laudarent, cùm hanc differentiam ostendisset.

Domus Leui benedicite Domino.

Rursus hæc est alia differentia, Leuitæ enim alijs quidem sunt honoratiores, sed sacerdotibus inferiores. ne igitur & ipsi sacerdotalem dignitatem subripiant (ausi sunt enim & olim hoc diuino Mose superstite) necessariò & hos ab his sacerdotibus discreuit.

Qui timetis Dominum benedicite Dominum.

Et hic est alius ordo eorum, qui ex Iacob minimè genus ducunt, sed illius pietatē amplexi sunt. sic autem & pios proselytos nominabant. Cæterùm hoc etiam Iudæos docere potest, vniuersitatis Deum morum cognationem, corporis cognationi præferre.

Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem.

Deus benedictus, benedicit, benedicit quidem re, benedicitur verò sermone, & qui laudant, verba afferunt: ipse verò benedictionem affert, nimirum per effectus remunerationem. At ipsum Hierosolyma habitare dicit, non diuinam naturam ibi circumscribens, sed illic tunc apparuisse sciens.

Psalmi CXXXV. Interpretatio.

Halleluia.

Prophetica gratia etiam hunc hymnum eisdem conscripsit: per plura documenta vtilitatem ipsis procurat.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.

Afferte inquit, Deo de gratiarū actione hymnum, recordati bonorum, quæ ab ipso suppeditata fuerunt, inexplicabilemq; misericordiam admirantes.

Confitemini Deo Deorum, quoniam in æternum misericordia eius.

Deos hoc in loco, non Idola dicit: non enim ipsum Deum Deorum, qui non sunt appellasset. Nam non Deus est Deus mortuorum, sed viuentium. Vocat igitur Deos eos, qui sacerdotio prediti sunt, qui filij Dei vocantur. sic etiam in lege inquit, Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices. &, filius primogenitus meus Israël. & per Esaiam, Filios genui, & exaltaui. Et in psalmis, Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. hos Deos vocauit, tanquam Dei filios appellatos.

Exod. 22.

Esa. 1.

Psal. 81.

Confitemini domino dominorum, quoniam in æternum misericordia eius.

Et cùm Reges, & Principes à Deo potestatē acceperint, subditis imperant. sic etiam dominus inquit, Reges gentium dominantur eis, & principes potestatem exercent in ipsos. Sunt etiam Angeli quidam, qui dominationes vocantur, propterea, & diuinus inquit Apostolus, Nam etsi sunt, qui dicantur Dij multi, qui dicuntur, & non sunt, nominis participes, & non rei, siue in Cœlo, siue in terra, siquidē sunt Dij multi, nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Hunc vocauit psalmus dominum dominorum verorum.

Matth. 20.

1. Cor. 8.

Qui fecit mirabilia solus, quoniam in æternum misericordia eius.

Miraculorum editiones sunt etiam beneuolorum seruorum eius: etenim diuinas vocamus res Mosis, & Iesu, & miracula Eliæ: similiter autem & signa, quæ à sacris Apostolis sunt facta; iure igitur ipsum Vates solum dicit maximorum miraculorum opificem esse. Deinde ostendit opera eius magna.

Qui fecit Cœlos in intellectu, quoniam in æternum misericordia eius.

Cœlum tantummodo conspectum Dei sapientiam prędicat: quandoquidem multa est magnitudo, & pulchritudo, & diuturna perseuerantia.

Qui firmauit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia eius.

Et hoc est admiratione dignum, & humanā mentem transcendit. Cùm terra vndiq; aquis cincta stet, & supra propriam naturam permaneat; meritò psalmographus omnibus dictis æternam misericordiam coniunxit: quoniā non ob propriam necessitatem, sed ob solam benignitatem benignus omnia condidit.

Qui fecit luminaria magna solus, quoniam in æternum misericordia eius.

Homines cùm diuinæ prouidentię sint participes; lampades accendere solent, sed totus terrestris ignis vnius astri splendorem haudquaquam imitatur: sed stellarum omnium & Lunæ splendidissimus est Sol, quandoquidem ille apparens, & illas occulit, & ipsius Lunæ radios obtundit.

Solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia eius. Lunam & stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia eius.

Diuisit, inquit, luminaribus tempus, & solaribus quidem radijs diem facit: Luna verò & astris noctē illuminat. Per hæc, quæ facta sunt, propriam bonitatem ostendit.

Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia eius.

Sed fortasse aliquis ambigere posset, quomodo per misericordiam mors efficitur? consideret igitur finem præsentium verborum: iniuria affectos miserans, iniuria afficientes plectit. hoc enim hoc in loco Vates subiunxit.

Qui eduxit Israël de medio eorum, quoniam in æternum misericordia eius.

Mise-

Misericordia erga hunc populum illis pœnā inflixit, & illa, & hæc iustitiæ coniuncta sunt: quandoquidem & horum iustè misertus est, & illos iure supplicijs affecit.

In manu potenti, & brachio excelso, quoniam in æternum misericordia eius.

Manum, Vim appellauit, *Brachium* verò, Robur. Per vtraque igitur declarauit, per salutem populo præbitam propriā potentiam demonstrasse.

Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, quoniam in æternum misericordia eius.

Nonnulli Iudæorum fabulas secuti, dixerunt, diuisiones māri rubro æqualis numeri duodecim Tribubus factas esse. quoniam Vates non diuisionem, sed diuisiones, dixit; oportet, vt ipsi sciant, mare bifariam sectum esse, duo pro vno effectū fuisse: Nam aqua ipsis murus erat à dextris, & à sinistris. Quapropter incisionem in duo æquora, diuisiones appellauit.

Qui eduxit Israël per medium eius, quoniam in æternum misericordia eius. Et excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro, quoniam in æternum misericordia eius.

Vtraque enim suæ potentię opera sunt, cùm his concesserit, vt facilè pelagus transirent, & vt ille aquis obrueretur.

Qui traduxit populum suum per desertum, quoniā in æternum misericordia eius.

Et hoc diuinæ virtutis est demonstratio, tantum populum tanto tempore in solitudine aluisse, affluentiamq; rerum necessariarum ipsi suppeditasse.

Qui percussit Reges magnos, quoniam in æternum misericordia eius. Qui occidit Reges fortes, quoniam in æternum misericordia eius.

Summatim & hæc iam explanauimus.

Seon Regem Amorræorum, & Og Regem Basan, quoniam in æternum misericordia eius.

Non temerè autem alios Reges præteriens, hos potissimùm in medium attulit, sed populo victoriam diutius concessam in memoriam reuocans: quandoquidem isti ob robur, & potentiam, & corporis magnitudinem gloriabantur. Cæterùm Og ferreo lecto vtebatur ob corporis magnitudinem, cuius nouem cubitorum longitudo erat, & quinque latitudo.

Deut. 3.

Et dedit terram eorum hæreditatem, quoniam in æternum misericordia eius: Hæreditatem Israël seruo suo, quoniam in æternum misericordia eius.

Omnes enim illos cùm morte mulctasset, Israēlem dominum eorum terræ declarauit.

Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniam in æternum misericordia eius, & redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia eius.

De his etiam beatus Moses mentionem facit, Ingemuerunt enim inquit, filij Israël ab operibus, & ascendit clamor eorum ad Deum. Et cùm rursus captiui abducti essent, misertus est, & in patrium solum reduxit.

Exod. 2.

Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius.

A singulari prouidentia rursus in generalem descendit, Dei curam circa omnes prædicans: non enim modò hominibus, sed etiam animalibus ratione carentibus cibum proponit. sic etiam dominus sacris in euangelijs inquit, Respicite volatilia cœli, quæ neque serunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa.

Matth. 6.

Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia eius.

Omnium quidem Deus est Deus, omnium enim est opifex, sed propriè cœli Deus nuncupatur, cùm ab Angelis, qui in cœlis degunt, colatur: quandoquidem ille locus peccati purus est.

Psalmi CXXXVI. Interpretatio.

Hic psalmus sine titulo est apud Hebræos, sed nonnulli rem audacem ausi, inscripserunt Dauidi per Ieremiam, & apposuerunt sine titulo apud Hebræos. Porrò hoc inscriptionis figmentum, stultitiam eorum, qui inscripserunt, præ se fert. Ieremias namque minimè Babylonem cum captiuis peruenit, sed cùm parū temporis Hierosolymæ vixisset, ab iniquis Iudæis coactus in Aegyptum eiusdē itineris particeps fuit. Quomodo igitur conuenit Ieremiæ dicere, Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus? Illi Vati haudquaquam hæc conuenire patet ex supradictis. Veruntamen psalmi sensus planus est. Illi enim captiui abducti, & reditum consecuti, ea, quæ Babyloni acciderunt narrant:

Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.

Mœrentes solent deserta loca petere, & ibi proprias calamitates conqueri: hi igitur ad ripas fluuiorum assidentes, & suæ metropolis solitudinem perpendentes, multas profundebāt lacrymas, fluuiorum cursus imitantes.

In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.

Quandoquidem penitus ipsis inutilia erant, cùm lex præcipiat, vt in vno loco cultus perficiatur:

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos verba cantionum: & qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Illudentes nos, & nostris calamitatibus insultantes, nos canere præcipiebant, vt nostris cantibus ipsi demulcerentur, non vt hinc aliquam vtilitatem perciperent, sed vt nostras res irriderent.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terrā aliena?

Nos autem præcipientibus minimè obtemperauimus, scientes transgressionem eius, quod nobis præcipiebatur. Sanè hæc iniquos Iudęos redarguunt, legem implere studentes, & extra institutos locos legalia perficientes.

Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuiscatur dextera mei. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.

Hæc à Vate dicere docentur, vt sacræ ciuitatis tenacem memoriam habeant, & speredi-

tus

tus recreati, ne eorum, qui ipsos in seruitutem abduxere, impietatem discant. Dicunt igitur ne cùm à longè à te essem ô Hierusalem, oblivioni memoriam prodidi, & si hoc effecissem, hoc patiar, & superum auxilium ne consequar. hoc enim vocat Dexteram.

Si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.

Summam inquit, lætitiæ tuum conspectum habeo, tuamq; instaurationem, & in te celebritates: per hæc enim veram lætitiam percipio.

Memor esto Domine filiorum Edon in die Hierusalem, qui dicunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.

Idumæi ex Esau descendentes, in patrijs inimicitijs perrexerunt: Isti Hierosolyma incensa, & direptioni exposita, dicebant lætantes, exinanite, exinanite vsque ad eius fundamenta. hoc est, ex fundamentis ipsam conuellite, vt ne vestigiaquidem fundamentorũ remaneant.

Filia Babylonis misera.

Sic cùm in Deo Iudæorum iudicium reposuisset, prædicit Babyloni futuram perniciem. Miseram autem ipsam, tanquàm calamitosam futuram vocat. sed Aquila pro Misera, Inclinata, dixit.

Beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

Quid autem est hoc?

Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.

Quoniam enim & ipsi Iudæorum filijs crudeliter vsi sunt, æqualem ipsis pœnam Vates prædixit. Igitur Cyrus beatus esse dicitur, cùm in illos animaduertisset, & hos liberasset, non quia syncera pietatis alumnus erat, sed quoniã pium populum libertate dignatus est, & vt diuinum templum ædificaretur iussit. Cæterùm Deus perexiguos fructus suscipit, & magnas remunerationes præbet: sic duos Viduæ obolos laudauit.

Psalmi CXXXVII. Interpretatio.

Dauidi.

Post è Babylone reditum, cùm gentes, quæ in ipsos irruerunt, Iudæi diuina ope profligassent; hymnum de gratiarum actione afferunt. Hæc nunc diuinus Dauid vaticinatur.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniã audisti verba oris mei.

Erga beneficij auctorem minimè ingrati fuerunt, sed cùm deprecationem attulissent, auxiliumq; nacti essent; pro viribus beneficia rependũt, & hymnos pro auxilio allato afferunt.

In conspectu Angelorum psallam tibi.

Imitabimur, inquit, Angelorum cœtus, & quemadmodum in cœlis illi tripudiantes, laudibus vniuersitatis Deum prosequuntur, sic etiam nos in terra spiritus symphoniam afferamus.

Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo, super misericordiam tuam, & veritatem tuam.

Erit autem mihi pro Cœlo templum tuo nomini consecratum: in illo enim te colam, & benignitatem, qua in me vsus es pro ansa laudes de gratiarum actione tibi canendas arripiam, iustitiam in hostes cernens, hos enim tanquam iniustos veritate vsus ad interitum condemnasti, me autem tua misericordia seruasti.

Quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In omnibus nanque tuum nomen augustum est, & ab omnibus celebratur, qui tuam potentiam conspexerunt.

In quacunque die inuocauero te, exaudi me.

Vt hanc lætitiam continuè consequar, precor.

Multiplicabis in anima mea virtutem.

Hoc est, in tua potentia meam animam curabis, & consolationis, & confidentiæ implebis. sed Symmachus sic explanauit, Constitisti in potentia animæ meæ. multa me ait, ope & prouidentia dignatus es.

Confiteantur nomini tuo Domine omnes Reges terræ, quoniam audierunt omnia verba oris tui.

Et tunc cùm omnes maximam illam victoriam nouissent; vniuersitatis Dei potentiã admirati sunt: potissimùm autem post Dei, & Saluatoris nostri humanitatem, & Reges & principes rerum omnium opificem laudant. In illa enim victoria non verba audierunt, sed rem inopinatam perspexerunt, sed nunc & verba audierunt, & euangelicis præconijs perfruuntur.

Et cantent in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini.

Per modum optandi futura dicit, rerumque vicissitudinem prædicit: quoniam Dei prouidentiam, & gubernationem omnes admirabuntur. *Vias* enim, Gubernationes vocat.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit.

Hoc etiam in alio inquit psalmo, Qui in ex- *Psal. 112.*
celsis habitat, & humilia inspicit. Dicit autem, cùm natura sublimis sit, & inexplicabilis, neque tenuiores negligit, verùm etiam hos propria prouidentia dignatur.

Et alta à longè cognoscit.

Nouit nanque omnia, antequam ipsa fiant, & à longè eos, qui in maiestate constituti sunt cernens, quibuslibet accommodata remedia adhibet.

Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me.

Syncera fidei vox est, confido ait, licet me vndique calamitates circunstent, me inimicis superiorem fore, vitamque à tuo auxilio percepturum.

Super iram inimicorum meorum extendisti manũ tuam, & saluum me fecit dextera tua.

Nam in meos hostes iratus, illos quidem supplicijs affecisti, me verò salute dignatus es: & hinc patet, Manum quidem vim vocare, quandoquidem hostium pœnæ manum coniunxit, beneficio verò in secollato, dexteram.

Dominus retribuet pro me.

Ego, ait, cùm homo sim, & peccato inuolutus, beneficia rependere nequeo. Verùm ipse Dominus qui hæc largitus est mihi, cùm humanitatem

nitatem acceperit, meamque naturam assumpserit, meum exoluet debitum. Consonat his diuinus Apostolus inquiens, Dominum Christum deleuisse chirographum, quod contra nos erat. *Coloss. 2.*

Domine misericordia tua in seculum, & opera manuum tuarum ne despicias.

Quoniam igitur immensa est tua misericordia, & simul cum æternitate extenditur, celerem tuis operibus salutem affer. Hanc deprecationem Propheta attulit, à sancto spiritu edoctus, debitum naturę opificem naturæ persoluturum.

Psalmi CXXXVIII. Interpretatio.

In finem Psalmus Dauidi.

In nonnullis exemplaribus inscribitur, Zachariæ in dispersionem. hoc nec apud Hebræum, nec apud Septuaginta, nec apud alios Interpretes inueni, sed aliquis cùm psalmum intellexerit vt voluerit, inscriptionis additionem fecit. Atqui psalmus Iosiæ Regis prædictionem continet. Hic enim ex impio patre natus, talisque etiam aui nepos; impietatem quidem illorum execratus est, & per omnem virtutẽ incessit, & diuino amore incensus; omnes idolorum sacerdotes confixit, eos verò, qui pietatem amplexi sunt; omni cura dignatus est: hæc psalmus vaticinatur. Cæterùm propheticus sermo ipsum deprecantem inducit, & Dei præscientiam erga se ipsum admirantem.

Domine probasti me, & cognouisti me.

Virtutis index non modò est paupertas, & calamitas, sed etiam Regnum, & felicitas. sicut enim in rebus tristibus probamur, si viriliter ferre possumus res graues, quæ accidũt; eodem pacto in secundis rebus exercemur, & ostendimur, siue ob felices res efferimur, siue harum rerum naturam cognoscimus. Igitur cùm Regnum beato Iosiæ commissum esset, & cum pietate ipsum gubernasset; iure ait, Domine probasti me, & cognouisti me.

Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

Omnia inquit, diligenter didicisti, quæ operatus sim sedens, & quæ fecerim surgens: Nam per Sessionem, & Resurrectionem, totam vitam demonstrauit. Cæterùm puræ animæ, & conscientiæ sanæ sunt verba, & postquàm dixit, Probasti me, & cognouisti me, ne quis suspicaretur, post finem rerum Deum ea, quæ fiunt, discere; congruenter admodum subdidit.

Intellexisti cogitationes meas de longè.

Nam ab initio, & à principio, & multis seculis ante meam creationem non modò meas actiones præuidisti, verùm & futuras meas cogitationes.

Semitam meam, & funiculum meum inuestigasti.

Porrò Theodotion sic dixit, Semitam meam, & viam meam inuestigasti. *Viam*, & *Semitam*, Actiones vocat. *Funiculum* verò harum rectitudinem, ex translatione fabricatorũ, & perpendiculo parietes dirigentium: Cognouisti inquit, meas actiones, & nihil mearum rerum tuam scientiam præterit.

Et omnes vias meas præuidisti, quia non est dolus in lingua mea.

Non modò præuidit, verùm etiam prædixit vniuersitatis dominus per Vates, & Ieroboã sacrificanti, & iuuencis diuinum honorem afferenti, vaticinatus est, filium oriturum esse Dauidi Iosiam nomine, & Idolorum sacerdotes morte mulctaturum, & eorum ossa in illo altari combusturum. *3. Reg. 13.*

Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua.

Per ipsos euentus didici te omnium scientiam habere, & eorum, quæ olim facta fuere, & eorum, quæ nondum effecta sunt.

Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Quomodo enim aliqua mea res te meum opificem latere potest, qui me intra maternum ventrem formauit, & omni cura dignatus est? Cæterùm hæc clausula, Posuisti super me manum tuam, similis est, Manus tuæ fecerunt me, *Psal. 118.* & plasmauerunt me. Indicat sanè eodem tempore, post creationem, curam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.

Ex his, quæ erga me facta sunt, tuam cognoui potentiam, & tuam sapientiam laudare volens, & deinde nequiens pro dignitate hoc efficere, meam imbecillitatem confiteor. sic cùm & scientiam, & præscientiam vniuersitatis Dei admiratus esset, & nihil præteritarum, & futurarum rerum eum latere posse; in aliud transit, hæc dicens.

Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?

Quomodo fieri potest, vt homo fugiens, lateat eum, qui sic manifestò omnia nouit? Notandum est autem, docuisse eandem operationem habere, & Deum, & sanctũ spiritum, Quò ibo ait, à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? sanè quorum est vna operatio, vna omnium est potẽtia, & quorum est vna potentia, vna est natura: Vna igitur est Dei, & spiritus sancti natura.

Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades.

Omnia inquit, imples, & suprema, & infima, & hæc est vltima pars alti, & illa verò profundi. Porrò congruenter admodum cœlo quidem coniunxit, Tu illic es, & Inferis ades: quandoquidem in Angelis, qui in cœlis degunt, conquiescit, Vbique autem adest, & omnibus præstò est, & in ipso viuimus, (secundum diuinum *Act. 17.* Apostolum) & mouemur, & sumus.

Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Diluculum, Orientis partes vocauit, Extremas verò maris partes, Occidentẽ: alto, & profundo longitudinem, & latitudinem apposuit, edocens diuinam naturam minimè circumscribi posse. sanè huius potentiæ propheta Ionas periculũ fecit: Cùm enim vniuersitatis Deũ fugitare conatus esset, & captus fuit, & vndis

proditus est,& veluti in quibusdam vinculis in cetus coniectus est, & ad quam missus erat vrbem,deductus est. Verè igitur hîc vaticinationis verba ostenduntur, quoniam si habitarem in extremis maris,illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Et dixi forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis.

Symmachus autem sic, Si dicam fortasse tenebræ operient me, tamen nox lucida me circunstat. & si ad orientem inquit,Solem, vel ad occidentem confugero, tuam nõ effugiam potentiam,& si tenebris noctis me ipsum occultare conatus fuero,neque sic delitescam: tibi enim lux est,& tenebræ.

Quoniam tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.

Symmachus autem sic interpretatus est, Neque tenebræ tenebricosæ erunt super te,sed & nox sicut dies apparebit.tenebræ inquit, tenebræ mihi sunt,ego enim lucis,& tenebrarũ differentiam habeo, tibi verò mentis lumini, & nox lucidissima, & omni luce meridiana clarior.

Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Nam quemadmodum mihi tenebricosa est nox, sic est tibi lucida.

Quia tu possedisti renes meos.

Hæc autem ait, non temerè dico, sed cùm tua illustratus fuerim gratia, cumque cogitationibus tuum splendorem acceperim: quandoquidem Renes,hoc in loco,cogitationes appellauit: quoniam enim vis concupiscendi in regibus posita est,cogitationes verò huius impetum recipiunt; Cogitationes iure renes vocauit.

Suscepisti me de vtero matris meæ.

Tu mihi es & pædagogus, & gubernator, & præceptor,& cùm primùm ex vulua exiui, tua prouidentia perfruitus sum.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

Propterea igitur te laudabo, tuis magnificentijs illustratus,& in hoc excitatus.

Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto,& substantia mea in inferioribus terræ.

Omnia, quæ ad me spectant inquit, exquisitè cognoscis, tu enim adhuc me in materno aluo absconditum effinxisti, perinde ac si fuissem in quadam nouissima terræ parte,in lucem eduxisti. sic enim Aquila interpretatus est, Non delituerunt ossa mea à te,quibus in occulto factus sum, effictus fui sicut in infima parte terræ. nihil inquit, te latere potest, qui hominum naturam in recondita naturæ officina formas.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur,& nemo in eis.

Porrò Symmachus sic explanauit,Informem me præuiderunt oculi tui cum omnibus, qui in libro tuo scripti sunt,nulla die deficiente ad creationem. sic me ait, vidisti, priusquam effictus, & formatus essem, vt eos, qui iam in lucem editi,& perfecti sunt;& nulla die indigent, & in tuis libris inscripti sunt.Horum librorum etiam beatus Daniel meminit, Iudicium enim inquit, sedit, & libri aperti sunt. & Dominus sacris in Euangelijs, Vestri capilli capitis omnes numerati sunt:libri igitur intelligẽdi sunt, Dei scientia, & tenax memoria omnia continens.sic cùm diuina percurrisset, propriũ propositum aperit,non ambitione vtens, sed vtilitatis exemplar proponens. *Dan. 7.* *Matth.10.*

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus,nimis confortatus est principatus eorum.

Hoc manifestò etiam historia edocet, quandoquidem omni obseruantia diuinos sacerdotes dignatus est: Audiuit enim omnes promissiones, quas Habrahæ Deus fecit, Benedicam inquiens, benedicentes te, & maledicentes te maledicam. Cæterùm hanc clausulam, Confortatus est principatus eorum,Theodotion sic exposuit, Corroborati sunt pauperes eorum: quandoquidem qui olim per impiorũ Regum transgressionem in tenui, & pauperrima vita degebant, omnem honorem à Iosia sunt consecuti. *Gene.12.*

Dinumerabo eos & super arenam multiplicabũtur.

Nam Regis pietate, & qui olim impij erant, mente illustrati, palinodiam cecinerũt, & cultum secundũ legem amplexi sunt,& qui quondam numeratu faciles erant, superiores numero facti sunt. præcinit autem sermo simul etiam mutationem orbis factam post incarnationem Dei & Saluatoris nostri: vincunt enim numero per quamlibet ciuitatem, & regionem Dei cultus studiosi.

Exurrexi,& adhuc sum tecum.

Symmachus autem sic, Expergiscar, & semper ero apud te. Semper enim meipsum excitans,& pigritiæ summum exigam,& tuam memoriam in mente conseruabo:sic enim tua perfruar ope.

Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate à me,quia litigiosi estis in colloquijs.

Proprium est eorũ,qui bonos diligunt, contrarios detestari. Idcirco ait, cùm tu benignus sis,& peccatores interimas, multo magis ego horum consuetudinem auersabor,cùm litigiosam eorum mentem nouerim: non enim ferunt bonorum admonitiones, sed ob animi morositatem has reijciunt.

Accipient in vanitate ciuitates tuas.

Interficies autem ipsos ait, non iniustè, sed postquam frustra ciuitates incolent, vtilitatem ex tuis legibus nullam percipientes.

Nõne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.

A tuo amore Domine pendeo,& easdem res, quas tu & diligere, & odio habere volo: propterea tuo cultui adhærentes amo, & honoro, odio verò habentes te, non modò odio prosequor, verùm etiam propter eos mœreo, & liquefio: odi enim vt impios, misereor verò, vt homines, & ob naturalem conuenientiam eos deplorare cogor, detestor autem rursus ipsos ob maximam prauitatem.

Proba

Proba me Deus, & scito cor meũ, interroga me, & cognosce semitas meas, & vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.

Hæc ego quidem hoc pacto habere suspicor, te autem optimum animarum medicum precor, vt meam diligenter perspicias vitam; cordisq; motiones inquiras, si aliqua res tuis legibus oppugnans in his inuenta fuerit, vt à tua sapientia curetur, obsecro, vtque ad æternum iter deducatur. Hæc à beato Dauide dicta sunt, & omnibus, qui salutis occasionẽ nolunt arripere, sunt prædicta.

Psalmi CXXXIX. Interpretatio.

In finem psalmus Dauidi.

Cùm beatus Dauid à Saule persecutionem pateretur, in auxilium Deum rerum omnium conditorem implorat.

Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me.

Iniustus Saul & erga beneficij auctorem ingratus fuit: studuit enim beatum Dauidem occidere, qui non modò ipsum nulla iniuria affecit, verùm etiam multorum beneficiorum ei fuit auctor.

Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia.

Nam non solùm prauis vsus est cogitationibus, sed etiam opera cogitationibus addidit. Verùm Tota die, Symmachus, Quotidie explanauit.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub linguis eorum.

Nam sæpius dolo vsus,ipsum interimere conatus est, & sæpe cùm iurasset, amicisque verbis vsus esset, iusiurandum violauit.Subdolam igitur mẽtem, & occultum dolum, iure serpentium ferarum veneno comparauit.

Custodi me Domine de manu peccatoris, ab hominibus iniustis libera me.

Hæc precatio homini iusto accommodata est: Non enim inimicis interitum, sed sibi ipsi salutem efflagitat.

Qui cogitauerunt supplantare gressus meos.

Exactus à Saule beatus Dauid,ad alienigenas aufugit:impij autem erant illi,& omnis iniquitatis operarij. Idcirco igitur admiratione dignus est, quippe qui vbique pietatis custos fuit, & tempori obtemperare noluit. Veruntamen ait, sic me exigens, parum abfuit, quin gressus pietatis meæ supplantaret.

Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt.

Ipsum Saulem superbũ nuncupat: Laqueos, & funes, & scandala, diuersas insidias, fraudes, & dolos. Cæterùm hæc dixit per figuram ex translatione venantium, & laqueos,& casses, & retia extendentium.

Dixi Domino, Deus meus es tu.

Cùm autem omnia humana despexerim, me ipsum tibi commendaui, & te Dominum, & Deum noui,& à te opem expecto.

Exaudi vocem deprecationis meæ Domine Domine virtus salutis meæ.

Hæc repetitio credentis, & desiderantis est. In te ait, salutis spem habeo:tu enim solus salutem afferre potes.

Obumbrasti super caput meum in die belli.

Et hoc experientia didici: etenim quando cum Goliath singulare certamẽ habui,& quando contra alienigenas in aciem steti,veluti scuto tuo auxilio munisti me.

Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori.

Porrò Symmachus sic dixit, Ne des Domine desideria iniusti: similiter autem Aquila, & Theodotion,Desideranti ait,meam cædem,ne des desiderij euentum. Et secundum Septuaginta,Ne per me cõsequatur,quod cupit:quandoquidem saluus esse cupio, ille verò me perimere cupit: ne igitur meum desiderium illi præbeas.

Cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne exaltentur.

Omnem cogitationem in meam cædem mouent, ne igitur me tua ope priues, ne animam superbiæ ipsis præbeas.

Caput circuitus eorum,& labor labiorum ipsorum operiet eos.

Hinc futura eis mala prædicit. Hoc autem planius Symmachus interpretatus est, Acerbitas eorum, qui circunderunt me, labior labiorum ipsorum operiat eos. In proprias inquit,insidias incidant,& quę in me moliti sunt, patiantur, & acerbitas contra me accensa, eos, qui hac vtuntur,penitus operiat.Hoc simile est illi,quod in septimo psalmo dictum est, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.

Cadent super eos carbones, & in ignem deijcies eos.

Nam veluti quodam igni ira ipsos consumes.

In miserijs non subsistent.

In calamitates incident, sed his superiores non erunt. Hæc autem Sauli acciderunt in bello contra alienigenas: ibi enim cæsus, vitæ finem suscepit.

Vir linguosus non dirigetur in terra.

Per hæc tacitè indicauit eos, qui continuè apud Saulem ipsum calumniabantur: huiusmodi fuerunt Doim, Ziphæi, & alij, qui multis vsi sunt calumnijs, & edocet eos voti compotes non fore, qui ob diuitias,& imperiũ falsis vtentes verbis,haud consequuntur,quę desiderant.

Virum iniustum mala capient in interitu.

Hæc enim & Saul perpessus est: captus est namque in bello, letalemque plagam accepit.

Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.

Sanè didici inquit,diuinæ sententiæ iustitiam, & noui te eos, qui omni humano auxilio priuati sunt, minimè finere, vt in detrimentum hostibus sint expositi, sed dignas ab improbis pœnas exacturum.

Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

Idcirco igitur iustorum chorus te laudabit,

hoc præsidio à te adiutus, & tuam dignitatem amabunt, semper de te cogitantes, tuamque faciem se intueri putantes. Huiusmodi est illud, quod in decimoquinto psalmo dictum est, Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.

Psalmi CXL. Interpretatio.

Et hic etiam psalmus eũdem habet sensum, quem & præcedens. Nam cùm à Saule persecutionem pateretur, Deum obsecrat.

Domine clamaui ad te, exaudi me.

Clamorem enim Animæ alacritatem nuncupat: quandoquidem sic & Mosi tacenti Deus inquit, Quid clamas ad me? Exod. 14.

Intende voci meæ, cùm clamauero ad te.

Beneuolè, ait, Domine meas preces admitte.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Virtutis actionem precibus coniunxit: quandoquidem manuũ erectio, hanc declarat, nam opus manus aggrediuntur. Cæterùm obsecrat, vt perinde ac thuris vapor preces ascendant, illiusque bonum odorem imitentur. eodem enim modo & manuum extensio vespertino sacrificio videtur esse similis: vespertini quidem, & non matutini mentionem fecit, quoniam in calamitatibus, & mœroribus erat, tenebris quippe, & nocti similes sunt calamitates.

Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.

Duos parietes opifex linguę dedit, nimirum dentium, & labiorum, temerarios eius impetus cohibens. Veruntamen Vates & vt alias custodias consequatur, obsecrat, timens, ne quid indecorum in miserijs dicat. Nam neque ipsum à Saule persecutionem patientem, aliquod maledictum vnquam dicere voluisse, historia testatur. Cùm enim alij ipsum Saulem necare tentassent, ipse Christum Domini eum vocauit. Et ipsum alloquens, se ipsum seruum nuncupauit, & eum, qui cædem nunciauit, se hanc effeciſſe annuentem, interemit, cùm dixisset, sanguis tuus super caput tuum, quoniam tu dixisti, occidisse Christum Domini. 2. Reg. 1.

Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Obsecrat, vt non solùm lingua, sed etiam vt ipsę mentis motiones custodiantur, ne alia cogitatio in ipsis deprehendatur, nisi diuinæ leges. Excusationes in peccatis, Symmachus dixit, Ad cogitandum cogitationes iniquas. & secundum Septuaginta sic intelligendum est: poterat sic ratiocinari beatus Dauid, Inimicus, & hostis est Saul, meamque cædem desiderat, non iniustum est igitur huiusmodi hominem interimere, dictante lege, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, sed euangelicum viuendi modum præuidens, secundum illum viuere voluit, & precatur, vt nullam peccandi occasionem arripiat. Matth. 5.

Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.

Hæc enim inquit, iniquitatis operarij faciunt, mihi autem non sit cum ipsis communicatio, licet summam felicitatem habeant. *Electos* enim hoc in loco, Prauos homines feliciter viuentes nuncupauit.

Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Eligenda, inquit, sunt mihi magis tristia à iustis ob correctionem, & vtilitatem profecta, quàm dulcia à peccatoribus allata, quamuis hæc instar olei caput illustrantis iucundam mihi præbeant vitam, malo enim à iustis corripi, quàm à peccatoribus coli.

Quoniã adhuc & oratio mea in beneplacitis eorũ.

Symmachus autem sic, Adhuc autem & precatio mea intra malitias ipsorum. Tantum enim abest, vt illorum vitam æmuler, vt precer & ipsos mutari, vt permutata felicitate, mali mutationem arripiant.

Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.

Breui, inquit, imbecilles euadent, & qui summo imperio inhærent, instar scopulorum, qui in mari delitescunt, & aquis obruuntur, submergentur, hoc est, obliuioni prodentur.

Audient verba mea, quoniam dulcia sunt.

Cùm autem experientia didicerint meorum verborum veritatem; & horum dulcedinem, & vtilitatem sentient.

Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, dissipata sunt ossa eorum secus Infernum.

Crassitudinem terræ, Soliditatem terræ nuncupat, quæ aratro secta, in glebas diuiditur. more igitur harum glebarum, qui nunc stant, morte dissoluentur, & eorum ossa, quæ in sepulcris sunt dissipabuntur. Secus infernum enim, sepulcra nuncupauit.

Quoniam ad te Domine Domine oculi mei, in te speraui, ne auferas animam meam.

Ego autem nullo homine fretus sum, sed tuam expecto opem, & precor ne hac mea anima sit priuata.

Custodi me à laquo, quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem.

De laqueis horum, & scandalis in præcedenti psalmo mentionem fecit. Laqueos autem, & scandala, insidias vocat, à quibus vt liberetur obsecrat.

Cadent in retiaculo eius peccatores.

Hoc est, Dei. Qui enim alijs laqueos parant, diuino supplicio comprehendẽtur, velùti quodam reti, & quæ gesserunt, sustinebunt, & quæ alijs inflixerunt, patientur.

Singulariter sum ego donec transeam.

Porrò ab illis remotus, vitam traducam, donec vitæ finem accipiam.

Psalmi CXLI. Interpretatio.

Intellectus Dauidi, Cùm esset in spelunca orans. 1. Reg. 24.

Planum est psalmi argumentum. Cùm enim à Saule beatus Dauid persecutionem pateretur,

tur, in antrum aufugit, & in intimis eius penetralibus delituit: Deinde conspicatus Saulem illuc delatum, mentis timorem exegit, diuinumque auxilium implorauit, & hoc consecutus est.

Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Deum deprecatus sum.

Et hinc patet clamorem, mentis alacritatem vocare. Quomodo enim qui delitescit, & latere desiderat, potest vti voce, & clamare? Dicit igitur cum omni alacritate Dominum orasse.

Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio.

Calamitates etiam ait, notas ipsi feci, & pro ipsis precationem sedulò attuli: quandoquidem precationis magnitudinem per hoc verbum Effundo, declarauit.

In deficiendo ex me spiritum meum.

Cæterùm hęc faciebam, cùm malorum magnitudinem vidissem: nam prope ipsam mortem habitabam,

Et tu cognouisti semitas meas.

Omnia mea tibi sunt nuda, & nulla mearum actionum tuum præterit oculum.

In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.

Et venantes ferarum vias inuestigant, & in illis retia parant: hos imitatus Saul, & ea quæ Dauidi obfutura erant, struebat, & vbi ipsum degere intelligebat, ibi insidias parabat. hoc etiam Diabolus facit, & incedenti temperantiæ viam, luxuriæ laqueum parat, ei verò, qui eleemosynis gaudet, inanis gloriæ rete ponit, ei autem, qui opes pro nihilo ducit, auaritiæ occasiones affert, & virginitati superbiam, & vt vno verbo dicam, cuilibet viuendi modo laqueum venationi accommodatum nectit.

Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me.

Nullum, inquit, alicunde adiutorem videbam. *Dexteram* enim, Beneuolorum auxilium vocauit.

Perijt fuga à me, & non est qui requirat animam meam.

In septa ineluctabilia incidi, & iter non inueni fugæ, nec qui auxilium mihi afferret.

Clamaui ad te Domine, dixi tu es spes mea.

Te igitur precor, in quo meam spem posui.

Portio mea es ex terra viuentium: intende deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis.

Sæpius diuinus Dauid partem propriam Deum vocauit. opem nullam inquit, aliam habeo, sed te solum adiutorem, & per te vt vitam consequar precor. Cæterùm humilitatem, calamitates hoc in loco vocat: quandoquidem hoc Symmachus declarauit, Intẽde loquelas meas, quoniam nimis oblangui.

Libera me à persequentibus me, quia confirmati sunt super me.

Fortiores me sunt hostes, per tuum autem auxilium istorum manus declinabo.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo.

Sed Aquila sic, Educ ex carcere animam meam. Tanquam enim in quodam carcere, & vinculis detinebatur, antri ianuæ hostibus assidentibus. Pollicetur autem salutem nactus, hymnis beneficia rependere.

Me expectant iusti donec retribuas mihi.

Symmachus sic exposuit, Nomen tuum coronabunt iusti, cùm beneficijs affeceris. Quandoquidem beneficium in me collatum salutis pignus in se ipsos arripient, & te iustum iudicẽ laudabunt.

Psalmi CXLII. Interpretatio.

Psalmus Dauidi, quando persecutus est Absalon filius eius ipsum. 2. Reg. 17.

In nonnullis exemplaribus inueni, Quando ipsum persecutus ist Absalon filius eius. Neque autem in Hebręo exemplari, nec apud alios interpretes hanc inueni additionem, tamen veritati inhæret: quandoquidẽ hunc habet sensum psalmus.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe deprecationem meam, in veritate tua exaudi me in tua iustitia.

Porrò diuinus Dauid pœnas luens eorum, quæ commisit, in illa incidit mala. Veruntamen cùm iniustus, & iniquus, & impius, & parricida Absalon genitoris cædem desiderasset, propterea beatus Dauid Deum obsecrat, vt in veritate, & iustitia preces exaudiat.

Et non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Precatus sum, ait, vt mea verba in veritate, & iustitia exaudirentur, non mea iustitia fretus, sed hostium iniquitatem sciens. Noui enim fieri non posse, vt aliquis sine pœna à tuo tribunali discedat: si enim hominum vitæ regulam legum à te latarum appones, nemo secundum has vixisse videbitur. si autem tua beneficia in mediũ attuleris, & quot bona hominibus suppeditaueris, quæ rursus humana iustitia tuis donis æquiparabitur?

Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam.

Precor igitur vt tuam veritatem, & iustitiam consequar, & non vt mecum in iudiciũ descendas, sed vt ego, & hostes iudicemur. Eiectus sum enim ab illis è Regno, & exactus sum Patria. hanc eius humilitatẽ etiam historia edocet: nam sine calceis, & absconditus, & lacrymans incedebat.

Collocauit me in obscuris, sicut mortuos seculi.

Nam nihil differo à mortuo in tenebris detento, cùm exactus sim, & in desertis locis degere coactus sim.

Et anxiatus est super me spiritus meus.

Propterea magno mœrore, & tristitia affectus sum. *Spiritum*, nanque hoc in loco, Animam vocat.

In me turbatum est cor meum.

Omnes inquit, cogitationes meæ tumultu, & perturbatione plenæ sunt.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in operibus, & in factis manuum tuarum meditabar.

In memoriam ait, reuocaui, à quot calami-

tatibus maiores nostros liberaueris,& expugnabiles inimicis esse non siueris, & recordatus sum beneficiorum,quæ in Habraham contulisti,& in Isaac, & in Iacob,& in Ioseph,& in Mosem:& consolationem hinc percipiebam.

Extendi manus meas ad te.

Hoc est, cum omni alacritate preces effudi.

Anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Sic autem tuum sitio auxilium, veluti arida terra imbrem expectat.

Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.

Magnitudinem mœroris per hæc declarauit: nam dolentium proprium est hæc animi perturbatio.

Non auertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum.

Nam si detestatus fueris meas preces ob peccatum, subitò morte mulctabor: quandoquidem mortem, lacum per similitudinem vocauit. Nam quemadmodum is,qui in lacu detentus est,non potest sine adiutoribus effugere, sic fieri non potest,vt mortuus in vitam redeat,nolente Deo.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speraui.

Tuam benignitatem inquit, mihi indica, & de spe ne decidam. Nam Manè hoc in loco,celeriter dixit.

Notam fac mihi viam,in qua ambulem,quia ad te leuaui animam meam.

Esto mihi, inquit,dux, rectumque iter mihi ostende: cùm enim ab omnibus rebus humanis meam separassem animam, eam tibi Domine adduxi.

Eripe me de inimicis meis Domine ad te confugi.

Fugitans hostes,te refugij locum habeo,& vt ab illorum impetu liberer precor.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Cæterùm obsecro,vt non modò sciam quid velis, verũ etiam quæ vt faciam velis,quoniam te Deum meum,& Dominum scio.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

Hinc etiam spiritus dignitatem discimus: sicut enim Deus bonus est, sic etiam spiritus nominatur bonus, & quemadmodum Deum obsecrauit vt ipsum deduceret, sic etiam precatur, vt spiritus sancti ductum consequatur, vt nihil ipti arduũ,& difficile appareat,sed rectam viam,& planam,& ab errore liberam incedat.

Propter nomen tuum Domine viuificabis me.

Tu Regem me elegisti, tuum autem suffragium,& electionem sum consecutus, & timeo ne à te despectus, sim in causa vt tuum nomen malè audiat: ne igitur in meam dignitatem respicias, sed ob tuum nomen salutis lætitiam mihi imperti.

In equitate tua educes de tribulatione animam meam.

Nam cùm me, & hostes iudicaueris, iustè à calamitatibus ab illis irrogatis me liberabis.

Et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos,& perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum.

Hoc etiam in centesimo trigesimo quinto psalmo, Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia eius, & hoc in loco ait, In misericordia tua disperdes omnes inimicos meos. Nam misericordia erga eum adhibita, qui iniuria afficitur,iniuria afficienti interitum infligit. sic etiam optimus agricola radicitus quidem spinas excidit,irrigat autem,& colit plantas.

Psalmi CXLIII. Interpretatio.

Dauidi.

In nonnullis exemplaribus inscriptioni hoc additum inueni,Contra Goliath:neque autem in Hebraico exemplari, nec apud alios Interpretes, nec apud Septuaginta inueni in Sexcuplici. Cæterùm hoc habet argumentum. De gentibus,quæ in Iudæos postè Babylone reditum consurrexerunt, multi Vates mentionem faciunt, sed copiosius quàm alij diuinus Ezechiel,dicit autem illic, Post dies multos visitaberis,& venies ad terram, quæ reuersa est à gladio,& congregata est de populis multis in terrã Hierusalem, quæ fuit deserta iugiter, & ipsi ex gentibus educti sunt, & habitabunt in pace omnes ipsi,& ascẽdes quasi imber,& venies quasi tempestas,& quasi nubes, vt operias terram, tu & omnia agmina tua,& gentes multę tecum. Deinde post multa edocet mortis modum. & conuocabo aduersus eum in cunctis montibus meis timorem gladij,ait Adonai Dominus,gladius hominis in fratrem eius erit, & iudicabo ipsum in morte, & in sanguine, & imbre vehementi,& lapidibus grandinis,ignem,& sulphur pluam super eum,& super omnes,qui sunt cum eo, & super gentes multas, quæ cum eo sunt. Cæterùm volens hæc diligenter discere, vaticinationem legere potest. hæc & hic psalmus vaticinatur,Inclina enim cœlos Domine,& descende, tange montes, & fumigabunt, fulgura coruscationem, & dissipabis eos, emitte sagittas tuas,& conturbabis eos. Planius autem hęc particulatim interpretatio docebit. Ezech. 38.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium,& digitos meos ad bellum.

Nam nuper è Babylone reuersi, & muris, & armis priuati,per diuinum auxilium inuadentibus hostibus superiores fuerunt. Sanè etiam nobis verba concinunt. Nam à Diaboli tyrannide liberati, à Deo pugnare docti sumus, Manibus quidem iustitiam operantes, & per digitos crucis signum frontibus imponentes.

Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus,& liberator meus,protector meus in ipso speraui.

Ab euentibus appellationes fecit. Tu nanque misericordia mea es, à te enim misericordiæ fontes accepi. Tu es refugium meun: nam ad te confugiens seruatus sum. Tu es susceptor meus: tuum enim auxilium consecutus, hostes superaui. Tu es liberator meus, & protector meus: tu nanque me bello petitum muniisti,& obsessum liberasti, in te nunc firmam spem figam.

Qui subdit populum meum sub me.

Hoc

Hoc Zorobabeli congruit, & Iesu sacerdoti: hi enim tunc populum duxerunt.

Domine quid est homo,quia innotuisti ei,aut filius hominis,quia reputas eum?

Porro Innotuisti, Cognosceris,Symmachus interpretatus est. Magnopere ait, immensam tuam benignitatem admiror, quòd cùm Deus sis,omniumq; opifex, talem de huiusmodi vili animali curam geras. Deinde naturæ imbecillitatem ostendit.

Homo vanitati similis factus est,dies eius sicut vmbra pretercunt.

Theodotion autem, Homo inquit, auræ similis est,sed Symmachus,Vapori. Nam vaporis more conglebati,& dissoluti; facilè hominum natura corrumpitur, & vmbræ instar horum vita incedit, quoniam sic tibi caduci homines curæ sunt.

Domine inclina cœlos,& descende.

Humanis vsus est verbis,non humano more diuinam naturam circumscriptam esse sciens inquit, sed implorans adiutorem ad hostium supplicium.

Tange montes,& fumigabunt.

Hoc enim in Sinai monte factum est: Nam mons ait,fumabat.

Fulgura coruscationem, & dissipabis eos, emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

Per optandi modum sermonẽ format. Prædicit autem futura,quę per Vatem Ezechielem Deus prædixit: sic enim illos oẽs consumpsit.

Emitte manum tuam de alto.

Edocens satis esse annuere ad salutem præbendam petentibus. Manum autem, Vim appellauit,sicut sæpe interpretati sumus.

Eripe,& libera me de aquis multis.

Multas Aquas, Hostium multitudinem nuncupauit, sic etiam in centesimo vigesimo tertio inquit psalmo, Torrentem pertransiuit anima nostra aquam intolerabilem.& edocens per similitudinẽ hostes aquas vocasse,subdidit.

Ex manu filiorum alienorum.

Porrò ipsos alienos non tanquam alienigenas,sed tanquam impios vocauit.

Quorum os locutum est vanitatem.

Detestati,inquit,sunt tuam gloriam.

Et dextera eorum,dextera iniquitatis.

Atqui opera verbis respondent. sicut enim verbis detestati sunt, sic operibus iniuria afficiunt: ipsa enim eorum dextera, nihil dexterũ efficit,sed iniustitię instrumentum est.

Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.

Non enim salutem adeptus,ingratus ero,sed vsitatis musicis instrumentis vsus, hymnum de gratiarum actione persoluam.

Qui das salutem Regibus.

Sic enim etiam maiores nostros, quibus à te commissum fuerat Regnum, seruasti, & inuadentium hostium victores reddidisti, Dauidẽ, Iosaphat, Ezechiam, & si quis alius tuum implorauit auxilium.

Qui redemisti Dauid seruum tuum.

Nam per fœdera cum illis inita omnem de nobis curam geris.

De gladio maligno eripe me, & erue me de manu filiorum alienorum.

Gladium malignum, Furorem, & feritatem iruentium vocauit, eosdem verò filios alienos tanquam impios.

Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.

Eiusdem sermonis repetitione non frustrà vsus est,sed eorum felicitatem narraturus,praui tatis insimulationem sumpsit, ad operã ferendam Deum excitans. Isti enim ait,sic te detestantes, & simul cum iniustitia & malitia viuentes, secundis ventis feruntur, & à te bonorum affluentiam accipientes, iniquitatis viaticum felicitatem habent.

Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua.

Multos,& bonos filios consecuti sunt, & ab eorũ filijs circundantur, nouellas plantas imitantes.

Filiæ eorum compositæ,circumornatæ vt similitudo templi.

Non modò naturæ pulchritudo ornat ipsas, sed etiam ab arte magnopere decorantur,vt similes sint templis ornatis ob idolorum honorem. Cæterùm huiusmodi est fucus, & ars meretricia.

Promptuaria eorum plena,& eructantia ex hoc in illud.

Cùm enim viderint cellas supra vsum plenas, rursus in alias transferunt superuacua. secundum illum, qui dicit, Destruam horrea, & maiora ædificabo.

Oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ.

Porrò eorum animalia pinguia, & fœcunda sunt.

Non est ruina maceriæ,neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

Symmachus sic dixit,Nec percussio, nec funeris elatio,nec luctus in plateis eorum: sic etiã & alij interpretes explanarunt. Nam per multam felicitatem,& bonorum affluentiam in delicijs, & in risu degunt, de rebus tristibus non facientes periculum. Hæc & in Septuagesimo secundo inquit psalmo, Quia non est respectus morti eorum,& firmamentum in plagis eorum, in laboribus hominum non sunt,& cum hominibus non flagellabuntur. Cæterùm apud alios Prophetas multa his consonantia inuenimus, sed omnes malorum solutionem concludunt. Hoc sanè hoc in loco diuinus Dauid fecit, infert enim.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt, beatus populus, cuius Dominus Deus eius est.

Nam veritatis expertes nesciunt rerum naturam discernere,sed delicijs, & opibus, & potentia felicitatem metiuntur, & qui his perfruuntur, felices, & beatos nuncupant. Veritatis autem studiosi cùm diuinam sapientiam acceperint, populum à te gubernatum beatum esse dicunt,& cuilibet vitæ tuam curam præferunt. Huiusmodi beatitudines etiam Dominus nos edocuit, Beati inquit, pauperes spiritu, Beati qui esuriunt,& sitiunt iustitiam,&, beati qui lu-

gent, &, beati qui perſecutionẽ pàtiuntur propter iuſtitiam, talium enim eſt Regnum cœlorum. Qui autem vitæ delicias eligunt, his parum temporis perfruentes; ex breuibus delicijs diuturnum dolorem percipiunt.

Pſalmi CXLIIII. Interpretatio.

Laudatio Dauidi.

Propoſitum pſalmi inſcriptio indicat. Adhortatur enim, vt Deum omnium conditorem laudemus, Dei potentiæ, & magnificentiæ, & Regni, & maieſtatis reminiſcentes. Cæterùm etiam alios huiuſmodi pſalmos gratia ſpiritus fecit, ad grati animi officium illum populum excitans. Habet autem prædictionem de gentium vocatione, & diuina cognitione. Hic autem hymnus per literarum ſeriem compoſitus eſt, & per eiuſdem ſermonis repetitionem Prophetæ deſiderium docet.

Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Natura quidem Deus altiſſimus eſt, & minimè aſcitam habet altitudinẽ: prædicant quippe hoc pietatis alumni, neſcioſq; edocent. huiuſmodi eſt illud à Chriſto ſacris in Euangelijs
Ioan. 17. dictum, Pater glorificaui nomen tuum in terra. & paulò pòſt edocet, non gloriam dediſſe ei, quam prius non habebat, ſed quam habebat ignorantibus demonſtraſſe, inquit enim, Manife-
Ibidem, ſtaui nomen tuum hominibus. ſic etiam Pater filio non dedit gloriam, quam prius non habebat, ſed quam habebat inſcios docuit, Clarifica me inquit, tu pater claritate, quam habebam apud te, priuſquam mundus fieret: non igitur aſſumpſit, quod non habebat, ſed quod habebat planum ignorantibus fecit. Igitur etiã hoc in loco Vates non altum Deum efficere promittit, ſed eius altitudinem hominibus oſtendere, vt fieri poteſt, & omnium Deum, & Deũ, & Regem proprium nominat, ob amorem ad hoc faciendum impulſus.

Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomẽ tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Semper te, inquit, celebrabo, & nullum diem laudis expertem ſinam.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.

Quoniam omnis magnitudo ſenſibilis longitudine, & latitudine, & profundo dimenſa oſtenditur magna; meritò ſubdidit, Magnitudinis eius non eſt finis: vt eum, qui celebratur, incorporeum, & incircumſcriptũ eſſe demonſtraret. Nam magnum quidem ipſum inquit, noui, non tamen inuenio eum poſſe neq; comprehendi, nec menſuræ obnoxium eſſe, neque principium, neque finem magnitudinis habere: quandoquidem hæc infinita eſt, & omnem mentis captum tranſcendit.

Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt.

Hinc & gentium præcinit diuinam cognitionem. Non ſolùm enim inquit, nos, qui ex Iſraële deſcendimus ſecundum hoc ſeculum te beneficij auctorem laudabimus, ſed etiam alia ætas, nimirum ex gentium eccleſia operum tuorum magnificentiam prædicabit.

Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Natura eius, qui laudatur, Vatis vires vincit. Nam dignas, & naturales appellationes inquirens, deinde cùm id non poſſet aſſequi, multa nomina ſimul connectit, Sanctificationis gloriam, & gloriæ maieſtatem nominans. Hæc igitur præcinit ab alia generatione prædicanda eſſe.

Et virtutem terribilium tuorũ dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.

Videtur quidem eiuſdem ſermonis repetitione vſum eſſe, diuerſa tamen ſignificat. Mirabilia quidem enim dicit, miracula in quorundam beneficijs edita. Virtutem autem terribilium, magnificentias ob aliorum ſupplicia demonſtratas, veluti per diuinum Moſem Aegypto vniuerſa flagella inflixit: illa quippe intelligenda ſunt Virtus terribilium: in ſolitudine mannam populo ſuppeditauit, & cothurnices ligauit, & terram aridam inundauit. Hæc in admirationem gratorum hominum linguas impellunt. Hanc etiam diuinus Apoſtolus fecit, 1. Cor. 12.
inquit enim à ſpiritu ſancto datas fuiſſe non modò gratias ſanitatis, verùm etiam operationes virtutum, & vocat gratias ſanitatis, claudorum curſum, & ægrotantium ſalutem, & mortuorum reſurrectionem, & alia huiuſmodi: Operationes verò virtutum, cæcitatem E- Actu. 13.
lymæ, Ananiæ, & Zaphiræ mortem, qui Sathanæ traditi fuerunt, vt erudirentur, ne Deo maledicerent.

Memoriã abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt.

Vult ſanè Vates diuinæ bonitatis, & potentiæ oſtendere diuitias, humana verò vſus lingua, & quod deſiderat aſſequi nequiens, plurima rurſus congerit nomina, & prædicit futuri ſeculi gratum animum, diuinis oraculis perfruentis, veluti quoſdã ructus diuinæ benignitatis narrationem afferre. Hoc igitur & diuinus Apoſtolus ſuſtinebat, & digne cũ non poſſet narrare diuinas res, per plura nomina hoc tentat, Qui tranſcendit enim inquit, diuitias Rom. 2.
bonitatis eius. & alibi, ſe ipſum victum eſſe confitetur, Quàm incomprehenſibilia inquiens, Rom. 11.
ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?

Miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors.

Idem etiam hoc in loco rurſus Vates paſſus eſt: in memoriam enim reuocans, quomodo hominum naturam formauerit, & quanto honore, & vaticinatione eã dignatus fuerit, & quomodo totam vniuerſitatem quæ cernitur, vt ipſi vſum neceſſariũ afferat præceperit, & quomodo quotidie peccantes ſufferat, & oriri faciat Solem ſuum ſuper bonos, & malos, & pluat ſuper iuſtos, & iniuſtos, Non ſolùm miſericordem vocat, ſed etiam clementem & patientem, & multum miſericordem. Nam immenſa vtens bonitate, longè fecit à nobis iniquitates Pſal. 102.
noſtras, quantum diſtãt ortus ab occidente. Ioan. 3.
& di-

& dilexit ſic mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret pro ipſo.

Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

Non modò enim de Iudæis curam geſſit, verùm etiam in omnes homines benignitatem profudit: non ſolùm homines, ſed etiam animalia ratione carentia curat, & omnibus neceſſaria ſubminiſtrat.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi.

Non ea, quæ animis carent, Deum laudant, neque feræ rationis expertes vocem rationis compotem emittunt, ſed per hæc hi, qui rationis participes, Deiq; ſtudioſi ſunt, hymnorum cantilenã componunt, in quodlibet enim intuentes eorum, quæ ab ipſo facta ſunt, & ſapientiæ magnificentiam obſeruantes, in laudes linguam impellunt.

Gloriam Regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ Regni tui.

Hi enim ſanctiſſimi Viri, ſiue Vates, ſiue Apoſtoli, & qui poſt illos præconij miniſterium acceperunt, ſempiternum Regnum, & inexplicabilem potentiã omnes homines docuerunt. Non enim Iudæis ſolis, ſed etiã toti hominum naturæ hanc doctrinam afferent.

Regnum tuum, Regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationẽ.

Perenne nanque habes imperium, & æternũ Regnum, neque incipiens, neque finiens.

Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis; & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Nam verborum veritas ſplendet effectibus confirmata, & hi iuſtitia ornantur.

Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes eliſos.

Nam non modò de iuſtitiæ alumnis rationẽ habet, ſed etiam de ijs, qui prolabuntur, & franguntur, & peccati vulnera recipiunt: hos enim firmans cadere non permittit; eos verò, qui ceciderunt erigit, dexteram porrigens.

Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.

Hoc in loco hoc verbum Sperant, non propter affectum poſuit: neque enim qui impiè viuunt hanc habent ſpem, nec genera animalium ratione carentium ſenſum rationis compotem habent, ſed edocet vnumquodque ab ipſo coruentem vſum accipere. Deinde facilitatem ſuppeditandi facile indicat.

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Simul enim & vis, & vnumquodque conſequitur tua bona à te ſubminiſtrata. Sicut enim nobis facile eſt contractos digitos extendere, & aperire manum, ſic tibi facile eſt puncto temporis bonorum affluentiam præbere.

Iuſtus dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Porrò in omnibus tuis diſpenſationibus iuſtitia ſplendet. *Vias* enim, Diſpenſationes vocauit.

Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate.

Hæc particula Prope, non loci ſpatiũ ſignificat: natura enim vbique adeſt Deus. Nam in
Act. 17. ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus; ſecundũ diuinum Apoſtolum, ſed per hæc affectionem, & ſtudium declarauit. Pulchra autem eſt hæc additio veritatis: non enim ſimpliciter inuocantibus adeſt, ſed ijs, qui in veritate hoc facere decreuerunt. Non omnis enim, qui dicit mi-
Matth. 7. hi, Domine Domine, intrabit in regnum Dei, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt: ideo infert.

Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.

Qui diuinum habent timorẽ, prius Dei voluntatem faciunt. Quoniam igitur eorum propoſitum diuinæ voluntati reſpondet; neceſſariò dominus eorum voluntates perficit, neque enim aliquid repugnans ijs, quæ vult, cupiunt.

Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet.

Oſtendit quomodo iuſtus eſt Dominus in omnibus vijs eius: Nam proprium iuſti eſt, ſuũ vnicuique tribuere: propterea eos, qui erga ipſum bene affecti ſunt, tuetur, & cuſtodit, & ab inſidiatoribus liberat, eos verò, qui contrariã ingreſſi ſunt viam, ſupplicijs afficit.

Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Ego igitur, inquit, hunc hymnum conſcripſi. conuenit autem toti hominũ naturæ, ſemper laudibus opificẽ honorare, congruentemque cultum diuino nomini afferre. Notandum eſt autem hìc non Iudæis hymnum tribuiſſe, ſed omnem carnem in hymnorum cantilenam vocaſſe: manifeſta eſt igitur vaticinatio euentu confirmata. In omnibus nanque per totum orbem terrarum gentibus ſecundum vaticinationem vniuerſitatis Deus celebratur.

Pſalmi CXLV. Interpretatio.

Halleluia.

In nonnullis exemplaribus additum eſt Aggæi, & Zachariæ: ſanè hoc nec apud Hebræum, nec apud alios Interpretes, nec apud Septuaginta inueni in ſexcuplici. Atqui præſens pſalmus vt Deum rerum omnium conditorem laudibus proſequamur, adhortatur; quandoquidem etiam inſcriptio hoc ſignificat: Nam Halleluia, Laudate dominum interpretatur; vt ſæpius explanauimus.

Laudа anima mea Dominum.

Spiritus gratia omnes nos commonefacit, vt in Dei laudes nos ipſos excitemus.

Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quàm diu fuero.

In ſexto inquit pſalmo, Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in Inferno autẽ quis confitebitur tibi? Idcirco in vitæ tempore Deũ laudare docemur, donec huiuſce vitæ finem acceperimus.

Nolite confidere in Principibus.

Bona admonitio: neque enim Principes sem per imperant, sed ad tempus habent imperiũ, neque omnes Principes iustitiam honorant. Vtraque sic se habere, naturæ imbecillitas respicienda est. Hoc enim subdit.

In filijs hominum, in quibus non est salus.

Inspice naturam, & ne potentia fretus esto: Homo enim vanitati similis factus est, & homo sicut fœnum dies eius. Psal. 102. & 143.

Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suã.

Spiritum hoc in loco Animã vocat: hac enim transmigrante, in propriam cognationem corpus reuertitur secundum diuinam sententiã, Quoniam terra es, & in terram reuerteris. Genes. 3.

In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Nam anima separata, & corpore in puluerem dissoluto; inanes cogitationes oſtẽduntur. Hoc etiam per similitudinem nos edocuit. Cùm enim diuitem introduxisset, cuius ager vberrimos fructus reddidit, cogitans destruere horrea, & maiora ædificare, subdidit, Stulte hac nocte repetunt animam à te, quæ congregasti cuius erunt? Et ex alijs hominibus, hi quidem imperium, & potentias, hi verò agrorum possessiones, & ædificia cogitant, & alij victorias in bellis somniant, alij verò hostibus mortem struunt, sed aduenies derepentè mors, imperfectas cogitationes illorum facit. sic cùm vanitatem spei, quę in hominibus collocatur ostendisset, vtilitatem spei in Deo fixæ demonstrat. Luc. 12.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius.

Deum Iacob non temerè vocauit, sed admonens nos quantam opem consecutus fuerit Iacob, cùm in Deo spes suas constituisset, & quales, & quot fructus spei percepit: vt in Deo huius speremus commonefacit, & Dominũ ipsius, & Deum nominat, & per vtraque potentiam prædicat. Deinde ex ipsa operum ædificatione eius bonitatem, & potentiam edocet.

Qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.

Breui totum mundum, qui conspicitur, & qui minimè conspici potest, sermone comprehendit. Nam non modò de Cœlo, & terra, & mari fecit mentionem, sed etiam de omnibus, quæ in eis sunt: In Cœlo autem sunt Angeli, & naturæ, quæ minimè cerni possunt, & Sol, & Luna, & stellarum multitudo: In terra verò & mari, homines, & animalium ratione carentium genera: Talis ait, vniuersitatis conditoris est potentia: Cernis igitur quantum differant caduci Principes à rerum omnium opifice. sic cùm ostendisset ipsum rerum omnium conditorẽ, demonstrat ipsum curam gerere eorum, quæ fecit.

Qui custodit veritatem in seculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus.

Verax enim est ille, qui pollicetur, & studiose promissa perficit. Fauet autem his, qui iniuria afficiuntur, & iustè iudicat: præbet verò omnibus esurientibus congruentẽ cibum. Hinc & beneficia in nos per humanitatem Saluatoris collata prædicit.

Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos.

Hæc etiam per Vatem Esaiam Deus vniuersorum prædixit, cùm dixisset enim, Dedi te in lucem gentium, subdidit, Vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctos, & ex domo carceris sedentes in tenebris. & alibi ex persona ait Domini Christi, Spiritus Domini super mẽ, eò quòd vnxit me, ad euangelizandum pauperibus misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, cæcis visum. Et alibi, Tunc audient surdi verba libri, & qui sunt in tenebris, & in nube, oculi cæcorum videbunt. Esa. 42. Esa. 61. Esa. 29.

Dominus diligit iustos, Dominus custodit aduenas.

Deus rerum omnium conditor cuilibet congruentia affert, & iustis, qui ipsum diligunt, paria rependit, paternumque amorem ostendit: eos verò, qui patriam impietatem fugerunt, & cum fide ad ipsum accesserunt, omni custodia, & ope dignatur. Proselytos enim hospites vocat. sic etiam beatus inquit Paulus, Quando eramus in illo tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorũ, promissionis spem non habentes, sed nos, qui aliquando longè eramus, facti sumus propè. Ephes. 2.

Pupillum, & viduam suscipiet, & vias peccatorũ disperdet.

Ab vniuersali prouidentia in singularia sermonem transfert, & inquit neminem vniuersitatis moderatorem negligere, sed etiã eos, qui omni humano auxilio sunt destituti, omni cura dignos facit, omnesque insidias in hos comparatas dissoluit.

Regnabit Dominus in seculã Deus tuus Sion in generationem, & generationem.

Nam sempiternũ habet imperium, Regnumque perenne nunc is, qui solius tui ô Sion Deus existimabatur.

Psalmi CXLVI. Interpretatio.

Halleluia.

Hic manifestò discimus interpretationem Halleluia, Laudate enim Dominum Halleluia Hebræus dicit. sed Symmachus hoc sine interpretatione missum fecit. dicit autem sic, Halleluia quoniã bonus est psalmus: Theodotion autem, Laudate Ia, dixit. Vt laudemus igitur etiam hic psalmus nos adhortatur: prædicit autem è Babylone reditum, & postea Hierosolymæ instaurationem factam. Non enim vt Iudæi expectant rursus Hierosolyma instaurabitur, sed diuinum oraculum illam ædificationem, quæ à Zorobabel facta fuit, vaticinatur.

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus; Deo nostro iucunda, decoraq; sit laudatio.

Vtilis inquit, est hymnorum cantilena, & bonorum est causa. At hymnus minimè Deo gratus est, sed laudantium propositum: ipse autem nulla re egens, gaudet verò hominum salute.

Aedificans Hierusalem Dominus dispersiones Israëlis congregabit.

Et ideo ait, ipsum laudare decet, quoniam & Hierosolymam euersam ædificabit, & captiuos abductos reditu dignos faciet. Cæterùm si non omnes reuersi sunt, non diuinus mentitus est sermo, sed illorum prauitas redarguta est, quandoquidem ipse per Cyrum omnibus vt redirent iussit: Isti verò repugnantem habentes mentem, externam terram pro patria elegerunt.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Corporis rebus ea, quæ spiritus sunt, coniunxit, & ostendit non modò captiuis libertatem largitum esse, verùm etiam ijs, qui peccati vulnera fusceperunt, sanitatem gratificari.

Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.

In omnibus Dei potentiam prædicat. Hanc autem clausulam, Qui enumerat, hic cognitionem vocauit, & astrorum nomina, astrorum differentias, & horum positionem, & ordinem, & inuicem habitũ. non enim nominibus vtens vniuersitatis Deus, stellas vocat: quandoquidẽ hæ inanimæ sunt, & rationis expertes. Cæterùm homines impia mente vtentes, ex fabulis ab ipsis confictis, nomina stellis posuerunt.

Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus.

Immensa sunt omnia, & magnitudo, & robur, & laus, vt possumus tamen laudamus.

Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsque ad terram.

Symmachus verò Recuperans dixit, & hoc est proprium diuinæ prouidentiæ: eos quidem, qui ob mansuetudinem à quibusdam insidijs sunt petiti, prouidentia dignatur: eos verò, qui iniustè ipsos inuaserunt, morte mulctat, & hos illustres, & amplissimos efficit, istorum autem memoriam obliuioni tradit: sic sanctorum Apostolorum chorus celeber fuit, sic celeberrimus Martyrum cœtus, eorum verò memoria qui in hos bellum gesserunt, obliuione delata est.

Praecingite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.

Hanc igitur scientes Dei bonitatem, & sapientiam, incipite hymnorum cantilenam vsitatis musicis instrumentis vtentes.

Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiã.

Vtraque sunt signa, & potentiæ, & bonitatis. nam vt bonus & benignus de his, quæ supra terram sunt, curam gerit, vt autem omnia potens, aquarum naturam sublimem fert, cœliique aspectum operit, per nebulas fabricans, veluti quoddam tectum inter cœlum, & terrã, & harum partubus terrã irrigans. Deinde fructum, qui hinc oritur, ostendit.

Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.

Nam non solùm terram ab hominibus cultam irrigat, sed etiam montes, & deserta loca, fœnum ex his ortum animalibus afferens, & hoc vt beneficijs homines afficiat facit, quandoquidem statuit, vt animalia hominibus seruirent.

Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorũ inuocantibus eum.

Non est rationis particeps coruorum natura, neque secundum rationem opificem inuocat, sed clamor ob necessitatem emissus, petitionẽ imitatur. Hinc opinor etiam Dominum Christum aliarum auium memoria præterita, coruorum meminisse, & discipulis dixisse; Respicite coruos, quia non seminant, neque metunt, neque congregant in horrea; & pater vester cœlestis pascit illos. Luc. 12.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei: Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.

Non corporis robore ait, & equestri arte, & pedum celeritate Deus delectatur, sed bonis actionibus oblectatur, quarum auctor est religio. Cæterùm non modò de his studiosè gerit curam, sed etiam de illis, qui in peccata prolapsi sunt, & pœnitentia vtuntur, & benignitatis spe confirmantur. nõ solùm enim dicit, Deum delectari perfectis virtutis athletis, sed etiam his, qui diuinam expectant misericordiam.

Psalmi CXLVII. Interpretatio.

Halleluia.

Etiam hoc in loco diuinum oraculum, vt Deum laudemus iubet. Cæterùm prædicit etiã post reditum ædificationẽ factam: præter hanc autem Apostolorum præconia etiam vaticinatur, quæ totum terrarum orbem quàm celerrimè percurrerint.

Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit seras portarum tuarum.

Per inexpugnabile Dei robur, & ab hostibus, & ab obsidione liberata ô Hierosolyma, hymnos beneficij auctori repende. Hierosolymam autem non ædificia vocat, sed huius incolas.

Benedixit filijs tuis in tè.

Nam benedictione accepta de procreandis liberis, & multis, in multitudinem aucta es.

Qui posuit fines tuos pacem.

Vndique pax tibi donata est: exterriti enim terrore eorum, qui in bello occubuerunt, cæteri rursus redire non audent.

Et adipe frumenti satiat te.

Inundauit te etiam bonis è terra ortis. Adipem enim frumenti, fructuum affluentiam vocauit, à parte totum vocans: nam frumentum est triticum, Adeps autẽ frumenti est pulcherrimus panis. Cæterùm per hunc alios fructus declarauit. Verùm hac prouidentia olim Iudęi perfruiti sunt, cùm autem in Saluatorem rabie perciti fuerint, omnibus bonis orbati fuerunt. Propterea diuinum oraculum cùm hæc de illis percurrisset, gentium vaticinatur salutem.

Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius.

Sermonẽ hoc in loco, Euangelij præconium vocauit. Hoc autem non Iudæis solùm, sed etiã gentibus omnibus misit, Euntes enim inquit, docete Matth. 28.

docete omnes gentes. Ostendit verò celeritatem cursus, breui enim tempore totam terram, & mare doctrinæ impleuit. hoc præuidens Vates inquit, Velociter currit sermo eius, & nec nouum, nec inopinatum est: omnia enim diuinæ voluntati cedunt, actutũ igitur volens cùm vna aquarum natura sit, in infinitas species transfert.

Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit, mittit crystallum suam sicut buccellas.

Nam ex vna aquarum natura fit quidem repugnans crystallus, fit autem nix rara, & mollis, & lanæ mollitiem imitatur, fit etiam puluis humidus: huiusmodi enim est nubis natura.

Ante faciem frigoris eius, quis sustinebit?

Atqui aërẽ facilè permutat, & eum, qui modò calidus erat, paulò pòst frigidum facit.

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus eius, & fluent aquæ.

Sed rursus cùm vult aquam conglatiatam facilè dissoluit, & per riuos currere facit: Nam spirante Austro, & nix, & crystallus consumitur. Cæterùm de his non temerè narrationem fecit, sed alia per hęc indicans. Quemadmodum enim nix deorsum delata, mõtes implet, liquefacta verò, in proximos fluuios it, & ad alia loca irrigationem affert, sic bonorum affluentia diuinitus data, Iudæis primis sanè allata fuit, illis verò gratiam renuentibus, per sacros Apostolos veluti per quosdam fluuios doctrinæ irrigatio gentibus allata est.

Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israël.

Olim quidem legem, postea verò & gratiã, sed vtroque indigni cogniti sunt.

Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.

Nulli enim gentium per Mosem legem dedit, neque per Prophetas vtilitatem attulit: hos autem solos hac irrigatione dignos fecit, tamẽ ingrati erga beneficij auctorem fuerunt. Gentes autem per sacros Apostolos cùm mentis luminis radium accepissent, propriũ creatorem agnouerunt, & huic continuè cultum afferunt.

Psalmi CXLVIII. Interpretatio

Halleluia, Halleluia.

Duplicem admonitionem Vates fecit, vt ad maiorem alacritatem animos accenderet. Cæterùm hic est alius hymnus totam vniuersitatem, & quæ sub intelligentiam cadit, & sub sensum, rationis compotem, & rationis expertem, animatam, & inanimam, in vnum consensum canendorum hymnorum excitans. Cœlum igitur, & terram, & Abyssos, & luminaria, quæ in cœlis sunt, & montes, & plantas, & alia huiusmodi quæcunque animam, & rationem habent, laudes, & hymnum afferre iubet. Verùm in hæc eos, qui rationis compotes sunt, intueri imperat, & sapientiam, quæ in his cernitur discentes, creatorem celebrare.

Laudate Dominũ de cœlis, laudate eum in excelsis.

Duos cœlos à Deo factos esse magnus Moses nos edocuit, vnum simul cum terra conditum, alterum postea medium inter aquas positum esse, quod & firmamentum appellauit: propterea de cœlis, & excelsis Deum laudare præcepit, hoc est, & eos, qui in hoc, & in illo degunt, nimirum incorporeorum choros. quoniam enim diuinus Moses nihil de naturæ cœlestium spirtuum creatione nos docuit, necessariò hîc Vates de his fecit mentionem: propterea vt afferant creatori hymnum mandat, quandoquidem hoc debitum ab his, qui creati sunt debetur, & omne, quod ab ipso conditum est, & ratione honoratum, hoc debitum semper exoluere conuenit. si autem ea, quæ creatam naturam habent laudant, sed nec filius, nec sanctus spiritus cum laudantibus connumeratus est, patet creatæ naturæ haudquaquam esse, certè enim ante omnes alios opificem laudarent, & fontes iustitiæ honorarent iustitiam, sed nec filius laudat, nec spiritus sanctus: non igitur creatę nature est nec filius, nec spiritus sanctus: sed nimirũ laudatur & ipse, & spiritus sanctus, quandoquidem minimè est aliud quid medium inter eos, qui laudant, & laudantur, sed profectò is, qui creatus est, laudat, creator verò laudatur. si autem aliquis suum conditorem non laudat, tanquam ingratus non laudat, sed hæc copiosius in sermonibus de spiritu sancto narrauimus: igitur ad continuationem interpretationis transeamus.

Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.

Angelos, & Virtutes, intelligentes naturas vocat: Angelos quidem vtpote qui diuina verba transmittunt: Virtutes verò quippe quæ corporeis affectibus carent, & iussa perficere possunt: Potentes enim inquit, fortitudine ad faciendum verbum eius. totam enim naturam intelligibiliũ per hæc nomina comprehendit. Cæterùm congruenter admodũ cœlestes choros primos in hymnorum cantilenam vocauit.

Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum stellæ, & lumen.

Symmachus sic explanauit, Laudate eum omnes stellæ luminis: sic etiam cæteri. Atqui secundum Septuaginta sic est intelligendum. Prima die lucem Deus fecit, quarta verò luminaria: & propterea seorsum luminis mentionem fecit, non quòd per se ipsum consistat, sed quòd luminaribus attributum sit. Verùm hæc etiam iam suprà diximus, hæc Prophetam conuocare non veluti animata, & rationem habentia, sed vt nos in hęc intueamur, Deiq; sapientiam discamus, & per omnia vt ipsi laudes componamus, adhortatur.

Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ super cœlos sunt.

Firmamento aquarum naturam Deus diuisit inexplicabili sapientia, maximã ipsis distinctionem impertiens, & inter aquas in nubem coactas immensum luminarium ignem percurrere iussit. aqua autem & ignis sibi inuicem aduersantur, sed tamen neque ignis aqua extinguitur, neq; coacta illa aqua immenso igni consumitur. Porrò hæc Dei inexplicabilem potentiam

tiam ostendunt. Cæterùm cœlos multitudinis numero nuncupauit, non multos hos esse ostendens, sed Hebræorum vocem sequens: illi enim multitudinis numerò hos vocant, quemadmodum nos Athenas, & Thebas dicimus. Deniq; quos hîc Cœlos cœlorum vocauit, alibi Cœlum cœli nuncupauit, Cœlum enim inquit, cœli domino. *Psal. 113.*

Statuit ea in æternum, & in seculum seculi, præceptum posuit, & non præteribit.

Non modò autem condidit, verùm etiam de ipsis curam gerit, vnde & perseuerantiam habent donec ipse voluerit: nulla res enim terminos ab ipso positos transgredi potest. Igitur ea, quæ inanima sunt, atque etiàm aliorum genera leges positas verentur, sola autem hominum natura ratione prædita leges transgreditur, & mare quidem terminos scit, & arenam veretur, & nox atq; dies mensuras positas conseruant, homines verò diuinas leges pro nihilo ducunt. Sic autem cùm cœlestia, & ea, quæ supra cœlos sunt, in communicationem canendorum hymnorum vocasset, in terram communem matrem hominum, & animalium ratione carentium digreditur.

Laudate Dominum de terra.

Deinde particulatim.

Dracones, & omnes Abyssi.

Pars terræ est mare, & in hoc sunt cete. Atqui hæc prouidentia opificis admiratione digna est, cùm maxima, & superba animalia ab ipso efficta in maribus, quæ minimè nauigari possunt cõcluserit, stupefaciens opificio homines, & horum commemoratione territans, Deique bonitatem prędicans, cùm hinc detrimentum, quod hinc oriri posset, impediuerit.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum.

Et hæc ex aquis causam habent. sanè in aëre & grando, & nix, & glacies fit, & vehementes venti: hos verò procellas nuncupauit. & ignis similiter, non solùm in terra, sed etiam in aëre cerni potest, etenim astra, fulgura, & fulmina, & accensi turbines exaëre deferuntur.

Quæ faciunt verbum eius.

Et hęc sanè, ait, suis nutibus cedunt, non tanquam animata, & rationem habentia, sed vtpote quæ voluntatem eius sequuntur: nam annuente Deo eorum quodlibet fit.

Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes Cedri.

Et hęc etiam in gratiarum actionem linguas nostras impellere possunt: nam non modò horum magnitudo admiratione digna est, sed etiam vsus, qui hinc oritur, quandoquidem maximus est, & vniuersi generis.

Bestiæ, & vniuersa pecora.

Per diuisionem etiam hæc dixit. non enim simpliciter animalia quatuor pedum dixit, sed agrestia à mansuetis seiunxit, & per hæc igitur & per illa Deum celebrare iubet. nihil enim superuacaneum, & inane est, licet nostram scientiam fugiat.

Serpentes, & volucres pennatæ.

Serpentium commemorationi etiam piscium natura coniungitur: quandoquidem illi in aquis serpunt. sic autem ipsos etiam Deus appellauit, Producant enim inquit, aquæ reptilia animarum viuentium, & volatilia volantia per firmamentum cœli. Post hæc omnia eum, qui per hæc omnia Deum laudat, vocat. post omnia nanq; diuina structura dignus effectus fuit homo, & hunc per ordinem, & per gradus excitat. Primum autem Regum introducit chorum, deinde subditorum populum, & inquit. *Genes. 1.*

Reges terræ, & omnes populi.

Cæterùm nec secundos Principes hymnorum cantilena priuat, nec post hos iudices, sed etiam his vtilitatem, quæ hinc oritur impertit.

Principes, & omnes Iudices terræ.

Et quamlibet ætatem, & vtrunque genus & virorum, & mulierum hoc facere iubet, & primos, & primas, quæ perfectam habent ætatem.

Iuuenes, & Virgines.

Deinde vtrumque extremum dicit.

Senes cum iunioribus laudent nomen Domini.

Et matura inquit, & immatura ætas Deum celebret.

Quia exaltatum est nomen eius solius.

Restincta enim est falsorum Deorum memoria, & solius Dei, qui est, venerandum nomen adest.

Confessio eius super cœlum, & terram.

Nam non amplius solùm cœlestia ipsum laudant, sed tota terra Domini cognitione plena est, vt multa aqua maria operit.

Et exaltauit cornu populi sui.

Inexpugnabilem, ait, suum populum, & illustrem ostendet: quandoquidem cornu robur vocauit, ex transfatione animalium cornutorum, quæ ob robur, quod in illis habent, gloriantur.

Hymnus omnibus sanctis eius.

Non solùm fortes eos, qui in ipsum crediderunt, sed etiam celebres apud omnes faciet.

Filijs Israël populo appropinquanti sibi.

Hac autem gloria & Israël perfruitus est, quando Deo adhærebat. sed nunc cum pietate splendor transiuit, & hi quidem hac priuati sunt, & gentes diuinis donis lætantur.

Psalmi CXLIX. Interpretatio.

Halleluia, Halleluia.

Illi, qui post reditum multas illas gentes ob diuinum auxilium vicerunt, hunc afferre hymnum iubentur. Cæterùm habet etiam prædictionem de illis; quæ à Machabæis rectè gesta fuere.

Cantate Domino canticum nouum, laus eius in ecclesia sanctorum.

Non enim peccatorum, sed sanctorum proprium est Deum laudare.

Lætetur Israël in eo, & filiæ Sion exultent in Rege suo.

Omnium quidẽ Deus vniuersitatis est Deus: propriè autem Israëlitarum Rex nuncupabatur. cùm primum igitur ingrati animi morbo laborarunt, alium Regem vt esset eis petierunt, inquit Deus Samueli, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. *1. Reg. 8.*

Laudent nomen eius in choro, in tympano, & in psalterio psallant ei.

Per omne musicum instrumentum ait, secundum legem nostrum beneficij auctorem laudibus efferamus.

Quia beneplacitum est domino in populo suo.

Multa benignitate nos dignatus est, & propriam bonitatem nobis aperuit.

Et exaltauit mansuetos in salutem.

Eos autem, qui omni auxilio destituti sunt, bonisque moribus vtuntur, sublimes, & illustres reddit.

Exultabunt sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis.

Et qui iustitiam honorant, in gloria erunt, multa quiete perfruentes, quandoquidem lectus quietem indicat.

Exultationes Dei in gutture eorum.

Sanè diuina beneficia iustè prædicant, horum causam celebrantes.

Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis.

Non est quieti repugnans, in bellis vincere: omni nanq; quiete iucundius est vincere. prædicit igitur per hæc Machabæorum virilitatem, qua vsi & finitimos captiuos ceperunt, & Macedones expugnarunt.

Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

Multa huiusmodi ab illis gesta fuisse historia edocet, & facilè legere volentes vaticinationis veritatem discere possunt.

Vt faciant in eis iudicium conscriptum.

Quæ enim in illos iustè gesserunt, in acta relata sunt, & vsque in hodiernum diem celeberrima eorum gloria permansit: hoc enim infert.

Gloria hæc est omnibus sanctis eius.

Nam gloriæ mater est sanctitas, & huius operarij per ipsam celebres fiunt.

Psalmi CL. Interpretatio.

Halleluia, Halleluia.

Et hic hymnus triumphalis est: Vaticinatur autem omnibus hominibus futuram Dei cognitionem.

Laudate dominum in sanctis eius.

Nam hæc est potissima occasio canendorum hymnorum. si enim à plantis, & feris, & reptilibus in gratiarum actionem ansam arripere iussi sumus; quantò magis iustum est, in sanctos inspicere, & horum celebrare Deum? Quis enim nõ linguam impelleret ad hymnos canendos ei, qui tantam bonorum copiam hominibus largitus est, cùm ea, quæ beato Paulo acciderunt didicerit, vel diuino Petro, vel Ioanni, vel alijs Apostolis, vel victoribus Martyribus, vel cæteris sanctis, vel his, qui nunc veritatis athletæ sunt?

Laudate eum in firmamento virtutis eius.

Symmachus autem sic, Laudate eum in firmamẽto inexpugnabili eius: solus enim firmũ, & immortale, & sempiternum habet imperium.

Laudate eum in virtutibus eius.

Inexplicabilia nanque sunt ea, quæ per sanctos eius continuè rectè geruntur.

Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Simile est hoc ijs, quæ iam à nobis interpretata fuere, Quoniam magnitudinis eius non est finis. Infinita enim est eius ait, magnitudo, & immensa potentia: per omnia igitur ipsum celebrate.

Laudate eum in sono tubæ.

Sacerdotale erat hoc instrumentũ, quandoquidem sacerdotes tubis vtebantur, tubas quæ in Sinai monte fuerũt, in memoriam reuocãtes.

Laudate eũ in psalterio & cithara, laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo, laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.

His symphoniacis instrumentis olim Leuitæ vtebantur, Deum in diuino templo laudantes: non quoniam Deus horum sono oblectabatur, sed quoniam propositũ eorum, qui hæc faciebant, amplectebatur. Nam Deum minimè cantibus, & sonis delectari, audimus ipsum Iudeis dicentem, Auerte à me sonum cantionum tuarum, & vocem organorum tuorum non audiam: Hæc igitur fieri permisit, cùm ab idolorum errore eos liberare voluerit. Quoniam enim studiosi ludorum quidem erant, & risus amatores, & hęc omnia in idolorum templis fiebant; permisit hæc, hoc pacto eos alliciens, & minori detrimento maius impediens, & per imperfecta perfecta prædocens. Amos 5.

Omnis spiritus laudet dominum.

Non Iudæi solùm, sed omnes homines. Non enim Iudæorũ Deus est tantùm secundũ diuinum Apostolũ, sed etiam gẽtium. In centesimo igitur & quadragesimo quarto psalmo inquit, Benedicat omnis caro nomini sancto eius. Hoc in loco, Omnis spiritus, dicit, laudet Dominũ: sed nec ibi solam carnem, nec hîc spiritum solum vocauit, verùm per hoc & illud, & corpore, & anima Deum rerum omnium conditorem laudari præcipit. Cæterùm admiratione dignus est hic finis totius psalmorum tractatus, & vaticinationis propositio respondens: etenim vaticinatio gentibus prædicat salutem, & prophetiæ finis eos, qui hanc consecuti sunt, beneficij auctorem laudibus efferre iubet. Nos autem nõ modò verba audimus, sed etiam hoc in loco euentus perspicimus: quandoquidem in qualibet ciuitate, & pago, & in agris, & in angulis, & in montibus, & collibus, & in solitudine penitus inculta Deus vniuersitatis conditor laudatur.

Ego autem huius libri lectores obsecro, vt si bene & concinnè expositus fuerit, vtilitatem ex his rebus percipiant, sicubi verò arcana sancti spiritus mysteria assecuti non sumus, ne nobis vehementer succenseant. Quæ enim inuenire potuimus, omnibus abundè proposuimus, & quæ à patribus nostris didicimus, studuimus nostris posteris afferre. Et nos quidem laborem suscepimus, vt sine labore cæteris fructum afferremus, quos precor, atq; obtestor, vt suis precibus nostrum laborem compensent, vt illorum precibus adiuti, verbis opera adiungamus, & hoc modo felicitatem ex vtrisque compositam reportemus, Qui enim inquit, fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in Regno cœlorum: quod quidem vtinam nos omnes consequamur per Christum Iesum Dominum nostrum, cum quo patri gloria cõuenit, & cum sancto spiritu in secula seculorum. Amen.

Quæ sequuntur, ad Psalmum LXXVII. pertinent, ad initium paginæ 593. referenda

Et inimicos eorum operuit mare.

Idem enim mare his quidem iter præbuit, illos verò fluctibus obruit.

Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem, quem acquisiuit dextera eius.

Cùm igitur eos illinc liberasset; tradidit ipsis quam pollicitus est terram: nam per Sionem montem, totam ostendit terram.

Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.

Siquidem cùm liberasset terram illam antiquis incolis, his secundum promissiones illius Imperium tradidit: Hoc enim ostendit, In funiculo distributionis. Possessores nanque solent suam terram metiri: sortes autem, & distributiones accuratius edocet historia Iesu Naue.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum Tribus Israël.

Tributim enim terram distribuerunt. Hoc pacto cùm ostẽdisset infidelitatem eorum, qua in solitudine vsi sunt; persequitur iniquitates in terra promissionis patratas.

Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt.

Post tot, tantaque beneficia, perrexerunt delinquere, & diuina mandata violare.

Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum.

Patrum imitati sunt nequitiam, & illorum conspicati supplicium, nihil inde adiuti sunt.

Conuersi sunt in arcum prauum.

Arcus artificiosè elaboratus in scopum emissa iacula dirigit, si verò aliquam obliquitatem in se habuerit, coniectas sagittas ad destinatum locum mittere nequit. Illi igitur mentis rectitudine deprauata, neque diuinis beneficijs, vt par erat, vsi sunt, & ea quæ vtilitatem afferre poterant, damni occasiones reddiderunt.

In iram concitauerunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.

Nam cùm à Deo rerum omnium conditore beneficijs affecti essent; mutis imaginibus seruierunt.

Audiuit Deus & spreuit.

Eos, inquit, precantes sua ope minimè dignatus est. hæc autem explanatio Iudicum historia perdocet: Tradidit nanque ipsos interdum quidem Ammonitis, aliquando autem Moabitis: aliàs verò Madianitis, & alienigenis, impietatis pœnas ab illis exigens.

BEATI Theodoreti Episcopi Cyri in centum quinquaginta Psalmos interpretationis FINIS.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, IN CANTICA CANTICORVM EXPLANATIO: INTERIECTIS MAXIMI, Nili, Pselliq́ue notationibus Francisco Zino interprete.

DEI AMANTISSIMO EPISCOPO IOANNI
THEODORETVS S. D.

DIVINARVM scripturarum expositio cum animum purum, atque ab omni macula alienum requirit; tum mentis oculos acres, qui & res diuinas queant perspicere, & in penetralia spiritus ingredi audeant; tum linquam eiusmodi, quæ menti deseruiat, eiusque sensum explicet pro dignitate. Mihi vero & animus magno peccatorum onere premitur: & mentis acies negotiorum, quæ mihi commissa sunt, curis ita præstringitur, vt humi affixa sacras litteras accurate nequeat contemplari: & lingua mente etiam est inferior, ac tardior. Verum, quoniam tu, Ioannes carissime, præcepisti, vt Cantici canticorum librũ interpretarer, & quæ obscure ac mystice dicta sunt, perspicue ac plane

declararem, ea, quæ vires nostras superant, aggressi sumus. Ac quamuis innumerabilibus tum domi, tum foris, tum militaribus, tum ciuilibus, tum ad ecclesiam, tum ad rempub. pertinentibus occupationibus distracti simus: vasto tamen pelago nos commisimus, vt in litteræ profunditatem descendentes, tibi intelligentiæ margaritam extraheremus. Neque vero oleum ore sumpsimus, cuius auxilio tanquam factitio lumine vteremur: sed orationem ac preces, quarum præsidio potissimum egent ij, qui ad sacrosanctæ scripturæ cognitionem cupiunt peruenire. sic enim dicere nos docuit beatus Dauid: Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Dei igitur gratiam, quæ nobis huiusce libri sensum atque intelligentiam aperiat, imploremus. Cæterum, quia plerique ex ijs, qui Canticum canticorum calumniantur, ac spiritalem esse librum negant, fabulas quasdam ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt: alij nimirum, quod sapiens Salomon de se ipso, deq; Pharaonis filia conscripserit: nonnulli autem eidem affines stultitiæ pro Pharaonis filia sponsam esse Abisai Sunamitidem confinxerunt: quidā vero prudentius considerantes, sermonem hunc regium appellarunt, vt sponsæ nomine populus, sponsi autem rex intelligatur: operæpretium nos facturos puto, si interpretationis initio prius falsas ac pernitiosas istorum opiniones confutemus; deinde verum ac dilucidum scriptoris propositum ostendamus. Atqui debebant isti, se longe vel sapientia vel spiritu præstantiores agnoscere sanctos Patres, qui librum hunc inter diuinas scripturas collocarunt, eumq; vt spiritu refertum comprobantes ecclesia dignum censuerunt. neque enim si aliter sensissent, sanctarum scripturarum numero intemperantiæ ac libidinis argumentum adscripsissent. Sed quid necesse est, Patrum auctoritatem adhibere, cum ipsius diuini spiritus vti liceat testimonio? Nam cum sacra volumina partim à Manasse, qui omnes, qui & ante, & post ipsum fuerunt, scelere atque impietate superauit, combusti essent; partim captiuitatis tempore, templo à Babylonijs incenso, euersaq; ciuitate, & populo in seruitutem abducto, penitus interijssent: Beatus vir Esdras, excellenti virtute præditus, & Spiritu sancto plenus, vt res ipsa declarat, multis post annis, cum populus esset reuocatus, necessarias nobis ac salutiferas scripturas restituit: nec solum Mosis libros, sed & Iosue, & Iudicum, & Regum historiam, & strenui Iob monumenta, & Ecclesiæ lætitiam, sacros Dauidis cantus, & sexdecim Prophetas, & sapientis Salomonis tum Prouerbia, tum Ecclesiasten, tum Canticum canticorum. Si igitur Esdras nullo adiutus exemplari, sed diuino spiritu afflatus, hæc ad omnium hominum vtilitatem conscripsit, quî fieri potest, optimi viri, vt liber hic argumentum illud contineat, quod affirmatis? Impudica scripta non à spiritu diuino, sed diabolico proficiscuntur. Fructus enim spiritus, vt inquit beatus Paulus, caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Si diuini spiritus fructus est continentia, & castitas; diabolici profecto est incontinentia, & impudicitia. Impudicitiæ autem argumentum sententia vestra complectitur Canticum canticorum. Cernitis, quo maledicta vestra perueniunt? contumelia, qua librum afficitis, tendit in Spiritum sanctum. Huius enim gratia repletus beatus Esdras librum amissum, vt diximus, renouauit. Quod cū beati Patres non ignorarent, eum in sacrarum scripturarum numerum retulerunt. Quin etiam multi ex veteribus illum commentarijs & interpretationibus illustrarunt. Et qui non sunt interpretati, eius tamen sententijs scripta sua decorarunt: nec solum Eusebius Palæstinus, & Origenes Aegyptius, & martyrij corona redimitus Cyprianus Carthaginensis, & his antiquiores, apostolisq; propinquiores: verumetiam qui post in ecclesijs excelluere, magnus ille Basilius Prouerbiorum principiū exponens, & vterq; Gregorius, quorū alter sanguine, alter amicitia Basilio coniunctus fuit, & fortis ille pietatis propugnator Diodorus, & Ioannes, qui ad hunc vsque diem doctrinæ fluentis irrigat vniuersum orbem terrarum, & denique, vt paucis rem complectens consulam breuitati, qui postea fuere, librum hunc omnes spiritalem esse censuerunt. Quæ cum ita se habeant, consideremus, an æquum sit, vt tot, tantisque viris despectis, contemptoque ipso Spiritu sancto, proprias opiniones consectemur, non audientes eum, qui præclare dicit: cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ: & beatum Paulum de quibusdam ita loquentem: euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor ipsorum. Nos igitur cum beato Petro ita clamemus: obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Dicamus item ad illos: an iustum sit in conspectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate: nos enim non possumus, quæ vidimus per Spiritum sanctum, & audiuimus, non loqui. Verum, ne nobis tantum consulere, aduersarios autem negligere videamur, age vnde morbi occasionem arripuerint, vestigemus, & curationem ipsis, quoad fieri potest, ex sacris scripturis depromamus. Legentes, vt arbitror, hoc volumen, animaduertentesq; in eo vnguenta, & oscula, & femora, & ventrem, & vmbilicum, & genas, & oculos, & lilia, & mala, & nardum, & stactem, & myrrham, & his similia, cum propriam diuinæ scripturæ consuetudinem ignorarent, noluerunt ingredi, & litteræ velum transilire, atque intus spiritum intueri, ac reuelata facie gloriam Domini contemplari: sed quæ dicta sunt, carnaliter intelligentes, in hanc blasphemiam prolapsi sunt. Oportebat autem eos considerare, hunc esse etiam in veteri testamento diuinæ scripturæ morem, vt multa figurate dicat, & sub alijs vocabulis alia significet. Nam cum de Babyloniæ rege loqueretur, nec proprium illius, nec commune naturæ nomen posuit: neque enim Nabuchodonosor, neque hominem appellauit; sed, Aquila, inquit, grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, vnguium plena, cui voluntas fuit, vt intraret in libanum, & tulit medullam cedri, & summitatem frondium eius auulsit: nec quisquam tamen vnquam per aquilam, aquilam; neque per libanum, libanum; nec per cedrum, cedrum intellexit: sed pro aquila, quæ regium est animal, regem ipsum: pro alis autem, amplitudinem regni: pro vnguium verò multitudine, copias militum. Porrò voluntas dixit, quia nutu diuino ferebatur, ad ea, quæ gessit, perpetranda. Per libanum autem Hierusalem significauit, propter multa ac magna illius munera spiritalia. Nam medulla cedri innuit homines delicijs ac voluptatibus deditos, & in dignitatibus constitutos. Atque hæc quidem sic intelliguntur non solùm à pietatis alumnis, verùm etiam à Iudæis, qui crassius & carnalius diuinas scripturas solent interpretari. Et beatus Zacharias, Aperi, inquit, Libane, portas tuas: & comedat ignis cedros tuas. Vlulet abies, quia cecidit cedrus. Per libanum non intelligimus libanum: neq; per cedrum, cedrum: neq; per ignem, ignem: neque per abietem, abietem: sed ignis rursus regem Babyloniæ designat, quem Ezechiel aquilam nominauit: Libanus Hierusalē: Cedrus homines diuitijs & honoribus superbos atq; insignes: Abies verò his abiectiores. iccirco subijcit: Vlulet abies, quia cecidit cedrus. Quoniam proceres vehementer afflicti sunt. Verum non est necesse, cuncta memorare, quæ per transiationem diuina dicit scriptura. Omissis igitur reliquis, ostendamus omnium Deum cum Iudæorum gente tanquam cum muliere colloquentem, atque ijsdem vtentem membrorum vocabulis, quibus de hac sponsa scribens vsus est Salomon. Sic igitur vniuersorum Deus Ezechielem alloquitur: Fili hominis notas fac Hierusalem abominationes suas, & dices: Hæc dicit Dominus Deus Hierusalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chætea. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & non vinxerunt vbera tua, & in aqua nō es lota in salutem, neq; sale salita, nec inuoluta panniis. Non pe-

percit tibi oculus, vt faceret tibi vnum de his, miſertus tui: ſed abiecta es ſuper faciem terræ, in abiectione animæ tuæ, in die, qua nata es. Tranſiens autem per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo. Et dixi tibi, cum eſſes in ſanguine tuo: Viue. Dixi, inquam, tibi: in ſanguine tuo viue. Multiplicatam quaſi germen agri dedi te. Et multiplicata, & grandis effecta, & ingreſſa es, & peruenisti ad mundum muliebrem. Vbera tua correcta ſunt, & pilus tuus germinauit, & eras nuda, & confuſione plena. Et tranſiui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amantium: & expandi alas meas ſuper te, & operui ignominiam tuam. Et iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus. Et facta es mihi. Et laui te aqua. Et emundaui ſanguinem tuum ex te: & vnxi oleo. Et veſtiui te diſcoloribus: & calciaui te hyacintho: & cinxi te byſſo: & indui te ſubtilibus. Et ornaui te ornamento: & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum: & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et paucis interiectis, ſimilam, inquit, & oleum, & mel meum comediſti. Et facta es pulchra valde, & exiit nomen tuum in gentibus propter pulchritudinem tuam. Et paulo pòſt rurſum: Et accidit poſt omnem malitiam tuam, ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum: & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti omnes fornicationes tuas. Et fornicata es cum filijs Aegypti vicinis tuis magnarum carnium: & multiplicaſti fornicationes tuas ad irritandum me. Et rurſus poſt pauca: Nec facta es quaſi meretrix quæſtus colligens, ſed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienos. Omnibus meretricibus dantur mercedes. Tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis: & dona donabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum. Factumq́ eſt in te contra conſuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & poſt te non erit fornicatio. In eo enim, quòd dediſti mercedes, & mercedes non accepiſti, factum eſt in te contrarium. Et quæ ſequuntur, ſunt eiuſdem generis. Quidnam dicent ij, qui Cantici canticorum ſcripta carpunt, & tanquam impudica interpretari minime verentur; cùm in veteri teſtamento nõ diſſimilia dici de gente Iudæorum inuenerint? Ecce enim & hic vbera, & vmbilicum, & pedes, & manus, & os, & aures, & complexum, & coniunctionem inuenimus, eaq́ dicta à Deo omnipotente, neque tamen, vt legimus ſic intelligimus. Neque occidenti adhæremus litteræ, ſed interius penetrantes ſpiritus ſenſum inueſtigamus, eiusq́ lumine illuſtrati, quæ ſpiritalia ſunt, ſpiritaliter intelligimus. Et cùm Deum audimus hic verbis Hieruſalem alloquentem: Pater tuus Ammorrhæus, mater tua Chethæa: non naturæ, ſed mentis cognationem conſideramus. Natura enim erant filij Abrahæ, qui ex Sem genus ducebat: morum autem improbitate erant ex genere Chanaan. Ideo patrem appellat Amorrhæum, matrem autem Chethæam, qui Chanaan erant filij. Quorum enim ſcelera imitabantur, eorum erant ſortiti genus. Quamobrem & beatus Ioannes Baptiſta exeuntibus ad ſe dicebat: genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Facite fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham: Qui ſe filios Abrahæ iactitabant, eos propter malitiæ cognationem vocauit genimina viperarum. Quinetiam ipſe Dominus dicentibus habere ſe patrem Abraham reſpondit: Vos ex patre veſtro Diabolo eſtis. Et cauſam afferens, ſubijcit: Et opera patris veſtri vultis facere. Quæ autem ea ſint opera, declarans, ille, inquit, homicida erat ab initio. Eodem modo & hic omnium Deus, radix, inquit, & generatio tua ex Chanaam. Pater tuus Ammorrhæus, & mater tua Chethæa. Tum abiectam ac neglectam in Aegypto declarans viuendi rationem & diſciplinam, in qua, inquit die genita es, non vinxerunt vbera tua. Per tranſlationem vbera & vincula nominat. Mos enim eſt virginibus ab ipſa

ipſa pueritia, vt vberum curam gerant. Ex quo Deus etiam per Hieremiam prophetam, nunquid obliuiſcetur, inquit, virgo ornamenti ſui aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? Hæc autem virgines curant, vt placeant ſponſis ſuis. Quoniam igitur populus Iudæorum, quandiu Aegyptum incoluit, nullam habuit vitæ diſciplinam, nec virtutis partes excoluit, merito ait: In qua die genita es non vinxerunt vbera tua; hoc eſt partem, qua animus alitur, vnde lac, quod nutriendi vim habet, gignitur, minime coluerunt, vt in tempore liberis diſciplinæ papillas exhiberet. Et in tranſlatione perſiſtens in aqua, inquit, non es lota: Id eſt, ab Aegyptiacæ idololatriæ ſordibus nõ es mundata. Sed ex ſeruitute exeundo tanquam in lucem edita, adhuc partus ſigna retines, cum abluta non ſis, ſed maternas ſordes circumferas. Huc ſpectant, & quæ ſequuntur. Neque ſale ſalita es, quod obſtetrices ſolent infantibus adhibere. Hoc item ex allegoriæ legibus intelligemus vt ſal ſpiritalem prudẽtiam ſignificet, & diuinam doctrinam, qua ea, quæ corrumpi poſſent, à putredine integra conſeruantur. Quamobrem & Dominus dicebat diſcipulis: habete ſal. Et rurſum: vos eſtis ſal terræ. Et in veteri teſtamento reperimus, nullum ſine ſale ſacrificium fieri. Sic illud item intelligendum eſt: non eſt præciſus vmbilicus tuus. Etenim, quoniam vmbilicus (vt tradunt ij, qui hæc profitentur) eſt velut radix quædam embrionis: per ipſum enim fœtus nutritur, augetur, atque perficitur: iccirco Hieruſalem non eſſe præciſam ait, quippe quæ, cùm ex Aegypto eſſet genita, adhuc Aegyptiacam idololatriam hauriret, & ex materno vtero fœdum illum cibum attraheret. Et tranſiens, inquit, per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo. Sacrificia illa ſignificat, quæ idolis immolabantur. Et dixi tibi: viue in ſanguine tuo. Iudæis enim conceſſit, vt immolarent, ſed ſibi, cùm ipſe tamen ſacrificijs eorum minime egeret, ſed infirmitati ipſorum indulgeret. Victimis, inquit, & ſanguine delectaris? victimas igitur macta, non dæmonibus, ſed mihi. Quamuis ego victimis non indigeam, tamen vndique conſulam ſaluti tuæ. Viue igitur ex ſanguine tuo, multiplicare. Ad eundem modum intelligendum eſt illud: Vbera tua correcta ſunt. Quæ enim præ nimia laſciuia, atque idolorum inſania intumuerant, atque pendebant, diligentia & curatione mea correcta ſunt, & ad virginum redacta modum. Oſtendit mutationem in melius, & impetum ad ſuperiora, & temperantiæ ſtudium. Et pilus tuus, inquit, germinauit, hoc eſt, cùm eſſes omni ornatu ſpoliata, repente capillos, qui comi & componi poſſent, extuliſti. Nuda autem eras, & confuſione plena. Nondum enim lex data fuerat, neque conſtructum tabernaculum, nec miſſa dona ſponſalia. Itaque ſubijcit: Et tranſiui per te, & vidi te. Et ecce tempus tuum, tempus amantium. Nubilis effecta es, & ad coniugium idonea. Quapropter expandi alas meas ſuper te, & operui ignominiam tuam. Per alas varia genera munerum intelligit: nempe, ſacerdotium, prophetiam, rempublicam, regnum, miracula, & alia dona, quæ verbis nequeunt explicari. Et iuraui tibi. Hoc in magni Moſis ſcriptis perſpicue cernitur. Tollo, inquit, in cœlum manum meam: Et iuro per dexteram meam. Et dicam, viuo ego in ſæculum. & rurſum: Viuo ego, & viuit nomen meum. Et implebit manus Domini vniuerſam terram. Iuramenta igitur ſua illi commemorat, iuraui inquiens, tibi, & ingreſſus ſum pactum meum tecum, ait Dominus Deus. Legitimum, inquit, connubium contractum eſt, inita ſunt pacta, dotales tabulæ confectæ ſunt, & hac legali ac voluntaria conditione confirmata, vt ſi pacta violaueris, domo ſponſalibus exuta muneribus ejiciaris, & nuda, quemadmodum veneras, reuertaris. Nihil enim ad nuptias attuliſti. Ego autem te ſordibus inquinatam abſterſi, ſalis expertem ſale condiui, nudam indui, diſſolutam cõligatis vberibus compoſui. Quamobrem addit: Et ingreſſus ſum pactum tecum, dicit Dominus Deus. Et facta es mihi. Et laui te aqua. Et emundaui ſanguinem tuum ex te. Et vnxi te oleo. Et veſtiui te diſcoloribus: & calciaui te hyacintho: & cinxi te byſſo. & quæ deinceps ſequuntur.

quuntur. Hæc autem ex diuiniſsimi Moſis ſcriptis facile licet colligere. Ille enim & ſacra conſtituit ornamenta, & ſanctum vnctionis oleum: quemadmodum ab omnium Deo fuerat edoctus. Sic manuum armillas, & colli torquem, & inaurem ſuper os, & circulos aurium, & coronam decoris capiti impoſitam intelligamus. Per manuum enim armillas, virtutes morales ſignificat: per circulos aurium, diuinarum ſcripturarum intelligentiam, qua vt circulis aures, ſic animus eſt ornandus: per colli torquem, prudentiam in principali parte ſplendentem, quæ in corde, quo pendet ornatus ille, quieſcit: per inaurem vero ſuper os, legum diuinarum frenum, à tauris ſumpta metaphora, qui ſic à bubulcis aguntur. Siquidem & per Oſeam prophetam talia loquitur Deus; ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael. & per Hieremiam, audiui, inquit, Ephraim querentem: caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus: freno eiuſmodi egebat omnino, vt ab impoſito greſſu cohiberetur. itidem & lupanar, & proſtibulum, templa dæmonum intelligamus. Nam cùm eſſet Deo coniuncta, eumq; virum appellaret, improbos dæmones adamauit, atque illis templa conſtruxit. Et quæ à Deo acceperat munera, ea dæmonibus eſt elargita. Iccirco ſubjcit: ad omne caput viæ ædificaſti ſignũ proſtitutionis tuæ: & abominabilem feciſti decorem tuum: & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti. His verbis exprimit vim libidinis incredibilem. Non cum familiaribus ſolis habebas conſuetudinẽ, ſed ardore libidinis furens cum omnibus adeuntibus impudice commiſcebaris. Mixtionem hic rurſum figurate nominat cultum idolorum. Animaduertendum eſt autem, quibus vocabulis vtatur Deus, vt immenſum idololatriæ ſtudium explicet. Diuiſiſti, inquit, pedes tuos omni tranſeunti: & multiplicaſti fornicationes tuas: & fornicata es cum filijs Aegypti vicinis tuis magnarum carnium. His quoque verbis nimium idolorum atque impietatis ardorem oſtendit: Nec facta es quaſi meretrix quæſtus colligens, ſed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienos. Omnibus meretricibus dantur mercedes. Tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis: & dona donabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum. Factumq; eſt in te contra conſuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & poſt te non erit fornicatio. Per hæc item ſignificauit quod cum à Deo & frumentum, & vinum, & oleum, & oues, & boues, & vitulos accepiſſent, ea contempto Deo, cuius erant dona, idolis offerebant, à quibus nihil vnquam niſi pernitiem acceperant; ac mercedem quidem non ab adulteris exigebant, ſed ipſis dilargiebantur. His ſimilia ſunt apud Hieremiam prophetam: Nunc autem, inquit, mœchata es cum lapide & ligno. Leua oculos tuos in directum, & vide, vbi non proſtrata ſis. In vijs ſedebas, expectans eos, quaſi latro in ſolitudine, & polluiſti terram in fornicationibus tuis. Et beatus Eſaias, quo modo, inquit, facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij. Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Et rurſum, Quis eſt, inquit, hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram. Sed quid opus eſt, ſingula, quæ per prophetas à Domino dicta ſunt, perſequi? cùm ex ijs, quæ commemorauimus, diſcere poſſimus, ita tractandas eſſe diuinas ſcripturas, vt non litteram ſequamur ſolum, ſed mentem ac ſenſum illius aperiamus? A veteri igitur ad nouam ſponſam accedentes, hac ratione Cantica canticorum interpretemur, reiectisq; falſis ac pernitioſis opinionibus, ſanctos imitemur patres, atq; vnam ſponſam cum vno ſponſo colloquentem agnoſcamus, & qui ſit ſponſus, quæque ſit ſponſa, è ſanctis diſcamus Apoſtolis. Id enim docet nos & diuiniſsimus Paulus, ita ſcribens: Deſpondi enim vos vni viro virginem ſanctam exhibere Chriſto. Sponſam ex multis conflatam dicit. Nam, deſpondi, inquit, non te, ſed vos, hoc eſt, animas pias & in virtute perfectas. Sponſam enim diuina ſcriptura eccleſiam intelligit: ſponſum

ſum autem Chriſtum appellat. Et magnus ille Ioannes, qui legis finem, & gratiæ principium oſtendit, quiq; inter pædagogum & ſapientem magiſtrum medius fuit, quatenus vmbra corpus accepit, Qui habet, inquit, ſponſam ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Quid? quòd ipſe Dominus ſe ſponſum appellat? Cùm enim Phariſæi ſanctos Apoſtolos vti non ieiunantes accuſarent, refellit eos, nunquid poſſunt, inquiens, filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. ſponſam igitur eccleſiam, ſponſum Chriſtum intelligamus. Adoleſcentulas vero, quæ ſponſam ſequuntur, animas rudiores, quæ ſponſæ virtutem ac perfectionem nondum ſunt conſecutæ. Quamobrem ſequuntur quidem ſponſam, ſed ſponſæ non appellantur. Habet præterea textus & alios quoſdam cum ſponſo verſantes, quos ſiue angelos quiſpiam dixerit, Domini mandatis obſequentes, ſponſam exornantes: ſiue Prophetas hæc multo ante prænunciantes: ſiue Apoſtolos angelico & ipſos more Domini nutibus inſeruientes: à veritatis propoſito non aberrabit. mihi verò magis placet, angelos intellugere. Nam animas in virtute perfectas ſponſam agnoſcere docent diuinæ ſcripturæ. Nihil autem Apoſtolis & Prophetis perfectius præter angelos. His de cauſis, qui ſponſo deſeruiunt, & ſponſæ obſequi ſtudent, mihi potius angeli videntur eſſe. Quandoquidem & ſponſo ſtatim genito chorum angelicum inuenimus gaudentem, atq; exultantem, & iucundius cantibus conclamantem: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Præterea in ipſa conceptione Gabriel archangelus miniſter fuit. Ad hæc angelus ipſi Ioſeph tum fugam in Aegyptum, tum ex Aegypto reditum cernitur præcepiſſe. Et poſt certamina cum diabolo confecta, accedentes angeli fauſtis cum acclamationibus, ac laudibus, atq; omni obſequio miniſtrabant ei, qui pro imbecillitate noſtra depugnauerat, & aduerſarium vicerat. Nec non & paſſionis tempore præſto fuerunt angeli humanitatem confirmantes. Ad ſepulcrum etiam aſſidentes angeli reſurrectionem ipſius nunciabant. Ac denique cùm aßumptus eſt in cœlum, angeli ad Apoſtolos dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis ſuſpicientes in cœlum? hic Ieſus, qui aßumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet iterum. Mihi ergo cum ſponſo videntur eſſe ordines angelorum, qui & illius obſeruent nutus, & ſponſam omnibus officijs ac ſtudijs proſequantur. Illud etiam præfari neceſſarium eſt tria Salomonis eſſe volumina, Prouerbia, Eccleſiaſtem, & Canticum canticorum. Ac Prouerbia quidem vtilem de moribus diſciplinã cõplecti: Eccleſiaſtem autẽ, eorũ, quæ ſenſibus percipiuntur, naturam indicare, vitæq; præſentis docere vanitatem, vt ea fluxa & fragilia cognoſcentes tanquam fugacia ac prætereuntia ſpernamus, & quæ futura ſunt, vt firma atq; æterna permanentia concupiſcamus: Canticum vero canticorum myſticam ſponſæ & ſponſi neceſſitudinem & coniunctionem continere. Vt vniuerſa Salomonis doctrina ſit veluti ſcala quædam, quæ tribus gradibus conſtet, morali, naturali, & diuino. Principio igitur qui ad pie rectéque viuendi diſciplinam accedit, neceße eſt, vt bonis atque honeſtis actionibus & operibus animum purget: atque ita deinceps fugacem rerum prætereuntium, quæ ſenſui iucundæ videntur, vanitatem deſpiciat, vt inde poſtremo ſeſe explicans, ſublimis auolet ad ſponſum, perpetua ac ſempiterna bona pollicentem, amandum & complectendum. Iccirco tertio etiam loco hic conſtitutus eſt liber, vt ratione & via ad perfectionem contendamus. Arbitror autem ſapientem Salomonem à patre (vtpote propheta, ac magno quidem propheta) edoctum hæc conſcripſiſſe. Audierat enim omnino illum ita canentem: Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate. & alibi: audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere domum patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Huius quidem libri lectione adoleſcentibus atque ætate

adhuc

adhuc imperfectis prorsus interdicunt. Solis autem viris perfectis, qui recondita & arcana percipere valeant, & spiritaliter intelligere, quæ scripta sunt, legendum præbent. Omissa igitur disputatione vtrum prophetice scriptus sit, an quæ à patre didicerat Salomon, ea litterarum monumẽtis mandarit, ne furtinos insimulent, si quid, quod à patribus dictum sit, in his commentarijs offenderint. Fatemur enim & nos ab illis explanationis occasionem accepisse. Hoc autem non furtum appellari debet, sed paterna hereditas. Quanquam ad illa, quæ ab eis accepimus, adiunximus, quæ nostra non sunt. & quod latius à quibusdam explicatum est, nos cõtraximus: quod autem diligentiam requirebat, dilatauimus. Laborem denique suscepimus, lectoribus, vt arbitror, haud inutilem. Quamobrem, qui sine labore laborum nostrorum fructum sunt percepturi, rogatos volumus, vt nobis pro laboribus nostris orationes ac preces impertiant suas. Quod si minus accurata videbitur explicatio, laborem saltem boni consulant, & quæ desunt, ipsi doceant.

Alia Cantici canticorum per paraphrasim interpretatio, collecta ex sancti Gregorij Nyssæ Pontificis, & sancti Nili, & sancti Maximi commentarijs.

QVONIAM & Prouerbia & Ecclesiastem cecinit Salomon, in Prouerbijs quidem deterrens à vitijs, & ad virtutes cohortans, atq; moraliter instituens: In Ecclesiaste autem declarans rerum præsentium vanitatem, easque despiciendas suadens, ac naturaliter docens, ex quibus caritas in Deum proficiscatur, quæ nimirum ab eo, quod bonũ videtur, ad id, quod vere bonum est, animos nostros incitet atque inflammet. & reliqua.

Alia expositio in Canticum canticorum à Psello versibus ciuilibus explicatum.

CVM animus tuus discendi cupidus, Stephephore, eo desiderio teneatur; vt canticorum Canticum noua & varia explanationis atque intelligentiæ ratione declaretur: en voluntati ac studio tuo obsequimur, Imperator; atque Domini vniuersorum auxilio freti, totam Canticorum expositionẽ simplici & vulgari oratione concinnatam afferimus.

Sapientissimus ille propheta Salomon, Dauidis filius ex ea, quæ fuit Vriæ, tria quædam in vita volumina conscripsit. Vnum prudenter ab omnibus Prouerbiorum nomine nuncupatur, quod morum continet disciplinam, perturbationum animi emendationem, rectesque viuendi rationem, ac diuina præcepta: alterum Ecclesiastes ab hominibus appellatur, quod vitæ præsentis aperit vanitatem: tertium, Domine, quod continenter sequitur, est ipsum Canticum canticorum, quod quidem tibi elegãter admodum, & sub specie ac figura quadam nuptiarum tradit humanæ animæ perfectionem. Sapienter enim proponit Christum sponsum, sponsamque itidem animam sponsi amore languentem, atque inflammatam, & ad illius gratias & munera velociter peruolantem. Continet etiam dicta quædam ecclesiæcongruentia. Sed iam, adiuuante Deo, verba incipiamus interpretari.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, IN CANTICVM CANTICORVM INTERPRETATIO.

QVONIAM diuina gratia confisi librum hũc suscepimus explicandum, age primum omnium inscriptionẽ ipsius expendẽtes plenam ac dilucidam reddamus.

Canticum canticorum, quod Salomon cecinit.

Consideremus, cur nam librum hunc non Canticum inscripserit, sed, Canticum canticorum. Nihil à diuino spiritu temere frustraq; fieri, apud homines prudentes ac pios minime dubium est. Quod cùm ita sit, explorãdum est, qua de causa Canticum canticorum, non autẽ Canticum volumen hoc fuerit appellatum. Multa igitur cantica, & psalmos, & hymnos, & odas tum à beato Dauide, tum à prophetis, qui ante, & post ipsum Dauidem extiterunt, dicta & inscripta fuisse non ambigimus. Ac Moses quidem ille magnus primùm cecinit Canticũ, cùm mare diuisum Israëlitis quidem iter aperuit, Aegyptijs autem sepulturam. Alterum super puteo, cum pro aqua inuenta gratias egit. Tertium verò in quo diuina munera commemorans ingrati animi populum arguit. At beatus Dauid carmina composuit, quibus & victorias, & vindemias, & diei tum ortum, tum occasum, celebrauit. Sapiens autem Salomon cantionibus suis non victorias, non diei ortum, sed nuptias describit. Cantica, quæ vocant Epinicia, hostium interitum ostendunt, & excussum seruitutis iugum, quale est illud: Auferens bella vsque ad fines terræ. Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. significat enim, se hostibus deuictis & profligatis, diutino dominatu oppressos in libertatem vindicasse, regno eiusmodi constituto, in quo sibi omnes æquo ac libenti animo deseruirent. Iccirco, exaltabor, inquit, in gentibus, exaltabor in terra. Eusdem generis & illud est: Omnes gentes, plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. Quoniã Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. Et rursus: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Et alibi: Attollite portas principes vestras: & eleuamini portæ æternales & introibit rex gloriæ. Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. His igitur carminibus regis victoriam celebrant prophetæ, eumque laudibus efferunt, quod captiuos vindicarit in libertatem. At canticorum Canticum nuptias illius describit, & sponsę amorem explicat, sponsam autẽ appellat eos, qui in superioribus canticis è seruitute liberati commemorantur, & libertatem consecuti ad regis partes se applicuerunt, eiusque beneficia immortali memoria complectentes, magnam in illum beneuolentiam atque amorem declarantes, ipsum assidue sectantur. Tum cœlestibus potestatibus quærentibus, ecquis sit iste rex gloriæ, ipsi quoque simul esse concupiscunt, ac ne exiguo quidem temporis momẽto ab eo, per quem salutem acceperunt, se disiungi patiuntur. Hac de causa Canticum canticorum hic liber inscribitur, quoniam reliqua cantica propter hoc Canticum facta sunt, & ad hoc illa perducunt. Hoc est enim bonorum caput, diuinæ benignitatis summa, ineffabilis bonitas, incredibilis misericordia, immensa clementia, inenarrabilis caritas, quòd auctor ipse, & effector, & procreator, & Dominus, & Deus, & princeps, atq; idem semper, luteum hoc animal, mortale, & corruptibile, & ingratum, atque inutile à morte, & seruitute diabolica eripuerit, atque ita libertatem largitus sit, vt non solum nos liberos constituerit, sed in filios adoptarit, neq; solum tribuerit adoptationis munus, verum etiam sponsam & vocarit & fecerit, eodemq; numero spõsum habuerit, atque innumerabilia dona sponsalia dederit, & cubile, & thalamum adornarit, & nudam inducrit, & denique factus ipse sit sponsæ & amictus, & panis, & potus, & via, & ostium, & vita, & lux, & resurrectio. Sed ego arenam, & aquæ guttas enumerare cõtendo, & cyatho dimetiri, qui diuinæ humanitatis magnitudinem verbis conor explicare. Canticum igitur cãticorum hic liber inscribitur, propterea quòd maiora Dei bonitatis genera nos edocet & maximè recondita atque arcana & sanctorum sancta diuinæ nobis humanitatis mysteria patefacit.

Ex tribus Patribus.

A Salomone inscriptum est canticorum Canticum, in quo sponsę ecclesiæ in Christum ipsius sponsum amor ostenditur. Nam post Prouerbiorum ad virtutis cohortationem, & dehortationem à vitijs, & post rerum humanarum atque mortalium contemptum, quem ab Ecclesiaste didicerat, canit ipsi sponso Christo pacifico, quod & nobis à Deo factus est pax, & per se ipsum nos patri suo reconciliauit. Qua quidem caritate fidelium ecclesiam despondit sibi,

sibi, diuina ratione, ac lege spiritali, & reuelatione mysteriorum quæ de ipso tradita sunt, erudiens illam, quam prius per Prouerbia & Ecclesiastem moraliter & naturaliter exornatam instituerat. Ecclesia igitur Christo desponsata, quæ per legem tum scriptam tum naturalem, quarum vires in Prouerbijs & Ecclesiaste Salomon expresserat, perq; totius scripturæ & creaturæ notas, quasi tyrocinio & rudimentis quibusdam ea didicit, quæ ad prouidentiam & creationem pertinent, atque ex ijs, incredibilem sponsi erga se amorem intellexit, vult hæc ab ipso Dei verbo per eius in carne dispensationem, lege spiritali, sine vllo medio perdiscere, vt per caritatem ipsi coniuncta, atque vnus effecta spiritus, ex sponsi sui ore vocem eius exaudiat.

Osculetur me osculis oris sui.

Theodoreti.

Hæc loquitur sponsa, obsecrans sponsi patrem. Audiuit enim & promissa, quæ facta sunt Abrahæ patriarchæ: Et quæ prædicta fuerunt ipsi Iacob in benedictionibus: Audiuit & Mosem de sponso suo vaticinantem: Et Dauidem in Psalmis pulchritudinem eius, & potentiam sic enarrantem: Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis. Propterea benedixit te Deus in æternum. accingere gladio tuo super femur tuú potentissime. Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam. Didicit, hunc ipsum speciosum ac decorum sponsum & Deum esse; & filium sempiternum. Sedes enim tua Deus, in sæculum sæculi. Virga directionis virga regni tui. Et Esaias clamat: Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Cum igitur sponsi pulchritudinem, robur, diuitias, regnum, quod in omnes habet, vim eius æternam, incorruptibilem, nullum habituram finem intellexerit: eum videre concupiscit, & in complexum ipsius ruere, atque illi oscula dare spiritalia. At ne quis osculorú vocabulo perturbetur, consideret, quemadmodum mystico sponsi tempore sponsi corpus suscipientes, complectimur, & osculamur, atque oculis cordis imponimus, & animo ac cogitatione quasi complexus quosdam, & congressus nuptiales effingimus, atque ipsum, caritate timorem foras eijcientes, nos amplexari putamus, & suauiari. Auet igitur sponsa ab ipso sponso deosculari, tantum non hisce verbis patrem ipsius compellans: Mitte mihi vnigenitum filium tuum ò Domine, & pater (quando tu patris appellatione magis, quàm Domini delectaris) nimium diu iam illum expecto, illum desidero. Laboraui epistolas eius accipiens per patriarchas, per legislatores, per prophetas. Amplius ferre non possum amoris flammam. Ignis est ardens, atque vrens in visceribus meis: Per omnes Prophetas mihi se venturum promisit. Neque ad hunc vsque diem promissa perficere voluit. Pollicitus est per Dauidem, per Hieremiam, per Esaiam, per Ezechielem, & Zachariam, & Danielem, & reliquos Prophetas, se venturum, ac nuptias confecturum. Nescio cur differat, cur procrastinet, cur me desiderio ardentem despiciat. Dixit mihi per Oseam: sponsabo te mihi in sempiternũ: & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide. Et scies, quia ego Dominus. Dixit mihi per Esaiam, Lætare, sterilis, quæ non paris. decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habebat virum. Expecto per singulos dies, vt mihi promissa persoluantur. Hæc innuit, dicens:

Osculetur me osculis oris sui.

Ex tribus Patribus.

Sponsus igitur ipse per se optimam suam erga me voluntatem doceat, verbisque, & rationibus, quid expediat, ostendat.

Theodoreti.

Ac, ne ex sensu nostro interpretemur, eorum, quæ dicta sunt, testem Paulum adducamus. Hic ad Hebræos scribens, & de fide sermonem instituens prosequens, hæc de Abraham loquitur: Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, & Iacob, coheredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Et post pauca: Iuxta fidem defuncti sunt omnes illi, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas respicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hęc dicunt, significant, se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, haberent vtique tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. Et de magno Mose, magis elegit, inquit, affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatẽ, maiores diuitias existimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Aegyptum non veritus animositatem Regis. Inuisibilem enim tanquam videns sustinuit. Et de omnibus simul sanctis, qui in veteri testamento illustres extiterunt, hæc dicit: Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Quin & Dominus in sacris Euangelijs hæc ad Apostolos ait: multi Prophetæ, & Reges, & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt. Vestri autem beati oculi, quia

quia vident: & aures vestræ, quia audiunt. Et cum Iudæis disputans, diceba t: Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Et Simeon senex respondens acceperat à spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Itaque genitum, & allatum ad templum accepit in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundũ verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omniũ populorum, & reliqua. Constat igitur, eos credentes diuinis promissis ea ad finem perducta videre concupiuisse. Itaque Canticum canticorum sponsam inducit dicentem: Osculetur me osculo oris sui. Osculum autem intelligimus, non oris cum ore, sed animæ piæ cum diuino verbo coniunctionem. Vt sponsa tale quidpiam dicere videatur: verba per litteras audiui; cupio autem & vocem ipsam exaudire. Cupio sine medio ex ore ipso sacram doctrinã percipere, eamq; mentis meę labijs deosculari. Osculetur me osculo oris sui. Hæc sponsæ dicenti sponsus apparet, atque implet promissum illud: Adhuc loquente te, ecce adsum. Sponsa vero sponsum optatum intuita, obstupescit, atque vbera, & suauitatem odoris admiratur, & clamat.

Bona vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.

Trium Patrum.

Vbera rursum hic vocat lactis receptacula, quod imperfectis adhuc & infantibus præbere nouit beatus Paulus, Lac vobis, inquiens, potum dedi, non cibum; nondum enim poteratis. Neque vero hac solum de causa vberum sponsa mentionem fecit, sed etiam quia propinqua sunt cordi, in quo præcipua mentis est sedes, vnde doctrinæ fontes emanant. Sponsi igitur vbera vti bonorum fontes admiratur, ex quibus commode tum infantes adhuc, tum etiam perfecti nutriuntur. Eaq; dicit esse meliora vino, quod diuinæ scripturæ testimonio cor hominis exhilarat. Figurate enim vinum lætitiam appellauit, vt cunctis humanis voluptatibus præstare declararet lætitiã illam, quæ ex ipsius donis ad pios proficiscitur. Quòd si vbera mystice etiam vis intelligere; per vbera illa admiranda, & vino præstantiora, cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus omnes nos pietatis alumni nutrimur. Tum ingentis desiderij sui, & dilectionis erga ipsum animarum, quæ rerum fluxarum cupiditati non succubuerunt, causam exponit, dicens: Quoniam vbera tua meliora sunt vino: & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata, vnguentum effusum nomen tuum: Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Si natura rerum & scriptura sunt bonæ, dum veluti signa & notæ veritatis accipiuntur: atque instar vberum tuorum simplicem nobis fidei in te cibum subministrant: &, tanquam odor quidam vnguentorum tuorum, indicant nobis, spiritali nos suauitate conspergentes optimas voluntates tuas, quarum præscripto facta sunt omnia: non autem ad se trahunt, atque, instar vini, desciscere faciunt à fide in te: neque vt aromata quædam, dum naturalem videntur ex se ipsis habere suauitatẽ, ad ea, quæ in carne & mundo sunt, perfruenda nos alliciunt: Natura, inquam, & scriptura, veluti vnguentorum odor, tuas declarant voluntates. Nam bonitas tua, instar vnguenti effusi, in omnes creaturas per participationem ex vi sparsa demonstrat te rerum omnium auctorẽ, ex nominibus indicans ea, quæ communicas vniuersis, cuiusmodi sunt, ens, vita, sapientia, & similia. Cùm igitur natura & scriptura, si hoc modo accipiantur, bonæ sint; ideo animæ dolum, & fraudem, quæ ex rerum visibilium specie, & ex litteræ sono prouenit, euitantes, diabolo & perturbationibus superatis, ex quo & adolescentulæ sunt appellatæ, dilexerunt te. Te autem diligentes, quę ex lege tum scripta, tum naturali esse sponsum Christum intellexerant, è paterno sinu traxerunt te, qui propter illos, qui salutem sunt adepturi, in carne venisti. Deinceps, inquit, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Sequemur igitur te, morem atque institutum imitantes, quo nos ad sensum optimæ voluntatis tuæ perduxisti, id est, vt animam ponamus pro salute multorum, quod est perfectæ caritatis indicium, omnia diuina manu data complectentis.

Et odor, inquit, tuus super omnia aromata.

Theodoreti.

Nota, inquit, sunt mihi vnguenta, quæ Moses confecit, & oleum vnctionis, & thymiama compositionis. sed omnium illorum aromatum vnguentum tuum est suauissimum. Vnguentum hic vocat gratiam spiritalem, qua ille refertus, ex plenitudine sua nobis omnibus impertiuit. Quamobrẽ clara voce beatus Paulus, Christi bonus, inquit, odor sumus in ijs, qui salui fiunt, & in ijs, qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem; alijs autem odor vitæ in vitam. Vulturibus enim cadauera deuorantibus suauitatem exhibent fœda corpora; vnguentum vero, perniciem. Sic hominibus impijs secŋ; in fœditate peccati volutantibus teter libidinis odor est suauissimus, grauis autem ac molesta Christi disciplina: quapropter & voluntariam ipsis mortem affert. Hoc enim est, inquit, iudicium, quia lux venit in mundũ, & dilexerunt magis homines tenebras, quàm lucem. Merito igitur ait sponsa: Et odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Non dicit: Vnguenti tui: sed vnguentorum tuorum: indicans, multa esse munera gratiarum. Alij enim per spiritum, teste beato Paulo, datus est sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpre-

ratio ſermonum. Propterea non dicit: odor vnguenti tui: ſed, odor vnguentorum tuorum. Oſtendens multa, & varia dona, ac munera, do cet ea ab vno eodemque fonte profluere. Ideo ſubijcit.

Vnguentum effuſum nomen tibi.

Multiplices, inquit, hi ac varij fontes, qui totum orbem terrarum odoris ſuauitate repleuerunt, vnicam habent venam, & originem, vnguentum tuum. In eo namque inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis. Et ipſe cuncta ſimul ſpiritus dona, vt homo ſuſcepit. Quocirca clamat etiam Eſaias: Egredietur virga de radice Ieſſe: & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus ſapientiæ, & intellectus; ſpiritus conſilij, & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ, & pietatis: & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Ideo dicit: Vnguentum effuſum nomen tibi. Non, vnguentum ait ſimpliciter, ſed effuſum. Quemadmodum enim vnguentum in vaſe concluſum incluſam continet & ipſam odoris fragrantiam; ſin autem effundatur, ipſum quoque repletaërem: ſic dominus Chriſtus ante paſsionem paucis notus erat: at poſteaquam crucem mortemque ſuſtinuit, ac veluti corporis vas aperuit, continuò beati Apoſtoli ſuauitate illa repleti ſunt, terram percurrentes, & maria traijcientes, omnibuſque euangelium nunciantes, odoris ſuauitate mundum vniuerſum compleuerunt. Ob id ait ſponſa:

Vnguentum effuſum nomen tibi.

Satis eſt enim Chriſti nomen ad piorum animas vnguentis quodammodo imbuendas, atque omni odoris ſuauitate conſpergendas. Quòd ſi magis etiam myſtice vis intelligere, ſacri baptiſmatis myſterium recordare, in quo qui initiantur, poſt ſatanæ abnegationem, & Dei confeſsionem, veluti ſigno ac nota quadã regia, ſpiritalis vnguenti chriſmate inuncti, ſub ea viſibili vnguenti ſpecie inuiſibilem ſanctiſſimi ſpiritus gratiam ſuſcipiunt.

Vnguentum effuſum nomen tibi.
Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te:
Traxerunt te, poſt te in odorem
Vnguentorum tuorum currentes.

Hanc, inquit, vnguenti tui, hoc eſt, diuinæ ac ſalutiferæ doctrinæ tuæ fragrantiam percipientes animæ adoleſcentes ac ſtrenuæ (has enim adoleſcentulas appellat) amore tuo ſic incenſæ ſunt, vt tead ſe traxerint, & poſt te ita ſecutæ ſint, vt curſu id fecerint, ne relinquerentur, neue ſeiungerentur à dilecto ſuo. curſum hunc explicat & beatus Paulus, ſequor, inquiens, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum. & alibi: Sic currite, vt comprehendatis. & alio loco: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Animæ igitur ſtrenuo ac virili ſenſu præditæ vitæque voluptatem, & laſciuiam, atque deſidiam fugientes, & laborem delicijs anteponentes poſt ſponſum currunt, vnguenti fragrantia illectæ atque attractæ, ac veluti vinculo quodam inexplicabili vinctæ & colligatæ. Sponſa nondũ ad nuptias admiſſa, ſponſi patrem, & ſponſum ipſum ad ſe profectum alloquitur. Ad nuptias autem, & ſponſi thalamũ, & cubiculum admittitur, & ad genialem lectum introducitur.

Introduxit me rex in cubiculum ſuum.

Id eſt, recondita mihi conſilia ſua patefecit. Myſterium à ſæculis & generationibus mihi indicauit. Theſauros abditos, & abſconditos, atque inuiſibiles aperuit mihi ſecundum Eſaiæ prophetiam. Et hoc ex ſacris euangelijs clarius licet intelligere, vbi Chriſtus ad Iudæos in parabolis loquitur, Apoſtolis autem parabolarum ſenſum exponit, Vobis, inquiens, datum eſt, noſſe myſteria regni, illis autem non eſt datum. Porro cubiculum Dominus mentem vocat dicens; Tu autem cùm oras, intra in cubiculum tuum, & ora ad patrem tuum, qui eſt in abſcondito.

Trium Patrum.

Anima ex Chriſti eccleſia per vitam perfectam ipſi deſponſata, & docendi munus aſſecuta, atque ideo iam idonea, quæ animas imperfectiores ad perfectionem adducat, ſic eas alloquitur: Introduxit me rex in cubiculum ſuũ. Sua nimirum diuina atque arcana myſteria retexit mihi: id quod & magno contigit Paulo, qui vſque ad tertiũ cœlum ſublatus, id eſt, moralem & naturalem philoſophiã prætergreſſus ad theologiam vſque peruenit, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Theodoreti.

Introduxit me rex in cubiculum ſuum, propemodum dicens cum beato Paulo: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Nobis autem Deus reuelauit, per ſpiritum ſuum. Nos enim ſenſum Chriſti habemus, in quo omnes ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Introduxit me rex in cubiculum ſuum. Non alienum eſt, quærere, cur ſola ſponſa introducatur, adoleſcentulę autem nõ item. Foris enim ſtantes, ſponſam ingreſſam opperiuntur, eaq; egrediente, atque enarrante, quo modo rex ipſam introduxerit in cubiculum ſuum, adijciunt:

Exultemus, & lætemur in te.
Amabimus vbera tua ſuper vinum.
Rectitudo dilexit te.

Omnes, qui crediderunt, in eodem quidem habentur fidelium numero, non tamen ſunt in eodem dignitatis gradu. Multæ enim manſiones apud patrem meum, dicit Dominus: hoc eſt multæ dignitatum differentiæ. Nam alius eſt ordo Patriarcharum, alius Prophetarum, alius Apoſtolorum, alius martyrum, alius virginitatis decore præſtantium, alius matrimonij iugum legitime ſubeuntium, alius inter diuitias Deo ſeruientium fideliumque diſpenſatorum, alius paupertatis ærumnas fortiter ſuſtinentium, alius ciuilem excolentium virtutem, alius in montibus degentium, ac ſoli diuinæ vacantium contemplationi. Atque in his ipſis vitæ

vitæ generibus multa diſcrimina reperiuntur, cùm ardentius alij, alij remiſsius, alij accuratius, alij negligentius munera obeãt ſua. Quod quidem vel in Domini parabola facile poſſumus intueri. Cum enim decem virgines introducat, quinque ex illis prudentes, & quinque fatuas nominat. Atque illas quidem ad nuptias introducit: his autem occludit fores. Reſpondet tamen ipſis, virginitatem honorans, ſed reijcit propter inertiam in reliquis virtutibus excolendis. His ita conſtitutis, per ſponſam accipiamus animas illas, quę virtutibus ſunt omnibus expolitæ: per adoleſcentulas vero, quæ ſponſam comitantur, eas, quæ ſponſum quidem diligunt, atque illum ſequi ſtudent, ſponſæ tamen perfectionem nondum ſunt aſſecutæ. Hæc autem ita ſe habere teſtatur Spiritus ſanctus in pſalmo quadrageſimo quarto. Cùm enim ſponſi pulchritudinem, & gratiam in labijs diffuſam, & benedictionem æternam, & formidabilem armaturam, & hoſtium internecionem, & populorum, qui iam erant captiui, obſeruantiam, atque adorationem, regiumque ipſius ſolium, ac ſempiternum, & regni inſignia illa, iuſtitia & æquitate decorata, atque humanam præterea virtutem, quam excoluit, cùm forma Dei exiſtens, non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, itemque vnctionem illam more humano confectam, & munera à Magis oblata commemoraſſet, ſubijcit: Aſtitit regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Reginam vocat animas in virtute perfectas. Quandoquidem & Paulus ait: ſi ſuſtinemus, & conregnabimus. Veſtitus deauratus & varius ſunt ipſa ſpiritus diuerſa dona. Tum ipſi conſilium dat: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum. Neque verò ſolum oſtendit, ſe illi neceſsitudine coniunctum propter humanitatem, ſed etiam Dominum ac principem ipſius eſſe propter abſconditam diuinitatem: eamq; admonens immenſæ benignitatis ſuæ, Quoniam ipſe eſt, inquit, Dominus & Deus tuus, & adorabis eum. Illi hand ita multo pòſt prædicit fore, vt à regibus & principibus adoretur. Vultum tuum, inquit, deprecabuntur omnes diuites plebis. Eccleſiæ facies ſpecie quidem ipſa eſt dignitas ſacerdotalis, intelligentia vero eſt ipſe ſponſus, qui caput eccleſiæ fieri dignatus eſt, vt teſtatur Apoſtolus. Omnis enim gloria filiæ regis abintus. Quoniam, vt beatus Paulus ait, vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: in hac autem vita omnes, qui pie viuere volunt in Chriſto perſecutionem patientur. ex quo idem Apoſtolus clamat: Si in hac vita ſperantes ſumus in Chriſto tantum, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. propterea dicit: omnis gloria filiæ regis abintus eſt, in fimbrijs aureis, circumdata varietate: fimbrias rurſus aureas, & varias, diuerſa intelligens gratiarum dona. Itaque ſubiungit: Adducentur regi virgines poſt eam. Proximæ eius adducentur tibi. Adducentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum regis. Ex ijs, quæ dicta ſunt, declaratur, eos, qui euaſerunt in virum perfectum, ad menſuram ætatis, vt beatus ait Apoſtolus, quique virtutis perfectionem adepti ſunt, ſponſam appellari. Qui vero nondum perfectionem ſunt conſecuti, atque illis ſunt inferiores, eos tanquam adoleſcentulas quaſdam ſponſam comitari, omnem beneuolentiam atque amorem tum erga ipſam, tum erga ſponſum indicantes.

Trium Patrum.

Reſpondentes igitur, vt dictum eſt, animæ quæ ducebantur, ſponſæ ducenti, quoniam, inquiunt, vt ipſa ais introduxit te rex in cubiculum ſuũ, in quo theſauri ſapientię ſunt abſconditi, atque huius diuitias oſtendit tibi, exultabimus, & lætabimur in te. Quo modo diligemus vbera tua? ſuper vinum, id eſt, pluſquam naturam vini à veritate mentem auertentis, pluſquam rerum viſibilium ſpeciem, pluſquã legis litteram diligemus ea, quæ à te in eccleſia traduntur rudimenta, quibus, vt lacte diſciplinæ, potas infantes in Chriſto, & nutris ad pietatem. Quid ita? Quia rectitudo, qui eſt Chriſtus, dilexit te. Ipſe enim, vt eſt veritas, ſic etiam eſt rectitudo. Diligens autem te, aperuit tibi myſteria ſua, vndeſine errore nos ducis ad veritatem præceptis illis, quę tradis in eccleſia. Quamobrem ea nos, magis, quàm litteram, rerumque viſibilium ſpeciem, quæ auocant à veritate, diligere profitemur.

Theodoreti.

Introduxit me rex in cubiculum ſuum. Exultabimus & lætabimur in te. Non obtrectant, non æmulantur, non inuident, dum foris manent, nec in thalamum admittuntur, ſed propter honorem ſponſæ lætantur, & exultant, & gaudio triumphant, præclareque ſecum agi putant, quòd iucundiſsima ipſius voce perfruantur. Itaque diligemus, inquiunt, vbera tua ſuper vinum. Quæ verba ſponſa dixit ſponſo, ea ipſæ dicunt ſponſæ, ex ſua in illam beneuolentia & amore, ſponſi amorem ac beneuolentiam conſequentes. Chriſtus enim ad Apoſtolos, qui vos, inquit, ſuſcipit, me ſuſcipit. Et, quicunque dederit calicem aquæ frigidæ vni ex paruulis iſtis, qui in me credunt, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Sponſæ vbera rurſus adoleſcentulæ appellant diſciplinæ fontes, ex quibus latices omnibus ætatibus vtiles emanant. Pollicentur autem ſe ſponſæ vbera magis, quàm omnem humanam lætitiam dilecturas. Id enim allegoricè vinum dicitur, quod hominis cor exhilarat. Hæc autem cùm in veteri & nouo teſtamento facta eſſe nouimus, tum ſingulis diebus fieri perſpicimus. Deus enim in veteri teſtamento Prophetis futura patefaciens, per ipſos, hominibus, qui tunc viuebant rectã viuendi rationem oſtendebat. Et prophetæ quidem ipſi rerum occultarum

& arcanarum cognitione fruebantur, atque exeuntes mortalibus ea, quæ sibi patefacta declarataq; fuerant, indicabant. Quapropter & Dauid, incerta, inquit, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Qui verò per prophetas diuinæ cognitionis aquis irrigabantur, prophetis vt Dei atque hominum internuncijs animũ adhibebant. Apostoli quoque diuino numine affati, pietatis nuncium per omnes homines peruagantes promulgarunt. Atq; Apostoli quidem Domini fruebantur arcanis. Apostolorũ autem auditores ex fontibus Apostolicis, tanquam ex vberibus quibusdã doctrinam omni vino ac nectare suauiorem hauriebant. Hoc item tempore ecclesiæ doctores diuinos latices populo subministrant tanquam ex reconditis quibusdam cellis. Qui autem auscultant, tanquam ex vberibus spiritale attrahunt alimentum, quod omni humana oblectatione iucundius arbitrantur. Iccirco in Canticis sponsa, introduxit, me rex, inquit, in cubiculum suum. Adolescentulæ vero respondent: Exultemus & lætemur in te. Et pollicentur, dicentes: diligemus vbera tua super vinum. Causamque afferunt: Rectitudo dilexit te: Si enim Christus & rectus Dominus, vt ait Dauid, & virga rectitudinis virga regni tui, & ob id te dilexit, decet & nos ex te pendere, & assidue accurrere, & tuis vberibus frui. Tum rursus loquitur sponsa.

Nigra sum, & formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula cedar, sicut pelles Salomonis. Ne aspiciatis me, quòd ego sim denigrata, quia despexit me sol.

Hæc non adolescentulis arbitror à sponsa dici: sed aduersus illas, quæ in lege gloriantes, & veteri elatæ testamento, sibique placentes exprobrant ei, non solum quòd alienigena sit ac peregrina, verum etiam, quòd dæmones antea misere coluerit, eorumque cultu fœdata nigrum colorem contraxerit. Quamobrem ad eas, nigra, inquit, sum, fateor: sed tamen pulchra. Olim equidem cæcutiebam, sed iam video: laceris quondam obsita pannis, nunc in vestitu deaurato circumdata varietate regiam obtineo dignitatem: & regi assisto, te expulsa, quæ in regem insanisti, atque eum occidisti, & adulterorum multitudine limina deturpasti. Ne igitur mihi nigrum colorem obijcias, neque exprobres priora mala. Me nigrã esse confiteor, sed tamen formosam, & sponso gratam. Mariæ exemplum reformida, quæ cum Mosi, quod Aethiopissam duxisset vxorem, exprobrasset, leprosa niuis instar effecta est, & tanquam immunda è castris fuit eiecta, neque prius redijt, quàm resipisceret, ac contumeliæ pœniteret. Ego quoque sum Aethiopissa, sed tamen sponsa magni legislatoris: ac filia quidem sacerdotis Madiam, hominis idololatræ, sed oblita sum populum meum, & domum patris mei. Itaque concupiuit rex decorem meum. Ne despiciatis me igitur, quòd fusca sim, quia decolorauit me sol. Quæ in præsentia fusca sum, candidissimam estis conspecturæ; & præ admiratione conclamabitis: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? Vobis autem & causam huiusce nigredinis exponã. Denigrata sum, dum creaturas adoro omisso creatore, & solem hunc aspectabilem colo pro sole iustitiæ. Verum, quæ sit inter hunc atq; illum differentia, animaduertens, relicta creatura ad creatorem adorandum me contuli. Nolite igitur me, quòd fusca nigraque sim, considerare. Me namque sol aspexit: vel (vt Symmachus interpretatur) attigit me sol. Nigra sum, atque pulchra, filiæ Hierusalem. Nigra ob superiorem impietatem: pulchra propter pœnitentiam. Nigra propter infidelitatem: pulchra propter fidem. Quæ fusca fueram, sicut cedar, quod significat obscuritatem, ita sum facta formosa, quales Salomonis sunt pelles. Qualia nimirum sunt Salomonis vestimenta, de quibus Dominus ait: Respicite lilia campi, quæ neque nent, neque texunt: & pater vester cœlestis vestit ea. Amen dico vobis, neque Salomon in gloria sua vestiebatur, sicut vnum ex his. Ideo paulo pòst lilium etiam sponsus illam nominat, vt quæ neque neat, neque texat, sed omnem reijciens sollicitudinẽ, ab ipso sponso vestiatur, & nutriatur. Quæ igitur, inquit sponsa, tabernaculis cedar, quod est obscuritas, olim fueram non dissimilis, tenebris seruiens, ac dæmones colens: nunc repente mutata sum, factaque similis pellibus Salomonis. siquidem Christi pacifici non solum sponsa, sed etiam templum effecta est.

Trium Patrum.

Quoniam igitur sponsa Christi ecclesia ex gentilibus & Iudæis conflata est, ac gentiles quidem prius omnino erant obscuri, quippe qui veritatis splendore per legem & prophetas non erant illustrati: Iudæi vero, vtpote his illuminati, haud ita prorsus erant pulchritudinis expertes: iccirco proprias vtriusque populi partes innuens, ait: Nigra sum, & formosa, filiæ Hierusalem. Ac nigra quidem propter populos ex gentibus congregatos, qui plane erant obscuri, atque impietatis tenebris circumfusi. Pulchra autem ob eos, qui ex Israel aduenerant per legem & prophetas diuinæ pietatis pulchritudine decorati. Ac rursum similitudine quadam nigredinem declarans, & pulchritudinem dicit: sicut tabernacula cedar, sicut pelles Salomonis. Nigra sum, inquam, propter electos ex gentibus, vt habitacula tenebrarum (obscuritatem enim cedar interpretamur) pulchra vero propter eos, qui sunt ex Israel, quale tabernaculum est pacifici regis. Nam tabernaculum pellis, pacificum vero significat Salomon. Pacificus autem plane est legis, & prophetarum sermo, qui regit Israelitas, quia requirit ab eis in Deum & proximum dilectionẽ. Porro illud: filiæ Hierusalem; licet ante nigredinis, & pulchritudinis exempla dictum sit, tamen superlatio est, & solum ad illa verba: Ne aspiciatis me, quòd nigra sim: secundum intelligentiam referendum. Hęc enim verba vna ecclesiæ pars dicit ad alteram: ea nimirum, quę ex gentibus constat, ad illam, quæ ex Israel. Nã filiæ Hierusalem accipiuntur pro ijs, qui ex Israel

rael crediderunt, qui gentiles non admittebãt, quod quidem initio contigit inter Apostolos, qui aduersus Petrum principem scandalizati sunt, quòd Cornelium suscepisset; donec ab ipso Petro intei declarationem intelligentes, à scandalo destiterunt. Despici enim se ab Israelitis collecta ex gentibus ecclesia propter nigredinem volens, & non ob illam, ab ipsis separari, ad illos, ea, quæ dicta sunt, loquitur. Deinde causam exponit quamobrem euaserit nigra: me sol, inquiens, despexit. Nigrefacta sum vtique quoniam despexit me sol iustitiæ, impietatis tenebris me contegentibus, vt diuinæ cognitionis radijs illustrarer, quemadmodum Israelitæ per legem & prophetas ad Dei cognitionem sunt instituti.

Præclari Pselli.

Hæc statim ad angelos sponsa loquitur, qui per filias Sion intelliguntur. Nigra sum, & pulchra, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula cedar, sicut pelles Salomonis. His verbis angelos sponsa primum alloquitur. Oportet enim ipsa verba sponsæ præponere, & neutiquam implicare versibus, & commutare. Audite vocem meam, inquit, ô filiæ illius supernę Hierusalem maxime venerabilis: pariter ego sane pulchra, & nigra sum. Nigra quidem, vt cedar tabernaculum, apparens, nempe extrans̃gressione præcepti illius primi. Cedar enim obscurus tenebrosusque dicitur. Pulchra nunc rursus existo per pœnitentiam cum Christo summe pacifico mortificata. Pacificus enim quisque merito dicitur Salomon. Tu vero ne mireris, quòd sponsa pariter se & nigram, & pulchram nuncupet. Omnis enim anima, quæ proficit in virtutis studio, sic ad lucem ex tenebris progreditur, vt nõ repente tota illustris & pura fiat, sed quo propius ad virtutem accedit, eo longius recedat à fraudis obscuritate, atque ita splendidior & clarior euadat. Deinde filias ipsas sponsa alloquitur ad hunc modum: Nolite aspicere me, quòd ego sim denigrata, quia despexit me sol. Ne inquit, existimetis, me ita fuscam, & obscuram, & nigram fuisse procreatã. Tota enim lucida à creatore meo formata sum. Sed ardens sol, tentationum æstus me vehementer exusit, ac denigrauit. Deinde quo modo à iustitiæ sole despecta sit, explicat.

Filij matris meæ pugnauerunt in me.

A matre igitur, vt rerum est omnium causa, sapientia cum defecissent, eorum, quæ sunt rationes, ad eam me non reduxerunt, visibilium enim aspectu decepta sum: sed dum mihi videntur contrariæ, me in opiniones innumerabiles distraxerunt. Atque hoc quidem pacto me custodem in vineis constituerunt, vt in ipsis perstans opinionibus, ab ea, & à veritate penitus dissiderem. Quæ quidem mihi propterea contigere, quia vineam meam non custodiui, qui est ille, qui dixit: Ego sum vitis, & vos palmites, vnigenitus Dei filius & verbum, cuius ad imaginem facta natura humana, simul quæ in vniuerso sunt omnes obtinuit rationes, quippe mixtas in se quodammodo creaturas vniuersas continet & comprehendit. Verum cum vnam propriæ naturæ rationem non seruasset, sed in varias distracta opiniones, Deos multiplices coleret, propriam vineam non custodiuit. Neque enim recta per mundum veluti per imaginem ad eius archetypum respexit, hoc est, ex rebus procreatis ad earum contendit auctorem.

Filij matris meæ pugnauerunt in me.

Me enim oppugnarunt, inquit sponsa, ac defectricem reddiderunt dæmones desertores. Hos enim matris suæ filios dicit, quippe qui cum reliquis rebus à Deo sint procreati. Quandoquidem omnes, quæ sumus in mundo, creaturæ, siue angeli, siue homines, siue dæmones, siue lapides, ratione creationis tanquam fratres sumus; omnes enim rerum omniũ opifex Deus fecit & condidit. Deinde belli rationem declarat his verbis; Posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodiui. In paradiso, inquit formata, & collocata, vt obseruarem mandatum illud ne comederem intempestiue, legem non custodiui, mandato non obtemperaui. Et hæc quidem cum angelis ita conquerebatur.

Filij matris meæ pugnauerunt in me.

Theodoreti.

Hæc pendent ex superioribus. Docet enim filias Hierusalem, quo modo nigra cum esset, atque deformis, pulchra repente facta sit. Filij enim, inquit, matris meæ pugnauerunt in me. Filios vocat sacrosanctos apostolos de quibus in quadragesimoquarto Psalmo spiritus sanctus ad reginam loquens, pro patribus, inquit, tuis facti sunt tibi filij, constituisti eos principes super omnem terram. Matrem autem suã, atque ipsorum cœlestem appellat Hierusalem, de qua beatus ait apostolus: Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ mater est omnium nostrum. Ergo, filij matris meæ, inquit, pugnauerunt in me. Bellum apostoli in singulis auditoribus aduersus idololatriam, & reliqua vitia depugnantes, vt improbos ex animis ipsorum mores expellerent, pietatis autem leges infigerent, susceperunt. Vt clarius autem intelligamus quo modo sancti pietatis præcones in discentium animis decertarent, beatum audiamus Stephanum præliantẽ, atque dicentem: Dura ceruice, & incircumcisi cordibus & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, & vos. Et beatus Paulus ad Corinthios scribens, omnino auditur, inquit, inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes. Et rursus: Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. Ad Galatas autem, ô insensati, inquit, Galatæ, quis vos fascinauit, nõ obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus? His rationibus increpantes, & admonentes & pec-

catorum rugas discutientes, & inueteratos mores abstergentes, primi illi Christianæ pietatis doctores & buccinatores, sponsam domini ex veteri nouam, ex turpi atque deformi pulchrã ac formosam, ex nigra candidissimam reddiderunt. Sponsa igitur, cum vellet ostendere, quo modo pulchra decoraque euaserit, filij, inquit, matris meæ pugnauerunt in me. Posuerunt & me custodem in vineis. Tradiderunt enim mihi veluti vineas quasdam, diuina mandata, eaque non solum vt colerem & exercerem, verumetiam vt custodirem, nequa improba bestia fructum perderet, & labefactaret, sunt cohortati. mox addit: Vineam meam non custodiui. Horum verborum duplex est sensus, vterque pius, atque vtilis. Aut enim dicit, se vineam, quam ante christianam fidem, sibi à maioribus traditam coluerat, ita neglectam, atque incustoditam reliquisse, vt priora instituta penitus corrũpi, & obliuione deleri sineret: aut, vineam suam, id est, animæ suæ vtilitatem neglexisse, & aliorum commoda proprijs commodis prætulisse. Caritas enim, vt beatus Paulus testatur, non quærit, quæ sua sunt. & alibi: nemo, inquit, quærat quod suum est, sed quod alterius, quisque. Et de se ipso, non quæro, inquit, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. Vtranque sententiam proponere placuit, vt eam lector accipiat, vtra verior ipsi videbitur, & probabilior. Sponsa post hæc omittens cum adolescentibus loqui, & cum filiabus Hierusalem disputare, conuertit se ad sponsum, & amorem suum erga illum his verbis aperit.

Indica mihi, quem dilexit anima mea, Vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne quando fiam veluti circumducta in gregibus sodalium tuorum.

Anxia atque solicita, ne sponso priuetur suo, & in alios incidat pastores, qui non ab illo regantur, sed ab alijs, qui sponsi sodales, non ex dignitate, neque ex communi sensu, sed ex instituti imitatione, nuncupentur, sponsum supplex appellat, quoniam, inquiens, dilexit te anima mea, indica mihi, vbi pascas horis meridianis, aut vbi oues colloces: ne ignara huc illuc vager, & errabunda in alios incurram greges, qui tua indigni cura ab alijs pastoribus & bubulcis gubernentur. Illud enim: circumducta apud Symmachum est: errans. Non immerito autem sponsa quærit, vbi meridiano tempore sponsus maneat. Qua enim tempestate cognitionis lumen magis fulgebat, hæreses, christianorum quidem præferentes nomen, sed veritatis expertes, pullularunt. Proinde sollicitudinis plena locum exquirit, vbi sponsus cum ouibus meridietur, ne in eorum, qui sodales se sponsi profitentur, greges incidat. Sciendum est autem, quemadmodum prophetæ fuerunt, & his contrarij pseudoprophetæ, & apostoli, atque ab ijs diuersa sentientes pseudapostoli: sic etiam pseudochristos à scriptura diuina nuncupari. Quamobrem & dominus, surgent, inquit, multi pseudoprophetæ, & multos seducent. Et beatus Paulus non solum, pseudofratres, sed etiam pseudapostolos nominat. Nam hi sunt, inquit, pseudapostoli. In hos sponsa, ne incurrat, precatur. Pastorum enim speciem præ se ferunt: Et vos similiter habent, atque ouilia, ac duces suos. Quales sunt ij, qui partes Arrij, & Eunomij, & Marcionis, & Valentini, & Manetis, & Montani consectantur: qui cum & habitum, & nomen christianum circumferant, & ecclesias ædificent, & diuinas scripturas deceptis ouibus interpretentur, & male pascant, quos falsis opinionibus infecerunt, seq; sponsi sodales & amicos velint existimari: sunt tamen impostores pernitiosi, & pro salubribus herbis pestifera venena ouibus subministrant. Propterea sponsa sponsum obsecrat, vt indicet sibi vbi pascat, vbi cubet in meridie, ne circumuenta, atq; errabunda (secundum Symmachũ) vagetur inter eorũ greges, qui cum sponsi sint hostes, illius tamen amicos atque sodales se fingunt esse.

Trium Patrum.

Iam vinea mea, à qua me diuulsit multiplex Deorum cultus, & in qua rursus insita sum per fidem, nuncia mihi, quem amore complexa est anima, dum ex rerum, quæ sensu percipiuntur, aspectu, ad earum, quæ mente & cogitatione recte comprehensæ ad veritatem ducunt, intelligentiam tollitur: vbi pascas virtutis cibum ouibus ratione præditis suggerens, & aquæ viuæ potum ex perenni fonte præbens. Tu enim (quemadmodum in euangelijs profiteris) non solum vitis es, sed etiam bonus ille pastor, qui ponis animam tuam pro ouibus tuis. Vbi nam pascis in meridie, dum omni falsitatis vmbra discussa, tu qui es iustitiæ sol, oues de veritatis via declinantes, præcipitesq; in opinionum pernitiosarum barathrum ruentes, cognitionis tuæ luce perfundis, & à labore nimio recreas? tum, vt causam doceat, quamobrem percontetur, quo in loco pascat, & cubet, vt dictum est, bonus pastor, ne quando, inquit, veluti circumuenta deprehendar inter greges sodalium tuorum: hoc est: ne quando procul à doctrina tua remota, mendacis circumscribar inter greges ab ouili seiunctos tuo, veritatis inscitia me ad illos aggregante.

Pselli.

Sponsa igitur, cum paulum in pœnitentia progressa sit, magna loquitur, & verbum ac sponsum quærit. Sic enim ipsum, tanquam amore in eum incitata, compellat: Indica mihi, quem dilexit anima mea. Vbi pascas, vbi cubes in meridie.

Actutum dic, inquit, mihi, vbi pascis, vbi cubas, verbũ, quod ex intima anima dilexi mea. Numquid in meridie quiescis, sponse mi? Persuasum enim habeo, te puriter meridiari, in luce nimirum inaccessa, ab omni prorsus vmbra remota: Vbi oues tuas pascis, Dei verbum, ac vere illustras lumine personæ tuæ, si in illo ad te quiescentem accesserint. Postea pertimescens, ne aberret à semita, quæ ad sponsum ducit, hęc item

item ad illum verba pronunciat: Ne quando oberrans in sodalium tuorum greges incurram, ouium tuarũ pascua demonstra mihi. Vereor enim, ne cursus errore prouecta, præter spem in greges & pascua forsitan hædorum ferar: atque ita longius diuellar ab ouibus tuis, & sinistras hædorum partes obtineam, cùm tanquam humani generis iudex sederis. Hæc anima pudica, & Christo desponsata ad sponsum locuta est, commori celeriter cũ ipso cupiens. Tu autem mihi sponsam cogita, vt in argumento, castam animam illam, cum magno Paulo ad tertium cœlũ, arcana ratione sublatam, supernæ Hierusalem, id est angelos. Sed videamus, quid dicant etiam amici sponsi, quos initio diximus esse filias, & quo modo sponsi cubile demonstrent. His enim verbis puram virginem alloquuntur.

Si ignoras te ipsam, ô pulchra inter mulieres, egredere tu in vestigijs gregum tuorum & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum.

O casta, inquiunt, anima ac veneranda, si ad ouium greges cupis peruenire, nosce te ipsam, qualis facta sis, cùm antea nihil omnino fueris, quo modo domini imagine fis decorata. Omnem mũdi fraudem declina, & vestigia gregum sic explora, vt quæ ad viam amplam latamque ducunt, despicias, atque oderis: sunt enim hædorum. Quæ vero ad callem angustum, atque asperum tendunt, diligas, & complectaris: ouium enim sunt. Proinde caue, ne hædorum vestigijs decipiare.

Theodoreti.

Sponsus igitur sponsæ respondet, & ait: si te ipsam non nosti, ô pulchra inter mulieres, exi tu in vestigijs gregum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum. Quod autem dicit, eiusmodi est: Te ipsam aspiciens, & dotes tuas considerans, (pulchra enim es facta, & mulierum omnium formosissima) quæ tui sunt similes, agnosce. Sin te ipsam ignoras, vestigia gregum explora, & sequendo pasce non oues solum, sed etiam hædos tuos, in tabernaculis pastorum. Vult enim benignus dominus, vt non modo iustos, verum etiam peccatores omni studio & cura complectamur. Non egent, inquit, qui sani sunt, medico: sed qui male habẽt. Et, non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et per Ezechielem prophetam, Numquid voluntatis meæ est, inquit, mors impij? & non, vt conuertatur à vijs suis, & viuat? Et beatus Apostolus Paulus de ipso, Qui vult, inquit, omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ideo vult sponsam hædos etiam pascere. Hædorum autẽ nomine peccatores intelligit diuina scriptura. Hos enim dominus à sinistris ait locatum iri, seiunctos ab agnis, qui dextrum locum obtinebũt. Nam in lege quoque pro peccato non ouis, sed hircus ex capris mactabatur. Iccirco spõsus ad sponsam, sequere, inquit, gregum vestigia, & sanctorum vitam perscrutare: Et in illorum pastorum tabernaculis, hoc est, in apostolicis ecclesijs hædos tuos pasce, cùm in euangelijs audieris: Videte, ne contemnatis vnum de pusillis istis minimis, qui in me credunt. Amen enim dico vobis, angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui est in cœlis.

Ex tribus Patribus.

Respondens igitur ad hanc ex gentibus collectam ecclesiam pastor bonus, & sponsus ipsius, si te ipsam, inquit, non nosti: si ignoras te ipsam, in qua ego, qui circumscribi nequeo, descriptus sum, &, sicut in imagine archetypum, cernor: Et à ratione alienos sensus tuos corrigo: Et comminatione quasi virga, promissisq; tanquam fistula ad æternas te causas duco, in quibus secundo aduentu meo te faciam conquiescere, cùm propter incorruptionem atque immortalitatem nulla te vmbra perturbationum occupabit: O pulchra inter mulieres, ac speciosa propter fidem & caritatem erga me, in omni gente infidelitatis morbo laborante, & carnis voluptatibus inuoluta, egredere tu. Tu, inquam, si tibi es incognita, si mysterium tuum intellectu non complecteris, ex parte mentis interiore ad sensum progredere, tu, quæ ratione prorsus es ornata. Nam si vbi ego pascam, omnino vis discere, ne in hac quidem egressione oportet te à ratione penitus in contrarium conuerti. Egredere autem in vestigijs gregum, nempe in diuersarum naturarum re ipsa expressis vestigijs, per quæ sigillatim indagando progrediens ratio definitur. Greges dicuntur rerum naturæ, quoniam earum singulæ factæ sunt dignæ, quas prouidentia sua auctor omnium Deus quasi pastor gubernet, moderetur, ac regat. Et pasce hædos tuos, turbidos scilicet animi motus, vt sinistræ partis retinentes locum. In tabernaculis pastorum: exemplis vtique rerum naturalium, sponte desidiam malorum omnium causam, in diligentiam, quæ vi naturali formicæ atque api inesse cernitur, conuertens, ac parans ipsa quoque in præsenti tempore, quod in futuro perfruaris. Quemadmodũ & illæ vere atque æstate cibum comportantes hyemi consulunt. Per diligentiam enim ex tribus animæ partibus iustitiæ vindemia, quæ est rerũ olim fruendarum comparatio, colligitur. Imprudentiam autem, quæ est rationis recte ex natura constitutæ in statum naturæ repugnantem auersio, ad prudentiam exemplo serpentis ita redigens, vt sicut ille pro capitis defensione, totum corpus offerre non dubitat, sic tu pro fidei conseruatione te ipsam totam periculis omnibus obijcias. Iracundiam item, quæ est animi commotio rationi minime obtemperans, columbæ exemplo reuocans ad simplicitatem, vt eos, qui te iniurijs afficiunt atque oppugnant, minime persequaris, quando ne columba quidem propter insidias aut pullorum sucrum direptionẽ, ab insidiantibus, ac diripientibus recedit. Intemperantiam denique, quæ est animi appetitus rationi contrarius, ad temperantiam

ita trãducens turturis imitatione, vt cùm opus eſt, à rebus ſenſui iucundis abſtineas, quemadmodum & illa, amiſſo coniuge, vidua vitam tranſigit. Verum & ſponſum iam audiamus, ſponſam nunc primum alloquentem his verbis:

Equæ meæ in curribus Pharaonis aſſimilaui te propinqua mea.

Cum ſponſam amoris ſtimulo percitam, & ad ſe currere feſtinantem cerneret, equæ aeripedi ſimilem dixit eſſe. Sic enim tu virgo, inquit, hoſtes profligabis, vt olim equitatus mei inſtructi, hoc eſt, angelici agminis virtus Pharaonis copias diſſipauit. Quod ſi quæras, cur equitatui ſponſus angelorum ordinem comparet, facilis erit reſponſio. Qui bellum gerit, ſi cum ſagittario pugnandum eſt, arcum & ſagittas parat: ſi pedes cum pedite, galeam atque haſtã ſumit: eques cum equite, imperator cum imperatore congreditur. Quãdo igitur robur exercitus Pharaonis in equitatu potiſſimum confiſtebat, iccirco equitatui eius ex aduerſo inſtructam opponit aciem angelorum. Ac ne forte ſponſam affici putes contumelia, quòd perſpicue ſimilis equæ dicatur: audi, quid ad eam deinceps ſponſus dicat.

Quid pulchræ factæ ſunt genæ tuæ, vt turturis? collum tuum ſicut monilia?

Cum equo te ſimilem dixerim velociſsimo, in maxilla tua non indiges freno. genæ enim tuæ ſunt ornatiſsimæ, & freni loco, naturali pudore ſunt præditæ, inſtar pudicæ turturis, turturis, inquam, amantis ſolitudinem. Collum tuum admirabile, aureum geſtans monile Prouerbiorum. Torquem enim mihi cogita, monile, quod dixi.

Trium Patrum.

Cum igitur ſponſus eccleſiam ex gentibus collectam, in qua paſcit, allegoricè demonſtrauerit ex illa reſponſione: ſi non noſti te ipſam: nunc idem apertius indicat, equæ, inquiens, meæ in curribus Pharaonis aſſimilaui te, propinqua mea. Quæ quidem verba vt fiant magis perſpicua, ſic ordinanda ſunt: Equæ meæ aſſimilaui te propinqua mea, in curribus Pharaonis, hoc eſt, apoſtolis meis, in quos celeriter ad euangelium diuulgandum currentes, ego conſcendens, omnes orbis terrarum terminos ſum peruagatus, te virtute ſimilem dixi. Quia ſicut in illis paſcere viſus ſum, ſic & in te, quæ mihi per fidem tuam in me, mihi propinqua es, & neceſsitudine coniuncta. In curribus Pharaonis, id eſt, in gentibus, quibus infidens Pharao intelligibilis vehebatur. Equus enim plurali numero ſignificat equeſtres copias. Sunt autem ſancti Apoſtoli, iuxta illud: Aſcendens ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio. Currus autem myſtici Pharaonis ſunt gentium cœtus, ab improbiſsima ipſius voluntate dependentes. Quibus in cœtibus eccleſia prædicationem Apoſtolorum audiens, & credens in Chriſtum, qui ab ipſis prædicabatur, atque ipſius effecta propinqua: quandoquidem fides credentis, & illius, qui creditur, eſt immediata coniunctio: Apoſtolis aſsimilata eſt ab ipſo Chriſto, cum illius mandatis obediret, & Apoſtolicã vitã imitaretur. Iam quo modo ipſam Apoſtolis aſsimilarit, videamus. Quid, inquit, pulchræ factæ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis? Mirum in modum profecto pulchræ factæ ſunt genæ tuæ, quæ ad ſimilitudinem turturis verecundiam, & continentiam amplecteris, & Apoſtolorum conſuetudinem imitaris, nec gentium more, immoderato genarũ motu vteris in diſputationibus, & nugis, & oratio-/nibus, & edacitate in cibis, vnde reliqua omnis naſcitur intemperantia: ſed eiuſmodi potius moderatione, vt conciſo compoſitoque ſermone ſuperuacaneam Græcorum ſapientiam viceris: in orationibus autem regnũ Dei, & iuſtitiam eius tantummodo quæras: cibis verò non exquiſitis, & iucundis veſcaris, ſed neceſſarijs contenta ſis. Ex quo fit, vt omnibus in rebus temperanter viuas, neque verò hæc referas ad gloriam & oſtentationem. quin etiam, quod ad fortitudinem & patientiam ſpectat, tam leni animo feras, in dextera gena te percuti, vt percutienti etiam alteram præbeas, ad Chriſti imitationem æquo animo alapas ſuſtinentis, & mandatũ ſeruari poſſe re ipſa comprobantis: atque inſtar turturis volucris ſolitariæ, ſecedentis in ſolitudinem, ibique ieiunantis, atque ita docentis oſtentationem atque humanas laudes eſſe fugiendas. Atque hoc quidem pacto decoræ factæ ſunt genæ tuæ quaſi turturis, dum te & in cohibendis per abſtinentiam cupiditatibus temperantem: & in iracundia per patientiam moderanda fortem ac ſtrenuam præbes. Collum itidem pulchrum effectum eſt, ſicut monilia. Neque enim vbi ferreum eſt collum, vt propter ſuperbiam flecti nequeat: ſed propter modeſtiam facilè verti poſsit, vt monilia ex auro elaborata: cuius quidem auri probitatem ac puritatem humilitas tua ſimplicitate non ficta imitatur. Quod ſi minimè ſimulatam humilitatem monile ſignificat, vt dictum eſt, ſponſæ Chriſti collum, tanquam monilia, commendatum, & virtutum indicat multitudinem, & implicitam in ſingulis virtutibus humilitatem. Quemadmodum enim monile recta figura prius ab artifice conflatur, deinde in circulum accommodatè ad vſum circunflectitur: ſic homo virtute perfectus, cum abſoluta vitæ moderatione rectus ſit, cæteris compatiendo per humilitatem flectitur atque demittitur. At collum humilitate circundatum, eſt animi ratio, quæ, vt collum reliquo corpori caput coniungit, ſic ipſa mentem cum ſenſibus connectit: dum ex virtutum habitu mentem per actiones ſenſibus applicat: ſenſuſque rurſum ex virtutum præſcripto ad mentem reducit. Flectitur item per humilitatem, dum non ex propria extollitur dignitate: ſed ex pulueris ac materiæ abiectione demittitur. His rationibus eccleſiam ex gentibus coactam per fidẽ in ſe ſponſus ipſius Chriſtus, Apoſtolorum cœtui ex Iſrael aſsimilauit, triplicẽ animi partem per continentiam, & patientiam, & humilitatem ex ſtatu naturæ contrario ad habitum naturæ congruentem redigens, & nigredinem ipſius abluens contractam ex infidelitate.

Theodoreti.

Equæ meæ in curribus Pharaonis aſsimilaui te, propinqua mea. Allegorice hic improbũ humanæ naturæ hoſtem Pharaonem appellat. Quem quidem exitioſum & communem aduerſarium noſtrum non aliter, quàm olim Pharaonem in ſanctis aquis baptiſmatis demerſum oppreſsit. Equa igitur vtens mea demerſi atque obrui Pharaonis currus. Huic te ſimilem iudico, quam mihi charitatis vinculo ac neceſsitudine propinquam aſciui. Formam autem ſerui quaſi currum quendam adhibuit, cùm eam indutus exinaniuit ſemetipſum, vt vniuerſo generi humano ſalutem pareret. Tali igitur equæ ſponſam ſimilem dicit. Cui quidem ſententiæ Apoſtolus etiam aſtipulatur de ſaluatore Chriſto loquens in hunc modum: Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Et alibi: Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu. Ex verbis igitur Apoſtolicis myſtica Cantici verba intelligamus, audiamuſque ſponſum ita dicentem: Te propinquam meam factam, atque ideo propinquam appellatam, & re ipſa nominis fructum aſſecutam, equæ dico eſſe ſimilem meæ, qua ego vtens Pharaonem intelligibilem ſubmerſi, tibique largitus ſum libertatem. His adiungit: Quid pulchræ factæ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis? collum tuum ſicut monilia? Hæc quoque non carnaliter intelligenda, ſed ad animũ referenda ſunt. Verbis enim corpori congruentibus plerunque ſcriptura vtitur, cum de anima loquatur. Vt cùm Hieremias ventrem meum, inquit, ventrem meum doleo. Et tamen, vt intelligas, eum non de ventre loqui, ſubijcit; ſenſus cordis mei turbati ſunt in me. Et cum beatus Paulus ait: Remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris, vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur: nõ de manibus, neque de pedibus, neque de corporis claudicatione apoſtolus admonebat, ſed his nominibus animi mores & actiones indicabat. Proinde ſic intelligamus & illud: Pulchræ factæ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia. Ex multis enim viris & mulieribus conſtans eccleſia, quoſdam habet in ſe, qui genarum; quoſdam qui oculorum; quoſdam qui aurium: quoſdam qui oris: alios qui manuum; alios qui pedum partes ac nomẽ obtinent. Eos igitur laudat ſponſus qui grauitate ſunt ornati, quique verecundiæ pudore ſunt inſignes. & ait: Pulchræ factæ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. Tradunt autem, qui animalium naturas conſcripſerunt, turturem non ſolitudinis ſolum amantem eſſe, verùm etiam pudicum, ac marem quidem cum vnica coniungi femina: feminam rurſus vnico mare contentam eſſe: & neutrum eorum poſt mortem alterius, cũ vllo alio velle copulari. Quamobrem eccleſiam Chriſto coniunctam merito ſimilem turturi dixit, quæ aliorum vitat conſuetudinem, nec poſt ipſius mortem, eum relinquit, ſed reſurrectionem, & ſecundum eius expectat aduentum. At collum illius monilibus aſſerit ſimile. Eſt autem ornamenti genus, quo decoratur collum. Eamque laudat, quod pietatis iugum recte ferat: de quo in euangelijs ſponſus loquitur, Tollite, inquiens, iugum meum ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Iccirco in Canticis collum, iugum hoc ferens admiratur, quippe quod nullo extrinſecus egeat ornamento, aut adiectitio decore, cùm per ſe adeo ſit formoſum atque inſigne, vt nudum exiſtens, monilibus, quibus colla ornari ſolent, ſimile videatur. Poſt hæc ſponſi verba, reſpondent etiam ſponſi comites ac miniſtri, & ſponſæ dicunt.

Similitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti quouſque rex in accubitu ſuo.

Videntur hic mihi tempus ante aduentum Domini Chriſti ſignificare. ſponſam autẽ conſolantes, tecum, inquiunt, erimus ſemper, quoad rex reſurgat, & quocunque ornatu poterimus, te decorabimus, neque ante reſurrectionem ipſius te deſeremus, ſed afferemus tibi ſimilitudines auri & argenti diſtinctiones. Recte autem non aurum ipſum, ſed auri ſimilitudines dixerunt. Maiora namq; ſunt ſponſi dona, quàm miniſtrorum, quæ parem non obtinent gloriam. Itaque maiorem honorem diuinis habemus euangelijs, quamuis & legem, & Prophetas, & ſanctorum Apoſtolorum ſcripta veneremur. Quamobrem iure ſponſi miniſtri dixerunt: ſimilitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti, donec rex ſit in accubitu ſuo. Per argenti diſtinctiones, atque auri ſimilitudines, gratiarum varietatem, & Dei curam circa nos, ac prouidentiam intelligamus. Fruimur enim & angelorum auxilio. Immittet, inquit, angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et angelis ſuis mandabit de te, vt cuſtodiant te in omnib⁹ vijs tuis. Quin etiam lex ipſa angelis miniſtrantibus data eſt. Quamobrem Apoſtolus ait; ſi enim qui per angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus. Quamdiu igitur rex accumbit & reſurgit, nos, quæ poſſumus afferemus. Accubitum autem mortem eius appellant. Quapropter & Balaam propheta ait: Egredietur homo ex ſeminibus eius, & dominabitur gentibus multis. Et paulo pòſt: Accubans dormiuit vt leo, & ſicut catulus leonis. Quis excitabit eum? Benedicentes te, benedicti ſunt: & maledicentes te, ſunt maledicti. Hæc quoque in prophetia patriarchæ Iacob, qua benedixit Iudæ, licet inuenire.

Trium Patrum.

Amici autem ſponſi (ſint autem hi omnino ſancti angeli, quippe qui ſanctiſsimæ illius obtemperant voluntati) ea, quæ ſequuntur, ſpon-

ſponſæ pollicentur: Similitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti, quouſque rex in accubitu fuerit ſuo: quaſi dicant: Quoniam à nigredine ex idolorum cultu contracta, liberata es, & Apoſtolis per virtutem ſimilis reddita, & cognoſcendæ veritatis ſtudioſa; nos naturam quidem diuinam, quæ, vt aurum alia cum materia nulla, ſic ipſa nullis cum alijs naturis comparari poteſt, tradere minime valemus: cùm ea nec oculis cerni, nec mente comprehendi queat, ſimulacra tamen ipſius quædam ex rerum naturalium aſpectu & contemplatione, argento quaſi diſtincta ac vermiculata faciemus tibi, eorũ, quæ in mundo ſunt, rationes oſtendentes, quoad rerum omniũ Dominus, qui eſt ipſa veritas, in te veluti in accubitu & requie ſua, conquieſcens, propriam ſimilitudinem ſuam te ipſam oſtendat, vt tute met ipſius imaginem agnoſcas, eumque in te paſcentem, &, tanquam ſigillum in proprio ſigno expreſſum recubantem.

Pſelli.

Amici igitur ſpõſi ex ijs, quæ dicta ſunt, tum ingentem ſponſæ erga ſponſum amoris flammam, tum propenſam huius erga ſponſam voluntatem conſiderantes, atque inde rei finem proſpicientes, quòd ad eam proculdubio ſponſus eſſet deſcenſurus, ac regio more in illa conquieturus, ſponſam iam inſtruunt, atque auro exornant, vt cum rex voluerit aduenire, eam ad quieſcendum aptiſsimam reperiat. Itaque ſic alloquuntur: Similitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti, quouſque rex ſit in accubitu ſuo. Quando, inquiunt, futurum eſt, vt rex in te, quæ ipſum puriter amas, & quæris, requieſcat, age ſine te à nobis inſtrui atque exornari. Quamuis enim non, vt aurum, ô ſponſa, virtutibus fulgeas, ſed adhuc, vt argentum, ſplendeas præ nigredine, te ad auri tamen ſimilitudinem decorabimus, ſimilemque reddemus cherubico, & flammeo, ac venerando ſolio, in quo rex deſcendens ſe reclinet, & acquieſcat. Superior omnis apparatus, meo quidem iudicio, mirabilem ſponſæ & virginis ex argento in aurum mutationem, ab amicis verbi & ſponſi accurate conquiſitam, id eſt, decorem & gratiam ſponſæ ab angelis Dei adhibitam ſignificat. Hic enim Domini amicorum eſt mos atque inſtitutum, vt cum animam aliquam virginem ad Chriſtum ſtudioſe feſtinantem nacti ſint, vndique tanquam cuſtodes illam circumdent, atque adiuuent, & ad rectas & cum virtute coniunctas viuendi rationes incitent, quoad illam domino aptam gratamque reddant. Sed iam interpretando longius progrediamur, & quæ ſponſa amicorum ſtudio ac diligentia exornata, ad amicos ipſos, id eſt, angelos dicat, audiamus.

Nardus mea dedit odorem eius.

Animæ virtutis ſtudioſæ progreſsionis fructum perſpicis. Cum enim in recta vitæ ratione virgo profecerit, atque ita ad verbũ & ſponſum optatum appropinquarit, ſponſi pulchritudinem ſe dicit agnouiſſe, ſed per ſenſum quendam ſolum: nempe odoratum. Cur autem, inquis, nullum aliud vnguentum, ſed nardum duntaxat dominum ait redolere? An quia inter vnguenta nardus obtinet principatum? An potius diuinius aliquid vult innuere? Si quis enim homo ex præſenti vita, licet omnes labore & induſtria acquirens virtutes recte viuat, niſi Chriſtum diuino baptiſmate induerit, nil reuera vitæ æternæ hiſce virtutibus conſequetur. Arcanum hoc, quod animo complecteris, vnguentariorum exemplo fit manifeſtum. Cũ enim nardinũ volunt conficere, licet alia multa in vnum conijciant, niſi nardum, quæ quidem eſt herba, ſimul adhibuerint, fruſtra operam ſumunt. Præterea Chriſtus, qui idem & ſponſus eſt, ad cœnam Simonis leproſi vocatus, hoc vnctus eſt vnguento à peccatrice. Merito igitur nardi mentio facta eſt.

Theodoreti.

Hæc igitur cum à miniſtris ſponſi dicta eſſent, ſponſa rurſum, nardus, inquit, mea dedit odorem eius. Faſciculus ſtactes ſororis meę filius mihi. Quærendum eſt primo, cur eum ſororis filium appellet. Sponſam eſſe didicimus, collectam ex gentibus eccleſiam: at priorem ſponſi vxorem multitudinem Iudæorum, quæ propter impudicitiam repudij libellum in manus ſuas accepit. Sorores autem ſunt, quoniam ſe ex Adam patre genitas ambæ gloriantur. Sed ſponſus, quod ad eius pertinet humanitatem, ex priore natus eſt. Manifeſtum eſt autem, inquit beatus Paulus, quòd ex Iuda ortus ſit Dominus. Et alibi, Abrahæ, inquit, dictæ ſunt repromiſsiones, & ſemini eius. Non dicit, ex ſeminibus, quaſi in multis: ſed, quaſi in vno, & ſemini eius, qui eſt Chriſtus. Ac de Dauid ait beatus Petrus: Propheta igitur cum eſſet, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſeſſurum ſuper ſedem eius, prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Itaque cum Iudęorum multitudo, & eccleſia gentium ſorores ſint, atque illius filius ſit Chriſtus, quantum ad carnem attinet, iure ipſum ſponſa nepotem vocat, vtpote ſororis filium ſecundum humanitatem. Hic ergo nepos meus & nardus eſt mihi, & faſciculus ſtactes. Multis enim nominibus appello fragrantia vnguenti illius delinita. Vnica vti appellatione non poſſum, cum ſuauitatis eius vis omnibus nominibus antecellat. Quamobrem amore ipſius ſuperata, eum & nardum nomino, & ſtactes faſciculum appello. Nardum quidem, quoniam & vnctus eſt nardo piſtica illa pretioſa, cuius odor repleuit totam domum, quæ mundum ſignificat vniuerſum. Obſequium enim à pijs hominibus Domino exhibitum orbem terrarum impleuit fidei ſuauitate. Stactes autem faſciculum voco, quoniam ipſe deſcendit ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Et à prophetis etiam vocatus eſt ſtilla: Erit enim, inquit, ex ſtilla populi huius congregatus congregabitur Iacob. Illud ignorandum non eſt, à Symmacho & Aquila pro ſtacte myrrham dici. Myrrha autẽ ſponſi mortem, &, quæ inde ad ſponſam peruenit, indicat ſuauitatem. Subijcit autem.

Hebr. 7.

Gal. 3.

Pſal. 72.

In medio vberum meorum commorabitur.

Hoc eſt, in præcipua animę meæ parte, nempe in corde, quod inter vbera ſitum eſt. Quod quidem prophetiæ finem declarat, in qua Deus ait: Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus: dicit Dominus omnipotens. Quin & ipſe ſponſus ita pollicetur: Veniemus ego & pater, & manſionem apud eum faciemus. Quamobrem & Paulus clara voce, num experimentum, inquit, quæritis Chriſti in me loquentis? Iccirco ſponſa dicit; In medio vberum meorũ commorabitur.

Trium Patrum.

Sponſa deinceps varijs virtutũ cum in agendo, tum in contemplando expolita dotibus atque illuſtrata, & ad perfectionem progrediens, ad ea, quæ ſibi ab amicis ſponſi dicta fuerant, reſpondet, Nardus, inquiens, mea dedit ſuauitatem eius: id eſt, efficax ex diuerſis agẽdi ſpeculandique rationibus cognitio conquiſita, inſtar nardi ex varijs aromatibus conditę prębuit ſpecimen eius; ſponſi nimirum, per naturam inacceſsi, cuius ego ſpeciem ac notam gero, vt imago ipſius, ac ſimilitudo. Cum enim mixtio quædam ſit eorum, quę in mundo vnam illam rerum omniũ cauſam participant: quippequæ ex intelligibili & ſenſibili creatura naturaliter conſtet, ſcientiaq; rationes rerum ac modos in ſe complectatur: propterea moribus ſimilitudinem refereps, eum in ſe tanquam in imagine exemplar repræſentat. Verum, quia ſenſu, vt dixit, ſponſum agnouit, quid ipſo ſenſu ſit, explicat, dicens: Faſciculus myrrhæ nepos meus mihi. Nexus eſt, & conſeruatio ſtillæ diuinæ gratię, quę mihi communicata eſt, dilectus meus, vt Symmachus interpretatur. Per fidem enim acceptus, ſpiritalia tuetur, atq; conſeruat eccleſiæ munera, fideleſque confirmat, & corroborat, ne à veritate deſciſcant. Tum, vbi ſponſus in ipſa manens, conſtantiam hanc ſibi largiatur, exponit, in medio, inquiens, vberum meorum commorabitur, Vberum medium obtinet cor, vnde vitalis ſpiritus in reliquum corpus diffunditur. Præſtantem vero animæ partem mentem innuit, in qua dominus habitat, cum eius ſponſa perfectione ſibi copulata; vnus ſpiritus efficitur, virtutis habitum adipiſcens per Sancti ſpiritus operationem, vnde vita in Chriſto abſcondita in omnes animæ potentias tanquam in huius membra influens, ſtabilem ipſis firmitatem ac robur inſtillat. Atque ita ſponſus erit ſponſæ, cum ad perfectionem venerit, virtutum immobile firmamentum.

Pſelli.

Sed iam & ea, quæ deinde ſequuntur, audiamus. Sponſa enim progreſſu quaſi afflata inſtitutum cum amicis ſermonem ſtudioſe perſequitur, & poſt nardi mentionem, ſic ait.

Faſciculus ſtactes filius ſororis mea: in medio vberum meorum commorabitur.

Elegantium virginum mos eſt, vt non ſolum exteriori ornatu ſe decorẽt, quo celeriter amatores ſuos alliciant, verum etiam ſuauia in veſtimentis vnguenta gerant. Quoniam igitur canticorum verbis anima, vt pudica virgo, eſt exornata, & hominum more ſponſalibus decora veſtimentis ad nuptias adducta: conſentaneum eſt, vt verba quædam muliebria loquatur, licet interius arcanum ſenſum contineant. Aperte igitur quaſi delicias faciens, quamuis, inquit, mulieres quædam ad amorem excitandum alia geſtent vnguenta in veſtimentis, ego tamen cuiuſuis fragrantiſsimi odoris loco pulcherrimum ſponſum, vti ſuauiſsimum vnguentorum faſciculum collo ſuſpendens, retinebo. Vel potius hoc ſignificat: Quamuis aliæ animę mundi curis & negotijs implicentur, ego ſponſi mei percipiens voluptatem, eum inſculpam in tabulis cordis mei. Vberum enim medium cordis eſt ſedes.

Theodoreti.

Botrus Cypri ſororis meæ filius mihi in vineis Engaddi.

Quo nomine ſponſum appellet, hæſitans ſponſa, huc illuc ſeſe vertit, atque illi vndique collectas appellationes imponit. Cùm enim amore ad eum vocandum incitetur, neque illo dignum nomen inueniat, eum rurſus botrum Cypri, hoc eſt, florentem nominat. Vitis enim, quo tempore floreſcit, eſt odorifera. Addit autem: In vineis Engaddi. Si locum intelligas in ludæa vitibus eximijs præſtantem, per tranſlationem ſic accipiendum eſt, quaſi dicat: Vineas illas odoris ſuauitate ſuperat botrus tuus. Sin vocabuli vim attendens dixit, Engaddi, quod quidem ſignificat oculus tentationis, ſic intelligendum eſt: In tentationibus etiam conſtituta, & à multis oppugnata, tuam ſentio ſuauitatem: & vineis hoc tempore floreſcentibus (allegorice accipiantur) ſed in medio tentationum exiſtentibus (tentatio enim eſt vita hominis ſuper terram) ſuauem botri tui florentis odorem antepono. Qui ſi dum floret, tam eſt iucundus, qualis nam fore putãdus eſt, cum ad maturitatem accedet? Quod ſi mature ſcens eſt melior, qualis nam erit, cùm plane iam maturus & coctus torcularibus ſubijcietur? Exiſtimo enim, eum pro ſpiritalium ætatum ratione alijs quidem floridum eſſe, alijs acerbum, alijs maturum, ſed à perfectis bibi. Calix enim eius inebrians perquam præclarus eſt.

Pſal. 22.

Trium Patrum.

Botrus Cypri ſororis meæ filius mihi in vineis Engaddi.

Qualis eſt vua adhuc florens, quæ vinum cordi

cordi lætitiam afferens pollicetur: talis est mihi propter imperfectionē meam dilectus meus in vineis, hoc est, in varijs rerum naturis, quæ perspicuæ sunt oculo tentationis (id enim est Gaddi) oculo nimirum rationis naturas rerum ac veritatē in omnibus explorantis. Hæc enim eas indagans tanquam florentem vuam, ex ipsis colligit veritatem, quæ veluti vinum quoddā à figuris mentē dimouebit, cùm diuersas, quæ in mundo sunt, rationes in se ipsa coactas amplectetur.

Pselli.

Ex sponsæ verbis quædam supersunt, quæ quidem nunc pro viribus sunt explicanda. sic enim ipsos angelos alloquitur.

Botrus Cypri sororis meæ filius mihi in vineis Engaddi.

O præclaram progressionis sponsæ mutationem. Quæ enim perspicue paulo ante similis equæ dicta fuerat, nunc amicorum obsequio plane proficiens, se ipsam vt vitem fructiferam agnoscit. Omnis enim anima pura, domini succensa desiderio, operum progressu fit omnia. Nunc quidem sedes cherubim, nunc sedes regis, nunc autem vitis fructifera in aula domini. Quod igitur puriter sponsa dicit, hoc est: Sic agnoui sororis meæ filium, id est, sponsum, sicut botrum, qui nobis distillauit mustum æternitatis. Haud omnibus virtutes capessentibus animabus est maturus, sed pro virtutum mensura iucunditatem suam subinde mutat. Alijs namque floret, in alijs nigrescit, in alijs maturus est, in alijs plane coctus ac dulcis est. Sponsa igitur, dum florentem botrum se ferre dicit, ostendit se nondum ad perfectionem peruenisse. Aut tanquā florentis pulchritudinem exaggerans, ita, inquit, mihi floret Christus & sponsus, vt odoriferi botri iucunde florent in Gaddi: Quæ quidem regio vitibus abundans vuæ suauitate cæteris omnibus antecellit. Hæc anima casta & pura cùm dixisset, sponsus respondet, ita sponsum alloquens,

Ecce pulchra es propinqua mea, ecce pulchra es: oculi tui columbæ.

Quemadmodum qui aurum tractant & elaborant, quos aurifices appellamus, si aurum adulteratum velint expurgare, & purius atque splendidius reddere, sæpius illud in fornaces conijciunt: sic animas, quæ nigredinem contraxerunt, curat, expolitque Deus. Cùm enim prius sponsam equæ comparasset, ostendisset q; eam adhuc humi repere, virginem ad hanc sublimiorem virtutem incitauit: illa autem amicorum officijs vere proficiens fit ignea sedes regis vniuersorum. Deinde virtutibus rursum altius prouecta, atque iterum ad purum sponsum appropinquans, ab eo præclare commendatur. Ecce enim, inquit, pulchra es propinqua mea: & pulchritudinis laudem ingeminans, ecce, inquit, pulchra es, o virgo. Iucundis enim es oculis prædita columbæ virginis, cùm oculos tuos ab errore auerteris, & eos in me creatorē tuum intenderis. Columbæ autem oculos memorat, vt purum virginis obtutum significet. Tam mundos enim oculos habet, vt puriter pulcherrimum sponsum aspiciat.

Theodoreti.

His dictis à sponsa, sponsus eam rursus alloquitur, Ecce, inquiens, pulchra es propinqua mea: ecce pulchra es: oculi tui columbæ. Eius iterum laudat pulchritudinem, & formam admiratur, ac decore ipsius dupliciter obstupescit. In primis autem oculos ipsius commendat dicens: Oculi tui sicut columbæ, hoc est, spiritales. Nam sub columbæ specie descendit spiritus sanctus, & in sponsō inhabitauit. Iccirco non ait: sicut ipsius columbæ, sed sicut ipsæ columbæ, id est, spiritales, diuina gratia pleni, ab omni caligine liberi, reuelata facie gloriam domini contemplantes, in eandem imaginem transformati à claritate in claritatem tanquam à domini spiritu; vt possint dicere: Nobis autem Deus reuelauit per spiritum suum. 2. Cor. 3.

Trium Patrum.

Sic igitur sponsam actionis puritate præstantem, & contemplationis luce splendentē sponsus aspiciens alloquitur: Ecce pulchra es propinqua mea: ecce pulchra es. oculi tui sicut columbæ. en formosa existis: quia particeps es pulchritudinis meæ: quoniam pristinæ incredulitatis turpitudinem abiecisti: & imitatores meos apostolos imitando ad me per virtutem appropinquasti. Ecce decora es, quippe quæ ab angelis meis species tuas, quæ in mundo sunt, didicisti, atque ita cognitione etiam & scientia es exornata. Mentis enim oculi tui spiritales rebus sensui iucundis minime decipiuntur, sed in ijs tanquam in speculo reconditas pulchritudines intelligibiles contemplantur.

Theodoreti.

Rursum sponsa respondens ait: Ecce pulcher nepos meus, & plane decorus lectus noster vmbrosus. Tigna nostra cedri, laquearia nostra cupressi. Hactenus sponsi fragrantiam sponsa suspexit: nunc autem oculis illuminata, quos spiritales & sicut columbæ gerit, eius etiā pulchritudinem admiratur, pulcher, inquiens, & decorus nepos meus. Lectum vero, vt arbitror, appellat diuinam scripturam, in qua & sponsus & sponsa conquiescentes mutuo spiritali consuetudine coniunguntur. Ac sponsus quidem præbet verbi semina. Sponsa autem illa suscipiens concipit, & fert in vtero, & parturit, & clamat cum Propheta: Propter timorem tuum, domine, in vtero cōcepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis tuæ, quem gestauimus super terram. Porro lectum vmbrosum, vtà spiritus gratia protectum, & ab ardore peccati defensum vocat. Quod enim nubes erat Israeli, id nobis est spiritus auxilium. Ideo ad lectulum adiungit, vmbrosum. Tigna domus nostræ, cedri. Laquearia nostra, cupressi. Hæc arborum Esa. 26.

arborum genera posuit, quoniam cedrus incorruptione, cupressus odore præstat: vtrumque autem in diuina scriptura licet inuenire, quæ quidem nobis non modo lectus est, sed etiam domus, & mensa, & cibus: nec solum odoris suauitatem suggerit, verum etiam incorruptionem, & veritatem, & immortalitatem pollicetur. Si quis autem ædes sponsæ, quæ vbique gentium in mari terraque sunt, ecclesias velit intelligere, à veritate nō aberrabit: vt cedri & cupressi allegoricè accipiantur: ac tigna quidem cedrina præstantiores viros significent (tigna enim fastigium sustinent) laquearia vero inferiores. Sponsus à sponsa ita laudatus declarat, eam nondum ipsius pulchritudinem spectasse, sed adhuc in vmbra pulchritudinis immorari.

Trium Patrum.

Ad hæc sponsa, cùm testimonio sponsi spiritales habeat oculos, qui decipi nequeant, sed quod verè pulchrum est, vnde ipsa quoque fit pulchritudinis particeps, conspiciant, Ecce, inquit, es pulcher, spōse mi. Tu solus videlicet, iure pulcher dici potes, dilecte mi, cuius participatione pulchra sunt pulchra. Pulcher, inquam, inaccessa naturæ pulchritudine. Sic igitur pulcher, ad lectum nostrum vmbrosus, in natura nostra nimirum, in qua tanquam in lecto quiescens tu Dei & patris lucidissimus, & sine vmbra radius, per vmbrā aspiceris, tanquam in imagine exemplar. Quoniā & domus tua nos, ecclesia nimirum, quæ in te credit, sumus. Tigna nostra cedri, hoc est, pietatis & religionis dogmata, quæ tanquam tigna domum, hoc est, fidelium ecclesiam continent, & quasi cedri: fortiter constituta solida in Christum fide innituntur: neque ecclesiam assiduis hæresium & tentationum motibus, veluti varijs vehementium imbrium atque ventorum incursibus oppugnatam labefactari ac ruere patiuntur. Laquearia nostra cupressi. Laquearia variam tecti continent pulchritudinem, quæ constat ex cōcinna & fabrefacta contignatione tabularum, quæ quidem si ex cupresso confectæ sint, tum bene olent, tum putredinem non admittunt. His virtutes sunt similes, quibus perturbationum & vitiorū corruptionis expertibus exornatur ecclesia, earumq; fragrantia spiritali consperguntur, qui animæ sensus habent exercitatos.

Pselli.

Sponsam purus spōsus laudauit: quem nunc vicissim sponsa commendat, Ecce inquiens, pulcher es nepos meus, natura, inquam, es pulcher. Ecce formosus es, ac plane decorus & tu, sponse mi. Ac quemadmodum gemina ille laude sponsam extulit: sic illa duplici laude sponsum effert. pulcher, inquiens, es sponse, atque formosus. Nepotem autem sponsa dominum appellat, eam innuens partem ipsius, per quam illi propinqua est, quæ pertinet ad humanitatem, quam quidem infra planius explicabit. sponsum enim sponsa vicissim laudans, sic ad eum statim dicit, Ad lectum nostrum vmbrosus. Ad infimum, inquit, lectum nostrum sic accessisti, vt debita opera diuinitatis fulgorem obumbrares. Nisi eam tu ijs rationibus, quæ tibi soli cognitæ sunt, abscondisses, diuino splendore forte consumpti essemus. Quod quidem totum, verbo diuinitatem celante, factum est. Cum enim amici, qui sponsam deducebant, vtsupra declarauimus, ex argentea auream reddidissent, & tanquā lectulum regium purpura ornatum instruxissent, in eo rex accubuit. Itaque sponsa admirabunda sic eum alloquitur: Ad lectum nostrum, vmbrosus, vt libuit, accessisti. Verum, quæ deinceps in canticis sequuntur, audiamus. Pergit enim adhuc sponsa sponsum alloqui, tigna, inquiens, nostra cedri: laquearia cupressi. Quando nunc ad nos, ò sponse, venisti, nullos amplius horrēdos imbres, nullos torrentium impetus, nullos furentis boreæ flatus extimescimus. Me enim, quam tibi domicilium esse voluisti, præclare in te, sponse, exædificasti, qui vere lapis es pulcher, & vitæ petra. Cedrina sunt tigna nostra, cupressina laquearia. Quoniam hic domus est facta mentio, de tignis etiam & laquearibus loquitur. Quæ quidem omnia tu pro virtutibus accipe, quibus eam, verbum aduenies, aduersus ventos, & imbres, & flumina, id est, contra tentationes communiuit.

Theodoreti.

Ego enim, inquit, flos campi, lilium conuallium.

Humanam, inquit, pulchritudinem meam (nam Deum nemo vidit vnquam) aspexisti. Ego enim flos campi factus sum, hoc est terrenum corpus assumpsi. Et cum æternus, & excelsus, immo vero, immensus essem, lilium sum factus, non montium, neq; collium, neq; camporum simpliciter, sed conuallium. Non enim viuentibus modo salutē, sed mortuis resurrectionem nunciauit, descendens in inferiores partes terræ, vt impleret omnia. Iccirco se campi florem appellat, & lilium conuallium, id est, mortuorum, quibus à morte invitam reditum & promisit, & præstitit.

Trium Patrum.

Ego flos campi: lilium conuallium.

Ego quidem ecclesia ex Israëlitis, & ex gentilibus cōgregata, quantum pertinet ad Israëlitas, qui per legem & prophetas ab incredulitate & malitia ante purgati, atque instar campi exæquati, haud ita multum ab honesto distabant, pluuia cœlestis cognitionis irrigata virtutibus florui. Quantum autē attinet ad gentiles, qui per infidelitatem naturali æqualitate priuati, & vitiorum turbine depressi erant, veluti lilium ex imo in sublime consurgens, & ab radice ad idoneam magnitudinem per calamum ascendens, nè vallium profunditate abscondatur, sed excelsam pulchritudinem suam præferat, fide in Christum innitor, & per purgationem ex confusione vitiorum emersi, atque in contemplationis fastigio, virtutum decore sum exornata.

Pſelli.

Tempus iam eſt, vt quæ deinceps ſponſa dicit, audiamus.

Ego autem flos campi: Lilium conuallium.

O præclaram puræ virginis progreſsionem. Ecce enim te ipſam cum eximium totius campi, naturæ humanæ florem, tum diuinum conuallium lilium agnouiſti. Omnis enim profecto anima vitæ probitate, ac virtutibus florens, atq; excellens, nec mundi ſolicitudinibus vllo modo ſuffocata, redolet. Cuius quidem rei teſtis eſt Chriſtus ac ſponſus, qui ſponſę ſermonem, vt ordine inuenies, ita confirmat.

Sicut lilium in medio ſpinarum, ſic propinqua mea in medio filiarum.

Recte, inquit, de te locuta es, ſponſa. Sic enim inter animas, quæ curarum & ſolicitudinum ſpinis ſuffocãtur, vt odorifera roſa floruiſti. Hanc autem ſororem verbũ ac ſponſus vocat, quoniam diuinæ obtẽperat voluntati. Eos enim in Euangelijs fratres, & propinquos, & amicos appellat, qui patris ſui voluntati parent.

Theodoreti.

Deinde, cum ſe his nominibus appellaſſet, ſic ait ad ſponſam.

Sicut lilium inter ſpinas: ſic propinqua mea inter filias.

Quantum ſpinis lilium præſtat, tantum forma tu filijs antecellis. Dicuntur autem filiæ, quia vocatione dignæ ſunt habitæ. Sed quo minus electæ ſint, ipſarum culpa factum eſt. Multi enim, inquit, ſunt vocati, pauci verò electi. Hoc autem nomine ſponſam vocat etiam Eſaias Propehta, Lætarci, nquiẽs, deſertum ſitiens. Exultet ſolitudo, & floreat quaſi lilium. Eſa. 35. Deſerta enim & ſolitaria, atque infructuoſa, & arida erat ſponſa, nec lectum vmbroſum habebat, ſed ardebat ſiti ſponſi ſui, atque ideo clamabat: oſculetur me oſculis oris ſui. Quod quidem videns propheta, erat enim ſpiritalis, Lætare, inquit, ſterilis ſitiens, exultet ſolitudo, & floreat ſicut liliũ. Ob id & ſponſus ad eam, ſicut lilium, inquit, inter ſpinas, ſic propinqua mea inter filias. Videtur autem hoc loco hæreticorum eccleſias propter vocationem non propter electionem ipſarum, filias appellare. Atque illas quidem ſpinis, ſponſam autem odorato lilio comparat. Lilium enim cum exteriori decore ſplẽdet, tum aureum intus floſculum continet. Talis eſt anima iuſtitiæ ſplendore circumdata, & ſpiritalem ſapientiæ cognitioniſque donum in intimis penetralibus geſtans.

Trium Patrum.

Itaque ſponſus lilio ſponſam ſimilem dicit, vt quæ vitæ ſpinis non ſuffocetur.

Sicut liluum, inquit, inter ſpinas, ita propinqua mea inter filias.

Et hanc quidem lilio comparat, quoniam eorum, quæ ad victum pertinent, nulla premitur ſolicitudine, ſed rebus obuijs ſatisfacit corporis neceſsitati. Quod etiam in euangelijs docens, de veſtimento, inquit, quid ſoliciti eſtis? conſiderate lilia agri, quo modo creſcũt: non laborant, neque nent. Oſtendit, eos, qui tranquillam & frugalem viuendi rationẽ propter regnum cœlorum complectuntur, lilijs eſſe ſimiles, quæ naturalis gloriæ nitore Salomonis purpuram ſuperant. Animas vero carnis voluptatibus effeminatas, ac propterea diaboli filias, vt in euangelijs rurſum declarat, vos, inquiens, ex patre diabolo eſtis, ſpinis aſſimilat, quia omnem curam & ſolicitudinem in eas conferunt res, quæ ad vitam hanc ſpectant, vt vndique voluptatum materiam aucupentur. Cùm enim omnem ſuam ſpem non in eo, qui ſapientia ſua cuncta moderatur, & rebus omnibus conſulit, ſed in ſe ipſis ſitam habeant, terrenis ſolicitudinibus ſuffocantur, nec perfectum fructum ferunt. Matth. 6.

Theodoreti.

Sponſæ reſpondet Sponſus, & ait.

Sicut pomum inter ligna ſiluæ, ita nepos meus inter filios. In vmbra illius deſideraui, & ſedi: Et fructus eius dulcis gutturi meo.

Magna eſt inter pomum & lilium differentia. Hoc enim oculos tantum & odoratum oblectat. pomum autem & ſpectandi, & odorandi, & guſtandi ſenſus afficit voluptate, veſcum enim eſt, & eſui opportunum. Proinde ſponſa quidem lilium nuncupatur, ſpõſus autem pomum. Hic enim editur, & ſponſæ fit cibus. Sponſa vero non comeditur, ſed odoris duntaxat habet ſuauitatem. Iccirco ait: ſicut pomum inter ligna ſiluæ, ita nepos meus inter filios. Filios hic (vt antea filias) nominat eos, qui cum facti ſint vocatione digni, ſe ipſos electione indignos præſtiterunt. Hos ſponſa lignis ſiluæ ſimiles dicit, & arboribus infructuoſis. At ſponſum appellat pomum, quod quidem & tactu molle eſt, & guſtu dulce, & odoratu ſuaue, & aſpectu iucũdum ac venuſtum, & auditu amabiliſsimum: ſimul enim audiendo cunctos orationi ſenſus accomodamus. Talis eſt dominus noſter, & ſaluator, & ſponſus, qui conuiuio ſuo ſenſus omnes noſtros explet ſuauitate. Sub huius vmbra ſedere ſe ſponſa dicit concupiuiſſe, & conſediſſe, ac mox fructum etiam eius decerpſiſſe, eumq; gutturi ſuo fuiſſe dulciſsimũ. Ardẽtes malitię radios vitare ſtudet, ne iterum nigra fiat. Vmbra aũt ſponſi ſunt ea, quæ nunc, vt beatus Paulus ait, in ſpeculo & ænigmate conſpiciuntur. Videmus, inquit, nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Ideo, in vmbra, inquit, eius cupiui, & ſedi: & fructus eius dulcis in gutture meo. Etenim ſub vmbra ſedens, fructũ decerpo, & comprehẽdo. Et teſtes ſunt illi, qui initiati in ſponſi membris oblectãtur.

Trium ſanctorum Patrum.

Quoniam per totum hoc drama ſponſus & ſponſa quaſi mutuis cantibus ſe viciſsim celebrant, aſsiduis amoris ſignificationibus oſtendentes, alterũ alterius ardere deſiderio, ita rurſus ſponſa ſponſum alloquitur: Sicut pomum inter

inter ligna ſiluæ, ſic nepos meus inter filios. Certe ſicut pomũ tum ſpecie decora, tũ odore ſuaui, tum guſtu dulci, ac propterea hominibus ad edendum vtili, inter arbores huius qualitatis expertes excellit, in ſilua, quæ nemoroſa eſt, & fructum ad veſcendum non hominibus, ſed beſtijs idoneũ ſuppeditat: ſic dilectus meus inter hominum filios præſtat. Pulchritudine enim ſpecioſus eſt inter filios hominum, non ſolum vt Dei filius vnigenitus, & verbum, verùmetiam vt inter homines ſolus ſine peccato. Odore autem iucundo fragrans propter ſpiritalia gratiarum munera, quæ in ſe credẽtibus dilargitur, ex quibus ſenſum ipſius percipimus. Guſtu verò ſuauis eſt. Guſtate enim, Pſal. 33. inquit, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Nam mellis dulcedo illis ſolum, qui guſtauerunt, cognita eſt. Quamobrem & hominũ cibus eſt, qui vitam eis tribuit ſpiritalem. At cæteri hominum filij, quia omnes peccauerunt, & diuina gloria priuati ſunt, ad ſiluæ ſimilitudinem luxuriant, & belluinis voluptatibus nutriuntur. Iccirco, in vmbra, inquit, eius cupiui, & ſedi. Vmbra omnino Chriſti, eſt Chriſtiana reſpublica, in qua qui deſiderio eſt confirmatus, cupidinum æſtu nõ comburitur, ſed ſub ea protegitur. Et fructus eius dulcis gutturi meo. Fructus autẽ ipſius eſt fructus, ſpiritus, qui eſt, Galat. 5. vt magnus inquit Paulus, caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas: quorum dulcedinem ſentiunt illi, qui experiuntur. nihil enim gaudio ſpiritali, & tranquillitate, & caritate dulcius. At guttur, quod fructus ſpiritalis dulcedine fruitur, eſt vis animæ ratione prædita, ſine qua verbum non admouetur, quemadmodum nec cibus ſine gutture.

Pſelli.

Has laudes ſponſa cum audiuiſſet, quibuſdam ipſa quoque ſponſum laudibus extollit. Dominum enim hiſce verbis alloquitur: ſicut pomum inter ligna ſiluæ: ſic nepos meus inter filios. Quemadmodũ, inquit, inter omnes hominum animas, quas, ò verbum ac ſponſe, filias appellaſti, ego ſola ſum tanquam lilium in germine: ſic etiam tu arcana ratione cœlos inclinans, & deſcendens ſuper terram in hanc vitam mortalem, & carnem noſtram aſſumens, in hac ſilua te inter filios hominum cõſpicuum præbuiſti; tanquam pomum ſuauiſsimum, & guſtu iucundiſsimum. Cur autem verbum appellat pomum? Quia multiplici gratia hic fructus eſt prædituς. Etenim ſi forte à quopiam comprimatur, liquorem ſanguineum, & aqueum, emittit, & proinde innuit fontes illos ſalutares, qui ex latere verbi & ſaluatoris emanarunt. O puræ virginis prudentiam admirabilem. ſapienter enim ipſum vere pomũ dixit eſſe. Nam omnis profecto anima humana licet virtutum præſtantia ad angelos accedat, flos tantummodo, & lilium conuallium iudicatur, non alens agricolam, neque enim herba alit, ſed ſeipſam ſpeciei pulchritudine exornãs. Etenim lucrum ex nobis nõ quærit agricola, vt quodam in loco ſponſum ipſum alloquens, oſtendit Dauid: Deus, inquit, meus es tu, quia bonorum meorum non eges. At Chriſtus agricola ſponſuſque noſter cum carnem humanam induens, vere pomum euaſerit, tres noſtros, eoſque præcipuos ſeuſus oblectat, viſum, odoratum, atque in primis guſtum. Aſpectu enim ſane quàm decorus eſt, quippe cum ſit omnium, qui in terra nati ſunt, ſpecioſiſsimus, reſpicienteſque ſe, clariſſimos reddat. Olfactu autem periucundus, eſt enim vnguento plenus, immo vnguentum ipſum, quod deſcendit in barbã Aaron. Guſtatu vero quàm ſuauiſsimus, guſtantibus enim ſe vitam tribuit immortalem. Nã qui digne manducat corpus eius, vt ipſe ait, vitã vere æternam poſsidebit. Ac de propoſito huius carminis hactenus. Ad reliqua Canticorum explicanda pergamus. Sponſa de verbo diuino in vmbra, inquit, eius deſideraui, & ſedi; & fructus eius dulcis gutturi meo. Huius, inquit, admirabilis vitaliſq; pomi ſæpenumero vmbram aſpicere concupiui, cum ardor tentationũ me vehementer exureret. At ecce in ea iam conſidens oblector, & gaudeo, atque ardorem tentationum declino. Quandoquidem me in omnibus mandatis domini meditantem verbum ac ſponſus meus dulciſsimus diuinis ſuis obumbrans alis procul auertit tentationũ faces. Hæc cum veluti lætabunda protuliſſet, ad amicos ſponſi conuertit ſermonem ſuum, hortaturq; illos, vt progrediantur, & ad formoſum ſponſum accurrant. Sed verba ipſius mihi ſunt expendenda.

Introduciteme in cellam vinariam: ordinate in me caritatem: Fulcite me vnguentis: ſtipate me in pomis, quoniam ego amore ſum vulnerata.

Siti vrgeor, inquit, ad ſponſum meum, ad vitæ botrum illum maturum, atque diuinum, per crucis mortem dulcedine fluẽtem. Quamobrem in huius cellam me quoq; introducite, vt pure ſponſi pulchritudinem coſpicata, amoris ignem erga illum adaugeam. Adhuc autem ad maiora contendo. Hæc ad Angelos loquitur. Fulcite me vnguentis: ſtipate me in pomis. Quando, inquit, dilexit me abiectam admirandus ille, & metuendus atq; pulcherrimus ſponſus, ad eius me caritatem, vos qui verbi & ſponſi amici eſtis, incitate: qui prius mihi adhibuiſtis aurum, nunc autem adhibete vnguenta, quæ omnem arceant fœtorem peccati, ne amplius aberrem, aut rurſus è via declinem. Tu vero per amicorum vnguenta virtutes intellige. Sed pomis præterea flagitat, vt conſtipetur. Amicos enim alloquitur anima, modo vt ſponſa, & virgo nuptialibus veſtimentis exornata: modo vt lectus auro ſplendidus, modo vt diuinum ſolium. In vna enim profecto, eademque anima puriſsima Chriſtus & ſponſus nunc quieſcit, nũc ambulat, & ſedet ſæpiſsime. Quæ quidẽ omnia indicat pomorũ cõſtipatio. Prorſus aũt flagrat ſponſa, ac plane ardet deſiderio ſponſi, qui dicitur pomum è ſilua, cupitq; illum ſemper hæc ſibi eſſe omnia, cibum, deliciaſq;, & vmbram, & ſtipationem, & tectũ: quem-

admodum & ipſa erga illum hæc eſt vniuerſa: ſponſa nimirum,& ſedes, & cubile,& domus. Tum aſsiduæ flagitationis ſuæ cauſam Angelis explicans,ego enim,inquit, amore ſum ſauciata. Ego veſtram opem imploro. Totam domum meam pomis conſtipari cupio. Quoniam ſagitta amoris iſtius confixa ſum. Per amorem intellige patrem,qui nullum habet principium: Per ſagittam verè electam verbum & ſponſum. Hanc enim in eos,qui ſaluantur,conijcere conſueuit.

Theodoreti.

Introducite me in cellam vini: ordinate in me caritatem.

Cellam vini,vt arbitror,diuina vocat torcularia,de quibus Propheta ait: Quàm dilecta tabernacula tua,domine,virtutum. Concupiſcit, & deficit anima mea in atria domini. Cum enim pſalmum: Pro torcularibus: inſcripſiſſet, hęc verba ſubiecit,vt doceret,torcularia ſe Dei eccleſias appellare, in quibus ſpiritale vinum tanquam prælis expreſſum piorum animas lætitia perfundit, vt patet ex illa prophetia: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ideo ſponſa in cellam ipſius vinariam ingredi concupiſcit: Et ſponſi miniſtros cohortatur, ordinate, inquiens,in me caritaté,hoc eſt, docete me caritatis rationem ac modum: ne patrem, aut matrem, aut agrum, aut vineam magis, quàm ſponſum diligens, ſponſo videar indigna. Sic enim ipſe ſententiam tulit; Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filios,aut filias plus quàm me,nõ eſt me dignus. Vetus etiam lex,quę data fuit Adam,talia protulit: Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Ordinate ergo in me caritatem, vt ſponſo coniungar meo,eumq; & patri, & matri, & cęteris rebus anteponam. Fulcite me vnguentis,id eſt,cõfirmate me, & communite ſponſi ſuauitate, ne quid me concutiat, & labefactet. Fragantia illa aſsidue me cumulate, ne ſponſi obliuiſcar,& ad alia aberrem. Malis, hoc eſt, ſponſi fructibus me conſtipate, vt ſub vmbra illius ſedens & vnguentis eius delibuta, fructuque conſtipata,perpetuam ipſius memoriam conſeruem. Illius enim amore ſum ſaucia. Eſt enim ſagitta electa, quæ animas,quas petit,transfigit.

Pſal. 83.

Pſal. 35.

Gene. 2.

Trium Patrum.

Ita quidem ſponſa cognitam ſponſi pulchritudinem, ſuauitatem, domum, dulcedinem prædicat. Miniſtros autem ſpiritus,in miniſterium miſſos, propter eos, qui ſalutis hereditatem ſunt adepturi,rogat,vt ſibi præſto ſint, ad perennem fruitionem aſſequendam, introducite,inquiens,me in cellam vini,hoc eſt, docete me diuinas incarnationis rationes. Deum enim verbum appellat vinum, quod animas guſtantium lætitia afficit, ad diuinitatemque perducit. Huius cella caro eſt ab ipſo aſſumpta: quam quidem in cellã eccleſia introducitur,vna caro cum Chriſto futura. Sic enim Apoſtolus locum illũ: Et erunt duo in carne vna: interpretatur, ego autem,inquit, dico, in Chriſto & in eccleſia. Fidelium enim eccleſia,dum carnis & ſanguinis Chriſti particeps,atque vnum cum ipſo corpus efficitur, incarnationisque rationes ab Angelis diſcit, atque eas moribus comprobat, in vini cellam ingreditur. In me introducta ordinate caritatem, illam ſcilicet diuinæ gratiæ communionem, quavos ordine fruimini, in me quoque, fideles ſingulos pro cuiuſq; ratione diuinis myſterijs inſtituentes, ordinate. Fulcite me vnguentis: ſanctiſsimi ſpiritus donis, vnguentorum inſtar fidelium animas odoris ſuauitate conſpergentibus me corroborate, & corporis imbecillitate labantem in diuina pietate confirmate. Stipate me in pomis: implete me Dei cognitione in diuinis ſermonibus,qui pomorum inſtar gutturi meo dulcedinem afferunt. Hæc autem à vobis peto, quia amore langueo. Quia ſcilicet non timore,ſed amore incitata (caritas enim foras mittit timorem) cum Chriſto per fidem coniuncta ſum. Nam vt ante pœnarum formidine purgata, deinde futurorum bonorũ ſpe illuſtrata, ita nunc caritate commota feſtinat per ſanctos Angelos ad perfectionem adduci. Quamobrem ait.

Gene. 2.

Læua eius ſub capite meo: & dextera illius amplexabitur me.

Comminatio ſuppliciorum, quæ à ſiniſtris conſtitutos manent, ſub capite meo, ſub ea videlicet parte, quæ vt caput in corpore ſic ipſa in anima principatum obtinet, mẽte nimirum ſenſus ipſi ſubijciente. Itaque dextera illius, vt ſpero,iam amplexabitur me. Promiſsio ſcilicet bonorum, quæ à dextris collocati ſuſcipient, regnum vtique Dei in ſeculo futuro me complectetur, quod cùm nec temporis initium nec finem habeat, mihi tamen & principium & finis inuenitur, quippe quæ & ortus initium nacta ſim, vt regni cœleſtis cernam hereditatem, & in eo tandem propter humanitatem illius, tanquam fine ac termino circumſcripta, procul ab omni mutatione conquieſcam.

Pſelli.

His rurſus ſponſa ſubijcit quædam verba, quemadmodum ordine reperies. Sunt autem hæc.

Læua eius ſub capite meo: & dextera illius amplexabitur me.

Varietas hæc in res incorporeas cadit. Ecce enim quæ paulo ante mirabili ſagitta ſaucia erat, nunc ſagitta ſit in manibus iaculantis. Id quod animę contigit Pauli vulneratæ. Siquidé & ille ex infideli factus fidelis à Chriſto verbo & ſaluatore,confeſtim veluti ſagitta miſſus eſt à diuino ſpiritu in gentes remotas atq; in errore demerſas,vt prędicationis & doctrinæ verbo animas aberrantes in viam vitæ reduceret. Hæc mea quidẽ ſententia,Stephephore,ita ſe habẽt. Te vero minime moueat, quòd cuius ſiniſtra ſub capite ſponſæ ſit,vt ipſa ait,eius dexteram illam complectatur: Quandoquidem ad ſimilitudinem volantis ſagittæ emiſſa fuiſſe dicta eſt.

Theodo-

Theodoreti.

Læua eius ſub capite meo: & dextera illius amplexabitur me.

Cauendum eſt, ne rurſum, lęuam & dexteram audientes, in opiniones corporeas incidamus. Etenim de ſapientia, quæ habitus eſt, non autem ſubſtantia, loquens Salomon, Longitudo inquit vitæ, & anni vitæ in dextera eius: in ſiniſtra autem illius diuitiæ & gloria. & de amplexu in Prouerbijs ita dictum eſt illud: Dilige eam,& conſeruabit te: Arripe illam, & exaltabit te: Honora illam, vt te complectatur. Ex his locis diſcamus etiam ea magis ſecundum ſpiritum intelligere, vt amplexum, diui verbi & piæ animæ coniunctionem credamus eſſe. Lęua autem & ſiniſtra à nobis ſumptum conſideremus. Quod quidem ne ſine contemplatione prætereamus, animaduertendum eſt,

Prouerb. 3.

Ibidem.

Deum vel beneficia conferre, vel ſupplicijs afficere, pro cuiuſque meritis. Pro dextera igitur beneficium, pro ſiniſtra ſupplicium intelligamus. Lęua eius,inquit ſponſa, ſub capite meo: hoc eſt, ſupplicijs altior ſum, neque illis ſubijcior, quia cum ſponſo coniuncta ſum, atque illum ſtudioſe obſeruo. Dextera illius amplexabitur me: id eſt, beneficijs me ſuis exornabit,ac veluti amplectẽs, & cõprehendens, & deſiderium meum explens me illis cumulabit. Hoc autem & beatus Paulus oſtendens,ſic inquit, ſemper cum Domino erimus. Atque vtinam nos quoque vltricem eius potentiam minimè experiamur, ne ſupplicia, quæ comminatur,deguſtemus: ſed donis & muneribus, quæ pollicitus eſt, perfruamur per gratiam atque benignitatem ipſius ſponſi Chriſti domini noſtri,cui gloria, & imperium in ſęcula ſæculorum. Amen.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, IN CANTICA CANTICORVM INTERPRETATIONIS LIBER SECVNDVS

Adiuraui vos, filiæ Hieruſalem, per potentias & fortitudines agri, vt ſuſcitetis, & excitetis caritatem, donec voluerit.

QVi corporum amore capti ſunt, eorum vt ipſi potiantur ſoli, ſtudioſe curant, ab amatiſq; æmulos totis viribus conantur arcere: at qui ſpiritus amore ſunt inflammati, Deique tenentur deſiderio, eadem flamma omnes vt homines incendantur,exoptãt. Quamobrem & in Cantico canticorum cùm ſponſa ſponſi complexum expoſuiſſet,Lęua,inquiens,eius ſub capite meo: ſubieciſſetque: & dextera illius amplexabitur me: ſe in ſponſi delicijs ſolam verſari non ſuſtinet, neque ſatis eſſe putat, ſi ipſa ſola ſacris illis complexibus perfruatur: ſed omnes inuitat adoleſcentulas, neq; tantũ inuitat, ſed cogit, ac iuriſiurandi obſtringit neceſsitate, vt ſuſcitent,atque excitent caritatem, quoad ſponſus ipſe voluerit. Has autem appellat filias Hieruſalem, cœleſtis illius nimirum, de qua beatus Paulus, Quæ autem ſurſum eſt, inquit, Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum. Agrũ vero mundum vocat. Sic enim & dominus in ſacris Euangelijs parabolam exponens, ager, inquit,eſt mundus. At potentias & fortitudines agri, angelicas nominat poteſtates,quæ Dei iuſſu mundum obeunt: aut ſanctos Prophetas, & Apoſtolos, qui diuino repleti ſpiritu per vniuerſum vagantes orbem terrarum, Dei aduerſarios atq; hoſtes dæmones expulerunt, pietatiſque ſurculos in animis hominũ inſeruerunt. Cùm igitur ſponſa ſponſo frueretur,experimentoq; deliciaseius deguſtaret, exclamãs, Adiuraui vos, inquit, filiæ Hieruſalẽ per potẽtias & fortitudines agri, vt ſuſcitetis, atq; excitetis caritatem, donec voluerit. hoc eſt,ne caritatẽ erga Deum in vobis dormire patiamini, ſed eam ſuſcitetis, atq; accendatis,& memoriã beneficiorum illius tanquam oleum ſuper effundatis: ne de vobis item dicatur: dormierunt ſomnũ ſuum, & nihil inuenerũt. Niſi enim nunciaueritis de die in diẽ ſalutare eius, & memineritis mirabiliũ ipſius, quę fecit, extinguetur caritas,& quodammodo intercidet. Oportet autem vos illam continenter accendere, atque excitare, & flammã eius ſublimem tollere, ac modum ipſius dimetiri ſponſi voluntate. Ne prius ergo hanc excitare deſiſtatis, atque ignem illius incendere, quoad ſponſus ipſam habere modũ dicat. His ſimilia videntur ea, quæ à beato Paulo Corinthijs, & per Corinthios nobis omnibus ſcripta ſunt: Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini,omnia veſtra in caritate fiãt. Atque in fine epiſtolæ, ſi quis nõ amat,inquit,dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema. Ita amant,qui ſic ardẽter amant ſalutis auctorem, vt nõ amantes eũ, tanquam putrida ac fœtida corpora deteſtẽtur. Idẽ ſignificat beatus etiam Dauid,Nonne,inquiens, odientes te, domine oderã, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi. At de illis,qui ſpõſum diligũt, Mihi,inquit,nimis honorificati ſunt amici tui, Deus,nimis confortatus eſt principatus eorum. Atque hac quidem ratione amicos ab amicis

1. Cor. 16.

Pſal. 138.

Ibidem.

amandos esse sancti viri didicerunt à rerum omnium Deo, qui primus Abrahæ, Benedicam, inquit, benedicentibus tibi: & maledicam maledicentibus tibi. Inimicus ero inimicis tuis, & persequar eos, qui te persequuntur. Ex his locis didicit Dauid, illa dicere: & beatus Paulus eos, qui non amant dominum, anathemate detestari. Quapropter & sponsa filias Hierusalem obtestatur, vt erga sponsum, quoad ipsi libuerit, suscitent, atque excitent caritatem. Genes. 2.

Trium Patrum.

Magistra anima ad rudes, quæ instituuntur, adiuraui vos, inquit, filiæ Hierusalem: Quo autem pacto adiurauit? sponsi minas & promissiones, quæ auditores cogendi, non secus, ac iusiurandum, vim habent, vobis proponens, vt ipsius sponsi tantum metu ac desiderio teneamini. Doceo autem omnino vos, quas genui in Spiritu sancto, qui est visio pacis, vtpote qui nos ducit in omnem veritatem, quæ verbum est, filius vnigenitus; à quo patri reconciliati sumus. Hierusalem enim idem est, quod pacis visio. Per potentias, & fortitudines agri, vt suscitetis, & excitetis caritatem, dum ipse voluerit. Hoc igitur pacto vos adiuraui, vt per animi potentias, & corporis sensus (animæ enim potentiæ in mundo, tanquam in agro, per sensus agunt) in vobis ipsis per virtutem suscitetis, & magis ac magis per contemplationem excitetis caritatem; quæ quidem est ille, qui pro salute nostra mortem oppetijt, vnigenitus Dei filius & verbum: donec ipsi placuerit, visione sua nos dignas reddere, & per gratiam prouehere ad diuinitatem. Nisi enim caritate sic affectæ fueritis, frustra vobis sponsi minas & promissa proposuero, cùm per illa, tanquam per iusiurandum, timorem & desiderium eius in vobis non excitarim, quoad ipse, qui caritas est, quæ nunquam excidit, aduentu suo nobis immutabilitatem largiatur.

Adiuraui vos, filiæ Hierusalem, per potentias, & fortitudines agri, vt suscitetis, & excitetis caritatem, donec voluerit.

Pselli.

Verum tempus est, vt quę sequuntur in Canticis audiamus. Rursus enim Angelos obsecrat & obtestatur.

Ager tibi sit mundus: Huius fortitudo potestas domini verbi ac sponsi. Vos inquit, qui sponsi nuptiarum ministri estis atque amici, assiduis flagitationibus omissis, iure iurãdo precor ex animo, atque obtestor, ne prius me decorare desistatis, quàm partibus ac numeris omnibus ornatam, atq; expolitam moribus reddideritis, & sponsi voluntas expleta fuerit, cuius quidem hæc est voluntas vnica, vt homines peruelit omnes saluos fieri, meque plane mundam, ac diuino splendore illustrem esse. Sed orationis seriem contemplari pergamus.

Vox nepotis mei.

Tantum abest, vt diuinitas comprehendi queat: vt licet virtutibus sit quispiam omnibus exornatus, rectisque viuendi rationibus sublimis tollatur in cœlum, ac propterea se proxime ad Deum putet accedere, ab eius tamen natura is distare se sciat quàm longissimè. Ecce enim sponsa, quæ proficiendo, ad eam sublimitatem progressa est, vt proxime ad sponsum videretur accessisse, diuinitatis essentiam haud percepit omnino. Tu per vocem sponsi oracula Prophetarum accipe, quæ arcanam verbi incarnationem prodiderunt. Quid autem deinceps dicat, est attendendum.

Ecce hic venit saliens in montibus, transiliens colles.

Cum antea sponsi vocem audire se dixisset, iam, inquit, hic venit saliens super montes. Scite pura virgo philosophatur. Nam verbũ Dei, antequam descẽderet in terram, præmisit Prophetas, qui aduentum suum, & diuinam incarnationem prænunciarent. Mox & ipse de cœlo profectus est. Hæc igitur verba Canticorum innuunt diuini verbi incarnationem, per quam animas in tenebris considentes liberauit, iussu solo fugatis dæmonibus vniuersis, quos mõtes appellat, ac deinde colles vocat. Christus enim edens miracula, atq; integras dæmonum legiones eijciens verbo solo, cunctos simul tum maiores tum minores in tartarũ detrusit. Quid statim sponsa dicere pergat, expendamus.

Similis esto nepos meus capreæ, hinnuloue ceruorum in montibus Bethel.

Hæc prope simile quiddam significant ijs, quæ dicta sunt. Declarant enim, verbũ & sponsum expulisse dæmones, atque in tartarum detrusisse. Sponsum autem hinnulo ceruorum comparat virgo, ita dæmonas profligantem, vt hinnulus serpentes destruit. Hinnulus hic in montibus foueas habet. Mons enim Bethel cœleste indicat domicilium. Caprea vero allegoricè videntem significat. Nam ipse omnium corda intuetur.

Trium Patrum.

Hoc autem pacto cùm discentes animas magistra sponsa docuisset, vt tum pœnæ formidine, tum promissorum spe, virtutem excolentes, in se caritatem accenderẽt, eamq; per contemplationem inflammarent, donec sponso placeret ad ipsas aduenire, atque eas in statu immutabili constituere: ne forte sponsi aduentum tardius futurum existimantes, excolendæ virtutis laborẽ detrectarent, illas confirmat, vox, inquiens, nepotis mei. Nam dilecti vox præcursor est, ille pœnitentiæ promulgator, diuinas instruens vias, ac dirigens semitas. Voces sunt minæ, & promissiones, quæ partim auditores ad pœnitentiam impellunt: partim vias domini ex virtute constituunt, & rectas per cognitionem in ipsis faciunt semitas eius: Ecce hic venit. Venit profecto, ecce iàm adest, si comminationes illius, atq; promissa exaudientes à prioribus peccatis per pœnitentiam recedamus: & per spem futurorum bonorum illustremur. Venit autem ad nos, vt dictum est, præparatos: saliens super montes, super excelsa videlicet decreta diuinitatis suæ, sublimis, quæ verticis montium instar obtinent. Ex affirmatiua enim ipsum theologia comprehendere conantes, in qua

in qua constitutus ex actu præcelsus ostenditur, ex hac eum aspicimus in negatiua theologia, quatenus essentia præstantior est transiliens colles. Verùm colles item, vt eminentes sunt, dispensationis ostendunt instituta, quæ ipsa quoque nequeunt comprehendi. Super colles autem, quantum ad cognitionem nostram attinet, sponsus transilit, dum ex eo, quòd Deus est, videtur vt homo. Et saliens in id, quod homo est, cognoscitur vt Deus. Quod autem de sponso dixit, salire super mõtes, & colles transilire: salire & transilire capreæ & cerui lasciuientis est proprium, quibus deinceps assimilans sponsum, similis est, inquit, nepos meus capreæ hinnuloq; ceruorum in montibus Bethel. Bethel autem significat domum Dei, quę est fidelium ecclesia. Cuius montes intelliguntur propter excellentiam sanctissima vnigeniti diuinitatis atque humanitatis instituta. super quæ hic sponsæ dilectissimus saliens, vt suprà diximus, atque transiliens more animalium prædictorũ spiritales feras, quæ, veluti venenum, opiniones veritati contrarias, aduersus ecclesiam iaculantur, ab ea procul repellit. Natura enim capreæ ac ceruo insitum est, vt venenosas bestias insectentur.

Theodoreti.

Dum hæc cum adolescentulis sponsa disserit, easque ad caritatem similem cohortatur, sponsum audit aduentantem, &, Vox, inquit, nepotis mei. Sanctis enim illis sermonibus assuefacta, vocem eius agnoscit. Quemadmodũ & dominus in sacris euangelijs, oues meæ, inquit, vocem meam audiunt. Alienum autem non sequentur, quia non nouerunt vocem alienorum. Nouit ergo sponsa vocem sponsi: nouit, quid inter adulterum, & sponsum intersit. atque adulteros quidem, & lupos, & mercenarios auersatur: sponsi autem & pastoris sermonibus paret. Itaque, simulac aduentũ eius præsensit, clamans, Vox, inquit, nepotis mei. Et quietis impatiens, exurgit, atque obseruat, & circumspicit, atque ipsum aspiciens, magna voce, Ecce, inquit, hic venit, saliens super montes, trãsiliens colles. Similis est nepos meus capreę, & hinnulo ceruorum in montibus Bethel. Operæ pretium est quærere, cur eum capreæ hinnuloque ceruorum similem dicat: & quinam sint montes Bethel, quid salire, quid transilire significet, quid colles, & montes, in quibus hęc geruntur. Capreã ex videndi acumine dorcadis nomine vocatam, ferunt. cernit enim quàm acutissimè. Aiunt & ceruos ferarum serpentiũ naturali quodam odio teneri, adeo, vt angues, & viperas, & alias eiusmodi bestias non aliter, atque herbas deuorent, cùm ex eo cibo nullo afficiantur incommodo. Proinde cùm dominus Christus, quatenus homo, sit illa radix, quę egressa est de radice Iesse, super quem requieuit spiritus Dei, spiritus sapiẽtiæ, & intellectus: spiritus consilij & fortitudinis; spiritus scientiæ, & pietatis; & repleuit eum spiritus timoris Dei: eum sponsa propter eximiam oculorum aciem, ac perspicacem intuendi vim, & futurorum prouidentiam capreę similem asserit. Ceruorum autem hinnulo ipsum comparat, vt qui capita draconum confregerit super aquam: & qui capita draconis collierit: & tanquam gladius sinuosum anguem, & egredientem draconem, qui erat in mari, sustulerit: profestatemque dederit discipulis suis calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: quiq; peccatum non fecerit, sed sustulerit peccata mundi, eaque tanquam serpentes profligarit: At hinnulo cerui illum assimilat, quia non solum homo, sed & filius hominis dicitur: nec leo tantum, sed etiam catulus leonis. Accubans enim, inquit, dormiuit vt leo, & quasi catulus leonis. Nec vero alienum est, à sponsa illud significari, quòd cùm parumper adhuc esset corporis ætatula, diaboli potentiam veluti serpentes quosdã deuorarit, cùm magos qui diaboli vates erant, confestim, vt natus est, ad adorationem protraxit. Porro inter animalia, quæ munda sunt, caprea & ceruus numerantur in lege. Iam caprea prior, quàm ceruus nominata est, quia figuram obtinet fidei, propter excellentem in prospiciendo vim oculorũ. Credere enim oportet primũ accedentem ad Deũ, quòd ipse est, & accedentibus ad se remunerator sit. At ceruos quidem nominat diuina scriptura: Et nunc quidẽ inquit in 17. Psalmo beatus Dauid: Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum. Immaculata, inquit, facta est via mea, posteaquam perfecti sunt pedes mei, tanquã ceruorum. Potui namque calcare super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Nunc autem in Psalmo 28. Vox, inquit, domini concutientis ceruos, & reuelabit condensa. Ceruos hic vocat beatos Apostolos, quorum pedes speciosi euangelizantium bona, vtpote concul cantes serpentes, qui hominibus insidias struunt, & mortem afferunt. per quos Apostolos reuelata sunt condensa siluarum infructuosa: per quos in templo Dei omnis dicit gloriam. His haud dissimilia pronunciat beatus Abacuc Propheta, Dominus Deus, inquiens, fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum, & super excelsa deducet me, vt vincam in cantico eius. Sed tempus est, vt ad propositum reuertamur. Ecce hic venit saliens super montes, transiliens super colles. Similis est nepos meus capreæ, aut hinnulo ceruorum in montibus Bethel. Docet hic sponsa internecionem idolis illatam à sponso suo. Montes enim & colles vocat lucos & delubra dæmonum in montibus olim sita & ædificata, super quę, verborum sapientia, & miraculorum virtute saliens atque transiliens penitus euertit atque destruxit. Quem quidem sensum Symmachus magis perspicuũ reddit, interpretans ad hunc modum: Ascendens contra mõtes, prosiliens aduersus colles. His sponsa rursum subijcit:

Ecce ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

Docet autem, quemadmodũ sponsus omni monte & colle humiliato, iuxta Esaiam Pro- Esai. 40.

Ioan. 10. Num. 24.

phetam, ad ſe, quæ humilis quondam erat, & valli comparabatur, accedit, impletque ſe, & redigit praua in directas, & aſpera in vias planas. Sibique tanquam ciuitati murum circumſtruit, ne ab hoſtibus diripiatur. Et tanquam vineæ, *Pſal. 79.* atque horto, & viridario maceriem circumponit, ne à prætereuntibus viam vindemietur: neue ab apro de ſilua, vt prior illa, quæ ex Aegypto tranſlata fuerat, diſſipetur. Oſtendit ergo quemadmodum euerſis dæmonum templis & eorum, qui vocabantur dij, nemoribus, & lucis, & fanis (id enim per montes Bethel innuitur: nam Bethel ſignificat domum Dei: falſo autem, cùm dij non ſint, dij tamen ab impijs appellantur) ad ſe venit. Ac nondum quidem in thalamum ipſius ingreſſus eſt: ſed ſtans poſt parietem reſpicit per feneſtras. Feneſtras autẽ ſenſus vocat. Per ſenſus enim tanquam per feneſtras in animam influunt, atque ex illis viciſſim effluunt tum ea, quæ bona ſunt, tum etiam contraria. Quamobrem Hieremias Propheta, *Hiere. 9.* Mors, inquit, aſcendit per feneſtras. Nam qui vidit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Atq; ita mors per feneſtras ingreditur. Et qui prauum ſermonem ſuſcipit, is per feneſtras mortem admittit. At ſponſa nunc decore ſponſi per feneſtras fruitur. Sed quærendum eſt, quo modo ſponſus per feneſtras, hoc eſt, per ſenſus noſtros reſpiciat. Cùm in lege domini meditantes die ac nocte diuinis ſermonibus oblectamur, & cũ animi compunctione, & ſcientia, quæ ſcripta ſunt, diligenter conſideramus, feneſtras aperimus, & ſponſi perſonam ſuſcipimus. Cùm autem alios diuinas ſcripturas interpretantes, ac de Deo diſſerentes, ſtudioſe audimus, per alias rurſum feneſtras ſponſus reſpicit, & propriam nobis oſtendit pulchritudinem. Non ſolas vero per feneſtras reſpicit, ſed etiam ex retibus deſpicit. Neque enim ſponſam ſuam dæmonũ *Pſal. 90.* inſidijs decipi permittit, & retibus comprehendi, ſed liberat eam de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Et in ipſis tentationibus proſpicit per retia, ac ſponſam recreat oppugnatã, & ſenſum ipſius dirigit. Idque tam in veteri, quàm in noua ſcriptura ab vniuerſorum Deo factum eſſe licet inuenire, vt ab ipſo homines pij omnem conſolationem acceperint. Cùm enim permiſiſſet, vt Sara raperetur à Pharaone, proſpexit per retia, & Abraham Patriarcham recreauit, retibuſque diſiectis prædam ipſi ſaluam atque integram reddidit. Capta iterum fuit ab Abimalech; & rurſum per retia proſpexit, & non ſolum prædam ſeruauit, verum etiam beneficio venatorem affecit. Idem & Iſaac præſtitit, & cùm eadem illi de Rebecca, quæ patri de Sara contigiſſent. Idem præſtitit & Iacob. Cùm enim ſocer eius, vt ipſum comprehenderet, atque ſpoliaret, ardenti animo perſequeretur, per retia ſe illis proſpicientem exhibuit, ac Iacob quidem bono fortique animo iuſsit eſſe, Laban vero deterruit. Cumque rurſus fratris aduentum formidaret, apparuit ei, metum abſterſit, audaciamque ſuggeſsit. Nec non & Ioſeph vendito, atque in ſeruitutẽ abducto, cùm in qua ſeruiebat domo, tum etiam in carcere præſto fuit, & vbique per retia proſpiciens ſemper illum conſolatus eſt. Atq; vt viros ſanctos, qui in medio interiecti ſunt, ſilentio præterea, ne longior ſim, eodem modo ex retibus deſpiciens ſanctiſsimum conſolatus eſt Danielem, cùm leonibus ad deuorandum obiectus eſſet. Eodem modo cum beatis illis pueris in horrendam illã fornacem coniectis ſimul ingreſſus eſt. Eodem modo ſanctis Apoſtolis à Iudeis in cuſtodiam detruſis fiduciam ſuppeditauit, iuſsitque, vt pietatis verbum audacter promulgarent. Eodem modo poſtea beatum Paulum comprehenſum & mortem expectantem confirmauit, confide, inquiens, Paule, quemadmo- *Actu. 23.* dum enim Hieroſolymis de me teſtificatus es, ſic te oportet & Romæ teſtificari. Hoc & ſponſa innuens, ait.

En ipſe ſtetit poſt parietem noſtrum, proſpiciens per feneſtras, deſpiciens è retibus.

Trium Patrum.

Quando capreæ & ceruo naturalis ea vis eſt, vt peſtiferas beſtias fugent: ecce inquit, ipſe ſtetit poſt parietem noſtrum. Paries noſter eſt natura creata, poſt quam ſtetit, qui creatus nõ eſt, ſed creator eſt omnium Deus verbum, vt rerũ principium, quę motum habent ad finẽ. Quanquam enim & prius eſt ipſe, vtpote initium & finis vniuerſorum, tamen quoniam ipſum ex fine nondum inuenimus: nondum enim in eo, qui finis eſt, ab omni motu conquieuimus: poſt ſtare dicitur: proſpiciens per feneſtras. Feneſtrę autem ſunt ea, quæ naturæ creatæ ab increato communicata ſunt: per quæ ipſe ad eam proſpicit, dum prouidentia ſua cuncta moderatur, nobiſque (niſi feneſtras has aduerſus eum motionibus animi naturæ contrarijs occludamus) proſpicit. Reſpiciens per retia, hoc eſt, inſpiciens per mutuam virtutum connexionem. Nam ſi feneſtras, quæ dictæ ſunt, habuerimus apertas illas quidem, ſed tamen ita mutuo virtutũ, retium inſtar, recte complicatarum contextu communitas, vt nulla ex volucribus, ex aereis nimirum ſpiritibus nullus furtim ingrediatur, atque reconditum in nobis diuinæ diſciplinæ ſemen corrumpat: reſpicit in nos per hæc retia, ipſarum virtutum eſſentia, ipſe videlicet, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vnigenitus eius filius & verbum.

Ecce hic ſtetit poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per retia.

Pſelli.

Ecce, inquit, verbum & ſponſus venit, demigrans ex Bethel è ſuperna domo. Nondum autem ſub tectũ introiuit: ſed foris ſtans poſt parietem, per feneſtras vult introſpicere. Tu autem mihi per parietem legem antiquam intellige, vmbram & errores hominibus inijcientẽ. per feneſtras vero, & retia, oracula Prophetarum. Nam ante diuini verbi incarnationem multi-

multifariam multiſque modis locutus eſt. Sed quid ſponſa deinde dicat, conſideremus.

Reſpondet nepos meus, & dicit mihi: ſurge, veni, propinqua mea, formoſa mea, columba mea.

Quoniam, inquit, venit verbum & ſponſus, qui Prophetis, tanquam feneſtris quibuſdam, vſus eſt, hoc primùm dixit introſpicite: Surge de lapſu erroris, & tenebris, & ad me puriter accede, & mihi propinqua efficere. Hęc, inquit, præteralia mihi dixit.

Ecce hiems tranſiit, imber abijt, receſsit ſibi: Flores apparuerunt in terra: tempus putationis aduenit.

Quoniam, inquit, naturam dęmonum, à quibus humana natura congelatur, & pigra, atque iners prorſus ad recte agendum redditur, profligauit: atque ideo hiems caritatis abceſsit, & grauis imber omnis abijt, ac defluxit: & iucundum veritatis exortum eſt ver: florere cœpit tellus, natura nempe humana. Tempus putationis iam venit. Legendi ſunt flores, ſi vis corallas ex floribus contexere. Hominum enim naturam, quam terram appellauit, idolis & fraudi ceruicem inclinans, nullam virtutum ſpeciem præbuit: (id enim flos ſignificat) acerbiſsima ac vehementiſsima hieme deceptionis in glaciem redacta, ac propemodum perdita. Quis enim ſe in tantis errorum tenebris, pietatis profeſsionem tueri, modeſtiam ſeruare, temperantiam amplecti, oſculari iuſtitiam vnquam ſperaſſet? At iam flores apparuerunt in terra noſtra. Surge igitur, & coronas tibi ex virtutibus texe. Ac florum teſtis minime reijciendus eſt ille præcurſor gratiæ, pœnitentiã, inquiens, agite: qui multos ex Hebræis baptizauit, cùm videret eos florentes in confeſsione. Huc enim ſpectant ea verba Canticorum,

Vox turturis audita eſt in terra noſtra.

Vox enim clamantis fuit præcurſor iſte, qui paſſeri, turturi, dexteræ comparatur.

Ficus protulit groſſos ſuos; vineæ florent: dederunt odorem.

Eundem hæc forte ſenſum habent cum ſuperioribus. Ficum enim rurſus intellige naturam humanam: groſſos inferiores virtutes: vites florentes, animas, quæ in recta viuendi ratione ac via progredi iam cœperunt.

Surge, veni propinqua mea, formoſa mea, columba mea.

Theodoreti.

Teſtimonio ſuo ſponſæ pulchritudinẽ ſponſus commendat: nec formoſam ſimpliciter eã vocat, ſed formoſam ſuam: vt doceat, eam ſibi admodum placere. Appellat autẽ ipſam & columbam, hoc nomine ſpiritus gratiã innuens. Nam ſub columbę ſpecie deſcendit ſuper eum ſpiritus ſanctus. Eos, porro, qui perfecti ſunt, ſpirituales vocare ſolit⁹ eſt beatus Paulus. Quã- *1. Cor. 3.* obrem ad imperfectos adhuc ſcribens, Et ego, inquit, fratres, non potui vobis loqui vt ſpiritalibus, ſed vt carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto. Perfectis autem ſcribit: Vos autem in *Roman 8.* carne non eſtis, ſed in ſpiritu. ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Merito inquit animam in virtute perfectam ſponſus columbam appellat, id eſt ſpiritalem & ſpiritu ſancto repletam. Et enim Eſaias propheta longe ante proſpiciens, & ſanctos Apoſtolos tanquam aligeros quoſdam vniuerſum orbem terrarum peruolantes, eorumque diſcipulos, & auditores, quaſi pullos quoſdam eos ſequentes, contemplans, magna voce clamat in hunc modum: Qui ſunt iſti, *Eſa. 6.* qui vt nubes volant; & quaſi columbæ cum pullis ſuis? Eodem modo ſponſus eccleſiã hic ſuam in tentationibus laborantẽ recreans atque conſolans, & ex feneſtris aſpiciens, retibuſque ſpectans hortatur, vt ſurgat, & ad ſe aduolet. Dedit enim ei columbæ illius pennas, de qua beatus Dauid, ſi dormiatis, inquit, inter *Pſal. 67.* medias ſortes, illic pennæ columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi eius in colore auri. Sortes appellat duo teſtamenta. Columbam autem ſpiritus ſancti gratiam, pennas habentẽ deargentatas, orationis ſcilicet ſplendorem. Poſteriora verò dorſi in pallore auri, hoc eſt, occultorum myſteriorum illuſtrationẽ. Quaſi dicat: ſi in medio duorum teſtamentorum conquieueritis, & ex vtroque perceperitis vtilitatem, varia illic ſpiritus ſancti dona reperietis. Sponſa igitur ſpiritalem accipiens admonitionem, dum in medio ſortium requieſcit, alas inuenit argento obductas, quibus iubetur ad ſponſum aduolare.

Ecce, inquit, hiems tranſiit: imber abijt, receſsit ſibi. flores viſi ſunt in terra: tempus ſectionis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos: vineæ florent: dederunt odorem.

His addamus, ſi placet, & verba Domini, quę ſunt in euangelio. Cùm enim turbam vndique ad ſe confluentem conſpexiſſet, ad ſanctos Apoſtolos, meſsis, inquit, multa, operarij autem pauci. Et alibi, iam, inquit, & qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Et rurſum, alius, inquit, eſt, qui ſeminat & alius qui metit. ego miſi vos metere. Hinc nobis perſpicuum fit illud: ecce hiems tranſijt. Tempus enim, quod præceſsit aduentum ſuum, hiemem vocat: ver autem, id, quod poſt aduentum eſt ſubſecutum, æſtatem vero, ſæculũ, quod expectatur. Ideo tranſijt, inquit, hiems, & imber: legis nimirum minæ, & graues peccatorum pœnę. Et receſsit ſibi. Cedit enim vmbra corpori: pædagogus ſapienti præceptori. Viſi ſunt flores in terra. Annotanda eſt verborum ſubtilitas. neque enim dixit, fructus, ſed flores. Abſoluta namque bonorum poſſeſsio dignis hominibus in futuro ſęculo reſeruatur. Qui dum hic ſunt, cum beato Paulo dicunt: Nunc video tanquam in ſpeculo, & tanquam in ænigmate: tunc autem facie ad faciẽ. Sed & tempus, inquit, ſectionis aduenit, vel (vt Symmachus & Aquila interpretati ſunt) putationis. Nam poſt Domini Chriſti aduentum hanc purgationem gentes conſecutæ ſunt vniuerſæ. Quapropter & Dominus, Ego, inquit, *Ioan. 15.* ſum vitis vera, vos autem palmites: pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum: & omnem, qui fert fructum, purgat eum, vt vberiorem fructum ferat.

ferat. Iccirco, tempus, inquit, putationis aduenit. Sed & vox turturis audita est in terra nostra. Vocem turturis rursum sacrosancti spiritus doctrinam vocat. Sic enim & beatus Dauid in eo Psalmo, qui, pro torcularibus, inscriptus est, loquitur. Cùm enim dixisset: Quàm dilecta sunt tabernacula tua, Domine, virtutũ: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini, Cor meum, & anima mea exultauerunt in Deum viuentem: explicat etiam exultationis causam, & ait: Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos: & ostendens, qui nam sint, subijcit: altaria tua, Domine virtutum. Docetque nos, eos esse pullos, qui regenerationem per baptisma sunt consecuti: Domum autem & nidum, diuina altaria, in quibus nutriuntur, & aluntur, & plumescunt, ac paulatim ad perfectionem perueniunt. Mater vero, à qua geniti sunt, est spiritus gratia, quæ per translationem turtur dicitur, propter volucris huius prudentiam, & solitudinis studium, & nidorum in vmbrosis arboribus constructionem. Vox igitur turturis, inquit sponsa, audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos, id est, præcocem fidei fructum, per quem & alter operum fructus firmus ac stabilis gignitur, & non decidit, sed maturescit, & iucundissimus euadit. Vitesque florent: dederunt odorem. Floruerunt, inquit, qui metaphorice dicuntur vites, & odoris effuderunt suauitatem.

Trium Patrum.

Cum igitur magistra anima ita se in erudiendis adolescentibus exercuisset, iam, quæ ipsa à sponso didicerit, narrat: respondet, inquiens, nepos meus, qui sermonem videlicet meum ad discipulas profert: respondet dilectus meus, & dicit mihi: surge, veni propinqua mea: docere desine quæ à me per naturalem scriptamq; legem mysteria ad me pertinentia didicisti. Ab ijs consurgens, tu, quæ propter perfectionem es propinqua mea; ad ea tradenda te confer, quæ ex lege constant spiritali, & his longe sunt excellentiora. Ego enim, qui sum natura immensus & infinitus, nullis vnquam rerum ex materia constantium terminis comprehendar. Itaque te semper oportet ad vlteriora contendere, formosa mea, columba mea. Formosa quidem mea, quatenus operibus, & præceptis exequendis mundata es, & decorata: columba vero, quatenus illustrata es donis Spiritus sancti. Surge autem, inquit, & veni: Quoniam ecce hiems transijt: quare trahens te ad summæ pulchritudinis communionem præcipio tibi, vt surgas, & à sublimibus contemplationibus ad sublimiores exciteris. Quandoquidẽ perturbationes quæ tanquam hiemis tempestates animam affligunt, & ab itinere prohibent spirituali, sublatæ sunt. Imber abijt, recessit sibi. Vehemens hæresium, à quibus vexabaris, procella desijt, cùm mutuo inter se conflictu oppressæ conciderint. Visi sunt flores in terra: Virtutes, quæ tanquam varij atque odorati flores animam exornant, in carne, dum rectis actionibus & operibus excoluntur, floruerunt. Hæc aut facta sunt, quoniam tempus putationis aduenit: quod quidem tempus est Christi aduentus in carne. Non enim, inquit ipse in Euangelijs, veni mittere pacem, sed gladiũ. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum: & filiam aduersus matrem suã, & sponsam aduersus socrum suam. Amputantur enim per fidem & virtutem isti noui, à spiritu renouante, ab ijs, qui in infidelitate & malitia inueterati sunt. Quamobrem aduentus sui in carne testimoniũ afferens, vox, inquit, turturis audita est in terra nostra. Turturem nominat aduentus sui Prophetam & præcursorem, vtpote solitarium, & pudicum, cuius vox est pœnitentiæ prædicatio, quæ in quibusdam eorum, qui carnales sunt, & terrena sapiunt, audita est, cùm illi prædicationi paruerint, & baptismate pœnitentiæ baptizati sint. Itaque & ficus, inquit, protulit grossos suos. Ficum illã intelligit, cui postea Christus, quia fructum nõ tulerat, maledixit, nempe synagogam Iudæorum; quæ quidem tanquam grossos, qui ante fructum perfectum nascuntur, sed celeriter decidunt, eos protulit, qui Ioannis baptismate baptizati sunt. Hi namq; fructum præ se tulerunt, per baptisma in aqua sola, figuram baptismatis in Spiritu sancto & igne præmonstrantes, ad quod tamen ipsi non peruenerunt, quippe, qui Ioannis testimonio de Christo non credentes, à fide in Christum exciderunt. Vineæ nostrę florent, dederunt odorem. Vineas vocat ecclesias credentium Christo, quæ per ipsius prædicationem in gentibus plantatæ sunt: quarum ecclesiarum flores, fructum ex ipsis per virtutem futurum prænunciantes, exiterunt Magi, qui munera Christo ab orientis partibus aduehentes, ei vt regi, & Deo, & propter nos mortali, aurum, & thus, & myrrham obtulerunt: suauę gentium fidei in ipsum Christum odorem exhibentes ijs, qui à Spiritu sancto scientiæ donũ sunt consecuti. Propterea dicit: surge, veni propinqua mea, formosa mea, columba mea. Recede videlicet ab ea docendi ratione, quæ in figuris & vmbris tum naturæ, tum litteræ continetur. Et veni ad ea docenda, quæ spiritus sunt, propter tuã ad me propinquitatem Spiritus sancti muneribus decorata. A me enim longius quodammodo recedis, dum in figuris descendis ad discipulas erudiendas, eisque nondum ea, quæ spiritus sunt, percipientibus, sensu pulchra videris, nõ spiritu. Deinde exposita causa, cur ei, vt ad se veniret, præcepisset; aduenisse enim tempus aduentus sui in carne: quamobrem dicebat etiam discipulis suis: surgite, eamus hinc: quanta cum fiducia venire ad se debeat, non declarauit. Quocirca nunc etiam illud exponit.

Et veni tu columba mea in tegmine petræ.

Quando te discipulæ non sequuntur, per res sensibiles docentem ea, quæ spiritus sunt; veni tu spiritalis, mea, qui sum immutabilis, euangelica doctrina seruata, sic, vt non abhorreat à præceptorum legis scriptæ obseruatione. Lex enim scripta instar propugnaculi ab actionum vitijs præmuniebat, & figuras duntaxat veritatis

tis ostendebat: quibus ordine ad perfectionem ita tendebatur, vt actionis quidem vitiorum purgationem, ipsarum etiam cogitationum improbarum ablutio: figurarum autem contemplationem spiritalis ad veritatem prouectio sequeretur. Quæ quidem docet lex spiritus; Euangelium videlicet, in quo tegemur à spiritali petra, qui, vt diuus ait Apostolus, Christus est. Sic igitur sponsam vocans, quid deinceps velit, ostendit: nimirum, vt vmbræ doctrina relicta, in spiritu & veritate ad se veniat.

Ostende mihi faciem tuam.

Tuam illam, secundum imaginem meam & similitudinem, retege faciem ac formam spiritalem, quam vt rudes discipulæ possent aspicere, figuris veritatis & velis contexisti.

Sonet vox tua in auribus meis.

Dum mecum spiritaliter versaris. Vocem enim magistræ animæ spiritus quidem ducit ad aures domini: verba autem & litteram, quibus simplex in spiritu sermo concrescit compositus, perfert ad aures discentium.

Vox enim tua dulcis.

Dulcis profecto, cùm ea pronunciet, quæ ad spiritum pertinent.

Et facies tua decora.

Quippe quæ domini formam seruat, & manibus spiritus est exornata.

Theodoreti.

Surge igitur, veni propinqua mea, in tegmine petræ.

Vocat autem ipsam sub petræ tegumentũ, ne iterum nigra fiat. Petram appellat fidei pietatem, veritatis professionem. Domino enim ex discipulis quærenti, quem se filium hominis esse homines dicerent, tu es, inquit beatus Petrus, Christus filius Dei viuentis. Cui dominus respondit, amen amen, inquiens, dico tibi tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Vult etiam illam à præsenti vita remotam esse. Quamobrem & beatus Paulus ad Hebræos scribens, Exeamus igitur ad eum, inquit, extra castra, improperium eius portantes: Vult illam considerare non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quę autem non videntur, æterna. Itaque hortatur eam, vt sit iuxta propugnaculum. Quasi dicat: Mortifica membra tua, quæ sunt super terram. Ea, quæ sunt à carne remotissima, in corpore meditare. Inter perturbationes præsta te à perturbationibus vacuam. Extra præsentem ciuitatem, eiusque muros consistas. Nisi enim iuxta propugnaculum extiteris, consuetudine mea frui non poteris. Nisi cum Paulo clamaueris: In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nemo enim militans implicat se negotijs huius vitæ, vt ei placeat, qui se elegit. Nisi in medio præsentium & futurorum constiteris (id enim arbitror per propugnaculũ significari) nuptiæ inter nos esse non poterunt. Te vero illuc profectam rogo, ostendas mihi faciem tuam. Decoram tu mentem habes, nullis huius vitæ sollicitudinibus contaminatam. Illic aueo vocem tuam exaudire, pura enim est ipsa quoque ab omni adulatione aliena. Tunc erit mihi vox tua dulcis, & facies tua decora. Meam enim in te tanquam in speculo pulchritudinem agnosco: & vocem tuam meis sermonibus ornatam audio.

Matth. 16.

Heb. 13.

2. Cor. 4.

2. Cor. 10.

Pselli.

Surge, veni propinqua mea, formosa mea, columba mea.

Huiusce sermonis significationes sæpe diximus: verba quæ deinceps sequuntur, interpretemur. O virgo, inquit, anima purissima, surge de lapsu, & huc veni, alacriter tamen, & nulla coacta necessitate, sed volens ac lubens. Non inuita, inquam, sed vltro veni. Sic enim, omnino ad me accedes, petram vtique Christum vitæ sempiternæ. A propugnaculo, à veteri lege, quæ petræ coniuncta est, transcendens. Venit enim vere, hoc est, appropinquat ad petræ propugnaculum. Et dilige etiam modum. Propugnaculum autem sane dicitur antiqua lex: petra vero solida nouum testamentũ. Ac quamuis videantur inter se distare lex Mosaica, & Euangelium, virtute tamen consonant atque inter se congruunt. Quid enim his præceptis potest esse coniunctius? Antiqua lex vetat adulterium: Euangelium amputat cupiditatem. Illa, vt à cæde abstineas, iubet: hoc prohibet, ne prorsus irascaris. Quòd si quæris & oues, & sabbata, & pascha; quæ illic secundum carnem; hic secundum spiritum, si attenderis, inuenies. Lapis enim spiritalis, non autem terrenus, est paries. Sed, quæ sequuntur verba, iam audiamus. Sponsa enim respondet sponso.

Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Ne mecum amplius, ô sponse formose, per libros quosdam propheticos & legales colloquare: sed tanquam mihi videre te liceat, & vocem tuã audire, sonet vox tua in auribus meis, ostende mihi faciem tuam. Nam si vox tua nobis iucundissima fuit atque dulcissima; si vultus tuus pulcherrimus visus est & maxime decorus; cum vox tua per Prophetas insonaret; & formam tuam tanquã in speculo cerneremus: quanta nam erit præsentiæ tuæ pulchritudo? quanta vocis ipsius dulcedo, quæ sine vllo medio exaudietur? Sponsæ preces audiuit sponsus, qui vt seipsum coram magis conspicuum præbeat, venatores ad prædam excitat, dicens.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: & vineæ nostræ florent.

O imperium verbi terribile ac formidandũ: ô virtutem omnipotentem: ô robur incredibile. Venatoribus enim præcepit, vt vulpeculas quasdam paruulas captu difficillimas perquisitigent, comprehendant, superent, vinciant. Totam nimirum desertricem dæmonum potestatem: draconum illum maximum: illum rebellem natura, qui non aliter in nos, quàm leo in greges desæuit, mundi principis sathan, principem tenebrarum, infernum tenebrosas fauces

suas

suas aperientem, habentem ac ferentem mortis imperium, qui se passeris nidum, orbem scilicet vniuersum, tanquam oua putrida atque abiecta cepisse, & diripuisse gloriatur. qui terrę montes, & mare euersurum, & in nubibus sedem collocaturum se iactitat: cuius quidem latera sunt ænea, & dorsum ferreum, viscera autem smyrites lapis: serpentem ipsum grauem, illum senem, ingentem illum, & totam eius hostilem manum, virus vero potentiæ tanquam vulpeculas paruas & natura fraudulentas appellat. Comprehendite, inquit, mihi paruas vulpes, quæ animas humanas demoliuntur. Has enim solas vineas vocat.

Theodoreti.

Sponsus his verbis sponsam allocutus, ministris suis iubet ad hunc modum.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.

Interpretes quidē illud: paruulas: ad vineas retulerunt. Sed nihil interest, hoc, an illo modo intelligatur. Vulpes appellat eos, qui animo imbuti fraudulento ecclesias domini, quę modo florere incipiunt, corrumpunt & vastant. Ideo subijcit: Et vineæ nostræ florent. Per vulpeculas autem hæreticos innuit, qui animas oppugnant ecclesiasticas, & dolis ac fraudibus eos decipere conantur, qui nondū in fide sunt confirmati. Isti enim orationis suauitate, & laqueis ac retibus argumentorum simpliciores decipientes, vineas demoliuntur. Quamobrē præcipit ijs, qui docendi gratiam & munus sunt consecuti, vt hæreticos persequantur, & veris argumentis conuincant, atque ita vineas floreſcentes ab ipsorum peste tutas integrasque conseruent.

Trium Patrum.

Cum autem ad sponsi mandatum magistræ animæ ipsi præsto essent, & cum eo ex doctrina ipsius versarentur, ad eas hęc verba facit: capite nobis vulpes paruulas: obseruantia præceptorum, simul cum vitiorum motionibus astutissimos ipsorum auctores spiritus cohibete: qui paruuli videntur adhuc, cum ipsæ motiones nondum in actum processerint. Nobis autem, dixit, propter finem propositum, qui in illis erudiendis expletur. Quæ demoliuntur vineas. Id est, animas euertunt, quæ per fidem in me sunt plantatæ. Et vineæ nostræ florent: Animæ diligenter à nobis ad salutem institutæ iam florent secundum virtutem, fallacissimis vt dictum est spiritibus profligatis.

Theodoreti.

His auditis sponsa statim dicit.

Nepos meus mihi, & ego illi.

Sicut enim ipse me omnibus prętulit, sic ipsum ego omnibus antepono. cum alio coniungi non patior. Ab istis, qui vulpes & fraudulenti vocantur, abhorreo. Absurdum enim est, me quę tantopere dilecta atque ornata sum, amanti in amore pro viribus non respondere. His simile videtur id, quod à beato Paulo ad Corinthios scriptū est: corpus autem non fornicationi, sed domino: & dominus corpori. Simile rursus est illud, quod ab eodem dictum est: sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Quinętiā omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Eiusdem generis est etiam illud: cum Christo crucifixus sum. Viuo autem non amplius ego: viuit autem in me Christus. tale id quoque: Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an persecutio? an nuditas? an periculum? an gladius? & quæ sequuntur. Eiusmodi & illud est, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Christi, per quē mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. His congruere videntur ea, quæ dicuntur à sponsa. Nepos meus mihi, & ego illi. Quis autem hic sit, & quid agat, & vbi, & quando, & quamdiu declarat. 1. Cor. 6. Philip. 3.

Qui pascit, inquiens, inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.

Animaduertendum est, sponsum primo se ipsum, quantum ad humanitatem pertinet, lilium appellasse. Ego, inquit, flos campi: lilium conuallium. Deinde ipsam, sponsam. Sicut lilium enim, inquit, inter spinas, sic propinqua mea inter filias. Hic vero & herbam ipsam lilia vocat. Qui pascit, inquiens, inter lilia. Quasi dicat: ipse quoque pastus, qui ouibus suppeditatur, plenus est suauitate. Et hoc quidem modo intelligendum est secundum Septuaginta. Symmachus vero sic interpretatur: Pascentes, flores: vt ipsi videlicet, qui pascunt, sint flores, quæ lilia nuncupauit. Donec aspiret dies & inclinentur vmbrę. Vmbras autem vocat res humanas. Quare beatus etiā Dauid, sicut vmbra, inquit, cùm declinat, ablatus sum. Et rursum: Dies mei sicut vmbra declinauerunt. Et strenuus Iob, vmbra enim est, inquit, vita hominis super terram. Nihil enim firmum, nihil stabile, nihil constans, nihil perpetuū, ac vere existens habent ea, quæ iucunda videntur in hac vita. Non diuitiæ, non gloria, non imperium, non corporis valetudo, non forma, non denique aliud quidquam, sed inania sunt, & tanquā vmbræ dissoluuntur. Sponsus ergo nos pascit, donec ardor diei prætereat, & ros salutis aspiret, & moueantur vmbræ, & futura, quæ stabilem ac perpetuam naturam habent, appareant. verum quia tanquam vna, sunt animæ perfectæ, & Christo desponsatæ, singulariter ipsi respondentes, dicunt: Nepos meus mihi, & ego illi. Dilectus meus mihi secundum imaginem cernitur, & ego illi viuo, non autem mihi, vt magnus ait apostolus. Qui pascit in lilijs. Qui per sancta sua præcepta, in animab⁹ illis quæ magistræ sunt, nec sollicitudinibus istius vitæ suffocantur, oues oratione prēditas regit, eos nimirum, qui per ipsas instituuntur. Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Quod lucidissimus ille rerum futurarum dies ab omni vmbra remotissimus adsit: & res præsentes, quæ illarū sunt vmbrę, per transeant. Quo quidem die gregem suum pastor ille formosus in æternarum sediū quiete collocabit. Psal. 108. Psal. 101.

Psel-

Pselli.

Sed videamus, quid dicat etiam sponsa & virgo.

Nepos meus mihi & ego illi.

Verum morose deinceps sponso loquitur. Qui pascit inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere. Similis esto tu nepos mi, capreæ hinnuloue ceruorum super montes conuallium. O pulcherrime pastor ouium, quæ mente sunt præditæ; inquit sponsa ad ipsum verbum & sponsum; qui oues tuas virtutibus, vt lilijs, pascis, rursus te capreæ, aut ceruorum hinnulo similem præbe, vt paulo ante super vallium montes saliebas: atque omnem potentiam aduersantem euerte, & colles nimis elatos exæqua. Sic enim cursibus tuis omnis vallis implebitur; & omnis malitiæ collis humiliabitur: & omnes impietatis vmbræ discutientur: & dies salutis mortalibus aspirabit.

Theodoreti.

Reuertere, assimilare, tu nepos mi, capreæ, aut hinnulo ceruorum super montes conuallium.

Hic autem sponsum hortatur, vt superioribus animalibus similis, conscendat montes in vallibus sitos, cupiens omnes ipsius præsentia frui. Montes autem conuallium hic vocat, eos, qui in medio subiectorum atq; humiliū quorundam mente sunt elata, & sublimi sensu vtuntur. Et orat, vt ipsi quoque sponsi præsentia perfruantur. Quod quidem sponsus precibus sponsæ adductus fecit.

Trium Patrum.

Reuertere, assimilare, tu nepos mi, capreæ, hinnuloue ceruorum super montes conuallium.

Spiritales feras, animarum corruptrices, quæ contra nos sæuiunt, & serpentium more vitiorum virus in nos effundunt, repelle. Et propterea tu dilecte mi, qui Dei & patris vnius atque eiusdem essentiæ virtus es, te animantibus illis similem exhibe, qui venenosas feras insectantur, vt procul à nobis improbissimos spiritus auertas. Te, inquam, illis similem præsta, veniens in magistras animas, quæ inter discipulas perturbationum fluctibus depressas, montium instar excellunt: vt ipsarum opera propellas & fuges bestias illas pestiferas, quæ naturalem rudium animarum æquabilitatem excauant, in eisque sibi latebras constituunt. Atque ita pristinam illis virtutum æquabilitatem redde.

Theodoreti.

Sponsa igitur sola relicta angitur & cruciatur, & sollicitudinem suam adolescentulis narrat.

In lectulo meo quæsiui per noctem, quem diligit anima mea: quæsiui, & non inueni. Vocaui eum, & non audiuit me. Surgam iam, & circuibo in ciuitate per vicos & plateas, & quæram, quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni: vocaui eum, & non audiuit me.

Sæpenumero piorum animas exercens Deus vniuersorum, permittit eas in varias tentationes incidere. Et flagitantibus, vt liberentur, modo affert, modo differt auxilium, vtilitatem dilectis suis vndiq; cōparans. Tale & illud est, quod cecinit Dauid: Quousq; domine, obliuisceris me in finem? Quousque auertis faciem tuam à me? Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorē in corde meo per diem & noctem? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Sæpe enim, vt par est, supplicans, & molestiarū finem implorans, nō obtinuit, quod obsecrabat. Quamobrem gemens, &, quòd sibi optata non cōtigerint, dolēs huiusmodi verbis vtitur. Beatus item Paulus, Et ne magnitudo, inquit, reuelationū extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter dominum rogaui. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur. Rogat Paulus, & non impetrat. Sic enim illi magis expediebat. Itaq; discens, quod nescirebat, lætatur, se id, quod petierat, nō accepisse, & clara voce, libēter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Elias quoque cùm Iezabel minas admodū formidaret, in solitudinem aufugit, quærens adiutorem. At sapiens piorum magister, & remunerator apparet ei, & tanquam ignarus, fugæ causam exquirit, non illudens, sed docens eum, cur ipsum fugere permisisset, monensq;, cùm homo esset, & humanis affectionibus tangeretur, vt humanitatem & clementiam coleret. Psal. 12. 2. Cor. 12.

Sed tempus est, vt ad propositum reuertamur. Hic enim sponsa spōsō paulisper absente, quærit eū quidem in lectulo, idq; non die, sed nocte: verum nō inuenit quiescentem, quamuis ipsum non solum quærat, sed etiam vocet. Surgit autem, & circuit ciuitatem, fora, plateas. Desiderium enim vrgebat, nec manere domi sinebat eam amoris flamma. Incidit autē in eos qui ciuitatem custodiunt, atque illos percontatur.

Inuenerunt me custodientes, & circumeuntes in ciuitate. Vidistisne, quem diligit anima mea? paululum cùm pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.

Ipsius per actionem est beneficentia, & per essentiam immutabilitas. Cur autem, cùm natura beneficus sit, & immutabilis, eum inuenire non potuit? Quantumuis enim bonum & veritatem propterea vocauerim ipsum, non audiuit me. Excellit profecto super hæc. Nam eius nomen est super omne nomen. Atque ipsa quidem dilectum meum, vt dixi, inuenire nondum potui. At sanctiangeli inuenerunt me, custodientes, & circumeuntes in ciuitate. Inuenerunt autem me, dum per actioné purgant, & per contēplationem illustrant me, quæ malitia atq; ignorantia perieram, & spirituum improbitatis discipula quondā extiteram, atq; ideo à bonis his angelis, vt erudirer, nō inuenie bar, qui obseruant, vt laudent, vel coarguant in formidoloso die iudicij, tam manifestas, quàm

occultas motiones meas, & omnes cogitationes, & opera. Ac ne quid horum relinquant inexploratum, circumeunt me, suum in me, tanquam in aliqua ciuitate, circumuagandi munus exequentes. Ad hos igitur ego, cum inuenissent me, num, inquam, quem diligit anima mea, conspexistis? Is ne, cuius ego cõprehendendi teneor desiderio, nec tamen eũ assequi valeo: vos, qui choris & tripudijs vestris illum, vt spiritus eius ministri, comitamini, perspexistis, quo modo natura se habeat: vt eam me quoque doceatis? Cæterum, quia ne à sanctis quidẽ angelis spõsus natura comprehendi potest: atq; ideo quærenti mihi minime responderũt, silentio ipso declarãtes, eum ne à se quidẽ, vt increatũ à creatis percipi posse: properea ab illis discessi, quæ desiderabam, inquirens. Cõmodum ab ipsis recesseram: cum reperi, quem diligit anima mea: tenui eũ. Paululum concesseram à rebus procreatis, mente pertranſiens ipsam quoq; naturã angelicam, vt increatum dilectũ meum, de me optime meritum inuenirẽ, cùm illũ fide sola cõprehendi: cùm res omnes percurrissem, & ab ipsa essem experientia cõfirmata, eum, qui rerum est omnium causa, rebus omnibus antecellere: neq; in vlla natura vel sensibili, vel intelligibili per essentiã perspici posse, cùm supersubstantialis sit. Sic igitur omnia, quæ sunt, trãsij, studẽs, in domum meã optatissimum mihi sponsum introducere. Et nõ dimisi eum, donec introduxi in domum matris meæ, & in cubiculum eius, quæ cõcepit me: Ergo nõ destiti quærere dilectum meum, donec illũ introduxi in mentẽ, quæ domus quidem est, tanquam matris, rerũ omnium causæ, Dei sapiẽtiæ. Mens enim, huius sapientiæ capax, est veluti domiciliũ propter similitudinẽ: & cubile rursus ipsius, quia arcanos eius thesauros propter imaginem in se recondi tos seruat. Hæc me sapientia cõcepit, quippe quæ ante mundi constitutionem, quàm optimam in me habuit volũtatem. Quamobrem & propter me naturam (hoc autem totũ est) omnino suscepit humanã. in lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. Quæsiui illũ & non inueni. Et cùm paululũ pertransisset eos, reperisse se dicit illum, nec dimisisse, donec introduceret in domum matris suæ, & in cubiculũ eius, à qua concepta erat. Ciuitatem vocat domum Dei, quã ecclesiam appellamus: Fora, & plateas, diuinas scripturas: Custodes ciuitatis, sanctos prophetas, & sacros apostolos, quos percontatur, & interrogat anima pia diuinum verbum desiderans. Post quos inuenit sponsum ministris & comitibus quibusdam constipatum: comprehensumq; tenet, nec dimittere vult, donec in domum matris suæ, & incubiculum eius, à qua concepta est, introducat eum. Porro piorum matrem cœlestem esse Hierusalem non ignoramus: de qua beatus Paulus, quæ autem sursum est, inquit, Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrorum. Sponsa igitur, se sponsum inuentum dimissurum negat, priusquam in thalamum & cubiculum instructum simul ingrediantur.

Gal. 4.

Trium Patrum.

Hæc igitur magistra cùm de discipulis sponso disseruisset, ad eas mox sermonem cõuertit, & quæ ad se ipsam pertinent, exponit, atque ita studet eas instituere. In lectulo, inquit, meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea. In carne videlicet mea, in qua propter voluptatẽ per noctes ignorantiæ videbar conquiescere. Quæsiui, quod vere bonum est, (is aũt dilectus est sponsus meus) inuenire. Sed ipse propter causam, quam commemoraui, quia nimirum nox me miseram occupabat, non agnoui. Illuminationũ enim esse delicias arbitrabar. Quæsiui illum, & non inueni. Vocaui eum, & non audiuit me. Quæsiui scilicet ipsum in carnis voluptatibus, & non inueni. Nam carnis voluptati naturaliter coniunctus est dolor. Corruptionis enim, quæ quidem est dolor, voluptas quæ sensu percipitur, est causa. Quapropter experimento didici dilectum meum abesse à carnis voluptate: in qua cùm illũ vocassem, vt citrà molestiam oblectaret, nõ audiuit me. Itaq; sic hæsitabũda locuta sum: surgã & circuibo in ciuitate in foris, & plateis, & quæram, quem diligit anima mea. Exurgam ab habitu carnali, & contemplabor primum, atq; ita faciam. tum per experientiam perfectius contemplabor. Et tanquam à contemplatione incipiens, atq; in eandem desinẽs, circuibo in me ipsa per actionem quidem, veluti in foris alicuius ciuitatis: labores quasi argentũ probatum impendens, & virtutes cõparans: per contemplationẽ autem, tanquã in plateis, percurrens in naturalibus rerũ speculationibus, & variã illarum scientiam colligens, atq; ita, quem desidero, conabor inuenire. Vocaui eum, & non audiuit me. Per actionẽ nimirum & cõtemplationem quæsiui illum imitando. Vocaui eum, & nõ audiuit me.

Pselli.

Tua profecto natura, Christe, cõprehendi nequit. Ego in lectulo progressionis meæ, qua valde profecerã, me conquieturam sperabam, vtpote quæ iam ad perfectionis fastigium peruenissem: sed posteaquam ad diuinorum mysteriorum noctem accessi, ardenti studio verbum & spõsum quærens, illic eum nullo modo cõspicuũ inueni. Cumq; rursus illũ vocassem, non respondit mihi. Quàm vere sponsa sollicitudinem exaggerat suam. Nulla enim anima, licet ad angelorũ perfectionem accedat, & ad rerum penitus arcanarum cognitionem perueniat, se diuinam essentiam inspecturam speret. Quando igitur spõsum, quem quæsierat, non inuenit, audiamus, quid ipsa velit. Sic enim ait:

Surgã iam, & circuibo in ciuitate, in foris & plateis: & quæram quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni. Vocaui eum, & non audiuit me.

Exurgam, inquit, & perquiram illum. Naturam, quæ mũdo continetur, vniuersam perueſtigabo. Hanc ciuitatem appellat hoc loco, quemadmodum & per plateas intelligit cœtus angelorum. Ad illius igitur, inquit, inuestigationem me cõtuli. Atq; hoc proposito & consilio

filio naturas angelorum omnes magno labore exploraui, sperans me illum in angelis assecuturam. Verum cum ipsum inter angelos perscrutarer, vt quis, qualisque esset, vnde principium haberet, & quo fine concluderetur, intelligerem, custodes supremæ ciuitatis Sion me peruagantem, atque inquirentem conspexerunt. Sic enim narrationem persequitur suam: Inuenerunt me custodes, qui obeunt ciuitatem. Tum, inquit, percontata sum illos;

Num, quem diligit anima mea, vidistis?

Sperabam enim profecto verbum & sponsum meum in angelis saltem intelligi & cõprehendi posse. Verum, cùm & hos animaduerterem nihil scire: ab eis hæsitans, inquit, recessi. Ab angelis autem haud ita procul cõcesseram, cùm inueni, quem diligit anima mea. Vt paululum, inquit, ab angelis pertransij; per fidem intelligens, Christum omnipotentem, & verbum Deum atq; hominem nulla ratione comprehendi posse, inueni ipsum in ijs, quæ ingenij rationisque vim atque intelligentiam omnem superant. Diuina enim verbi ac sponsi natura eo tantum, quo non posse comprehẽdi cognoscitur, fit comprehensibilis. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum illius, quæ me concepit. Quoniam incomprehensum, inquit, illum inueni, intus eum tenui, & in medio cordis, patrique cœternum esse cognoui. Nos enim domus, & templa, & cubicula sumus Spiritus sancti, vt Paulus ait, qui & genuit nos, & nutrit, quemadmodum ipse nouit.

Theodoreti.

Hæc cùm ad adolescentulas dixerit, eas ad idem rursus desiderium incitat, adiuro, inquiens, vos, filiæ Hierusalem, per virtutes & fortitudines agri, vt suscitetis & excitetis caritatem, donec velit. Hæc quidem huiusce sermonis initio sunt explicata. Bis enim illis affert hoc iusiurandum, vt sponsi amore eas inflammet. Quæ cum dixisset sponsa, incredibilemq; ex sponsi complexu pulchritudinem hausisset, diuinæ virtutis admiratione plenæ,

Quæ est, inquiunt, ista, quæ ascendit è deserto, sicut virgula fumi redolens myrrham, & thus, ex vniuersis pulueribus vnguentarij?

Quemadmodum enim sponsum cõspicientes post diaboli fragẽ mortisq; dissolutionem in cœlũ redeuntem, admirãtur, & dicunt: Quis est iste rex gloriæ? audiuntq;: Dominus fortis, & potens, dominus potens in prælio. Ex quo clarius intelligant, rursus quærũt: Quis est iste rex gloriæ? rursumq; audiunt: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ: ita hic sponsæ pulchritudinẽ suspicientes, quæ est, inquiunt, ista, quæ ascendit de deserto? Desertũ appellãt hominũ naturam ob priorem impietatem. Quapropter Esaias etiam clamat: Lætare desertum sitiens. Exultet solitudo, & floreat sicut liliũ. Ac quem admodum hic obstupescũt quòd tanta ex deserto pulchritudo germinarit: sic admirantur in Esaiæ prophetia, sponsum aspicẽtes, Quis est, inquiunt, iste qui venit de Edon? rubor vestium eius de Bosor. Significat autem Edom terram: Bosor autem carnem. Et eius decorem cum stupore contuentes exclamant: iste formosus in stola sua, qui vi incedit cum fortitudine. Quare tua rubra sunt vestimenta tanquam ex calcato torculari pleno conculcata? Et dicunt, & in corpore existens splendet. Stolam corpus appellarunt. Et violentam habet pulchritudinem, quæ vniuersos cogit intuentes. Ita mirantur hoc loco, non solum quod pulchra sit sponsa, verum etiam, quòd ascendat è deserto, id est, ex profundo in sublime gradiatur, ex humilibus ad excelsa incedat. Et similis, inquit, videtur virgulæ fumi incensæ. Obscura sane compositio. Dum enim Hebræorum linguæ deseruiunt Septuaginta interpretes, sententiam non explicarunt. At Aquila, & Symmachus sensum nobis perspicuum reddiderunt, dicentes: sicut similitudo fumi ex suffimento. Imitatur autem & virgulam sæpe suffimenti fumus in aere veluti expressus. Nec immerito ipsam fumo suffimenti similem dicunt, quæ, vt beatus ait Paulus, membra sua constituit hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, quæq; sacrificat assidue laudis hostiam, & membra sua, quæ sunt super terram, mortificat, & Christo coniuncta est, & offert se ipsam holocaustum Deo. Declarant aũt cuinam ipsam suffitionis fumo cõpararint. myrrhã & thus ex vniuersis pulueribus vnguentarij. Thus Deo tribui ex lege Mosaica facile intelligitur: nam myrrha condiuntur corpora defunctorum. Quamobrem qui sponsæ pulchritudinem admirantur, eam his nominibus indicant, odoris suauitate flagrantem, quia & humanitatem & diuinitatem adorat, sponsiq; tum mortem credit, tum essentiam sempiternam confitetur. Itaque ex vniuersis pulueribus vnguentarij myrrhã ipsius, & thus admirantur. Habet enim etiam alias virtutes ex diuina scriptura tanquam ex aromatarij officina depromptas. Sed in ea tamen excellit myrrha & thus, hoc est, sponsi diuinitatis humanitatisque cognitio.

Esa. 35.

Pselli.

Sed præstantiorem sponsa progressum assecuta, rursus amicos vrget his verbis:

Adiuraui vos filiæ Hierusalem per virtutes, & fortitudines agri, vt suscitetis & excitetis caritatem, donec voluerit.

Hæc iam explanauimus; quare pergamus ad reliqua.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi redolens myrrham, & thus ex vniuersis pulueribus vnguentarij?

Hęc amici inter se colloquũtur: quę quidẽ eo spectant, quòd cũ antèa sponsa virtutibus his, nẽpe fide, mansuetudine, iustitia decorata fuerit; mox aũt ad alios virtutũ habitus ascenderit, ieiunij nimirũ, vigilię, orationis perpetuæ, atq; asperæ humi dormitionis: spõsę profectu stupentes, & tanquã ignari, de illa inter se con-

quirentes, quænam eſt, inquiunt, iſta, quæ de ſolitudine in cœlos aſcendit, veluti virgula fumi, odorem redolens myrrhæ & thuris eximij? Omnis enim anima, quæ ſtudet eſſe thus, & iucundus odor regi vniuerſorum, neceſſe eſt, vt prius mortificet omnia membra ſua, atque ita myrrha fiat cum Chriſto commortua, alioqui thus domino fieri nunquam poterit.

Trium Patrum.

Cum igitur has meas aſſenſiones perfectiſſimas explicarim: Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, per virtutes, & fortitudines agri, vt ſuſcitetis, atque excitetis caritatem, donec velit. Quaſi dicat: quemadmodum adiuraui vos per minas & promiſsiones: eodem modo vos rurſum adiuro per eorũ, quæ ad me pertinent, expoſitionem, exemplo meo tanquam iureiurando vos obſtringens, atque confirmans, vt perpetuo curſu ad Deum contendatis, quoad diuina præſentia ſua nobis immutabilitatem largiatur. At ipſæ admiratione plenæ, atque inter ſe de ſponſa quæ diſſeruerat colloquentes, Quænam eſt, inquiunt, iſta, quæ aſcendit de deſerto, ſicut virgula fumi? Quæ ex habitu à perturbationibus remoto, per virtutem, & ſcientiam ad Deum ſublata conſcendit, velut ſurculus fumi, qui ab igne ſiluam depaſcente leuis in aera tollitur? Sic enim omnis quoque anima ſpiritu ſuccenſa per actionem quidem carnis craſsitudinem, per contemplationem autem rerum ſpecies extenuans: probis tum moribus, tum ſermonibus leuis ad Deum fertur, nec terreno pondere deprimitur. Hac ratione myrrham, & thus ex aromatibus, atque vniuerſo puluere pigmentarij redolens, ad cœleſtem ſponſum prouehitur. Virtute igitur quaſi myrrha, cùm carnis ſenſum mortificauerit, fragrat: ſcientia vero quaſi thure, tanquã veritatis notis, ſe ipſam diuinam imaginem oſtendit. Ita rerum naturas pertranſiens ſuauiter olet, ad earumque tendit auctorem: ex quibus inſtar pulueris earum rationes & modi excitantur ei; attenuante his veritatis ſemitis exploratricibus, accurato ſermone, qui totum hoc tanquam in igne ſpiritus excoquit.

Theodoreti.

Ad hunc modum ſponſæ pulchritudinem admirati, ſponſi diuitias illi declarant. En lectulus Salomonis, ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi. Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur eius à timore in noctibus. In primis quærendum eſt, cur Salomonem ſponſum appellent. Salomon pacificum ſonat. Idque in Paralipomenon libris licet inuenire. Deus enim, cùm vellet Dauid templum ædificare, ecce, inquit, filius naſcetur tibi. Hic erit vir quietiſsimus, & faciam eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum. Quia Salomon nomen eius. Et pacem & otium dabo in Iſrael cunctis diebus eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo. Et ipſe erit mihi in filium: & ego ero illi in patrem: firmaboque ſolium regni eius ſuper Iſrael in æternum. Conſtat autem Salomonem, cùm haud ita diu vixiſſet mortuum eſſe. Et ſolium regni eius habuiſſe finem. Quare Salomonem vocat pacificum dominum noſtrum. De quo beatus Paulus, Ipſe enim eſt, inquit, pax noſtra, qui fecit vtraque vnum: & medium parietem maceriæ ſoluens. Quocirca beatus etiam Dauid Pſalmum ſeptuageſimum primum in Salomonem inſcribit. atque in eo pſalmo præclara hæc de ſaluatore noſtro enarrat: Iudicabit, inquit, pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum ſole, & ante lunam, generationes generationũ. Atqui Salomon neque cum ſole permanſit: neque eſt ante lunam generationes generationum. Sed hæc Ieſu Chriſto conueniunt, qui cùm ſit ante ſæcula, ex Salomone, quantum ad humanitatem pertinet, originem ducens, deſcendit, ſicut pluuia in vellus, ſicut ſtilla ſtillans ſuper terram. Vellus hic beatam virginem nominauit. Quemadmodum enim pluuia in vellus ſine ſtrepitu deſcendit: ſic beatus ille fœtus omnibus hominibus ignorantibus natus eſt. Deinde ſubijcit: orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna. Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à fluminibus vſque ad terminos orbis terrarum. Et quæ ſequuntur in eandem omnia ſententiam, neque enim vacat in præſentia pſalmum interpretari. Salomon quidem vſq; ad terminos orbis terrarum minime dominatus eſt: ſed, qui ex Salomone duxit originem humanitatis, Ieſus Chriſtus, & Salomon nominatur, quia pacificus, & manſuetus fuit, & pacem ſuppeditauit. Cæterum, quando quis ſit Salomon didicimus, ad interpretandum accingamur. Ecce lectulus Salomonis. Per ſponſi lectulum diuinas accipiamus ſcripturas. In illis enim veluti cubat ſponſa cum ſpõſo, & doctrinæ ſemina ſuſcipiens concipit, atque vterum gerit, & parturit, paritque ſpiritalem vtilitatem, ita, vt clamet cum propheta: Propter timorem tuum Domine in ventre concepimus, & parturiuimus, & peperimus, ſpiritum ſalutis tuæ fecimus ſuper terram.

1. Paral. 22.

Ephes. 2.

Pſal. 71.

Eſa. 26.

Sexaginta, inquit, fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi. Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur eius à timore in noctibus.

Sexaginta numerum hic poſitum exiſtimo, non vt hanc exprimat quantitatem, ſed vt indicet viros in veteri teſtamẽto ſanctitate præſtantes. Numerum enim denarium perfectum eſſe contendunt: ſenarium autem illis cõgruere, qui erant ſub lege. Sex enim, inquit, diebus facies opera tua. Perfectos igitur in lege lectulum dicunt ambire, genus ducentes ex Iſrael, qui ſint omnium maxime ſtrenui, ſtrictos tenentes gladios, & in bello peritiſsimi. Ac gladios quidem alios ſuper femora gerãt, à timore, inquit, in noctibus. Quod Symmachus clarius reddidit interpretans: propter timores nocturnos. Hi lectulum ipſius ambiunt, ſponſam ab hoſtium incurſibus cuſtodientes. Binos autem geſtant gladios, vnum ſuper femur, alterum in manu. Vnum reprehenſionis, alterum intelligentiæ. Illum in promptu ad coarguendum; hunc myſticum, & tanquam in vagina reconditum ad myſteria perueſtigan-

Exod. 23.

da.

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi. Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum à timore in noctibus.

Pſelli.

Hæc amici ad virginem dicunt, lectuli ſponſi pulchritudinem explicantes, quo magis ſuccendant ſponſæ deſiderium. Tu vero mihi ad horum expoſitionem diligenter attende. Lectulus Salomonis eſt eorum, qui ſaluatur, locus. Sexaginta autem fortes, qui illum ambiunt, ſunt illi ipſi profecto, qui ſaluati ſunt. Sexaginta vero dicuntur quicunque diuina gratia vere præſtantes, dæmonum, qui per noctes homines oppugnant, agmina formidine repleuerunt. Quemadmodum gladio vir accinctus, imbelles homines, & in prælijs minus exercitatos perterrefacit. Illi enim ſigno crucis tanquam gladio ancipiti armati, aduerſus principatus, & contra mundi & tenebrarum principem ſatan conſtiterunt. Hæc quidem à nobis pro viribus dicta ſunt. Quod ſi orationis ſeries haud ita continua videatur, ne admireris, ò princeps, neue commoueaeris. ſic enim pleraque ſunt ſcripta prophetica.

Trium Patrum.

Diſcipulæ igitur, quæ de magiſtra ſua dubitauerant, quæ nam eſſet, nunc de ipſa dicunt: Ecce lectulum Salomonis, in quo quidem Chriſtus rex pacificus conquieſcit, qui nos tum ſibi, tum inter nos, tum patri ſuo reconciliauit. Sexaginta fortes ambiunt: cogitationes nimirum efficaces, quæ diuina virtute vndique tuentur animam ad Dei quietem præparatam, aduerſus fallacias ſpirituum improborum. Ratio enim, quæ quinque ſenſibus præeſt, ſimul cum ipſis ſenſibus accepta ſenarium conficit numerum. At cùm diuina præcepta, quæ ſunt decem numero, is, qui ſenſibus ratione imperat, perficit, numerum abſoluit ſexagenarium, ex virtute viuens, vt dictum eſt. Ex fortiſsimis Iſrael. hi ſunt omnino veræ mentis Deum videntis, notiones, ex quibus conſtant efficaces illæ cogitationes ad bonum peragendum. Ambiunt autem animam, in qua Deus requieſcit, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi. Cogitationes enim, quæ dictæ ſunt, ex contemplationis quidem habitu gladios habent ancipites, quibus ea, quæ ſunt contraria, dijudicent: ex actionis autem vi vſum atque experientiam obtinent, quo modo poſsint aduerſariæ poteſtates profligari. Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum à timore in noctibus. Singulæ illæ, quas diximus, cogitationes, gladium ſpiritus, quo vitia conciduntur, aduerſus concupiſcentem animæ poteſtatem intentant, propter terrorem, quem nequiſsimi dæmones dolis ſuis animæ obijciunt in noctibus ignorantiæ per impetus cupiditatis rationi repugnantes.

Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani. columnas eius fecit argenteas, & reclinatorium eius aureum, aſcenſum eius purpureum, medium eius lapidibus conſtratum, caritatem à filiabus Hieruſalem.

Theodoreti.

Ferculum hic rurſus ſanctos intelligamus apoſtolos, qui nomen domini in conſpectu gentium, & regum, & filiorum Iſrael promulgarunt. Nam de beato Paulo Chriſtus ad Ananiam, vade, inquit, quia vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Iſrael. Quinetiam diuinus ipſe Paulus clara voce, an experimẽtum, inquit, quæritis, eius, qui in me loquitur, Chriſti? Hos etiam equos nominat beatus Abacuc, aſcendens, inquiens ſuper, equos tuos. Et quadrigæ tuæ ſaluatio. Et rurſum: Viam feciſti in mari equis tuis, conturbantibus aquas multas. Mare vocat gentes, quæ tunc apoſtolis prædicantibus commotæ ſunt. Quamobrem & increduli dicebant de illis: Hi qui orbem concitant etiam huc venerunt, quos ſuſcepit Iaſon. Quos ergo Abacuc equos appellauit, hos ferculum in Cantico canticorum vocari reperimus. Fecit igitur ſibi ferculum rex Salomon de lignis libani. Libanum ſæpenumero diuina ſcriptura appellat Hieruſalem, & multitudinem Iudæorum: quod in proœmijs ſermonis ex propheticis ſcriptis indicauimus. Quoniam igitur ex illis beati Apoſtoli genus duxerunt, iccirco ferculum de lignis libani conſtructum dicitur. At columnas eius, inquit, fecit argenteas. Ipſos etiam columnas appellatos inuenimus. Nam beatus Paulus ad Galatas ſcribens, Petrus, inquit, & Iacobus, & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, vt nos in gentes, ipſi [illegible] in circumciſionem. Reclinatorium eius aureum dicunt eſſe. Eſt autem Euangelica prædicatio, in qua diuinum vebum conquieſcit. Aſcenſum eius purpureum. rudes enim regi par eſt: perfectos autem, vt ſponſam, ornari.

Abac. 3.

Act. 17.

Gal. 2.

Et medium eius lapidibus conſtratum.

Margaritis enim & lapidibus pretioſis diuina eloquia ſunt ſimilia. Iudicia domini, inquit Propheta, vera iuſtificata in id ipſum: deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum. Et rurſum: ecce concupiui mandata tua ſuper aurum & topatium. Et regnum cœlorum, vt dominus ait, ſimile eſt homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Et alibi: ne proijciatis margaritas veſtras ante porcos.

Pſal. 18.

Pſal. 118.

Matt. 13.

Matth. 7.

Pselli.

Ferculum fecit sibi rex Salomon.

Sermo propositus Cantici canticorum sapientissime ecclesiam ex gentibus collectam innuit. Rex enim Salomon, id est, sponsus, qui est gentium olim reiectarum. Libanus etiam est, venerandus, & sanctus, de quo psalmorum conditor Dauid meminit, iustus, inquiens, vt
Psal. 91. palma florebit: sicut cedrus libani multiplicabitur. Est autem rursum libanus repudiatus in omnibus, cuius quidem optat Dauid cedros confringi. Per columnas & bases tu mihi apostolos & prophetas intellige, qui Christi ecclesiam sustinuerunt, & caritatem auxerunt, humanarumq; animarum, quæ reiectæ erant, salutis fuerunt studiosissimi. Hæc igitur sponsa de se ipsa locuta est.

Trium Patrum.

Ex his enim, qui ex improba ista radice excisi fuerant, & super Christum, fidei fundamentum ædificati, ferculum sibi fecit ipse Christus rex ille pacificus: cùm super his ad perfectionem adductis, tanquam curru, ad erudiendos homines veheretur. Sigillatim autem ferculi apparatum enarrantes, columnas eius, inquit, fecit argenteas, quæ quidem
Plal. 11. sunt eloquia domini, de quibus Dauid, Eloquia, inquit, domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Super quibus, tanquam columnis quibusdam sponsus sublatam sponsam ad se traxit, proprium ipsam vehiculum constituens, quæ in seipsa ferret veram horum eloquiorum coniunctionem. Et reclinatorium eius aureum: id est, mentis ipsius tranquillitatem, præcipuam sibi, vbi quiesceret, sedem constituit: id enim per aurum ostendit, quod rebus omnibus ex materia constantibus antecellit.

Ascensum eius purpureum, regiam nimirum Dei. Nam si Salomon significat pacificum, & Christum indicat, qui in se cuncta pacificauit. Pax autem est animi lætitia ab omni turbatione remota: hæc vera lætitia est Dei regia ab omni seditione aliena. Regia vtique Dei est ascensus animæ, quæ ferculi instar suscipit regem pacificum. Medium eius lapidibus stratum, caritatem à filiabus Hierusalem: in affectione videlicet animæ, quæ ferculum eius declarata est, lapis angularis diuina doctrina sua atque exemplis caritatem constrauit, à buccinatricibus suis apostolicis animabus (quæ filiæ quoque Hierusalē dictæ sunt, quoniam quantum ad carnē attinet, inde originem trahunt) incipiens. Cùm apostoli primi ad Christi imitationem, animas suas pro salute multorum posuerint, præceperintque, vt idem efficerent, quicunque ad perfectionem in Christo cuperent peruenire. Quamobrem magnus apostolus, imitatores, inquit, mei estote, sicut & ego Christi.

Theodoreti.

Cùm eiusmodi esse regis ferculum declarauerint, filias Hierusalem cohortatur, vt ad spectandum sponsum egrediantur, & coronam illi impositam conspiciant, & dicunt:

Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis ipsius, & in die lætitiæ cordis eius.

Breuiter & dilucide orationis longitudinem fugientes in explanatione progrediamur. O filiæ Hierusalem, & Sion. Sion autem rur- Heb. 12.
sus cœlestem nos docuit beatus Paulus, sed accessistis, inquiens, ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & ecclesiam primitiuorum, qui descripti sunt in cœlis. Vos igitur, inquiunt, ô filiæ Sion, & Hierusalem, egredimini & videte (Neque enim potestis videre, nisi ab occupationibus huius vitæ recedatis) regem caritate coronatum aspicite. Sic enim dilexit mundum, vt cùm in forma Dei esset, non rapinam sit arbitratus, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuerit, formam serui accipiens. Ita dilexit mundum, vt tanquam ouis ad occisionem ductus sit, & sicut agnus coram tondente se obmutuerit: & redemerit nos à maledicto legis factus pro nobis maledictum. Itaque maiorem hac, inquit, caritatem nemo potest ostendere, quàm vt quis ponat animam suam pro amicis suis. Sic ergo coronauit eum mater sua. Matrem appellat Iudæam, quantum pertinet ad eius humanitatem, quæ hanc illi inuita coronam imposuit. Spinis enim illum contemptus causa coronauit. Ipse vero per spinas suscepit diadema caritatis. Sponte enim ignominiam pertulit, atque vltro ad mortis cruciatus accessit. Quamobrem desponsationis diem illam vocauit, & diem lætitiæ cordis eius. Tunc enim nuptiarum communio facta est. Nam post cœnam, inquit, ac- Matth. 26.
cipiens panem, & gratias agens fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite comedite ex eo omnes: hoc enim corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationem. Edentes igitur spōsi membra, & bibentes eius sanguinem, nuptialem ipsius communionem assequuntur. Iccirco sponsi ministri filias Sion & Hierusalem cohortantes, egredimini, inquiunt, & videte caritatis eius diadema, quo decorauit eum præter sententiam suam Iudæa, quæ illum genuit, & coronauit illum, in die desponsationis ipsius.

Pselli.

Deinde omnes hominum animas adhortatur, vt à mundi scandalis, & perturbationibus discedant, & sponsum cū ipsis coniunctum spectent. Sic enim sponsa præ lætitia illas alloquitur, egredimini, & videte. O filiæ Sion, inquit spōsa, quoniā ego, quæ prius inuisa fuerā, nunc

nunc facta sum iucundissimum sponsi ferculum, cupio vos item vniuersas ex hac vitā fugere, & puris oculis sponsum diademate ex pretiosis lapidibus contexto redimitum contemplari, quià matre sua ita coronatus, me sibi hodie desponsauit. Mater vero illius, patris caritas fuit.

Trium Patrum.

Quia magistra animaduertit discipulas hæsitabundas propter se, atque admiratione plenas, ea, quę ad se pertinerent, explicare: in sponso Christo vult eas deinceps salutis nostrę modum contueri, & merito dubitare, atque admirari, quo modo ipse salutiferis cruciatibus ac morte sua tranquillitatem nobis & vitam largitus sit. Proinde, Egredimini, inquit, & videte, filiæ Sion: omittite, quæ ad me ancillam attinent, considerare, & in domino pacifico mentis aciem defigite, contemplantes, quo modo salutem hic nobis acquisiuerit. Filiæ speculæ, vt spiritaliter per fidem genitæ: Sion enim speculam significat. Specula autem est, ex qua quis facile potest despicere, spiritalis est generatio, quam qui consecutus non est, cæcus est & manu viam tentat in veritatis fulgore. Spectate autem, inquit, dispensationis rationem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis ipsius: In spinea nimirum corona, quam Christi capiti imposuit Iudæorum synagoga, ex qua ipse est secundum carnem: In die salutiferæ mortis eius, in qua proprio sanguine ecclesiam sibi desponsauit. Et in die lætitię cordis eius, qua quidem salutarem pro nobis mortem oppetens, nos ab hostis seruitute liberauit: atque ita patris ob temperans voluntati, lætatus est spiritu, licet carnis cruciatibus vexaretur. His sponsa discipulas est allocuta, diligens id, quod demonstrari non potest, & humanam gloriā fugiens, cupiensque, vt sponsum suum tantummodo omnes admirentur.

Theodoreti.

Post hæc, quę dicta sunt, sponsus rursum cum sponsa colloquitur.

Ecce pulchra es, propinqua mea: ecce pulchra es. Oculi tui columbæ: præter silentium tuum.

Sponsæ iterum admirans pulchritudinem, Ecce, inquit, pulchra es. Tum formam eius per singulas partes describit. Atque oculos quidē appellat columbæ, spiritalem eorum commendans contemplationem. Quòd non aspirent ad ea, quæ sensibus subiecta sunt, sed quæ sursum sunt quærant, vbi Christus est, vt inquit Paulus, in dextera Dei sedens. Admiratur præterea silentium eius opportunum, quod quidem etiam à priscis commendatur. Quamobrem &
Psal. 38. in Psalmis legimus: Posui custodiam ori meo, cū consisteret peccator aduersum me. Et psal-
Psal. 140. lentes dicimus: Pone, domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Et
Esa. 43. dominum apud Esaiam inuenimus non aperientem os suum in afflictione sua. Quippe qui, vt euangelica etiam refert historia, cum à Pila-
to interrogaretur, nihil respondebat. Laudabat ergo sponsus sponsæ silentium tempestiuum, quo quidem ipse quoque in tempore vsus est.

Pselli.

His sponsæ verbis auditis spōsus in eius pulchritudinis laudes excitatur. Ecce, inquiens, pulchra es propinqua mea. Pulchra profecto es, inquit, propinqua mea, cùm hominum cunctorum animas salutem assequi cupias. Deinde cùm vellet singulas eius partes laudare, ad ipsā, ecclesiam nimirum, loquens, oculi, inquit, tui columbę. Quemadmodum in hominis corpore multę sunt partes, vt pedes, & manus, & vbera, & pectus, & venter: sic etiam sunt in sancto diuinæ ecclesiæ corpore, cuius caput est Christus, qui & sponsus, ab oculis cœpit coronam contexere. Tu ecclesiæ sanctæ oculos intellige scripta prophetarum acutissime intuentium. Cùm autem vellet interiores huius oculos collaudare, hęc etiam protulit verba, vt in ipsa serie reperies. Præter silentium tuum. Oculos, inquit, tuos exteriores commendaui: interiorū enim laudes nulla assequi potest oratio.

Trium Patrum.

Itaque sponsus eam vt omnib⁹ partibus formosam suspiciens, Ecce, inquit, pulchra es propinqua mea. Pulchra profecto es, quę mihi propinqua per imitationem euasisti: quæque pulchritudinem, quam propter imaginem & similitudinem hausisti, efficaci cognitione cumulasti. Ecce pulchra es etiam, quoniam ad reliquas omnes virtutes tuas humilitatem adiungis. Hoc igitur pacto cùm eam in vniuersum laudarit, nunc singularum partium laudes persequitur, oculi, inquiens, tui columbæ, præter silentium tuum. Oculi, qui & ea, quæ sub sensum cadunt, percipiunt, & ea, quæ mente sola intelliguntur, vt spiritales, comprehendunt. Quia per ipsos omnia, quæ creata sunt, refers ad laudem creatoris. Sic autem oculi isti tui spiritales sunt, præter tuam de Deo taciturnitatē: (hæc enim magis etiam est spiritalis) nam in Spiritu sancto, id, quod omnem cognitionem superat, cognoscis de Deo, nempe quòd nequeat comprehendi.

Theodoreti.

Laudat autem ipsius etiam crines: admiratur & dentes, atque ait.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ reuelatæ sunt de Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, quæ omnes gemellis sunt fœtibus, & sterilis non est inter eas.

Neque per capillos capilli sunt intelligendi, neque pro dentibus dentes. Sed capilli ea quodammodo significant, quæ in sponsa haud ita sunt necessaria, quæque ad corpus pertinent. Vita enim capilli & sensibus carent. Quasi dicat: In negotijs etiam humanis, in quibus non possumus non implicari, te laudabiliter decoreque geris: caprarumque gregi videris simi-

lis, qui pascitur in monte Galaad, & propter
montis altitudinem insignis est. Hoc autem de
Hiere. 3. monte Hieremias propheta, Numquid resina,
inquit, non est in Galaad, aut medicus non est
illic? Et animaduertendum est, ne forte per ca-
prarum gregem intelligantur ij, qui ex peccato
resipiscunt, & ad pœnitentiam redeunt, atque
iccirco pascuntur in Galaad, medicamentaque
salutaria, & curationē consequuntur: vt sponsæ
partes abiectæ, postremæque, & quodammodo
mortuæ, illius gregis dotibus comparentur.
Dentes tui adeo puri, & ab omni superflua dis-
putatione, atque iocis, & scurrilitate, & men-
dacio, verborumque obscœnitate mundi, at-
que integri sunt, vt similes videantur gregibus
tonsarum, quæ, eo, quod superuacaneum erat,
reiecto, ascenderunt de lauacro. Arbitror au-
tem à sponso per tonsarum greges eos indica-
ri, qui per baptisma recisis peccatis, & lauacro
Ephes. 5. aquæ in verbo, vt beatus ait Paulus, mundati
sunt. Sic enim puris, inquit, dentibus extitisti,
& ab omni verborum sordepurgatis, vt eorum
videantur similes, qui recens salutari baptisma-
te digni sunt habiti. Porro greges illi gemellos
omnes fœtus edunt, & sterilis non est in eis: ne
te illis videar comparare, qui post salutiferum
baptisma, rursus ad malitiam redeunt, sed qui
datam sibi gratiam custodiunt, duplicemque
tum contemplationis, tum actionis virtutem
pariunt. His ergo sponsæ partibus collaudatis
ad reliquas progreditur.

Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum decorum.

Per funiculum coccineum sponsæ redigit in
memoriam Raab meretricē, quæ figuram eius
gerebat in veteri testamento. Etenim cùm spe-
culatores missos à Iosue filio Nauæ susceptisset,
per illos æterna salute digna effecta est: habuit-
que ipsa quoq; salutis signum funiculum coc-
cineum, quem è fenestra suspensum dimittere
iussa est, vt Israelitæ in vrbem ingressi, atque
illam euertentes, eo signo commoniti placaren
tur, & Raab saluti consulerent. Signum hoc
sponsus in ore sponsæ, tanquam in fenestra col-
locatū intuetur. Et sicut funiculus coccineus,
inquit, labia tua, & eloquium tuum decorum.
Duxit enim colorem ex sanguine meo, & ver-
ba profert veritatis, quibus tanquam funiculo
quodam capiuntur auditores, & vinciuntur.
Nam eloquium tuum eos demulcet, & retinet,
nec discedere permittit, sed labijs tuis cogit
inseruire. Laudat ipsius etiam genas.

Sicut cortex, inquiens, mali punici gena tuæ, extra silentium tuum.

Significat sponsæ ruborem illi insitum ex ve
recundia, propter quam tempestiua vtitur ta-
citurnitate, celans opportune arcanas mysteri-
orum rationes, quemadmodum cortex mali
punici grana contegit.

Comæ tuæ sicut greges caprarum, quæ reuelatæ sunt ex Galaad.

Pselli.

Hæc tanquam cum muliere cum sponsa lo-
quitur. Quòd si vis altius rem indagare: Comę
sponsæ virginis, hoc est diuinæ Ecclesiæ orna-
menta ex gentium grege est multitudo.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt ex lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

Dentes mihi intelligito diuinos doctores sa-
crosanctam nobis scripturam interpretantes,
qui detonsis reiectisq; carnis sollicitudinibus,
& conscientiæ lauacro mundati tum animæ,
tum corporis puritatem quasi gemellos fœtus
habere dicuntur. Sicut funiculus coccineus
labia tua, & eloquium tuum decorum. sponsæ
labia rursus commendat. Tu vero per funicu-
lum, silentij dotem accipe: per eloquium verò
decorum, diuinam prædicationem. Tum gra-
tia taciturnitatis sic, inquit, excellis, vt nihil su-
perfluum, nihil absurdum excidat è labris tuis.
Si quid enim aliquando vis loqui, quæ ad fidei
promulgationem doctrinamque pertinent, lo-
queris. Ecce pulchra es propinqua mea, ecce
pulchra es. Geminam hic quoque protulit lau-
dem pulchritudinis. Genis enim vultus eius à
purpureo modestiæ decore collaudatis, animæ
quoque commendat pulchritudinem, vt taceā,
inquiens, silentij decus animæ tuæ. Hæc enim
extrinsecus quidem iucundum spectaculum
præbent, intus autem præstantiam continent
singularem.

Comæ tuæ sicut greges caprarū, quæ reuelatæ sunt ex Galaad.

Trium Patrum.

Cogitationes scilicet tuæ, quę ad actionem,
quiq́ue in spiritu ad contemplationem pertinent, sermones, & rerum diuinarum, quæ cog-
nitionem superant, studia, ex mente tua (vt ex
capite comæ) spiritaliter omnia nascuntur: &
ad ea, quę in carne mundoq́; sunt, sensu carent,
vti florentes caprarum pili, quæ reuelatæ sunt
ex monte inuisibili Galaad; quæ nimirum re-
tectæ sunt ex tenebris malitiæ, & ignorantiæ, &
impietatis, ex quibus ad veritatem, & scientiā,
& pietatem quasi demigrarunt, per euangeliū,
quod fidelibus futurum iudicium attestatur.
Galaad enim si interpreteris, testimonij signi-
ficat migrationem.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de Galaad, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

Meditationes tuæ, quibus tanquam dentri-
bus quibusdā corporea legis tum scriptæ tum
naturalis crassitudo in veros sensus extenua-
tur, & ad esum spiritalem idonea redditur, ca-
prarum tonsarum instar, falsis omnibus opini-
onibus amputatis, reiectisq́ue, circa veritatem
solam immorantur: & quasi lauacro purgatæ à
terrenis istis atque carnalibus sublimes ad spi-
ritalia atque cœlestia conscenderunt. Omnes-
q́ue per supradictas leges geminos virtutū fœ-
tus tum dictis tum factis edunt. Et sterilis atq;
inutilis cogitatio non est in eis.

Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum decorum.

Verum sermonem, instar funiculi dimensi,
atque coccinei, promunt labra tua. Quamob-
rem

rem eloquium tuum omnino decorum est.

Sicut cortex mali punici genæ tuæ, extra silentium tuum.

Cortici scilicet mali punici similes sunt genæ
tuæ, vt seueritatis amantes, atque ab omni
dissolutione remotæ, quando etiam non taces.
Licet enim in congressibus mutuisq́ue sermo-
nibus iucunditas inesse soleat, tu tamen pro-
pter tuam in illis quoque temperantiam, quod
profusum ac dissolutum est reprimis.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est in Thalphioth. Mille clypei pendent super eam, omnia iacula fortium.

Theodoreti.

Pro Thalphioth Aquila posuit, propugna-
cula: Symmachus autem, altitudinem. Quem-
admodum igitur, inquit, turris à Dauid ædifi-
cata, superat propugnacula, in quibus construc-
ta est, sublimisque extat, atque conspicua: ita
collum tuum excelsum est, & sublime, altaque
circumspicit, & contemplatur. Neque enim
brutorum more pronum in terrā despicit: ne-
que in ventrem vergens sues imitatur: sed ere-
ctum atque arduum est, & mille clypeos gerit,
atque fortium omnium iacula. Hic autem nu-
merus pro qualibet multitudine positus est.
Habet collum tuum, quod caput tuum, & fa-
ciem sustinet, omnes aliorum doctrinas, quibus
tanquam iaculis cunctos aduersarios trās figis.
Habet item clypeos multos, quibus protege-
ris, & ignita hostis tela extinguis. Munita enim
es spiritus armatura, & facile hostes vulneras,
cum omnibus fortium sagittis abundes: Eos-
q́ue modo per prophetas, modo per apostolos
redarguis, atque ipsorum retegis imbecillita-
tem.

Sicut turris Dauid collum tuum.

Pselli.

Et hęc muliebri more cum sponsa loquitur.
Cùm enim vellet collum eius vehementer lau-
dare, turri illud celsissimæ comparauit, quæ à
diuino Dauide in Thalphioth fuerat exędifica-
ta ad curruum omnium defensionem, cùm ex-
ternis bellis finem imposuisset. Tu vero mihi,
princeps Stephephore, sanctæ ecclesiæ collum
magnum Paulum intellige, qui caput omnium
Christum gestauit, & si quos alios illi similes
didicisti. Ex his enim suspensi sunt ordines
corporis expertium, quos hic mille clypeos vo-
cat. Neque vero cur mille dixerit, quæras. So-
let enim scriptura eo vocabulo frequenter vti.
Psal. 118. Sicut, inquit, lex oris tui super millia auri, & ar-
Psal. 67. genti. Et alibi, milia, inquit, lætantium.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est in Thalphioth.

Trium Patrum.

Sicut turris Dauid, est interior mentis tuæ
tum actione, tum cōtemplatione maxime præ-
stantis ratio, quæ per virtutem diuinis manda-
tis ædificata est super propugnacula, id est, su-
per aduersarij tentationes. Tollitur autem per
scientiam in altitudinem spiritalis contempla-
tionis. Dauid enim significat, manu strenuus &
acer visu. Collum autem est ratio, vt dictū est.
Nam illud: Quæ ædificata est in Thalphioth,
Aquila quidē vertit super propugnacula: Sym-
machus autem, in altitudinem. Vnde ex ijs quę
dicta sunt patet, sponsæ rationem actione qui-
dem hostis consilia superare: contemplatione
vero tolli ad veræ cognitionis sublimitatem.
Mille clypei pendent super eam. Horum vide-
licet actiones decies diuina præcepta multi-
plicantes; quæ rursus per legem naturalem de-
cies multiplicatæ numerum explent millena-
rium; & tanquam clypei, quibus ab hostis sa-
gittis inuulnerabilis conserueris, ab ea parte,
quæ in te est ratione prædita, tanquam è collo
dependent: per hanc enim anima quærit bo-
nam Dei voluntatem: ac parti quidem concu-
piscenti persuadet, vt eam desideret: irascenti
vero, vt pro illa depugnet, & ex rationis præ-
scripto ad bonum dijudicandum vtatur: lo-
quendi autem facultatem adhibeat, ad ipsum
promulgandum: gignendi verò vim ad idem
adaugendum. Ex decem his facultatibus, nem-
pe rationabili, concupiscibili, irascibili, quin-
que sensibus, pronunciandi, gignendique vi
constat lex naturalis, quæ ad bonum peragen-
dum, decem diuinis præceptis id illi suggeren-
tibus, adiuuantur. Atque hæc quidem decem
præcepta, quæ lege scripta comprehenduntur,
dum ea ipsa factis exequitur, decies multipli-
cans lex naturalis numerum centenarium ab-
soluit. Actionesq́ue iterum per subiectas ipsis
decem facultates decies multiplicando mille-
narium implet. Et hoc modo, vt dictum est,
mille pendentes clypei significant legem tum
scriptam, tum naturalem, quæ sibi mutuo sunt
ornamento, dum ex ea sponsæ parte, quæ rati-
onis est compos, tanquam ex collo ipsius de-
pendent, eamque ab omnibus hostium insidijs
protegunt. Neque vero clypei tantum pendent
super eam, verum etiam omnia fortium iacula,
quæ quidem sunt disciplinæ à sanctis & cœle-
stibus virtutibus sponsę per contemplationem
subministratæ, quæ contra spiritus nequitiæ
tanquam iacula conijciuntur ad eorum machi-
nas aduersus sponsam instructas euertendas.
Sed quia rationis quæstionibus à sanctis ange-
lis edocta est, quo modo insidiantes sibi de-
beat iaculari, ideo hæ disciplinæ, tanquam ex
collo, ex ratione ipsius dicuntur dependere.

Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.

Theodoreti.

Hæc intelligimus eodem pacto, quo superi-
ora: vt per vbera rursum doctrinæ fontes acci-
piamus, qui singulis ætatibus congruentia sub-
ministrent, alijs quidem lac, alijs autem solidū
cibum. Et iccirco hinnulis capreæ vbera spon-
sę dicit esse similia, acute intuendi, & contem-
plandi vim ipsorum admirans. Hinnulos au-
tem dicit, & capreæ, quoniam, vt beatus inquit
Paulus, nunc cognoscimus ex parte, tunc au- 1. Cor. 13.
tem cognoscemus, sicut & cogniti sumus. Et
quia

quia nunc ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, hinnuli capreæ vocantur doctrinæ vbera. Cùm autem, quod perfectum eſt, venerit, tunc deſtruetur id, quod ex parte eſt. Paſcuntur autem inter lilia, quia herbam odoriferam, id eſt, ſpiritus doctrinam percipiunt. At Symmachus dixit, flores paſcere. Eos enim, qui facti ſunt digni, vt ſint ſpiritus flores, vbera ſponſæ, ex quibus doctrinæ latices fluunt, paſcunt, & nutriunt, donec aſpiret dies, & æſtus, hoc eſt, vitæ labores, deſinant: & inclinentur vmbræ, id eſt, negocia præſentia, quæ vmbris, vt dictum eſt, comparantur, finem habeant. Ita ſponſæ membris collaudatis,

Vadam, inquit, mihi ipſi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

Quando, inquit, adeo decora es, adeo formoſa, adeo pulchritudine excellens, & amoris erga me vulnere ſauciata, pro te mortem oppetam, & myrrhæ montem ſponte conſcendam. Sed iterum ſurgam, & reuertar ad collem thuris: vt per myrrhã mortem ſignificet: per thus autem naturam diuinam. Quærendum eſt igitur, cur montem, de morte loquens, dixerit: collem autem de diuinitate. Quia illud tam excelſum, atq; arcanum eſt, vt ab homine animo & cogitatione nequeat comprehendi: cùm
Phil. 2. in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratũ eſſe, ſe eſſe æqualẽ Deo, ſed exinaniſſe ſemetipſum formam ſerui accipientem, & in ſimilitudine hominum factum, & habitu inuentum vt hominem, humiliaſſe ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vt autem ad propriam gloriam rediret, & clarificaretur ea gloria, quam habuit antequam mundus fieret, id vero nec magnum, nec laborioſum, imo facile admodum fuit. Iccirco montem myrrhę dixit, collem autem thuris, vt hoc ſibi facile demonſtraret: illud autem arduum in primis propter humanitatem. Itaque cum ad mortis cruciatũ appropinquaret, nunc, inquit, anima mea turbata eſt. Et, Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me
Ioan. 12. calix iſte. Et rurſum ſubijcit: Et quid dico? Pater ſalua me ex hora hac. Sed propterea veni in horam hanc. Id hoc etiam loco ſignificans, vadam, inquit, mihi ipſi ad montem myrrhę, & ad collem thuris. Vtrunq; enim libens facio, nulla vi, nulla coactus neceſsitate. Poteſtatẽ enim
Ioan. 10. habeo ponendi animã meam: & poteſtatem habeo iterũ ſumendi eam. Nemo tollit eam à me. Sed ego pono eam à me ipſo, vt iterum ſumam illam.

Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur inter lilia.

Pſelli.

Et hoc conuenienter ad mulieris decorem extrinſecus dictum eſt. Intrinſecus venerabilẽ continet expoſitionem, & gratiam. Gemina enim diuina eccleſiæ vbera intellige ſanguinẽ & aquam illam ſanctam verbi & ſaluatoris, ex quibus animæ fidelium ſalutem hauriunt.

Donec aſpiret dies, & moueantur vmbræ, vadam mihi ipſi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

In his innuit cruciatus & mortem ſaluatoris. Hos enim tu per myrrhę montem intellige. At per collem thuris intellige gloriam ipſius, qua pater deſuper eum & ſolum illuſtrauit. Totum hoc igitur, quod loquitur virgini, factum eſt. Age tu mecum, qui cruci affixus ſum, cruc ifigere, vt magna item à patre gloria mecum affi ciare. Sponte enim volo ego ſane mortem oppetere, vt fidelibus diem ſalutis aſpirem, & vmbras diſcutiam impietatis. Mihi, inquam, ipſi vadam, hoc eſt, volens ac libens. Verum quia ſcit ipſam ſecum eſſe crucifixam, & omnibus præceptis ſuis obtemperaſſe, rurſus eam commendat his verbis:

Tota pulchra es, propinqua mea, tota pulchra & macula non eſt in te.

Trium Patrum.

Ac tale quidem eſt collum tuum. Duo vero vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli: Moralis videlicet, & naturalis doctrina, ex quibus veluti vberibus lac infantulis adhuc ſuggerens, eos alis & nutris ad perfectionem, ex te ſimul fluunt: vtpote quæ nec mores ſine ratione doces: nec rationem ſine moribus. Quamobrem capreæ aſſimilata es, tum propter acumen in contemplando, tum propter curſus celeritatẽ in peragendo. Hinnuli, inquit, qui paſcuntur inter lilia, quouſque dies aſpiret, & inclinentur vmbræ. Diſciplinæ videlicet moralis & naturalis, quæ in animabus ab omni vitæ ſollicitudine remotis, dum impertiuntur, coaleſcunt, & incrementum accipiunt, donec clariſsimus ille futuri temporis dies illuceſcat, & omnia, quę vmbris ſunt inuoluta, pertranſeant. Verum, quoniam in carne veniens ego ſponſus tuus te ita formoſam reddidi, iam vadam mihi ipſi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, id eſt, ſponte mea ad mortis, tanquam ad montis myrrhæ, ſublimitatem, quæ quidẽ eſt crux, proficiſcar. Voluntaria enim per crucem mortis ſuſceptio communem omnibus animalibus ab ea abhorrentis naturæ infirmitatem ſuperauit. Et rurſum vadam ad me ipſum, ad Patrẽ rediens, à quo exiui, & in mundum veni. Qui ſane pater per collem intelligitur, quoniam, vt cauſa, maior eſt me vnigenito, & ſpiritu ſancto, qui ſumus illi conſubſtantiales. Mortalitatis enim ſymbolum eſt myrrha, thus autem diuinitatis. Quare illud: vadam mihi ipſi: tum voluntarium per crucem ad mortem aditum ſignificat: tum diuinitatis celſitudinem per reditum ab humilitate noſtra ſuſcepta ad ſeipſum Deũ verbum, dum ad patrem vadit. Sic autem, inquit, vadam, quoniam opus patris, quod ad te pertinet, perfeci. Etenim

Tota pulchra es, propinqua mea, & macula non eſt in te.

Mente nimirum, & anima, & carne pulchra es: carne quidem, vt per actionem à varijs perturbationibus purgata, & virtutum moribus excellens. Anima autem vt, ab omni improba cupiditate ſeiuncta, & ſermonibus decorata mandatorũ. Mente vero, vt ab exilibus etiam cogitationibus liberata, ac ſplendida, & per gratiã in Spiritu ſancto diuina effecta. Et propterea

pterea macula non eſt in te, quæ mihi ob perfectionem propinqua es.

Theodoreti.

Tota pulchra es propinqua mea, tota pulchra es, & macula non eſt in te.

Ephes. 5. Hæc beati Pauli verbis ſimilia ſunt; cum de ſponſo loquens, vt exhiberet, inquit, ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi: ſed vt ſit ſancta, & immaculata. Immaculata autem & pulchra euaſit, quia propinqua ſponſi effecta eſt, atque ita omnes ſplendores ſuſcepit, & lucida ex ipſa luce reddita eſt. Vtinam nobis etiam concedatur, vt reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandẽ imaginem transformemur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu, cui cum Patre, & cum Sancto ſpiritu gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

2. Cor. 3.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, IN CANTICA CANTICORVM INTERPRETATIONIS LIBER TERTIVS.

RAndum eſt nobis; diligenter, inquam, & ſtudioſe orandum eſt, vt oculi noſtri columbæ fiant: quibus ſpiritaliter intuentes, & litteræ velũ tranſuolantes, myſteria recondita dilucide interpretemur. Neque enim aliter fieri poteſt, vt diuinæ ſcripturæ, in primisq́ue Cantici canticorum intelligentiam conſequamur, niſi eum, qui ſcriptoribus illis largitus eſt ſpiritum, gratiæ radijs oculos noſtros illuſtret, & ſenſum reconditum aperiat. Age ergo auxilio illius, qui reuelat myſteria, vt ſapiens ait Daniel, implorato, ad inſtitutam interpretationem, ſcripti ſequentes ordinem, accedamus. In fine ſuperioris orationis ſponſum audiuimus ſponſæ pulchritudinẽ ſic admirantem, vt ſingulas eius partes laudibus efferret, & totam ipſam denique vt immaculatam commendaret. Nullam enim habet maculam, neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, vt beatus inquit Paulus, animarum virtute perfectarum chorus. Hic autem ſponſam appellans, vocat eam de libano.

Veni, inquiens, de libano, ſponſa mea: veni de libano, venies, & tranſibis à principio fidei, à capite Sanir, & Aermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

Hæc mihi cum illis videntur congruere, quę in 44. Pſalmo ad ſponſam dicta ſunt: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet rex ſpeciem tuam. Quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Nam illic quoque monetur ſponſa, eique datur conſilium, vt obliuiſcatur populum ſuum; aliter enim ſponſum, niſi id fecerit, nulla ratione pulchritudinem eius concupiturum. Porro populum eius, & domum patris appellat antiquos mores, de quibus beatus Paulus, Eramus enim, inquit, aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia, &
Tit. 3. inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abunde: & quæ ſequuntur. Hic autem de libano vocat eam, & de Sanir, per libanum quidem ſignificans cultum idolorum: per Sanir autem, quod eſt lucernarum via, legis inſtituta. Lucerna enim eſt lex, quæ in nocte fulget. Sol autem Chriſtus, vt qui ſplendet in die. Quapropter & Deus per prophetã, timentibus, inquit, me, orietur ſol iuſtitiæ, & ſanitas
Mal. 4. in pennis eius. Subijcit autẽ: Et Aermon montem, per ipſum legem indicans. Nam magnus Dauid in pſalmis, ſicut ros, inquit, Aermon, qui deſcendit ſuper montes Sion: hoc eſt, legis præcepta, quæ ſuper montibus Sion tradita ſunt. Montes autem virtute perfectos viros debemus intelligere, qui excelſi ſunt, & inſignes, & diuino ſenſu præcellunt. Eos igitur ſponſus vocat de libano, qui idolorum cultui deſeruiebant. Illos autem de Sanir & Aermon, qui legiſlatorem, & diuinorum mandatorum lumen acceperant. His addit: de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Leonum quidem cubilia vocat audaciſsimos, & furore inſanientes Iudæos: Pardos autem gentilium ſapientes, qui orationis copia, & argumentorũ artificio contegentes falſitatem, homines rudes ac ſimplices decipiebant. Cùm ita vocaſſet ſponſam, eamque diuerſis è montibus congregaſſet, ac per fidem illi ſalutem tribuiſſet, pulchritudinem illius inde conceptam intuitus ſic ipſam alloquitur.

Pſal. 132.

Vulneraſti cor noſtrum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor noſtrum in vno oculorum tuorum, in vno torque colli tui.

Illud, vulneraſti, à Symmacho verſum eſt, excitaſti. Hoc autem dicit: Ambo quidem oculi tui ſunt admirandi, ac ſpirituales, & columbæ merito nominati. Sed alter eorum, qui diuina contemplatur, qui philoſophatur de Deo, qui recon-

recondita mysteria contuetur, cor meum stupore afficit. Et cum omnia colli tui ornamenta suspicio. Per hæc autem virtutes eas intelligit, quæ in actione consistunt, collum enim diuinorum mandatorum iugum ferens iustitiæ sulcos infindit ac dirigit. Cùm igitur reliqua virtutum ornamenta in collo tuo splendentia suspicio atque commendo, tum in primis vnú admiror & obstupesco. Ac pulchritudinem suspiciens tum vnius torquis tui, tum oculi diuina hæc intuentis, amore vulneratus sum tuo. Quæramus autem, quodnam sit vnum ornamentum illud, quod sponsæ collo circundatũ

1. Cor. 13. cæteris antecellit, discamusque à sancto Paulo, qui manent, inquit, fides, spes, caritas, tria hæc; maior autem horum est caritas. Et rursum: Plenitudo ergo legis est dilectio. Et alibi: vniuersa lex & propheræ pendent ex eo: Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo: & proximum tuum sicut teipsum. Torquẽ hunc ergo sponsæ sponsus admiratur. Ipsius quoque oculum vnũ ita suspicit, vt alterũ minime contemnat. Iam enim vtrumque collaudauit. Sed rerum intelligibilium contemplationem sensibilium cognitioni longe anteponit. Vulnerasti ergo cor meum, id est, tali oculo prædita, & eiusmodi torque decorata me in amorem ac desiderium tui concitasti.

Rom 13.
Matth. 22.

Pselli.

Tum ad maiorem hanc gloriam inuitat. Veni de libano sponsa. Age de libano venies. Quando, inquit, venisti ad myrrhæ montem, & ad collem thuris mecũ conscendisti: hoc est, mecum passa es, & simul gloriam accepisti, age de libano ad sublimiora quædam perfectionis loca celeriter ascende. Nec mecum desinas progredi longius declinatis pardorum leonumq; cubilibus. Hoc autem re ipsa & factis cùm esset expletum, & sponsa cum Christo puro sponso simul exaltata esset, amici progressione virginis obstupefacti, sic eã canentes sunt allocuti.

Vulnerasti cor nostrum soror nostra, sponsa.

De Deo nos quiddam amplius docuisti, dum oculum animæ tuæ, ô sponsa, ardenter in verbo & sponso defixum, dumque animæ tuæ collum leui Christi iugo subditum contuemur. Vere cor nostrum, inquiunt, excitasti, posteaquam ex te didicimus verbi incarnationem. Atque ad hunc quidem modum amici virginem collaudarunt.

Trium Patrum.

Sed quoniam tota es adeo pulchra, veni de libano sponsa, veni de libano. Ad me, qui comprehendi nequeo, progredere semper ex fide, (quæ quidem Deo non aliter ac thus, id autem est libanus, offertur) per spem proficiens ad caritatem, propter quam ego factus sum homo & tu efficeris Deus. Etenim venies, atque peruenies ab initio fidei, à capite Sanir & Aermon: Et venies quidem ad me cum omni caritate: peruenies autem vehementi cum impetu per fornacem variarũ tum carnis, tum mundi tentationum spe confirmata. Sic autem venies, & peruenies, quoniam ad me, non per incredulitatem, vt primus homo, qui spe diuinitatis deceptus est, iter facere cœpisti, sed per fidẽ, quæ quidem fides, vt caput, principium est ad virtutem ducentis viæ, quam indicat Sanir, cuius interpretatio est, lucernæ via. Et per spem vt subleueris & recreeris ab onere atque æstu grauium laborum & molestiarum. Quod per Aermon intelligitur, quam quidem vocem rorem interpretamur. Atque ita cubilia leonum, pardorumque montes incolumis euitabis: consensum videlicet carnalium voluptatum, quæ leonum instar magno impetu in te, vt à virtute deficias, ruunt: Et tentationes illas quæ ex virtutis præstantia, tanquam ex altis montibus, vt arrogantia efferaris, tibi struunt insidias fraudulenter. Quod quidem pardorũ varietas indicat. Venies, & peruenies, & seruaberis, vt dictum est. Quoniam vulnerasti cor nostrum, soror mea, sponsa. Quia scilicet in amorem & desiderium tui concitasti tres vnius diuinitatis personas, cui mente, ratione, & spiritu placuisti, ô quæ mihi inter carnis coniunctionem es soror: propter voluntariũ autem caritatis vinculum, atque vnionem spiritus, desponsata es mihi (qui sum vna ex tribus personis) vnigenito nimirũ patris filio. Etenim cùm sancta scriptura plurali vtitur numero loquens de Deo, sanctissimas illas indicat tres personas, mystice significans modum substantiæ sacrosanctæ illius initioque carentis vnitatis. Quia vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate Deus est. Et rursus; vulnerasti cor nostrum: hoc est in tui desiderium inflammasti, tum in vno oculorũ tuorum, mente scilicet tua, qua res intuens intelligibiles, me veritatem, atque omnium intelligibilium finem cognitione perpetua contemplaris: tum in vno torque colli tui, ratione videlicet tua, qua tu veluti ornamento colli decorata in cunctis actionibus, me summum bonum, & finem omnium, sequeris, & re ipsa benignitatem meã experiris. Sponsus enim Christus est ipsa veritas, & summum bonum. Ac veritas quidẽ esse intelligitur, quatenus per essentiam est immutabilis: summum autem bonum quatenus ex operibus beneficus demonstratur.

Quàm pulchræ factæ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa. Quàm pulchra facta sunt vbera tua à vino. & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.

Theodoreti.

Ex vino enim spiritali, & mystico poculo maiorem hauriunt pulchritudinem vbera tua. Vbera autem esse doctrinæ fontes iam exposuimus. Vestimenta tua sunt ornatissima, eorumque odor omnium fragrantiam aromatum superat. Me enim sponsum induisti, idque antea testatus est Esaias, Exultet, inquiens, anima mea Esa. 16. in Domino. Induit enim me vestimento salutis & indumento lætitiæ circumdedit me. Ita tua vestimenta tantum emittunt suauitatis, vt fragrantia ex illis passim diffusa, virtutem legalem, quę per aromata metaphorice significatur, antecellat. Vocat autem illam non solum sponsam,

sponsam, sed etiam sororem, quandoquidem
Rom. 8. beatus etiam Paulus, vt sit, inquit, primogenitus in multis fratribus. Et ipse Dominus cum
Matth. 28. resurrexisset, mulieribus ad sepulchrum stantibus, ite, inquit, dicite fratribus meis & Petro: ecce præcedo vos in Galilęã. Ipsius est ergo & soror, & sponsa, & pròpinqua. Propinqua quidem, iuxta illud, Adhæsit anima mea post te.
Psal. 62. Sponsa autem, quoniam ab ipso doctrinæ semina suscipiens parit pietatis fructum. Soror vero quia, quantum attinet ad humanitatem, eadem est natura circũdata. Manet igitur illam, & laudationem prosequens, ait:

Fauum distillant labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

1. Cor. 12. Operæpretium est, his adiungere ea, quæ docet Apostolus, Sicut, inquiens corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autẽ membra corporis vnius cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. etenim in vno spiritu nos omnes in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, sine gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno spiritu potati sumus. Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa. Et paulo pòst: Quòd si essent, inquit, omnia vnum membrum, vbi corpus? Et rursum: Vos autem estis corpus Christi, & membra ex parte. Ex multis igitur membris constans ecclesia corpus vnum absoluit. Itaque cogitemus, in ea quosdam oculorum, quosdam aurium, quosdam labiorum locum obtinere. Quamobrem sponsus, Fauum, inquit, distillant labia tua: mel, & lac sub lingua tua. Ecclesiæ doctores significat, qui piam tradunt disciplinam, & quasi fauos apum in labris gerunt, & mellis diffluunt stillis. Nec verò mel tantum habentes, sed etiam lac: cuiq; cibum promunt salutarem, & cum infantibus commodum, tum perfectis etiam congruentem. Iam faui mellis, qui in doctorum gestantur labris, sunt diuinæ scripturæ, quæ continent apes tum ceræ, tum mellis effectrices, sacros nimirum prophetas, & Apostolos, qui per spiritus sancti prata volitantes, & diuinarum scripturarum construentes cellas, easque doctrinę melle ac nectare distendentes vtilitatem ad nos transmiserunt. Ac ceræ quidem littera videtur similis, melli vero sensus, qui in eo reconditus est. Huius mellis stillæ piorum doctorum è labris manant: eorum item è lingua lac fluit indigentibus lacte. Sed rursus in admiratione vestimẽtorum sponsæ commoratur:

Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.

Sponsum ipsum sponsæ factum esse indumentum iam diximus. Testis est beatus Paulus, Quicunque in Christum, inquiens, baptizati estis, Christum induistis. Sponsus autem & Deus est æternus, & homo in extremis diebus ex sãcta virgine natus, qui manẽs id, quod erat, assumpsit quod nostrũ est, sponsamq; olim nudam induit. Quamobrem ad eam, odor, inquit, vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Christum enim induta est, qui Deus est, & homo. Diuinitatem autem indicat thus, quod Deo ex legis veteris instituto offerebatur.

Pselli.

Quàm pulchræ factæ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa: Quàm pulchra facta sunt vbera tua à vino.

Hic rursum laudat diuinæ ecclesiæ vberum, hoc est disciplinarum incrementum. Cùm enim, vt mater liberorum amantissima, eos, populũ scilicet ex gentibus enutritum, ad diuinę ætatis mensuram videat peruenisse, nec amplius in sancta fide balbutire, aut hæsitare, pro lacte vinum effundit quotidie, altiora illis suggerens instituta. Prius enim, vt rudiores docebat eos, & Patrẽ, vt Filium, & Spiritũ sanctum Deum vnũ adorarent. Quod quidẽ erat veluti doctrinæ lac. Nunc aũt monet, vt modestiam, castitatẽ, temperantiã amplectãtur, vt iustitiam diligãt. Quæ quidẽ sunt veluti doctrinæ vinũ.

Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.

Quem enim ex te vestimentorum amictum gero, ex ijs, inquam, sacrificijs, quæ mihi abs te offeruntur, illud arbitror omnibus aromatibus præstare.

Fauum distillant labia tua, sponsa.

Doctrina enim, qua nutris filios tuos, fauo & melle dulcior est.

Mel & lac sub lingua tua.

Neque enim eadem omnes ratione alis, sed pro sua quemq; natura atq; ætate. Nam imbecilliores lacte pascis, melle autem perfectiores.

Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.

Cum ecclesiæ vestimentorũ odorem superius cũctis aromatibus anteposuerit, nũc thuri similem & parem esse pronunciat. Thus autem est omnium aromatum præstantissimum.

Trium Patrum.

Quàm pulchræ factæ sunt mammæ tuæ, soror meæ sponsa.

Mirum in modum profecto diuina sunt pulchritudine decoratæ, speculatio nimirum, & actio, quibus tanquam mammis non præter naturam, nec super naturam, sed secundum naturam verbis & moribus, tanquam infantes, animas ad pietatem alis, quas in his instituendas suscepisti.

Quàm pulchra facta sunt vbera tua à vino.

Hæc quippe tam mirifice effecta sunt pulchra ex diuinitate tibi gratis concessa, à qua tanquam à vino efferuntur ipsa tum perassiduã veritatis cognitionem, tum per firmam boni effectricem fidem. Hinc etiã diffunditur odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. Vestimenta autem sponsæ, quæ quidem magnus Apostolus Paulus electis Dei sanctis, vt induant, præcipit, sunt benignitas & humilitas: Gal. 3. quæ primo quoque homini diuinum mandatum assignauit, quo illi præscriptũ fuit, vt bonum ageret, idq; per humilitatem custodiret. Huius aũt trãsgressio exuit illũ spe diuinitatis allectũ, & naturã cõtra se ipsam efferauit. Hãc vero Deus verbũ rursus induit exẽplo suo. Humilitatis enim normã ostẽdit nobis; nam cum Phillip. 2.

in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: Benignitatis autem, quia pro salute nostra, qui fontes eramus, innocens ipse mortem subijt. Quamobrem & odor vestimẽtorum in illis, qui hæc animo sunt induti, vtpote qui benignitatem & immutabilitatem Dei præ se ferant, & propterea diuini sint, quod eiusmodi amicti sint indumẽtis, est super omnia aromata. Nihil enim comparari potest fragrantiæ diuinitatis, quã Deo desponsata nõ per naturam obtinet, sed per gratiam adipiscitur. Ac vestimenta quidem tua talem emittunt suauitatem. Cætera vero quid?

Fauum distillant labia tua, sponsa: mel, & lac sub lingua tua.

Docendi rationem ac modum seruant labia tua sic instructum, vt ab apicula fauum confectum cernimus. Neq; enim vnica ratione cunctis audientibus affers vtilitatem: sed pro cuiusq; modulo te singulis accõmodas, vt & perfectioribus, & rudioribus satisfacias. Ac mentem quidem eorum, qui sunt perfecti, diuinioribus verbis, tanquam melle, dulcissimam reddis. Qui vero rudes, tyroneſq; sunt, eorum animos tanquam lacte naturalibus exples institutis. Duplex hæc igitur nempe diuinior & humanior docendi ratio ita viget sub lingua tua, vt eas haud intempestiue promas, sed opportune atque accommodate ad eorum, qui instituuntur, vtilitatem.

Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Fragrantia scilicet operum tuorum, quibus tum vires naturaliter promis, tum in agẽdo ex mentis præscripto mores quasi vestimẽta quædam indueris, diuinæ prouidentiæ, quæ cunctis in rebus cernitur, suauitati similis est: cùm ad imitationem Dei, salutis multorum curã geras. Propria enim ratione quadam thus ad honorem Dei refertur. Ac quemadmodum thus ex proprio odore, sic Deus ex rerum omnium prouidentia, & singulorum animi affectio ex operibus indicatur. Sed cũ paulo ante odorem vestimentorum sponsæ super omnia aromata esse dixisset, nec quo modo id esset, declarasset, hic illud ostendit, dum odorem illum thuris odori similem dicit esse. Nam sicut thus accenditur ad gloriam Dei: Deus aũt sine vlla comparatione est rerum omnium præstantissimus; sic opera quæ ad diuinę fiunt bonitatis imitationem, reliquis omnibus antecedunt.

Hortus conclusus soror mea sponsa: hortus conclusus: fons signatus.

Theodoreti.

Hortum nominat sponsam, vt quæ nõ vnum pietatis virtutisq; fructum, sed multos & varios ferat. Cõclusum autem, quòd munitus sit, nec insidijs expositus. Nam portæ inferni, inquit, non præualebunt aduersus eam. Neq; enim est sicut illa, quæ ex Aegypto deducta fuit, quam vindemiarunt omnes, qui prætergrediuntur viam, & exterminauit eam aper de silua, & singularis ferus depastus est eam. Sed circũmunita est, & muro circumdata, & horto concluso comparata. Itaq; multiplices ac diuersos fructus ferens nec furum, aut insidiantium manus reformidat. Fons item est, obsignatus; cuius latices non quibuslibet, sed dignis tantum patent. Hoc de fonte Dominus quoq; locutus est, Qui biberit, inquiens, ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in ipso fons aquæ viuę saliẽtis in vitam æternam. Merito igitur sponsam fontem appellat, vt non omnibus, sed dignis duntaxat expositam. Neq; enim profanis, sed initiatis patent diuina mysteria: non in flagitijs post expiationem se iterum volutantibus, sed ex virtute vitã studiose traducentibus, aut sese per pœnitentiam expurgantibus. Nec vero solum dicit, hortus conclusus, & fons signatus, verum etiam,

Emissiones tuæ paradisus malorum punicorũ cum fructibus nucum, cypri cum nardo, nardus & crocus, calamus & cinamomum cum vniuersis lignis libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis, fons hortorum, puteus aquæ viuentis, quæ fluit impetu de libano.

Hæc, inquit, omnia misisti mihi, & tempore nuptiarum attulisti. Et primum quidem paradisum malorum punicorum, quæ paradisus nec aliorum fructuum expers erat. Pro malo punico mea quidẽ sententia per translationẽ caritas intelligitur. Quandoquidem sub vno eiusdem mali cortice multa sunt grana, ita mutuo inter se conserta, vt se vicissim non cõprimant, neq; corrũpant, sed integra conseruentur, nisi aliqua in medio putredo nascatur. Possumus ex interiectis ipsius septis ac veluti cancellis per medium discurrẽtibus aliũ etiam sensum excogitare. Multos enim inter eos, qui saluantur, dines cernimus. Nam alius est virginum ordo, alius continentium, alius matrimonij ferentium iugum, & diuitijs atq; opibus affluentium, alius inopem vitam complectentium, alius seruorum piam colentium vitam, alius dominorum recte & legitime imperantium. Eodem modo & mali punici sunt illi tanquam parietes, qui quasi cellulis quibusdã granã distinguunt, & continent. Ideo spõsæ emissiones comparat paradiso malorum punicorum. Primo namq; caritatis ipsius fructum admiratur. tum alijs quoque virtutum generibus ornatam dicit, cum fructibus nucum. Mox ea sigillatim persequitur. Cypri cum nardo. Cyprus est genus arboris, ex qua calidum oleum conficitur. Nardus autem est aromatis genus odoratum, vnde oleum fit eiusdem nominis, idem quoq; calidum, & corporum curationibus accommodatum. Crocum præterea dicit hac paradiso contineri. Egemus enim non solum calefacientibus nos, & caritatem in nobis erga Deum inflammantibus, sed refrigerãtibus etiam, & cupiditates immoderatas cõprimentibus. Crocus enim numeratur inter ea, quæ refrigerandi vim habent. Et calamus, inquit, & cinamomum. Sunt autem hæc quoque aromatum genera, sed allegorice intelligũtur. Per calamum enim scripta diuina significat. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Odoratus est autem calamus aromaticus. Lingua enim docentium pietatem omni suauitate referta

Ioan. 4

Psal. 79.

ferta est. Additur calamo cinamomum, quod in veteri lege Deo offerebatur, vt intelligamus, quæ de Deo monumẽtis sunt tradita litterarũ, tum laudabilia esse, tum odorifera, & his aromatibus comparanda. Ad hæc subijcit: Cum vniuersis lignis libani. Habet etiã, inquit, virtutes, quæ in lege continentur, non secundum litteram, sed secundum spiritum. Per libanum enim Hierusalem significari, sæpe docuimus. Habet myrrhã quoq; & aloem, cum omnibus primis vnguẽtis: id est, mortificationem cupiditatum, myrrha enim mortuorũ est propria. Et tentationum amaritudinẽ, amara enim est aloe. Habet deniq; omnia vnguenta prima, non quæ secundas, aut tertias, sed quæ primas obtinent partes. Perfectorum sunt ea, quæ perfecta sunt. Habet fontem etiam, & puteũ viuentis aquę, & de libano scaturiẽtis. Neq; enim solum doctrinam continet euangelicam, perspicue manantem, sed etiam legis puteum, puteum, inquam, aquæ viuentis, fluenta quidem abscondita complectentem, sed cum impetu & sono de libano decurrentia. Hierosolymis enim legalis floruit viuendi ratio, quæ figurate libanus nominatur. Defluxit tamen hic etiam puteus ad Domini sponsam ecclesiam, sed est reconditus, & cum strepitu fertur, & rigat ecclesiæ paradisum.

Pselli.

Hortus conclusus soror mea, sponsa. hortus conclusus, fons signatus.

Variis sponsam laudibus sponsus extollit. Hortus enim es, inquit, ò sponsa, conclusus, arborum omnium in te ipsa continens decus, & oleam fructiferam, & dulcem ficum. Fons item, inquit, es signatus. Neque enim aquas temere profundis tuas, sed fideles, salutis sitientes, potas.

Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum fructibus nucum.

His verbis ea sponsus complectitur omnia, quæ ad fidei nostræ integerrimæ doctrinã spectant, cuius timorem, decorem, fragrantiam, diuinitatem os ecclesiæ nunquam non prædicat. Emissiones enim, inquit, tuæ paradisus existunt malorum punicorum, & omni gratia sunt plenæ. Fons hortorum. Nam latices tuos haud frustra spargis, sed diuinas plantas, fideles nimirum, rigas.

Puteus aquæ viuentis, quæ fluit impetu de libano.

Adeo, inquit, virtutibus insignis effecta es, vt idem, quod ego cognomen sis consecuta. Ego enim omnino viuentis aquæ sum puteus, qui de cœlo sicut pluuia in vellus, tanquam ex alto & mirabili monte libano descendi.

Trium Patrum.

Ac talia quidem sunt membra, & vestimenta tua. Tu vero qualis?

Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus: fons signatus.

Qualis nimirum duplex hortus cõsitus tum virtutum disciplinis, quãtum ad animam pertinet, tum earum moribus, quantum ad carnem: & munitus quodam veluti mandatorum vallo. Quãtum autem ad mentem spectat, qualis fons pias erga me ac diuinas fundis cogitationes, & signo meo, vt imago mea, es obsignata, ne inimicus aduenies te non solum diripiat, sed etiam occidat, ac perdat, virtutisq; tuæ fructus asportet, & cognitæ veritatis aquam fallis opinionibus contaminet. Neq; vero tu ipsa tantum es hortus, sed emissiones tuæ paradisus cum fructibus nucũ. Hoc est, disciplinæ tuæ, quibus animas insituis propter fidei plãtas quas in illis inseris, sunt tanquam paradisus. malis punicis cõsita, super radices insertis quercuum, & propterea propriũ fructum, tanquam earum fructum ferentibus. Quarum quidem malorum punicarum radices haud facile diuelluntur, cortex autem ipsius fructus austera est, & quæ intus sunt, tuetur. Fructus vero, posteaquam ad maturitatem peruenit, confracto corticis integumento, sese tum gustu dulcem, tum aspectu iucundũ ostentat. Eodem pacto ipsa quoque etiam disciplinæ, tãquam arboris radicibus ita fidei innixæ firmitate difficile ex animabus credentibus auelluntur. Quippe quæ tum incussa suppliciorũ formidine, tanquam mali punici cortice, discipulas animas, cohibentes, spiritus fructum in ipsis ab omnibus perturbationibus integrũ conseruant: tum promissionum radijs iustitiæ solis eas ad futurorum bonorum desiderium inflammantes, timore, quem caritas expellit, tãquam cortice disrupto, quemadmodum & fructus malorum punicarũ gustum oblectat, sic mentis ipsarum guttur, dulcedine perfundunt, gustantium & videntium, suauem esse Dominum. Hæ doctrinæ igitur, dum à discipulis re ipsa tractantur & excoluntur, tum pœnarum metu à vitijs purgant, tum spe præmiorum incendũt illas ad iustitiæ opera complectenda. Cypri cum nardo. Diuersarum videlicet virtutum flores, & mixturæ, hoc est, initia, & comminationes. Vt initia namq; subsistunt in animabus, quæ instituuntur vel comminationũ metu, vel desiderio promissionum varia secundum virtutem genera in Deum & proximum caritatis. Vt commixtiones autem, persuadent illis, vt dum propter suam erga Deum caritatem carne patiuntur, mala sustineãt, ob caritatem, qua proximũ amplectuntur, lætitiamq; percipiant ex futura remuneratione. Dũ autem propter suam in proximum caritatem mala sustinent, caritatem præ se ferant, qua Deum prosequuntur, eius mandatum seruantes, quo nobis præcipitur vt proximũ diligamus. Sic igitur sponsæ doctrina fit in discipulis nardus & crocus, fistula & cinamomum cum vniuersis lignis libani, id est, quatuor virtutes præcipuæ, cum illis omnibus quæ ipsis subiectæ sunt, plantataq; in sublimitate fidei erga Deum, tanquã in monte libani. Per nardum enim, in qua aromata varia commiscentur, prudentiam intelligimus, in qua virtutum omnium rationes summatim continentur. Per crocum autem, qui mediam inter frigiditatem & caliditatem obtinet vim, & vtriusq; excludit extre-

ma iustitiam accipimus, quæ defectus & excessus in virtutibus fugit. Per dulcé vero calami fistulam, quæ leuis est, & in sublime facile tollitur, temperantia significatur. Quæ mentem graui corporeæ cupiditatis onere subleuat, eam que ad spiritalia & cœlestia sublimé tollit, eorumq; replet suauitate. At per cinamomum, cuius natura est calida atq; iocunda, fortitudinis diuino zelo aduersus impietatem atq; malitiam ardétis robur indicatur. Nec vero sponsæ doctrinę in discipulis hæc fiunt, sed myrrha quoq; & aloe cum omnibus primis vnguentis: hoc est, carnalis sensus earũ mortificatio cum omnibus primis Spiritus sancti muneribus animas, vnguentorũ instar, recreátibus. Nisi enim anima sapiat ea, quæ sunt spiritus, & sanctissima illius dona suscipiat, timoris, inquã, & fortitudinis, & consilij, & scientiæ, & cognitionis, & intellectus, & sapientiæ, carnalis sensus mortificationé, quæ per myrrhã, & aloem, quibus aromatibus mortuorum corpora condiuntur, intelligitur, non assequetur. Hæc sponsæ instituta & disciplinæ in animabus illas excolentibus fiunt etiam fons hortorum. Inde enim cognitio desluit, qua variæ in illis tanquam plantæ, insitæ, virtutes irrigantur. Et puteus aquæ viuentis, & cũ strepitu de libano decurrétis, id est, ex profunditate diuinæ ac sempiternæ sapientiæ resonantis, & docentium more diuina mysteria vulgo in explicabilia, tanquam de libano, de sublimitate in Deũ fidei depromentis. Quoniam autem spõsæ sermones atq; præcepta sponsus hortum, vt declaratum est, nuncupauit; hortus vero est paradisus, tanquam diuersarũ plantarũ locus; hortus sponsę profecto sunt animæ disciplinis eius cõsitæ atq; eruditæ, per quas ea, quæ dicta sunt, studet perficere.

Esa. 11.

Theodoreti.

Sponsa superioribus laudibus auditis, lætitiaq;, & gaudio affecta, quòd spõsus non modo pulchritudinem suam esset admiratus, verum etiam vestimenta sua commendasset,

Surge, inquit, aquilo, & veni auster, & perfla hortum meum, & fluant aromata eius. Descendat nepos meus in hortum suum, & comedat fructum nucum suarum.

Inter ea quæ diuina scriptura damnat, aquilo numeratur. Quamobrem & Deus per Hieremiam prophetã, ab aquilone, inquit, exardescent mala. Et rursum, Malum, inquit, ego adduco ab aquilone. Et alibi: Vox auditionis ecce venit, & cõmotio magna de terra aquilonis. Iubet igitur aquiloni, vt surgat, & recedat: vt auster perflet horti aromata, quæ matura sunt, vt nepos suus fructibus vesci possit. Constat autem austrum flare à meridie, & notũ appellari, quòd spirans vapore corpora repleat, & humiditate. Maior vero à meridie splẽdor etiam lucet. Vnde Abacuc à meridie Dominum venturũ prædicit. Deus enim, inquit, de Theman venier. quod & Hebræorum & Syrorum lingua significat vocem. Præcipit igitur, vt vẽtus abscedat contrarius, & gratia diuina spiret, quo maturos aromatum ipsius fructus nepos colligat

Hiere. 1.

Hier. 4.
Hier. 10.

suus, nec vllus eorum vento corrumpatur, aut decidat ante maturitatem.

Trium Patrum.

Surge aquilo, & veni auster. Facesse spiritus improbissime, qui animas quæ à me instituuntur perturbationibus, quasi aquilonis flatibus affligis. Et veni sanctissime spiritus, qui eas gratiæ tuæ donis, tanquam auris austri salutaribus calefacis.

Perfla hortum meum, & fluant aromata eius.

Animas perfla, quas ego doctrina præceptisq; meis tanquam hortum instruxi. Et in has per communicationem diuina munera tua infundantur, quibus ego quasi quibusdam aromatibus perfusa sum. Ac tum descendat nepos meus in hortum suum, in animas nimirum illas, quas ego instituí, & tanquam hortum diuinis mandatis informaui. Propterea in animabus, 2. Cor. 6.
quas dixi, inhabitat, atque inambulat dilectus meus. Et comedat fructum nucum eius. Satiet se harum animarum salute, quam ipse suum Ioan. 4.
esse cibum asseruit, meus, inquiens, cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, cuius omnino voluntas est, vt homines salui fiant. Fructus autem sponsi nucum est hominum salus, vt finis bonæ ipsius voluntatis: quæ sanctis eius mandatis continetur. quæ quidem mandata per actionem infixa sunt animabus super fide erga illum, tanquam super quercu radicatis.

Surge aquilo, & veni auster. Perfla hortum meum, & fluant aromata mea. Descendat nepos meus in hortum meum, & comedat fructum nucum eius.

Pselli.

Postea quàm ecclesia potestatem accepit omnino, vt hortus illius nominata, plantarum omnium decus in se continens, & pessimum aquilonis flatum, glacie florum pulchritudinem extinguentem, expelleret: austrum autem saluberrimum acciret, qui spirans in Sion Apostolis olim verborum fluxus instillauit: sanctissimum illum spiritum vocat, qui in hortum suum salutis auras infundat, vt omnes filij sui fructum ferant, & Christum verbum & sponsum lætitia afficiant. Cùm igitur quod iusserat, re ipsa perfectum esset, aquilonemque silentem virgo perspiceret posuisse, pulcherrimumque omnino ac diuinum austrum perflare, filios suos omnes fructiferos ostendentem: admirabilem sponsum suum obsecrat, vt in hortum suum fertilem celeriter descendat, arborumque suarum fructus carpat: hoc est, vt bonis filiorum suorum operibus oblectetur. Nisi enim ad nos humiles & abiectos ita descendat, mansuetos suscipiẽs, vt inquit Dauid, fieri nullo modo potest, vt nos in cœlum conscendamus. His sponsa precibus sponsum aduocauit. At ille, qui implet vniuersa, quiq; adest vbique, & dicit, ecce adsum, inuocantibus, antequam sponsa supplicationem expleret, illam exaudiens, descendit in hortum eius, vt ipsa voluit, & fructus arborum ipsius decerpsit. Sic enim sponsam alloquitur.

Veni in hortum meum, soror mea, sponsa. messui myrrham

myrrham meam cum aromatibus meis. comedi panem meum cum melle meo. bibi vinum meum cum lacte meo.

Descendi ego quidem, inquit, in hortũ tuum, virgo, & pulchris fructibus tuis cupiditatem meam prorsus expleui, atq; ex ardenti filiorum tuorum fide ac pœnitentia magnam lætitiam percepi. Totum autem hoc factum est, messis myrrhæ, esus mellis, & lactis potus. Hæc cùm dixisset Christus idem & sponsus, vt pro mellito conuiuio quasi gratiam aliquam referret, ipsis virginis filijs dat corpus suũ. Sic enim illos, sed dignos tantum, quos & propinquos suos ita esse dixit, alloquitur.

Comedite propinqui mei, & bibite, & inebriamini fratres mei.

Quicunque estis, inquit, operibus fratres mei, corpus meum comedite, & sanguinem bibite meum. Deinde inebriamini, inquit, præ lætitia, & propter ebrietatem stupore perculsi, omnino mundi sollicitudinum obliuiscimini.

Theodoreti.

Veni in hortum meum, soror mea, sponsa.

Veni, inquit, in hortum meum, quem tu mihi adornasti, & collegi primum myrrham meam, id est, quam ego in te plãtaui. Primus enim ego pro te mortem oppetij. Deinde tu ita mecum cõmori, atq; vna sepeliri concupisti. Consepulta enim es mihi per baptismа in morte, & mortificasti membra tua, quæ sunt super terram. Collegi ergo myrrham meam cum aromatibus meis, & reliquarum virtutum, inquit, quas à me didicisti, fructum percepi. Comedi præterea panem meũ cum melle tuo: solidum, & dulcem cibum, qui apud perfectos inuenitur. Bibi vinum meum. Iure addidit pronomen meum. Ipse enim est vitis vera, ex qua vinum hoc perfectũ est. Bibi vinum meum cum lacte tuo. Nam ne infantes quidem, ac veluti vbera sugentes, & lactentes excludit: sed ab illis etiam, ætati eorum congruentem fructum capit, cumq; bonus sit, amicos etiam ad conuiuium inuitat his verbis.

Comedite, propinqui mei, & bibite, & inebriamini, fratres mei.

Propinqui sunt ipsius viri perfecti, quiq; incorruptã seruant imaginem, & cum eo coniungi cupiunt. His nõ solum præcipit, vt bibãt, sed vt inebrientur. Est enim ebrietas, quæ temperantiam, nõ autem intemperantiam parit; quæ membra corroborat, non autem dissoluit: nam calix ipsius inebrians, perquam præclarus est. Psal. 22.
Et alibi beatus Dauid, Inebriabuntur, inquit, Psal. 35.
à pinguedine domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Trium Patrum.

Sponsæ preces sponsus exaudiuit, iuxta illud: Adhuc loquente te, dicet; Ecce adsum. Esa. 58.
Talis enim erat, quæ precabatur, vt despici non deberet. Quamobrem illi respõdens, Veni, inquit in hortum meum, soror mea, sponsa. Quem tu nimirum mandatorum meorum doctrina consueisti, quibus perturbationum procella discussa est. Flauit autem Sanctus spiritus meus, & plantæ istius horti, veluti vnguenta varia, virtutum rationes protulerunt, per quas ego quoque in hunc hortum ingressus sum, in quo voluntates meæ, sancta præcepta mea, plantata sunt. Huius ego fructum omnino decerpsi. Qui sane fructus ipsorum est præceptorum obseruatio. Soror mea, qui natura sum filius Dei, & patris, quippe quæ eius obtemperas voluntati, & ei per gratiam pro filia es adoptata. Sponsa mea, vtpote mihi per caritatem coniuncta, atque vnus effecta spiritus. Ingressus autem in hortum meum, messui myrrham cum aromatibus meis, nempe carnalis sensus discipularum tuarum mortificationem cum virtutibus, quæ illam consequuntur. Qui enim carni, & mundo sensum mortificauerunt, eum spiritui dicant, Deoque, veluti quendam aromatum fructum, præceptorum offerunt obseruationem, de qua, comedi, inquit, panem meum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. Ac panis quidem eius est ille, quem, vt antea Ioan. 4.
dictum est, ipse declarauit, meus, inquiens in euangelijs, cibus est, vt faciam voluntatem patris mei. Mel autem sunt diuina eius, eloquia, quæ linguam, à qua pronuntiantur, dulcedine perfundunt. Vinum vero est gratia diuinitatis elargitrix, quæ id, quod naturale est, supra naturam extollit. Lac autem est doli expers simplicitas. Sponsus igitur, in quas, per sancta mandata sua, animas ingreditur, eas tum nutrit, quasi pane quodam cum melle, virtute cum cognitione: tum potat, quasi vino cum lacte, concessa per gratiam diuinitate, cum remota à dolo simplicitate. Horum vero salutem tanquam panem quendam cum melle ipse comedit: ac veluti vinum quoddam cum lacte bibit. Itaque ad quos, vt diximus, ingressus est, quosque domicilia sua in Spiritu sancto constituit, ipsos inuitat ad hunc modum: comedite propinqui mei, & bibite, & inebriamini, fratres mei: qui videlicet conuersi estis, & vitia repulistis, & ad me, virtutem cum pura cognitione colentes, accessistis. Bibite autem obstupefaciens diuinitatis vinum cum doli experte erga me fide: & ab illis, quæ naturalia sunt, ad ea, quæ naturæ præstant, transferimini. Quos ego per gratiam in Sancto spiritu filios adoptaui patri meo. Hæc igitur sponsus cum per sponsæ adhortationes ad eius discipulas dixisset, ipsa se illis exemplum præbens, quo modo audire debeant vocem sponsi sui, eumque in domum introducere, Ego, inquit, dormio, & cor meum vigilat. Vox nepotis mei pulsat ad ostium. Et dormio quidem ad ea, quæ in hac vita iucunda videntur, cùm sensus mei, quasi per contemptum ipsorũ, sopiti sint. Vigilat autem mens mea, ne sponsus meus, verbum, verbis inexplicabile, veniens, inueniat eam dormitantem. In quibus autem mens vigilat, audit vocem dilecti mei pulsantis

ad eam, per quam, tanquam per ianuam quandam in animam ingreditur.

Theodoreti.

Superioribus ita pronunciatis, sponsa, Ego, inquit, dormio, & cor meum vigilat. Quamuis enim, inquit, à natura cogar oculos claudere, & somnum capere, mente tamen vigilo, & ignauiæ somnum minime suscipio, cùm sponsi aduentum expectem. Quamobrem, & ipsum pulsantem sentio. Vox enim, inquit, nepotis mei pulsat ad ostium, addamus, si videtur, his, ea, quæ diuinis in euangelijs à bono pastore dicta sunt. Oues enim, inquit, meæ vocem meam audiunt. Et rursum: alienum autem non sequentur, quia non nouerunt vocẽ alienorum. Quare beatus ille, qui pascitur, & pastoris vocem agnoscit. Beatus, qui in sponsam electus est, atq; inter adulteri, & sponsi vocem scit dijudicare. Beatus, qui dicit: non dabo somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Sed vigilat, & sponsum expectat, quemadmodum ipse dominus monet, vigilate, inquiens, quia nescitis qua hora Dominus vester venit. Idem consilium affert etiam beatus Paulus, vigilate, inquiens, state in fide, viriliter agite, confortamini, omnia vestra in caritate fiant. Dum vigilat igitur sponsa, licet dormiat somno corporeo, voce fruitur sponsi sui, eumque ad fores pulsantem exaudit. Quæ autem fores animæ sunt, nisi corporis sensus? per quos sponsa sponsum excipit, non modo pulsantem, verum etiam præcipientem, vt sibi fores aperiantur.

Ioan. 10.

Psal. 31.

Matth. 24.

1. Cor. 16.

Pselli.

Cum purus Dominus, & sponsus se sponte morti pro nobis obiecisse demonstrasset, carnemque, non autem diuinitatem omnia perpessam esse, hæc etiã ad illos, quos propinquos vocauit, loquitur, Ego dormio, & cor meum vigilat. Licet, inquit, carne, quã assumpsi, mortem pertulerim, nihil tamen omnino diuinitas passa est. Aperi mihi, inquit, soror mea, propinqua mea, columba mea, perfecta mea. Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctis. Per noctem quidem significat Iudeorum impetum, quo illum nocte adorti sunt: per rorem autem, & guttas trium dierũ mortem, quam cincinni capitis, & nõ ipse suscepit. Quoniam igitur, inquit, pro te mortem sustinui, & propter te hæc incommoda passus sum, aperi mihi, & suscipe me. Diligo enim pulchritudinem tuam, & in virtute perfectionem. Quamobrem & sororem meam, & propinquam meam, & columbam meam, & perfectã meam te nomino. Perfectã quidem, quoniam lege præscriptam tibi à me perfectionem præstas. Ego enim dixi: perfecti estote sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Et rursum: si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & tollens crucem tuam sequere me. Columbam voco, quia spiritalis effecta es, & veterem hominẽ exuisti cum vitijs & cupiditatibus, & spiritaliter potes intueri. Propinquam meam appello, quia per vestigia mea incedis, & ad me appropinquare concupiscis. Ego enim dixi: appropinquate mihi, & appropinquabo vobis. Sororem denique dico nõ solum propter naturæ, quam suscepi, necessitudinem, verum etiam propter pietatis coniunctionem.

Matth. 5.
Matth. 19.

Iac. 4.

Pselli.

Sed sponsæ Cantica rursum audiamus. Vox nepotis mei pulsat ad ostium. Aperi mihi soror mea, inquit, spõsus meus media de nocte veniens. Cordis ostium mihi, inquit, patefacito, vt in te mansionem faciam cum patre meo. virtutibus enim profecto mihi propinqua facta es. quòd si aperueris mihi, dabo tibi munus magnum rorem capitis mei, & cincinnorum guttas: hoc est, largiar tibi curandorum hominum facultatem. Ros enim meus est hominum medicina.

Trium Patrum.

Talis autem est ad me vox sponsi mei. Aperi mihi, soror mea, propinqua mea, columba mea, perfecta mea.

Aperi mihi mentem tuam, vt ego, qui comprehendi nequeo, per illam in te comprehendar. Soror mea, quatenus facis voluntatem patris mei. Propinqua mea iam facta propter mentis tranquillitatem. Columba mea, vtpote quæ sancti spiritus mei munera acceperis, quibus tanquam alis per affectionem ab omnibus terrenis rebus auolasti, atq; in me ab omni materia remoto, atq; ineffabili, & mentis captum excedente conquieuisti. Atq; ita perfecta mea, vt per actionem purgata, & per contemplationem in spiritu illuminata, & numeris omnibus per diuinitatis gratiam expolita. Aperi autem mihi, quoniã, vt dictum est, caput meum est plenum rore, & cincinni mei guttis noctis. Et caput quidem ipsius, quod per excellentiam mystice declaratum est verbum mens illa ineffabilis, quæ verbum genuit, quæq; à rebus omnibus, omni ratione infinite distat. Impletur aũt, dum tanquam rore perfectam animam implet cognitione suæ diuinitatis per terminos abnegantes, cuiusmodi sunt, supersubstantiale, sine principio, immensum, infinitum, & alij eiusdem generis. Huius autem cincinni, ex eo capite sunt bonæ patris voluntates, in spiritu sancto ab ipso vnigenito ad finem perductæ. Quæ quidem tanquam guttis nocturnis, plenæ sunt iudicijs diuinis, quòd comprehendi nequeant, imperuestigabilibus. Ex quo noctis guttæ nũcupantur, quasi minuti quidam vapores cognitionis incomprehensæ atq; inaccessæ diuinitatis. Per quas quidẽ guttulas cognitionis mens animæ Deo verbo despõsatæ patefacta & aperta ipsum introducit in domũ suam. Quapropter & tanquã causa illius: Aperi mihi: dictum est, Quia caput meum plenum est rore, & quæ sequuntur. Cæterum, ò discipulæ, quia sic vocem sponsi mei audiui, & intelligibilem ianuam meam patefeci, atque incolam possẽdi ipsum, qui innocẽtiæ est indumentum, in primis veteri mea peccati tunica, quam extransgressione contraxerã, me expoliaui. Quo modo iam induam ipsam splendido depulsam indumento? Laui pedes meos lauacro baptismatis, & sancti spiritus aduẽtu, & diuinorum mandatorum obseruatione eximie purgata. Quo modo igitur illos, improbæ cupiditatis vestigia sequens, inquinabo?

Expoliaui me tunica mea, quomodo induam illã? Laui pedes meos, quo modo inquinabo illos?

Pselli.

Ego, inquit, iampridem fores aperui tibi. Transgressionis enim crassitudinem exui, nec sententiam vnquam mutabo, vt eam iterum induam. Terrenas absterso sordes pedibus meis, eosque in salutis semitas direxi, ne vllo vnquã tempore me retro conuertam, vt inquinem illos. Hæc sponsæ verba sponsus cùm audisset, in interiore eius veluti tabernaculo voluit habitare, sed illum, vt qui comprehendi non potest, minime capiebat. Hoc enim manu sponsi, eaque sola replebatur, vt ex ipsius sponsæ cantu possumus intelligere.

Theodoreti.

Superioribus igitur verbis auditis sponsa respondet.

Exui, inquiens, tunicam meam.

Quantũ detrimenti pigritia pariat, & quantum laboris afferat ignauis, hinc perdiscamus. Dum enim excusat se sponsa, nec statim sponso ianuam vult aperire, cogitur paulò pòst non solum ad ianuam vsque progredi, sed ciuitatem percurrere, & plateas circumire, atque in custodes incidere, à quibus vulnera etiam accipit, & vix sponsum inuenit exoptatũ. Quòd si statim vocanti paruisset hæc omnia incommoda euitasset. Nunc autem, Exui, inquit, tunicam meam. Quo modo induam illam? Laui pedes meos. Quo modo inquinabo illos? Atqui hoc illi sponsus nõ præcipit, neque enim vult, vt depositum veterem hominẽ iterum sumat, aut sanctis manibus suis ablutos coinquinet pedes: sed vt sine labore, & inquinatione aperiat sibi vel aurium, vel oculorum fores, quo aut per cognitionem, aut per auditum ingressus, in animabus sanctificatis inhabitat. Verum quia sponsi excusationes afferens, tardior fuit, eam sponsus excitat alia ratione, non amplius pulsans exterius tantum, sed etiam manum per quandam rimam inijciens. Manum autem intelligimus sensum tactus, & diuinam ipsius actionem, quam vbi sponsa persensit, clamat.

Nepos meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi vt aperirem nepoti meo: manus meæ stillauerunt myrrhã, digiti mei myrrham plenam super manus pessuli. Aperui ego nepoti meo: at nepos meus declinauerat, atque transierat. Anima mea egressa est, vt nepos locutus est meus. quæsiui eum, & non inueni illum: vocaui eum, & non respondit mihi. Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me: abstulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

Quia noluit confestim aperire pulsanti, tangit eam per quendam ex sensibus (quòd foramen appellauit) inferens manum, hoc est, actionem. Amorem autem illius accendit, atque inflammat. Id enim patet ex illis verbis: venter meus intremuit ad tactum eius: quòd Theodotion vertit, calefactus est. Sponsa autem desiderio ebria surgit, & ad ostium currens, manus meæ, inquit, pessulum apprehendentes, vt aperirent, stillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham probatissimam. Perfecta enim mortificatione ad extremas vsque particulas affecta sum. Sed aperto ostio nepotem meum cerno prætereuntem, atque ingredi recusantem. Ego vero amoris stimulo concitata, & sacris illius sermonibus suspensa ad quæritandũ me accingo, nec clamare desino assidue vocans. At ille audire dissimulat, nec mihi dignatur respondere. Oberrans igitur, & dilectum meũ inquirens, incido in ciuitatis custodes, qui me non modo percusserunt, & verberarunt, sed etiam vulneribus affecerunt, & pallium abstulerunt. Murorum, & ciuitatis custodes sponsa (vt mihi quidem videtur) magistratus, & principes, & tyrannos appellat, qui sponsam ecclesiam quondam oppugnarunt; & victoria illustres martyres ipsius verberibus, & supplicijs excruciatos, animas ipsorum nudantes, & corpus ab illis, vt pallium auferentes necauerunt. Martyres enim ardentes desiderio sponsi, & vbique gentium illum in ciuitatibus, & agris, ad extremos vsque terrarum terminos prædicantes; has ærumnas omnes pertulerunt. Ex his ergo, quæ dicta sunt, discamus, omni deposita tarditate sponso pulsanti protinus aperire, ne, si discesserit, cogamur passim circumuagari, & desideratum inquirere.

Pselli.

Nepos meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

Etsi totum, inquit, ostium meum aperui, vt Christum verbum & sponsum meum susciperem, tamen vix manus eius, eaque sola immissa est. Itaque magnitudinem ipsius magnopere sum admirata. Præclare pura virgo philosophatur. Hominũ enim natura minor est, quàm vt diuinam admirandi verbi naturam opinione, aut scientia queat vniuersam comprehendere. Surrexi, vt aperirem nepoti meo. Manus meæ stillauerunt myrrham: digiti mei myrrhã plenam in manus pessuli. Ego, vt sponsum, inquit, exciperem, aperui. At ille penetralibus meis capi non poterat. Surrexi ad laboriosum & magis diuinum ordinem, vt quem antea capere non potueram, laboribus multis, & carnis mortificatione, latiorem cogitationis portam patefaciens, sponsum comprehenderem. Vnde manus meæ, inquit; cum digitis connitentes myrrham distillarunt vsque ad pessulum. Quinetiam pessulis omnibus reductis fores aperui, id est, carnis meæ membris mortificatis, animæ sensus omnes patefeci. Pandi fores nepoti meo. At ille declinauerat, atq; transierat. Quamuis fores meas patefecerim vniuersas, nõ tamen verbum & sponsum potui comprehen-

dere. Anima mea egressa est, vt nepos locutus est meus. Sustuli mentem meam, inquit, ad cœlum, vt de dilecto meo aliquid intelligerem. At ille cœlo erat sublimior multo. Sic enim deinceps loquitur sponsa & virgo. Quæsiui, & non inueni illum: vocaui & non respondit mihi. Ecquonam modo inueniri, comprehendiq; poterit is, qui nihil est eorum, quæ cognitione percipiuntur, non species, non figura, non locus, non quantitas? Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatẽ: percusserunt me, vulnerauerunt me. O pulcherrimam virginis progressionem. Ecce enim ad angelos vsque progressa est. Hi namque sunt cœlestis ciuitatis custodes. Inuenerunt enim me verbum inquirentem, & verbis deterruerunt ac vulnerarũt. Dixerũt enim id nulla prorsus ratione fieri posse, vt incomprehẽsi cõprehensio reperiatur. Abstulerunt pallium mihi custodes murorũ. Velum, inquit, abstulerunt ab oculis meis, vt clarius sponsum intuerer, qui ne ab angelis quidẽ potest omnibus comprehendi. Quamobrẽ incertior discedens omnino, custodes, id est, angelos etiam auersatur, quòd ne ab illis quidem ingens sponsi desiderium queat imminui.

Trium Patrum.

Quomodo autem, inquit sponsa ad discipulas suas, sordidã peccati tunicam deposuerim, atque purissima euaserim, audite. Nepos meus demisit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Dilectus meus demisit à patre, procedentem ab eo, spiritum ipsi consubstantialem, cuius tanquã manu peragit diuina gratiarũ munera per mentem meã veluti per foramen aliquod: & pariente me initium sapientiæ, timorem dilecti mei, tanquam iudicis, gulæ ventrisque corripitur vitium, vnde genus omne nascitur intemperantiæ. Et statim surrexi ego, vt aperirem nepoti meo: per efficacem contemplationem ab habitus dispositione sum excitata, vt mentis ianuam patefacerem dilecto meo. Manus meæ stillauerunt myrrham. Actiuæ nimirũ potentiæ meæ mens & ratio per electionem fuderunt sermones & mores carnalem sensum mortificantes. Digiti mei myrrham plenam in manus pessuli. Passiuæ scilicet potentiæ meæ, (sensus, cõcupiscentia, & iracundia) quæ menti & rationi, vt manibus digiti cooperantur propriam, per cognitionem & virtutem, mortificationem, probatissimam distillauerunt in affectionum opera, quę instar pessuli excludunt aditum incredulitatis, tanquam & huius operibus, quæ per translationẽ manus pessuli vocata sunt, mortificatis vna cum passiuis potentijs, quas memorauimus. Quoniam autem operum incredulitatis mortificatio est perfectio fidei: fides autem corruptio infidelitatis, hæc à me, vti pessulus, quemadmodum diximus, corrupta est. Aperui nepoti meo ego: mentis meæ ianuam dilecto meo per fidei affectionem patefeci. Nepos meus declinauerat atque transierat. Quippe qui menti per essentiam non subiacet, cùm per illam sit incomprehensibilis. Anima mea egressa est in sermone eius. Exiuit ab interiori cogitatione ad sensum per naturalem contemplationem, vt inueniret sponsum suum. In sermone eius. eo nimirum, quo illam est allocuta, cum diceret: egredere in vestigijs gregum: vt indicaret ei, vbi ipse pasceret. Atq; ita quæsiui eum, & non inueni. In rebus enim creatis, qui est increatus, non inuenitur. Vocaui illum, & non respondit mihi. Eum, qui est, appellaui illum; cùm ea quæ sunt, numeris omnibus antecellat. Appellaui substantiam eum, qui est supersubstantialis. Appellaui illum vitam, qui auctor est vitæ, & rerum effector vniuersarum. Non respondit mihi, cùm ea vocaretur, quæ ipse per essentiam & naturam suam non est. Dilectum igitur meum reperire quidem ipsa non potui. At sancti angeli, qui custodes sunt, & ciuitatẽ circumeunt, inuenerunt me discipulam quondam ipsorum per ignorantiam oberrantem, vacantemq; rerum naturalium speculationi illustrarunt, qui cunctam naturam, veluti ciuitatem quandam per cognitionem rationum eius circumeunt. Termini enim rerum sunt earũ rationes, quibus factæ sunt, quæq; naturas ipsarum circumscribunt. Vnde angeli, qui illas intelligunt, tanquam in terminis creaturam circumeunt. Sic igitur hi me consecuti, Percusserunt me, vulnerauerunt me, abstulerunt pallium meum mihi. Depresserunt me, indicantes mihi, me nondũ, vt oportet, Deum comprehendisse. Reprehendentes autem perculserunt conscientiam meã, quæ se increatum comprehendisse arbitrabatur; dum eum rerum, quæ creatæ sunt, nominibus vocat. At dum ostendunt diuinum numen omni esse cognitione præstantius, abstulerunt mihi pallium, id est, rationem meam, qua ita rerum cognitio colligitur, vt pallio spicæ comportantur. Deterrueruntque, ne diuinam naturam incomprehensibilem redigere conarer sub comprehensionem. Hæc egerunt in me murorum custodes, hoc est obseruatores perpetui diuinarum voluntatum, quibus tanquam muris rerum naturæ conseruantur. Quo modo hęc essent gesta, cùm discipulas suas sponsa docuisset, rursus eas iureiurando obtestatur,

Adiuro, inquiens, vos, filiæ Hierusalem per potentias & fortitudines agri, si inueneritis nepotem meũ, nunciate illi me caritate esse vulneratam.

Theodoreti.

Apparet enim sæpe etiã imperfectis adhuc, & infantibus sponsus, accommodans se eorum imbecillitati, & ad perfectionem exhortans. Neque enim egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Adolescentulas igitur iureiurando obstringit, vt, si inuenerint nepotem suum, nuncient illi quanto erga illum amore teneatur, & quòd electa caritatis sagitta sit sauciata. Adolescentulæ nepotis nomen ignorãt. Adhuc enim sunt imperfectæ, nec cognitam habent mysteriorum profunditatem. itaque Mat. 9

Qualis est, inquiunt, nepos tuus, ò pulchra inter mulieres? Qualis est nepos tuus ex nepote, quia sic adiurasti nos?

Frequenter enim, inquiunt, audiuimus te dicentem: Nepos meus, nepotis mei: nec verborum tuorum vim intelligimus. Quando igitur interpositum est iusiurandum, negligere non possumus mandata tua. Nos ergo doce, ò pulchra inter mulieres, ò adolescentularum & puellarum omnium formosissima quid sibi velit hoc nomen. Identidẽ enim resonat in ore tuo, nunc nepotis mei, nunc nepos meus. Nam si ex te qualis iste sit, didicerimus, & quibus insignis sit notis, curabimus te, & capessemus mandata tua.

Trium Patrum.

Proinde cùm hos meos ad perfectionẽ gradus explicauerim, adiuro vos, filiæ Hierusalẽ per potentias & fortitudines agri, si inueneritis nepotem meum. Quid? nunciate illi, me caritate esse vulneratam. Exemplo meo tanquam iureiurando corroboraui confirmauique vos, discipulæ meæ, quæ in mentis tranquillitate pacem cernitis, vt si per speculatiuas, & actiuas potentias, quæ in hac vita scientiam atque virtutem assequi valent, dilectum meum vt veritatem & bonum deprehenderitis, promittatis ei, vos nullo prorsus modo sordidam peccati tunicam amplius induturas aut inquinationis vestigia secuturas. Sic autem iureiurando vos obstringo, quia caritate erga vos sum saucia, & salutem vestram exopto. His sponsæ verbis ad conquirendũ sponsum ipsius incitatæ, verentur tamen ne forte speculando agendoue deceptæ pro luce tenebras amplectantur, itaque magistram interrogant hunc in modum. Qualis est nepos tuus ex nepote, ò pulchra inter mulieres? qualis est nepos tuus ex nepote, quia sic adiurasti nos? Quibus indicijs dignoscitur in contemplando? ne loco ipsius, eum, qui se lucem simulat, cùm sit tenebrę, pro veritate mendacium amplexæ suscipiamus: ò speciosissima inter eas, quæ illi sunt desponsatæ, vtpote perfecta, & magistra omniũ. Et quibus item signis in agendo distinguitur? ne perturbationibus per virtutis excessum deceptæ, & rebus secundis pellectæ pro bono malum complectamur. Hæc ex te quærimus, quia nos iureiurando deuinciens, amoris flammam in nobis erga illum suscitasti, coegistique, vt eum sedulo conquirentes inueniremus.

Adiuro vos filiæ Hierusalem per potentias & fortitudines agri, si inueneritis nepotem meum, nunciate illi, me caritate esse vulneratam.

Pselli.

Adiuro, inquit, vos per agri potentiam, hoc est, per diuinæ caritatis vim, vt sponso desiderium meum indicetis. His quidẽ verbis sponsa angelos obtestatur. At de sponsi inuentione desperantes etiam angelorum chori, cuiusmodi est, inquiunt, nepos tuus? Quibus tibi insignitur notis? Vt ignaros doce nos omnia diligenter.

Theodoreti.

Sponsa igitur discipulis suis indicat sponsi notas ac signa, dicens:

Nepos meus candidus & rubicundus, electus ex decem millibus. Caput eius aurum ophaz. coma eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. oculi eius sicut columbæ super plenitudines aquarum considentes, quæ in lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Genæ illius sicut phialæ aromatis ferentes pigmentaria. Labia eius lilia distillantia myrrham plenam. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ tharsis. Venter eius pixis exigua, eburnea, super lapide sapphiro. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius vt thus, electus vt cedri. Guttur illius dulcedo, & totus desiderabilis. Hic nepos est meus, & hic propinquus meus, filiæ Hierusalem.

Adolescentularum respondet interrogationi, & quibus sponsum argumentis agnoscere queant, ostendit. nepos, inquiens, meus candidus, & rubicundus. Prius candorem, deinde ruborem ponit. Deus enim semper fuit. Factus autem est homo, non dimittens id, quod erat, neque in hominem conuersus, sed humanam induens naturam. Candidus ergo est, vt Deus. Quid enim nitidius luce? Lux autem est vera, vt Euangeliorum verba testantur. Erat, inquiunt, lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Verum nõ modo candidus est sed etiam rubicundus. Neque enim solus est Deus, verum etiam homo. Rubicundus autem terrenum significat. Quapropter diuinæ quoque virtutes apud Esaiam conspicientes eum è terra in cœlum reuertentem quærunt, &, Quis est, inquiunt, iste, qui venit de Edom? Rubor vestium eius de Bosor? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudinẽ fortitudinis suæ? Admiranturque ipsum, & corporis pulchritudinem, quam stolam appellant. Est enim speciosus forma præ filijs hominum, quatenus homo. Nam, vt Deus, ea est pulchritudine, quæ vt inaccessa, nulla similitudine potest explicari. Quærunt autem ex eo, & dicunt: Quare ergo rubra sunt indumenta tua tanquam ex calcato pleno torculari depresso? Easque ruboris causam intelligere cupientes, docet, torcular, inquiens, calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Non enim legatus, neque angelus, sed ipse dominus saluauit nos iuxta Esaiæ Prophetiam, Conculcaui eos, inquit, in furore meo, & collisi eos in ira mea, humanæ nimirum naturæ hostes dæmones, atque ipsorum exercitum. Et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. Ex ipsorũ enim strage atque internecione quibusdam sanguinis guttis vestimenta mea conspersa sunt. Tridui mortem, significat. Non dicit autẽ: sanguine conspersus sum ego: sed aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, id est, corpus meum. Quod diligenter annotandum est. Nã diuina natura pati non potuit, sed corpus passum est: quod quidem corpus Deus verbum ita contraxit, vniuitque sibi, vt nihil inde pateretur. Diuinitas enim præstantior est, quàm vt pati possit. Iccirco sponsa, Nepos meus, inquit, est candidus & rubicundus, electus ex decem millibus. Primitiæ enim Christus omni naturæ præcellit. Quippe qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Itaq; pro omni genere

Ioan. 1. Esa. 63. Psal. 44. Esa. 63. 1. Pet. 2.

genere oblatus est hostia immaculata. Quamobrem & per Esaiam prophetam Deus vniuersorum, Ecce, inquit, puer meus quem elegi, electus meus, complacuit sibi in eo anima mea. ponam spiritum meum super eum, iudiciũ gentibus proferet. Iure igitur sponsa, nepos meus, inquit, candidus & rubicundus, electus ex decem millibus. Decebat enim illum qui sustulit peccata nostra, quæ rubra erant sicut purpura, & sicut coccinum, rubicundum fieri, & appellari. Caput autem eius, inquit, aurum optimum. Symmachus vertit lapis pretiosus. Quinta editio habet, insigne auro. Caput insigne auro. Caput ipsius allegoricè vocat diuinitatem, quã superius per candorem indicauit. Auro igitur & lapidi pretioso diuinitatem comparat, quia nullum habet vocabulum aliud accommodatius. Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Ex capitè illius fluentes gratias, mea quidẽ sententia, comas vocat. Nigras quidem vna de causa, elatas autem ob aliam causam, elatæ enim sunt fructus palmarum masculorum, qui feminis adiuncti tempestiuos etiam illarum fructus fieri curant. Quoniam igitur, qui ei crediderunt, varijs ipsius muneribus fruentes, pietatis fructum illi ferunt, merito comę eius elatis comparantur. Dicuntur autẽ nigræ, vt per profundum & obscurum colorem, abdita & inaccessa incarnationis eius ratio declaretur. Comæ elatæ, nigræ quasi coruus. Coruum hic nominauit, vt colorem tantummodo notaret. Oculi eius, inquit, sicut columbæ super riuulos aquarum. Per oculos hic rursum aspectum eius admiratur. quamobrẽ sicut columbas esse dicit. Super plenitudines aquarũ. In memoriam nobis redigit columbam illam, quæ in Iordane descendit. Neque vero quenquam offendat, quod dicit, sicut ipsæ columbæ; non autem, sicut ipsius columbæ. Legimus in diuina scriptura non modo spiritum, sed etiam spiritus. Non quòd multi sint spiritus sancti. vnus enim est spiritus sanctus ille consolator: sed quia huius munera beatus Paulus spiritus vocat. Et spiritus prophetarũ, inquit, prophetis subiecti sunt. Cùm ergo dominus Christus, vt homo omnia spiritus habuerit dona, ideo sponsa, oculi, inquit, eius sicut columbæ super plenitudines aquarum. Assidue enim ad baptismatis largitionem respiciunt oculi eius, expectantes eos, qui salui fiunt, & salutem omnium expetentes, super plenitudines aquarum. Quinetiam columbæ in lacte, inquit, lotæ, & considentes super plenitudines aquarum. Alios enim lacte nutriunt, qui eo indigent cibo. Alios, qui in peccato inueterati sunt, reficiunt, ac renouant. Considentes super plenitudines aquarum, & eas sanctificantes. Nec immerito dixit; plenitudines aquarum. Nam qui perfectam non habent fidem, quique non syncera fide accedunt, eos nõ suscipit. Qualis fuit Simon, qui baptizatus quidem est, sed indignus visus est gratia, cùm plenus non esset, sed mancus, & fidei perfectionem non haberet. Genæ illius sicut phialæ, inquit, aromatis ferentes pigmentaria. Et labia eius lilia distillantia myrrham plenam. Genas rursus & labra doctrinam vocat. Sermonis enim instrumenta sunt labra & genæ. Horum enim motu vox distinguitur & formatur. Phialas autem aromatis appellat genas, propter doctrinæ suauitatem. Pigmentaria vero ferunt, quoniam inde docendi argumenta sumunt doctores ecclesię, qui tanquam pigmentarij prædicationis, vnguentum conficiunt vtilitatis. Lilijs porro similia videntur illius labra, quia per se splendent diuini sermones, licet humani ornamenti nihil habeant. Nõ enim nent, neque texunt lilia, vt dominus docet, sed pater cœlestis vestit ea. Quoniam igitur omni humana sapientia diuini sermones sunt nudi, sed diuinam solum obtinent pulchritudinem, merito dicit labia eius lilia distillantia myrrham plenam: docent enim in præsenti vita mortificationem. Quale est illud domini documentum: Qui non relinquit patrem, & matrem, & vxorem, & agros, & vineam, propter me, non est me dignus. &, Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. &, Si vis perfectus esse, vende, quæ habes, & da pauperibus & sublata cruce tua sequere me. Iccirco distillant labia eius myrrham plenã. Manus autem tornatiles, aureæ, plenæ tharsis. Manus, eas virtutes vocat, quæ in actione consistunt, quas omnibus officijs sigillatim ita diligenter excoluit, vt inde veluti concentus quidam resultaret. Quamobrem & ad Ioannem, fine, inquit, modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Aureas appellat, vt pretiosas, & eximias. Nam illud tharsis propter auri præstantiam posuit. Illinc enim dicit diuina scriptura syncerum, & purum, ac probatum aurum deportari. Venter eius pixis exigua, eburnea, sapphiris distincta. Profunditas enim mysteriorum, & penu cognitionis (vbi sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei) sunt vasculum eburneum illis, qui reuelatione sunt digni. Et natura quidem comprehendi nequeunt. Ideo sapphiris distincta est pixis, vt rerum diuinarum ostendat arcanam profunditatem. Ac licet profunda, & recondita obscuraque sit, eburnea tamẽ efficitur illis, qui nõ sunt indigni. Quamobrẽ beatus Paulus clara voce, oculus, inquit, non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus sẽ. Nobis autem Deus reuelauit per spiritum suum. Et rursum: Mysterium eius, quod absconditum fuit à sæculis & generationibus, & quod alijs generationibus non est agnitum, sicut nunc reuelatum est sanctis eius Apostolis & Prophetis. His de causis ventrem illius pixidem dixit esse eburnã sapphiris distinctam. Ac comas eius, cùm perspicuæ sint, ait esse nigras. Illis enim, qui nondum diuinam assecuti sunt reuelationem, ea quoque videntur obscura & difficillima, quę manifesta sunt, & sensibus comprehenduntur. Qui vero ad intima mysteria sunt admissi, ijs perspicua videntur etiam illa, quæ sunt obscura. Itaque beatus item Dauid, incerta, inquit, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Quod etiam sponsa dicit, venter, inquiens, eius pixis exigua eburnea,

Esa. 42.

2. Cor. 14.

Matth. 16. Luc. 14. Matth. 19. Matth. 3. Col. 1. Eph. 3. Psal. 50.

nea sapphiris distincta, crura illius columnæ marmoreæ quæ fundatæ super bases aureas. Firmitatem eius & stabilitatẽ & constantiam perpetuitatemque per columnas ostendit marmoreas. Bases autem aureas nominauit, vt pretiosum actionũ decus declararet. Species eius vt thus, electus vt cedri. Hic rursus duplicem naturam significat. Ac diuinam quidem appellat thus, quod Deo lex iubet incendi. Cedrum autem humanam, quæ non sensit corruptionẽ. Inter arbores enim cedrus nõ putrescit. Guttur eius dulcedo. Quid enim diuinis eloquijs dulcius? Quapropter beatus etiã Dauid, quàm dulcia, inquit, gutturi meo eloquia tua? super mel ori meo. Et, Iudicia tua vera, iustificata in semetipsa, pretiosa super aurum, & lapidẽ pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Itaque & ministri principum sacerdotũ, qui ad dominum missi sunt, desiderio dulcedinis sermonum eius deliniti & capti, ad eos, qui se miserant, Nunquam sic, inquiunt, locutus est homo, sicut hic homo. Et alij clamabant: beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Quare guttur eius dulcedo. Et, totus denique desiderabilis. Dubitans enim, quibus eum laudibus præterea cumularet, vno se verbo expedit, & cuncta complectitur, quid, inquiens, in singulis eius pulchritudinis partibus explicandis moror? totus est desiderium, omnes ad amandum se trahit, ad diligendum impellit, non intuentes solum, sed audientes etiam allicit, & sui desiderio accendit. His dictis, ad adolescentulas conuersa, Hic, inquit, est nepos meus, & hic propinquus meus filiæ Hierusalem. Quando vos eum dicitis ignorare, & ex me quæritis, quis sit nepos meus ex nepote, ecce vobis indico. Talis est nepos meus, & talis est propinquus meus. Iureiurãdo igitur obstrictæ, nolite illud negligere, sed quærite nepotem meum, atque illi desiderium meum nunciate.

Psal. 118. Psal. 18. Ioan. 7. Luc. 11.

Trium Patrum.

Incipit magistra, sponsi sui notas atque insignia declarare. Ac primum quidem ea generatim enumerat, Nepos, inquiens, meus candidus & rubicundus, electus ex decem millibus. Dilectus meus (quod ad naturam diuinam pertinet) est candidus vt lux inaccessa: rubicundus instar auri, quod cæteris ex materia constantibus antecellit, vt supersubstantialis: electus ex decẽ millibus, vt solus ex patre genitus. Quantum autem spectat ad humanitatem, candidus est, vt purus atq; integer ab omni peccato. Rubicundus, vt qui proprium sanguinem in cruce pro nobis effudit. Electus ex decem millibus, vt solus ipse ex omnibus sine semine natus ex virgine. Atque ad hunc quidem modum in spiritu hunc contemplamur. Rebus autem & factis candidum experiuntur, qui ab omnibus peccatorum purgati sunt sordibus. Rubicundum, qui in varias incidentes tentationes, ex illis per patientiam, vt igneus auri fulgor ex fornace, probati resplendent. Electum ex decem millibus, qui per abstinentiam & tolerantiam mundati nullum in seipsis humanũ continent vitium, neque tamen propterea excidunt ab humilitate. Deinde sigillatim etiam sponsi sui notas & signa persequitur, Caput, inquiens, eius aurum optimum: Mens illa nimirum ineffabilis, (ad quam vt ad caput, ineffabile verbum ipsius per substantia connaturalem spiritum refert sequentem mentem tanquam aurum purissimum reliquas materias antecedens) à rebus omnibus, omni ratione, distat infinite. Caput enim Christi, vt diuus inquit Apostolus, est Deus & pater. His omnibus contemplationibus ita constitutis, ad eius experientiam, quantum capit humana natura, peruenitis, qui fidei rationi, quam mysterijs indemonstrabilibus ineffabili cognitione intellectam aut cognitam super omnem cogitationem, nihil præponit omnino: & pro ea tuenda conseruandaque totum seipsum tentationibus ac periculis tormentisque obijcit, atque ita tanquam in fornace aurum purissimum fidem retinet immaculatam. Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Bonę scilicet patris voluntates, ab vnigenito filio in spiritu sancto expletæ. Ens, vita, sapientia, & his similia, quę quidem naturaliter, vt capilli caput aliquod, tegunt vnum principium, & causam rerum vniuersarum, eumque, qui comprehendi non potest, videntur redigere sub comprehensionem. Elatæ quidem sunt arbores celsissimę ad cœlum vsque tendentes, quoniam eos, qui hæc animo amplectuntur, dũ prospiciunt ea, quæ per caritatem possidentur, operibus autem imitatione perducunt ad diuinæ beatitudinis sublimitatem. Nigræ autem quasi coruus, quia imperuestigabili diuinorum iudiciorum ratione mentis oculos in contemplatione corroborant. Nam vt color albus visum dissgregat, ita niger confirmat. Oculi eius sicut columbæ super plenitudines aquarum. Sanctissimi spiritus affectiones oculi domini vocantur. Quoniam per ipsas Deus mortales inspicere consueuit. Vt columbæ quædam ad plenos aquarum alueos incitantur, nempe ad virtutes, quæ aquarum, id est, diuinorum mandatorum è descendentium sunt conceptacula. Quia sermones earũ operibus implentur mandatorum. Incitare autem affectiones hæ ad virtutes dictæ sunt, quia nisi dominus per ipsas, animam bonum eligentem tanquam domum aliquam suam ædificauerit, incassum laborat, qui ædificat. Sicut columbæ, inquit, quæ in lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima. Paræ scilicet ac penitus mundę spiritus affectiones, quæ resident in animabus, quas ipsæ vt purgatas, & illustratas atque perfectas per gratiam repleuerunt. Ac sponsi quidem oculi sunt eiusmodi. Genę illius sicut phialæ aromatis ferentes pigmentaria. Diuinę videlicet prouidentiæ cuncta moderantis rationes (quę tanquam genæ actionibus, vt ita dicam, mouentur, & salutiferos virtutũ mores docent, & per hos spiritaliter nutriunt, molientes quodammodo id, quod in Deo secũdum essentiam intelligi non potest, dum horum actione ipsum explanant) sancto impletæ sunt spiritu, quasi odorife-

1. Cor. 11.

doriferæ quædam phialæ, variorum vnguentorũ varios illos,quos diximus, ſpiritales mores ferentes. Verbum enim Dei & patris, quo reguntur & gubernantur vniuerſa, in ſancto ſpiritu vt conſubſtantiali,prouidentia ſua cuncta diſponit & moderatur. Atque ita quidem ſe habent genæ. Labia eius lilia diſtillãtia myrrham plenam. hoc eſt, diuini iudicij rationes, (per quas verbum Dei tribuens, quod vnicuique naturæ mentique congruit, quaſi quibuſdam labris, in ſinguliis per communionem implicatur) ſunt ſplendore perſpicuæ ſicut lilia, dum rerum naturas,pro ſua quamque proprietate,firmas & ſine confuſione conſeruant, modumque docent totius mortificationis omniũ motionum,per electionem à natura diſcrepantiũ.Manus illius tornatiles,aureæ,plenæ Tharſis. Vniuerſales videlicet rerum effectrices inſtauratriceſque rationes (quæ ad creationem, & prouidentiam,& iudicium pertinent,quibus Dei verbum cuncta fecit, & regit, & ſine confuſione cõſeruat)tornatiles ſunt,& varia ipſius ſapientia expolitæ, purgataque,vt aurum ſyncerum, ab omni falſitate, & tanquam Tharſis, quod gaudij contemplationem ſignificat, plenæ vera cognitione bonitatis eius, qua omnia lætantur. Bonitas enim Græce videtur dici ex eo, quod valde ſit,aut ſit poſita,aut currat. Rerum enim eſſentia declarat Deum eſſentię præſtare. Poſitio autem propter immutabiles earum rationes, naturam ipſius prorſus immobilem. Curſus vero per mutuas illarum ſucceſsiones, motum eius actu ſempiternum. Venter eius pixis exigua,eburnea,ſuper lapide ſapphiro. Eius nimirum ſapientia, quæ in ſeipſa quatenus cauſa gerit rationes rerum,ſubiectum habet per eſſentiam ea,quæ viſibilia ſunt, vt lapidem ſapphirum propter firmitatem, atque immobilitatem,colorem que cœruleum. Per actionem autem deſcripta eſt in rebus procreatis, per quas vti liber quidam eburneus,politus,& purus diuinam tum gloriam tum magnificentiam vere perſpicueque repræſentat.Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, vt magnus ait
Rom. 1. Apoſtolus. Atque hoc quidem modo mens ex ijs,quæ de Deo per eius opera comprehenduntur,cernit id, quod per eſſentiam eius non poteſt comprehendi.In eo autem,quod per eſſentiam non comprehenditur, à labore, quem in curſu ſpeculãdi percipit,requieſcit,(Qui enim addit ſcientiam,addit dolorem.)confirmaturque rurſus ad rerum contemplationẽ. Quemadmodum albo colore corporis oculo videndi vis frangitur,eademque rurſum per eum nigro permixtum reficitur & recreatur. Ac venter quidẽ eſt talis. Crura autem illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Duo videlicet ſumma,& quæ reliqua cõplectuntur, illius mandata, vt eum & proximũ diligamus (quibus ipſum Dei verbum tanquã binis cruribus in animabus fidelibus incedit, & per ſcientiam atque virtutem curſum conficit)veluti columnæ quædam marmoreę, firma fide & vita ſplendida ſuſtinent ipſum verbum, quod creditur: ne propter nos nomen eius eo decidat,vt inter gentes blaſphemetur. Fundatæ ſunt ſuper baſes aureas, verum, & bonum; quibus tum propter naturæ immutabilitatem, tum propter promerendi benignitatem declaratur Deus, qui naturæ præſtat vniuerſæ. Poſtquam igitur ſponſa ſingulas ſponſi partes expreſsit, ſummatim iterum illum diſcipulis deſcribens,Species,inquit,eius,vt libanus,electus vt cedri. Actus eius, per quẽ Dei & patris conſubſtantialis potentia exprimitur, omnibus eſt illuſtris atq; conſpicuus, vti mons libanus,qui inter vicinos montes eminet. Bonum enim, quod vim diuinam ſignificat, ab omnibus eligitur, quoniã illud expetunt vniuerſa. Quamobrem,per actum,vt diximus,electus eſt ſponſus,& à tenebris, quæ lucem ſe eſſe ſimulant, ſecernitur. vt cedris aſsimilati iuſti, ab iniuſtis & improbis. Guttur illius dulcedo, & totus deſiderium. Nouum quippe teſtamentum,per quod tanquam per guttur, cibum conſtituit ſalutem hominum,dulce eſt gutturi noſtro. Ex eo namque dulcis manat de virtutibus ſermonis potus. Itaque totus etiam eſt deſiderium, vtpote rerum optabilium atque expetendarũ extremum. Hic nepos eſt meus, & hic propinquus meus, filiæ Hieruſalem. Hic vtique dilectus eſt meus cuius ego ſingulatim atque in vniuerſum notas & ſigna vobis expoſui. Hic eſt declaratus propinquus meus, quæ ad ipſum,vt ad veritatem per ſcientiam: vt ad bonum, per efficacem fidem appropinquaui: Filiæ Hieruſalem, diſcipulæ meæ, quæ ab omni perturbatione & vitio ſeparata diuinam pacem video: & lætitiam ab omni perturbatione remotam, Dei nimirum intra nos regnum.

Pſelli.

Candidus,& rubicundus, electus ex decem millibus.Ille eſt,inquit,vere nepos meus,qui in cruce ex immaculato latere haſta vulnerato hominibus ſanguinem & aquam mirabiliter effudit. Qui ſolus inter omnes ex virgine ſine dolore natus eſt homo. Caput eius ſicut aurum Cephatz. Qui ab omni, inquit, integer, ac purus eſt peccati labe. Comæ eius ſicut elatæ,nigræ quaſi corui. Ornatus,inquit,comarum eius ſunt Petrus & Paulus, qui antea nigri tenebroſique fuerant, & quiſquis ex gentibus baptizatus eſt,& ad illum acceſsit. Oculi eius ſicut columbæ ſuper plenitudines aquarum lotę.Illius oculi ſunt prophetæ prudentia ſimplices, & moribꝰ admirandi.Super plenitudines,inquit, aquarum lotæ,Id eſt,omnibus virtutibus exornati.In lacte conſidentes ſuper plenitudines aquarum.Non glorioſe virtuté oſtentantes, ſed admodum tranquille eam excolentes. Genæ illius ſicut phialæ aromatis ferentes pigmentaria. Labia eius lilia diſtillantia myrrham plenam. Totum aureũ indicant hæc verba Chryſoſtomum, & reliquos doctores illius æquales, maximum Baſilium, eximium Gregoriũ, quorum è labris doctrinæ ſermones melle dulciores emanarunt, quos qui deguſtant, multa implentur myrrha, id eſt, laboribus mortificant mem-

membra ſua ſuper terram, & ſimul cum Chriſto crucifiguntur, atq; exaltantur. Manus illius tornatiles, plenæ tharſis. Venter eius pixis exigua,eburnea,ſuper lapide ſaphiro. Crura illius columnæ marmoreæ,fundataæ ſuper baſes aureas. Hæc virgo pura & ſponſa cuſtodibus, hoc eſt, angelis, ſpõſi ſũi pulchritudinem ſignificans, enarrauit.Tu autẽ mihi omnia dicta per tranſlationem intellige. Quoniam enim Chriſtus ſolus caput eſt omniũ: corpus autem ipſius diuina eſt eccleſia: membra autem corporis ſanctos eſſe dicimus, alium quidem collum, alium autem pedes, per manus eius tornatiles venerandos apoſtolos accipe: diuinos ſacerdotum principes, fideles diuinæ gratiæ diſpenſatores, qui ſeipſos omnem malitiam amputantes expoliuerunt. Quamobrem ſpe bonorum repleti ſunt.Eius item ventrem ac pixidem agnoſce omnium virtute præſtantium animas & corda, in quibus Dei verbum inſculptum eſt,qui mentes,ſenſuſq; ſuos ad cœlorum regem erectos habent.Id enim ſapphirus ſignificat, qui ſolus lapis cœli ſpeciem & colorem obtinet. Per huius crura Petrũ intellige Apoſtolorum principem. In hoc enim dominus in euangelijs ſe eccleſiam ſuã ædificaturum promiſit. Species eius vt libanus, electus. Sponſi ſpeciem vere maximã, & terribilem, admirandamq;, ac diuinam ex pulchra libani altitudine conijcito. Guttur illius dulcedo, & totus deſiderabilis. Guttur eius diuus ille præcurſor fuit, qui verbi & ſponſi vox dicitur.

Theodoreti.

Cum igitur ſponſi notas & ſigna intellexiſſent,rurſus quo profectus ſit, quoue declinauerit, percontantur his verbis:

Quò abijt nepos tuus, ò pulchra inter mulieres? Quò reſpexit nepos tuus? & quæremus eum tecum

Nam ſi locum ſeceſſus illius didicerimus,nõ negligemus, ſed in eo,quem deſideras, perueſtigando nos tibi laboris ſocias adiungemus. Rurſus igitur eis reſpondet.

Nepos, inquiens, meus deſcendit in hortũ ſuum, ad phialas aromatis,vt paſcat in hortis et colligat lilia.

Quærendum eſt,cur & vnum dicat hortum, & plures. Deſcendit enim in hortum ſuum, vt paſcat in hortis. Vnica enim eſt,eccleſia,vt docet beatus Paulus, deſponsi,inquiens, vos vni
2. Cor. 11. viro virginem caſtam exhibere Chriſto.Et ali-
Ephe. 5. bi: viri diligite vxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam. At beatus item Paulus plures quoque nominat eccleſias non ſpiritus diuiſione,ſed locorum diſtinctas interuallo.Paulus, inquit, apoſtolus non ab hominibus, neq; per homines, eccleſijs Galatiæ. Et ad Corinthios ſcribens,mulieres,inquit,veſtræ in eccleſijs taceant.Quamobrem ſpõſa etiam dicit:Nepos meos deſcendit in hortum ſuum, ad phialas aromatis,vt paſcat in hortis,& colligat lilia. Omnes enim paſcit eccleſias, & phialis aromatis delectatur,ijs nimirũ, qui redolent fragrantiam ſuam, & ſponſæ pulchritudinem imitantes fiunt lilia, quos colligit, & eccleſiæ adiungit. Ad hæc ſponſa ſubijcit:

Ego nepoti meo, & nepos meus mihi, qui paſcit inter lilia,

Ex eo pendeo, atq; illi me ipſam dicaui. Nã & ipſi me orbi prætulit,ſibiq; copulauit: ex ſenio confecta reddidit iuuenem, ex inope opulentam, ex deformi formoſam: putridis,atq; fœtentibus vulneribus languẽtem curauit, repleuitq; odoris ſuauitate. His de cauſis, ita loquor: Ego nepoti meo,& nepus meus,mihi,qui paſcit inter lilia: vel vt Symmachus vertit, qui paſcit flores.Nam & eos,qui facti ſunt lilia paſcit: & illos qui digni ſunt,paſcit in lilijs. Diuinis autem ſcripturis ſuauius eſt nihil.

Trium Patrum.

Cum diſcipulæ ex magiſtra, quis eſſet ſponſus eius, per ſigna & notas ipſius didiciſſent, ſcire autem cuperent,quoniam abijſſet, ſic illam compellant:

Quo abijt nepos tuus, ò pulchra inter mulieres?

O,quæ inter animas, imaginis & ſimilitudinis pulchritudinẽm mandati tranſgreſsione perditã ideo recuperaſti, quia Dei verbo es deſponſata, quãdo ex ſignis ac notis eius abs te enumeratis,nondũ ipſum in nobis conſpicimus, quonam reſpexit nepos tuus?& queremus eum tecum, Vbi dilectus tuus, qui eſt inuiſibilis, aſpici voluit? Indica nobis, vt te duce ad præſtantiora contendentes,eum tum agendo, tum contemplando perueſtigemus, & aſſequamur. His ſponſa reſpondet:

Nepos, inquiens, meus deſcendit in hortum ſuum ad phialas aromatis.

Dilectus meus,qui ſubſtantiæ ſuæ celſitudine eſt inuiſibilis, re ipſa tanquã in hortum ſuũ deſcendit in creaturam, quam diuinis voluntatibus ſuis ipſe plantauit, & tanquam ad phialas aromatis,ad animas ſibi per fidẽ in Deum gratas ſuauiſsimo gratię ſancti ſpiritus odore perfuſas,quæ quidem gratia per contemplationem & actionem, imaginis & ſimilitudinis decus in eis ſic inſtaurat, vt ſponſus in illis tanquam exemplar in ſigno proprio perſpiciatur expreſſum. Deſcendit autem, vt dictum eſt, vt paſcat in hortis,& colligit lilia, hoc eſt,vt oues ratione præditas regat,& nutriat per ſcientiam atq; virtutem, in natura tum intelligibili tum ſenſibili,in quibus virtutum rationes ac modi tanquam in hortis quibuſdam conſiti ſunt.Et colligat veluti lilia de ſpinis, nempe ex animabus,quæ corporeis ſollicitudinibus ſuffocantur animas illas, quæ reiectis eiuſmodi ſpinis Deo parẽt ipſi, in euangelijs dicenti: cõſidera- Matth. 6.
te lilia agri, non laborant,neq; nent: Quarum etiam ſingulis dicit: Ego nepoti meo, & nepos meus mihi, qui paſcit inter lilia. Ego quippe Deo viuo,mortua mundo, & in me ſolus Chriſtus viuit,qui regit animam, quæ ipſum ſequitur, & paſcit in lilijs, in ſplẽdoribus virtutum.

Pſelli.

Hæc cuſtodibus ſponſa cùm reſpondiſſet,illi rurſus eam interrogant accuratius:

Quò abijt nepos tuus, ò pulchra inter mulieres? Quò reſpexit nepos tuus? & quæremus eum tecum.

Qualis iſte ſit, iam intelleximus. Nunc audemus illud etiã ſcire, quo deſcenderit. Nondum enim cognitam habent verbi incarnationem, quam ineffabili ratione in terram deſcendens induit, Cuius quidem incarnationis myſteriũ ne angelis quidem, ante verbi aſcenſionem ad ad patrem, fuiſſe exploratum, ex ſummo prophetarum Dauide cognoſces. cum enim angelorũ Chriſto miniſtrantiũ ordines, quando aſſumptus eſt, valde ſupplicarent, ac dicerẽt: tollite portas principes veſtras, & introibit Chriſtus rex gloriæ: illi diſpenſationis, inquit, arcanum nõ intelligẽtes, vt hæſitãtes reſponderũt: quis eſt iſte rex gloriæ? Ac ſpõſæ quidem cuſtodes ita dixerũt. Illa vero reſpõdet angelis ipſis,

Pſal. 23.

Nepos, inquiens, meus deſcendit in hortum ſuũ ad phialas aromatis, vt paſcat in hortis, et colligat lilia,

Arcana, inquit, illæ ratione deſcendit, ſicut imber ſuper lanam, ſicut ros in vellus, ita veterum puræ atq; immaculatæ virginis vt in aromatum diuinorum phialã mundam. Vnde ſine ſemine progrediens, eo quidem modo, qui illi ſoli eſt cognitus: in animas hominum puras influxit. Has enim tu, rex philas aromatũ intellige, hortum autem hunc mundum, in quem deſcendit Chriſtus, vt fideles ſanctis paſceret eloquijs. Diuina enim eloquia vocantur lilia.

Ego nepoti meo, & nepos meus mihi.

Verum, quo planius, inquit, vos doceam, ille mihi prorſus eſt ſimilis. Ad ſimilitudinem enim ſuam me prius ipſe formauit. Poſt autem grauiter colliſam renouauit, formam meam ex virgine ſuſcipiens. Sic igitur angelos ſponſa eſt allocuta.

Theodoreti.

Sponſus auditis ſponſæ verbis, quæ ſui languebat deſiderio, nocteſque ac dies de ſe tum cogitabat, tum diſſerebat, & pulchritudinem ſuam laudibus efferebat, eius miſericordia commotus, ſe illi conſpicuum præbet, ac dicit:

Pulchra es, propinqua mea, ſicut probatio: decora ſicut Hieruſalem: terribilis, vt acies ordinatæ,

Ex re, quæ propter ſpõſam facta eſt, illi nomen imponit, Nam qúia Dominus probauit terram ſuam, & conuertit captiuitatem Iacob: remiſit iniquitates plebi ſuæ, & operuit omnia peccata eius, merito ſponſam appellat probationem. Et quemadmodum ipſa in ſuperioribus ſponſum deſiderium nominauit, ex affectione ſua, qua illius ardebat deſiderio, ei nomen imponens: ſic etiam ipſe probans: & volens eam ſibi ſponſam adiungere, probationem ipſam vocat. Sic enim, inquit, es pulchra, vt probata à me atque dilecta. Nec vero ſolum es pulchra, ſed etiam decora. nec decora ſimpliciter, ſed ſicut Hieruſalem: non hæc inferior, ſed ſuperior illa, de qua beatus Paulus, Quæ autem, inquit, ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum. Illi ſimilis es, propinqua mea. Angelicam enim viuendi rationem imitaris. Meditaris in terra, quæ cœleſtia ſunt. Et in carne ambulans, non militas ſecundum carnem. Et ſecundum propoſitum perſequeris ad brauiũ ſuperne vocationis. Et quæ ſurſum ſunt, quæris, vbi ego ſum in dextera Dei ſedens. Iccirco decora es, ſicut Hieruſalem. Nec decora modo, ſed terrorem, te aſpicientibus inijciens. Ordinem enim tuum ſpectantes admirantur. Nam in te nihil inordinatum, nihil incertum, nihil confuſum, ſed omnia ordinata, & certa ſunt. Rerum ordinem diligenter retines. Quippe quæ ſponſum ſcis rebus eſſe omnibus anteponendum, & ſecundũ ſponſum, eos potiſſimum obſeruandos, qui ad eum proxime accedunt: Hisaddit:

Gal. 4.

2. Cor. 4. Philip. 3. Col. 3.

Auerte oculos tuos à me. Quia ipſi me auolare fecerunt.

Quod autem dicit, eiuſmodi eſt. Oculorum tuorum pulchritudo, & acumen in contemplando, & mentis acies, me ad te amandam incitarunt. Sed caue, ne immoderatius in me oculos intẽdas tuos, ne tibi ex ea recontingat aliquid detrimẽti. Inacceſſus enim ſum, & cõprehendi nequeo, omnemq; non hominum tantum, ſed angelorum captum ſupero. Quòd ſi terminos volueris trãſilire, & ad ea curioſius cõtendere, quæ viribus tuis antecedũt, non modo nihil aſſequeris, ſed aciem etiam oculorum hebetiorem reddes atque obtuſiorem. Ea namque lucis natura eſt, vt, quemadmodum oculum illuſtrat, ſic etiam lædat, ſi fuerit inſatiabilis.

Eccl. 3.

Auerte igitur ocolos tuos à me. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne fueris ſcrutata: ſed quæ præcipit tibi Deus, ea cogita ſemper. His rurſum adijcit laudes ſuperiores, & ait:

Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ reuelatæ ſunt de Galaad, Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum decorum. Sicut cortex mali punici genæ tuæ, præter ſilentium tuum.

Hæc, cum ſupra ſunt à nobis expoſita, ſuperuacaneum ducimus, iterum explanare. Si quis enim eorum, quæ diximus, oblitus ſit, ad ſuperiora confugiens, poterit declarationem inuenire. Non ſimpliciter autem, aut temere ſponſæ repetit eaſdem laudes, ſed vt propriæ memor pulchritudinis, eã tueatur, nec vlla inſici labe permittat Cõſidera enim, inquit, qualis antea fueris, & qualẽ ego te reddiderim, quo te decore exornarim, & quantum pulchritudinis tibi largitus ſim. Hãc tu mihi perpetuo interã conſerua. Sẽper enim tecũ manens membra tua perſcrutabor, ſtudioſeq; operam dabo, ne quid pulcritudini tuæ detrahatur.

Trium Patrum.

Virtutum decus in his adoleſcentulis, id eſt, in animabus ſponſus ipſe conſiderans, veluti ſponſam alloquitur ad hunc modum, Pulchra es, propinqua mea, ſicut probatio. Bona es, propinqua mea, ex diuinæ ſapientiæ, & bonitatis participatione, vtpote quæ voluntati meæ, per quam ex nihilo facta es, minime repugnes, ſed ex tota pendeas, dum imaginis & ſimilitudinis decus conſeruas. Quamobrem decora etiam es, ſicut Hieruſalem. Formoſa nimirum, dum notam meam, atq; habitũ ab omni perturbatione

remotiſſimum defendis in te ipſa me pacem patris contemplaris, qui te illi conciliaui. Nam Hieruſalem, vt docuimus, pacis eſt viſio. Quapropter es etiam terror, vt acies ordinatæ. Tota videlicet ſtupor, dum in contemplatione naturæ meæ incõprehenſibilis obſtupeſcis. Quemadmodum & diuini atq; angelici ordines admiratione ſtupidi, inacceſſæ pulchritudinis meæ reuerẽtia, & formitudine contremiſcunt. Proinde auerte oculos tuos à me, quoniam ipſa me auolare fecerunt. Id eſt, ne coneris me qui ſubſtantiam ſupero, ex ſubſtantia cõprehendere. Quanto enim magis in me comprehendendo laboraueris, tanto longius à mentis tuæ oculis incõprehenſus auolabo. Sed eos à ſubſtantia mea, quæ ſpectari non poteſt, ad pulchritudinem, quæ ex operibus perſpicitur contemplãdam conuerte. Et cernes me beneficum & omnipotentẽ. Spiritales enim ſunt oculi tui. Capilli vero ſicut greges caprarum, quæ apparuerunt ex Galaad. Cogitationes videlicet, quæ, vt ex capite comæ, ſic ex mente proueniunt tua ſpiritaliter, nullũ rerum huius vitæ ſenſum habẽtes, ſed in agendo, & cõtemplando, & diuinis rebꝰ perueſtigãdis occupatę, ſimiles ſunt florentibus caprarũ pilis, quæ per altum quendam & obſcurum montem, qui dicitur Galaad, conſpicuæ apparuerunt. Siquidẽ ex malitiæ & ignorantiæ, atq; impietatis tenebris, ad virtutis, & ſcientiæ, pietatiſq; lucem cõmigrarunt per euangelium, quod fidelibus iudicij futuri teſtimoniũ reddit. Galaad enim ſignificat migratio teſtimonij. Ac de capillis quidem hactenus. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis nõ eſt inter eas. Cogitationes tuæ, quibus corporea legis craſſitudinem in veros ſenſus extenuas, & ad ſpiritalem cibũ idoneum redigis, inſtar caprarũ, quę tonſę ſunt veritate tantũ conſeruata falſas omnes reijciunt opiniones: Et tanquã in lauacro à falſis opinionibus ablutæ, geminos virtutũ edentes fructus, à rebus terrenis atq; carnalibus ad ſpiritales & cœleſtes conſcenderunt. Neq; vlla inter eas inutilis eſt, aut in fructuoſa. Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquiũ tuum decorum. Vt funiculũ dimenſum atque coccineum, ſermonem proferant verum, vnde præclara quoque eſt eius pronũciatio. Sicut cortex mali punici genæ tuę, præter ſilentium tuum, propter conſtrictam ac minime fuſam orationis vim genę tuæ ſunt ſimiles cortici mali punici. Et quando non taces, breuitate corrigis in concionibus diſſolutionem.

Pſelli.

Hæc cum angelis ſponſa loquebatur, cũ humaniſſimus dominus & ſpõſus, eã clamantem, & anxiam, ac vehemẽtius ſollicitatam, in ſe indagando conſpicatus, rurſum ad laudes eius ſe ſe conuertit inuiſibiliter, pulchra es, inquiens, propinqua mea ſicut bona voluntas, decora ſicut Hieruſalem, terror ſicut acies ordinatæ. Pulchra, inquit, facta es, & macula non eſt in te, merito bonæ voluntati meæ comparata. Nam tu quoq; vis omnes homines ſaluos fieri. Præclara etiam aſſimilata es ipſi Hieruſalẽ, in qua cum patre meo requieui. Quamobrem & terrorem obtines, & formidabilis es, vt angelorum meorũ acies ordinatæ. Mihi, inquit, locutus eſt venerandus ſponſus meus, Auerte oculos tuos à me. Iam conijce in me oculos tuos. Lux enim oculorum tuorum auolare me fecit; & omnia mundi negotia deſpexi. Sed qui voluntatem diligentium ſe facit, confeſtim diuinos oculos ſuos in ſponſam coniecit, videníq; eam virtutibus exornatam, cæpit illam his verbis collaudare: Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum decorum. Sicut cortex mali punici genæ tuæ, præter ſilentium tuum. His ſponſam laudibus ad mulierum mores & nuptiarum amores aptiſſimis ſponſus extulit. Sed harum tu omnium explanationem, Stephephore, ſuperius à nobis accepiſti. Quare iam Canticorum finem audiamus.

Pſal. 144.

Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentulæ, quarum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa eſt genitrici ſuæ. Viderunt illam filiæ, & beatiſſimam prædicabũt eam. Reginæ & concubinæ laudabũt eam.

Sapientiſſimus ille Salomon, mirabilis ille propheta tanquam in ſpeculo propheticis oculis, animarum, quæ ſaltem aſſequuntur, mores & virtutes, immo, vt vere dicam, ordines & gradus aſpexit. Tres enim, vt mihi perſuaſi, ſunt ordines eorum qui ſaluuantur. At enim ſunt filij, aut mercenarij, aut ſerui. Qui enim à teneris vnuiculis ex toto corde Deum rerum omnium auctorem optimum diligunt, & amore ipſius, mundum, & que in mundo ſunt, cõtemnentes, Chriſto verbo & ſponſo coniunguntur, diuina gratia filiorum ordinem obtinent. Qui autem regni cœleſtis cupiditate adducti, vt eo potiantur, Chriſto diligenter inſeruiunt, in mercenariorum loco conſtituuntur. At qui peccatis omnibus obruti, vt ego infœlix, cruciatuum & ſuppliciorũ formidine reſipiſcunt, & pœnitentiam agunt, (quorum in numero vtinam ipſe quoq; ſim per gratiã tuam, ò Chriſte verbum ſaluator) in ſeruorum, qui tamen ſalui fiunt, ordine collocantur. Has claſſes atq; hos ordines Salomon ille proſpiciens, & diuino afflatus ſpiritu, tanto ante cernens verbi ſponſi puriſſimi in carnationem, & quæ ipſum ſine ſemine genuit, ſactiſsimam Dei genitricem Mariã illam immaculatiſsimam quã omnibus, omnes omnium hominum generationes, vocibus nunquã ceſſãtibus, beatiſsimam, prædicant, qui totius mundi peperit ſaluatorem, I vero princeps Stephephore, cùm ſexaginta reginas audis, eos intellige, qui ſexagenariũ ſibi traditum numerum talentorũ decies bonis operibus multiplicãtes diuina gratia filiorum locum ſunt aſſecuti. Concubinas aũt eos eſſe cogita, qui talẽtum ſibi à domino aſſignatum, laboribus ſalutiferis octogies multiplicantes

verbi & spõsi facti sunt mercenarij. Innumerabiles vero adolescentulas agnosce peccatores illos, qui præ nimia inertia talentum à domino acceptum in terra defoderunt illi quidem, sed tamen salutẽ obtinuerũt. Inter tot animas omnium hominũ, qui saluantur, vt electa colũba est vna illa sola, quæ Christum genuit virgo mater puella Maria, quæ puritate profecto Cherubim & Seraphim antecellit.

Peroratio.

Mandata tua, rex, explicauimus. Ecce enim canticorum Canticũ ad vmbilicum peruenit. Quòd si, princeps optime, idemq; sapientissime, quæras, quidnã in summa ex huius prophetici voluminis puritate colligatur: Mortalium naturam olim prolapsam, & errabundam, verbum, à quo fuerat condita, perquisiuit, inuentamq;, atq; humeris suis impositã dominus in cœlũ sustulit, patriq; obtulit, atq; angelis sublimiorem declarauit. Quod spiritu prophetico prospiciens Salomon, rem vario & multiplici carmine est persecutus. Nos vero iussa tua, Stephephore, capessere cupientes, vt imperio subiecti tuo, idem argumentũ pro virili nostra ciuilibus versibus exposuimus. Quod si forte à veritatis tramite alicubi deflexerimus, id mirum, aut nouum nemini videri debet. Nostrum enim erat prouinciã hanc non attingere. Cùm enim hic liber spiritu totus refertus sit, nõ debet nisi ab ijs, qui eodem pleni sunt spiritu, tractari. Verum, quando id ausi sumus, Deus omnipotens Christus mihi det veniam.

Pselli commentariorum in canticorum Canticum finis.

Trium Patrum.

Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentulæ, quarum non est numerus. Animæ scilicet, quæ non suppliciorum metu, sed promissum Dei regnum assequendi desiderio, per rationem quinque sensibus imperantem, atque vna cum illis senarium numerum conficientem sexies duplicãt decem præcepta. Animæ item illæ, quæ cupiditate quidem ad malum inclinant, sed pœnarum comminationibus territæ ad vitia operibus implenda immotæ manẽt. Nam octogenarius numerus immobilitatem, si per seipsum spectetur, ostẽdit, septuagenarij autem numeri, qui impar est, motum amplectitur. Et animæ postremo, quæ adhuc infide sunt rudes, & adolescũt, sed ad mensuram ætatis plenitudinis Christi nondum iustitiæ operibus mundatæ, atq; illustratæ peruenerunt: & quia mortuam adhuc in se fidem gerunt, nondum ad earum, quæ saluantur, ordines ascribuntur. Ex omnibus autem ordinibus, quos commemorauimus, vna est columba perfecta matri suę, electa genetrici suæ. Quæ nimirum postquam Deo credidit, & pœnarum formidine purgata est, & spe promissionum illustrata caritatis affectione bonum colit, & nulla alia de causa, sed ipsum propter se, vt natura bonum, complectitur: hæc enim vna profecto est, vtpote per diuinitatẽ vni & soli Deo coniuncta, & apud ipsum immobilis manens. Columba autem, vt spiritalis atque perfecta, cum omnium effectrice sapientia per amplum virtutum cultum coniuncta, atque in ipsa per singularum virtutum fructus progrediens. Qua quidem sapientia ab ancillis & mercenarijs eximitur, & in filiã adoptata atq; electa diuinitatem per gratiam adipiscitur. Viderunt illam filiæ, & beatissimam prædicabunt eam, reginæ & concubinæ laudabunt eam. Recta & præclara illius facta fideles tantum eius discipulæ, quas in lauacro regenerationis ipsa genuit, expertæ sunt, & solo verbo diuinã ipsam prædicabunt. Quæ aũt iustitiæ operibus illuminatæ regnum Dei consequuntur, quæq; suppliciorum timore à varijs peccatis abstinent, ipsam etiam operibus collaudabunt.

Theodoreti.

Hæc item ad eas sponsus dicit, sponsam adhortans, vt pulchritudinem tueatur.

Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentulæ, quarum non est numerus.

Multos ac varios esse piorum ordines non ignoramus. Quod dominus etiã docens, multę, inquit, mansiones sunt apud patrem meum. Et in distributione talentorum, non quina singuli talenta acceperunt, sed vnus quinq;, alter duo, tertius vnum, pro sua quisq; virtute. In seminis item parabola, Aliud, inquit, cecidit in terram bonam, & fecit fructum tricesimũ, & sexagesimum, & centesimum. Terram appellat bonam, non solum illam quæ fructum centesimum tulit, sed eam quoque, quæ sexagesimum, & quæ tricesimum. Numerus enim tricesimus laudatur, quia ternario denarium ter cõiungit. Sexagesimus autem duplicem habet cõmendationem. Nam tricesimus geminatus efficit sexagesimũ. Cẽtesimus vero est perfectissimus, tum quia à sinistra manu separatus, dexteræ principium tenet: tum quia denario completur decies multiplicato. Tetragonũ aũt, quadratumq; vocãt, qui res eiusmodi profitentur. Quãuis igitur cẽtesimus numerus perfectus sit, tamen sexagesimus etiam, & tricesimus cõmendatur. Omnes enim terrã bonam dominus nominauit. Spõsam igitur animas omni philosophia & virtute perfectas intelligamus, quæ sola sponsi caritate impulsæ labores excolendæ virtutis amplectuntur, omniaque, & facere, & pati volunt. Qualis erat beatus Paulus, cùm diceret: Certus sum enim, quia neque mors, neq; vita, neq; angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. His enim verbis ostendit, se non propter regnum cœlorum Christum diligere, sed malle se regno excidere, & in gehennam detrudi diligentem Christum, quàm ipsius priuatum caritate regno potiri. Quamobrem animæ, quæ sunt eiusmodi, & solo sponsi desiderio mouentur, sponsæ implent ordinem atque institutum. Sunt autem quidam quasi mercenarij, qui futurorum bonorum desiderio pro virtute sudores suscipiunt. Hos ergo reginas hic arbitror appellari, quod regni cupiditate concitati pietatis labores ferant. Alij præterea sunt, qui nondum donati sunt libertate, sed adhuc sponte seruiunt, & gehennæ formidine diuinis legibus parent. Hi meo quidem iudicio vocantur concubinæ. Cum ipsis enim quoque sponsus coniungitur, omnibus factus omnia. Multi sunt denique inertes & ignaui, qui nec sponsi amore flagrant, nec regni trahuntur cupiditate, nec gehennæ metu commouentur; sed vitã traducunt negligenter, cùm tamen & fidem immobilem retineant, & pietatis instituta integra tueantur, & ab omni hæretica ac peregrina disciplina abhorreant. ac segnius quidem viuentes, modo videntur seipsos curare, modo rursus ad ignauiam redire; nunc se peccatis inuoluere, nunc resipiscere, & per pœnitẽtiam lachrymas fundere. Hos spõsus hoc loco appellat adolescentulas. Et quoniam reginas, & concubinas superant multitudine, ideo, Et adolescentulæ, inquit, quarum non est numerus. Adolescentularum, inquit, nõ est numerus, non solum quia præ multitudine numerari non possunt, verum etiam quoniam indignæ sunt, quæ numerẽtur. Dignarum enim etiam capilli apud patrem numerati sunt. Sed tamen & his sponsus est, quando coniungitur, vt & ab ignauia illas amoueat, & ad ea, quæ perfecta sunt, ducat, & illius vndique salutem conquirat. Verum cur reginas sexaginta, concubinas autem octoginta dicat, consideremus. Numerus sexagenarius denarium numerum sexies amplectitur. Denarius autem indicat perfectionẽ. Senarius vero creationis mundi numerum continet. Sex enim diebus rerum omnium Deus mundum condidit vniuersum. Quæcunq; igitur in hoc mundo virtute perfectæ sunt animæ, regniq; cupidæ, sexaginta reginas nominauit. Sponsa enim mundum hunc regit, & extra ipsum existit, & supra illum volat, & sponsi efficitur tota, & de illo nunquam non cogitat. Ipsæ vero in hoc mundo versantur, & regni cupidæ ad virtutis perfectionem pro viribus contendunt. At illæ, quæ iudicij metu legibus obtemperant, merito nominatæ sunt octoginta. Nã diuina scriptura iudicij tempus appellat octauam. Itaq; beatus Dauid cùm ea, quæ ad iudicium pertinent, persequeretur, pro octaua psalmum inscripsit, cuius quidem psalmi initio, Domine, inquit, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Et paulo pòst: Quoniam nõ est in morte, qui memor sit tui. In inferno aũt quis confitebitur tibi? Quibus verbis indicat, ijs qui peccauerunt, & non resipuerunt, nullum pœnitentiæ locum datum iri. Cùm igitur hæc formidantes non regni desiderio, neq; sponsi amore permotæ diuinas leges obseruauerint, merito dicuntur octoginta. Numerus enim octauus illam octauam significat, decimus autem perfectionem. Spõsam igitur & sexaginta & octoginta dicit esse præstantiorem. Vna enim, inquit, columba mea, perfecta mea, rursus eam nominans spiritalem, atq; vnicam. Nam supra sexaginta & octoginta est vna matri suæ. Matrem autem habet sacrã piscinam superiorem illam Hierusalem. Electa autem est genitrici suæ, quæ, cùm illas quoq; genuerit, hãc tamen omnibus prætulit, & filiam electam habet. Itaque viderunt eã filiæ, & beatam prædicabunt, hoc est adolescentulæ, nec solum adolescentulæ, sed etiam reginæ, & concubinæ eam laudibus concelebrabunt. Omnibus enim ipsa præstitit, quippe quæ nec spe præmij, nec metu supplicij, sed sponsi desiderio ad summum philosophiæ fastigium aspirarit. Atque vtinam nobis item concedatur, vt diuina gratia adiuti ad sponsæ perfectionem perueniamus. Quod si consequi non poterimus, inter reginas saltem numeremur: at si ab ipsis quoq; defecerimus, haud procul certè à concubinis recedamus: sin hoc etiam gradu fuerimus indigni, saltem ad numerum adolescentularum ascribamur, puramq; pietatis professionem conseruemus, neque omnino sponsi priuemur societate, sed per eius gratiam, ipsius pulchritudine perfruamur. Quoniam ipsi est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 10.

Ioan. 14.

Matth. 25.

Matth. 13.

Rom. 8.

Psal. 6.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, IN CANTICA CANTICORVM INTERPRETATIONIS LIBER QVARTVS.

Theodoreti.

Matth. 7.

AVxilio confisi illius, qui dixit: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit: & qui querit, inuenit, & pulsanti aperietur: in præsentia peremus, vt nobis reliqua verba Cantici canticorum patefiant, & supplici voce clamabimus: Aperi oculos nostros, & considerabimus mirabilia de lege tua. Nam ipse dat verbum euangelizãtibus virtute multa. Idem aperi, inquit, os tuum, & implebo illud. Quinetiam ad multorum commodum indignis sæpe gratiam impertitur. Quamobrem speramus, eum nobis quoq; huius partis profunditatẽ planam dilucidamq; factu[illegible], non quòd eo mu-

Psal. 118.

Psal. 67.

nere nos simus digni, sed propter eorum, qui interpretationem hanc legent, vel audient, vtilitatem. Hac igitur fiducia freti, ad id, quod reliquum est, explicandum accedamus.

Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis, vt acies ordinata?

In superioribus sponsę pulchritudinē sponsus oratione descripsit. Et cū singula eius membra commendauit, tum communem rursus adhibuit laudationem, qua quidem veluti ex arte confecta, vsus est etiam comparatione, sic eam cum adolescentulis, & concubinis, reginisq; conferens, vt illam multis partibus antecellere demonstraret, eiusmodi enim inquit eam esse formæ præstantia, vt contendere omnes recusarent, seq; victas cōfiterentur, ipsamque beatam, immo vero beatissimam prædicarent. Hic autem spōsi ministri, cùm ab eo sponsæ pulchritudinem, & ornatum, & decus cognouissent, ad eam accurratius spectandam conuersi, & præ gaudij magnitudine (animæ enim ipsius pulchritudo adhuc sub corporis velo delituerat) clamantes.

Quæ est, inquiunt, ista, quæ sicut aurora consurgit?

Ex parte hactenus, sponsæ lux mortali hoc corpore contecta cernebatur. Et, quemadmodum aurora noctis est dieiq; confinium, atque huius quidem initium, illius autem indicat finem, & solem significat aduentare: sic in hac vita animæ pietate sapientiaq; perfectæ, quas ecclesię spōsæq; nomine vocat diuina scriptura, ex propria virtute quosdam emittunt splendores: cùm aūt, vt inquit beatus Paulus, corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tota ipsarū lux aperietur. Quod quidem ministri sponsi præuidentes, eam non solum comparant auroræ, sed pulchram, vt lunam esse dicūt electam, terribilem vt solem fulgore suo spectantium oculos obstringentem. Addiderunt, electā, non solum, vt discrimen inter illam & stellas indicarent, sed etiam vt ipsius lunæ perfectionem ostenderent. Quasi dicerent: vt luna plena nitens, non exilia ostentans cornua, non semiplena, non decrescens, sed perfecta ac toto orbe splendida, nō quidpiam retinens imperfectionis, sed totum globum lucidum præ se ferens. Sic igitur, inquiunt, est pulchra, vt electa luna. Tradunt autem qui in rebus eiusmodi sunt periti, lunam ex solis radijs lucem mutuari, ac lumen quidem exiguum suscipere, cùm parvula ipsius particula solem aspicit: cùm autem ex aduerso totum solem vt speculum contuetur, maculas abstergens suas, illustratur tota, nec vllam corporis partem obscuram retinet. Sic igitur & Christi ecclesia animarum virtute perfectarum cœtus reuelata facie gloriam domini speculās, vt inquit beatus Paulus, in eandem imaginem transformatur à claritate in claritatem tanquam à domini spiritu, & fit tota splendida, vt lunæ similis videatur, lunæ, inquam, electæ, id est, plenæ, nec solum lunæ videtur similis, verum etiam soli: soli, inquam, stuporem spectantibus injicienti. Neq; vero simpliciter hunc ordinem positum existimo. Haud enim temere hæc ita dicuntur à diuino spiritu. Sed, quoniam vita nox est ex beati Pauli sententia, qui, Nox, inquit, præcessit, dies enim appropinquauit, necessario vt in nocte quasi luna quædā est ecclesia, quæ iter facientibus lumen præbet, & rectam ostendit viam. Est etiam vt aurora. Nam tempus, quod domini aduentum est subsecutum, fuit veluti quædam aurora, quæ tranquillitatem futurā, quasi diei præsentiam significabat. Sicut auroram, inquit, paratum inueniemus eum. Cùm autem magna illa dies domini manifesta venerit, vt ait propheta, de qua beatus Paulus, dies, inquit, appropinquauit: tūc non iam vt luna fulgebit, sed vt sol admirationem afferens nō solum hominibus infidelibus, sed adolescentulis, & concubinis, & reginis, atq; etiam ipsis virtutibus incorporeis. Quod quidem dominus ipse testatur, tunc, inquiens, fulgebunt iusti, sicut sol. Et beatus Paulus, alia, inquit, est claritas solis, & alia est claritas lunæ, & alia est claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Progreditur autem sponsa Christi, sicut aurora. Ex parte enim hoc tempore cognoscitur illius pulchritudo. Et pulchra est, vt luna electa, quæ domini luce plena, radijs suis totum orbem illuminat. Quapropter & dominus in euāgelijs dicebat ad discipulos suos: vos estis lux mundi. Et declarans qualis nam lux, subijcit: sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Nec solū est sponsa, sicut electa luna, verum etiam vt sol in futura vita splēdebit, & fulgore suo cunctis stuporem injiciet. Admirabuntur autem ipsius non modo lucem, sed etiam ordinem. Nihil enim incompositum, nihil incertum, nihil confusum in sponsa domini. Ad amussim enim actiones dirigit, vitamq; suam, quasi regula ac norma quadam vtens, cōponit.

Rom. 13.
Osee. 6.
Rom. 13.
Matth. 13.
1. Cor. 15.
Matth. 5.
1. Cor. 15.
2. Cor. 3.

Trium Patrum.

Quando gloria magistræ est discipularum illuminatio, & purgatio, de qua etiam dicunt:

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens? pulchra vt luna? electa vt sol? terribilis, vt acies ordinatæ?

Vere admirāda est magistra nostra. Nam discipulis suis, quæ per purgationē à tenebrarum operibus recesserunt, sed per cognitionis illustrationem nondum ad iustitiæ opera peruenerunt, vt docendi ratio requirit, sese accommodat, ac præbet quasi lucem matutinam, ea celans mysteria, quæ nondum valent comprehendere, atque illa tradens, quibus percipiendis sunt idoneæ, futurarumque pœnarum minis eas ad fidem atque obedientiam adducens. Illis vero, quæ cùm veritatis crediderint prædicationi, à malitiæ tamen operibus tenebrarum nondū sunt purgatæ, ita se exhibet bonā, vt pœnitentiæ disciplina quasi lunæ quandam lucem suppeditans, ignorantiæ noctem ab eis repellat. At cum animabus illis, quæ virtute præditæ tanquam in die decore ambulant, se electam gerit, (qualis est sol, qui tum amplitudine,

dine, tum splendore cęteris cœli luminibus antecellit) & vere cognitionis lucē subministrat. Atque ita stupore ac terrore afficit se intuentes, vt instructa atque ordinata agmina angelorum. Ac de magistra quidem sua discipulæ ita locutæ sunt.

Theodoreti.

Post sponsi ministrorum laudes sponsa de se ipsa differens.

In hortum nucis, inquit, descendi, vt viderem in germinibus torrentis, vt viderem, an floruisset vinea, an floruissent mala punica. Illic dabo vbera tibi. Non nouit anima mea. posuit me currus Aminadab.

Verborum obscuritate valde abstrusus est sensus. Sed diuinæ gratiæ auxilium imploran-tes, ex profunditate thesaurum effodiemus. Ostendit, homines pios (quos diuina scriptura sponsam appellat) propria non esse salute contentos, neque illis satis esse, quòd ipsi soli nuptias optatas sint assecuti: sed totis viribus in eam curam incumbere, vt reliquos omnes homines ab infrugifera vita dimoueant, quo fertiles effecti virtutis fructum ferant. Quod quidem dum præstant, & cæteris hominibus vacant instituendis, similes sunt curribus Aminadab, vel, vt Symmachus interpretatus, est curribus populi præeuntis, vel, vt Aquila vertit, curribus populi sponte imperantis. Per hortū nucis præsentem intelligimus vitam, quæ cùm amara sit, & ærumnis, atque laboribus plena, reconditum tamen habet virtutis fructum. Nā & nucis fructus, cùm extrinsecus corticem priorem amarum habeat, alterū autem asperum ac durum, intus, tanquam in penu quodam nucleum esculentum continet reconditum, qui sine labore non potest extrahi. Talis est etiam præsens vita. cùm enim dolorum & molestiarum acerbitate referta sit, labores habet illa quidem & sudores, non tamen inutiles, aut infrugiferos. Quamobrem beatus etiam Paulus, Vita, inquit, nostra abscondita est cum Christo in Deo, cùm autē Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus. In hortum igitur nucis descendi, hoc est, in vitam humanā. Cur autem descendisti, ò sponsa, vt videres in germinibus torrentis? Rursus caduca hæc torrentem appellauit. Torrens enim nō est perennis, sed hieme quidem fluit, æstate vero fluere desinit, & arescit. Huiusmodi sunt, quę iucunda videntur in hac vita. Torrentis enim instar tum gloria, tum opes, tum regnum, tum deliciæ, atque alij huiusce vitæ flores dilabuntur. Cùm autem apparuerit vita futura, corrumpentur, & desinent, & tanquam torrens, cessantes exarescent. Descendi igitur, inquit, in nucis hortum, vt viderem in torrentis germinibus, & animaduerterem, an floruisset vinea, an mala punica floruissent. In hac enim vita, ex varijs virtutum officijs, quidam per translationem vites, quidam autem mala punica nominantur. Nam alij caritatem colunt, & concordiam diligunt, animi sensu sic inter se coniuncti, vt mali punici grana coniunguntur. Alij autem vacantes contemplationi, vinū patrijs torcularibus di-

Col. 3.

gnum ferunt. Descendere autem se dicit, quoniam aliorum naturę & moribus se accommodat. Quandoquidem & beatus Paulus fiebat infirmis tanquam infirmus, vt infirmos lucrifaceret: & ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege esset, cùm tamen non esset sine lege Deo, sed in lege esset Christo, vt eos, qui sine erant lucrifaceret. Descendi ergo, inquit, in nucis hortum, torrentis germinum, & vineæ, & mali punici fructuum curam gerens. Non recedam à te ne illic quidem, sed dabo tibi vbera mea, hoc est, doctrinæ meæ fontes. Quæ enim illis tribuuntur, ea in te conferri putas: Quamdiu, inquiens, fecistis vni ex paruis istis minimis, mihi fecistis. his subijcit. Non nouit anima mea. Posuit me currus Aminadab. Clarius vertit hoc Symmachus, dicens: Anima mea dubitauit à curribus populi ducentis. Hæc, inquit, dum facio, dubito, & obstupesco, quoniā ego studiose operam dedi vt salui fierent, ipsi autem impositorunt mihi, dum parent imperio diaboli, & tanquam currus illius fiunt, atque ab eo gubernantur. Aminadab enim significat, populi ducentis: aut populi imperantis, quod facile licet intelligere ex interpretatione Aquilæ, & Symmachi: & ex quinta editione. Sponsa igitur, id est, eorum, qui virtute perfecti sunt, chorus, ego, inquit, omne studium & curam adhibui, vt incredituli ad fidem accederent, & salutem consequerentur. Sed quidā eorum tanquam currus principis sæculi istius, qui nunc, vt beatus Paulus ait, operatur in filijs diffidentiæ, mala pro bonis retribuentes, imposuerunt mihi. Quod quidem perspicue possumus inuenire, tum in Actibus apostolorum, tum in beati Pauli epistolis. Pietatis enim sermonem promulgantes, alijs quidem persuadebant, vt crederent, ab incredulis autem ejciebantur, vrebantur, torquebantur, innumerabilia mortis genera sustinebant. Ac testis quidem beatus est Paulus, In laboribus, inquiens, plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modū, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, ter lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, & quę sequuntur.

Ephes. 2.
2. Cor. 11.

Trium Patrum.

Hæc quidē discipulæ de magistra dixerunt. Ipsa vero de discipulis ad sponsum ita loquitur: In hortum nucis descendi, vt viderem in germinibus torrentis, vt viderem, an floruisset vinea, an floruissent mala punica. De mysticæ contemplationis sublimitate descendi ad animas virtutis excultrices, tanquā ad nuces, quarum cortex exterior alter quidem amarus, alter autem durus est, nucleus autem, qui his corticibus includitur, iucundus: dulcedo nimirū virtutis, quæ tum amaritudine grauium tentationum, tum asperitate laborum sponte susce-

ptorum, à perturbationibus & vitijs in defectu atque excessu consistentibus in medio conseruantur. Vt viderem in patientia ipsarum, quæ veluti partus quidam ex tribulatione tanquam ex torrente tentationum (tribulatio enim patientiam operatur) vel per gratiarum actionẽ, vel per lamentationem offertur tibi non acerbe, sed medici more castiganti. Vt viderem
Ioan.15. rursus, an is, qui in euangelijs dixit: ego sum vitis, in hac patientia appareat sicut flos botri vinum naturam obstupefaciens per diuinitatis gratiam producentis. Qui enim ipsam quoque naturam propriam per patientiam despicit, diuinitatis gratiam natura præstantiorem adipiscitur. An floruisse͂t mala punica. An(quę instar malorum punicorũ, quibus cortex quidem extrinsecus adest astringendi vim habens, intrinsecus autem inest fructus gustantib⁹ dulcedinem afferens) virtutes illæ timoris tui austeritate conseruatę, gustantium autem animos spei in te dulcedine delectantes, nempe prudentia & simplicitas ad similitudinem fructus florescentis extarent in patientia. prudentia quidem fidem erga te ab hostis ictibus, veluti caput quoddam integrum seruans: simplicitas autem dilectionem erga proximũ in varijs tentationum inuasionibus. Quemadmodũ in euMatth.10. angelijs ipse dixisti: Ecce mitto vos sicut oues inter lupos. Estote ergo prudẽtes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Illic dabo tibi vbera mea. In eo nimirum virtutum horto, quẽ dixi, quæ sunt discipulæ in ipsis plantatæ, naturalem & moralem doctrinam meam, quarum quasi mutuo ac naturali quodam lactis cibo ipsas nutrio, prębebo tibi sponso, ea ratione obtemperans voluntati tuæ, atque illas tibi à me institutas adducens. Tum ad discipulas conuertens sermonem, descendi, inquit, ad vos ab illa magis arcana speculatione, qua sponsum meũ in me ipsa contemplor, vt viderem ipsum in vobis, quemadmodum dixi. Sed non nouit anima mea. Nondum profecto illum in vobis perspexi, quę quidem adhuc perfectæ non estis secundum Christum. Hic autem iccirco posuit me currus Aminadab, hoc est, currus me suos constituit, quę disciplinis, eum in me ipsa, ad vos, habita cuiusq; vestrum ratione, perferrem. Aminadab enim interpretamur principes populi, qui Christus est nostræ salutis auctor.

Theodoreti.

Cum dixisset hæc sponsa, ministri sponsi ita respondent, ac dicunt:

Reuertere, reuertere Sulamitis: Reuertere, reuertere: & intuebimur in te.

Clarius hæc Aquila vertit, hoc modo:

Reuertere, reuertere pacifica.

Quemadmodum in hoc libro dominus noster Salomon, id est, pacificus: sic etiã eius sponsa, vt ab illo pacem assecuta, & à veteri liberata bello, pacifica nominatur. Eam igitur ministri sponsi, cùm à curribus illis vexatam oppugnatamque perspicerent, cohortantes, reuertere, inquiunt, pacifica, reuertere reuertere, & intuebimur in te. Ne timeas eos, qui te persequuntur, sed doctrinam retine, pietatis prædicationem profer. Currus ne reformides, bellum ne metuas, quæ pacata, & tranquilla nominaris. Si enim in disciplinæ promulgatione perstiteris, regnum tuum intuebimur. His ea videntur similia, quæ ad beatum Paulum à domino dicta sunt. Etenim illequoque laboribus fessus, & multis afflictus tentationibus, datus est, inquit, 1.Cor.12. mihi stimulus carnis, angelus satanæ, qui colaphizet, vt non extollar. Propter quod ter dominum rogaui, vt discederet à me. Respondit ergo illi, sufficit, inquiens, tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur. Id etiam hoc loco dicunt sponsi ministri: reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere reuertere, & intuebimur in te. Ad hos sponsus,

Quid, inquit, intuebimini in Sulamitide, quæ venit sicut chori castrorum?

Quid, inquit, in pacifica speratis intueri? Ne putetis, vos exilia, atque inchoata quædam bona conspecturos. Ecce enim venit, sicut castrorum chori. Quæ quidem verba videntur inter se quodammodo pugnare. Neque enim castris conueniunt chori. Hi namque rebus ciuilibus pacatisque congruunt, illa bellicis & militaribus. Pax autem bello contraria. At sponsa multis è sanctis conflata cùm propter fortitudinem, atque excelsum animi robur, armaq; militaria castris est similis: tum etiam chorus existit diuinas laudes in ore gerens. Quod quidẽ beatus ostendit Dauid, vox, inquiens, exultatiPsal.117. onis, & salutis in tabernaculis iustorum. Et rursus: constituite diem solennem in condensis vsque ad cornua altaris. Castra vero declarat beatus Paulus, arma, inquiens, nostra non car-2.Cor.10. nalia, sed valida per Deum ad destructionem munitionum: consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiã Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Et alibi, Acci-Philip.6. pite, inquit, armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Ac veluti Imperator quidam arma quoque militibus subministrat, state ergo, inquiens, succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes vestros in præparatione euangelij pacis, & in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Quòd autem non solum castris, sed etiã choris sancti similes sint, audiamus dominum id explicantem. Tunc, inquit, simile erit regnũ cœMatth.25. lorum decem virginibus, quę accipientes lampadas suas exierunt obuiam sponso. Iure igitur sponsus ait: quid videbitis in Sulamitide, quæ venit sicut chori castrorum? Neque vero dixit: castra castrorum, sed, chori castrorũ. Ex castris enim fiunt chori. Cùm enim in castris vicerint virtutis milites, pæana canentes reuertuntur, & choros ducentes victorię præconium laudibus concelebrant.

Trium Patrum.

Discipulæ dicunt ad sponsam.

Reuer-

Reuertere, reuertere Sulamitis: Reuertere, reuertere: & intuebimur in te.

Ab arcanæ contemplationis sublimitate ad moralem quatuor generalium virtutũ doctrinam descende, atque ex quadruplici earum ratione, nos, quæ perturbationibus adhuc commouemur, rege, atque institue, ò Sulamitis, ò quæ ab omnibus perturbationib⁹ libera, tranquillitatis & pacem nomen habes. Et ea spectabimus in te, quæ propter nostram imperfectionem adhuc in nobis non vidimus. Quærit autem à discipulis sponsa, ecquid in Sulamitide, quæ venit sicut chori castrorum, sint conspecturæ. Quid nam conspicietis in me pacificã? (vt quæ non amplius per actionem, in hostili certamine, animi affectionem per corpus ostendo, sed ratione & scientia propter perfectionem veris in bonis permaneo) quæ ex perturbationum bello multiplex redeo, sicut chori quidam ex prælio reuertentium victoriæ præconium celebrantes. Cùm enim strenue vos in certamine aduersus vitia, virtutum institutis, & moribus gesseritis, horum rationes vti victorię laudes scite concinitis.

Theodoreti.

Hęc cùm ad ministros dixisset sponsus, orationem ad sponsam conuertit,

Quàm pulchri, inquiens, sunt gressus tui in calceamentis, filia Nadab.

Aquila vertit, principis: Symmachus, ducis. Quis autẽ alius hic siue dux, siue princeps esse possit, nisi sanctus ille spiritus consolator? qui in 44. item psalmo ad ipsam, audi, inquit, filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiicere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum: quia ipse est dominus tuus. Quòd autem dux etiam appelletur
Psal.50. Spiritus sanctus, beatus docet Dauid, Redde, inquiens, mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Sponsus igitur primo sponsæ commendat incessum, qui rectus sit, & viam regiam teneat, atque in calceamentis eluceat. Quæ porro sint hæc calceamenta, beatus
Ephe.6. Paulus ostendit dicens: calceati pedes in præ-
Esa.52. paratione euangelij pacis. Pedum istorum decorem prospiciens Esaias propheta, Quàm pretiosi, inquit, sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Huiusmodi verbis vsus est etiam sponsus hoc loco, Quàm pulchri sunt gressus tui, filia Nadab. Verum vt non modo ex nominis interpretatione, sed etiam ex ipsa persona cõtemplationis alicuius nascatur occasio, quis Nadab sit, inuestigemus. Fuit
1.Paral.24. Aaron filius, qui cùm ignem alienum in Dei tabernaculum intulisset, vitę finem accepit. Inuenimus igitur & domini sponsam ecclesiam diuinum in tabernaculum non ignem legalẽ, sed quem ab ipso sponso susceperat, intulisse.
Luc.12. Ignem enim, inquit, veni mittere in mundum. Et quid volo, si iam accensus est? Ignem hunc
1.Cor.5. nouum ex nouo testamento in Dei tabernaculum intulit sponsa clamans, & dicens: Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Merito igitur vocat eam filiam Nadab, quæ igne nouo sacrificium hominum obtulerit. Licet enim diuerso consilio ignem commutarint, idem tamen ab vtroque factum est. Hęc autem à nobis in præsentia dicta sunt, ne sine disquisitione nomen hoc præteriretur. Rursum ergo sponsus omnia sponsę membra percurrit, & propriã singulis tribuit commendationem.

Concinnitates femorum tuorũ, sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis nõ indigens poculo. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs. duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ. collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Esebon in portis filiæ multorum. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit faciem Damasci. Caput tuum vt Carmelus super te. Et coma capitis tui sicut rex purpura inuitus in transcursibus.

Antea sponsus à superioribus sponsæ partibus incipiens eam laudauit. Nunc ab incessu & calceamentis initium sumens ad capitis cæsariem vsque singula percurrit. Ac post calceamenta atq; incessũ admiratur nõ femora, sed aptas & concinnas femorũ iuncturas, quas monil ib⁹ similes dicit esse ab artifice fabrefactis. Quemadmodum enim, inquit, illa ex auro confecta & lapillis apte inclusis distincta sunt, adeo, vt spectantes non solum pretiosam auri lapillorumque materiam, verum etiam aurificis artificium admirentur: ita singulæ virtutum moralium particulę numero & concentu inter se implicitæ atque coniunctæ sunt. Allegoricè autem femora appellat virtutes morales, quoniam illis iter facientes, agimus ea, quæ volumus. Sponsam ergo commendans sponsus, ab illis incipiens virtutibus, quæ in actione consistunt, & ad eas progreditur, quæ pertinent ad contemplationẽ. In superioribus autem à contemplatione principium⁹ sumens ad actionem progressus est. Dicebat enim: oculi tui sicut columbæ, spiritalem animæ speculationem significans. Hic autem moralem prius virtutem admiratur. Ac merito id quidem. Primo enim illuminati, & clausos mentis oculos aperientes, diuinamq; admittentes lucem, fide confirmamur: deinde ad agendum ex virtute progredimur. Iccirco sponsus laudationem contexens ab oculis exorsus est, quoniam ipsi primi curationem admittunt. Nunc autem quoniam perfecta est sponsæ pulchritudo, ab inferioribus partibus exorditur, & sponsæ formam laudibus extollens, eas primum virtutes enumerat, quæ in actione consistunt, tum ad eas accedit, quæ sitę sunt in contemplatione. Gressus enim extollit, & calceamenta, mox femorum concinnitatem, post autem vmbilicum. Vmbilicus, inquit, tuus crater tornatilis, non indigens poculo. Afferamus ea, si videtur, quæ de vmbilico Iudææ ab vniuersorum Deo per Ezechielem prophetam dicta sunt. Impudicitiam enim illius redarguens, & magnam impietatem accusans, vt in primo libro persecuti sumus: Fac, inEzech.16. quit ad prophetam, notas Hierusalem impietates suas. Et dices: Hæc dicit Dominus Hierusalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhęus, & mater tua Chethæa.

thæa. Et quando natae es, in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus. Ad illam igitur ait: Non est præcisus vmbilicus tuus. Ad hanc autem: Vmbilicus tuus crater tornatilis, non indigens poculo. Illa enim ex Aegypto oriunda non præcidit vmbilicum suum: sed veluti per radicem quandam ex Aegypto impiæ doctrinæ traxit improbitatem. Hæc autem non simpliciter modo præcidit vmbilicum suum sed ita penitus amputauit, vt omnem idololatriæ radicem euelleret, & crateri tornatili similis videretur, qui lætitiæ poculum semper habet, nec gaudio, quod ex pietate proficiscitur, vnquã indiget. Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs. Id est, animæ tuæ penu arcanis plenum mysterijs, quorum odor solus imperfectis adhuc & infantibus notus est. Lilijs enim, inquit, est circumuallatus, vt per vallum ac septum eius, quæ recondita sunt, per lilia autem vndique ex eo fluentem fragrantiam intelligamus. Et duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Nam doctrinæ tuæ fontes, nouos latices effundentes, mentis aciem, & spiritalem contemplationem docent. Caprea enim ex videndi acumine dorcadis cognomen habet: & hinnulus nouum significat. Collum autem tuum sicut turris eburnea. Remotũ enim est à nigredine, & iugum meum suscipiens factum est candidum. Et cum hostibus, vti turris, est formidandum, tum amicis amabile propter nitorem. Oculi vero tui sicut piscinæ in Essebon in portis filiæ multorum. Hoc vertens Aquila pro Essebon posuit cogitationem. Docet igitur sponsus animarum piarum oculos esse piscinas, quæ diuina fluenta suscipiunt, & exundãt perpetuo, quippe quæ multis è portis, id est per ora multa (per translationẽ enim portas ora nominauit) copiam aquarum admittunt. Siquidẽ à magno Mose & à Iesu filio Naue, & à Samuele propheta, & à Dauide, eodem tum propheta, tum rege, & ab Esaia, & Hieremia, & Daniele, & Ezechiele, à duodecimque prophetis, & ex diuinis euangelijs, & sacrosanctis Apostolis, & à doctoribus, qui post illos fuerunt, latices vtilitatis excipiunt. Ideo sponsus ait: Oculi tui sicut lacunæ in Essebon, in portis filię multorum. Contemplationes enim animę tuæ, & piarum cogitationum copia similis videntur piscinis aquas vndique susciptentibus: quandoquidem per ora multa doctrinę latices excipiunt. Et nasus tuus est sicut turris Libani, quæ respicit faciem Damasci. Nam Iudeæ nasus propter inobedientiam & audaciam effrenatam circulum tanquam frenum accepit, vt taurus cornu petens, legis minas. Nam vt vacca lasciuiens declinarit Israel. At sponsæ nasus est, inquit, sicut turris Libani, quæ respicit faciem Damasci. celsus enim est, ac sublimis, & cœlestem suscipit odoris suauitatem sponsique vnguentum percipiens, clamat: Post te in odorem vnguentorum tuorũ curremus. Iccirco comparata est turri, quæ in Libano sita est, & respicit Damasci faciem. Nam quia Diabolus, vt asserit beatus Paulus, in angelum lucis transfiguratur, vnguentique spiritalis speciem sumit, necessario sponsæ nasus erectus ac vigilans respicit faciem Damasci, ne decepta verum omittens vnguentum, fallax & adulterinum sequatur. Damascum autem pro gentilibus, atque impietate, quæ eo tempore vigebat, frequenter ponit diuina scriptura. Vt cùm beatus Esaias, ea, quæ ad domini ortum pertinent, prænunciaret atque ex Spiritus sancti persona dixisset: Accessi ad prophetissam, id est ad virginem, & concepit & peperit filium: subijcit dicens: Et dixit dominus ad me: Voca nomen eius, Celeriter spolia detrahe, velociter prædare. Quia antequam sciat puer reuocare patrem, aut matrem, auferet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ coram lege Assyriorũ. Adhuc scilicet puer exiliens regem Assyriorũ, id est, diabolum profligabit. Auferet autẽ Damasci fortitudinem, hoc est, idololatriæ robur euertet, & ipse captiuis sub diaboli potestate constitutis potietur. Auferet enim, inquit, fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ. id est, Iudæos gentilesque liberans, & ab erroribus abducens, deuicto tyranno, in suam rediget potestatem. Merito igitur ad sponsam ait: Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit faciẽ Damasci. Prospicis enim, ne diabolus sub specie rerum diuinarum te decipiat, & pro veritate mendacium obtrudat. Et caput tuum vt Carmelus super te. hoc est, omnibus refertum bonis. Nam Deus omnium, arguens ingratos animos Iudæorum. Et induxi vos, inquit, in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & bona illius. Simile est igitur, inquit, caput tuum Carmelo omnia bonorum genera ferenti, & omnem fructum mihi agricolę suppeditanti. Sequitur autẽ: Et coma capitis tui sicut rex purpura indutus in accursibus. Capilli enim tui veteres erant dissoluti, atque ideo capris assimilati, quæ apparuerunt in Galaad. Nunc autẽ compti sunt, nec solum compti, verum etiam mirifice tincti, vt regi purpura induto, & vndique diffluenti similes videantur. Vocat autem crinium nexum & plicaturam purpuræ comparatam, doctrinam aptè & decorè compositam ac pronunciatã, quæ Christi sanguine tincta atque conspersa sit. Neque enim adeo fulget rex amictus purpura, vt doctor pietatis, qui diuinæ cognitionis prædicat disciplinam, eaque veritatis alumnos imbuit.

Esa. 8

Hiere. 2.

Osee. 4.

Cant. 1.

1. Cor. 1

Trium Patrum.

Discipulæ autem sponsam sic incipiunt collaudare. Quàm pulchri facti sunt gressus tui in calceamentis, filia Nadab. Mirabilem ostendunt pulchritudinem gressus tui, quibus te nobis per virtutum actiones accommodas, quò in earum moribus, tanquam in calceamentis incedens, per corpus eas nobis imperfectis demonstres, vt ad virtutem informemur exemplo tuo, filia Dei, quippe quæ, vt patris, audis sermones eius, qui omnibus, etiamsi nolint, tibi autem volens dominatur. Nadab enim est princeps, siue dux, qui sponte imperat. Sic autem per virtutem pulchri sunt gressus tui, quia concinnitates femorum tuorũ sunt sicut monilia,

nilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Recte videlicet rationeque compositi motus potentiarũ in generatione ac corruptione consistentium (cupiditatem atque iracundiã dico) quasi ab artifice ratione, ab ijs, quæ generantur, & corrumpuntur, ad superiora inflexi, similes sunt monilibus manu artificum fabrefactis, & figura flexis. Quamobrem & vmbilicus tuus crater tornatilis, non indigens poculo. Omnino vis sensitiua (per quam, vt per vmbilicum infans in vtero, rerum sensibilium speculatione, tuab omnium matre sapientia comprehensa & malitia paruula naturaliter nutriris) receptaculum est naturalis rerum visibiliũ cognitionis, recte gladio spiritus exectũ, & ab omni fraude seiunctum, ac propterea haud temere, quæ sub sensum cadunt, percipiens, non simplices virtutum species affert, sed omnes spiritalibus earum rationibus temperatas. Venter autem tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs. Vis nimirũ imaginatiua, quæ quidem (vt venter simul cum rebus superfluis ciborum succos ab illis indiscretos continet) vna cum rerum visibilium speciebus earum rationes gerit, est repositio & conseruatio (quod quidem aceruus indicat) rationis rerum omnium veritatis, quæ inter species, vt inter spicas triticum, circumtecta includitur, donec per scientiam cogitatio ipsam distinguens attraxerit, nudamque ab omni integumento ac dubitatione ad mentem transmiserit. Circumuallata autem & custodita est hæc repositio tranquillitatẽ, quæ agri liliorum exemplo in euangelijs declaratur, ne istius vitæ sollicitudinibus mens quasi bonus agricola spiritali ipsius fructu priuetur. Atque ita quidem se venter habet. Duo autem vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Naturalis & moralis doctrina, qua nos imperfectas, tanquam lacte, tum rationibus naturalibus, tum moribus ad eam, quæ in Christo est, perfectionem nutris: pariter ex te tum acute per contemplationem, tum per actionem celeriter fluit, cùm neque rationem sine actione, neque actionem sine ratione doceas esse complectendam. Ad hæc collum tuum sicut turris eburnea. Rationis vis, quæ vt collũ capiti corpus reliquum, ita menti sensum connectit, turris quidem instar per virtutem à rebus carnalibus ad spiritales ac cœlestes extollitur; leuis est autem & pura quale est ebur, quoniam ab inæqualitate, quæ in excessu defectuque virtutis inest, & animas inquinat, est remotissima. Et oculi tui sicut piscinæ in Essebon in portis filiæ multorum. Animæ tuæ potentiæ speculatiuæ, tanquam piscinæ, aquas, quæ in se influunt, colligentes; in diuinæ vbertatis (id enim significat Essebon) per virtutem incremento, sensuum opera, per quos quasi per quasdam portas in animam intellectiuam cognitio rerum ingreditur, ex varia rerũ natura colligunt cognitionem, quæ ex contemplatione comparatur. Præterea nasus tuus sicut turris libani, quæ respicit faciẽ Damasci. Nempe vis discernendi (quæ vt suauitatem à fœditate, sic ea, quæ suggerunt ministri spiritus in ministerium missi, propter eos, qui salutis hæreditatẽ consequentur, ab ijs, quæ à nequitiæ spiritibus suggeruntur, dijudicat) est veluti celsissima turris super montem libanum sita, quæ respicit faciem vrbis Damasci, atque inde hostium aduentum indicat Israeli: spirituum immundorum impetus & insidias respicit & discernit, ipsorumque dolos menti tuæ Deum, quoad licet, intuenti denuncians, te ab eorum fraudibus & iniurijs integrã conseruat. Talis autem est vis tua discernendi ac iudicandi, quoniam caput tuum vt Carmelus super te, (Christus vtique sponsus tuus, viuens atque efficax verbum pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus) cognitio est circumcisionis, quæ in te est (sic enim Carmelum interpretamur) amputans à te quod ab ortu habes vitiorum integumentum gladio spiritus. Ex quo fit, vt mentis tuæ oculus intelligibilium hostium astutias facile perspicere valeat, nulla perturbatione tenebras offundente. Quamobrem & coma capitis tui sicut purpura. Christi doctrina videlicet rationum & morum nexu contexta, tanquam regis indumentum est animi tui amictus, in quo ille perturbationibus dominatur, & est rex vinctus in transcursibus, hoc est nulli subiectus perturbationi, sed diuinæ illius, quam diximus, doctrinæ funiculo ligatus in transcursib⁹ præsentis vitæ, ne rerum sensibilium & caducarũ lubrico prolabatur.

Ephe. 4.

Theodoreti.

Quàm decora, & quàm iucunda facta es caritas in delicijs tuis.

Decora enim facta es, cùm antea non esses: & cùm antea fœditate omni esses plena, repente iucunda, & suauis euasisti. Idque es consecuta, quoniam in caritatis delicijs oblectaris. Diligens enim amantem te sponsum, & in eius amore tuas omnes delicias locãs, reliqua omnia contempsisti. Quamobrem, & decora, & suauis effecta es, & magnitudo tua similis facta est palmæ, & vbera tua botris. Non solum enim præstas pulchritudine, sed etiam celsitudine palmæ simili. Vbera vero tua similia sunt botris. Cùm enim excelsa sis, adeo, vt cœli fastigium attingas, tamen summittis te infirmis discipulis tuis, [illegible]bus doctrina indigentibus, vbera præbes doctrinæ tuæ. Palma enim fructus deorsum pendentes habet. Hoc etiam per beatũ Dauid indicat Spiritus sanctus, iustus, inquiens, vt palma florebit. Cùm audisset igitur sponsa tam multis se laudibus & commendationibus cumulari, amoris stimulo incitata atque inflammata loquitur ad hunc modum:

Psal. 91.

Dixi, ascendam in palmam, apprehendam altitudines eius: & erunt vbera tua, sicut botri vineæ: & odor naris tuæ, sicut poma: & guttur tuum, sicut vinũ bonum, vadens nepoti meo in rectitudinem, suffficiens labris meis, & dentibus meis.

Quanto spõsi desiderio sponsa teneatur hinc patet perspicue, quòd & cupit ascendere, & cogitat de altitudine, & quemadmodum beatus Paulus ait, nondum arbitratur se comprehendisse, sed persequitur, vt comprehendat: & eorum,

Philip. 3.

rum,quæ retro sunt,obliuiscitur, & ad anteriora contendit. Quærendũ est autem,quo modo sponsus & palma sit,& vitis: ac palmæ quidem non habeat fructum,vitis autem ferat botros. Ad sensum reconditum ducet nos Aquilæ interpretatio. Nam pro: apprehendam altitudines eius: vertit, apprehendam elatas eius. Sunt autem elatæ marium palmarum fructus, qui feminis palmis inpositi, & firmos & maturos earum fructus efficiunt. Auet igitur sponsa piorum seminum occasiones,& ait. Dixi, ascendam in palmam, & apprehendã altitudines eius,vel,vt Aquila vertit,elatas eius: & erunt vbera tua,sicut botri vineæ. Tu enim es vera illa vitis, ex qua salutiferum vinum conficitur
Psal. 22. spiritalibus prælis expressum,vnde calix implebitur ille inebrias sane quàm præclarus. Et odor naris tuæ similis est pomi suauitati. Etenim etiam illud ipsum odoratus tui receptaculũ mihi pomorum fragrantiam effundit. Sed de pomo satis multa in superioribꝰ dicta sunt.Et guttur tuum sicut vinum bonum,vadens dilecto meo in rectitudinem, sufficiens labris meis, & dentibꝰ meis. Quæ enim ex ore tuo doctrina fluit, quacunque vini suauitate,& qualibet huius vitæ voluptate iucundior est, eamque, tu nepos mi,ad animas, quæ in te crediderunt, dirigendas profers. Sufficit autem mihi doctrina tua, vt partim pronunciem,& diuulgẽ, partim conseruem atque custodiam, labiorũ vtens instrumentis,& dentes pro muro circumponens. His
2.Cor.12. congruunt illa, quæ à beato Paulo dicta sunt. Audiui enim,inquit,arcana verba, quæ non licet homini ioqui.Iccirco sponsa quoque dicit, sufficiens labris meis, & dentibus meis, vt alia prædicem,alia silentio supprimã. Deinde subijcit,Ego nepoti meo, & ad me conuersio eius. Illi enim meipsam addixi & consecraui, & alienam omnem tum gentilium, tum Iudæorum, tum hæreticorum consuetudinem contempsi. Nam ipse quoque me cæteris omnibus antetulit. Et ad me sese conuertit. Cùm enim prius, vbi reclinaret caput,non haberet, iam reperit, vbi illud reclinet. Cumq; multas habeat concubinas,& reginas,& adolescẽtulas, me omnibus anteponit. Neque verò patior,vt ego sola sacra illius fruar consuetudine.

Trium Patrum.

Quam decora,& quàm iucunda facta es. Admirabili circumdata es pulchritudine,ea nimirum, quæ peruenit ad te ex similitudine & exemplari:& sponso coniuncta, atque illo fruens, referta es incredibili iucunditate spiritali. Etenim caritas in delicijs tuis, quæ quidẽ ex virtute proficiscuntur. Cùm enim gustaueris,atq; perspexeris, Christum esse dominum,non amplius in timore illo bono versaris, sed tota ex ipsius pendes caritate, quæ timorem expellit. Vnde magnitudo tua palmæ similis facta est. Tua videlicet ex virtute sublimitas assimilata est palmæ, quæ radice haud ita in profundum tendit,sed vertice sublimis admodum extollitur. Tu itẽ de rebus terrenis leuiter cogitans, quantum corporis necessitas vrget, mentis altitudine cœlos attingis, cùm ad mensuram ætatis plenitudinis Christi peruenieris.Et vbera tua sicut botri. Vbera nimirum doctrinæ tuæ tum moralis tum naturalis, quibus nos adhuc infantes ad pietatẽ erudiens aluisti, nunc similia facta sunt palmæ botris, dum nos ad perfectionem progredientes diuiniore doctrina pascis quasi mellita botrorum palmę dulcedine. Itaque magnitudo doctrinæ tuæ palmæ comparata, est discipularum abs te institutarũ multitudo. Dixi,ascendam in palmam,apprehendã altitudines eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ. Mecum ipsa deliberans dixi, ascendam per virtutis imitationem ad perfectionem doctrinæ tuæ:& per contemplationem apprehendam eius sublimitatem.Et disciplinę tuæ vbera,quæ me naturaliter nutriunt, erunt omnino sicut botri veræ vitis,qui Christus est, præbentes mihi gratiam diuinitatis, quæ vini more à natura mentem dimouet,& supra naturã transfert. Vnde odor etiam naris tuæ sicut poma. Gratia scilicet Sancti spiritus mentem implens suauitate, quam tu à sponso susceptam in nos effundis,sicut poma sunt tum aspectu pulchra, tum odoratu suauia,tum gustatu dulciaſic ipsa nobis erit & virtutũ moribus decora, & odorifera sermonum venustate,& dulcis experientiæ iucunditate.Et guttur tuum sicut vinũ bonum, vadens nepoti meo in rectitudines, sufficiens labris meis & dentibus.Institutionis tuæ sermo, qui, vt vinum optimum, corda afficit lætitia, erit nobis, dum pronunciatur in dilecto tuo, cuius nobis desiderium instillasti, in vias rectas, vt eum tanquam veritatem amplectamur, nec per defectum aut excessum à virtutis rectitudine deflectamus.Et sufficiens nostris appetendi potentijs, quibus tanquam labris osculamur, quod placuit voluntati. Et intelligendi facultatibus, quibus tanquam dentibus,quæ dura sunt,& ad cognoscendum difficilia, ad esum & cibum spiritalem frangimus & mollimus.Cùm igitur discipularum multitudo à magistra flagitasset, vt ab arcanæ contemplationis altitudine, sese illis per moralem philosophiam demittens & accommodans, ita conuerteret, vt spiritales eius pulchritudines, quæ dictæ sunt, in illa possent intueri, & cum ipsa simul per imitationẽ conscendere, ad eas ita respondet: Ego nepoti meo, & ad me conuersio eius. Ego me totam dilecto meo dedicaui: & sine ipso nihil facere cõstitui. Quapropter ipse quoque ad me sic affectam se demittit, à propria gloria ita se conuertens, vt cùm inuisibilis sit, ab ijs, qui videre illum cupiunt, videatur. Verum non patior,vt ipsa sola fruar ipsius coniunctione, sed cupio, vt etiã illi, qui sunt adhuc imperfecti, salutem ab eo consequantur.Proinde clamo,& dico:

Veni, nepos mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis,mane surgamus ad vineas, videamus, an vitis floruerit,an floruerit germen,an floruerint mala punica.Illic dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem, & in portis nostris omnes nuces nouas super veteres, quas dedit mihi mater mea, nepos mi, seruaui tibi.

Theo-

Theodoreti.

Sponsum vt animarum vilium adhuc & abiectarum, quas metaphoricè agrũ & villas nominat curam gerat,sponsa cohortatur. Neque enim dicit,egrediamur in ciuitatem, sed egrediamur in agrum, commoremur in villis mane surgamus ad vineas, videamus, an vitis floruerit,Aspiciamus,inquit,eos, qui modo prædicationem acceperunt. An floruerit germen. intueamur & meliores istos, qui non solum folia, sed etiam flores tulerunt, quos hic per germen intelligit. An floruerint mala punica. An caritatis initium in aliquibus apparuerit. Oportet enim nos circumire,& omnem diligentiam idoneam adhibere. Id namque faciens te promerebor. Quambrem,illic,inquit,dabo tibi vbera mea. Quæ enim illis præstantur, ea
Matth. 25. in te ipsum collata arbitraris,Quam diu,inquiens,feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Mandragoræ dederunt odorem.
Gen. 3. Mandragoræ vis est, vt medici tradunt, sophorifera. Quare cùm præceptum sit nobis, vt mortificemus membra, quæ sunt super terram,non vt ea morte afficiamus,sed vt mortua malis actionibus reddamus,merito Mandragoram hoc loco posuit,& dixit:Mandragoræ dederunt odorem.Id est, cœperũt homines dormire peccatis. Et quemadmodũ, qui mandragorã hauserũt,corporis motiones nõ sentiunt: Ita qui piæ doctrinæ poculum biberunt, perturbationes student consopire. Nec vero mandragoræ solũ dederunt odorẽ, verumetiã in portis nostris omnes nuces. Varijs enim abundant fructibꝰ,qui disciplinam nostram susceperũt.Ego autem nouas super veteres,quas dedit mihi mater mea, seruaui tibi,nepos mi. Veteris enim testamenti præcepta, & noui testamenti mandata,quæ à matre mea, Spiritus sancti gratia accepi,seruaui tibi, & depositũ integrum custodiui. Huic loco cõueniunt ea, quæ ad Thimotheũ à beato Paulo scripta sunt: Bonum certamen certaui,cursum cõsummaui, fidẽ seruaui. Iã reposita est mihi corona iustitię, quã reddet mihi dominus in alia die iustus iudex. Et illud itẽ,quod in euangelio à domino dictũ est:Simile est, regnum cœlorum homini, qui profert de thesauro suã noua & vetera.

Trium Patrum.

Sponsa igitur ad discipulas dicit. Iam sponso meo preces vestras exponam. Veni nepos mi egrediamur in agrum. Age, dilecte mi, exeamus & ego, qui te mystice contemplor, & tu, qui sic à me spectaris,ad chorum discipularum mearum, quem vt agrum à tribulis & spinis, à vitæ solicitudinibus, & paruis cogitationibus, ipsum sub vocãtibus,purgaui. Egrediamur autem ostendentes illi spiritalem coniunctionem nostram in virtutum moribus peractionem expressis. Egredientes vero, vt dictum est, commoremur in villis, in animabus, quæ nomini tuo, vt villæ incolas suos, cunctas intelligendi appetendiq; potẽtias,& sensus in vnum cogentes dedicarũt. Has tu domicilium tibi in spiritu sancto constitues. Ego autem illis me ipsam, quo tibi placeant: exemplum præstabo, Mane surgamus ad vineas, Tu qui es iustitiæ sol cognitionis lucem emittens in animas, laborum fructum ferentes patientiam, qui quasi botrus quidam per multas tribulationes vinum lætificans cor hominis stillat propter quem futuræ remunerationis: Ego autem secundum ipsum solis ortum patientiæ mores illos ostendens exemplo meo.Ita porro surgentes videamus, an floruerit vinea, an germen floruerit, an floruerint mala punica. cõspiciamus tum ipse qui in absconditio vides, tum ego, quæ in manifesto,vtrum disciplinarum à me institutarum fides (quæ vt vitis in palmites, sic ipsa in varias virtutes diffunditur) floruerit intus quidẽ per habitum ex rationibus virtutum, foris autem per actionem ex moribus atque institutis ipsarum. Nam animæ flos ex virtutum rationibus germinat per mores ipsarum in carne, cuius fidei flos tum arcanus,tũ manifestus est flos,malorum punicorum, quæ intrinsecus quidẽ dulcem fructum continet, exirinsecus autem austerum corticem præferunt.Etenim fidei quoque fructus in occulta quidem animæ affectione propter futuri præmij spem lætitiam affert. In exteriore autem carnis sensu propter virtutis labores præbet acerbitatem.Illic dabo vbera mea tibi. In agro videlicet illo, quem dixi, discipularum mearum proferam tibi sponso meo, quam instituendis illis adhibeo doctrinam moralem & naturalẽ, vt per hanc ducens eas ad disciplinam arcanam, ostendam rerum naturam te suum auctorem indicare per notas quasdam vt veritatem:non autem vt iuxta prudentiam Græcorum stultitiam naturali rerum cognitione sic eas imbuam vt procul à te veritate discedant. Etenim mandragoræ dederunt odorem. Rerum quippe sensibilium species,& ipsius scripturæ notæ quasi mandragoræ quædam faciunt, vt mens per sensum illis inhærens,nõ autẽ per eas ad veritatem vigilanter ascendens, obdormiscat, & torpore veluti stolida teneatur. Præbuerunt odorem rationum veritatis in rebus omnibus existentis, si spiritaliter considerentur. Quamobrem & in portis nostris omnes nuces. Hoc est,in sensibus meis (qui veluti portæ quædam educunt quidem me ad te vt rerum omniũ causam,per naturalem ipsarum in spiritu contemplationem, inquirendum:introducunt autem te ad meper mentis cognitionem) promptæ sunt omnes in rebus procreatis insitæ veritatis rationes, quæ tanquam nuces tum per scripturæ notas, tum per rerum sensibilium species Iudæorum Græcorumque stultitiam nutriebant. Vndæ nouas super veteres, nepos mi, seruaui. Hoc est recentes euangelicas rationes (gratia spiritus renouante) cum antiquis Græcorum Iudæorumq; ignorantiæ tum naturalibus tum scriptis rationibus coaceruatas seruaui tibi, quoniam & per scriptas illas purgata sum,ac moribus instituta, & per naturales illuminata, vt per eorum, quæ facta sunt, contemplationem,te conditorem omnium auctoremq; cognosce-

rem; & per ſpiritales perfecta atq; abſoluta, vt te cum patre & ſpiritu conſubſtantialem intelligerem, & prædicarem.

Peroratio.

Quis det te, nepos mi, ſugentem vbera matris meæ? Ipſe quoque, vt homo omnem accepit ſpiritus gratiam. Puer enim, inquit, crescebat, & confortabatur ſpiritu, & gratia Dei erat in eo. Itaq; ſponſa ineffabili ſuſcepte humanitatis myſterio ſtupens, etiam tu, inquit, ſuxiſti vbera matris meæ. Ceterũ vt dictorum ſeriem atq; ordinem ſeruemus, initium paulo altius repetentes ſententiæ ſummam breuiter percurramus. Accepi inquit, nõ ſolum vetera, ſed etiam noua matris meæ, eaq; tibi conſeruabo. Verum ipſe quoq; propter ſingularem benignitatem tuam naturã meam ſuſcipiens, eadem, quæ ego, vbera ſugere voluiſti, vt in hoc etiam te fratrem meũ declarares. Suxiſti autem non quòd indigeres, ſed vt doceres me, quo modo mihi ſugendum eſſet, & quo ex vbere gratia elicienda. Iccirco & ad baptiſma acceſsiſti,
1. Pet. 2. non vt peccatorum ſordes ablueres, cùm peccatum non admiſeris, nec inuentus ſit dolus in ore tuo: neque vt Sancti ſpiritus reciperes gratiam, cuius eras plenus: ſed, mihi vt indicares, quæ ſint ſpiritus dona, & qua ratione poſsim ſugere gratiam ſpiritus. Ideo ſub Columbæ ſpecie deſcendit ſpiritus ſanctus, non vt præberet tibi, quæ non haberes, plenus enim eras gratijs eius ipſius, ſed vt mihi demonſtrares, quod ſit baptiſmatis munus. Itaq; ſtupore commota, dico.

Quis det te, nepos mi, ſugentẽ vbera matris meæ? (iſta tua benignitate concitata) inueniens te foris, oſculabor te: & non deſpicient me. Apprehendam te, introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum eius, quæ me concepit. Docebis me. Dabo tibi poculum ex vino condito, & de latice malorum punicorum meorum.

Amore enim tuo ebria non ſolum in thalamo, & intra lectuli velum, ſed etiam in foro & publice ruam in complexum atque oſcula tua: neque me id facientem ſpectatores incuſabunt, cum perſpexerint caritatis flammam. Inde te apprehenſum introducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Quæ autem eſt domus ſpiritus ſancti, (hic enim ſponſam genuit) niſi diuinum templum, quod cœleſtem imitatur Hieruſalem, quò qui ingrediuntur ſponſæ dignitatem ſuſcipientes, cum fiducia ſponſum alloquuntur? Et illic, inquit, potabo te vino condito, & latice malorum granorum meorum. Conditum vinum appellat doctrinam diuina refertam gratia, ac veluti vnguentis atq; aromatibus conſperſam, atque odoriferam. Laticem autem malorum granatorum vocat vtilitatem, quæ ex caritatis fructibus conficitur.

Trium Patrum.

Quis de te, nepos mi, ſugẽtem vbera matris meæ? Quoniam prior aduentus tuus me ad te perfruendum præparauit, ecquis tribuet mihi ſecundo aduentu tuo dilectum meum nobiſcum in patris regia (quæ fidelium eſt mater, ſuperna Hieruſalem) nouum bibentem poculũ, quod ex ipſa in nos, per gratiam, ſine medio, quaſi lac ex matris vberibus in filios ipſius fluat, atq; ita ſalutẽ animarum noſtrarũ nutriat, finemq; fidei præbeat, nempe bonorum, quæ ſupra naturam ſunt, communionem, & diuinã illam, atque incredibilem voluptatem, quam ipſe naturaliter obtinens, dignis coniunctus per gratiam impertitur? Sic enim inueniens te foris ſuauiabor. Et nemo ſane me contemnet. Ita cognoſcens te, non vt nunc per fidem, ſed per aſpectum foris extra diuinam ſubſtantiam tuam, in noſtra ſubſtantia incorruptionẽ nobis atq; immutabilitatem in cõmuni dilargientem reſurrectione, perfruamur te, & nemo quidem deſpiciet me, licet nunc à mundi ſapientibus ſpernar, quod propter amorem tuum caduca cuncta contemnam. Quis aũt erit mihi fruendi modus? Apprehendam te, introducam te in domum matris meæ, & in cubiculũ eius, quæ concepit me. Dabo tibi poculum de vino condito, de latice malorum granorum meorũ. Capiam te, qui mihi diuinitatem elargiris, cupida ſplendoris tui, in eoq; contemplando introducam te in mentem, quæ domus eſt gratiæ Spiritus ſancti, à qua vt à matre per baptiſma genita ſum, & propter ſimilitudinem illius eſt capax. Cubiculum aũt rurſum eſt ipſius, quoniam propter imaginem theſauros eius in ſe reconditos habet. Quæ quidem gratia concepit me per fidẽ. Ad hæc tibi ſitienti ſalutem meam, quaſi poculum quoddam, offeram perpetuam tui, qui veritas es, cognitionem, ex compoſitione diuerſarũ rationum, quę in omnibus creaturis ſcripturaſque ſunt, inſtructam & concinnatam. Hæc enim, tanquam vinum odoratum lætificant cor, lætitia conſpergit animas, à quibus percipitur, perennemque mihi tui, vt ſummi boni, amorem infundit, ex præſtantia timoris tui, & deſiderij te perfruendi. quorum quidem tanquam malorum punicorum alter acerbitate ſua comprimit, alterum dulcedine oblectat.

Theodoreti.

Sponſa his verbis ſponſum allocuta, cum adoleſcentulis ita loquitur:

Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Superior ſum pœnarũ minis, & dexteræ tuæ capiò benedictiones. Ideo læuam ſuã ponit ſub capite meo: & dextera ſua me complectitur.

Adiuraui vos, filiæ Hieruſalem, per potentias & fortitudines agri, vt ſuſcitetis, & excitetis caritatem, donec voluerit.

Oportet enim aſsidue à vobis illam exitari atq; inflammari, vt ardenter ipſum concupiſcãtis, & quemadmodum ipſe vult, contendatis ad perfectionem. His à ſponſa pronunciatis adoleſcentulæ omnem ipſius excellẽtiam conſpicatæ, præ ſtupore dicunt:

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, innixa ſuper nepotem ſuum?

Et

Et non dicunt albam, ſed dealbatam. Ponſa enim nigra de ſponſo, nepos meus, inquit, candibus, non autem dixit, dealbatus. Natura
Gen. 1. enim eſt talis. At ipſa cùm eſſet denigrata, propterea quod eam ſol aſpexiſſet, dealbata eſt, & candoris ſponſi particeps effecta, qui ſicut lux exiſtens ipſam lucidam & reddidit, & appellauit: & ſanctus exiſtens ſanctam & fecit & nominauit, & cùm ſit reſurrectio, reſurrectione dignam eſſe voluit: ſic etiam albedinem ſuam illi communicauit. Quocirca adoleſcentulæ eam contuentes. Quæ eſt iniquiunt, iſta, quæ aſcendit dealbata, innixa ſuper nepotem ſuum? Ab ipſo enim recta, & quaſi manu ducta, aſcendit in cælum, & iter facit ad dilectum ſuum per firmã in ipſum fidem. Poſt hæc ſponſus illam ita compellat:

Sub pomo excitaui te. Illic peperit te mater tua, illic peperit te genetrix tua.

Hæc verba nobis erunt intellectu facilia, ſi quæ huius voluminis initio dicta ſunt à ſponſa, meminerimus. Sic enim ad ſponſum loquebatur: Sicut pomum inter ligna ſiluæ, ita nepos
Cant. 2. meus inter filios. In vmbra illius deſideraui, & ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Quoniam igitur futurorum bonorum vmbra ſunt
1. Cor. 13. ea quæ nobis hic data ſunt (nũc enim, inquit, beatus Paulus, video ſicut in ſpeculo, ſicut in ænigmate, tunc autem facie ad faciem) concupiuit autem ſponſa in umbra ſponſi ſedere, hoc eſt, in arrha nunc conceſſa (nam pomum appellat ſponſum ob eas, quas diximus, cauſas) neceſſario ſponſus ait:

Sub pomo excitaui te. Illic peperit te mater tua.

Credentes enim ea, quæ de ſaluatore noſtro prædicata ſunt, ad baptiſma diuinum acceſsimus, & accedentes regenerationem coſecuti ſumus. Nam peperit nos gratia Spiritus ſancti, vt Actuum teſtatur hiſtoria. Cùm enim diuiniſsimus Petrus ad eos, qui conuenerant, de
Actu. 2. ſaluatore noſtro concionatus eſſet, & illi, qui audierant eius verba compuncti dixiſſent ad Petrum: Quid faciemus, vt ſalui ſimus? Petrus ad eos, vt ſcriptor refert, pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim facta eſt repromiſsio. Quare merito ſponſus ad ſponſam:

Sub pomo, inquit, excitaui te. Illic peperit te mater tua, illic peperit te genetrix tua.

Nec fruſtra geminantur hæc verba. Vt enim oſtenderet, quæ mater eſſet, dixit, genetrix tua. Poſt hæc præcepit ei, dicens:

Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuũ, vt ſignaculum ſuper brachium tuũ. Quia fortis eſt vt mors caritas. Dura ſicut infernus æmulatio. Scintillæ eius ſcintillæ ignis Prunæ ignis flãmæ eius. Exẽplaria quædam habent nõ, *Scintillæ eius ſcintillæ ignis*, ſed, *alæ eius alæ ignis: prunæ ignis flammæ eius.*

Sponſus igitur ad animas, quas ſponſam diuina vocat ſcriptura, pone me, inquit, pro ſignaculo in corde tuo, & ſuper brachium tuum. Cor quidam appellat animæ vim contemplatiuam, brahium autem actiuam. Quamobrem & ſacerdotibus à populum tum brachi-
Exod. 29. Num. 18. um dexterum, tum pectuſculum ſeparabatur. Vult ergo ſaluator noſter, vt eum pro ſignaculo in contemplationibus & in actionibus noſtris habeamus, & notam ipſius in omnibus tum dictis tum factis imprimamus. Sic enim erunt numiſmata regia non adulterina, ſed regiã imaginem præferentia. Hoc autem tibi factu, inquis, non erit difficile, ſi erga me retinueris caritatem, quæ fortis eſt, vti mors. Quemadmo-
Genes. 2. dum enim hæc, poſt latam à Deo ſententiam, omnibus dominatur; ſic etiã ipſa ſuperat omnia, adeo, vt mortem etiam vincat. Si æmulationem poſſederis. Quæ quidem in te ſi viguerit, nõ patieris vllam aliam eſſe te præſtantiorem, vt tu quidem ignaua timida q; torpeſcas, illa vero cõſuetudine mea potiatur. Dura enim & ad expugnandũ difficilis eſt æmulatio, perinde, atque infernus. Infernum autem ex opinione, quæ inualuit, vſurpauit, hoc etiam morti nomen imponens. Ita fortis autem eſt caritas quia primum volucris eſt. deinde circum alas ſuas habet flammã ignis & ſcintillas eiaculatur. Quid autem, cùm tam ignea flammeaque ſit, ea poſsit eſſe vehementius? præſertim cùm ignis eius ſit ex eo genere ignium, qui non extinguuntur?

Aqua enim, inquit, multa, non poterit extinguere caritatem nec flumina obruent illam.

Idque teſtimonio cõfirmant ſuo cuncti tam in veteri, quàm in nouo teſtamento ſanctitate præſtantes viri. Nam Abrahæ caritatem erga Deum nec vitæ traductio in terra aliena, neque in inopia & fame neceſsitas, neque vxoris ereptio, neque filij ablatio, neque de puteis contentio potuit extinguere. Neque Iſaac caritatem moleſtiæ, quibus afflictus fuit. Neque caritatem Iacob aſsiduj labores, & dolores vitæ. Quid Ioſeph tentationibus acrius? qui à fratribus venditus eſt, & parentibus, à quibus diligebatur, & maiorum ſuorum priuatus eſt domo, & libertate, & fortunis, & indigne ſeruiuit, & pudicitiæ præmium calumniam retulit, & in carcerem coniectus eſt, & incommoda ſuſtinuit innumerabilia, quibus tamẽ omnibus caritas eius erga Deum ſplenduit illuſtrior. Atq; vt magnum Moſem, & Ioſuæ imperatorem, & eximios prophetas Samuelem, & Dauidem, & Heliam, & Eliſæum ſilentio prętereamus, quid Babilonijs immanius, aut truculentius vnquam fuit? Quid camino ignis ab illis incenſo formidabilius? Attamen ne ille quidem trium puerulorum extinxit caritatem, ſed eam magis incendit, atque excitauit. Quid leonibus illis, quibus beatus Daniel obiectus eſt, ſæuius, aut terribilius? At illum quoque caritas erga Deum reddidit fortiorem. Denique, vt ſanctos alios in præſentia prætermittam, ſolus beatus Paulus ſatis erit ad indicandam nobis vim caritatis, quippe qui ma-
Rom. 8. xime omnium illam expertus eſt. Quis enim nos, inquit, ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?
Pſal. 45. ſicut ſcriptũ eſt, Propter te mortificamur tota die, reputati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed

in his omnibus, inquit, ſuperamus propter Chriſtum, qui dilexit nos. Hæc quidem idonea ſunt ad caritatis victoriam demonſtrandam, Verum ea, quæ ſubſequuntur celebrant atque extollunt illam clarius multo. Subijcit enim: Certus ſum enim quòd neque mors, neq; vita, neque angeli, neq; virtutes, neq; altitudo, neq; profundum, neq; vlla alia creatura poterit nos ſeperare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto domino noſtro. Vt oſtendat eam eſſe rerum omnium potentiſsimam, verbis effingit creaturã, quæ non eſt cum illa comparat caritatem Dei, demonſtratq; hanc eſſe fortiorem. Itaq; ſponſus merito.

Aqua multa, inquit, non poterit extinguere caritatem: & flumina non obruent illam, Si dederit vir omnem vitam ſuam in caritate, deſpectione deſpicient eum.

Qui victum, fortunas, ac vitam denique profudit, pro caritate, eum contemnent, & pro nihilo ducẽt ij, qui ſunt caritate ſpoliati ac nudi.
1. Cor. 4. Quamobrem beatus Paulus dicebat: Maledicimur, & benedicimus. Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus. Blaſpemamur, & obſecramus, tanquã purgamenta huius mundi facti ſumus omnium quiſquiliæ vſq; adhuc. Id enim profecto cõtingit ijs, qui vertigine vexantur, vt, cùm ipſi minime conſiſtant, omnia tamen moueri putent. Ita caritatis expertes, eos, qui caritate ſunt præditi, vt ſtultis atq; inſipientibus detrahuut. Quod tamen tantum abeſt vt officiat caritati, vt eam reddat ardentiorem. Apoſtoli contumelijs affecti benedicebant. Vexati calumnijs obſecrabant. Et cùm exiſtimarentur, quaſi excrementa mundi, ſe omnium adhuc eſſe illuuiem & ſordes fatebantur.

Trium Patrum.

Deinde ad diſcipulas ſuas ſermonem conuertens, cauſam exponit, quamobrem ea dixerit ad ſponſum ſuum;

Læua eius ſub capite meo.

Quia ſponſi comminationes ſuppliciorum, quæ à ſiniſtra eius collocandis impendent, nũc ſub capite meo, ſub mente videlicet, quæ animæ meæ pars eſt præcipua, ſenſus ſubiciunt: iccirco futurum ſpero, vt eius dextera (promiſſa nimirum regni cœleſtis bona quæ à dexteris collocandos manent) me ſit complexura, id eſt, comprehenſura me totam in futuro ſæculo, infinitam animæ, & corpori lætitiam præbens.

Adiuraui vos, filiæ Hieruſalem, per potentias & fortitudines agri, vt ſuſcitetis, & excitetis caritatem, donec voluerit.

Diuinorum myſteriorum expoſitione tanquam iureiurando vos confirmaui, diſcipulæ meæ, quæ in ſancto ſpiritu video eum, qui nos patri ſuo reconciliauit: dum cauſam oſtendi, qua per intellectiuas, actiuaſq; potentias, perq; fortitudines in hoc mundo valentes, virtute excitetis, & ſcientia ſuſcitetis eum in vobis (nam dormire videtur, dum ignoratur, quod rectum bonumq; eſt, nec reipſa perficitur) qui dilexit nos & ſeipſum vt nos redimeret, obtulit: donec ſecundo aduentu ſuo voluerit, quæ ſua per naturam ſunt propria, ea in nobis per gratiam accipientibus exequi. Diſcipulæ admiratione ac ſtupore plenæ de magiſtra.

Quæ eſt, inquiunt, iſta, quæ aſcendit dealbata, innixa ſuper nepotem ſuum.

Quænam eſt hæc, quæ tam perite docens, à rebus arcanis ad magis arcanas reconditaſq; progreditur? ab omni peccatorũ macula purgata: atq; innixa nepoti ſuo? Sponſus igitur animaduertens ſponſæ in diſcipulis inſtituendis diligentiam amplectenſq; illius ad bonum ſedulitatem, commonet eam prioris vitæ, vt ſummiſſe de ſe ſentiat, nec laudibus elata incidat in arrogantiam,

Sub pomo, inquiens, excitaui te.

Id, eſt, ſub rebus iſtis procreatis, quæ ſuauis pomi inſtar, ſenſus omnes oblectant, te deſidia ad bonum amplectendum inertem, & rerum caducarum ſtudio conſopitam excitaui prouidentiæ, iudicijq; rationibus & ſermonibus impellens ad deſiderium mei. etenim,

Illic peperit te mater tua. Illic peperit te genitrix tua.

In affectione ſcilicet rerum fluxarum cõcepit te prima mater tua Eua generans cum voluptate, & pariẽs cum dolore. Quibus affectionibus, rerum fragilium deſiderio, laborabas, voluptatem ſequens, doloremque fugiens, ad voluptatis finem ita cõtendens, vt à dolore vel les ſeperari, quod quidem fieri nullo modo poteſt. Proinde ſi cupis ab iſtis perturbationibus eſſe libera, pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum: vt ſignaculum ſuper brachiũ tuum. In me nimirum exemplari permaneto, principe quidem tui parte mente ſeruans imaginem per veram contemplationem & deſiderium mei: vi autẽ, qua ad agendum, vales, ſimilitudinem ſeruans per actionem minime ſimulatam, ardentemq; declinationem à malo. Sic enim ipſe quoque in te manebo, tuaſq;, vt ſignaculum tum intelligendi, tum agendi potentias à rerum fragilium & caducarum affectionibus integras conſeruabo.

Quia fortis eſt, vt mors, dilectio: dura ſicut æmulatio. Hoc eſt, ſi in caritate mea permanſeris, & ego in te permanebo, & conſeruaberis, vt dictum eſt. Nam integra atque perfecta erga me caritas tam fortis eſt, vt mortis inſtar, omnes ad malum motiones atq; impetus ſedet. æmulatio autem propter me malo non cedit, ſed tãquam infernus rationi repugnantes motus vincit, victoſq;, ne progredi poſſint, coercet. Alæ enim eius alæ ignis, prunæ ignis flammæ eius. Opera quippe ardentis erga me caritatis ſunt huius alæ, quæ illuſtrat in luce veritatis mentem per contemplationem, atque ignorantiæ tenebras diſcutit, & per actionem atque opera mandatorum malitiam omnem (vt flammæ materiam accenſu facilem) abſumit, & incrementum ſuggerit. Quamobrem aqua multa non poterit extinguere caritatem, & flumina non obruẽt ipſam. Fluentes nimirum, vt aquarum copiæ, ex moleſtarum hieme tentationum multę tribulationes,

ones, & alij ſuper alios, tanquam animum fluctus, ingruentes earum impetus, quibus nequitiæ ſpiritus caritatem erga me conantur aut radicitus per impietatem in Deum euellere, aut per odium in proximum obruere, nec poterunt extinguere ipſam per blaſphemiam, nec obruere atq; abolere per contemptum mandatorum, quæ caritatem tum erga me declarant, tum perficiunt erga proximum. Attamen ſi dederit homo omnem vitam ſuam in caritate, deſpectione deſpicient eum. Si quis rerum iſtarum fragilium blanditijs minime effeminatus aut deceptus, propter ſuã in me caritatem omnia bona ſua pauperibus diſtribuerit, aduerſariæ poteſtates eum aſpernabuntur eo nimirum contemptu, quo Iob, omnibus illi diuitijs ademptis, ita deſpexerunt, vt eum à me per carnis dolores explorandum flagitantes, etiam amicos eius ac ipſum contumelijs vexandum incitarint. Hæc tu perſpiciens, cùm omnia mandata mea cuſtodieris, & permiſſu meo te carnis dolor inuaſerit, cogita id tibi contingere, non quòd prouidentia nõ ſit, quæ cuncta gubernet ac moderetur, ſed vt tua tentationibus minime ſuccumbentis erga me caritas fiat omnibus manifeſta.

Soror noſtra parua, & vbera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die, in qua verbum factum fuerit in ea? Si murus eſt, ædificabimus ſuper ea propugnacula argentea. Si oſtium eſt, deſcribamus ſuper eam tabulam cedrinam.

Theodoreti.

Sancti illi prophetæ, qui in veteri teſtamento præſtiterunt, cùm ſponſam ſpiritali ætate paruulam, & papillas imperfectis adhuc atq; reconditis cernerent, vt nuptiarum conciliatores atq; internuncij, ſecum ipſi, ſic, vt arbitror, loquebantur: Quando rex ſororem noſtram iam in ſponſam eſt accepturus, quæ parua eſt, atque vberum expers, neque enim vim habet prolificam, nec doctrinæ lac, aut ſolidum cibum poteſt egentibus ſubminiſtrare, quid facto opus ſit, nobis eſt cogitandum. Cùm igitur magno regi copulanda ſit, & tanquam murus futura domus ipſius, vt curet & cuſtodiat ea, quæ intus ſint, & tanquam oſtium, ea, quæ recondita fuerint, conſeruet: tanquam ſuper muro quidem ædificemus argentea propugnacula, hoc eſt, eloquia ratione ſplendentia. Eloquia enim Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ: vt in ipſis conſiſtens hoſtes ſagittis petat, & inſidias ſtruentes perſequatur. Ipſi autem, vt oſtio, tabulas, eaſq; cedrinas, quæ peccati corruptionem ſuſcipere nequeant, imponamus. putredinis enim expers eſt cedrus.

Trium Patrum.

Sponſa Chriſti eccleſia, cùm iam ſuam ipſius ab eo ſecuritatem eſſet aſſecuta, cupieretq; tum Iudæorum tum gentilium à ſe initiatorum multitudinem per baiptiſma ex ſciẽtia & virtute ad perfectionẽ peruenire, hęc de illa ad ſpõſum verba facit. Soror noſtra parua, & vbera non habet. Quæ naturæ ſimilitudine ſoror eſt noſtra, multitudo, parua adhuc eſt propter infidelitatem, & ideo rationes, & mores, quià te ſponſo tanquam vbera exhibentur, vt ſalutem ſuam ex illis ſugat, non habet. Et quid faciemus ſorori noſtræ in die, in qua verbum factum fuerit in ea? Quid de hac, quæ noſtra ſoror dicitur eo tempore agemus, cùm per fidem accipiet, prædicationem tuam? Si murus eſt, ædificabimus ſuper eã propugnacula argentea. & ſi oſtium eſt, deſcribemus ſuper illam tabulam cedrinam. Si legalium præceptorum obſeruatione tanquam murus extructa eſt, imponemus ſuper eam veluti propugnacula argentea, fulgentes in legali littera myſteriorum rationes, Quòd ſi naturali contemplatione per ſenſum aperta eſt, tanquam porta, cognitionis aditum patefaciens, formemus, in ea quaſi tabulam cedrinam, mentem, quæ ſenſus contrahat imperfectos, quęq; fidẽ ex operibus perfectam habeat, & gladio ſpiritus amputet tum falſas omnes opiniones, tum virtutis defectus, atque exceſſus, quibus ex rebus perfectionem in te huic, quam dixi, multitudini, tu quidem largieris, ego autem miniſtrabo.

Theodoreti.

Ad hæc ſponſa reſpondet ſpõſi magnificentia atque opibus confiſa.

Ego murus, & vbera mea turres. Ego fui in oculis eius, quaſi reperiens pacem.

Cùm enim me præſciuerit; & prædeſtinarit: & ſciens, quòd pacem quæram, & perſequar eam, & perſequens comprehendam, me tum pacificam appellauit, tum Sunamitidẽ, & murum fecit inexpugnabilẽ, hoſtibus formidandum atque vbera mea, id eſt doctrinam moralem & theologicam in ſublime extuliit, & quaſi turrem conſtituit, vt ex ea pugnans ſponſi hoſtes propellam. Neque vero ſum murus ſolum, vt dixi, ſed vinea.

Vinea enim, inquit, fuit Salomoni in Beleamon. Tradidit eam cuſtodibus. Vir afferet pro fructu eius mille argenteos.

Symmachus illud: Beleamon, vertit: in retentione populi. Aquila autẽ: in habente multitudine. Hanc ergo vineam Deus olim credidit Iſralẽli. Sed cùm is non modo ſeruos ad fructum exigendum miſſos lapidibus obruiſſet, & occidiſſet, verum etiam hæredem ipſum egiſſet in crucem, illi ex ſententia Domini vinea fuit ablata, dataq; genti facienti fructum eius. Iccirco ſponſa, Salomoni, hoc eſt, pacifico, inquit, vinea fuit in Beleamon, id eſt, in retentione populi, vel, in habente multitudine. & illam tradidit cuſtodibus. Vineam autem vocat homines, qui ad pietatem acceſſerunt, ſeruantes vero, & colẽtes, & cuſtodientes, eos, qui ſacerdotali ſunguntur munere, quibus mandatum eſt, vt eam ſpiritali doctrina ſimul & irrigent, & tueãtur. Porro quòd dicit: vir afferet pro fructu eius mille argenteos: ſignificat hic numerus dextere manus vnitatem. Quòd quidem fructum ferentis ſalutem indicat. Ab hoc enim is, qui vineam plantauit, fructũ alium

Pſal. 11.

non exigit, quam ipsius plantatæ, fructumq; ferentis salutem. Quamobrem sponsa,

Vinea, inquit, mea coram me est. Mille Salomoni.

Quod autem dicit, eiusmodi est (oportet enim, vt quod obscurum est, pro viribus perspicuum reddamus.) Et vinea, inquit, mea est, & fructus est meus. Mille enim argentei, qui pacifico sponso, hoc est, Salomoni putantur exhiberi, coram me sunt. Eos enim mihi iterum reddet. Nã quòd in præsentia fructum exigit, id facit, quia salutem meam exoptat, meq; saluam cupit intueri.

Vinea mea coram me est. Mille Salomoni. Et ducenti custodientibus fructum eius.

Vineæ mercedem custodes accipiunt, & mercedem definitam. Qui quoniam quinque sensus vineæ custodiunt, visum gustum, odoratum, auditum & tactum, iure ducentos accipiunt, quem quidem numerum mille vt quintam sui partem quinquies continet. Digni enim sunt, qui Dei vineam custodiunt, vt præmium recipiant ab eius plantatore. Itaque non solum sponsus, sed etiam sponsa se ijs mercedem daturos pollicentur. Et beatus Paulus, si cuius, inquit, opus manserit, quod super ædificauit, mercedem accipiet. Et ijs, qui in vinea laborauerãt, cum aduenisset vespera, iussit paterfamilias dari singulos denarios. Constat igitur apud Deum nihil esse sine mercede. Quòd si qui dederit calicem aquæ frigidæ vni ex paruulis minimis, non perdet mercedem suam, quanto magis à Domino vineæ præmium accipietis, qui vineam custodit? Ipsa quoq; vinea quinque sensuum obedientiam exhibebit, & implebit ducentos, qui quinquies sumpti definite sunt eorum, qui re & factis sensus ipsos custodiunt. Nã numerus millenarius in Christo significat perfectionem, cùm sit vnitas absoluta, eiusq; rationem non solum vi, sed etiam re in se ipso contineat. Ab vnitate enim incipit, & per vnitatem ostenditur, & vnitatis effector est. Nam vnitatis nota mille & myrias indicantur. Numerus vero ducenarius naturæ nostræ in se ipsam redactæ per obseruationem mandatorum significat constitutionem, quippe qui decies repetitum per decem mandata vicenarium continet ex quater quinque compositum, & propterea naturam nostram quæ ex materia formaq; constat ostendentem. His dictis sponsa insigni cum modestia ardentique bonorum futurorum desiderio hæc item ad sponsum loquitur. Qui sedes in hortis, amici attendentes, vocem tuam audire me facito. O sponse mi, tu, qui in natura tum intelligibili, tum sensibili, quæ, tanquam horti voluntatibus tuis plantatæ sunt, requiescis: alij præter nos sunt, qui quoniam corporis vinculis non distrahuntur, intentis in te oculis perpetuo contuentur, angelici nimirum ordines à materia remotissimi. Ego vero quæ eiusmodi astricta sum vinculis, vereor ne deficiam, ac retrocedam & muter. Itaque secundum aduentum tuum sedulo flagitans atq; expectans supplico, vt audire me facias vocem illam tuam optatissimam: Venite, benedicti patris mei: possidete paratum vobis regnum. Atque ita,

Fuge, dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloue ceruorum super montes aromatum.

Aduocas enim iustos ad paratum ipsis regnum à mundi constitutione, abscede à prouidentia, quæ per sensus exercetur, dignos trahens ad sublimitates gratiarum, eos spiritali odoris suauitate per diuinitatem perfundentium, quibus tu quasi capreæ aut cerui hinnulus venenosas destruens feras, nequitiæ spiritus in nos sæuientes interimas, & bello, quo nos oppugnant, finem imponas. Atque vtinam nos quoque serpentium morsus euitemus. Quod si forte in illos inciderimus, ad eum, qui pro nobis exaltatus est respicientes, curationem hauriamus.

Trium Patrum.

Multitudo ex Iudæis ad fidem vocata, cùm de se verba illa (vbera non habet. Et: si murus est,) à magistra sponsa dici animaduertisset, ad vtrunque respondens iactabunda quodammodo, Ego, inquit, murus; & vbera mea sicut turres. Murus sum ego plane, ex Israelitis conflata multitudo, vtpote exædificata legalium mandatorum disciplina, quale est illud: Non mœchaberis, & reliqua. Turribus autem videntur similes figuræ & notæ illæ legalis literæ, quæ mihi vberum instar cibum infantibus & rudibus nutriendis atque imbuendis idoneum subministrant, meque gentilium moribus inexpugnabilem custodiunt. Etenim (Ego fui in oculis eius, quasi reperiens pacem) Ego profecto visitatione diuina digna quondam fui. Ac tametsi veram pacem nos proprio patri reconciliantem non agnoui, eam tamen perfiguras in prophetis didiceram. Ad hanc sponsa, vti magistra, quid, inquit, mihi vetera proponis? vinea fuit Salomoni in Beelamon: spiritalis scilicet plantatio fidelium ecclesia facta est pacifico regi in multitudine gentium, id enim significat Beelamon. Tradidit vineam custodibus. Id est, commisit ecclesiam Apostolis & doctoribus, qui vigilanter custodiunt eam: ne variæ aduersus illam hæreses insurgentes eam vastent, atque vnitatem ipsius in diuersas secent opiniones.

Vir afferet pro fructu eius mille argenteos. Is nimirum, qui ex numero perfectorum, destructis, quæ erant paruuli in afferendo his ab initiatoribus spiritali ecclesiæ fructu, purgatione scilicet, & perfectione, fert tanquam ille argenteos purgationis atque illuminationis perfectionem. Mille, inquiens, tibi Salomon, & ducenti custodientibus fructũ eius. Perfectio quidem munus est tuum, qui rerum es & principium, & finis; qui & pax ipsa es, & pacis conciliator. Naturæ autem nostræ instauratio fit per mandatorum tuorum obseruationem, qui quidem est noster ecclesiæ fructus. Sponsus audiuerat sponsam ad discipulas ita de se loquentem; Tradidit vineam custodibus. Itaque, ne verbis illis auditis putarent, se vineę curam abiecisse, ait ad sponsam: Vinea mea coram me est. Quamuis custodes aliquos ecclesiæ meæ consti-

1. Cor. 3.
Matth. 20.
Matth. 10. Mar. 9.
Exod. 20.
Matth. 25.

tuerim, tamen ego Dominus eius sponsusque sum, & custodum studium mea nititur cura & prouidentia. Nisi enim custodiero, frustra vigilat, qui custodit. Sponsa autem sponso respondet.

Psal. 126. c

Qui sedes in hortis (amici attendentes) vocem tuã audire me facito. Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloue ceruorum super montes aromatum.

Ad sponsum hæc item loquitur, quę in hortis sedere dicit. Horti autem diuina sunt templa, martyrum monumenta, eorum, qui solitariam amplexi sunt vitam, conuentus. In his mille argenteos pro fructu vineę afferentib', sponsum asserit habitare: atque illum obsecrat, vt non solum cum angelicis virtutibus colloquatur, sed se ipsam quoque voce sua dignam efficiat, néue contemnat se, quæ desiderio sitique ardet fruendi sermonibus ipsius. Orat ipsum præterea, vt fugiat. Quos autem fugiat? nisi praua hæreticorum cœtus? & acutas aduersus pietatem linguas? His declinatis & spretis, hortatur, vt capreæ, aut hinnulo ceruorum similis, fugiat, atque in montes aromatum ascendat, & hinnuli more spiritales nequitię feras absumat. Prospiciat autem impietatem eorũ, qui in sublime loquuntur iniquitatem. & ad montes aromatum veniat. ad eos nimirum, qui tum excelsa mente sunt præditi, ac veluti montes inter valles excellunt: tum fructus ferunt aromatum fragrantiam redolentes; vt cum beato Paulo possint dicere: Christi bonus odor sumus. Fecit autem Deus, vt nos item simus montes aromatum, qui sponsi saltus suscipiamus, & beatitudinem illam assequamur: Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones tuæ in corde eius. Tibi gloria in sæcula sæculorum, Amen.

2. Cor. 2.
Psal. 83.

FINIS.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, IN DIVI IEREMIAE PROPHETIAM INTERPRETATIO.

Per Ioannem Picum Latinè versa.

PRAEFATIO.

ARbitrabar equidem diui Ieremiæ prophetiam nulla egere interpretatione: At cùm studiosi non pauci me hortati sint, vt hunc etiam librum interpretarer, eò quòd plerosque prophetiæ sensum ignorare dicerent, implorato diuinæ gratiæ auxilio, id quod suaserunt, implere conabor: & eorum quæ clariora sunt, summariam interpretationem conficiam: quæ verò maiorem desiderant operã, explicare studebo: proposito tamen in primis ipsius prophetiæ argumento.

TOMVS PRIMVS.

Προθεωρία, SIVE ARGVMENTVM.

IOSIAS rex impium quidem habuit patrem Amon, & auum, Manassen impietatis paternæ magistrum. Ipse verò contraria, quàm illi, via incedens, piorum partes fouit. Liberos habuit, non paternæ pietatis æmulos: sed qui maiorum impietatem sunt imitati. Hæc igitur dum prospicit Deus omnium, anno regni Iosiæ decimo tertio, designat hunc prophetam: quem iubet prænunciare tum ciuitati, tum populo futuras calamitates. Cæterum hanc prophetiam prosecutus est, non reliquo duntaxat tempore Iosiæ, sed etiam temporibus Ioachaz, qui, cùm esset Iosiæ filius succesit in regnum: & tempore Ioacim: qui & huius frater erat, & Iosiæ filius: Nec non etiam regnante Iechonia, filio Ioacim, & Iosiæ nepote: Itidem & sub Sedecia, qui etiam ipse patrem habuit Iosiam. Ita vt vniuersum prophetiæ tempus sit annorum quadraginta duorum, paucibus mensibus exceptis. Prænunciat autem factam à Babyloniis obsidionem, famem impedentem, ipsius Hierusalem euersionem, diuini templi incendium, & populi mancipationem. Prophetizat etiam captiuorũ reditum, Babyloniorum exitium & aliarum nihilominus permultarum gentium varia supplicia. Prædicit quoque præstationem noui testamenti, & veteris cessationem: vocationem gentium, & futuram orbis salutem.

CAPVT PRIMVM.

VErbum Dei quod factum est ad Ieremiam, filiũ Helciæ de sacerdotibus, qui habitabat in Anathoth: Duplici gratia præditus erat propheta: sacerdotali, & prophetica. Et illam quidem traxit à genere, hanc verò beneficio superno adeptus est. Refert etiam tempus prophetiæ. *In diebus enim*, inquit, *Iosiæ, filij Amon, regis Iuda, anno decimotertio regni eius.* Meminit etiam eorum, qui deinceps regnarunt, ad extremam vsque obsidionem. Deinde docet quæ dicta sunt à Deo omnium. *Et factum est verbum Domini ad me, dicens, Priusquam te formarem in vtero, noui te: et antequam exires de vulua, sanctificaui te.* Electio non iniqua. hanc enim notitia præcesit. Nouit enim, tumque sanctificauit. Nam cognoscit omnia, priusquam generentur. Porrò verbum istud, *sanctificaui*, posuit, pro, segregaui. Postea commemorat vsum, in quem elegit ipsum. *Prophetam in gentes posui te.* Quia nõ ea solùm prophetizat quæ spectant ad Iudæos, sed etiam quę ad alias gentes. *Ei dixi, Dominator Domine, qui es, ecce nescio loqui: puer enim ego sum.* Cognouit propheta cum quo sermonem habebat. quamobrem eum magis peculiari appellat denominatione. Cùm enim magnus ille Moses quondã interrogaret Deum, ac nomen diuinum discere cuperet: dixit Dominus, Ego sum, qui sum. Exod 3. d Mosis etiam timiditatem imitatur, dum ait, puer itiam non esse prophetiæ idoneã. Atqui Dominus denuntiat ei, ne pueritiam obtendat in excusationem: sed vt mandatum peragat. Ab eo etiam metum excutit. *Ne timeas enim*, inquit, *à facie eorum, neque terrefias coram ipsis.* Deinde confidendi causam docet. *Quia ego sum tecum, vt eruam te, dicit Dominus.* Hoc etiam diuino Mosi Ibidem. c dixit Dominus Deus. Illi enim ministerium extimescenti, ac dicenti, Quis ego sum, vt vadam ad Pharaonem? inquit Dominus, Quoniam ero tecum. Eandem sacris Apostolis pollicitationem dedit ratam ac firmam. quos cùm iussisset docere omnes gentes, prospiciens, vt Deus & vt Verbum, qui fieri posset, vt vndecim viri pauperes & facultate dicendi destituti, vniuersam terram peragrarent, ambiguitatem soluit, excussoque timore dixit, Et ecce, ego vobiscum Matth. 28. d sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Idem & hîc prophetæ dixit, nempe, *Ego sum tecum, vt eruam te, dicit Dominus.* Sermonem autem opus ipsum confirmat. *Extendit enim*, ait, *manum suam, & tetigit os meum: ac dixit Dominus ad me, Ecce, dedi verba mea in os tuum.* Et docet, quæ sint verba. *Ecce, constitui te hodie super gentes & regna, vt eradices & cuellas & soluas & destruas, & reædifices & plantes.* Prophetauit enim non solùm Iudæorum captiuitatem, sed etiam à Cyro præstitam libertatem. Prophetauit item alijs plerisq; nationibus non tantùm calamitates omnimodas, sed & salutem per incarnationem Christi Domini donatam. Quapropter eradicandi & destruendi verba collocauit inter tristia: reædificandi verò & plantãdi, inter contraria.

Deinde monstrat ei virgam nuceam, aut, secundum sermonem Syriacum & Hebraicum, amygdalinam. ita nanque vtrique virgam appellarunt. Et interrogato ac respondenti propheta, quid vidisset: dixit ad eum Dominus, *Rectè vidisti quia vigilo ego super sermones meos, vt impleam eos.* Vigilias appellat, excitationem ad vindictam: longanimitatem verò, somnum. Inquit enim beatus Dauid, Exurge: quare obdormis Domine? Et iterum, Et excitatus est, tanquam dormiens, Dominus. Virga porrò amygdalina indicat obscurè celeritatem vindictæ. Siquidem floret hæc arbor ante reliquas arbores. At secundum Septuaginta ita intelligendũ est, Fructus nucis amaram quidem & asperam corticem habet, sub qua latet quod est esculentum: ita disciplina præ se ferre videtur acerbitatem & molestiam, sed quæ sequuntur, sunt perutilia. Post hæc ostendit etiam ei lebetem incensum, & faciem eius à facie aquilonis. Vocat autem lebetem, vrbem Ierusalem: ignem autem, regem Babylonium. quem denominat ab aquilone, quia Babylon sita est à parte aquilonis ipsius Ierusalem. quam quidem Ierusalem etiam diuinus Ezechiel lebetem appellat: & incolas eius, carnes. Deinde clariùs docet, quæ parabolicè dixerat. *Ecce enim*, inquit, *ego conuoco omnia regna regum à terra aquilonis, dicit Dominus: & venient, & ponent quisque solium suum super vestibula portarum Ierusalem, & super omnes muros eius, & super omnes vrbes Iuda.* Et ostendere volens quòd hæc iustè fiant, subdit, *Et cum iudicio meo loquar ad eos, de vniuersa nequitia eorum, quia dereliquerunt me, & libauerunt dijs alienis: & adorauerunt opera manuum suarum.* At verò quid hâc impietate dementius? Quid porrò hac vindicta iustius? Illi enim relicto proprio conditore, figmenta sua Deos constituerunt: hic verò, post diuturnam patientiam, sæpenumero gratia sua priuauit eos: qua destituti, impuris hominibus seruierũt. Iubet autem, vt lumbos accingat, hoc est, vt succinctè & viriliter se ornet. Et reducens in memoriam promissiones iam factas, expellit timorem: & asserit, declaraturũ se illum similem columnæ ferreæ, muro æneo, vrbique munitissimę: & eum inuictum effecturum non modò erga sacerdotes Iudæorum & principes, sed etiam erga reges ipsos, & vniuersam subditorum multitudinem. Pollicetur autem ei non pacem nec quietem, sed certamina & victoriam. *Pugnabunt enim*, inquit, *tecum & non præualebunt aduersum te, quia ego sum tecum, vt liberem te, dicit Dominus.* Quam quidem pollicitationem fecit etiam Ecclesiæ. Nam Petro Matth. 16 diuinissimo dixit, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Non dixit, non pugnabunt: sed pugnando non præualebunt. Quoniam ex aduerso pugnantes non sine labore victoriam comparant.

CAP II.

EXinde dicere iubetur habitatoribus Ierusalem, *Hæc autem dicit Dominus, Recordatus sum*

sum tui, miserans adolescentiam tuam, & dilectionem perfectionis tuæ: dum sequereris sanctum Israel in deserto, in terra quæ non seminatur, dicit Dominus. Adolescentiam vocauit, initium vocationis Iudæorum. Tunc enim ipsi in Aegypto miserè afflicti ingemebant: ipse verò misertus est, & ministerio Mosis vtens liberauit eos. Istud autem, *dilectionem perfectionis tuæ*, ironicè posuit. Non enim vnquam Iudæi perfectam dilectionem habuerunt erga benefactorem. quod ex hymnorum authore Dauide discimus. Dilexerunt enim eum, inquit, in ore suo: & lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius. Psal. 43. d Psal. 77. g Psal. 77. d

Sanctus Israel Domino. Perinde ac si diceret, Cœlesti gratia prætuli te reliquis nationibus, & populus meus appellatus es. Hunc etiam in modum beatus Moses dixit, Et factus est portio Domini populus ipsius Iacob: & funiculus hæreditatis eius Israel. *Primitiæ frugum ipsius.* Nã præ cęteris omnibus elegit ipsum. Quapropter dixit Pharaoni, Filius meus primogenitus Israel. Et per alium prophetam sic ait, Velut vuã in deserto reperi Israelem, ac velut fructum ficus maturum inueni patres eorum. *Omnes qui deuorant eum, delinquent: & inducam mala super eos, dicit Dominus.* Quandoquidem nõ tanquam Deo inseruientes bellum gerebant, qui pugnabant aduersus Israelem: sed quasi ipso Deo superiores euadere possent. Sic etiam Sennacherib aiebat, Ne te decipiat Deus tuus, in quo confidis, dicens, quòd Dominus liberabit Israelem de manu mea. Hac de causa etiam illis minatur vindictam. Deinde populum vniuersum sic alloquitur, *Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt se à me, & abierunt post vanitatem, & vani facti sunt?* Quis satis idoneus, ad extollendam laudibus pro dignitate beneuolentiam Domini atque humanitatem? Quippe qui nõ vt iudex, iudicat, sed quasi reus, defensionem proponit, & vult conuinci. Aut quid facere debuerat, & nõ fecit? Cumque sit Deus sacrosanctus, iniquis hominibus dicit, Quid peccaui? Qua iniuria vos affeci? Dicite. Redarguitote. Quam habentes accusationem patres vestri me benefactorem quidé reliquerunt, idolis autem manufactis seruierunt? Atqui liberaui eos Aegyptiorum seruitute, per terram impermeabilẽ deduxi, in deserto aqua carente copiosarum aquarum fluentum dedi, in terram promissionis, fructuum omnis generis matrem, induxi: (per Carmelum enim vniuersam terram promissionis significauit) At ne hæc quidem tam multa bona consecuti, beneficiorũ collatorem agnouistis: sed imitati estis paternam abominationem. Deut. 32. b Exod. 4. f Osee. 9. c Esa. 37. c

Deinceps diuisim in singulos ordines accusationem depromit: *Sacerdotes non dixerunt, Vbi est Dominus?* Hoc omnium maximè profanum, eos qui ducunt, factos esse principes erroris. *Et qui tenent legem, nescierunt me.* Hoc loco scribas & doctores accusat: vt qui legem quidem interpretentur, primi verò transgrediantur eam. *Pastores impie egerunt in me.* Sic reges appellauit. *Et prophetæ prophetauerũt in Baal.* Prophetas vocat eos, qui sunt pseudoprophetę: velut rursum Deos, illos qui non sunt Dij. *Et abierunt post id quod est inutile.* Ostendit stupiditatis excessum. Relicto quorumcunque bonorum suppeditatore, damnosis idolis seruierunt. *Propterea adhuc iudicio contendam cum eis, dicit Dominus: & cũ filijs filiorum disceptabo.* Perseuerat in modestia. Non enim dixit, Iudicabo vos posterosque vestros: sed, iudicio contendam vobiscũ, & cum illis: pro eo ac si diceret, Iudicium inibo, & conuincam transgressores. Vt autem demonstret transgressionis grauitatem, hortatur, vt exposcant viuendi rationem gentiũ, tum occidentalium, tum orientaliũ: & cognoscant, an quædam illarum mutauerint Deos paternos. Porrò Cethim vocat Cyprum, adiacentesque ei insulas: & per eas, Hesperias partes: Cedar verò, eos qui versus orientem solem incolunt desertum: & per eos subindicat partes orientales: docetque, illos sequi mores paternos, & quos edocti sunt, Deos colere. At verò isti eum, qui re vera Deus est, abnegarunt. Idcirco dixit, obstupescere cœlum, & terram inhorrescere: non quòd elementa sint ratione prædita, sed quòd hæc, velut comprehendant creaturas, beatus Moses vocauit in testimonium, Audite, inquit, Deut. 32. e cœli quæ loquor: audiat terra verba oris mei. *Quia duo mala fecit populus meus: me quidem reliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Esa. 37. c *Cisternas dissipatas*, nuncupauit ipsa idola. Siquidem cisterna manu fit, quæ scaturientem aquam non habet, sed à nubibus partam & vndecunq; collectam suscipit. Quòd si etiam dissipata & præterfluens fuerit, confestim aquam è cœlo collectam perdit. Huiusmodi est idolorum natura. suam enim ex materia & artificio substantiam emendicat: & quam ex his comparauit pulchritudinẽ, tempus delet. At qui verè Deus est, fons est vitæ perennis.

Deinde per interrogationem, *Nunquid seruus est Iacob, aut vernaculus Israel? Quare factus est in prædam? Super eum rugiebant leones.* Nempe norunt omnes, quòd liberatus sit Aegyptiorum seruitute: quodque mea fretus prouidentia regeretur à seipso, planum erat omnibus. Illustris enim erat & conspicuus. Quæ fuit igitur causa captiuitatis? quo pacto tam facilè expositus erat aggredientibus illum regibus? Reges enim appellauit leones. Et hos dicit terram ipsius diuisisse, & vrbes incendisse. Et hæc passi estis nõ modò ab Assyrijs, sed etiam ab Aegyptijs. *Insuper enim*, inquit, *filij Mempheos & Taphnes cognouerunt te, & illuserunt tibi.* Qui tua gratia vulgata illa pertulerunt: quos tandem profundo maris tradidi. Postmodum causam infirmitatis exponit. *Nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti me, dicit Dominus Deus tuus?* Tum initium apostasiæ, *Eo tempore, quo ducebat te in deserto.* Mox enim vt liberatus es ab Aegyptijs, me dereliquisti: & vitulum pro Deo constituisti. *Et nunc quid tibi cum via Aegypti, vt bibas aquã trereſtrem? Et quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminum?* Quando bello petebantur à Syris,

Syris, vocabant Assyrios in auxilium: cùm verò Assyrij in eos bellum gesserunt, tum confugiebant ad Aegyptios. *Terrestre* enim vocat ipsum idolum. *Erudiet te auersio tua, & increpabit te malitia tua. Scito, & vide, quia malum & amarũ est, quòd dereliquisti me, dicit Dominus Deus tuus.* Nec mihi in te cõplacui, dicit Dominus Deus tuus. Non me, inquit, vocasti in auxilium, sed illos: propterea tradidi te illis. Tale quippiam accidit ijs, qui Saluatorem crucifixerunt. Negantes enim illum, dicebant, se non habere regem, nisi Cæsarem. hac de causa, Cęsari tradidit illos.

Quoniam à sæculo contriuisti iugum tuum, & confregisti vincula tua: & dixisti, Non seruiam tibi. Inueterata sunt autẽ studia tua. A principio enim contriuisti iugum legis, & gentium legem non obseruantium mores secutus es. Conuersationi legitimæ prætulisti aras & nemora. *Ego verò te plantaui vineam fructiferam, totam veram.* Non autem simpliciter appositum, *totam:* sed eò quòd essent inter eos viri pij, & diuini prophetæ, & qui hos insequebantur. Perinde ac si diceret, Volebam vos omnes esse tales: quoniam omnium æqualiter curam gessi. *Quomodo conuersa es mihi in amaritudinem vinea aliena?* Si permansisset vera, non esset aliena: sed quia mutata est in amaritudinem, non iam vera, sed aliena vocatur. Ad eundem modum magnus ille Moses inquit, De vinea Sodomorum vinea eorum: & palmes eorum de Gomorrha. Vua eorum, vua fellis: botrus eorum amarissimus. Vnde etiam Domino fel obtulerunt. At quoniam diuinam plantationem contumelijs affecerunt, suntque in amaritudinem conuersi, & pro vua germinauerunt spinas: Christus, qui secundum carnem ex ipsis natus est, seipsum veram vitem appellat, dicens: Ego sum vitis vera. Eos autem qui crediderunt in eum, nominat palmites. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi ipsi herbam, volutata es in iniquitatibus tuis coram me, dicit Dominus.* Πόαμ, id est, herbam appellat, herbas purgatorias, quæ nascuntur è terra. Et per hæc tropicè docet, quæ secundum legem sunt aspersoria, non procurare liberationem à peccatis: sed synceram pœnitentiam, & auersionem à nequitia. Post hæc impudentiam ipsius reprehendit. *Quomodo dices, Non sum polluta? post Baal non abij?* Mox quàm manifesta sit eius impietas, ostendit. *Vide vias tuas in sepulchro, & cognosce quid feci sti.* Πολυάνδριον, id est, sepulchrum, vocat locum monumentorum, in quo filios & filias idolis concremabant. *Serò voce sua vlulauit.* *Serò*, posuit, pro tardè. Post sacram anchoram, inquit, sentire cœpit dolorem iniquitatis suæ. Istud etiam posthac dicit propheta, ostendens, decem tribus lugere, ac dicere, Post captiuitatem me pœnituit. *Vias suas dilatauit ad aquas deserti.* Propterea dilatauit infidelitatẽ: quæ quidem impiè agere docuit. *Aquas deserti*, appellauit idola, eò quòd pariant desertum, & exitium procurent. *In desiderijs animæ suæ spiritu prophetico ducebatur.* Quæ enim audire cupiebant, pseudoprophetæ arroganter profitebantur se prædicere. Nam verbum istud ἐπνευματοφορεῖτο, de pseudoprophetis posuit. *Tradita est, quis auertet eam?* Deo enim tradente, quis idoneus ad hoc efficiendum? Non aliter per magnum Mosen ait. *Omnes qui quærunt eam, non laborabunt. In abiectione sua reperient eam.* Cùm hi, qui amplectuntur impietatem, sint captu faciles.

Deut. 32. e

Ioan. 15. a

Inf. 3. f

Exinde docet, quo pacto sæpe dato ei consilio, vt deflecteret à via noxia, mox insolenter apostasiã fatebatur. Ob id verò, inquit, omnes vnà reges, principes, sacerdotes, & eos qui mendacia prophetant, pudore perfundam: similesque fient furi, in ipso furto deprehenso, & erubescenti vehementer. *Quia deos ex ligno & lapide fabricatos, patres & genitores appellabant: mihi verò terga verterunt, & velut hostem auersati sunt. Et tempore afflictionum suarum dicent, Surge, salua nos.* Istud extremæ potissimùm est impudentiæ, deliciantes bonis, erga eum ingratos esse, à quo, dum premuntur inopia, petunt auxilium. Sequitur ironicè, *Vbi sunt Dij tui, quos fecisti tibi? Surgẽtne, & saluabunt te in tempore afflictionis tuæ?* Demonstrat autem multitudinem eorum. *Quia secundum numerum ciuitatum erant Dij tui Iuda: & secundum numerum viarum Ierusalem, sacrificabant ipsi Baal.* Ostendens hoc pacto, non veris Dijs exhibitum honorem, eorumque multitudinem atque imbecillitatem, benignè increpabat ingratos. *Quare loquimini ad me? Omnes vos impiè egistis, & omnes vos iniquè fecistis in me, dicit Dominus.* Reducit etiam in memoriam castigationes eis illatas: *Frustra percussi filios vestros: disciplinam non recepistis.* Neque beneficio affecti, agnouistis benefactorem: nec dum castigaremini, recessistis ab impietate. Ego verò erroris authores tradidi internecioni. *Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus, Nunquid solitudo factus sum domui Iacob, aut terra in spinas redacta? Propterea dixit populus meus, Non erimus tibi subditi, nec veniemus ad te.* Hæc dicit ironicè. Nunquid, ait, sum similis idolis? An perinde vt illa, nullum eis bonum fructum protuli, ob idque seruitutem meam refugerunt? Transit autem & ad aliam similitudinem, & ait, sponsam omnem curare mundum suum, omnem autem virginem de fascia pectorali sollicitam esse: eum autem qui dicitur populus eius, parui pendere curatorem. Tum denuo ironicè, *Quid adhuc boni conaris ostendere in vijs tuis, ad quærendam dilectionem?* Quid aliud, inquit, addere vis prædictis, vt meum erga te concilies amorem? Adeò nihil est ex ijs quod ad amicitiam moueat, vt è diuerso pariat odium. Non enim ad impietatem duntaxat appulisti, sed & cædem pollutione plenam audacter perpetrasti. *In manibus enim tuis*, inquit, *inuentus est sanguis animarum innocentium.* Quod etiam non subticuit beatus Dauid, Et immolauerunt filios suos dæmonijs. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan: & infecta est terra in sanguinibus. Verùm vt ostenderet, quòd hæc non clàm, sed palàm agere audebant, subiunxit, *Non in fossis reperi eos, sed sub omni quercu.* Quia non, quemadmodum parie-

Psal. 105. f

parietum effractores clàm facinus committũt, ita hi iniquè agentes latere nitebantur: sed collis omnis & omne nemus horum impietatem suscepit. Impudentes verò cùm essent & execrandi, quæ palàm commiserant, pernegabant. *Dixisti enim*, ait, *Innocens sum: Idcirco auertatur à me indignatio tua.* Quare subiunxit, *Ecce iudicio contendam tecum: quia dicis, Non peccaui.* Non dicit, Iudicabo te: sed, contendam tecum iudicio: perinde ac si diceret, Iudiciali more disceptabo, & te mentientem & impudenter denegantem, conuincam. *Quia leue admodum putasti, si iterares vias tuas.* Nam impudentia valde conuenit iniquitati. Cæterùm per hoc, etiam aliud obscurè significat, nempe, quemadmodũ vocatis in auxilium Assyrijs, ea opitulatione nihil profecistis: sic etiam tunc confugientes ad Aegyptios, nullam inde consequemini vtilitatem. quod indicat per ea quæ subiunguntur: *Et confundêris ab Aegypto, sicut confusa es ab Assur. Nam & egredieris inde, & manus tuæ super caput tuum.* Proprium est lugentium, complicatas manus imponere capiti. Malorũ autem causa est, *Quia præcidit Dominus spem tuam: & non prosperaberis in ea.* Nam si sperasses in Deum, maturum ex spe collegisses fructum: sed quoniam in hominibus collocasti fiduciam, spe excidisti.

CAP. III.

EXinde pronunciat, vxorem quamcunque, quæ recessit à viro suo, & alteri se iunxit, ad priorem virum redire non posse, lege hoc prohibente: tu verò quæ reliquisti me secundum legem tibi copulatum, demonibus impuris adhæsisti: tamen, cùm senseris damnum, ad me denuo redeas, ego non auersabor. Quòd si putas hæc me leuiter dicere, *Lęua oculos tuos in directum, & vide, vbi non fueris permixta.* pro, non polluta fueris. Quod etiam per Ezechielem dixit ei, Inueni te pollutam in sanguine tuo. Sic etiam interpretatus est sermo Syriacus. Et in sequentibus ait, nempe, *Non modo suscipiebas accedentes, sed etiam exibas inquirens: & cornicum more sedebas in vijs, expectans illorum aduentũ, terramque repleuisti pollutionibus, multis pro vno pastoribus vsa.* Plures pastores, appellauit ipsa dola. Quo enim modo patres mendacij, suffurantes denominationem diuinam, vocitabantur Dij: ita, subrepto pastoris veri nomine, pastores sunt appellati. *Facies meretricis facta est tibi: exuisti pudorem erga omnes.* Quo enim modo quæ pulchritudinem venditant, frontis abstersa pudore, pariter omnibus se prostituunt: ita tu nulli amicitiam tuam conseruasti: sed cùm fructũ vbertatem à me datam colligeres, seruiebas idolis: vt autem in calamitates lapsa, illorum impotentiã sensisti, auxilium meum exposcebas. *Num innocasti me, tanquam domum, patrem & ducem virginitatis tuæ?* Non imposuisti mihi tales familiaritatis denominationes: quæ tamen olim quandoque patrem appellabas, quandoque virginitatis virum, interdum domum asylum. Sic enim ait beatus Dauid, Esto mihi in Deum protectorem, & domum refugij: vt saluum me facias. *Num perseuerabis in sęculum?* Proco, mendacium tuum & verborum illusio. *An seruabitur ad victoriam?* An putas per hæc superiorem & victricem te futuram? Tum ironicè, *Ecce, locuta es, & fecisti mala hæc, & potuisti.* Ac si diceret, Existima te illusisse & effugisse, quæ talia & tam iniqua facere ausa es. Deinde ait Dominum dixisse ei, in diebus Iosiæ regis, *Vidisti, quæ fecit mihi domus Israel?* Quandoquidem abierunt illi, (seruiebant enim in Babylone) docet prophetam æquitatem supplicij. *Abijt super omnẽ montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi.* Mox suam bonitatem & longanimitatem ostendit. *Et dixi, postquam sic fornicata esset, Ad me reuertere. Et non est reuersa.* Volens igitur, interitum sibi contraxit, quæ nec ab initio viuendi rationem legi consonam amplexa est, neque post impietatem reuerti voluit. Inde amplificat accusationem in tribum Iuda: *Et vidit prauaricationem eius prauaricatrix Iuda, soror eius. Et vidit, quòd horum omnium causa in quibus deprehensa esset fornicata domus Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij in manibus eius. Et non timuit prauaricatrix Iuda, soror eius: & abijt, & fornicata est etiam ipsa.* Cùm perspexisset, inquit, nequitiam sororis suæ, & illius ergo inflictam ei pœnam, non cauit, ne imitaretur nequitiã, sed secuta est vestigia eius. *Cuius fornicatio nihili facta est.* Nihil enim, inquit, iniquum agere putabat. Fornicationem porrò vocat idololatriam: quia relicto Deo, qui sponsus earum dicebatur, seruiebant idolis. *Et cædibus infecit terrã, immolans filios dæmonibus: & mœchata est cum lapide & ligno.* Apertam fornicationis accusationem peregit. Deinde pluribus docet, non exhorruisse sororis impietatem, licet interitum eius perspiceret: maioreque venia dignas esse decem tribus, quàm sit tribus Iuda. quia, cùm calamitates earum peruidisset, in causis calamitatum committendis perseuerauit. Quamobrẽ iubetur illis vaticinari propheta: *Perge*, inquit, *& recita sermones hos ad aquilonem: & dices, Reuertere ad me domus Israel, dicit Dominus. Et non obfirmabo faciem meam super vos: quia misericors sum, dicit Dominus, & non irascar vobis in perpetuum.* Immensa est beneuolentia & humanitas Domini: quippe qui post ingentem numerum iniquitatum, solam requirit pœnitentiam: necnon docet illius modum, *Verùm agnosce iniquitatem tuam: quia in Dominum Deum tuum iniquè egisti.* Sanitatis enim principium est, infirmitatem sentire. *Effudisti vias tuas in alienos.* Derelicto Deo ac Domino, conditore ac benefactore, alienis adhæsisti. Sed qui erant illi? *Sub omni ligno frondoso.* Demonstrat erroris nullum esse quæstũ. Carent enim fructu plantę in Deos formatæ. *Voci autem meæ non obediuisti, dicit Dominus.* Quia dum legem ferret, ait, Non erunt tibi Dij alij præter me. *Conuertimini filij qui recessistis, dicit Dominus.* Etiam recedentes, nominat filios: propter ineffabilem eius bonitatem. *Quia ego ero Dominus vester.* Iterum enim curabo vos, & omni sollicitudine dignos existimabo. *Et assumam vos, vnum ex ciuitate, & duos ex cognatione: Et introducam vos in Sion: & dabo vobis pasto-*

Ezech. 16. a

Psal. 30. d

res secundum cor meum. Et pascent vos pascentes cũ scientia. Figuratè quidem facta sunt hæc sub Zorobabel. Redierunt enim regnante Cyro Persarum rege, habentes pastores Zorobabel filium Salathiel, & Iesum summum sacerdotẽ, filium Iosedec, ambos pietate & æquitate præstantes: Re tamen vera vbi Deus & Saluator noster factus est homo, prophetia finem accepit. Elegit enim Dominus ex Iudæis vnum ex ciuitate, & duos ex cognatione, quos constituit pastores secundum cor suum, sacros videlicet Apostolos. Idcirco dixit diuinissimo Petro, Simõ Iona diligis me? Pasce oues meas. Et quòd prophetiæ ea sit sententia, sequentia testificantur. *In diebus illis & in tempore illo vocabunt Ierusalem Solium Domini: & congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini in Ierusalem. Et non ambulabunt vltrà post cogitationes cordis sui pessimi.* Istud non contigit post reditum è Babylone. Non enim tunc gentes reliquerunt impietatem. At post Deum & Saluatorem nostrum hominem factum, pertulerunt diuini Apostoli salutarem prædicationem in vniuersam terram: reliquerunt autem pristinum errorem, qui illi inseruierant: & adorantes Deum vniuersorum concurrunt omnes in Ierusalem, tanquam ad solium diuinum. Docet exinde, post regressum è Babylone decem tribus non iam iterum diuisas iri, sed simul conuenturas, terramque possessuras paternam. Tum propheta, lętus de gratis promissionibus, inquit, *Et ego dixi, Fiat Domine.* Hæc interserens propheta, diuinam promissionem concludit. *Quia constituam te in filios.* Rursus enim, ait, eritis mihi filij frugi. *Daboque vobis terram electam, hæreditatem percelebrem, Dei, inquam, omnipotentis gentium.* Terram promissionis ita vocauit. Et ipsarum gentium Deum omnipotentem nominauit, docens illum esse omnium Deum & vniuersorum opificem: gentes item adepturas notitiam Dei, & ad eas peruenturam gratiam sancti spiritus. Deinde consulit, vt eam teneant charitatem, quam habent filij erga patrem: sicque diuina cura potituros. Mox conqueritur, quòd non modò decem tribus, sed etiam tribus Iuda, æmulatæ sint mulierem fornicatricem, quæ deliquit in virum suum: & quòd transgressæ sint pacta cum sponso conuenta. Prædicit etiam decem tribuum pœnitentiam: quorũ mentibus calamitas impressit iniquitatis sensum. *Vox enim procedens ex labijs eiulantium audita est, ac deprecationis filiorum Israel, nempe quòd iniquè egerunt in vijs suis, & obliti sunt sancti Dei sui.* Intuens autem pœnitentiam, vt in ea perseuerent, hortatur, inquiens, *Conuertimini filij reuertentes, & ego sanabo contritiones vestras.* Non modò pollicetur sanitatem, sed etiã quibus verbis vti debeant, docet, tantùm non dicens, Hęc dicitote, *Ecce serui nos erimus tibi: quia tu es Dominus Deus noster.* Abnegamus errorem, execramur seruitium dæmonũ, te solum scimus Dominum ac Deum. *Verè, colles & montium vis, erant mendacium. Veruntamen per Dominum Deum nostrum salus est domui Israel.* Ipsa didicimus experientia, te solum esse bonorum sabministrum: nemora verò & colles damnum afferre & exitium. *Confusio absumpsit labores patrum nostrorum, ab adolescentia eorum: qui immolabant oues suas, filios suos & filias suas.* In quo demonstrat, quantum honoris excessum idolis exhibebant. Nam non solùm boues & oues, sed etiã filios & filias adolebant: & quòd inde non modò nullum quæstum faciebant, sed præter interitum animarum, pudorem & confusionẽ consequebantur. Hoc enim per ea quæ subijciũtur, dicit: *Dormiuimus in pudore nostro, & ignominia nostra texit nos. quia coram Deo nostro peccauimus nos & patres nostri, ab adolescentia nostra vsque in diem hanc: & non obediuimus voci Domini Dei nostri.* Diuus etiam Apostolus fructum peccati dicit esse pudorem, his verbis, Quem ergo fructum habuistis tunc ex illis, in quibus nunc erubescitis? Roman. 6. d

Ioan. 21. c

CAP. IIII.

HOc pacto posteaquam docuit eos precari debere, promittit etiam eis fruitionẽ bonorum, si obliti fuerint idolorũ (illa enim vocat abominationes) & cultum in verum Deum transtulerint, ita vt nõ per idola, sed per ipsum iurent, vera dicentes ac non mentientes. Hoc enim dicit. *Si iuraueris, Viuit Dominus, cum veritate, in iudicio & iustitia.* Cæterùm in sacris Euangelijs perfectiora sanciuit. Dictum est enim, inquit, antiquis, Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Adhortatur Iudæos, infirmum adhuc gestantes animum, iurare per ipsum: vt iurisiurandi consuetudine discerent ipsum solum adorare. Pollicetur autem, modò hæc fiant, quòd *per ipsum gentes benedicent & laudibus extollent Deum in Ierusalem.* Quandiu enim illi verum Dei cultum retinebant, plerique vicina loca incolentes religionẽ ediscebant. Exinde ab Israele conuertit sermonem ad Iudam, & ait, *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Excolite, inquit, animas vestras: radicitus euellite memoriam idolorum. hęc enim spinas appellat. *Circuncidimini Deo vestro.* Tum docet, quæ sit circuncisio diuina. *Et circuncidite præputium cordis vestri, viri Iuda, & qui habitatis Ierusalem.* Docet apertè, circuncisionem apparentem latentis esse figuram: & si adsit interior, superfluam esse corpoream. Hinc prorumpens diuus Apostolus scripsit ad Romanos, Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neque quæ in manifesto, in carne, est circuncisio: sed qui in abscondito, Iudæus est: & circuncisio cordis, in spiritu, non litera. cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Audierat enim Deũ dicentem per prophetam, *Circuncidimini Deo vestro, & circuncidite præputium cordis vestri, viri Iuda, & qui habitatis Ierusalem, Nequando egrediatur velut ignis indignatio mea, & incendatur: & non sit qui extinguat, præ malitia studiorum vestrorum.* Vos enim soli pœnitendo potestis extinguere: qui, si pœnitentia non vtamini, nullus est idoneus, qui liberet vos à vindicta. Illos verò perterrefaciens, hortatur Prophetam, vt dicat ipsi Ierusalẽ, & vniuersę tribui Iuda, vt tuba canant, & significent

Matth. 5. e

Rom. 2. d

ficient omnibus impetum hostium: quo muratas in vrbes confugiant, & potissimum in Sion, vtpote magis munitam, vrgetque, dicens, *Festinate: ne cunctemini. Quia ego mala adducam ab aquilone, & tribulationem magnam.* Hæc autẽ magis parabolicè dicit, leonem vocans, Nabuchodonosor, speluncam verò, Babylonem: & ex ea erumpentem illum, vrbes incensurum, & agros vastaturum. *Propterea accingite vos cilicijs, plangite & volulate. quia non est auersus furor iræ Domini à vobis.* Prædicit porrò regis formidinem, tam Ioacim quàm Iechoniæ succedentis: tandemq; ipsius Sedeciæ. Prædicit etiã principum & sacerdotum metũ. Postmodum Propheta dicit ad Dominum, *Nunquid ergo decipiendo decipies Populum Dei & Ierusalem, dicens, Pax erit: & ecce, gladius pertigit vsque ad animas eorum?* Hæc non verè dicit propheta, sed quòd pseudoprophete promitterent pacem, & assererent Deum hanc polliceri. quorum mendacium redarguens, vsus est his verbis, (*In* tẽpore illo dicent populo huic & Ierusalẽ, quòd spiritus seductionis est in deserto: via filiæ populi mei nõ tendit ad purũ & ad sanctũ: nec spiritus plenitudinis veniet ab his *mihi.*) Ipsa experientia discent, inquit, tempore calamitatum, quòd Spiritus erroris & seductionis erat ille, qui loquebatur per pseudoprophetas: nõ purus, nõ sanctus, nec spiritus plenitudinis, pro cõpletiuus trinitatis. à quibus nempe pseudoprophetis. mala ista mihi prouenerunt. *Nunc aũt ego loquar iudicia mea cũ eis.* hoc est, calamitates, quas iustè adducam eis: hasq; recenset, adsimilãs currus, nubibus & tempestati: equorum autem velocitatem, aquilis. Prędicit quoq; lamẽtationem futurã. *Væ nobis, quoniam miseri sumus.* Tum consulit, vt pœnitentia captent salutem, (*Laua*, inquit, à malitia cor tuũ Ierusalem, vt salua fias. Vsquequo morabuntur in te cogitationes tuæ *prauæ?*) Cogitationum enim nequitia, horum tibi malorum est causa. *Quapropter vox annunciantis ex Dan veniet: & audietur labor de monte Ephraim.* Dan appellabatur, quæ nũc πανεάς. Ea erat de regione Israelitide, Regnorũ historia teste, A Dan vsq; Bersabeę, Hæc verò, quem admodum & mons Ephraim, sita est ad aquilonem, habita ratione ipsius Ierusalem. Inde proficisci cœpit rex Babylonis, vt testificatur hic propheta, atq; Regnorũ liber quar. Aiunt enim captiuos abductos fuisse à militibus ipsius Nabuchdonosor in Reblatha regionis Emath. Porrò Reblatha pagus est in regione, quæ dicitur Emesa. Ita vt perspicuum sit, ipsum magnã Emath vocitare Emesam: aliam autem Emath, ἐπιφανίδα, id ex excellentiam. Sic enim vsq; in præsentẽ diem appellatur, voce illius loci propria. Cùm igitur currentes illinc adducerent aduersa, *Ecce turbæ veniunt è terra longinqua. Et dederunt super ciuitates Iuda vocem suam. velut custodes agrorum facti sunt super eam in gyro.* Quo enim pacto, ait, qui semina vel vineas obseruãt, diligenter ea custodiunt, & per ea transire pro hibent viatores: ita hi Ierusalem obsidebunt, nec quenquã effugere permittent. Docet prætere a propheta, quartus item Regnorum liber, murum in circuitu coustruxisse, ex lapidibus quatur pedes latis: ne quis habitantium fugam capesseret. *Ista verò patieris*, ait, *quia neglexisti me, dicit Dominus. Viæ tuæ & studia tua fecerunt hæc tibi. ista malitia tua, quia amara, qui tetigit vsque ad cor tuum.* Feres digna his quæ perpetrare ausa es: & metes, quæ seminasti. His prædictis luget propheta, & deplorat vicem illorũ, dicẽs, ventrem & sensoria cordis dolere: imitaturq; matrem sese ob filiorum interitum laniantem: (*Lãguescit enim*, ait, anima mea dilaceratur cor meũ: non tacebo, quia vocẽ tubæ audiuit anima mea: clamorem belli, miseriã & tribulationẽ *resonat.*) Hæc enim tuba significat, hæc prænunciat mala. Dicit etiam terram miseria afflictam, tebernaculum disruptum, & pelles dissipatas. Et per hæc indicat obscurè vastationem vrbis, Enarrat etiam multitudinem fugientiũ: & ex persona Dei, ait, *Quia duces populi mei me nõ reuerti sunt filij stulti sunt, & non sapientes.* Et nẽ putentur venia digni, tãquam stulti, statim subiunxit, *Sapientes sunt ad faciendã mala, bene autem agere non nouerunt.* Istud enim est molestissimè ferendum, quòd hi ad rem nihili vtuntur sapientia: veluti ebrij, vino: & hommicidæ, ferro. (*Aspexi* in terram, & ecce nihil: & in cœlum, & non erant lumina eius. Vidi montes, & ecce tremebant: & omnes colles perturbatos aspexi, & ecce non erat homò. Et omnia volatilia cœli erant *terrefacta.*) Hæc euenire solent ijs qui delabuntur in calamitates: quibus lux, non videtur esse lux: nec dies, esse dies: neq; dulcia. sed omnia mutãtur eis in contrarium. (*Vidi, & ecce* Carmelus desertus. & omnes vrbes igne flagrãtes à facie domini & à facie iræ eius erãt *deletæ.*) Verisimile quidẽ, dum trãsirent hostes, ipsum Carmelum vastatũ esse. Ego autem arbitror, hic vrbem Ierusalem figuratè vocari Carmelũ, ob multudinem incolarum. (*Hæc* porrò dicit Dominus, Deserta erit omnis terra: sed cõsummationem non *faciam.*) Omnem terram, dicit Palæsthinam: sed reuocationem pollicetur. Tũ exhortatur, (*Propterea* lugeat terra, obtenebrescat cœlum desuper: quia locutus *sum.*) Consonant enim creatura cum creatore. *Statui: nec me pœnitebit.* Verbum hoc, *nec me pœnitebit.* humano more posuit. Diuinum alioqui numen est impatibile, perinde, ac si dicat, decreui supplicium sumere. *Impetum feci: nec auertar ab ipso:* scilicet, impetu. Docet autem qualis ille sit: nempe, (*præ* timore equitum & sagittariorum omnes conuertentur in *fugam.*) Et alij quidem in montibus, alij in nemoribus fiduciam collocare tentauerunt, pleriq; relictis vrbibus vertices montium occupauerunt. Deinde sermone ad Ierusalem conuerso. *Et tu misera, quid factura es?* pro, quo fugias? Quem locum apprehendes? (*Si tibi* Circumdederis purpureum vestimentum, & ornaueris te aureo ornamento, & stibio pinxeris oculos tuos, frustranea est pulchritudo tua. Repulerunt te amatores tui: animam tuam *quærunt.*) Solebant diebus festis dæmonum: pulchritudini operam dare: vnde reducit eis in memoriam eiusmodi ornamanta, docetque illa omnia inutilia esse

4. Reg. 3. d

esse ex noxia: quæ nullum à dæmonibus auxilium compararunt, imo potius illis procurarunt hæc mala. *Vocem enim vt parturientis audiui & gemitus tuos velut primò parientis.* Per similitudinem doloris modũ representat *Væ mihi, quia deficit anima mea super interfectis.* Implet legẽ
Rom. 12. c. diuinam, Flere cum flentibus: condolens ijs, pœnis affligunter. Cæterùm nos hic inter quiescentes, admonemus eos qui in librum hunc incident, vt cuitatis dæmonum fratribus, Deum per omnia colant. Hac enim ratione tum in præsenti vita prouidentia eius perfrui poterimus, tum futura bona consequi, per gratiam ac beneuolentiam Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri vnà cum sacrosãcto Spiritu, gloria, honor, & imperiũ, nunc semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

TOMVS SECVNDVS.

CAP. V.

Circumite in vijs Ierusalem, & videte considerate & quærite in plateis eius, an reperiatis virum in ea: an inueniatur quis faciens iudicium, & quærens fidem: & propitius ero illi, dicit Dominus. Immensa est tum illorum impietas, tum Domini beneuolentia. Illic enim tendũt vnanimiter ad iniquè agendum: hic autem, vel vnius beneficio vitam legi consonam agentis, pollicetur omnibus veniam. Istud itaque, *videte, considerate, & quærite*, ponitur pro omni diligentia scrutamini. *Dicut quidem, Viuit Dominus: nihilominus iurant in mendacijs.* Non enim in sermonibus antè dictis simpliciter cauit, vt in ipsum trasferretur iusiurandum: sed vt iuraretur cum veritate, Tum propheta, *Oculi tui ad fidem.* hoc est, testimonium perhibes de his quæ dico. Intueris enim omnia. (*Flagellasti* eos, & non doluerunt. Consummasti eos, & renuerunt accipere *disciplinam.*) Prius quidem indicat castigationem moderatam: istud autem, σὺν πλεονασμῷ, id est, consummasti, significat vehementiùs intensam. Attamen neutrum illis prosuit: quia ferreo erant animo. Hoc enim dicit in sequentibus, *Indurauerunt faciem suam supra petram, & noluerunt reuerti.* Per hæc innuit impudentiam illorum & perfidiam. *Et ego dixi, Forte pauperes sunt: propterea non possunt, & non agnoscunt viam Domini, & iudicium Dei sui, Ibo ad magnates, & loquar eis: ipsi enim cognouerunt viam Domini, & iudiciũ Dei.* ἀδρούς, magnates siue optimates, vocat sacerdotes & legis doctores: Pauperes autem alios qui diuinæ cognitionis opus non possident. Ambos nihilominus transgressionis accusat, dum subijcit, *Et ecce vnanimiter contriuerunt iugum, fregerunt vincula.* Ista Propheta non protulit simpliciter: sed post promissam Domini clementiam atque humanitatem. Ostendit igitur, se quæsijsse, quemadmodum ei mandatum erat, an vnum saltem reperiet, facientem iudicium, & quærentem fidem: at inuenit cunctos iugum legis contriuisse. *Idcirco percussit eos leo de sylua, lupus perdidit illos, vsque ad domos eorum, pardus vigilauit super ciuitates eorum.* Leonem, vocat Nabuchdonosor: lupum autem, vt puto, Nabuzardan coquorum principem: qui posteriore loco missus, ciuitatem & templum Dei incendit, & eos qui relicti fuerant, subegit seruituti. Pardum verò existimo vocari Antiochum Ephiphanem. Nam & diuus Daniel, Macedonicum regnum vidit adsimilatum pardo. Ab his inquit, omnibus deprædata es, ob errorem circa idola commissum. Deinde iudicis more, *Super quo propitius ero tibi?* Recensет etiam speciem transgressionis. Non enim vos ait, soli & filij vestri iuratis per eos qui non sunt Dij: sed & alios adiuratis. Ego autem abundantiam bonorum donabam vobis. quod his verbis innuit *Et saturaui eos.* Insuper alienas etiam perfoditis nuptias, adeo vt lasciuia vestra non sit absimilis equis in equas insanientibus. Mox syllogisticè, (*Nunquid* super his non visitabo, dicit Dominus? Aut de tali gente non vlciscetur *anima mea?*) Potèstne fieri, inquit, vt hæc negligã? Qua ratione corrumpi poterit sententia iustitiæ? Hac de causa etiam illam pronuntiat, & iubet, vt destruantur muri, & propugnacula euellantur: temperatque iustitiam bonitate. *Consummationem enim, ait, ne faciatis. Relinquite bases eius. quia Domini sunt.* Per hæc designat obscuris verbis reuocationem & secundam instaurationem: sed prædicit aduersorum causam, nempe quòd iniqui & ingrati in beneficiorũ collatorem insolescebant, seque meliores existimabant, quàm qui meritò afflictiones paterentur. *Non venient enim,* inquit, *in nos mala, & gladium ac famem non videbimus.* Authores enim horum erant pseudoprophetæ: quos in sequentibus arguit, *Prophetæ vestri erant inuentum & verbum Domini non aderat eis:* Istud, *in uentum,* vanitatem & mendacium eorum quæ dicebantur, ostendit: eò quòd spiritus Domini participes non erant. Quare dicit prophetæ, *Verbum quod per linguam tuam pronuntio, instar ignis absumet eos.* Ostendit porrò modum etiam vindictæ. *Ecce, adducam super uos gentem è longinquo, domus Israel, dicit Dominus. gens est antiqua.* Dicit Assyrios, quos appellat gẽtem antiquam, quòd regnum eorum sit omnium vetustissimum: vtpote post diluuium Nemrod primus imperauerit. Deinde recitat vocem alienæ linguæ, & cum aperto sepulchro pharetram comparat: eò quòd tela sunt lethifera, ipsi verò iaculandi peritissimi. Enarrat etiam regionis vastationem, depopulationem domorum, & hominum stragem. Prædicit nihilominus horum reuocationem, & fulsionem hostium. (*Non* faciam in vos, ait, Consummationem. Et quia stupidi, dolore nesciebant; nec videbant proprias iniquitates, sed dicebant, *Quare fecit nobis Dominus Deus noster hæc omniã?* præcipit prophetæ, vt dicat eis, *Pro eo qnòd dereliquistis me, & seruijstis Dijs alienis in terra uestra, sic seruietis alienis in terra non uestra.* Iusta supplicij sententia. Quia meum, inquit, repudiastis regnum, ego vos alijs tradam dominis. Iubet eos ista diligenter audire, stultos & insipientes eos appellans: quia

quia non vtebantur, vt decet sensibus corporeis. *Oculos habentes,* inquit, *non vident: & auribus præditi, non audiunt.* Quinetiam ostendit, ipsis inanimatis eos esse magis irrationales cum mare custodiat suos terminos. posui autem ei terminos: non murum adamantinum, sed arenam læuissimam: dum tamen exagitatur & turbatur, non egreditur fines: ad quos dum propiùs accedit, retrorsum vergit. ad hi ratione dignati, irrationalitatem amplexi sunt. (*Populo* enim huic, ait, innatum est cor inobediens & *incredulum.*) Non enim sentiunt bona illis à me suppeditata: verbi gratia, pluuiam temporaneam serotinam illis continenter præbeo: deinde fruuntur etiam bonis è terra nascentibus. Hoc enim dixit, *in tempore plenitudinis, & dum mandantur messes.* Vsus est enim voluntate, veluti mandato quodam: vbereſque de terra largitur fructus. Veruntamen cùm viderem vos iniquè versantes, etiã his bonis priuati. (*Inuenti sunt* enim in popolo meo impij, qui laqueos statuerunt ad capiendos viros, & comprehenderũt. Sicut laqueus applicatus plenus auibus, ita domus illorum plenæ *dolo.*) Per hæc clandestinas eorum insidias aperit, & memorat opes ex iniquitate comparatas, & ex opibus prodeuntem arrogantiam, vitam iniquam, & iniustitiam, quæ in pupillos & viduas committitur. Postea subdit, *Nunquid super his non visitabo? aut in tali gente non vlciscetur anima mea?* A iusto iudicio meo alienum est, talia negligere. *Stupor & terribilia facta sunt super terram.* Quãdo præter omnem ipem quippiam inusitatum videmus, solemus hæc dicere, Hæc res in stuporem me adduxit. Exterritus sum, audiẽs istud. Mox horum causas refert. *Prophetæ vestri prophetant iniusta,* id est, mendacia, *Et sacerdotes applauserunt manibus suis.* Cõfœderationis hoc est indicium. *Et populus meus ita dilexit.* Improbam omnium ostendit cõcordiam. *Et quid facietis postea?* pro, dum infligetur supplicium. quod declarat per ea quæ sequuntur.

CAP. VI.

HOrtatur porrò populũ Beniamiticæ tribus, quæ tribui Iuda copulata erat, denuntiare tuba, vt se præparent in aciem, tanquam ab aquilone irrumpant hostes in Ierusalẽ. Formosam eam & delicatam vocat: formosam quidem, ob pulchra ædificia: delicatam verò, propter incolas delicatè viuentes. *Venient pastores & greges eorum, & figent iuxta eam tentoria. Pascent vnusquisque manu sua gregem suum.* Pastores appellat, reges, qui cum Nabuchdonosor militabãt: greges verò & ouilia. ipsos exercitus, qui sub eis merebãt. Ex quibus declarat obsidionem vrbis. Nec multò pòst memorat acies meridionales, & occidẽtales incursiones, ac nocturnos impetus: iubeturq; excidere illam, non aliter, quàm syluam fructum non ferentem. quia tota mendax est, quantumcunq; sit potens. Cõtingunt hæc & ijs quos antè diximus. *Sicut cisterna frigefacit aquam suam: ita nequitiam suam frigefacit.* Dicebat vrbem in Deo recumbentem, etiã eos qui perperam viuebant excipiendo, legitimè viuendi rationem docere, Nunc verò quòd contrarium fecerit, accusatur, nempe quòd impietatis magistra euaserit, & quemadmodum cisterna mutat aquam infrigidam qualitatem: sic accedentes ad se mutauit in nequitiam. Dũ tamen vrbem dicit, non ædificia, sed incolas intelligit. *Impietas & miseria audietur in te coram me semper.* Neque reueriti sunt, quòd ibi inhabitarem, sed intuentes me audactar proruperunt in omnem impietatem. Deinde exhortatur, & consilium dat: *In labore & flagello erudire Ierusalem. ne forte recedat à te anima mea, & faciam te terram desertam & inhabitabilem.* Hæc declarant ineffabilem Domini humanitatem: qui comminatus ei dura, pollicetur ab his liberationem, si mores mutauerit. Quia verò non receperunt exhortationem, conuocat hostes vindemiatores: quibus præcipit. vt omnes eos colligant, perinde ac fructum vineæ: & rationem docet. (*Quem* alloquar, aut contestabor: & audiet? Ecce incircuncisæ aures eorum, & non possunt audire. Ecce, verbum Domini factum est illis in opprobrium: nequaquam volunt illud *audire.* Vocat aures incircumcisas, quæ sine discrimine excipiunt omnia. Tales erant isti: qui facilè quidem admittebant pseudophetarum sermones, prolatos delectationis gratia, verbis autem diuinis nolebant attendere, sed suggillabant & subsannabant prophetas.

Paulo pòst diuturnæ patientiæ superlationem demonstrat. (*Furorem* meum impleui, & sustinui, nec consumaui *eos.*) pro eo, prorupi ad puniendum, sed iterum eos commiseratione & venia dignatus sum. Minatur porrò, se pari supplicio iuuenes & senes, viros ac mulieres affecturum: eo quòd cuncti communem adamarunt iniquitatem, etiam sacerdototi dignitate præditi cum his qui mendacia prædicare audebant. Refert etiam quæ ab ipsis perpetrabantur. (*Et* curabant contritionem populi, contemnentes me, & dicentes, Pax, *pax.* Tum sub interrogatione, *Et vbi est pax?* Conueniebant, inquit, curare dolores asperioribus medicamentis: sed pollicitatione pacis attriuerunt eos. Vbinam ergo sermonum executio? Vident enim loco pacis, vniuersorum interitum. Ostendit impudentiæ ipsorum excessum. Nam cosusi, inquit, velut qui mendacia prædixissent, erubescere nesciuerunt. Hoc enim dicit, (*Nec* confusione sunt cosusi, neque ignominiam suam *agnouerunt.*) Nihilominus tamen luent, ait, in tempore pœnas eorum quæ commiserunt. (*Tempore* enim visitationis suæ corruent, dicit *Dominus.*) Inde & Iudæorum incredulitatem notat, & palàm prædicere vocationem gentium incipit: (*Hæc* dicit Dominus, State super vias, & videte, & interrogate de semitis æternis: & videte, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis sanctificationem animabus *vestris.*) Multę quidem viæ, sunt sancti prophetæ: viæ autem verè bona, est Dominus noster. Audimus siquidem illum dicentem, Ego sum via, & veritas, & vita. *Ioan. 14. c.* Ad hanc tamen ducit vnaquæq; viarũ prophe-

ticarum. hanc etenim legislatur Moses subin-
Deut. 18. dicat, his verbis, Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus noster de fratribus vestris, tanquam me, & quæ sequuntur. Dauid etiam rex propheta, necnon Esaias. Micheas, Ezechiel, & singuli prophetæ viam hanc ostendunt. Quemadmodum enim vna est via, quæ deducit ad maximas vrbes: quam regiam appellare solemus: ad hanc porrò semitæ quædam à pagis & agris defluentes dirigunt: sic vna est via, quæ ducit ad Patrem, nempe vnigenitus Filius Dei: ad beati prophetæ, veluti semitæ quædam, ducunt ad hanc eos, quibus per hæc ire libuerit. Quare propheticus sermo præcipit Iudæis scrutrari vias propheticas, & per eas discere viá bonam, & in ea ambulare: sed more suo contradicunt, nec faciunt quod iussum est. *Dicunt enim*, ait, *Non ibimus.* Veruntamen & aliam proponit eis adhortationem, *Constitui super vos speculatores, audite vocem tubæ.* Denuo prophetas
Ezech. 3. d. 3 & 33. b. appellat speculatores. Siquidem ait Ezechieli, Speculatorem dedi te domui Israel: Turbam aût, prædicationem apostolorum: quam vaticinati sunt speculatores nominati. At rursum Iudæi repugnant, & aperte dicunt, *Non audiemus.* Horum igitur contractione monstrata. prædicit credulitatem gentium. *Propterea audierunt gentes, & qui pascunt greges in eis.* Pastores autè vocat, earum præfectos, non eos modò qui spiritali prælatura sunt ornati, sed etiam reges & hi prædicationem diuinam receperunt. Hoc ipsum fecerunt diuini Paulus & Barnabas Apostoli: qui synagogam quandam ingressi, cùm multis verbis disputassent cum Iudæis, incre-
Actu. 13. dulitate eorum perspecta, dixerunt, Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei. sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes. sic enim præcepit nobis Dominus, Posui te in lucem gentium, vt sis in lumé gentiũ, vt sis in semen gentium, & sis in salutem vsq; ad extremum terræ. Sortita est ergo prophetia exitum. Hoc tamen loco sermo propheticus minatur Iudæis incredulis vltionem cótradictioni conueniétem: prohibet tamen cultum à lege mandatum. *Vt quid mihi thus de Sabba offers, & cinnamomum de terra longinqua? Holocaustomata vestra non sunt mihi grata, & sacrificia vestra nõ me delectant.* Quòd si vel regnante lege hæc iudicata sunt superflua, frustra profectò posteaquã cessauit lex, perseuerarunt Iudæi dare operam superfluis istis legalibus, tãquam necessarijs. Rursum prædicit miseriam cui se subdiderunt, nõ solum seruitutem renuentes, sed execrandos omnibus se exhibentes. Exinde conuertit prophetiam ad regem Babylonis, & illos: qui eum eo militabãt, reges. quorũ declarat potentiam, armaturam, sæuitiam ac feritatem animi: nec subticet horum formidinẽ. *Dissolutæ sunt enim*, ait, *manus nostræ, & tribulationes obtinuerunt nos, dolores vt parturientis.* Suadet autẽ, ne declinent ad vrbes, quasi hostes obsideant. Admonet etiam Ierusalẽ, vt induatur sacco: & capite cinere conspergantur, & filij vnigeniti luctum imitetur. Tum denuntiat prophetæ, vt eorum obseruet iniquitates. *Probatorem enim*, inquit, *dedi te in populo meo concluso: & considerabis probando viam eorum.* Ac si dicat, Non fatigeris circumiens multas vrbes & agros: quia metu belli cuncti congregati sunt in Ierusalem. Monstrat autem ei mentis eorum peruersitatem: *Omnes inobedientes, incedẽtes obliquè. Omnes congregati sunt, vt æs vt ferrum.* Perinde ac si dicat adulterini sunt, nihil habentes probi. *Defecit conflator ab igne, defecit plumbum, frustra conflat faber argentarius: iniquitates eorum non sunt consumptæ.* Argentarium fabrũ vocat, sermonem ad erudiendũ aptum: ignem verò & plumbũ, ipsam pœnam: conflatorem autem, sententiam diuinam, qua pronuntiatur pœna. Solent enim fabri argentarij, volentes purgare argentum, injicere plumbum, quò per illud absumatur quicquid est adulterinum. Inquit igitur Dominus, Volens eos conuertere, methedis quibuscunque vsus sum, castigationes varias inflixi: & tamen curari nequeunt. Vnde subdit. *Argentum reprobatum vocate eos: quia reprobauit eos Dominus Deus,* Immoratus est in eorum conuersione: nullum inquit: artificium superauit eorum malitiam. Hæc verò dicit, non accusans naturam, sed voluntatem. Ipse enim est author naturæ, nec, quam cõdidit, vnquam accusãret: voluntatis autem illi sunt opifices.

CAP. VII.

POst hæc ostendit propheta, quo pacto iussus sit stare pro foribus templi diuini, cunctisq; ingredientibus propheticum sermonem offerre. qui quidem sermo propheticus continebat consilium, & rerum prosperarum pollicitationem. *Dirigite vias vestras & studia vestra: & inhabitare faciam vos in loco isto.*

Redarguit etiam prophetiam mendacem: (*Ne confidatis* in vobis ipsis, ait, aut in sermonib⁹ mendacibus, quia nihil omnino vobis proderunt dicentes, Templũ Domini, templũ Domini, templũ *Domini est.*) Qui enim decipiebant eos, aiebãt, Qui fieri potest, vt superet quispiã templum Dei? Ipse verò denuntiat eis, ne sermonibus eiusmodi fidant: sed libenter mutent vitam in meliorem, & iudicia reformident, ac dignentur eorum agere curam: qui cura indigent: cessent etiam à pristina sanguinis innocentis effusione, idolorumque cultu. (*Hæc* enim, inquit, facientes, nõ eritis peregrini, sed manebitis in terra *paterna.*) Sin contraria perpetrare ausi fueritis, in omni genere iniquitatis conseruantes, dignos studijs vestris fructus decerpetis. Quia non intueor in falsam pœnitentiam, nec ferre possum sermones mendaces. video enim omnia quæ fiunt. (*Ecce enim*, ait, ego vidi, dicit Dominus. Nequaquam etiam feram, domum mihi consecratam, esse refugium *latronum.*) Postmodum ex euentis confirmat quæ dixit. *Nam ite in domum meum quæ est in Silo, vbi antea ædificaui tabernaculũ nomini meo: & videte quæ feci ei à facie malitiæ populi mei Israel.* Silo locus est situs intra decem tribus: in quas cùm

cùm Assyrij duxissent exercitum, deletus est etiam ipse. Suadet igitur dominus, ne fidãt templo, sed vitæ legittimæ. quamobrem subijcit, quòd & domus Dei eadem patietur, & ipsi pœnas fratrum suorum luent. *Proijciam enim vos*, ait, *à facie mea, sicut proieci fratres vestros, omne semen filiorum Israel.* Tum inhibet prophetæ, ne vllam pro eis supplicationem offerat. *Non enim exaudiam te*, ait. Et ostendens, quàm iustè eios aduersetur, subiunxit, *Num vides, quid ipsi faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem? Filij eorum colligunt ligna, & patres eorum accendunt ignem, mulieres autem eorum subigunt farinam, vt faciant placentas militiæ cœli. Et libauerunt libamina Dijs alienis, vt me prouocent ad iracundiam.* Et qui domi habebant vuas passas, dactylos, & alia quædam eius generis, hæc idolis offerebãt. De hisce etiam per alium prophetam ait. *Nonne ad iracundiam prouocarunt, dicit Dominus, & non seipsos, vt facies eorum confundantur?* Et declarat speciem confusionis, & asserit, futuram non hominum duntaxat internecionem, sed iumentorum & plantarum perditionem, ac desertam iri terram. Inhibet quoque
1. Pet. 2. cultum legalem. *Hæc dicit Dominus virtutum, Deus Israel, Holocaustomata vestra congregate cum sacrificijs vestris, & commedite carnes. quia non sum locutus cum patribus vestris, neque præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de sermone holocaustomatum & sacrificiorum: sed hoc tantùm verbum præcepi eis, dicens, Audite vocem meam. Et ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum: & ambulabitis in omnibus vijs meis quæs præcipio vobis, vt bene vobis sit.* Ex his perspicuum est, superflua legis ob infirmitatem Iudæorum adiecta esse. Cùm enim in Aegypto didicissent idolis sacrificare, desiderans, vt ab hoc ritu recederent (per omnes enim prophetas hunc reijcit) sed condescendens cum infirmitate eorum, dixit illud *comedite carnes*: quasi diceret, sacrificia etiam repellens, Non veto de carnibus edere. Siquidem volentes in vrbibus aut pagis suis de carnibus sumere, iubet in lege, immolare, & effuso in terram sanguine, desumere, non tanquam de sacrificijs, sed velut de carnibus communibus. Vetuerat enim sacrificare extra locum lege designatum. Propterea dicit, Edite ea, vt damam & ceruum: nempe vt illa quæ non offeruntur ad altare. Explicat postea patrum eorum inobedientiam: quia dum hæc eis consulerem, *ambulauerũt in cogitationibus cordis sui mali.* Et qui nati sint inde fructus, edocet. *Et facti sunt retrorsum, & non in antè, à die qua egressi sunt patres eorum de terra Aegypti, vsque in diem hanc.* Traditi sunt enim ob suam iniquitatem quandoque Moabitis, quandoque Ammonitis, interdum Madianitis, sæpius alienigenis. Declarat etiam suam, quam de ijs gerebat sollicitudinem. Non desij enim, ait, continentur alloqui eos per prophetas, & quæ meliora sunt admonere: & perseuerarunt contradicere: facti sunt deteriores quam patres eorum qui ex illis contradicebant sermonibus. Increpa nihilominus eos disertè, & dic, *Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, & non receperunt disciplinam.* At incredulitatis causa, hæc est: *quia defecit fides, & ablata est ex ore eorum.* Mox lamentari suadet, lugentis habitum sumere, & caput tondere: quasi populus electus, sit reprobatus. Et iustam indignationem ostendere volens, insigne nomen impietatis reuelat. *Multi enim posuerunt*, inquit, *abominationes suas in loco, in quo inuocatum est nomen meum super eum, vt polluant illum.* Hoc ausus est Manasses Ezechiæ filius: admissã impietatem æmulati sunt etiam posteri, Testis est diuinus Ezechiel: qui spiritali modò è Babylone adductus in Ierusalem, se tales in templo spectasse memorat iniquitates. Criminatur autem eos: vt qui filios & filias in holocausta immolauerint dæmonibus, *Hoc*, inquit, *non præcepi eis, nec cogitaui in corde meo.* Qua enim ratione perferrem de eiusmodi homicidio sanciri legem, qui irrationalium animalium sacrificia in firmitatis eorum gratia concessi? Dicit aram Topheth, idoli cuiusdam ita vocati: quod interpretatur, inclusio siue deuoratio. In hoc porrò loco multos ipsorum asserit interficiendos esse, & pro pabulo & epulis proponendos auibus & feris. Quinetiam loci denominationem mutandam: nec vltrà vallem filij Ennom esse vocitandum, sed vallem interfectorum. Prædicit etiam, ciuitatem omni lætitia destituendam, instar deserti.

CAP. VIII.

DIcit etiam, Babylonios irruentes non modò viuos neci tradituros, sed etiam sacerdotibus & regibus iamdudum defunctis illusuros, & effossis sepulchris ossa relicturos nõ sepulta: ita vt exponantur soli, lunæ, & sideribus. *Quorum*, inquit, *dilexerunt adorationem.* etsi nullum ab illis consequerentur auxilium. *Quia malluerunt*, ait, *mortem quàm uitam.* Cùm hæc & his similia copiosiùs dixisset, denuo, porrigens manum, hortatur ad pœnitentiam. *Numquid, qui cadit, non resurgit? Et qui auersus est, non reuertitur?* Deinde increpat incredulos: *Quare auersus est populus iste & Ierusalem auersione impudenti? & obfirmati in uoluntate sua noluerunt reuerti?* Manifestè docet nos, malitiam non esse opus naturæ, sed voluntatis. Deinceps accusat animum impœnitentem. *Dicunt enim*, ait. *Non est homo qui pœnitentiam agat de malitia sua, dicens, Quid feci?* Talis cogitatio causã fuit pertinacis nequitiæ. quod clarum est ex sequentibus: *Currens defecit à cursu suo, velut equus defessus in hinnitu suo.* Quod Syrus ita interpretatus est, Aguntur omnes sensu suo, quasi æquus impetu vadens ad prælium. Relicta enim lege diuina suas ipsorum sequuntur cogitationes. Voce tamen græca intelligendum, nullum esse tempus aut satietatem cursus. Nam æquus impetu vtens & hinnitu. exhausto labore sudat: hi verò nullam malorum capiunt satietatem. Huic sententiæ consonant, quæ sequũtur: (*Et miluus* in cœlo cognouit tempus suum: turtur, cicada, hirundo & agrestes auiculæ custodierunt tempora aduentus sui: populus autem meus

nō cognouit verba *Domini*.) Ab irrationalibus auget accusationem. Etenim norunt volucres varietatem temporum, & nunc huc, nunc illuc trāsuolantes, reperiunt natura quæ sibi sunt vsui: isti verò, licet rationis particeps, fructum legis non decerpunt. Verùm ἡλάσθα, id est, miluus, est auis quam nonnulli aiunt ἔκτινον vocari. *Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est?* Extremæ dementiæ est, imprudentiam suam non sentire: & iniquè agentes, nō agnoscere peccatū. *Superfluus effectus est funiculus mendax scribarum.* Hæreditatē sæpe vocat funem & funiculum: quam ait literis legis nihil adiutam: quia dilexerunt mendacium. Qua de causa dicit, cōfusos esse, qui seipsos sapientes nominabant. (*Et dabo* mulieres eorum exteris: & agros eorū, *hæredibus.*) Hæredes appellauit hostes, vtpote successuros in dominū possessionum ad eos pertinentiū. Idque dicit se facturum, propter cōmunem omnium sacerdotum & pseudoprophetarū iniquitatem: qui promittentes pacem, impediebant, ne populus pœnitentiam ageret. Minatur autem eis sterilē terræ, formidinem, & fugam. Serpentes autem mortiferos, vocat ipsos hostes: qui incantari nequeunt, ait. quia nostris adhortationibus nō obtemperant.

Postea prædicit captiuitatē, (*Ecce* vox clamoris filiæ populi mei de terra *longinqua.*) Tū per interrogationem, (*Nunquid* Dominus nō est in Sion? aut rex eius non est *in ea?*) Vbiq;, inquit, adest Deus omnium. Quam igitur ob causam tradidit eos hostibus? (*Quia* me concitauerunt ad iracundiā in sculptilibus suis, & in vanitatibus *alienis.*) Horum, inquit, vobis malorū causa fuit, conuersatio legi cōtraria & impia idolorum adoratio. (*Trāsijt* messis, & finita est æstas: & nos saluati nō *sumus.*) Ex his declarauit tempus obsidionis diuturnum, & septuaginta annorum seruitutem.

Cæterùm ex horum castigatione debemus vtilitatis cuiusdam occasionem sumere. Nam secundum diuum apostolum, Quæcūq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & cōsolationem scripturarum, spem habeamus. Quam vtinam consequamur per Christum Iesum Dominum nostrum: cum quo patrē decet gloria & imperium, vnà cum sacrosancto Spiritu, & nūc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

TOMVS TERTIVS.

Vper contritione filiæ populi mei contritus sum, Obtenebratus sum ego ob imperitiam. obtinuerunt me dolores, vt parturientis. Plangit propheta commissas à populo iniquitates & earum causa inuectas calamitates recensēt. Vrbem vocat, *filiam populi:* quoniam illā ipsi ædificauerant. *Contritus sum* autē, plaga ex peccato contracta. (*Nunquit* resina nō est in Galaad? aut medici non sunt illic? Quare non ascēdit curatio filiæ populi *mei?* Medicos, appellat sacerdotes: & doctrinam spiritalem, figuratè resinam. Galaad autem, vrbs erat sacerdotibus destinata. Conqueritur ergo, quòd ciuitas perseuerauerit in delicto, nec pœnitentiam receperit: cùm tamen non deessent sacerdotes, & præcepta legis.

CAP. IX.

QVamobrem propheta diuinus postulat lacrimarum fontem dolori sufficientem: vt diù noctuq; contribulium peccata deflere posit. Postulat etiā secessum quendam interiorem in finibus deserti: vbi viuere desiderat, ne audiat perpetrata à populo facinora. *Omnes enim*, inquit, *effodiunt inuicem nuptias.* Et est collectio omnimodam committens iniquitatem. hoc enim vult, *cœtus præuaricatorum. Itenderunt, vt arcum, linguam suam.* Struens dolum, calumniam texentes, insidiantes proximo. hoc enim dicere vult hæc clausula, (*Mendacium*, & non fides, præualuit super terram. quia ex malis mala egressa *sunt.*) Declarat ex his conuersatione carentem nequitiam. quoniam mala malis succedunt. Horum autem causa est, rerum diuinarum neglectus: cùm statim adijciet. *Et non cognouerunt me, dicit Dominus.* Et vt clariorem reddat malitiam in eis vigentem, suadet, ne quis fidat amico, imò nec fratri: cùm vtriq; insidijs & dolis vtantur, veritate priuati. Sed accusationi adiungit vsuram: vt quæ contra legem exerceatur. *Vsura super vsuram, dolus super dolum:* Recolit item horum contemptum. *Noluerunt*, ait, *scire me dicit Dominus. Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Ecce ego igne examinabo eos, & probabo illos.* Quo loco bellum & que ex eo nascuntur, appellauit igneam examinationem & probationem. Hunc in modum & diuus Dauid ex persona eorum, qui erant in Babylone, ait, Quoniā probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Sed illa piorum statum enuntiarunt: qui per ignem examinati, apparuerunt probi. At hic, ignea examinatio declarat, quod est reprobum. Decursis etiam improbitatis generibus, linguam confert cum plumbo, plenosq; dolo dicit esse sermones. (*Loquuntur* enim, inquit, pacifica: sed dolosa cogitāt. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in tali populo non vlciscetur anima *mea?*) Absurdum siquidem esset, talem iudicem, inultā relinquere tantam nequitiam. Visitationem porrò vocauit vltionem. Istud autē *anima mea*, posuit humano more: cùm numen diuinum non constet anima & corpore, sed simplex sit, incompositum & informe. Loquitur itaq; pro nostra audiendi facultate.

Post hæc hortatur eos, vt lugeant desertionem viarum & montium, tanquam nedum hominibus, sed pecoribus volatilibus carentium. Pecora enim libenter versantur in locis quæ incoluntur: in desertis autem, rarò inueniuntur. Minatur quoque captiuitatem, & desertam iri vrbem: quam dicit futuram habitaculum draconum: cùm eius generis animalia, continua hominum præsentia tollātur: absentia verò, augeātur & multiplicētur. *Quis est vir sapiens,*

qui intelligat hæc? Et ad quem verbum oris Domini fiat, vt annuntiet vobis, quare perierit terra, et incensa sit, instar deserti, eò quòd nemo transeat per eam? Iubet increpare eos qui adepti erant gratiam diuinam: & docere causas solitudinis. Quinetiam ipse id facit: ac dicit eos reliquisse legem, salutis causa datam, vtentes vanis cogitationibus: & idolorum cultum prætulisse. *Propterea ego cibabo eos pane angustiæ, & potabo illos aqua fellis:* (per hæc declarans amaram & acerbam vitam.) *Et dispergam* eos in gentes, quas ipsi non nouerunt, nec patres eorum, & mittam super eos gladium, donec consumam illos *in eo.* Ex his pœnam duplicem indicat, tum cædem bellicam, tum vitam in captiuitate ducendam. Nam hos abduxerunt captiuos, qui bellum effugerāt. Auget autem eis formidinem, iubetq; vt aduocentur lamentatrices, quæ lachrymarum fontes emittant. Denuntiat etiam mulieribus, nullum habere locum lætitiæ lugentes filias introducit, explicata lamentationum causa. (*Quia* mors ascendit per fenestras vestras, ingressa est in terram vestram: vt conterat pueros de foris, & iuuenes de *plateis.*) Fenestras vocat, erroris commentationes, per quas errorem susceperunt: & illius ergò, inflicta est plaga. Nec errauerit quisquam, si sensus corporis, appellauerit fenestras animæ: verbi gratia, visum, gustum, olfactum, auditum & tactum. Per hos enim vita & mors ingredi possunt. Nam qui tēperatè intuetur, consequitur vitam: qui autem intemperatè, decerpit mortem. Et lingua verax, comparat animæ salutem: quæ autem mentitur, interitum procurat. Et de reliquis sensibus idem discere est perfacile. (*Hæc autem dicit* Dominus, Et mortui ex hominibus erunt exemplum, super faciem agri terræ vestræ, & sicut fœnum à tergo metentis: & non erit, *qui colligat.*) Quæ vobis contingent, vtilitatis non modicæ præbebunt occasionem. Hoc enim sibi vult, *exemplum.* Istud verò, *sicut fœnum à tergo metentis*, indicibilem mortuorum declarat multitudinem. Cæterùm cùm quidam eorum superbirent ob diuitias, alij propter sapientiam, alij ob robur corporis. suadet, non esse de ijs gloriandum: sed de notitia Dei, & iustis operationibus. Cùm etiam propter circuncisionem extollerent sese, arrogantiam eorum reprimens, docet, pleraque alias gentes circuncidi: quas etiam vocandas esse prædicit & saluandas. (*Ecce dies veniunt*, dicit Dominus, & visitabo super omnes circuncisos præputia eorum: super Aegyptum, super Iudam, & super Edom, & super filios Ammon, & super filios Moab, & super omnes attonsos in facie sua, *qui habitant in deserto.*) Idumæi quidem ducentes genus ab Esau, circuncidebantur, iuxta legem Abrahę datam: Ammonitę verò & Moabitæ, vt vicinitate iuncti, æmulati sunt cognationem. Qui autem ab Ismahele & Cetura descenderunt, lege maiorum circuncidebātur. Hos ergo vocat, circuntonsos facie: quia pilos genarum auellere consueuerunt. At Aegyptios incolæ populi docuerunt circuncisionē. Coniunxit autem his Iudam, vt reprimeret arrogantiam. Verùm in sequentibus grauiorem reddit eorum accusationem. (*Quia omnes gentes* carne sunt incircunciſæ: omnis autē domus Israel incircuncisi sunt *corde suo.*) Igitur veteres etiā scripturæ docent fructum circuncisionis spiritalis, & corporei præputij turpitudinē. Non enim gentes incircunciſas accusat: sed Iudæos, cōrpore quidem circuncisos, habentes aūt cor incircuncisum.

CAP. X.

HAec dicit Dominus, *Iuxtà vias gentium nolite discere: & à signis cœlestibus nolite metuere. Vias gentium*, appellat veterem errorem. alioqui astronomiam & astrologiam non vocauit signa cœlestia, quæ sequi non concedit, sed Domino cœli credendum. Perstringit etiam idolorum structuram: & ait, illa quidem ex ligno, alia verò ex auro & argento construi, ac subsidio egere, clauis & alijs instrumentis, nec nō artificio & deinceps manibus stabilientibus: cùm etiam, argentum ex eo loco transuehatur, aurum autem ex alio. Tharsis autem, appellat Carthaginem. Eiusmodi enim argentum maximè laudatur. Et proculdubio etiam nunc, qui studentopibus, Africum inquirunt. Hęc ergo cùm sint eius naturæ, meritò non sunt metuenda: cùm iuuare nequeant, aut lædere. Idola esse ridicula, vbi sic propheta monstrauit, texit hymnum Deo vniuersorū, *Vnde similis tui Domine? Magnus es tu, & magnum nomen tuum in virtute. Quis non timebit te, rex gentium?* Dissoluit hic superbiam Iudæorum: quia non dixit, Portio Domini, populus ipsius Iacob: sed Deum omnium, vocauit regem cunctarum gentium, prædicens, cognitionē Dei gentibus euenturam. (*Nam inter* cunctos sapientes gentium, & in vniuersis regnis eorum, vnde nam similis *tui Domine?*) Mox adductis in medium Dijs gentiū, ostendit, eos ex artificio & materia subsistere: ac denuo redit ad laudandum Deum. *Dominus autem est verus Deus, Deus viuentium, & rex sempiternus.* Idola, inquit, non viuunt: at Deus & est vitæ largitor, & viuorū Deus, & rex perpetuus. (*Ab indignatione* eius commouebitur terra: & comminationem ipsius gentes non *sustinebunt.*) Ita etiā dicit beatus Dauid, Qui respicit terram, & facit eam tremere. Deinde præcipit dicere ijs qui Dij vocitantur, *Dij qui non fecerunt cœlum & terrā, pereant de terra, & de sub cœlo isto.* Nam Dei propriū est, creare: non, ab alio creari. Ideoque si Filius est creatus, non est Deus: sin vniuersorū est opifex & cōditor, reuera Deus est. De ipso enim enuntiat propheta, quæ subduntur, *Dominus, qui fecit cœlum virtute sua, ipse direxit terram in sapientia sua, & in prudentia sua extendit cœlos.* Hæc, Dei sunt propria: nō, ab alio construi. (*Qui ministrat* pluuiam, & tonans fragores emittit. Educens nubes ab extremo *terræ.*) Aquam siquidē marinam sursum eleuat pro voluntate, & ex ea nubes consistunt. *Fulgura in pluuiam fecit.* Cùm ipsa pluuiam indicent. *Qui producit ventos de thesauris suis.* Thesauri enim ipsius, sunt voluntas eius. Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Et omnia quæcunq; voluit,

Ps. 65. b

Ps. 103. d

Ps. 32. b.

Dominus fecit in cœlo & in terra. Verus ergo Deus horum omnium est opifex. At plerique homines in eam absurditatem prolapsi sunt, vt nonnulli Deos condiderint, alij verò conditos ab illis adorauerint. Sed ab errore cessatum iri prædicit. Cùm enim dixisset, *Vana sunt opera, risu digna:* hoc est, idola: subiunxit, *In tempore visitationis suæ peribunt.* Nam apostolica prædicatio prorsus deleuit eorum memoriam. Videmus itaq; exitum prophetiæ. *Non est similis pars Iacob. Qui enim fecit omnia, ipse est hereditas eius: & Israel, virga hereditatis eius: Dominus exercituum nomen illi.* Tu, inquit, non es edoctus hunc errorem: quoniam è superis te elegi, & sollicitudine mea te summopere dignatus sum. *Congregauit è terra aliena substantiam tuam, habitantem in electis.* Cùm vocasset Patriarcham è terra Chaldæorum, transtulit in Palæsthinã: & progeniem ipsius ab Aegyptiaca seruitute liberatam eduxit. quod sermo propheticus declarauit, *Congregauit è terra aliena substantiam tuam, habitantem in electis.* hoc est, statim vt elegit te ex alijs gentibus, terram electam donauit tibi. *Quia hæc dicit Dominus, Ecce, ego supplanto inhabitantes terram hanc tribulatione, & affligam eos, vt deprehendantur.* an rectè currerent & incederent. At cùm cursus sit noxius, obtenebrãtur, vt desinant pernicioſe currere. *Inuentum est væ super contritione tua, pessima est plaga tua. Contritionem,* vocat peccatum: væ autem, supplicium. Nequitiam, inquit, tuam secuta est pœna, & grauissimam plagam accepisti. Post hæc componit lamentationem ex persona ciuitatis, instruens eam, quibus sermonibus vti debeat, quæ plangit delicta, & ait, *Reuera hoc est vulnus, & cõprehendit me.* Quasi dicat, Plaga peccati, fuit mihi causa malorum. *Tabernaculum meum misèrè vastatum est: perijt. & omnes pelles meæ dissipatæ sunt.* Tabernaculum vocat, non modò templum diuinum, sed etiam domos & turres & porticus. *Filij mei & oues meæ recesserunt à me, & non sunt. non est locus tabernaculi meæ: non est locus pellium mearum.* Omnibus simul destituta sum. Refert etiam nequitiæ magistros: *Pastores desipuerunt, & Deum non inquisierunt.* Pastores vocat, reges & sacerdotes. Hi siquidem & illi errorem procurauerunt. quæ clariùs docet Regnorum, & Paralipomenon historia. *Propterea omnis pastura eorum non intellexit: sed dispersi sunt.* Hoc loco νομὸν, id est, pasturam, vocat, non herbam, sed ouilia: & ait, imprudentiam pastorum fuisse causam erroris ouium. *Vox auditionis ecce venit, & commotio magna è terra aquilonis: vt ponat ciuitates Iuda in desolationem et cubile struthionum.* Struthiones dicit, ingentes illos Libycos, quos plerique struthiocamelos appellant. solitarium enim est huiusmodi animal. Exinde propheta docet, à quo adducatur Nabuchodonosor. *Noui Domine, quòd non sit hominis via eius. neque vir ambulabit, & rectam faciet viam suam, neque diriget profectionem suam.* Nunquam, inquit, Domine, irrupisset ille contra nos, te non volente: & si irrupisset, nequaquam prosperè egisset quæ decreuerat, nobis opitulante dextera tua. Scio enim quæ acciderint Sennacherib. Sed obsecramus te, ne ille exigat à nobis pœnas impietatis: verùm tu ipse erudias nos paterna castigatione. Hoc nanque dicit in subsequentibus. *Corripe nos Domine: uerunt amen in iudicio, & non in furore: ne paucos facias nos. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Quia comederunt Iacob, & consumpserunt eum: pasturam eius desolauerunt.* Perspicuum est igitur, tam ex eis quæ dicta sunt, quàm ex his quæ subijciuntur, clausulam hanc, *Noui Domine, quòd non sit hominis via eius,* non subijcere libertatem arbitrij nostri seruituti naturali, neq; res nostras fatali necessitati submittere: verùm disertè nos docere, quo pacto Dominus Deus totius mundi gubernacula tenet, & sapienter gubernat, suppeditans bona, & corripiens iustè, vbi post diuturnam patientiã sæpius in nequitia perseuerare viderit.

CAP. XI.

POst hæc præcipit, vt dicat vniuerso populo, *Hæc dicit Dominus Deus Israel, Maledictus uir, qui non audierit uerba pacti huius, quod præcepi patribus uestris, in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de fornace ferrea.* Hoc ipsum, cùm legem sanciret, addidit legi, & dixit, Maledictus, omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Pollicetur tam illo quàm hoc rursum loco, se dignos habiturum omnimoda prouidentia, qui obseruauerint mandata diuina. Et reuocat in memoriam quæ dicta sunt patribus eorum, & illorum inobedientiam. *Declinauerunt enim,* ait, *aurem suam, & ambulauerunt quisque in rectitudine cordis sui prauiἐυθύτητα* verò, id est, rectitudinem, hic ponit, non pro iustitia & æquitate: sed propriuitate perseuerante in malitia. Nam ab ea non recesserunt, sed in ea continenter incedebant. *Et induxi super eos omnia uerba pacti huius, quod præceperam eis, ut facerent & non fecerunt.* Varijs enim suppliciis addixit eos. Interdum Ammonitis, interdum Moabitis, interdum alienigenis seruiebant. *Et dixit Dominus, Inuenta est colligatio in uiris Iuda, & in uiris habitantibus Ierusalem: conuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priorum, qui noluerunt audire uerba mea.* Istud, *inuenta est colligatio,* perinde est, ac si dicat, colligati sunt & implicati cum patribus, & itinere eorum incedunt. Hoc enim subiecta significant: (Et ecce, ipsi vadunt post Deos alienos, vt seruiant eis.) Quæ quidem committentes pactum illis datum transgrediuntur. Quamobrem omnimodis eos obruam calamitatibus, nec plangentes venia dignos existimabo: tametsi nullum à Dijs, quos coluerunt, consequantur auxilium. quorum multitudinem commemorat: (*Quia* iuxta numerum ciuitatum tuarum erant Dij tui, Iuda: & iuxta numerum viarum Ierusalem, posuerunt aras confusionis, ad libandum *Baal.*) Idcirco propter immodicam impietatem prohibet prophetæ, ne pro eis supplicationem offerat. (*Ne* oraueris enim, ait, pro populo isto: & ne digneris pro ipsis deprecari aut orare. quia non exaudiam, in tempore quo inuocauerint me in tempore afflictionis *eorum*) Quia in ipso pœnarum momento preces offerunt. Quare Dauid Propheta denuntiat, his verbis, Præoccupemus faciem eius in confessione. Porrò hic excessum impietatis ipsius demonstrat. *Quid est, quòd dilecta operata est in domo mea abominationem?* Vtrunque declarat grauitatem impietatis, tum hoc, quòd vocata est dilecta: tum illud, quòd interius in templo Dei collocauerit statuas eorum, qui non sunt Dij. *Nunquid preces & carnes sanctæ auferent à te malitias tuas? aut per hæc effugies?* Clarè nos instruit intentio & sermo prophetæ, Dominum opera bona requirere. Quod etiam diuus Dauid inclamat, Sacrificium & oblationem noluisti: cor pus autem perfecisti mihi. Et iterum, Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem: vtiq; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Ac vbi vocauit eã, dilectam, iterum aliam refert ipsius denominationem. *Oliuam formosam, specie valde opacam, vocauit Dominus nomen tuum.* Hanc appellationem addidit, vt inuitaret eam ad ferendos fructus. Eo etiam modo sæpe vocauit eam, vineam. *Ad vocem putationis ipsius exarsit ignis super eam.* Vt vocauit, oliuam, meminit purgationis. Putationem enim, nuncupat purgationem. Sic & Dominus in sacris Euangelijs dicit, Omnis palmes in me non ferens fructum, exciditur, & in ignem mittitur. *Magna tribulatio super te. Rami eius inutiles facti sunt.* Quia bonos fructus ferre noluerunt. Et vt ostendat, non regem Babylonis potentem pœnas ei infligere, sed Dominum ipsum, hæc addidit, (*Et Dominus* Deus exercituum qui plantauit te, locutus est super te mala, pro malitia domus Israel, & domus Iuda: quia fecerunt sibi hoc, ad irritandum me, libantes *Baal.*) Ipse, inquit, qui te plantauit, præcidit ramos: tu verò in causa es, quæ non probos fructus, sed exitiales protulisti.

In sequentibus docet propheta quæ commiserunt in seipsum, & in Dominum Christũ. in ipso enim propheta hæc adumbrata sunt. *Domine demonstra mihi, & cognoscam.* Ipsa precatio testatur, eum non modò referre, quæ cõmissa sunt in se. Alioqui nulla reuelatione opus erat, ad perspicienda quæ tum fiebant, cùm in eum admitterentur. Reuelatio autem præmonstrat futura. (*Tunc* vidi studia eorum. Ego autem, quasi agnus innoxius, qui ducitur ad victimam, non *cognoui.*) Istud, *non cognoui,* quadrat prophetæ, tristia non speranti: qui non diligenter attendebat dominicis promissionibus: sed cùm audijsset, Posui te hodie in ciuitatem munitam, & vt columnam ferream, & murum æneum: arbitratus est, se nequaquam molestia tentandum: Atqui sermo diuinus non hoc pollicebatur, sed, Vinces aduersa. Pugnabunt enim, inquit, tecum, & non præualebunt aduersum te: quia ego sum tecum, vt liberem te, dicit Dominus. Verùm sermo prolatus de Domino Christo, alium habet intellectùm. Tanquam enim agnus, inquit, qui ducitur ad victimam, non nouit quid passurus sit: & excepturus passionem, sequitur ducentes. (*Quia* cogitauerunt super me cogitationem, dicentes. Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradicemus eũ de terra viuentium, & non memoretur vltrà nomen *illius.*) Istud omnino non conuenit Prophetæ. Qui enim fieri poterat, vt lignum immitteretur in panem? At Christo Domino sermo prophetiæ vel maximè quadrat. Nam suum ipsius corpus, panem appellauit, Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro mundi vita. Panem hunc ligno confixerunt, qui putabant se memoriam illius extincturos. Tum propheta, (*Tu verò* Domine exercituum, qui iudicas iustè, & probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis. Tibi enim reuelaui causam *meam.*) *Renes* vocat, vt sæpè diximus, cogitationes: eò quod concupiscendi vis in renibus sita, frequenter incitat cogitationem. Non tamen frustra permisit Deus prophetam aduersis tentari: sed cùm sæpe conatus esset pro iniquè agentibus supplicare, volens Deus suadere ei, ne seipsum putaret clementem: thesaurum autem bonitatis, crudelem, insultum hunc fieri permisit. Ille verò dolore confectus supplicat Deo, vt iustè iudicet, & de impijs sumat pœnas. Quam supplicationem suscipit Dominus, ac data responsione punitionem minatur: & quosdam in bello interficiendos esse dicit, alios fame perituros.

CAP. XII.

CAeterùm propheta cùm iterum animaduerteret prosperitatem improbè viuentium, postulat supplex doceri, quæ nam sit eius rei causa. (*Iustus es* Domine. Nam disputabo tecum: veruntamen, iudicia tecum *loquar.*) Probè noui, ait, quàm iusta sit sententia tua: nec ego absurdam existimo tibi proponere quæstionem, (*Quare via* impiorum prosperatur, & bene est omnibus qui præuaricantur præuaricationem? Plantasti eos, & iecerunt radices: filios procreauerunt, & fecerunt *fructum.*) Per hæc, monstrat prosperitatem: per subsequentia Deo carentem animum declarat, non sine nota, *Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Nudis, ait, verbis te appellitant: à cogitationibus enim tui memoriam expulerunt. *Et tu Domine nouisti me: vidisti me, probasti cor meum.* Quia non ea tantùm quę patent, cognoscis, sed etiam secretas cogitationes meas. (*Congrega* eos velut oues ad victimam: & sanctifica eos, in diem occisionis *eorum.*) Verbum istud, *sanctifica,* dicit, pro, segrega. Segregat enim se, qui vult sanctificari. Propterea Syrus εὐτρέπισον, id est, præpara, posuit pro, ἁγίασον, quod est sanctifica. (*Vsquequo* lugebit terra, & omnis herba agri desiccabitur, propter malitiam habitantium in terra? Perierunt animalia & volucres, quia dixerunt, Non videbit Deus vias *nostras.*) Propter iniquitatem eorum deserta mansit terra Domine, quia existimant, te non obseruare neque videre, quæ perpetrantur ab ipsis. (*Pedes tui* currunt ad nequitiam, & dissoluent te. Quomodo præparaberis aduersus equos: & in terra pacis confidis?)

Deut. 27. d

Ioan. 15. a

Psal. 94. a.

Psal. 39. b

Psal. 50. d

Sup. 1. d

Ibidem.

Ioan. 6. f.

confidis? Hoc ita interpretatus est Syrus, Victa es, dum curreres ad dimicandum cum peditibus: & quo pacto equitibus reluctari poteris? Itaq; quod dicit, est eiusmodi, Hostes vicini, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi atque alienigenæ exercitu pedestri bellum gerebant, & tu certans cum illis, sæpenumero victa es. Qui fiet igitur, vt resistas Babylonijs, cum equestri exercitu in aciem prodeuntibus? At secundum interpretationem græcam sic intelligendum est, nempe, ob nequitiam tuam cursus labefactauit te, & viribus spoliauit: fortitudine porrò & viribus destituta, quomodo repugnare poteris, & gerere bellum cum his, qui ingenti equorum numero militant? Vtrunque sensum posui, relicta cuiuis sanioris optione. *Quomodo te geres in elatione Iordanis?* Syrus ita dixit, Quo pacto traijcies Iordanem exundantem? Figuratè multitudinem hostilis exercitus vocauit, fluuium inundantem. Reducit autem eis in memoriam illos qui erant sub Iesu Naue: videlicet, quando curam tui gerebam, fluuium illum æstuantem transmisisti. *Quia & domus patris tui, & ipsi spreuerunt te, & ipsi clamauerunt à tergo tuo: & illi ipsi conuenerunt contra te.* Plerique enim (vt verisimile est) ex decem tribubus iam in captiuitatem ductis, sub hostibus militabant. *Ne credas, quando loquentur tibi prospera*, Talis erat Rabsaces, qui hebraica voce vtens blasphemabat in Deum. His interiectis. Propheta resumit prophetiam de Domino: & prænuntians Iudaicum excidium, ait ex persona Dei, (*Reliqui domum* meam, dimisi hæreditatem meam: tradidi animam meam dilectam in manus hostium *eius.*) Bonitatem suam ostendit, & docet, abominationem eorum increpando. Ipse enim verbis vtitur amicitia plenis, vocans eá, quæ hostis erat, animam suam dilectam: illa verò, insidiatorū & hostium exercet opera. quod ex sequentibus declaratur: *Facta est hæreditas mea, mihi, quasi leo in sylua.* Qui pro sponsa effecta est fera, quæ sponsum deuorauit. *Dedit super me vocem suam*, Veritatem prophetiæ docent Euangelia: vnde discimus, quo pacto clamabāt,

Ioan. 19.c Tolle: Tolle: Crucifige eum. *Propterea odi eam.* Iustam esse vindictæ causam docet. *Nonne spelunca hyænæ est mihi hæreditatis mea? aut speluncæ quæ in circuitu eius sunt?* In ijs quæ antè exposita sunt, vocauit templum, speluncam latronum, ob sacrificulorum iniquitatem: hoc verò loco non vrbem duntaxat, sed etiam quę circùm adiacent, hoc est, Iudæam, appellat speluncā hyænæ: & rursum accusat iniquitatem in se admissam, *Mihi enim*, ait, *facta est spelunca hyænæ.* Deinde vaticinatur extremum illius interitum. *Venite ad eam, & congregamini omnes bestiæ agri: & & veniant ad deuorandum eam.* Nam Romani suscepto orbis imperio, coacto ex varijs nationibus exercitu, alios interfecerunt, alios duxerūt captiuos. Legis autem doctores ait fuisse authores impietatis. (*Pastores* multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam: dederunt portionem meam desiderabilem in desertum non habitatum: euaserunt in deletionem & *interitum:*) Principes enim sacerdotum scribæ, & Pharisæi, decipiētes populum, & Dominum crucifigentes, accersiuerunt Iudæis vulgata illa mala. Idq; docet clarius, *Propter me, deletione deleta est omnis terra*, Omnem terram, Israeliticam dicit: quoniam ob ea quæ commissa sunt in eum, tunc quidem ipsorum regio redacta est ab hostibus in solitudinem: modò verò, celeberrima sua metropoli prorsus priuati sunt. *Non est vir, qui ponat in corde.* Quasi dicat, Non vtuntur pijs cogitationibus. *Ad omne diuerticulum deserti venerunt, miserè degentes in deserto*, τὴν διεκβολὴν, Syrus interpretatus est, ἀτραπὸν, hoc est, diuerticulum, semitam, Omne, inquit, desertum repleuerunt diuerticulis, calamitosi, & hostes effugientes. Proprium est enim fugientium, non vti vijs regijs. *Quia gladius Domini deuorabit ab extremo terræ, vsque ad extremum eius. Non est pax vniuersæ carni.* Commemorat ea, quæ Iudæis acciderunt ab extremo terræ, vsque ad extremum terræ Israeliticæ.

Prædicit etiam, quæ diuersis temporibus inuecta sunt gentibus: contra quas prænuntiat circa finem prophetiæ. *Seminastis triticum, & spinas metetis.* Admonet, non esse collocandam in fertilitate terræ fiduciam: sed in bonis illius operationibus. Qui enim nequitia vtitur, spinas ex eā colligit. *Sortes vestræ non proderunt vobis.* Sortes rursum vocat, pinguem hæreditatem: cui non esse fidendum, consulit. *Confundemini à gloria uestra, ab opprobrio in conspectu Domini.* Quæ putatis illustrare vos, verbi gratia, opes, potentiā, hæc vos pudore perfundent, dū causam agetis apud Deū. Eius enim beneficia abundè experti, contraria illi rependistis. *Hæc autem dicit Dominus, de omnibus uicinis pessimis, de pastoribus, qui tangunt hæreditatem meam, quam distribui populo meo Israel*, Idumæi, Moabitę, Ammonitæ, & alienigenæ insensum & hostilem semper in Iudæos gerebant animum. quod tādem sibi persuaserunt, attendentes clades sibi illatas. Ideo præmonet eos futuræ Iudæorū reuocationis. Pastores autem vocat, principes illorum. (*Ecce ego* euellam eos de terra sua: & domum Iuda eijciam de medio eorum. Et erit, postquam eiecero eos, conuertar, & miserebor eorum: & inhabitare eos faciam, vnumquenq; in hæreditate sua, & vnumquenq; in terra *sua.*) Hisce vaticinatur reditum, qui fuit sub Cyro & Dario: & quę deinceps futura sunt, prędocet. *Et erit, si docentes docuerint populum meum uiam meam, ut iurent in nomine meo. Viuit Dominus, quemadmodum docuerunt populum meum iurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei. Quòd! si conuersi non fuerint, euellam gentem illam euulsione & perditione, dicit Dominus.* Omnimodā refert Iudaicæ gentis expulsionem, *Euellam enim, gentem illam euulsione & perditione, dicit Dominus.*

CAP. XIII.

Exinde præcipitur Prophetæ, vt cingulum lineum sibi comparet: & cùm eo cinxerit renes, illud apud Euphratem fluuium occultet: quod mandatum mox impleuit. Elapsis autem diebus non paucis, denuo præcipitur, vt cingulū adferat: & peregit iterū, quod mandauerat Dominus: & cùm illud in manus sumeret, reperit computruisse, & nulli vsui aptum esse. tum audit Dominum, dicentem. (*Sic* computrescere faciam superbiam Iuda, superbiam Ierusalem, superbiam hanc multam, populum istum pessimum: qui nolunt audire verbum meum, qui ambulant in pertinacia cordis sui pessimi, abeuntque post Deos alienos, vt seruiant eis, & adorent eos. Et erunt sicut cingulū istud, quod nulli amplius vsui *aptum est.*) Per hæc, conuersationem in Babylone peractā innuit. Euphrates enim vrbem illam mediam diuidit. Iussus autem erat abscondere cingulū iuxta Euphratem, in foramine petræ. Foramen petræ, vocat Babylonem. Populus illic agens, inutilis erat: non iam vocitabatur, populus Dei, nec à seipso regebatur, neque cultum diuinum à lege mandatum celebrabat: sed inutilis erat, perinde ac cingulum illud putrefactū. In sequentibus tamen explicat vsum cinguli. (*Sicut enim* cingulum adhæret lumbis viri: sic agglutinaui mihi ipsi domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus: vt esset mihi in populum celebrem, in exultationem & gloriam, & non *audierunt me.*) Per prædicta mirificam Dei bonitatem declarat, & copulationis modum edocet, & quòd decreuerat, eos claros & illustres reddere: at illi per iniquitatem probra sibi contraxerunt. Hoc modo ex rebus contexta prophetia, sub alia rursum imagine, futura prædicit. *Hæc dicit* Dominus Deus Israel, Omnis vter implebitur vino. Et erit, si dixerint tibi, Num cognoscentes non cognoscimus, quòd omnis vter implebitur vino? Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus, Ecce, ego implebo omnes qui habitant terram hanc, & reges, filios Dauid, qui sedent super thronum *eius* (mox dicit) *prophetas & sacerdotes, & vniuersum populum ebrietate.* Et docens, quid significet ebrietas, subiungit, *Et dispergam eos, virum & fratrem eius, & patres eius, filios eius pariter, dicit Dominus*, Ac vt ostendat, firmū & ineuitabile propositum iræ, addidit, *Non desiderabo, non parcam non miserebor à dissipatione eorum.* Pro, dissipationis eorum. Vltionem ergo, vocauit ebrietatē. Qui enim in grauissimas calamitates labuntur, sunt perturbatis similes, qui præ grauitate doloris lugere nequeunt. *Audite, & auribus percipite: & nolite eleuari: quia Dominus locutus est.* Cessate ab audacia & insana arrogantia, & excipite quæ dicuntur, tanquam à Deo. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrascat, & antequam offendant pedes vestri in montes caliginosos.* Præoccupate, ait, tēpus vindictæ. Quod & diuus Apostolus suadet, Igitur, dum tempus

Gala. 6.c. habemus, operemur bonum. *Et expectabitis lucem: illic vmbra mortis: & ponet eam in caliginem.* In ipso supplicio implorabitis opem, & nullam consequemini humanitatem. (*Quòd si non* audieritis, in abscondito lugebit anima vestra, à facie iniuriæ, & plorans plorabit. Et deducent oculi vestri lacrymas: quia attritus est grex *Domini.*) Istud, *in abscondito lugebit*, indicat obscurè malorum excessum: nempe, seruientes hostibus, apertè plorare non audebitis, sed clam duntaxat hoc facietis. Hortatur porrò regem & principes, vt defleant rerum mutationes: & reuocat in memoriam, quæ iam euenerunt. (*Vrbes versus* austrum clausæ sunt: & non est qui aperiat. Translatus est Iuda: compleuit translationem *perfectam.*) Mancipationis scilicet. Nam vrbes Iudeæ non paucas Sennacherib subiugauerat. Et hæc, inquit, perpessi sunt, exoluentes pœnas delictorum, quæ commiserant. Præcipit autem ipsi Ierusalem, vt intueatur multitudinem hostium venientiū ab aquilone: & infert. *Vbi est grex, qui datus est tibi, oues gloriæ tuæ?* Pro, incolarum multitudo, *Quid dices, quando visitauerunt te?* Nempe hostes. *Et tu docuisti eos aduersum te artes, in caput tuum.* Dum enim à Syris bello peterentur, Assyrios accersiuerunt in auxilium, cùm prouidentiam diuinam implorare debuissent. *Dolores apprehendent te, vt mulierem parientem.* Doloris magnitudinem declarat. *Quòd si dixeris in corde tuo, Quare occurrerunt mihi ista? Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt posteriora tua, vt infamentur plantæ tuæ:* Denudatio eiusmodi, pudorem adfert ijs, quibus hoc accidit. Dicit igitur, Cū denudata sis, nonne delicta tua vel has calamitates tibi pepererunt? *Si mutet Aethiops pellem suā, & pardus varietates suas, & vos, qui mala didicistis, bene agere poteritis.* Verus profectò sermo, Consuetudinem, videlicet, esse alteram naturam. Omnia enim quæ longa consuetudine comparauit animus, paria censentur cum naturalibus, Quapropter minatur, se dissipaturum illos, instar stipularum, quæ à turbine venti huc & illuc agitantur. Cæterùm recenset multitudinem peccatorum eius, intemperantiam, temeritatem, & idolorum cultum: quem vocat abalienationem fornicationis. vnde subiecit, *Super colles, & in agris vidi abominationes tuas.* Tum lamentando, *Væ tibi Ierusalem, quia non es mundata post me. Vsquequo adhuc?* Nam cùm iniquitates non paucas commiseris, pœnitentia vti noluisti. Ego verò non iam longanimiter feram, sed vltionem inducam. Præstabat equidem, viuere secundum leges diuinas: at quoniam homines estis, probabile est, vos errare posse, pœnitentiæ medicamentis vti debebatis: & horum ope placato iudice, pœnarū, quas comminatus est, periculum effugere. Quas vtinam & nos perpetuò non experiamur, Per gratiam & humanitatem Domini nostri Iesu Christi, Cum quo Patri sit gloria & imperium, vnà cum sacrosancto Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

TOMVS QVARTVS.

CAPVT XIIII.

E*T factum est verbum Domini ad Ieremiam de siccitate.* Omnigenas castigationes infligit eis, vt prauitatis cursum abscindat. Narrat autem propheta luctus & lamentationes quæ acciderunt ob penuriam imbrium. Dicit enim, defecisse fontes, puteos, & nebularum congre-

congregationes: vnde secuta est terræ sterilitas: Et huius siccitatis dolorem sensisse bestias, non manſuetas duntaxat, ſed etiam agreſtes, (*Cerua enim*, inquit, pepererunt in agro, & reliquerunt: quia non erat herba. Aſini agreſtes ſteterunt in rupibus, & attraxerunt ventum, *more draconis.*) Quod etiam faciunt homines, dum ſitiunt, tenui ventorum aura refrigerantes calorem.

Poſt hæc precibus oblatis, propheta recolit peccata communia, & hoc pacto Deum reddit propitium, (*Tibi enim*, ait, peccauimus, expectatio Iſrael, & ſaluator eius in tempore *tribulationis.*) A te enim miſericordiam expectamus omnes. (*Quare* factus es velut aduena in terra, & velut indigena declinans in *diuerſorium* ?) Iſtud ὡς ἀυτόχθωυ, id eſt, velut indigena, Syrus interpretatus eſt, ὡς ὁδίτης, hoc eſt, tanquam viator. Cur nos contemnis, inquit, & præ te fers morem aduenæ, parui facientis domicilia in quibus habitat, tanquam aliena: & viatoris prætereuntis, qui negligit ea quæ occurrunt in via? (*Nunquid* eris, vt homo dormiens, & vt vir, qui ſaluare *non poſſit* ?) Qui dormit, non audit inuocantes: & qui tenetur infirmitate, ſuccurrere nequit. Ac ſi diceret, Ne differas miſericordiam. tu enim potes, & vigilas, vbique es, & cunctis adſiſtis. Nam hoc ſubiunxit: (*Et tu in* nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos. Ne obliuiſcaris *noſtri.*) Et ponit reſponſionem à Deo datam: *Dilexerunt mouere pedes ſuos, & non pepercerunt.* Nempe, in viam nequitiæ. Hoc enim docent, quæ ſubijciuntur. *Et non placuit Deo in eis.* Inquit etiam, Deum reducturum in memoriam iniquitates eorum, & impiè commiſſorum pœnas exacturum.

Condicit autem Dominus prophetæ, ne precetur pro eis & aſſerit, eorum ieiunia non obſeruaturum, nec ab eis oblata ſacrificia ſuſcepturum: ſed fami, peſti, & internecioni traditurum eos. Quibus auditis, Propheta in medium adducit pſeudoprophetarum prædictiones: & ait, illos contraria prædicere, pacem eis polliceri, & bonorum copiam. At rurſum Dominus ait prophetæ, illos falſa prædicere, verbis diuinis non inſeruire: nec eſſe organa gratiæ, ſed pro arbitrio loqui. (*Non præcepi eis*, inquit, neque locutus ſum eis: quia viſiones mendaces, diuinationes, & auguria, ac intentiones cordis ſui, iſti prophetant *vobis.*) Somnia vocat *viſiones*: auium obſeruationes, *auguria: diuinationes*, quæ fiunt opera dæmonum: *intentionis cordis*, ſeductionem à cogitationibus prodeuntem. Poſtmodum illis ipſis comminatur interitum infirmitati ſuccedentem, & cædem bellicam. *Morte*, inquit, *morboſa morientur, & gladio & fame conſumentur.* Ad hæc verò, & qui ſectati fuerint ſermones eorum, ne ſepultura quidem digni habebuntur. omnes ſimiliter iſdem afflictionibus occumbent. Atqui rurſum benigniſsimus Dominus, vbi locutus eſt acerba, ſuadet vti medicamentis pœnitentiæ. (*Deducite enim*, ait, oculis veſtris lacrymas diu *noctuq́.*) Propter magnitudinem calamitatum vobis inuehendarum. Memoratque propheta rerum geſtarum tragœdiam: (*Si egreſſus* fuero in agrũ, ecce, gladio vulnerati: ſi ingreſſus fuero ciuitatem, ecce *famis afflictio.*) Addit etiam his captiuitatis anguſtias: (*Quia* propheta & ſacerdos abierunt in terram quam *nouerant.*) Beatus Dauid propheta, & diuus Ezechiel ſacerdos & propheta, & alij præter hos plurimi ſacerdotes, Fuerunt participes aduerſorum. Deus enim volens conſolari & iuuare profanos illos, miſit cum illis prophetas, velut quoſdam pædonomos & præceptores: ne prorſus ad impietatem declinarent. His enarratis, Propheta conuertit ſermones ad Deum: (*Nunquid* reprobans reprobaſti Iudam, & à Sion defecit *anima tua* ?) Pro, prouidentia tua. Humano enim more poſuit, animam, ad clariorem prophetiæ elucidationem. Dicit porrò, vulnus inflictum eſſe incurabile, ſubijciens hæc verba, (*Cognoſcimus* Domine peccata noſtra, & iniquitates patrum noſtrorum: quia peccauimus coram te. Ceſſa, propter *nomen tuum.*) Quaſi dicat, Define nos affligere: & ne reſpicias in nos, ſed in nomen tuum. populus enim tuus appellamur. *Ne deſtruas thronum gloriæ tuæ.* Ita Ieruſalem appellauit. Dominus etiam in ſacris Euangelijs, cùm prohiberet iurare, ait, Non iurabis per Ieruſalem: quia thronus eſt magni regis. Nam illic propriè apparuit. Reducit autem in memoriam fœdus cum patribus initum: nullumque ab idolis ſuppetere auxilium: ſed ipſum è ſuperis labentem pluuiam ſuppeditare. quia creatura non caret gubernatore. Hoc enim dicit. (*Et cœlum* dabit plenitudinem ſuam. Nonne tu ipſe Domine, & expectamus te? quia tu feciſti vniuerſa *hæc.*

Matth. 5. 6.

CAP. XV.

REſpondet iterum ad hæc Dominus. (*Quia* ſi ſteterint Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea *in eis.*) His demulcet Prophetam. Ne putes, inquit, quòd per tui contemptum, ſupplicationem non ſuſceperim: quia neque his acquieuiſſem ſupplicantibus, qui tanta ediderunt miracula. Horum meminit, tanquam antiquiorum: eò etiam, quòd hi frequenter pro populo ipſum interpellantes, perſuaſiſſent. Etenim magnus ille Moſes, in conflatione vituli, cum Deus dixiſſet, Sine me, vt indignabundus deleam eos, feruentiſsimis precibus oblatis, conciliauit Dominum, his qui peccauerant. Itidem & Samuel huic non diſsimile præſtitit, dum pluuiã copioſam tempore meſſis adduxit. Mox præcipit Prophetæ, vt dimittat populum aſtantem. (*Quòdſi dixerint tibi*, inquit, Quò egrediemur? dices eis, Hæc dicit Dominus, Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium, & qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatẽ. His enim quatuor calamitatibus ſubijciam illos. Inſuper & qui mortui fuerint, beſtijs ac volucribus pabulum erunt. Et tradam eos cunctis regnis terræ anguſtijs *premendos.*) Prædicit etiam, quæ poſt reditum ſunt futura, & vigente Macedonum regno ventura: atque interitum ipſis à Romanis inferendum. In primis tamen obuentura docet, ob impietatem à Manaſſe audaciter admiſſam. Verum non eſt iniquus iudex, nec ab alijs debitas exigit pœnas: ſed velut eiuſdem impietatis ſocios, & qui improbo regi libẽter operam contuliſſent, prædictis ſubmittit afflictionibus. (*Quis miſerebitur* tui Ieruſalẽ? & quis cõtriſtabitur de te? aut quis incuruabit ſe, ad rogitandum tibi *pacifica*?) Quaſi dicat, Vniuerſis hominibus iuſta perpeti videbere. Solent enim homines, cùm quempiam eorũ qui nequiſsimè viuunt, plecti viderint, nõ ſolùm condolere, ſed etiam congratulari his qui læſi ſunt, tanquam ab eius nequitia liberatis. *Tu auerſa es à me, dicit Dominus: retrorſum ibis.* Et quod perpetraſti, patieris. Hoc aũt, *retrorſum ibis*, poſuit, pro, humiliaberis. *Et extendam manum meam in te, & delebo te: nec vltra parcam ipſis.* Iam enim non vtar priſtina patientia. Deinde, vt oſtendat, ſe præter voluntatem ad puniendũ cogi. quaſi condolens, ait, *In portis populi mei nati ſunt filij: diſperdidi populum meum, propter malitiam eorum: & tamen non ſunt conuerſi.* Ipſi dum à nequitia ceſſare noluerunt, accerſiuerunt exitium. Dicit etiam, ex virorũ internecione creuiſſe numerum viduarum, & eandem ob cauſam matres liberis priuatas eſſe. *Induxi enim*, ait, *ſuper matrem adoleſcentum miſeriam. In media die proieci ſuper eam repente tremorem ac laborem. Sterilis facta eſt, quæ pariebat ſeptẽ, defecit anima eius.* Variijs modis deplorat calamitatem: vt doceat peruicaces, & ſuadet relinquere priſtinam impietatem. *Occidit ei ſol, medio etiam die.* Lugentibus enim vel ipſa lux adpellatur tenebræ. His & horum ſimilibus dictis, luget & lamentatur Propheta, (*Væ* mihi mater, quòd me peperiſti, virum contentioni & diſceptationi expoſitum, in vniuerſa terra. Non profui: nec profuit mihi quiſquam. Potentia mea defecit inter maledicentes *mihi.*) Τὸ ὠφέλησα, Syrus interpretatus eſt, ὤφλησα. Dicit igitur, Non profeci, nec fœneraui: multos tamen comparaui conuiciatores aſsiduos, ſuperbè ſe efferentes. Conſilia enim, vt plurimùm, parere ſolent cum tumacias. At vero iuxta græcam interpretationem ita debet intelligi, nempe, Dignus ſum lamentatione, ſruſtra editus in hanc vitam: quia nulli profui, nec ab alijs emolumentum adeptus ſum: maledicta duntaxat refero, ab audientibus prophetias *Fiat, Domine, dirigentibus illis: ſi non aſſiti tibi in tempore afflictionis eorum & in tempore tribulationis eorũ, in bona contra inimicum.* Audi ipſos elatos, inquit, ſæpe pro illis ſupplicationes tibi obtuli. Tum ex perſona Dei, (*Si* agnoſcetur ferrum & veſtimentum æneum: robor tuũ & theſauros tuos dabo in prædam & cõpenſationem omnium peccatorum tuorum, in omnibus terminis *tuis.*) Ne fiduciam, inquit, collocetis in indumentis æneis aut ferreis. cunctas enim opes veſtras tradam hoſtibus. & hæc erit peccatorum tuorum remuneratio. Quibus addit etiam captiuitatem, quam iam paſsi erant. Hæc vbi prædixit Propheta, periculum imminere ſentiens ab ijs, qui audire recuſant, & eum interficere conantur, inuocat Deũ omnium, & ait, *Recordare* mei, Dominine, & viſita me & tuere me ab his qui perſequũtur *me.*) Ac ſi dicat, Ne tradas me perſequentibus me. innocens liberatur, *Noli in patientia tua ſuſcipere me.* Nonnulla habent βραδύνῃς hoc eſt, ne magna tolerantia vtens, & punire ſontes differens, nos læſos diſcrucies. (*Scito*, quòd ſuſtinuerim opprobrium propter te, ab his qui auerſantur ſermones *tuos.*) Tua cauſa, Domine, his moleſtijs obrutus ſum. Dum enim ſermones tuos perferrem, factus ſum inimicus. (*Adimple* eos: & erit ſermo tuis mihi in lætitiam, & gaudiũ cordis mei. quia inuocatum eſt nomen tuum ſuper *me.*) Quia me falſa prædicere arbitrantur, promiſsionibus autem pſeudoprophetarum, tanquam veris, attendunt, rebus ipſis confirma ſermones meos: & ita conſolare me.

Poſtea narrat, quo pacto non cum epulantibus, nec cum ridentibus verſatus ſit: ſed timore Dei omnibus antepoſito, de eorum malitia & ſupplicio anxius permanſerit. Quem Dominus protinus conſolatur, his verbis, (*Si* conuerteris, conuertam te: ante faciem meam ſtabis. Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum *eris.*) Non exiguam, inquit mercedem conſeruo tibi, qui tantum laboris ſuſcepiſti. Nam ſi quempiam errantem conuerteris, multam apud me fiduciam conſequeris. quod indicat clauſula hæc. *ante faciem meam ſtabis.* Et ſi quemquam ex impijs conuerteris, ac perſuaſeris, vt amplectatur quæ tendunt ad meliora, ori meo adſimilabere. Ego ſiquidem ea quæ ſunt, verbo condidi: & tu verbo perperam agentes conuerti feceris ad virtutem. Promittit autem ei denuo vim inexpugnabilem & inuictam, repetita pollicitationũ initio factarũ mentionẽ.

CAP. XVI.

DEnuntiat autem ei, ne ducat vxorem, neue procreet liberos: eò quod parentes & liberi tradẽdi ſint fami, peſti, cædi ac ſeruituti. Admonet porrò, ne lætetur cũ lætantibus, nec doleat cum dolentibus. (*Abſtuli* enim, ait, pacem meam à populo iſto, dicit Dominus: & miſericordiam meam, & miſerationes meas. Et morientur magni & puſilli in terra *iſta.*) Narrat verò futurum, vt digni ſepultura non habeantur, luctus eorum nomine. ſolito more, non ſit celebrandus, nec lugentes vllam conſequantur conſolationem. Et tandem commi natur ciuitati cuiuſuis lætitiæ priuationem: ita vt nulla vox inferatur nuptiarum, conuiuiorum, aliorumue, quæ gratam hominibus vitam reddere ſolent. Percontantibus autem eis, ait, ac dicentibus, Quam ob cauſam in hæc incidimus mala? reducito illis in memoriam impietatem paternam: & quæ perpetrata ſunt ab eis, oſtendito, nempe, grauius quàm patres peccaſſe, dum non conuerſari ſunt iuxta legem meam: ſed proprias cogitationes ſunt ſecuti. (*Quare* proculdubio eijciam vos de terra iſta, in terrã quã vos ignoratis, & patres veſtri. Et ſeruietis ibi Dijs alienis die ac nocte: qui nõ dabunt vobis *miſericordiam.*) Quia colitis eos, qui nõ ſunt Dij, expellã vos è terra paterna, & tradam vos hoſtibus: vt cum illis ſeruiatis errori, Pollicetur nihilominus reditum: & ait, tũc tẽporis non vltrà cõmemorãdis veteribꝰ bene

ficijs Deum laudaturos, nec enarraturos liberationem ab AEgyptiaca seruitute: sed reditum è Babylone, velut rem admirandam, omnes celebraturos, (*Ecce* ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos. Et post hæc mittam venatores multos, & venabuntur eos, de omni colle, & de cauernis *petrarum.*) Quibus verbis vltionem ineuitabilem significauit. Hostes enim piscatorum ac venatorũ more, omnes illos retibus circundantes, etiam eos qui in montibus latere conabuntur, in suam potestatem redigent. *Quia oculi mei super omnes vias eorũ: non sunt abscondita à facie mea. Et non fuerunt occultatæ iniquitates eorũ à conspectu oculorum meorum.* Omnia video: ex his quæ fiunt, nihil est, quod me lateat. *Et reddã illis primùm duplices iniquitates eorum, & peccata eorum, quibus polluerunt terram meam in morticinis abominationum suarum.* Quasi plenus humanitate, vltionem appllat peccatorum, duplicationem. Non enim iuris normam & rationem, pares persoluerunt pœnas. Morticina verò abominationem, vòcat, filiorum & filiarum mactationem: quam offerebant idolis. Impietate populi sic ob oculos posita, vaticinatur cõuersionem gentiũ: (*Domine* fortitudo mea, & auxilium meũ, & refugium meum in die tribulationis: ad te gentes venient ab extremo terræ, & dicent, Verè mendacia possederunt patres nostri idola & non est vtilitas *in eis.* Qui tanta cura digni habiti sunt, tum legali tum prophetica disciplina freti, impie agere & legem transgredi non desierunt: gentes verò, quæ eiusmodi cousolatione caruerunt, auditis duntaxat præceptis Apostolicis, errorem vitarunt, & ad lumen diuinæ notitiæ peruenerunt. Et (facta mentione pristini prouerbij) inclamant: *Nunquid faciet sibi ipsi homo Deos, & ipsi non sunt Dij? Idcirco, ecce, ego ostendam eis in tempore hoc manum meam: & potentiam meam notam faciam eis. Et scient, quia nomen mihi, Dominus.* Multo antè, ait, prædico illis futura, & prædocio eos, quæ sit potentia mea: qua nimirũ per abiectos & paucos homines procuraturus sum conuersionem gentium.

CAP. XVII.

HVnc in modum vaticinatus cõuersionem gentium rursum accusat impietatem Iudæorum. *Peccatum Iuda inscriptum est in scriptura, in vngue adamantino, in pectore cordis eorum, & in cornibus altarium eorum.* Nihil potentius conscientia, in qua scilicet confixæ literæ sunt solidæ. Quanuis enim omnes homines suæ ipsorum cõscientiæ de bona vita tastificari conentur: peccata nihilominus eorum qui mentiuntur, consciẽtia ferre nequit: sed percutiatur ac perforatur, incorruptamq; profert sententiam. Quod & hic dicit, facinora tua, videlicet te arguunt, & conscientia tua testimoniũ præbet. Reuocat autem illis in memoriam lucos & aras, & in eis commissum errorem. Et minatur, omnia bona eorum cum idolis se traditurum hostibus. Prædicit etiam desolationem vrbis Postea miserum, imò ter miserum quippiã, ait, & maledictionibus subijcit eum, qui recedit à Deo, & humanæ potentiæ fidit, eumq; confert cum plantis quibusdam vilibus & fructuosis, quæ nascuntur in desertis, & nulla diligentia excoluntur. *Est enim velut agrestis myrica in deserto: & non videbit, cùm euenerit bona. Et habitabit in locis falsis in terra deserta, in terra salsuginis, quæ non inhabitatur.* Porrò hanc dictionem, ἐν ἁλίμοις, id est in falsis, Syrus interpretatus est, ἐν φωλεοῖς. hoc est. in latebris, & speluncis ferarũ. Cæterùm per hæc omnia quæ dicta sunt à Deo, lucrum illud quam sit inutile. demonstrat. Confidentem autem Deo, similem esse dicit & comparat plantæ, quæ continenter irrigatur, & ab ardore nimio nõ læditur: sed semper fructum fert oportunum. Quæ quidem nõ dixit frustra, sed vt admoneat, ne fidant suppetijs Aegyptiorum: Verum per vitæ conuersionem sibi concilient auxilium diuinum. *Graue est cor super omnia. Et homo est. & quis cognoscet illum? Ego Dominus, scrutans corda, & probans renes: vt dem vnicuique iuxta vias suas, & iuxta fructus studiorum suorum.* Ab hominibus cõprehendi nequeunt conscilia proximi, quia sunt occulti motus cordis: mihi verò conditori, etiam ipsi patent. Non enim factis solùm, sed etiam cogitationibus ius reddo: & æquam iustamq; fero sententiam. Rursum transfert sermonem ad regem Babylonis. *Vocem emisit perdix: congregauit, quæ non peperit, comparans diuitias suas sine discrimine.* Venatores perdicum mansuefaciunt perdices, & harum voce alias eiusdem generis conuocant: quæ cõcurrentes, decidunt in casses. Huius perdicis similem esse dicit regẽ Babylonis, qui dominari quidem nititur in omnes homines: at opes congregat iniquas. Prædicit autem, quæ contingent illi aduersa. *In dimidio dierum suorum derelinquent eum: & in extremo suo erit insipiens.* Ista quoque diuino numine afflatus Daniel nos docuit. Nam incidit in maniam, & beluinus effectus, expulsus est regno. *Solium gloriæ exaltatum.* Priuatus est etiam solio. *Sublimis sanctificatio nostra ab initio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel.* Tu aũt, inquit, Domine sanctificatio nostra, splendor loci nostri, sempeternũ habes imperium. Te igitur expectamus. Tu enim præbebis nobis liberationem ab aduersis. *Nã qui te derelinquũt, omni pudore replebuntur. Sana me Domine, & sanabor: salua me, & saluabor. quoniam tu es gloriatio mea.* Ego prouidentiæ tuæ meipsum admoueo: & vt à te salutem consequar, supplex petto. *Ecce, ipsi dicunt mihi, Vbi est verbum Domini? Veniat sanè. Ego verò sanè multa captus sum lasitudine, sequens te. & diem hominis non cupiui. Tu scis, quæ procedunt de labijs meis, in conspectu tuo sunt.* Conquerũtur de tarditate vindictæ: & dum differs supplicium, mendacem existimant prophetiam. Ego verò, etsi mihi perspectũ erat, quòd dolere nescirẽt eos in calamitates labi nolui. Hoc enim innuit, *diẽ hominis nõ concupiui. Ne sis mihi in abalienationẽ. Miserere mei tu, in die afflictionis* Vocat diẽ afflictionis, insultationẽ in ipsum factã & obsecrat, vt ad solicitudinẽ diuinã pertinere mereatur: vt illi quidẽ conatibus suis excidãt, & pudore per-

re perfundantur, ipse verò insidiarum victor emergat, Deinde præcipitur Prophetæ, vt regijs portis occupatis, denuntiet omnibus, tam regibus quàm priuatis, ne transgrediantur legem de Sabbatho latam, sed diem illũ otio & quiete exornent: & ne æmulentur patrum inobedientiam. Hoc enim si fiat, inquit, emolumentis pacis fruemini: & concurrent vndique, qui Deo in pace sacrificia offerant. Quòd si violaueritis legem quietis, & die Sabbathi portaueritis onera, tradam igni non solùm portas, sed & vrbem totam.

CAP. XVIII.

HOc sermone sic finitio, mandatur prophetæ, vt ingrediatur domum figuli. quod mandatum executus, videt figulum fingentem vas quoddam: deinde illud, cum excidisset, & contritum esset, iterum de nouo condentem. *Cecidit enim,* ait, *vas quod ipse fingebat ex luto, in manibus eius, & iterum fecit illud, vas alterũ, quemadmodum placebat in oculis eius facere.* Vbi hoc modo demonstrasset, figulũ habere facultatem in lutum, & illud pro nutu transformare posse, dixit prophetæ, Dic illis, *Nunquid sicut figulus, sic non possum facere vobis, domus Israel, dicit Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli: sic vos estis in manibus meis, domus Israel.* Quemadmodũ enim ille potest pinsere lutum, & illud pro arbitrio formare: ita facilè possum tradere supplicio, & largiri salutem: & prosperè agentibus: calamitates immittere: & contrà, viuentibus in molestia prosperitatem gratuitam præbere. Hoc enim sequentia indicant: *Denique loquar aduersus gentem & regnum, & extreminem, auferam, & dissipem eas. Et si conuersa fuerit genus illa à malis suis, & ego pœnitentiam agam à malis, quæ cogitaueram facere eis.* Ne desperetis, inquit, de salute. Etenim si decreuero condemnare gentem: & comminatus fuero supplicium extremum, videro autem pænitentiam eorum, non inferam supplicium: sed misericordiam desidero. Sin è diuerso bonorum copiam promisero, illi verò contemnentes, amplexentur nequitiam, promisionem bonorum non præstabo. Hoc igitur exploratum habentes, inquit, ne desperetis meliora: verùm offeratis pænitentiam, & salutem capessite, *Ecce enim,* inquit, *fingo aduersum vos mala, & cogito contra vos cogitationem. Auertatur quisque à via mala, & dirigite studia vestra, & vias vestras.* At verò, cùm benignus sit, offert huiusmodi remedia. Illi verò: quæ suggerebat medicus, respuerunt: sed dixerunt, (*Obfirmati sumus:* quia post auersiones nostras ibimus: & vnusquisq; quæ placẽt cordi suo, *faciemus.*) Auersiones vocat viam deteriorẽ. *Propterea hæc dicit Dominus, Interrogate gẽtes. Quis audiuit talia horribilia valde, quæ fecit virgo filia Ierusalem?* Virginem illã appellat, nõ quod nõ sit intemperans: sed quòd formæ det operã, & de pulchritudine glorietur. (*Nunquid* deficiẽt à rupe mammæ stillantes, aut nix à Libano? Nũ fluent aquæ violẽter sursum *versus?*) Fontes, inquit, sine intermissione scaturiũt: Libanus semper habet niuem: aqua quæ fertur impetu, trita via fluit: isti verò viam legis deseruerunt, & mandatorum meorum apud eos nulla est mentio. Hoc enim significant, quæ sequuntur: *Quia oblitus est mei populus meus, frustra libauerunt, & infirmi sunt in vijs suis * funiculis æternis: vt incedant semita, quæ non habet viam ad proficiscendum.* Excogitauerunt, ait, diuerticula initio minimè trita: & hæc declarauerunt vias perpetuas. Quasi dicat, ijs vti perseuerant. quapropter tradam desolationi terram eorum. quod subiunxit. (*Vt ponam* terram eorum in vastationem & exibilationem *perpetuam.*) Exibilatio, desolationem vrbis innuit. Qui enim ciuitatem aliquam florentem viderunt, si postea desolatam conspexerint: exibilare consueuerunt, & hoc modo calamitatem designare. *Tanquam uentum urentem dissipabo eos, in conspectu hostium suorum.* Nullam, inquit, misericordiam consequentur ab inimicis: sed odio prosequentur eos, non aliter quàm auersatur quis ardorem. *Dorsum, & non faciem, ostendam eis, in die interitus ipsorum.* Quia captiuorum & seruorum proprium est, inclinari in terram, vt dorsum magis apparet, quàm facies. Potest & aliter intelligi. Auersorum enim faciem non videmus, sed dorsum. Sermo igitur significat, Auersionem Dei. Quare, quæ comminatus est Deus illis per Prophetam, sunt eiusmodi. Vtinam verò medicine loco nobis sint afflictiones illorum: vt aliorum pœnis eruditi, & vitam legibus diuinis consonam agentes, legislatorem propitium habeamus in secula. Amen.

* alias, semitis.

TOMVS QVINTVS.

ET dixerunt, *Agite, excogitemus etiam aduersus Ieremiam cogitationem. Non enim peribit lex à sacerdote, neque consilium à sapiente, neq; sermo à propheta.* Tria testificãtur de eo maxima, sacerdotium, prophetiam & sapietiam: & charismatis cuiusque vim sciunt & certitudinem. Et cùm obsequi deberent ijs quæ dicuntur, non solùm ipsi cotradicunt, sed mortem etiam moliuntur. *Agite enim,* ait, *percutiamus eum lingua, & non audiamus cunctos sermones eius.* Adeo vel ipsa Dei veba reddebãt eos pigros. Istud verò, *percutiamus eum lingua,* ponitur, protexamus in eum calumniam.

Hæc sentit propheta, supplicat Deo, vt velit esse iudex: eiq; reducit in memoriam preces, quas eorum nomine sæpius obtulit. Tum optatiuo sermone formato, prædicit oraturam è fame mortem cædes ab hostibus committendas, & reliqua in bellis accidentia.

CAP. XIX.

CVm hæc & alia huiusmodi dixisset, iubetur, accepta lagena testacea, exire in sepulchrũ, cũ sacerdotibus & seniorib9 populi: & iterũ cõminari ciuitati exitiũ, idolorũ cultu ante oculos posito. Prędixit quoq; obsidionis in cõ-

moda, rerum necessarium penuriam. Et post hæc omnia, iubetur conterere lagenam, ac dicere, (*Sic* conteram populum istum, & ciuitatem istam, quemadmodum cõteritur vas testacium: quod vltrà non poterit *instaurari*.) Minatur etiam domui regiæ euersionem, & toti ciuitati vastationem. quia nõ modò publicè, sed etiam in ipsis domibus, libabant idolis, & sacrificia offerebant. Quinetiam in ipso loco idolis destinato sepelientur occisi. *Sepelient enim in Tophet: quia non erit locus, vbi sepelire possint.* In quo numerum interfectorum declarauit. Redeunti verò Prophetæ mandauit iterum Dominus, vt in atrio sancto prophetiam omnibus enuntiaret, & prophetaret tam ciuitati, quàm cunctis vrbibus & pagis ei subditis vastationem.

CAP. XX.

CVm audisset hũc sermonem Phassur princeps sacerdotum, non solum percussit prophetam, sed etiam inclusit. *Percussit enim.* inquit, *Phassur Ieremiã prophetam, & coniecit eum in nerum.* Locum autem quendam dicit subterraneum: cuiusmodi multa habebat templũ à Salomonæ ædificatum. Postera verò die, cùm eduxisset eum, iterum dicentem audiuit, *Nequaquã Dominus vocauit Phassur nomen tuum, sed Aduentitium vndique.* Nec eum duntaxat, sed etiam familiares eius dicit in captiuitatem redigẽdos esse, & post captiuitatem interficiendos. Quinetiam comminatur se traditurum regi Nabuchodonosor vniuersum populum. Hæc ergo cum pluribus dixisset propheta, molestè fert insultus, qui iugiter in se fiunt: & puritati conscientiæ fidens, libertate vtitur erga Dominum, inquiens, *Decepisti me, Domine, & deceptus sum: victisti me, & inualuisti.* Fugiebam, inquit, prophetandi munus, dicebam, me iuniorem esse, & huic administrationi imparem esse: & pollicitus es, te effecturũ: vt impugnantibus me fortior essem, ostensurumq;, me muro æneo & columnæ ferreæ similem: nunc autem ridiculus effectus sum, Hoc enim dicit, (*Factus* sum in risum toto die: perpetuæ subsannationi obnoxius fui, quia amaro verbo meo ridebor, vastitatem & miseria clamito. Profectò, sermo Domini factus est mihi in opprobrium & derisum *tota die.*) Angitur propheta, non quòd clamitate & verberibus affligitur, sed quòd eloquia diuina suggillantur, *Et dixi. Nequaquam nominabo nomen domini, nec loquar in nomine ipsius.* Quasi dicat, minimè prophetabo: nec enuntiabo minimè credentibus, quæ Deus prædicenda mandauit. *Et factus est in corde meo velut ignis ardens & flammas emittens, inclusus in ossibus meis: & ardeo ex omni parte, nec ferre possum.* Hoc ipsum etiam accidit diuino Paulo Athenis, dum tacitus expectaret: Incitabatur, inquit, spiritus Pauli, videntis idolatriæ dediram ciuitatem. Idem accidit prophetæ. Gratia nanque prophetica incitabat eum nolentem, vt loqueretur. Deinde narrat, quo pacto non solum affligebant & pulsabant eum, sed & alias adsuebant insidias, vt circũuenirent illum, & niterentur seducere à Deo. (*Dixerunt* enim, ait, Insultemus ei nos omnes viri amici eius: & obseruate animum eius, an fallatur. Et inualescemus in eum, & vltionem nostram de eo *sumemus.*) Quis dignè deplorare possit maligne mentis commendationes? Non tamen sibi ipsi fidit propheta, sed laudat opem diuinam, & ait, *Mecum est quasi pugnator fortis.* Docet quoque victoriam, diuo auxilio partam. *Propterea persecuti sunt, & vincere non potuerunt. Obruti sunt pudore non modico, quia non potuerunt intelligere ignominias suas: quæ per seculum non tradentur obliuioni.* Mox denuò postulat, vt Deus sit iudex, ac de illis sumat pœnas machinationibus dignas.

Fatigatus itaque & dolore nimio confectus, necnon vitam hanc ægrè ferens laudat in primis Deum vniuersorum, tumq; maledicit diei, qua mater parturientis patiebatur dolores. (*Cantate*, inquit, Deo: laudate eum, quia eripuit animam pauperis de manu *malignantium.*) Præponit laudes, vt omnem accusationem blasphemiæ tollat. De hinc ait, (*Maledicta* dies: in qua natus sum: in qua die peperit me mater mea. Et maledictus homo, qui nuntiauit patri meo, dicens, Natus est tibi filius masculus. ne *lætetur.*) Qui vehementer aguntur, solent adstantes reprehendere, & manibus reprimere: quandoque, premente dolore, manus collidere. quod accidit Prophetæ: qui præ nimio dolore, nulla subsistente causa, diem redarguebat: eum item, qui patri partum nuntiauerat. qui quidem non erat quiuis è plebe. verisimile est enim, non quemlibet nuntiasse. Addit verò, melius mihi erat, in vulua finire vitã, & mortuum egredi, quàm in has omnis generis delabi calamitates.

CAP. XXI.

SErmo, quem habuit dominus eum Ieremia, quando rex Sedecias misit ad eum Phassur filium Melchia, & Sophoniam filium Maasia sacerdotem. Hic est aliter Phassur, nempe Melciæ filius, qui verò reprehensus est, filius erat Emmer. Sciendum est porrò, prophetias non ex ordine positas esse. Hoc enim loco prophetiam texit eorum, quæ regnante Sedecia gesta sunt: paulò pòst autem, quæ temporibus Ioacim & Iechoniæ acciderunt: qui regnarunt ante Sedeciam. Sedecias igitur dum obsideretur à Nabuchodonosor, accersit Prophetam, qui postulet à Deo auxilium: Prophetæ verò mandatur, ita vaticinari, (*Hæc* dicit Dominus Deus Israel, Ecce, ego auerto armata bellica, quæ sunt in manibus vestris: quibus debellare vultis regẽ Babylonis & Chaldæos, qui extra murum vos circundant. Et introducam eos in me diũ vrbis huius. Et expugnabo vos in manu extensa, & brachio excelso, cũ furore, ira, & in indignatione *magna.*) Inutilia, inquit, vobis erunt arma, me ducem hostium agente, & cum illis contra vos in aciem prodeunte. Postmodum refert, se traditurum eos omnes fami, morti, ac seruituti: vna quoque cum illis ipsum regem Sedeciam, militibus pedestribus & armigeris. qui alios quidem interficient, alios verò abducent in captiuitatem. Et hæc dicere

Actu. 17. d.

dicere populo mandat, *Ecce, ego dedi ante conspectum vestrum viam vitæ, & viam mortis.* Deinde docet, quod qui habitabit in vrbe, volens hostibus repugnare, viam mortis ibit: qui autem sua sponte ad hostes abierit, vita perfruetur. Hanc enim aduersus vrbem protuli sententiã, vt ipsa hostili tradatur incendio. Hæc vbi comminatus est, admonet regem & principes, curare quod iustum est, pro viro iusto æquam ferre sententiam, & eorum qui læduntur, vlcisci iniuriam: hocque pacto cohibere, quod infligitur, supplicium. *Ecce, ego ad te qui habitas in conualle Sur campestri, dicit Dominus.* Pro, mansione sita in loco concauo, in medio montium. sic enim interpretatus est Syrus. Vult autẽ dicere, Ierusalem, quæ hunc habet situm. *Sur* verò per interpretationem dicitur, viæ angustia, atque item, petra. Concluditur itaq; vrbs ista montibus. *Dicentes, Quis percutiet nos? aut quis ingredietur domum nostram?* Audaciam eorum declarat, & vanam arrogantiam. Deinceps minatur, se igne exusturum syluam eius. Syluam autem vocat, domorum & habitantium multitudinem.

CAP. XXII.

POst hæc præcipit iterum Prophetæ, vt accedat ad regiam, & hortetur regem ac principes, vt iustè iudicent, & incorruptam ferant sententiam: consolentur diligenter eas, quæ lugent viduitatem, orbatos item parentibus: abstineant ab homicidio, & caueant pristinam impietatem. Et pollicetur hæc agentibus, pacem atque prosperitatem: & regno, copiam rerum sufficientem. (*Quòd* si non feceretis iuxta sermones istos, per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus *hæc.*) Iusiurandum addidit, ad confirmanda quę dixit. Hoc autem, *per memetipsum iuraui*, demonstrat immensam iurantis excellentiam. Nam etiã diuinus Apostolus ait, Cùm per nul- Hebr. 6. 13.
lum aliũ maiorem iurare posset, dixit, Per memetipsum iuraui, dicit Dominus.

Insuper adiungit ista comminãtioni, (*Hæc* dicit Dominus contra domum regis Iuda, Galaad, tu mihi caput *Libani.*) Ierusalem vocat, Libanum: Galaad autem, palatia regia, quæ in ea sunt. Est porrò locus in Libano, qui ita nominatur. Est & altera Galaad, quæ pertinet ad terram Israeliticam. Verum existimo, nunc cum ea, quæ est in Libano, comparata esse palatia regia, propter admissam in eis impietatem. (*Sanctificabo* enim, inquit, super te interfectores. Sanctificabo, pro, segregabo. quod etiam per Esaiã dicit, Sanctificati sunt, & ego adduco eos. pro, segregati. Et huius dictionis rationem pluribus explicauimus in diuini Esaiæ interprætatione. (*Virum*, & securim eius: & succi- Theodoretus interpretatus est Esaiam.
dent electas cedros tuas, & proijcient in *ignem*) Quia meminit Libani, perseuerat in allegoria. Cetros autem dicit, superbos imperatores Romanos. Inde prædicit vrbis vastationem: quam qui viderint admirabuntur: ac rogantes malorum causam, discent, esse nequitiam habitantium: & eorum causa, vrbem à Deo talem susceptisse sententiam. Admonet autem non lugendum mortuum, sed viuentem: vt qui migret, & tradatur in duram seruitutem. (*Hæc* dicit Dominus super Sellum, filium Iosiæ regis Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo. Egressus est de loco isto, non reuertetur amplius. In loco, in quem transtuli eum, illic morietur: & terram: hanc non videbit *vltrà.*) Sellum non, vt quidam arbitrati sunt, est Ioacim, sed est Ioachaz. Hic enim regnauit loco Iosiæ patris sui: hunc Pharao Nechao captiuum abduxit in Aegyptum, Nam Ioacim occisus est in Ierusalem, quod & hic idem Propheta nos docet, & Regnorum liber quartus, ac Paralipomenon secundus.

Tanquam ædificans domum suam, sine iustitia: & palatia sua, non in *iudicio.*) Non quòd damnet ædificationem, sed ædificationem quę sit iniustè: quod declaratur ex sequentibus, (*Apud* eum proximus illius operatur gratis, & mercedem eius non reddit ei. Aedificasti tibi domum *moderatam.*) Moderationem nõ coliocauit in exiguitate, sed in eo quòd habeat proportionem longitudinis, latitudinis, ac profunditatis. Quòd autem magnitudinem domus haberet, testimonio sunt, quæ subijciuntur: (*Palatia* spatiosa, distincta fenestris, contignatione cedrina compacta, tincta minio. Nunquid regnabis, quoniam confers te *cedro?*) Cedrum vocauit, Iosiam, cui constans erat regnum. Reprehendit autem Sellum, qui & Ioachaz nominatur, eò quod cedri quidem altitudinem imitabatur: at non æmulabatur incorruptionem ipsius: sed de regno faustuose gloriabatur. Docens itaque, Deum nõ damnare ædificationem, sed impietatem, subdidit. (*Pater tuus* nunquid edebat, bibebat, & faciebat iudicium & iustitiam: tumq; bonum erat illi? Iudicabat causam humilis & pauperis: & tunc ei bene erat. Nonne hoc est nosse me, dicit *Dominus?* Istud per simile est euangelico sermoni, Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Hoc enim etiam hic dixit, nempe, Odio prosequi iniustitiam: læsorum iniuriam vlcisci, argumentum est, eum qui hæc facit, nosse me. *Ecce enim oculi tui non sunt recti neque cor tuum rectum.* Post hæc arguit auaritiam illius, & homicidium: calumniã præterea, qua cedes perpetrabat. *Idcirco hæc dicit Dominus in Ioacim filium Iosiæ regis Iuda.* Hoc loco ex ordine sita est prophetia. Post hæc Ioachaz siquidem regnauit Ioacim, qui & ipse filius erat Iosiæ regis. Prædicit autem huius etiam interitum. *Non plangent eum, Væ mihi domine: væ mihi frater. Neque lugebũt eum. O frater: væ mihi frater. Nec faciet sepulchrũ is, qui vnà damnatus fuerit. Stercoris instar proijcietur vltra portas Ierusalẽ.* Pate etiã hinc Sellũ nõ esse Ioacim. Dixit enim de illo, Terrã hanc nõ videbit: sed in trãsmigratione morietur, De hoc vero proijcietur extra portam, instar mortuarũ auium, quæ clariùs docent historiæ. Deinde vrbi denũtiat, vt fugiat ad Libanum, ad Basan (sunt aũt montes) itidem transmare: & vociferetur, lugens propri as calamitates: quòd nullum ab idolis con-

secuta sit auxilium illa enim vocat amatores. *Locutus sum tecum in casu tuo, & dixisti, Non audiã.* Consulebam peccanti: vt recederes ab errore, & consilium non suscepisti. *Hac est vita tua à iuuentute tua: quia non audisti vocem meam.* A supremis annis, & ab initio, inobediens fuisti, *Pascet ventus cunctos pastores tuos.* Reges improbos & pseudoprophetas. *Amatores tui pergẽt in captiuitatem.* Ipsa idola, quæ, vt verisimile est, argentea erant & aurea, hostes acceperunt. *Tunc pudore & ignominia perfunderis, à facie eorũ omnium, qui te diligebant.* Nihil enim ab illis adiuuabere. Postmodum prosperitatis pristinæ memoriam eis refricat: *Quæ habitas in Libano, & parturis in cubilibus cedrinis.* Quasi dicat, eminens, conspicua, & celebris apud omnes. *Congemisces, dum tibi obueniunt dolores, vt parturientis.* Cùm hæc aptasset prophetiæ, de Ioacim compositæ, similia prædicit de Iechonia: quæ erat filius Ioacim, Iosiæ vero nepos. Hic cùm tres duntaxat regnasset menses, captiuus cum matre abductus est, & in Babylone vitam dissoluit. (*Viuo* ego dicit Dominus, Si Iechonias filius Ioacim regis Iuda, factus fuit annulus in manu mea dextera, quia inde euellam te, & tradã te in manus quærentium animã tuam: in manus eorũ, à quorum facie formidas: in manu Nabuchdonosor regis Babylonijs, & in manu *Chaldæorũ.*) Quoniam non imitãtes pietatem maiorum, de cognitione illorum gloriabantur, afferentes in medium Abraham, Isaac, Iacob, Israel, Dauid, Ezechiam, Iosiam, viros insignes virtute: hac de causa Deus omnium repellit Iechoniæ arrogantiam, inquiens, Etiamsi annulus, digiti fiat, & ponatur in dextera manu mea, inde euellam illum, & tradam hostibus. Ne igitur confidat de virtute maiorum, cùm illorum virtutem non æmuletur. *Et eijciam te, & matrem tuam, quæ peperit te, in terram alienam, in terram in qua nati non estis: & illic moriemini.* Addidit, eos non reuersuros in terram, in qua orti sunt: & supplicij causam dicit: *Vir iste est os contemptum & abiectum.* Arguit leuitatem eius & facilitatem inhabendis sermonibus illegitimis. *Vilis habitus est Iechonias, tanquam vas inutile.* Propterea proiectus est ipse, & semen eius, & eiectus in terram, quam non nouit. Mox, quasi non audiant ij qui participes sunt sermonum, alloquitur terram anima carentem. (*Terra,* terra, terra, audiui verbum Domini. Hæc dicit Dominus, Scribe hunc ipsum virum, virum eiectum, virum qui non prosperatur in diebus suis. quoniam ex eius semine non crescet vir, qui sedeat in solio Dauid, & imperet *Iudæ.*) Ostendit finem regni Iudaici. Et est sermo certissimus. Nec proferat quis in medium Zorobabelem. Non enim rex fuit populi, sed gubernator eius, & dux exercitus Dominus porrò ex hoc deducens genus secũdum carnem, sedibus Dauidicis non sedit: sed supra omnem principatum, potestatem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Caret ergo mendacio prophetia.

Ephes. 1.d.

CAP. XXIII.

HInc fit, vt accuset pastores istos, reges scilicet, vt authores dispersionis ouium. Et his, quidem Cõminatur interitum, ouibus autem reuocationem, *Suscipiam enim,* ait, *reliquos populi, ex omni terra, in quam expuleram eos, in pascuis suis: & crescent, atque multiplicabuntur.* Pollicetur etiam maiora bona: *Et suscitabo eis pastores, qui pascent illos. Et non formidabunt vltrà, neque obstupescent, nec illis quicquam deficiet, dicit Dominus.* Ista quidem temporibus Zorobabelis & Iesu filij Iosedec, typicè euenerunt: non tamen tota prophetia. Multi enim insurrexerunt in eos, nõ modò vicini, sed etiam Macedones posterius, & tandem Romani. Verùm prædictio sufficientem gratiam pollicetur. Quocirca certum est, illa quidem temporibus eorum contigisse: hæc verò temporibus sacrorum Apostolorum. Hi enim soli donum Spiritus sancti habuerunt. Cui sententiæ adstipulantur, quæ subijciuntur (*Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid orienté iustũ & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra.* In diebus saluabitur Iuda, & Israel habitabit cõfidenter. Et hoc est nomen, quo vocabit eum Dominus, Iosedec: ipse in *propheris.*) Iudæi attoniti, conantur hæc impudenter trahere ad Zorobabelem: verum illos etiã intelligere oportebat illum nõ esse regem, sed ducẽ populi, nec nominari Iosedec. Atqui nec interpretatio denominationis quadrat illi. Significat enim nomẽ, Dominus iustitia nostra: vel, iuxta Syri interpretationem, Domine, iustifica nos. Neutrum autem conuenit Zorobabeli. Verùm quia typus erat Christi Domini, & captiuos è Babylone in Iudæam reduxit, quem admodũ Christus mancipatos à diabolo tradu xit ad veritatem: si quis typicè volet ista illi adaptare, nihil alienum à verisimili faciet. Sciendum tamen est, quòd Dominus Iesus Christus, qui ex Dauide secundum carnem descendit, Oriens iustus, Rex iustus, & Dominus iustitiæ prædicatur à prophetis.

Exinde conuertit sermonem aduersus mendaciorum præcones, eosq; vocitat adulteros, vt qui adulterent & corrumpant verbum diuinum. Quos etiam clamitat esse authores malitiæ populi: & impietatis eorum socios effectos dicit sacerdotes. Prædicit autem mala eis obuentura: & comparat eos prophetis Samariæ, qui Prophetæ Baal palam vocabantur. Etenim hi, ait, dum pacem populo falso promiserunt, in causa fuerunt, ne quisquam auerteretur à via sua mala: atque eorum consilio imitati sunt Sodomæ & Gomorrhæ nequitiam. (*Quapropter* ecce ego pascam illos doloribus, & potabo eos aqua amara. Quoniam egressa est à prophetis Ierusalé pollutio in omnem *terrã.*) His aũt verbis varias significauit omnibus calamitates, Admonet verò populum, ne excipiat ab illis, quos enũtiant: sermones. *De corde enim, suo,* ait, *loquuntur, nõ ex ore Domini. Pollicẽtur pacẽ, quã nõ promisi ego. Dixerũt omnibus, qui ambulãt iuxtà voluntates suas, & cuilibet ambulãti in errore cordis sui,*

Non venient super te mala. Nam quis stetit in consistorio Domini, & vidit, & audiuit verbum eius? Quis auribus hausit, & audiuit verbum eius? Dum hæc, ait, dicunt, obfirmant perpetrantes mala, & pertinaces reddunt ad iniquitatem, ac prohibent, ne sermonem propheticum intelligant. (*Ecce* quassatio & ira à Domino proficiscitur, in quassationem, quæ non *auertitur.*) Per hæc, significat mala inuicem succedentia: & quòd hæc à Deo immittuntur. Ipse enim vobis infligit supplicia.

Tum refert eos qui passuri sunt. (*Super* impios venient. Non auertetur furor Domini, donec peregerit quæ molitus est in *corde suo.* Quæ enim prædixit, ad finem perducentur. *Extremis diebus intelligent.* Cùm viderint res ipsas, verborum recordabuntur.

Refert postea, falsos prophetas sua sponte, non iussos, populo sermones contrarios nuntiasse. (*Si enim,* inquit, adfuissent concilio meo, audissentq́ue sermonem meum, docuissent populum meum: & auertissent eos à via sua prana & à studijs eorum *peruersis.*) Ego verò per legem apertè prohibui species omnes nequitiæ. Quare si secuti essent sermones meos, redarguissent vtique iniquitates populi, & in rectam viam reduxissent. Docet porrò eos, ex occultis nihil esse, quod ignoret. (*Deus enim* propinquus ego sum, & non Deus è longinquo. An absconditur homo, & non videbo eum, *dicit Dominus?* Dehinc docet, Deum non circunscribi, *Nonne cœlum & terram ego implebo, dicit Dominus?* Si igitur vbiq; præsens sum, quo pacto arbitrantur homines, ignorare me quippiam eorum quæ geruntur? Intensiorem autem denuo moue accusationem aduersus pseudoprophetas, tanquam somnia narrentes, & circumueniente populum: qui talia committere audeant, quæ lia prophetæ Baal.

Deinde iubet fieri comparationem inte prophetam & pseudoprophetam. (*Propheta,* inquit, in quo est somnium, narret somnium sum: & is cum quo factum est verbum meum commemoret verè sermonem *meum.*) Et figuratè docet, quale sit discrimen: *Quid palea* ad triticum, dicit Dominus? Nonne ita se haben sermones mei, vt ignis, dicit Dominus? & velu securis scindens *petram?*) Vim diuini verbi parabolis demonstrauit. Mox docet, quàm diuersa sit pseudoprophetarum ratio. Hi siquidem inquit, quorundam furum more, surripiun nonnullos sermones propheticos, quos immutationibus corrumpunt. Alij fingunt falsam prophetiam. Tertij somnia, quæ non viderunt recitant: sicq́; boum instar, ter miserum varie pascentes populum, in nequitia reddunt obsti natum. Tum mandat prophetæ: (*Si interrogauerit* populus iste, sacerdos, aut propheta, dicens, Quod est onus Domini? Dices eis, Vos estis onus Domini, & eijciam vos, dicit Dominus. Et propheta, & sacerdos, & quicunque dixerint, Onus Domini, vlciscar de homine, & domo eius.) Impij prophetas appellabant, sceleStos: & prophetiam, onus. Hortatur ergo Deus ne hac appellatione vtanturiac non obtemperantibus, minatur pœnam. Iubet autem, eos, sic interrogare: (*Quid respondit* Dominus? Quid locutus est Dominus? Et non vltrà nominetur, *onus Domini.*) Iis verò qui mandata transgrediuntur, comminatur, dicens, (*Ecce, ego* assumo vos in onus: & proijciam vos, & ciuitatem quam dedi vobis & patribus vestris, à facie mea. Et dabo vobis opprobrium sempiternũ & ignominiam æternam: quæ nunquam obliuione *delebitur.*) Verùm istud præcepit Domino Deus, tum vt amputaret mores ex malorum dæmonum cultu contractos, tum vt doceret, prophetas non insanire, sed esse diuinorum eloquiorum ministros. Cæterùm post commination em captiuitatis, pollicetur etiam reditum. quem adeò insignem futurum dicit, vt ob eius excellentiam obliuioni tradatur exitus ab Aegypto. Nos autem & propheticos & apostolicos sermones, obsecro, sectemur, & eum qui per hos & illos locutus est, adoremus, eiusq; viuificas leges obseruemus: vt promissis fruamur bonis, per gratiam & beneuolentiam Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri sit gloria, vnà cum sacrosancto Spiritu, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

TOMVS SEXTVS.

CAP. XXIIII.

RVrsum ex parabolis & signis texit prophetiam. Et per quãdam reuelationem videt duos calathos ficubus plenos, sitos ante templum diuinum: idq́ue expresso prophetiæ tẽpore. Nimirum, ait, post Iechoniæ translationem, & regnum Sedeciæ, se hæc vidisse. Et vnum quidem calathum, habentem ficus optimas, & maturas: alterum verò habentem valde deformes, & ad edẽdum prorsus inutiles. Post hæc, accepta de ijs interrogatione diuina, refert eorum, quæ offensa sunt, diuersitatem. Edocetur item, quid per hæc significetur. Deus enim omnium ficubus maturis adsimulauit eos, qui iam fuere captiui, quibus pollicetur inde reditum, suam etiam curam, & cum pietate rerum prosperitatem. Ficubus autem deformibus & non aptis esui, comparat non solùm eos qui relicti fuerunt in Iudæa, sed etiam illos qui confugerunt in Aegyptum, & cum eis regem Sedeciam, & principes, quibus minatur Babyloniorum exercitum, & quæ ex bello nascuntur molestias, famem, pestem, cædem, & captiuitatem. Et his hunc in modum vaticinio prædictis, quid antea euenire debeat, prædicit. Ista siquidem post Iechoniam acciderunt: quæ verò dicturus est, euenerunt temporibus Ioacim regis, patris Iechoniæ. Declarat autem manifestè tempus.

CAP. XXV.

SErmo, qui factus est ad Ieremiam, de omni populo Iudæ, ipse est anno quarto Ioacim filij Iosiæ regis Iudæ: ipse est annus primus Nabuchodonosor regi

Babylonis. Eo anno Nabuchodonosor ducto ad uersus Ierusalem exercitu, quosdam in seruitutem redegit, alijs vbi tributum imperasset, reuersus est. Dicit ergo nonnulla iam dicta. (*A decimo* tertio anno Iosiæ filij Amon regis Iuda. vsque ad captiuitatem hanc iste est tertius & vicesimus annus, factum est verbum Domini ad me, & locutus sum vobis mane consurgens, & *non audistis.*) Multitudinem annorum commemorauit, vt Dei longam patientiam demonstraret: qui illos non obtemperantes, tam diu pertulerit. *Misi enim*, ait, *ad vos seruos meos prophetas.* Denuntio vobis, vt relicta pernicioſa via, pergatis ad alteram vitæ conciliatiuam. (*Et pollicebar* vobis, si hoc faceretis, bona: & non *audistis.*) Sed idolorum cultum præoptastis. Et arguens intentionem incredulitatis & inobedientiæ illorum, subiunxit, (*Vt me ad* iracundiam prouocaretis, in operibus manuum vestrarum, in damnum *vestrum.*) Me enim irritantes, ista perpetrabatis, atqui damnum etiam iamdudú decerpsistis. Propterea, ait, cũ Nabuchodonosor cógregabo reges qui sub eo militant, contra vos & cõtra vicinos vestros, à quibus idolis seruire didicistis: ac regionẽ vestrã, & illorũ tradam penitus in solitudinem. *Et priuabo eos cuncta lætitia.* huius enim sunt propria, *vox sponsi, & vox sponsæ: vox molæ, & lumen lucernæ.* Quam desolationem terminat septuaginta annorum tẽpore. Nam post septuaginta annos tam de rege Babylonis, quàm de subditis eius, ait se pœnas impietatis & iniquitatis esse sumpturum, ac totam Ieremiæ prophetiam impleturum. Quocirca confestim præcipitur ei, (*vt accipiat calicem* vini meri de manu Domini, & potare faciat omnes gentes, ad quas, ait, ego mittam te. Et potabunt, & euoment, & insanient, à facie gladij, quem ego mittam in medium *illorum.*) Calicem vini meri, vocat iustam vltionem. Sic & diuinus Dauid dixit, Qui calix in manu Domini, vini meri plenus mixto. Per hæc verba, *potabunt & euoment*, satietatem significat: per hanc dictionem, *insanient*, acerbitatem vltionis subobscurè designat. Post hæc refert propheta, quomodo potum præbuerit Ierusalem, & ciuitatibus illi subditis, cum regibus & magistratibus, & docet, quæ significentur per calicem. (*Vt ponat* eas in desertum & inuium, in exibilationem, & in maledictionem, hodierna *die.*) Hoc est, hoc tempore. Et appellans inuium, solitudinem innuit. per exibilationem verò, declarat spectantium stuporem. Cùm enim res in deterius mutari videmus, sibilare solemus. His consequens est maledictio. Consueuerunt enim quidam dicere, Hæc patiaris, quæ passus est ille.

Psal.74.b

Addit etiam, se propinasse Pharaoni regi Aegyptiorum, principibus ac subditis eius: & vltra indigenas, etiam aduenis. illos enim permixtos vocat. His, subobscurè dicit, etiam Iudæos qui aufugerint, in eadem mala delapsuros. Refert etiam se propinasse, *regibus Chaldæorum, toti Arabiæ, cunctisq; regibus regionis Hus.* Ita vocauit Idumæam. quod & ipse propheta clariùs docet in sequentibus. Ait enim: (*Propinauit etiam* regibus alienigenarum, Moabitis, Ammonitis, Tyrijs, Sidonijs, Dedan & *Thema.*) Quæ sunt ciuitates Arabiæ, vt ostendimus in interpretationibus aliorum prophetarum. (*Bucito* Persicæ genti, & omni populo, qui est circunsonso *capite.*) Sarracenos dicit. (*Et omnibus* regibus Arabiæ, necnon cunctis regibus permixtis, habitantibus in eremo: ac vniuersis regibus *Zambri.*) Apud Hebræum & Syrum inuenimus Zamram. hic erat Ceturæ filius. Et hi quoque desertum incolebant. *Omnibus regibus Elam.* Et hi sunt gens Persica. (*Cunctis regibus* Medorum ac Persarum. Regibus etiam omnibus subiugatis, tam propinquis, quàm remotis. Et vnicuique contra fratrem *suum.*) Id est, vt se mutuis pœnis impietatis afficiant. (*Cunctis* regnis terræ, quæ sunt super faciem terræ. Et rex Sesach bibet postremus *eorum.*) Regem Babylonis ita appellatum arbitror. Huius enim opera & prædicti; biberunt, & paulò pòst, hunc postremò bibere indicat. quia post pœnas per hunc alijs inflictas, ipse pœnas dedit. Post hæc minatur bibere nolentibus, vel inuitos potaturos. (*Incipiam* enim à ciuitate, ait, in qua nominatum est nomen meum super illam: ab ipsa incipio affligere. Et vos purgatione purgabimini: & non estis *purgati.*) Segregatam, inquit, dedi ciuitatem, & vos effugietis supplicium? Non potest hoc fieri. (*Et prophetabis* aduersum eos, omnes hos sermones: & dices eis, Dominus ab alto ius dicet, & de sancto suo dabit vocem *suam.*) Vtrunque declarauit, se & de cœlo proferre sententiam, & in loco sancto manifestum reddere. (*Respondebit* verbum de loco suo, & nouit, quo pacto qui thus adolent, separandi sint ab omnibus sedentibus super *terram.*) Responsionem dicit, effectum. quia verbum diuinum sequitur effectus. (*Venit interitus* in partem terræ: quoniam Domino iudicium est in gentes: iudicatur cum omni carne. Impij vero traditi sunt in gladium, dicit *Dominus.*) Demonstrat iterum suam indicibilem bonitatem. Non enim dixit, *κρίνει*, id est, iudicabit omnem terram: sed *κρίνεται*, id est, iudicatur et disceptat cum omni carne. Beneficia sua subijcit oculis, & eorum qui accipiunt, arguit ingratitudinem. In sequentibus bellorum incommoda narrat, & quòd interfecti iacebunt insepulti, & pro sterquilinio terræ habebuntur. (*Vlulate* pastores, clamate, plangite arietes ouium. quia completi sunt dies vestri in occisionem, & dispersiones vestræ. & cadetis velut arietes electi. Et peribit fuga à pastoribus, & salus ab arietibus *ouium.*) Pastores, vocauit reges: oues autem, subditos: arietes verò ouium, principes. quibus omnibus fugam minatur, & translationem. Prædicit porrò lamentationes regum ac principum. *Quia cessarunt*, ait, *commoda pacis à facie iræ furoris Domini.* Sunt autem commoda pacis ista, agricultura, plantationes, negociationes, artium & contractuum exercitia, permutationes, nuptiæ, cœtus, festa, delectationes animi, & quæcunque sunt his similia.

CAP.

CAP. XXVI.

POst hanc, alteram rursum subijcit prophetiam, quam regnante Ioacim populo proponere iussus est. Mandatum autem accepit, vt stans in atrio diuino vaticinaretur populo, cunctosq; perferret sermones diuinos. *Ne auferas enim*, ait, *verbum.* Tunc subijcit causam rei futuræ. *Fortasse audient, & conuertetur quisq; à via sua mala. Et cessabo à malis, quæ cogito facere illis, ob studia sua praua.* Dixit, *fortasse*, non quasi ignorans: nouerat enim illorum incredulitatem. Sed ambigua dictione vsus est, ne sententiæ diuinæ attendentes, desperarent de salute. Non absimile dictum est ab Ezechiele, Si fortè audiant: si fortà videant. Non enim hoc ignorandi verbum est: verùm ne dicant, Prædixit incredulitatem nostram. Nunquid mendax est? Qui ergo potest fieri, vt nos immutemur? Docet ita que per ea quæ dicta sunt, eos posse, si velint, suscipere morum mutationem. Ob eam causam etiam apponit comminationem: *Quia si nõ audieritis sermones meos, quos ego vobis pronuntio per prophetas meos, dabo domum hanc, vt Silo. Et ciuitatem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ.* His auditis, sacerdotes, pseudoprophetæ, & omnis populus minantur Prophetæ mortem. Principes autem cùm hæc audissent, concurrerunt ad templum Dei. Cumq; sacerdotes & pseudoprophetæ accusarent prophetam blasphemiæ, vt qui aduersus ciuitatem & templum Dei prophetiam emisisset, dixit propheta, se missum esse à Deo omnium: sermonesq;, quos protulisset, esse oracula diuina. Exhortans autem eos, *Meliores*, inquit, *facite vias vestras, & opera vestra. Audite vocem Domini Dei Vestri: & cessabit Dominus à malis, quæ locutus est contra vos.* Quòd si inobedientes solito vtamini ingenio. *Ecce, ego sum in manibus vestris: facite mihi, prout expedit, & quod vobis melius videbitur.* Moxq; ponit ante oculos fructum homicidij. *Verumtamen scitote & cognoscite, quòd si me occideritis, sanguinem innocentem tradetis contra vos & contra ciuitatem istam. Mandato enim Domini locutus sum sermones istos.* Principes ac populus hęc audientes, reprehendunt iniquam sacerdotum & pseudoprophetarum sententiam: dicentes, innoxium esse Prophetam, vt qui diuinis verbis inseruijsset. Tum quidam è senioribus, reuocatis in memoriam eorum antiquis prophetijs, referunt, Michæam Morasthitem quondã prophetasse, Sion instar agri arandam, & Ierusalem in armarium pomorum redigendam, ac montem domus Domini in saltum & syluam: & cùm talia dixisset, graue nihil passum esse: sed contra extimescentes comminationem, mutata quamprimum vita, iram effugerunt. vos autem, ait, planè atrocia commisistis. Vriam enim Semei filium, qui quondam vaticinatus erat talia, & timens regem Ioacim fugerat in Aegyptum, negligentes permisimus interfici à rege Ioacim: qui abductum illinc iaculis confodit. Planam facit, illum pijs vsum esse sermonibus, atque ait, *Veruntamen manus Achicam filij Saphan, erat cum Ieremia, vt non traderetur in manus populi, ne interficerent illum.*

Ezech. 2 c.

CAP. XXVII.

PEracta hoc modo narratione ista, transit ad aliam hac vetustiorem. *In principio regni Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, factum est verbum istud à Domino ad Ieremiam, dicens.* Deinde narrat, quẽ admodum iussus est, vt collo circumponat vincula, & illa mittat regibus vicinorum, quos nominat. Mandatum est autem ei, vt hos sermones mitteret per legatos: (*Ego feci* terram & cœlos, & iumenta quæcunque sunt super faciem terræ, in virtute mea magna, & brachio meo excelso. Et dabo eam, cuicunque visum fuerit in oculis *meis.*) Posuit istud, *in virtute mea magna, & brachio meo excelso*, propter elementorũ magnitudinem, & imbecillitatem audientium. Sufficit alioqui, ipsum velle, & producere quæ velit, *Et nunc, Ego sum, Dedi terram hanc in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, seruis meis: & bestias agri dedi ei, vt operentur & seruiant ei. Bestias agri*, dicit gentes barbaras. Effector, inquit, sum & Dominus: prout volo, moderor. *Et seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus iræ ipsius.* Manifestè docet, se, postquam vsus fuerit Babylonijs, tanquam carnificibus, & eorum opera de reliquis gentibus pœnas sumpserit, tandem etiam illos internecioni traditurum. His autem qui contradixerint, & à se iugum hoc repulerint, minatur famem, cædem, & captiuitatem.

Condicit etiam eis, ne credant diuinatoribus, vatibus, auguribus, & somniatoribus: sed pareant, & suscipiant iugũ regis Babylonis: & obtẽperantibus pollicetur pacẽ. Eadem dixit Sedeciæ Regi, ac denuntiauit ne crederet pseudoprophetis promittẽtibus pacem, & sacrorũ vasorum, in Babylonem asportatorum, restitutionem. quia mendacia dicunt. *Quòd si sunt prophetæ, & verbum Domini est in eis, occurrant Domino exercituum: vt non veniant in Babylonem vasa, quæ derelicta fuerant in domo Domini, & in domo regis Iuda, & in Ierusalem.* Istud, *occurrant Domino*, pro, impediant, & vincant prædictiones diuinas: & ostendant, prophetias diuinas esse otiosas & vanas. Videbitis enim omnia sacra vasa quæ relicta fuerint, in Babylonem transferri, & post septuaginta annorum tempus inde remitti, & ædi sacræ reddi. De Mechonoth facit mentionem tertius liber Regnorum, & quòd suppleant vsum craterum. constructa autem erant ex ære.

3.reg.7.d

CAP. XXVIII.

POst hæc commemorat, quomodo regnante Sedecia, anno quarto, præsentibus populo & sacerdotibus, Hananias propheta ausus est dicere, (*Hæc dicit* Dominus exercituum; Deus Israel, Contriui iugum regis Babylonis: & intra duos annos, & sacra vasa, quæ asportata sunt, restituam: & Iechoniam reducam, cum omnibus *captiuis,*) Propheta porrò Ieremias, vt ostenderet, se percupere ista euenire, dixit, omnibus audientibus, (*Stabiliat* Dominus sermonem tuum, quem prophetizas, vt referantur vasa domus Domini, & vniuersa colonia, de Babylone in locum *suum.*) Non tamẽ assensione per-

ne permiſit prophetiam confirmari. Dixit enim,(*Verùntamen* audi verbum hoc, quod ego loquar in auribus tuis, & in auribns totius populi:Prophetæ à ſæculo ante me & ante vos fuerunt,& de terris pleriſque, & regnis in gentibus emiſerunt prophetias,tendentes ad bellũ, ad afflictionem,& ad mortem. Qui vaticinatus eſt pacem, cùm euenerit verbum prophetæ,agnoſcetur eſſe propheta, quem verè miſit *Dominus*.)Exitus,inquit,rerum, declarabit veritatem prophetiæ. Videbimus ergo,an iuxta prophetiam meam, trademur Babylonijs. At his nihilo melior effectus eſt ille pſeudopropheta,quin etiam catenas, quas propheta gerebat,contriuit, inquiens ,ſic contritum iri iugum Nabuchodonoſor,duobus annis elapſis. Deus autem omnium admonuit prophetam, vt diceret Hananiæ, (*Catenas* ligneas contriuiſti:& loco earum conficiam catenas *ferreas*.) Ferreum appellauit iugum Babyloniorum,tãquam ob incredulitatem & inobedientiam, grauius futurum ſit ſupplicium. Cæterùm propheta ægrè ferens Hananiæ vaticinium, certò ſciens illud eſſe falſum,dixit ei, (*Audi* ſanè Hanania: Non miſit te Dominus, Et tu feciſti,vt populus hic fiduciam collocaret in rebus *iniquis*.)Prædixitque mortem eius intra paucos menſes.*Quia defectionem*, inquit ,*locutus es contra Dominum*. Quaſi dicat,Inſtruxiſti populum, vt deficeret ab eloquijs diuinis, & crederet mendacio tuo. Commemorat inde obitum pſeudoprophetæ,immenſamque Dei longanimitatem:qui expectans pœnitentiam, non ſtatim priuauit illum vita,ſed cùm perduraſſet in nequitia, poſt ſeptem menſes ,tradidit illum morti.

CAP. XXIX.

TRanſit exinde ad aliam narrationem,&docet,quonam pacto,Deo ita ſuadente,literas miſerit ad captiuos in Babylone,poſt captiuitatem Iechoniæ regis.Recenſet etiam nomina eorum,qui detulerunt literas:quæ continebant iſta,nempe,Deum omnium mandare iam effectis captiuis, vt procreent liberos , domos ædificent,deſpondeant filias , vxores filijs adducant,ſolliciti ſint de augendo genere,deprecentur pro illis qui manciparũt eos. *Quia in pace illorum*, ait,*erit vobis pax*. Huic ſermoni congruit lex ab Apoſtolo lata,quæ denuntiat, vt fiant
1.Tim.2.a. obſecrationes & orationes pro regibus,& omnibus qui in ſublimitate & poteſtate conſtituti ſunt:vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate. Hæc ſiquidem Deus omnium fieri mandauit,vt inſtrueret eos, ne crederent pſeudoprophetis , ſed præfinitũ tempus expectarent. Hoc enim per ſubſequentia declarauit,his verbis, (*Ne perſuadeant* vobis pſeudoprophetæ veſtri,qui ſunt apud vos. Et ne decipiant vos vates veſtri. Neque audiatis ſomnia veſtra,quæ, vos ſomniatis. Quoniam ipſi prophetant vobis iniqua in nomine meo.Non miſi eos,dicit *Dominus*.)Docet etiam tempus reditus. *Completis enim*, inquit , *ſeptuaginta annis,viſitabo vos,& bonas promiſſiones adimplebo*. Promittit autem , illos omnes in ſollicitudinem ſuam ſe recepturum:& precantibus bona præſtaturum. (*Cùm enim*, aît, quæſieritis me in toto corde veſtro,apparebo vobis, dicit Dominus , Hoc tamen ſcitote, quòd eos qui priorem captiuitatem effugerint , traditurus ſum in famem & occiſionem.Et dabo eos ſicut ficus Suarem,quæ comedi nõ poſſunt,eo quòd *ſint peſſimæ*.) Quas ſuprà dixit deformes,hic ap- Sup.24.a
pellauit Suarem. Suarem autem Hebræa voce ſunt,quæ in ſyluis naſcuntur,hoc eſt, agreſtes, incultæ,& minimè dignæ quæ inſerantur , & eſui inutiles. *Et dabo vos in vexationem vniuerſis regnis terræ*. Extimeſcent enim omnes , qui audierint inflictas calamitates, (*In iuramentum*,in, ſibilum,& in opprobrium apud omnes gentes ad quas *diſperſi illos*.)Solent plerique dicere,Vtinam non patiar,quæ paſſus eſt ille. propterea dicit,*in iuramentum* : iſtud verò , *in ſibilum*, frequenter diximus. Opprobrij verò meminit etiam beatus Dauid,Facti ſumus opprobrium Pſal.78.a.
vicinis noſtris:ſubſannatio & illuſio his , qui in circuitu noſtro ſunt. Et iterum , Poſuiſti Pſal. 43.b.
nos in opprobrium gentibus. Hæc autem patientur,inquit,(*Quia miſi* eis ſeruos meos prophetas,diluculo conſurgens & mittens: & non audierunt,dicit *Dominus*.)Per hoc,*diluculo conſurgens*,declarauit diligentiam.Non enim velut acceſſorium habebat illud , ſed coram eorum valde ſtudioſam gerebat. Deinde prædicit interitum duorum pſeudoprophetarum, Achab, & Sedeciæ.(*Dabo enim eos*,inquit,in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis,& percutiet eos ob oculos veſtros.Et aſſument de eis maledictionis prouerbium,in omni colonia Iudæ, & in Babylone, dicentes, Faciat te Dominus, vt feeit Sedeciam & *Achab*.) Apertè diſcimus inde interpretationem maledictionis. Refert quoque ſupplicij modum. (*Quos rex* Babylonis frixit in igne,propter iniquitatem, quam fecerunt *in Iſrael*.)Cuius quidem iniquitatis ſpeciem declarat: (*Et fornicati* ſunt cum vxoribus ciuium ſuorum. Et reſponderunt in nomine meo ſermonem iniquum,quem non reſpondi eis.Ego ſum cognitor & teſtis,dicit *Dominus*.) Nihil enim eorum quæ geruntur,me latet: ſed video vel ea quæ in ſecreto committuntur. Comminatur etiam Semeiæ Nehelamitæ:quippe qui auſus ſit contraria reſpondere , & mittere literas Sophoniæ ſacerdoti, & ſub eo profitentibus ſacerdotibus.Miſit autem literas huiuſmodi,*Dominus dedit te in ſacerdotem, pro Ioiade ſacerdote*. Ioiades,pontifex celebris erat. Volens ergo erigere animum Sophoniæ , mentionem fecit de eius principatu. (*Vt ſis* præfectus in domo Dei,omni viro prophetanti , & omni homini inſanienti:vt tradas eum in carcerem Sinoch,& *in neruum*.)Antea iam diximus,vt prophetas accuſabant , tanquam reprehenſibiles. quod etiam hinc clarum eſt. prophetam enim conſtituit ,inſanientem. Sinoch, interpretatus eſt Syrus, carcerem. Dicit itaque , Propterea principatum geris,vt prophetantes aduerſa,includas & punias. quod patet ex ſequentibus. *Quamobrem*, inquit,*non increpaſtis Ieremiam , qui auſus*

auſus eſt talia ſcribere,vt vos & domos ædificetis ,& planteris hortos? Hanc epiſtolam Sophonias pontifex legit prophetæ.Mox verò Deus omnium admonet prophetam , vt ex aduerſo ſcribens, ſignificet populo in Babylone , Semeiam falſa prædixiſſe,neque eum à Deo vniuerſorum miſſum.Idcirco illum cum toto genere radicitus morti tradam : moleſtiarumq; non videbit mutationem. Quare,qui didicimus iſta,metuamus mendacium,& credamus veritati : & ambiguitate animis expulſa,ſermones diuinos ſectemur:vt bona ſupernæ Ieruſalem videre poſſimus, per gratiam & humanitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti,cum quo Patri ſit gloria, cũ Spiritu ſancto,nunc & ſemper , & in ſæcula ſæculorum,Amen.

TOMVS SEPTIMVS.

CAP. XXX.

DOminus Deus,volens oſtendere veritatem prophetiæ, iubet prophetam mandare ſcriptis prædictiones factas tam de captiuitate,quàm de reuocandis captiuis. In primis tamen prædicit triſtia.(*Sic dixit* Dominus, Vocem formidinis audietis , formido, & non eſt pax. Interrogate ,& videte , an peperit *maſculus*.)Et conſonant ſequentia. Et de formidine,in eo,quòd tenebunt lumbos. (*Propterea* vidi omnem hominem habentem manus ſuas ſuper lumbos, more mulieris *parturientis*,) Nunc quidem ,vt repræſentet dolorem,proponit imaginem parturientis mulieris : alibi verò, vt luctum demonſtraret, dixit, vnumquenq; habere manus complicatas ſuper caput. *Facies omnes ſpeciẽ morbi regij præ ſe ferunt*. Quòd etiam eſt ſignificatiuum formidinis. (*Quia magna* eſt dies illa,& non eſt ei ſimilis. Et tempus anguſtiæ & afflictionis vniuerſo *Iacob*.) Magnitudine ſupplicij,diem nominauit magnam. Poſtea coniungit aduerſis conſolationem. ait enim, *Et ex hoc ſaluabitur*. Et promittit, ſe contriturum iugum ſeruitutis: prædicitque conuerſionem morum. (*Et non* ſeruient vltrà alienis:ſed ſeruient Domino *Deo ſuo*.) *Alienos*, appellauit idola.Etenim vbi cognouerint, Dominum Deum eſſe, qui tum bona ſuppeditat, tum caſtigationes infligit , ante omnia reuerebuntur prophetiam ipſius. *Et Dauid regem ipſorum ſuſcitabo eis*. Prophetiæ finem impoſuit Chriſtus Dominus. E Dauide ſiquidem natus eſt ſecundum carnem:& paſcit iam non Iſraelem modò , ſed omnes gentes. Prædictio hæc euentum quendam habuit , velut in vmbra & figura,tempore Zorobabelis.Hæc vbi pollicitus eſt,rurſum conſolatur eos,dum reuocationem promittit , & Babylonijs minatur interitum.*Profligabo enim*,ait,*omnes gentes, ad quas diſperſite*.Eis autem,bonorum pollicitationes exhibet.(*Te enim*,ait, non faciam in profligationem:& erudiam te in iudicio. Non tamen indemnem & innoxiam *te habebo*.)Quaſi dicat, Caſtigabo & conſolabor. non te permittam carere caſtigatione,nec auxilij expertem relinquam.Hoc enim ſignificat, *Non tamen indemnem & innoxium te habebo*. Perinde ac ſi diceret,non feram,quin ſentias afflictionem.

Deſiderans conuertere nequitiam illorum, ad comminationis atrocitatem addit etiam iſta:*Violenta eſt contritio tua,acerba eſt plaga tua, Non eſt,qui iudicet cauſam tuam*. Nemo enim redarguebat iniuſtitiam regis Nabuchodonoſor: *Acerbe curata es*,hoc eſt,cum dolore.*Non eſt tibi auxilium*. Nunc verò conſtituit auxilium, non in anima:ſed in ſuppetijs humanis. quod indicant ſequentia. *Omnes amici tui obliti ſunt tui. Non interrogabunt de te.Plaga enim hoſtili percuſſite*. Quia non vſus ſum ſolita longanimitate: ſed adhibui ſectionem diuinam. Quod etiam facere conſueuit medicus,perſpiciens difficultatem morbi. Et vt oſtendat, quàm iuſta ſit cauſa ſupplicij, ſubiunxit. *Caſtigationem duram in omnibus iniquitatibus tuis: quia multiplicata ſunt peccata tua*. Quibus conueniunt, quæ ſequuntur:*Quid clamas,propter contritionem tuam? violentus eſt dolor*.& reliqua.Pro,vehemens,ſed tamen iuſtus.*Ob multitudinem iniquitatũ tuarum*, Quia creuerunt peccata tua,procuraueruntibi iſta. Minatur nihilominus cædem & ſeruitutem hoſtibus,qui inſurrexerunt in eis. Qui enim moratem effugerunt,à victoribus in ſeruitutem redacti ſunt. Porrò perſeuerat conſolari eam blandis promiſsionibus,nempe, *Aperiam curationem tuam:ſanabo te à plaga tua acerba,dicit Dominus*.Sectione,ſpongia,auſterioribus atque lenioribus vſus eſt medicamentis. *Quia diſperſa vocata eſt Sion*.Inuolauerant enim in eam vicinæ gentes:quæ captiuitatem & ſeruitutem impoſuerant.*Hæc eſt præda noſtra,quia nemo exquirit eam*. Quando , inquit , aſpernabar eam,& non tuebar, expoſita erat impugnantibns eam , velut parata præda.At propter caſtigationem ſeruitutis,liberabo eos,vt reuertantur , ædificent vrbes,& templum inſtaurent, & celebrent in eo cultum legitimum.Hoc enim dicit,*Et templum ſedebit, ſecundum iudicium eius*.Cumulat etiam ea quæ propriè pertinent ad proſperitatẽ. *Et egredientur ab eis canentes , & vox ludentium*. Promittit etiam eis,incrementũ generis & fœcunditatem.*Effundam enim*, ait,*eos & non imminuentur. Et egredientur filij eorum ,vt prius. Et teſtimonia eorum in conſpectu meo dirigentur*. Τὰ μαρτύρια,id eſt,teſtimonia,Syrus interpretatus eſt ſynagogas.*Et viſitabo cunctos,qui affligunt eos. Et fortiores illis,dominabuntur in illos*. Affligentes,vocat Babylonios: fortiores autem illis ,Medos & Perſas.nempe,qui ſalutem eorum diſſoluerunt. *Et principes eius egredientur ab eo*. Tempore captiuitatis habuerunt regem Babyloniorum pro principe:poſt reditum verò, primùm quidem habuerunt Zorobabelem, & filium Ioſedec: poſtea verò à pontificibus regebantur.
Nam quis eſt ille, qui dedit cor ſuum , vt conuertatur Eccle.2.b
ad me,dicit Dominus? Hoc & alibi dicit,Interrogate generationes quæ fuerunt ante vos. quis credidit Domino,& confuſus eſt?

Poſtmodum exponit tribulationes,quæ illis obue-

obuenerunt ab ira diuina. quam vt oſtendat eſſe iuſtam,ſubijcit, *Ad impios veniet*. Vt autem doceat,ſe poſſe,infert, (*Nequaquam* auertetur ira indignationis Domini,donec fecerit,& donec compleuerit cogitationem *cordis ſui*.)Nam quis reſtitit conſilio eius ? Redarguens incredulitatem eorum,ait, *In nouiſſimis diebus intelligitis ea*,Quoniam verbis non creditis, ipſarum rerum experientia diſcetis.

CAP. XXXI.

RVrſum permiſcens grata triſtibus,reddit rationem eorum. (*Ita dicit* Dominus,Inueni calidum in deſerto,cum his qui perierunt gladio ambulantes in *ſtudijs Iſrael*.(Pro *calido*, Syrus & Hebræus poſuerunt, miſericordiam: & cum eo,græcæ vocis interpretatio quandã habet cognationẽ. Quia dum quis calefit,laxatur ad miſericordiam. *Deſertum* autem, vocat Babylonem: & docet, Dominum deſertum eſſe ſeruientium illic : Et interpretationi per Syrum datæ ſatis quadrant quæ ſequuntur: *Charitate perpetua dilexi te:propterea traxi te in commiſerationem*, Non tua, ait , viuendi ratio cauſa eſt tibi ſalutis: ſed miſericordia mea. Prædicit vero,illos tympanis & alijs inſtrumentis vtentes,denuo choreas ducturos, plantandi ſerendiq; curam habituros,atque celebraturos feſta diuina. Prædicit quoque vnionem tribuum. (*Quia dies eſt* vocationis reſpondentis in montibus Ephraim,Surgite,aſcendamus in Sion, ad Dominum *Deum noſtrum*.) Hi enim qui quondam iuuencas colebat,priſtinorum delictorum rationem reddent:& ad Sion confugient adoraturi Deum vniuerſorum. Hortatur autem illos,vt Deum quidem collaudent cum lætitia: at contra gentes vicinas glorientur, Hoc enim ſignificet,*Himnite ſuper caput gentium*, Et in eo declarate opitulationem diuinam.

Dicit quoque tempus reditus. *Congregabo eos*,inquit,*in feſto Phaſec,ab extremo terræ*.Phaſec autem,per interpretationem,dicitur græca voce,paſcha.Et vt multitudinem eorum indicet, *Inter eos*,inquit,*claudus,cæcus,prægnans & pariens, vnanimi conſenſu cœtus magnus*.In vrbibus ſiquidem populoſis,huius generis omnia reperire licet. Repetito etiam vlulatu,qui audiebatur tempore captiuitatis,prædicit oblectationem, quam animo concipient reuertentes : ſolatia item,quibus fruentur in itinere obeundo. (*In conſolatione*, ait, reducam illos, caſtra metans iuxta torrentes aquarum , in via recta in qua non amplius *errabunt*.) Et oſtendens, quæ cauſa ſit ſollicitudinis,ſubiunxit, *Quia factus ſum Iſraeli in patrem: & Ephraim eſt primogenitus meus*.Ephraim vocat, non filium Ioſeph ,ſed decem tribus: inter quas erat Ruben primogenitus,& Simeon ſecundus. Appellabantur autem Ephraim,decem tribus, eò quod palatia regia conſtructa eſſent in ſorte Ephraim. Et quemadmodum nunc ab vrbe Romanorum dicimur omnes Romani:ita tunc decem tribus denominabantur ab Ephraim. Mandat autem iſta promulgari apud gentes, & cunctis de populo ſignificari reditum. quod factum eſt, non verborum præconio,ſed voce magis clamoſa audierunt omnes ,rebus ipſis clamitantibus. Pollicetur ad hæc , terræ fertilitatem,fœcunditatem iumentorum,& animi lætitiam. Quod autem dicit, *Et inebriabo animam ſacerdotum, filiorum Leui*, pro eo eſt, ac ſi diceret, quibuſuis bonis cumulabo. quod clarum eſt ex ſequentibus:(*Et populus* meus replebitur bonis , dicit Dominus. Sic dixit Dominus, Vox in Rama audita eſt,luctus,fletus,& lamentatio:Rachel plorans filios ſuos,& noluit conſolari propter filios ſuos, quia *non ſunt*.) Rama erat Beniamiticæ tribus. & Rachelis ſepulchrum, eſt in hippodromo Chaphratha,quà venitur in Ephratha. Et finem accepit prophetia ſub Herode primo,qui interfecit infantes, ſperans ſe ſimul occiſurum Saluatorem natum.

Iſta verò poſuit propheta inter promiſſiones bonorum,vt doceat, Domini ac Saluatoris noſtri in carne natiuitatem,eſſe reuera bonum & caput ſalutis. propter quam natiuitatem infantes pertulernnt cædem illam iniquam. (*Hæc dicit* Dominus, Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis. quia eſt merces operibus tuis, dicit Dominus. Et conuertentur filij tui *ad montes ſuos*.)Et docens quorum operũ mercedem pollicetur,ponit ob oculos, eius pœnitentiam,quam egit in Babylone. *Audiens audiui Ephraim lugentem*. Docet etiam, quibus ſermonibus vtebar. *Erudiſti* me Domine, & non ſum eruditus: tanquam vitulus, non ſum *edoctus*.) Idem dixit propheta ſuperius, Flagellaſti eos, & non doluerunt: conſummaſti eos , & noluerunt ſuſcipere diſciplinam. Oſeas etiam propheta ait,Ephraim iuuenca edocta diligere victoriam. Contradicit, inquit , nec ſuſcipit iugum legis. Et iterum,Ephraim factus eſt,vt iuuenca inſaniens.

Sup. 5. a.

Oſea 10. c.

Subijcit præterea , quæ obſecrans dicebat, (*Conuerte* me Domine: & conuertar , quia tu Dominus Deus *meus es*.)Te ſiquidem nolente, non liberabor ſeruitute:(*Quia poſt* captiuitatem meam,pœnitentiam egi, & poſtquam cognoui percuſſi femur meum : & ſuſpiraui in diebus confuſionis *meæ*.) Poſteaquam enim expertus eſt tribulationes,peruenit ad notitiam peccati,quod non ſubticuit beatus Dauid,Priuſquã humiliarer,ego deliqui : propterea eloquium tuum cuſtodiui. Et rurſum,Bonum mihi, quia humiliaſti me : vt diſcam iuſtificationes tuas. Percutere verò femur , proprium eſt dolentium,& pœnitentiam agentium. (*Conuerſus* ſum, & obediui tibi. quia opprobrium accepi ab adoleſcentia *mea*.)Retroactis enim temporibus & ab initio,perdurauit in tranſgreſſione mandatorum tuorum. Demonſtrat itaque beneuolentiam ſuam Dominus,& ait,(*Tu es* filius meus dilectus Ephraim:tu es puerulus in *delicijs*.) pro,delicioſus & gratus. Si perſeueres, ait, eo vti affectu , memor prouidentiæ meæ , bonis perfrueris. Nam & ſequentia pollicitationem apponunt. (*Propterea* quòd verba mea in eo ſunt,adhuc certè recordabor *ipſius*.) Quia pœnitentia vſus eſt, & memor eſt mandatorum meorum , experietur prouidentiam meam.

Pſal. 118. i.

Ibidem.

Cur decem tribus vocentur Ephraim.

Propterea,

Propterea, inquit, *viſitabo eum, & miſerens miſerebor illius*. Hortatur poſtea , vt medicamentis pœnitentiæ vtatur, *Conſtitue te ipſam Sionim*. Hãc dictionẽ,*Sionim*, Syrus eſt interpretatus, ſignaquaſi dicat,Annotari oportebat, quos fructus ex tranſgreſſione decerpſiſti: quæ verò bona tibi cõciliauit pœnitentia. Idcirco admonet, vt ſpontanea caſtigatione vtatur. *Sume de teipſa ſupplicium. Da cor tuum in humeros tuos*. Ac ſi dicat, Impone tibijpſi onus pœnitentiæ:permane in his, quæ recte præelegiſti. Iſtud enim ſubdidit,*In via, qua ambulaſti*, Hortatur poſtea, vt reuertatur, & redeat ad ſuas ciuitates, non tamen luctum deſerat. *Reuertere enim lugens*,ait, *in vrbes tuas*. Nec huiuſmodi luctus aduerſatur lætitiæ cum nos,alioqui fruentes bonis,memores eſſe debeamus propriorum delictorũ,& ea deflere.*Vſquequo auerteris, filia ignominioſa? quia creauit te Dominus in ſalutem, in plantationem nouam,vndequaq; venient homines in ſalute*.Hoc loco apertè oſtendit cauſam reuocationis : cùm per eam vaticinetur, futuram nouam plantationem. Hanc enim mundo attulerunt, qui ex ea nati ſunt,Apoſtoli. quod non obſcurè dicit ſermo propheticus, *vndequaq; venient homines in ſalute*.Hi enim permeantes omnes gẽtes, per Dei cognitionem illis ſalutem attulerunt. Deinde prænuntiat iterum bona , quæ ſunt reditum ſecutura, & naſcentem inde lætitiam. Iſtud autem,*Seminabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda, ſemen hominum, & ſemen iumentorum*, multitudinem deſignat.*in diebus illis*, ait,*non dicent, Patres comederunt vuam acerbam,& dentes filiorum obſtupuerunt: ſed vnuſquiſq; in peccato ſuo morietur: & comedentis vuam acerbam dentes obſtupeſcent*. Clarius etiam hoc Dominus dixit per admirandum Ezechielem:& nos verboſiorem interpretationem compoſuimus. Quod autem dicit, eſt eiuſmodi: Quemadmodum fieri nõ poteſt, vt quis commedat vuam acerbam, & nõ obſtu peſcant dentes comedentis: ſic fieri nequit, vt pœnæ patrum,qui peccauerunt, exigantur à filijs. Et ad confirmandum quod dictũ eſt, ſubijcit quæ ſequũtur:(*Ecce, dies veniunt*,dicit Dominus, & teſtabor domui Iſrael & domui Iuda teſtamentũ nouum,nõ iuxta teſtamentũ, quod teſtatus ſum patribus eorum,in die qua ego apprehendit manum eorum,vt educerem eos de Aegypto: quia ipſi non permanſerunt in teſtamento meo,& ego neglexi eos,*dicit Dominus*.Ita, inquit, fieri nõ poteſt, vt filij luant pœnas pro peccatis paternis:ob idq; filijs polliceor bona, licet patres grauiſsimè peccauerint.

Theodoreti interpretatio in Ezechielem.

Exod. 3. d.

Cæterùm prædictiones non paucas nos docuit contra eos.In primis, vnum eſſe legiſlatorem vtriuſq; teſtamenti:deinde , imperfectionem prioris teſtamenti:præterea , vnigenitum Dei Verbum euangelicorum bonorum fuiſſe nobis ſuppeditatorẽ: ipſum liberaſſe Iſraelem ſeruitute Aegyptiorũ:ipſum itaq;eſſe,qui Moſem alloquẽs,dixit,Ego ſum,qui ſum.Et ſufficiens eſt ſermo ad conuincendam non ſolùm Iudæorũ tranſgreſsionem,ſed etiam denudandam hæreticorum blaſphemiam. *Quoniã hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael, & domui Iuda,poſt dies illos, dicit Dominus*: *Dabo leges meas in mentibus eorum : & in pectore cordis eorum ſcribam eas. Et ero illis in Deum : & ipſi erunt mihi in populum*. Hoc rebus ipſis demonſtrauit nobis Deus. Cùm enim ſacros Apoſtolos abduxiſſet in montem,nõ dedit eis tabulas lapideas ſed in cordibus eorum inſcripſit leges diuinas:& dantibus operã virtuti, beatitudines obtulit. *Non docebit vltrà vnuſquiſque proximum ſuum , & vnuſquiſq; fratrẽ ſuum, dicens, Cognoſce Dominum. quia omnes me cognoſcẽt , à puſillo vſque ad maguum eorũ*. Hæc aũt verba ſortientur effectum in futura vita. In illa enim nõ amplius indigebimus mutua diſciplina: cùm res manifeſtè appareant, & qui eſcãt affectus: & corpora quidem corruptionẽ recipiant , animæ verò ſint expertes mutationis. Solet porrò ſcriptura diuina interm ſcere prophetias. Cõiungit enim ſermonibus de captiuitate, ſermones de reuocatione, Dominus quoq; in ſacris Euangelijs eodẽ cotextu collocat ſermones de Ieruſalem,& de cõſummatione. *Quia propitius ero iniquitatibus eorum: & peccatorum eorum non recordabor amplius*. Donat hoc gratia ſacroſanẽti baptiſmatis. Nam poſt remiſſionem, priorũ delictorum nõ meminit. Tum, vbi oſtendit, ſe ſolis & lunæ, ſtellarumq; eſſe opificem: & mandaſſe, illi quidem,vt conſtituat diem:his verò,vt noctẽ illuſtrent:nutu etiam eius mare commoueri. & placeri , ſubdidit, *Si deſinent leges iſtæ coram me, dicit Dominus, & genus Iſrael deſinet eſſe gens in conſpectu meo, omnibus diebus*.His adiungendum eſt, quod dictũ eſt per Oſeã prophetã:Si fuerit numerus filiorũ Iſrael, velut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient : Ambæ igitur prophetię continent veritatẽ. Non enim omnes qui nati ſunt ex Iſrael , ij ſunt Iſraelitæ: ſed qui Deo crediderũt,& prædicantionẽ ſalutarẽ amplexi ſunt. Ex quib⁹ & per quos Eccleſia cõſtitit per vniuerſam terrã. *Hæc dicit dominus Si exaltatum fuerit cœlũ ſurſum, & ſi terra depreſſa fuerit in cœlum deorſum, & ego reprobabo domũ Iſrael, dicit dominus*. Qua ratione,ait, fieri nõ poteſt, vt cœlũ ſit ſublimius:quã eſt, & terra inferior: ita planè impoſsibile eſt,reijci Iſraelem. *Ecce,dies veniũt, dicit Dominus, & ædificabitur ciuitas Domino, ab Hamaneel vſq; ad portam anguli*. Syrus dicit in in hunc modum, A turre anguli Hamaneel. *Et excurret funiculus dimenſionis eius à conſpectu eorum vſque ad collem Gareb*. Refert nomina locorum,quæ ſunt in circuitu ciuitatis. *Et per circuitum ædificabitur ex electis lapidibus*.id eſt, magnis & validis. *Et vſque ad omnem conuallem Phagarim,& ad Spodiam , & ad vniuerſam Aſaremoth, vſque ad torrentem Cedron: vſq; ad portã anguli equorum orientis,erit Sanctuariũ Domino*.Spondiã appellat,locũ in quem proijciebantur cineres ſacrificiorũ:Phagarium aũt,loca ſacrificandis carnibus deſtinata. Vt verò ſuprà dixit circuitum vrbis:ita nũc diuini templi ambitũ demonſtrat. *Et non euelletur , & non deſtruetur vltrà in ſæculũ*. Ambiguitatẽ iſtorum verborum ſuprà diſſoluit : Deniq;, inquit, loquar de gentibus & regnis de ædificatione & plantatione, Quod ſi gens illa conuerſa: perpetrauerit mala:non adducam illi ea,quæ dixi,proſpera.

Oſee. 1. d.

Rom. 9. d.

Sup. 18. b.

CAP. XXXII.

HO igitur loco pollicitus est ista: at quoniam aduersus Deum & saluatorem nostrum multa dictitarunt, & in seipsos iudiciū prouocarunt. transit hinc ad alteram prophetiam. Cuius vim accepit regni Sedeciæ anno decimo, qui erat annus decimus octauus Nabuchodonosor regi Babylonis. Tunc autem obsidebatur ab eo ciuitas, propheta verò habitabat in carcere in quem iniectus erat à rege Sedecia: quia pronuntiauerat, vrbem capiendam, & regem, populumque in seruitutem redigendum. Ideo, inquit, habitabat, in carcere. Præcipitur ei nihilominus à Deo, vt emat agrum fratris sui. *Tibi enim*, ait, *competit emptio, tanquam cognatione proximiori.* Accessit ad me, qui agrum vendebat: & emi, prout iussus sum: & accepi, omnibus præsentibus, tam venditore quàm testibus, cautionis hac de re instrumentum. quod dedi Baruch, dicens, Deum præcepisse, vt in vase fictuli reconderetur, quò perduraret in multos annos. Istud porrò Deus mandauit fieri, vt re ipsa persuaderet populo, eos è captiuitate reuocandos esse, terramque paternam recepturos. quod ex propheta dixit. *Quia sic dixit Dominus omnipotens Deus Israel, Adhuc possidebuntur domus & agri, & vinea in terra ista.* His ita gestis, ego, inquit, supplicationem obtuli domino, sub his verbis, nempe. Cœli & terræ es opifex, & cuncta intueris. nihilq; te latet, tam ex præsentibus quam futuris. habes etiā thesauros misericordiæ immensos: & exigis pœnas delictorum. Quod si filij paternam imitati fuerint nequitiā, grauiora illis infligis supplicia: eò quòd afflictione paterna non fuerint eruditi.

Et cùm alia eiusmodi multa adiunxisset, repetitis quæ in Aegypto facta sunt, miraculis, donisq; post liberationem inde factam præstitis, nihilominus tamen ingratitudine per eos, qui beneficia acceperant, commissa: percontatur, Quamobrem iussisti me agrum emere, eiusq; rei cautionem scriptam accipere, cùm obsideant hostes, & oppugnent ciuitatem: & qui intus sunt, fame & peste pereāt, vrbsq; vastetur? Quibus respondet Deus: *Ego Dominus, Deus vniuersa carnis. Nunquid me latebit vllus sermo?* Potestne, ait, omnium opifex & Dominus ignorare quippiam eorū quæ geruntur? (*Propterea* hæc dicit Dominus, Tradendo tradetur hæc ciuitas in manus Caldæorum, & in manus Nabuchodonosor regis Babylonis: & capient *eam.*) Deinde narrat, quo pacto, vbi fuerint ingresſi, incendent eam, & domus in quibus sacrificabant Baal, & libabant libamina Dijs alienis. Reprehendit etiam scopum eorum quæ fiebant. *Vt me irritarent.* Trado verò, ait, ciuitatem, ob transgressionem incolarum. *Ex qua enim die illam ædificaui, vsque ad diem hanc, semper lacessere me perseuerarunt. Qua de causa censui abigere illam à facie mea, propter omnem malitiam filiorum Israel & filiorum Iuda. Vno siquidem animo & reges, & sacerdotes, & principes, & vaticinantes mendacia, cum omni populo, verterunt in me terga, & non faciem.* Cùm me derelicto inseruirēt idolis. Beatus quoque Ezechiel docet, quomodo terga prębentes templo, solem adorabant. *Ego verò*, ait, *nunquam non edocui eos veritatem per prophetas.* At illis non suffecit impietas domestica: *quinetiam in æde mihi consecrata, idolorum statuas collocauerunt: & construxerunt aras Baal, in valle filij Ennom, & turres qua sunt in Geb.* Ex hoc etiā loco clarum est, Thophet esse nomen idoli. Baal enim nomen est idolorum generale. Et in his locis, ait, filiorum & filiarum homicidium perpetrare ausi sunt, *Propterea*, inquit, *tradidi vrbem hanc in famem, pestem, stragem, & seruitutē. Mācipatos nihilominus, post præfinitum tempus, participes libertatis efficiam & reducam in terrā paternam: eosq; pristina prouidentia dignos habebo.* Istud aūt, *Et dabo eis cor aliud, & viam aliam: vt timeant me omnibus diebus*: ita intelligi debet, Nimirū per castigationes, & eas subsequentes liberationes cognoscent, me esse solum Deum, & errore pristino liberabuntur. *Et inibo cum eis fœdus sempiternum: quod non auertam post eos.* Adepti fuissent hanc pollicitationem, si voluissent: ipsi verò defecerunt, & gratia priuati sunt. Cùm hæc & his similia copiose dixisset, subdidit, *Et possidebuntur agri in terra, quam tu dicis desertam fore gentibus & iumentis, & tradendam in manus Chaldæorū: & comparabunt argento agros, qui describentur in libro sigillis obsignando.* Respondit ista, ad interrogationem prophetæ: docēs, ideo præcepisse ei, vt agrū emeret, quo veritatem prophetiæ rebus ipsis demonstraret. *Ement enim agros*, inquit, *in terra Beniamin, & in circuitu Ierusalē, & in ciuitatibus Iuda, & in vrbibus montanis, & in oppidis Sephila, & in viribus Nageth.* Vocat Sephila, campestrem regionem: Nageth, meridionalem.

CAP. XXXIII.

ALiam rursum videt postea reuelationē propheta, manēs adhuc in carcere. (*Et ait ad* eū Dominus, Clama ad me, & ego exaudiā te. Et annuntiabo tibi grandia, & firma, quæ *nescis.*) Et postquā ostendit obsidionem, prædicit etiā liberationem. (*Ecce* enim ego obducam ipsi cicatricē, etiā sanitatem, & curabo *eos.*) τὴν συνούλωσιν, id est, cicatricis obductionem, vocat, τὴν τελείαν, id est, perfectā sanitatem. Tum docet, quo pacto gentes reditum intuentes, laudibus extollent liberationis administrum: & qui rectè probeq; viuunt, admirabuntur: qui verò nequitiam amplectuntur, acerbè ferent, dum videbunt prosperè agere ciuitatem, & festa diuina pro more celebrari. (*In diebus* illis & in tempore illo, excitabo cornu Dauidi orientem iustum: & faciet iudicium & iustitiam in *terra.*) Iam diximus superius, ista figuratè tempore Zorobabelis impleta esse: proprie verò Dominum nos docuisse veritatem prohetiæ. Supr. 23. a. *In die illa saluabitur Iudæa, & Ierusalem habitabit confidenter. Et hoc est nomen quo vocabitur, Dominus iustitia nostra.* Hoc nomen etiā superius imposuit, Hebraica voce appellans eam Iosedec. *Quia hæc dicit Dominus, Nō delebitur Dauidi vir sedens super solium domus Israel.* Quod etiā patriarcha Iacob prædixit, Nō deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribus eius: donec veniat, qui repositus est. Et ipse est expectatio gentium. Gen. 49. b. At post Zorobabelem non nouimus quenquam fuisse ducem de tribu Iuda. Reperimus tamen prophetiæ veritatem. Nam tribus regiæ & sacerdotalis facta est commixtio. Sacerdotes autem imperauerunt vsque ad Herodem alienigenam. Quocirca præsens prophetia, his quæ de Dauide dicuntur, connectit ea, quæ pertinent ad sacerdotes. *Et de sacerdotibus*, inquit, *& Leuitis non interibit à facie mea vir, offerens holocaustomata, & adolens sacrificium, & faciens iudicium omnibus diebus.* Cuius prophetiæ videmus euentum. Donato enim iuxta promissionem diuinam nouo testamento, donatū est, etiam sacerdotium secundum ordinem Melchisedec. quod qui adepti sunt, offerunt Deo iugiter sacrificium rationale.

Mox ait, quemadmodum dies non potest esse nox, nec nox dies: ita fieri nequit, vt destruatur regnum Dauidicum. Atq; huius prophetiæ manifestus est exitus. Christus enim ex Dauide secundum carnem ortus, non thronum inferiorem obtinens, sed in eodem cum patre sedens solio, gubernat omnia. Et tamen istud ipsum dicit de sacerdotibus & Leuitis, adeò vt genus illorum conferatur cum potestate cœlesti & arena maris. Ac de ijs quæ dicuntur, testimonium præbent res ipsæ. Terra namque vniuersa & mare plena sunt pontificibus & diaconis, Leuitico munere fungentibus. Explosa igitur prorsus impiorū opinione, per eum recitata, qua asserebant, Deum elegisse duas tribus, regiam, & sacerdotalem, pollicitus est iterum, quæ iam prædixerat.

CAP. XXXIIII.

HAc sic conclusula prophetia, se confert ad aliā: & iubetur dicere Sedeciæ regi, cùm hostes in obsidione perseuerarent, nempe, Capietur ciuitas, & igne succendetur: & qui te ceperint, adducent ad regem Babyloniorum: veruntamen effugies mortem: sed captiuus abductus, in terra aliena habitabis: & in pace finem vitæ suscipies, atque exequijs debitis exornaberis à propinquis tuis. Et hæc, inquit, dixi regi hostibus non modò. Ierusalem obsidentibus, sed & reliqua Iudææ oppida. Cæterum huic prophetiæ aliam eiusdem sententiæ connectit. Iussit Sedecias, seruos Hebræos iuxta legem diuinam liberos dimitti. Lex enim aperte statuit, illos, sex quidē annos seruire, septimo autem anno libertatem consequi. Cumque, his auditis: omnes libertatem seruis suis dedissent, illos in pristinam seruitutem denuo redegerunt, peruersa vsi pœnitentia. Indignatus ergo Deus omnium, illis quidem reuocat in memoriam seruitutem Aegyptiacam, & collatam eis libertatem, & deinceps legum datarum sanctionem. Conqueritur autem, quòd diligant quidem legis obseruationem, sed per pœnitentiam conculcent eam. (*Conuersi* enim estis, ait, vt faceretis quod rectum est in oculis meis, & prædicaretis quisque manumissionem proximi sui: qui inijstis pactum in conspectu meo, in domo, in qua inuocatum est nomē meum super *eam.*) Intus enim, in æde

mihi consecrata, cum fecissent pactum de manumissione, me præsente, confestim istud transgressi sunt. Quoniam ergo noluistis dimissionem facere, (*Ecce*, ego accerso vobis dimissionem, dicit Dominus, ad gladium, ad mortem, & ad famem. Et dabo vos in dispersionem cunctis regnis *terræ.*) Reprehendit etiam iurisiurandi transgressionem. *Et dabo homines, qui transgressi sunt pactum meum, qui non steterunt verbis pacti, quod pepigerunt coram me, vitulum quem diuiserunt in duo, & transierunt per medium duorum membrorum eius, principes Iuda, principes Ierusalem, potentes, sacerdotes, & cunctum populum terræ, qui trāsierunt per medium duarum portionum vituli.* Quondam ita iurare consueuerat. Profecto etiam Deus omnium, cum fœdera iniret cum Abraham: vbi iussisset, arietem trimum & vitulum ac hircum similis ætatis, in duas partes diuidi, easque ex aduerso collocari: transire fecit clibanum fumantem & lampadem ardentem, per medium ambarum portionum: paciscens cum eo, iuxta morem qui tunc vigebat. Istud etiam hi fecerunt, qui de libertate seruorum Hebræorum promissiones emiserunt, & voluerunt iureiurando firmare libertatē: sed mox ipsum transgressi sunt. Quapropter minatur, se traditurū eos hostibus, & prostituturū corpora eorum bestijs deuoranda: necnon regi principibusq; seruitutis iugum impositurum.

CAP. XXXV.

HAc prophetia finita, mentionem facit antiquioris prædictionis. In diebus enim Ioacim. filij Iosiæ regis Iuda, mandatum est, vt ducerem filios Rechab in templum Dei: illisque præberem vinum in vna aularum. (*Ego vero*, inquit, mandatum impleui: & propositis vasis fictilib⁹ vino plenis, denūtiaui vt biberēt. Contradicebant autem illi, dicentes, Nequaquam bibimus vinum quia Ionadab, filius Rechab, pater noster, pręcipit nobis dicens, Ne biberitis vinū vos & filij vestri, vsq; in sæculū: & domos ne ædificaueritis, nec semē seminaueritis: & vineas nō plantabitis, nec erūt vobis. Sed in tabernaculis habitabitis omnibus diebus vestris: vt diu viuere possitis super terram, in qua vos commoramini. Hos, inquit, sermones audientes, mandata paterna obseruauimus, cum vxoribus & filijs. Et domus non ædificauimus, nec de colendis agris solliciti fuimus: sed vsque in præsentem diem continenter in tabernaculis habitauimus Nunc verò à venientibus Babylonijs, ad vrbem hanc confugere coacti *sumus.*) Admiratione digna est paterna legislatio, & filiorum atq; posterorum prompta obedientia. Quippe qui vitam curis vacuam, & prædijs carentem adamauerūt: & (quod maxime omnium superat opinionem) habentes liberos, parui pendebant possessiones, toti, quoad se suaque, à fiducia in Deum pendentes. Quod si tempore legis, quæ continebat imperfectionem, propter infirmitatem eorum quæ lege cauebantur, summā philosophiam amplexi sunt isti, quales esse debuerunt, qui

legem euangelicam audierunt? At verò Deus omnium iubet prophetam dicere cunctis habitantibus Ieruſalem, Hi nempe patris quidem mandatum obſeruantes, noluerunt bibere vinum: vos autem, qui noctu diuque propheticas diſciplinas excipitis, iuxta leges meas non conuerſamini. Quapropter omnimodas calamitates vobis inueham: poſteris autem Rechab, qui mandatum patris ſeruauerunt, bonorum omnium præſtantiſsimum pollicetur. *Non deficiet*, inquit, *vir de filijs Ionadab, filij Rechab, qui ſtet in conſpectu meo, cunctis diebus terræ.* Sciendum tamen eſt, omnem eum vocari filium Ionadab, filij Rechab, qui leges illas obſeruabat.

CAP. XXXVI.

Narrat poſtea, quomodo iuſſus eſt deſcribere omnem prophetiam. Capita autem libri, vocat volumina: quibus ad præſens vſq; tempus Iudæi libenter vſi ſunt. Probabile ſiquidem eſt, eos qui accurratius didicerant afflictiones, quas cōminatus erat Deus, pœnitentia conſecutos eſſe ſalutem. Peragit propheta iuſſum: & ipſe, diuina quidem implſus gratia, dictabat vaticinia: Baruch autem ſcriptis excipiebat. Cumque impediretur (nempe, carcere incluſus) ne templum Dei ingrederetur: mandat Barucho, vt populo legat, quæ ſcripſerat. Itaque non pauco tempore elapſo, cùm publicè celebraretur ieiunium, legit Baruch prophetiam. Vnus porrò eorum qui audierant, maiore ductus religione, indicat principibus tribulationes, quas cominabatur Deus. qui acerſitum Baruch relegere iuſſerunt. Et perterriti, ſcire conabantur, quis hæc ſcripſiſſet. Baruch autem declarauit, nimirum Ieremias diuina afflatus gratia, iſta ſcribere me iuſſit. At principes librum tradiderunt ſcribæ regio: Baruchum autem hortati ſunt, vt fugeret. Nuntiauerunt autem quæ ſcripta erant, regi. qui quidem ſcribam adducens, legere iubet. Et cùm eſſet impius, & tranſgreſſor legis, abſcindens paginas quæ recitabantur, igni tradebat. Nam propter tempus hibernum appoſitus erat focus igneus. *Et non inquiſierunt*, ait, *Dominū, & non ſciderunt veſtimenta ſua rex & omnes ſerui eius, qui audierunt omnes hos ſermones.* Verùm, ſicut horum extremam ſtupiditatem accuſat: ſic laudat Elnathan, Dalaiam, & Gamariam. quoniam illi ſuggerebant regi, ne librum combureret. *Et non audiuit eos.* Nec contentus eſt rex impius iniquitate perpetrata: quinetiam Baruch & Ieremiam comprehendi mandauit. At Deus vniuerſorum præcepit Ieremiæ, vt priſtinos ſermones in alio libro deſcriberet. Charta enim exuſta fuit, ſed lex diuina permāſit illæſa. Hunc in modum, corpus quidem aſſumptum paſſum eſt, Verbum autem permaſit, paſsioni nequaquam obnoxium. Verum iuſſus eſt propheta iſta dicere Ioacim, *Hæc dicit Dominus, Tu exuſsiſti librum hūc, inquiens, Quare ſcripſiſti in eo, dicens, Feſtinus veniet rex Babylonis, & vaſtabit terram hanc, & ceſſare faciet ex illa hominem & iumentum? Propterea ſic dixit Dominus contra Ioacim regem Iuda, Non erit ei, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid. Et cadauer eius proijcietur ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem.* Certiſsima prophetia. Etſi enim regnauit Iechonias filius eius, poſt tres tamen menſes abductus eſt captiuus. Minatur porrò ei totique domui exitium, vrbi vaſtationem, & populo iam dictas afflictones. Executus eſt itaque propheta mandatum & miniſterio Baruch iterum ſcripſit prophetiam. *In qua plures*, ait, *additi ſunt ſermones, quàm iſti.* Ob id enim, quòd rex impius iniquo animo ferebat comminationes. quas audierat, Dominus iuſſit eas copioſius deſcribi. Nos verò diuinas, quæſo metuamus comminationes, & fauſtis credamns pollitationibus: vitamque dignam viuamus vocatione, qua vocati ſumus: vt & comminationum periculum effugere, & promiſsis frui bonis poſsimus: per gratiam & benignitatem Domini noſtri Ieſu Criſti, cum quo patrem decet gloria, vna cum ſanctiſsimo Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

TOMVS OCTAVVS.

CAP. XXXVII.

Enarraturus diuinus propheta circunſtantias, captiuitatem vrbis ſpectantes docet in primis in qua ætate Sedecias regnare cœpit, quantoque tempore regnauerit: & obſidionis tempore, cùm didiciſſet prædictiones contra ſe & contra vrbem per prophetā enuntiatas, eum nuntijs quibuſdam miſsis obſecrauiſſe prophetam, vt pro eo ſupplicationes offerret Deo. Eo enim tempore non habitabat in carcere: ſed ſine metu degebat in vrbe.

Cùm autem Babylonij obſiderent vrbem, in auxilium Iudæorum venerunt Aegyptij, ad opem ſcilicet ferendam à rege accerſiti. Quod cum intellexiſſent Chaldæi, deſtiterunt ab obſidione. Igitur Dominus Deus indicit Prophetæ, vt denuntiet regi & principibus, ne fidant auxilio Aegyptiorum, neue caldæos contemnant. Nam Aegyptij cæptum auxilium citiſſimè deſerent, & Chaldæi denuo reuerſi obſidebunt vrbem & incendent. Atque vt doceat, ſe contra eos ſententiam tuliſſe, ſubiungit etiam iſta, *Quin etſi percuſſeretis vniuerſum exercitū Chaldæorum, qui vos impugnant, & inter eos relicti fuerint viri quidam vulnerati, quiſque in tentorio ſuo: exurgent iſti, & ſuccendent vrbem igne.* Neque verò exiſtimetis, vos ſuperaturos fortitudinem Chaldæorum. Sufficiunt enim vel pauci vulnerati, qui propter infirmitatē relicti ſunt in tētorijs, ad vos penitus delendos. quia peccatū vos reddidit imbecilles. Deinde refert, quo pacto, datis eis quibuſdam inducijs, eò quòd ſe ſubduxiſſent Chaldæi, ipſe quidem volens emere paneſe, greſſus eſt ad familiares ſuos, quidam autē Ierias, qui ſuſpicabatur, illum profugere ad hoſtes, detulit apud principes. qui cùm audiſſent,

audiſſent, incluſerunt eum, non in cuſtodia publica: nam plena erat, inquit, illa: ſed in domo Ionathan ſcribe. Tranſactis porrò diebus non paucis, occultè quidem accerſit eum Sedecias, & rogat, ſitne ſermo à Domino: Propheta verò prædicit ei captiuitatem. & poſtquā prædixit, conqueritur de iniuria in ſe commiſſa. (*Qua enim, inquit iniuria te affeci, & ſeruos tuos, vt me traderetis in domum cuſtodiæ? Et vbi ſunt prophetæ veſtri, qui prophetarunt vobis, dicentes, Nequaquam veniet rex Babylonis ad vos in terram hanc?*) Cùm rex ipſæ, inquit, demonſtrauerint prophetiæ meæ veritatem, veſtrorū autem prophetarum mendacium iuſtè iudicandum erat: & ſumēdæ pœnæ de ijs qui mentiebantur, non de eo qui vera vaticinatus eſt. Tū præcatur, vt liberetur à domo ſcribæ. Sedecias verò inde quidem eduxit illum, ſed remiſit eum in carcerem publicum: & præcepit, ſingulis diebus vnum panem ſuppeditari.

CAP. XXXVIII.

Qvidam tamen è principibus, qui ægrè ferebant vaticinia Prophetæ contra vrbem vaticinantis, eò quòd diceret, adepturos ſalutem eos qui transfugiſſent ad Chaldæos: qui verò paſsi eſſent obſidionem, perdendos: irritarunt regem aduerſus prophetam, dicentes, eium eiuſmodi vaticinationibus remittere animos alacres militum pugnandi facultate valentium. Rex autem parum prudens tradidit prophetam delatoribus. qui accepta poteſtate, exercentes in eum animi motum, miſerunt illum in lacum fœtidum & cænoſum. Nullusque Iudæorum tulit opem prophetæ tales pœnas luenti, diuinorum eloquiorum nomine. Abdemelech autem enuchus, vir Aethiops, redarguebat regem, & clamàbat audacter. Perperam egiſti. Nam quaſi non ſint amplius in vrbe panes, virum Dei fame enecari feciſti. Sedecias verò, reprehenſione benignè accepta, conſtituit Abdemelech ſalutis prophetæ miniſtrū. quia alijs adiutoribus aſſumptis, cum proieciſſet prophetæ vetuſtos panniculos, & hos ſub axillis circa funē mittere iuſsiſſet, extraxit eum ex lacu Chereth (Chereth autem vocat lacum) Eductum verò eum, & in carcere manentem, *rex iterum acciuit, & introduxit ad ſe domum in ἀσαλισαὴλ, quæ erat in domo Domini.* Hoc Syrus interpretatus eſt, intra tertium oſtium. Præcatur autem prophetam, vt indicet ei verbum Dei, & ne celet veritaiem. Ait vero propheta. *Si annuntiauero tibi, nonne occides me? Et ſi dedero tibi conſilium, uon audies me.* Nouerat ſiquidem, vt propheta futura: & experientiam habebat magriſtrā. Et cùm rex iuraſſet nobis, ſe non traditurum illum impijs, dixit iterum, (*Si egrediens* egreſſus fueris ad ducem regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non ſuccendetur igne. Et viues tu, & domus tua. Quòd ſi tu non exieris ad principes regis Babylonis, & tradetur ciuitas hæc in manus regis Chaldæorum, & incendent eam igne, & tu non ſaluaberis è manibus *eorum.*) Frequenter iſta predixit: At inquirendum eſt, quamobrem exeuntibus quidem pollicetur ſalutem: non exeuntibus autem, exitium comminatur. Sedecias iureiurando promiſerat regi Nabuchodonoſor, quando promouit eum in regem, ſe ſoluturum tributum, & fædera amicitiæ erga illum, qui eum regem creauerat, ſeruaturum. At paulò pòſt tranſgreſſus pacta conuenta, & tributum non ſoluit, & ad Aegyptios effugit. Quare, cùm ille non per idola anima carentia, ſed per omnium opificem iuraſſet, & iuſiurandum auſſus eſſet prætergredi, Dominus Deus præcipit Chaldæis, vt egrediantur, & hunc in modum caſtigent iuriſiurandi tranſgreſsionem. Sedecias nihilominus dicit Prophetæ. *Ego habeo rationem Iudæorum, qui profugerunt ad Chaldæos, ne tradant me in manus eorum, & illudāt mihi.* Vereor, inquit, ne ridiculus fiam his, qui transfugerunt. Ipſe ni hilominus propheta rurſum adhortatur: & non credenti, comminationem adijcit: *Ecce, enim*, ait, *omnes mulieres, quæ derelictæ fuerunt in domo regis Iuda, abducuntur ad principes regni Babylonis, & hæ dicūt, Deceperunt te, & præualuerunt tibi uiri pacifici tui. fortiores te erunt, in lapſu pedis tui.* Metuis inquit, ne illudaris à transfugis: videbis poſt hæc, vrbe capta, è domibus regijs extrahi mulieres, reducentes tibi in memoriam, errorem pſeudoprophetarum, & dicentes, Hi nempe tibi procurrarunt iſta, qui pollicebantur pacem, & apud te potiebantur honore: & ob eam cauſam à diuinis legibus delabi te fecerunt. (*Et* omnes vxores tuas & filios tuos educent ad Chaldæos: & ciuitas in cendetur: & tu abduceris *captiuus.*) Atqui rex attonitus, permanſit incredulus admonuit tamen prophetam, ne cuipiam principum indicaret, quæ dicta ſunt: ſed diceret, ſupplicabam regi, ne me remitteret in illum moleſtiſsimum carcerem. Deinde commemorat, vt venerunt, & diſcere tentauerunt, quæ dicta erant regi. quibus perſuaſit, ſe proſecutum quæ ad carcerem pertinebant.

CAP. XXXIX.

Hinc deinceps enarrat, quæ geſta ſunt, dum vrbs caperetur: & ait, anno quidem nono regni Sedecie exercitum adduxiſſe Babylonios: vndecimo verò anno Sedeciæ, menſe quarto, nona die menſis, murum deiectum eſſe, hoſtes autem impetum feciſſe in vrbem. quo facto, fugit Sedecias, & omnes qui de robor gloriabantur. (*Perſecuti* verò Chaldæi, anteuerterunt eum, & compræhenderunt iuxta vrbem *Iericho.*) Araboth autem eſt Iericho: ab occaſu vrbis Iericho, ait, *Et abduxerunt eum in Reblatha, quæ eſt in terra Emath.* Subditus eſt autem locus ille regioni Emeſan: ita vt manifeſtum ſit, Emath hic vocari Emeſan, *Et locutus eſt cum eo iudicia.* Quaſi diceret, Reprehendit tranſgreſsionem iuriſiurandi, & maleuolentiam atque ingratitudinem, quam cōmiſerat in illum, qui de eo bene meritus erat, & eum regem creauerat: conuictoq; de iniuſtia, pœnas infligit. Et primùm quidem, eo ſpectante, interfecit pueros, & omnes honoratiores & nobiliores. Et cùm ſic eum triſtium rerum ſpectaculo puniuiſſet, priuauit oculis.

Refert etiam, quemadmodum regia palatia & alias domos incenderunt, & muros vrbis deſtruxerunt: reliquos Nabuzardan præfectus culinæ regię redegit in ſeruitutem. Quoſdam verò paucos in paupertate viuentes reliquit quibus terram colere præcepit. (*Et præceperat* Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieremia, Nabuzardan, dicens, Tolle eum, & pone oculos tuos ſuper eum: nihilq; ei mali facias: ſed prout dixerit tibi, ſic facies *cum eo*.) Auxerunt crimen Iudæorum Nabuchodonoſor rex, & Abdemelech Aethiops. Hi enim, cùm ſint alienigenæ, ſolati ſunt prophetã: Iudæi verò, in verbis propheticis enutriti, diuinis ſermonibus attendere noluerunt, & prophetas quibuſuis ſupplicijs ſubegerunt. Effectum tamen ſortita eſt promiſsio diuina. Ná cùm Deus illum creaſſet prophetam, pollicitus eſt, oſtenſurum illum inuictum, & columnæ ferreæ, muroq; æneo ſimilem: quia impugnabunt illum, at non euadent ſuperiores. Porrò Nabuzardan & vniuerſa principum decuria tranſtulerunt Ieremiam è carcere & traderunt Godoliæ, quem iuſſerat rex imperare relictis in Iudæa. Poſtulauit autem propheta inſtrumentum emptionis: & quæ de Abdemelech prædicta erant à Deo, exitum habuerunt. Nihil enim apud eum neglectum aut irremuneratum. Tunc, ait, promiſit Deus iſta inquiens, (*Ecce*, ego induco verbum meum ſuper ciuitatem iſtam in mala, & non in bona. Et erãt in conſpectu tuo in die illa, Et ſaluabo te in die illa, dicit dominus. Et no dabo te in manus hominũ, à quorum facie reformidas. Et eruens liberabo te, & gladio non cades, Et erit anima tua in lucrum: quia in me habuiſti
Pſal. 146.a fiduciã, dicit *dominus*.) Verè beatus, cuius Deus Iacob adiutor eius: & ſpes eius in Domino
Pſal. 143. d. Deo ipſius. Et, Beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Quid enim Sedeciæ profuit regnũ? Quid verò nocuit Abdemelech ſeruitus? Nam ille quidem, propter impietatem, paſſus eſt ea omnia: hic autem, ob pietatem, non expertus eſt mala.

CAP. XL.

DOcet deinceps propheta, quæ Nabuzardan princeps coquorum dixit ei: (*Dominus* Deus tuus locutus eſt mala hæc ſuper ciuitatem iſtam, & adduxit. Et fecit dominus, ſicut dixit: quia peccaſtis ei, & non audiuiſtis vocem eius: & verbum hoc factum eſt *vobis*.) Ex hoc etiam loco manifeſtum eſt, Deum, vt de alijs gentibus bene mereretur, initio elegiſſe Iſraelem. Nam & miracula, quæ in gratiam eorum facta ſunt, omnes in ſtuporem trahebant: & apertè docebant, Deum illorum, eſſe ſolum verum Deum: & rurſum, aduerſa quæ illis contingebant, accuſabant eorum iniquitatem: Dei verò ſententiam iuſtam prædicabant. Quã primùm ergo dixit Nabuzardan, & illos meritò pœnas dediſſe, & Deum iuſtè feciſſe, poſtea dat optionem prophetæ: & pollicetur obſequium in Babylone, ſi illius habitationem elegerit: promittit etiam, ſe relicturum, ſi hoc maluerit. Et ait, (*Ecce*, omnis terra, in conſpectu tuo eſt: quò bonum fuerit & commodum vt vadas, perge: & priuſquam ego diſcedam, progredere tu, & diuertere ad Godoliam, filium Achicam, filij Saphan: quem conſtituit Rex Babylonis in terra Iuda: & habita cũ eo in medio populi tui. Sin minus, ad omnia quæ bona viſa fuerint in oculis tuis vt vadas, *vade*.) Tui iuris es, ait, extra poteſtatem meam degis, ſub diuino es Dominio: quod tibi placuerit, age. His & ſimilibus vſus ſermonibus: cùm plurima munera dediſſet, abijt: Propheta verò ſe contulit ad Godoliam. Tum memorat propheta, quo pacto principes, qui aufugerant, vbi datam Godoliæ poteſtatem intellexerunt, concurrebãt ad eũ. Godolias verò interpoſito iureiurando, ſuadebat, eos nullam à Chaldæis moleſtiam eſſe paſſuros. Et exhortatus eſt incolas terræ, vt colligerent fructus, & pacificè fruerentur bonis pacis. Reuerſi ſunt etiam, qui confugerant ad Idumeos, Moabitas, & Ammonitas, cùm didiciſſent. Godoliam conſtitutum eſſe principem. Exinde docet, qui Iohanan cum alijs principibus indicauit Godoliæ, inſidias quaſdam, quæ ſtruebantur ab Iſmaele, ſed eos qui indicabãt: perſuadere non potuiſſe, quod vera dicerent. Qui etiam voluerit Iohanan clàm interficere Iſmahelem. (*Ne* interficiat, inquit, animam tuam: & diſsipentur omnes Iudæi, qui congregati ſunt apud te: & pereant reliquiæ *Iudæ*.) Sed neque etiam auditis permiſit Godolias: ſed conatum prohibuit, delationem vocans calumniam.

CAP. XLI.

SEptem verò menſibus elapſis, iterum acceſſit Iſmahel: qui cùm eſſet de genere regio, & eiuſdem cum ipſo menſæ paticeps, interfecit Godoliam, cunctoſq; qui cum illo inuẽti ſunt, Chaldæos & Iudæos. (*Duobus* aũt diebus præteritis, venerunt, inquit, viri de Sichem & Salem, & de Samaria, octoginta viri, raſa barba, & ſciſsis veſtibus, plangentes, & manna & thus in manibus eorum, vt inferrent in domum *Domini*.) Tam Hebreus quàm Syrus appellat Salem, Silo. Docet autem, Iſmahelem iaculis confodiſſe hos omnes, & eorum cadauera proiciſſe in puteum. At quidam alij decem procumbentes, præcibus petierunt ab Iſmahale, vt cædem cohiberet, polliciti, ſe theſauros aliquos ipſi indicaturos. His omnibus peractis, abijt, aſſumptis cunctis qui ſupererant: & fugit ad Ammonitas. Iohanan porrò vbi cum alijs principibus intellexiſſet quæ geſta ſunt, congregatis copijs duxit exercitum aduerſus Iſmahelem. Qui verò mancipati fuerant ab Iſmahele, cùm videret expeditiones in eum venientes, lætati ſunt, & ad eas perrexerunt, Iſmahel autem cum octo viris Ammonitis aufugit. Et hæc quidem Iudæis enuntiabat ſententia diuina. Nam cum exiſtimarent hoſtes fugiſſe, traditi ſunt mutuis dexteris. Cæterùm Iohanan coacta horum multitudine cupiens fugere in Aegyptũ, eò quòd metueret Chaldæos, ob Godoliam interfectum, contulit ſeſe in pagum vrbi Bethlehem proximum.

CAP.

CAP. XLII.

CVncti nihilominus principes ac populus vnà rogant prophetam, his verbis, (*Cadat* miſeratio noſtri in conſpectu tuo, & deprecare Dominum Deum tuum pro reliquijs iſtis. quia relicti ſumus pauci ex multis, ſicut oculi tui nos intuentur. Et annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus, et verbũ quod *faciamus*.) Rectè quidem ſupplicant, cupientes diſcere quid agendum ſit: ſed more ſuo, non credunt, & legibus diuinis contradicunt. Attamen propheta ſe ſupplicaturum promittit, at illos iuſsis non adhibituros animum. Illi contra polliciti ſunt, per omnia obſecuturos, ac iureiurando firmarunt promiſsionem. *Sit enim*, inquit, Dominus inter nos teſtis iuſtus ac fidelis, quia iuxta ſermonem in quo miſerit te Dominus Deus ad nos, ſic faciemus, ſiue bonum ſiue malum: & vocem Domini Dei noſtri, ad quem te mittimus, audiemus: vt melius nobis ſit, eò quòd audierimus vocem Domini *Dei noſtri*.) Verba quidem pietatis plena: ſed verbis non conſonant opera. Non enim propheta reſponſum accepit, niſi certis diebus tranſactis. Reſponſionis autem dilationem, exiſtimo ceſsiſſe in vtilitatem poſtulantium: vt cognoſcerent, Deum vix ſuſcepiſſe prophetæ ſupplicationem. Ipſe ergo propheta dicit, Deum præcepiſſe, vt permaneant in terra. (*Omnem* ſiquidem veſtri curam geram, ait. Et ædificabo vos, & non deſtruam: & plantabo vos, & non euellam. Quia placatus ſum ſuper malis, quæ dixi me facturum *vobis*.) Expellit autem ab eis metum, & confidere iubet. (*Nolite metuere*, inquit, à facie regis Babylonis, à cuius conſpectu formidatis: quia vobiſcum ſum ego, vt ſaluos vos faciam, & eruam vos de *manu eius*.) Pollicetur etiam captiuorum reuocationem. (*Quòd ſi* reſtiteritis, inquit, verbis meis, vt venia tis in *Aegyptum*:) nitentes hac via hoſtes effugere, mittam illuc hoſtes, quos formidatis. (*Eueniet enim*, ait, vt gladius, à cuius facie extimeſcitis, illic ſit, & inueniat vos in terra Aegypti. Fames rurſum, quam exhorreſcitis, irruet in vos *in terra illa*.) Hiſque latius dictis, ſubdit & iſta, (*Quemadmodum* diſtillauit furor meus & ira mea ſuper habitantes Ieruſalem: ita ſtillabit furor meus ſuper vos, vbi ingreſsi fueritis Aegyptum. Et eritis in deſertum, & mancipati, & in maledictionem & in opprobrium. nec videbitis vltrà *locum iſtum*. Oſtendit, homines perſpicere potuiſſe magnitudinem potentiæ: cùm afflictiones Iudæis illatas, vocauerit guttas furoris, hoc eſt, iracundæ operationis.

Poſtmodum prophetã reuocat eis in memoriam pollicitationes & iuſiurandum. (*Vos enim*, inquit, miſiſtis me ad Dominum Deum veſtrum, dicentes, Precare pro nobis: & omnia quæcunque locutus fuerit Dominus Deus noſter, renuntia nobis, & faciemus: & annuntiaui vobis hodie, & non audiuiſtis vocem Domini Dei veſtri, iuxta omnia quæ miſit ad vos. Et nunc cognoſcitis, vos gladio, fame, & morte perituros, in loco iſto, in quo ingreſsi vultis *habitare*.) Quæ enim vitare conamini, reperietis in Aegypto.

CAP. XLIII.

CVm hæc audiſſent, qui præerant populo, arrogantiæ & audaciæ dediti erant: & obliti tam admonitionum quàm iuriſiurandi præſtiti, auſi ſunt dicere prophetæ, (*Loqueris tu mendacia*. Non miſit te Dominus Deus noſter, ad nos, dicens, Nolite ingredi in Aegyptum: ſed Baruch, filius Neriæ ſuſcitat te contra nos, vt tradamur in manus Chaldæorum, & interficiant nos, & migrare nos faciant in *Babylonem*.) Hæc vt dixerunt Ieremiæ, manifeſtò tranſgredientes præſtita ſacramenta, cum vniuerſo populo congregato, magno impetu ſe contulerunt in Aegyptum, quò abduxerunt etiam ipſum prophetam & Baruch. Taphnis igitur, quę etiam eſt ciuitas Aegypti, iubetur propheta ſumere lapides, & hos, ſpectantibus Iudæis, recondere pro foribus palatiorum regiorum, ac iſta prænuntiare, (*Ecce, ego mitto* & adduco Nabuchodonoſor regem Babylonis, ſeruum meum: & imponet ſolium ſuum ſuper lapides iſtos, & tollet arma ſua ſuper eos. Et ex Aegyptijs quoſdam interficiet, alios autem in ſeruitutem redactos, traducet. Incendet quoque delubra idolorum: ipſa verò comprehendet *captiua*.) Et vt doceat, eum non obiter ducturum exercitum aduerſus Aegyptum, ſed exactè eam deleturum, comparat eum paſtori, veſtimenti pediculos colligenti. Diligenter enim hoc faciunt paſtores, vtpote otio plurimo abundantes. *Et ſcrutabitur*, inquit, Aegyptũ, quemadmodum paſtor diſquirit pediculos veſtimenti ſui. Et exibit inde in pace. Et conteret columnas Heliopoleos, & quæ ſunt in On. Et domos Deorum ipſorũ incendet *igne*.) Ciuitas erat bi nominis. Nam & On vocabatur, & Heliopolis. quod etiam nos docuit liber Exodi. Ait enim, filios Iſrael vrbes condidiſſe Pharaoni, Phithom & Rameſſes, & On, quæ eſt Heliopolis. Deus porrò appellat Nabuchodonoſor, ſeruum ſuum, non quòd affectu & animo ſit ſeruus, ſed quòd natura ſeruus ſit. Creatoris enim creatura ſerua eſt. Docet autem eadem opera, quòd ſe moderante iſta efficeret.

CAP. XLIIII.

CAterùm perhumanus Dominus Iudæos nihilominus etiam laborantes incredulitate, rurſum adhortatur, vtens miniſterio prophetæ. Primumque repetit calamitates, quibus afflicta eſt Iudæa, propter iniquitatem incolarum. Deinde conqueritur de illis ipſis, vt qui ſimilia perpetrent, & prouocent iram diuinã, *Ecce, enim*, ait, *vos facitis* mala grandia in animas veſtras: vt abſcindatis à vobis virum & mulierem, puerum & lactentem de medio Iudææ: adeò vt nullus veſtrum relinquatur: vt irritetis me operibus manuum veſtrarum, ſacrificando Dijs alienis in terra Aegypti, in quam ingreſsi eſtis, vt tibi habitaretis: vt abſcindamini, & ſitis in maledictionem & opprobrium apud omnes *gentes terræ*.) Reuocat autem illis in mentem, vtpote recentem habentibus memoriam, & mala quæ commiſſa ſunt à patribus eorum, à regibus, nec non à magnatibus, & illatas illis

propterea quaslibet afflictiones. Et his subijcit comminationem, seipsum vocans Dominum exercituum,& Deum Israel: vt cùm potentiæ magnitudinem audierint,& curam,quã de maioribus habuit,intellexerint, conuertantur & timeant. *Ecce,constituo vultum meum contra vos in mala.* Indignantium proprium est, toruè intueri,fixum tamen habere oculum: & diutiùs eos inspicere,qui lacessunt. Ab humano igitur more format comminationem,& ait, *Constituo vultum meum contra vos in mala: vt perdam vniuersum Iudam.* Post hæc refert,eos fami &gladio tradendos,& omni modo delendos: futuros etiam iuramento & exitio, maledictioni & opprobrio:atque eadem patientur, quæ passi sunt,qui obsidebantur in Ierusalem. *Horum tamen nullus effugiet, nec reuertetur in terram Iudam.* Verùm nihil horum exterruit miseros, ac ter miseros homines:sed palam clamabant omnes,tam viri quàm mulieres,maximè verò Babylonij,nempe,*Sermones tuos non suscipimus.* Et, quod isto acerbius est,hos Deos esse existimantes,aperte contradicebant, (*In verbo enim*, ait, quod locutus es nobis in nomine Domini,non audiemus te, quia facientes faciemus omne verbum,quod egredietur de ore nostro: vt sacrificemus reginæ cœli,& libemus ei libamina, sicuti fecimus nos & patres nostri, & reges nostri,& principes nostri,in ciuitatibus Iuda & in plateis *Ierusalem.*)Reginam cœli vocant Venerem. Nam & Græci nuncupant eam, οὐρανίαν, id est,cœlestem. *Hæc autem agentes*,ait, *fruemur bonis ad satietatem.Quòd si deseruerimus cultum eius, bello & fami trademur.* Tum mulieres impudentius vociferabantur: (*Quòd si nos* sacrificamus reginæ cœli,& libamus ei libamina: Nonne absque viris nostris fecimus ei placentas, & libauimus ei *libamina*? Impium quidem factu, sed dictu verum. In his enim quæ superius exposuimus,dixit Deus omniũ, Num vides, quid isti agunt? Filij eorum colligunt ligna,& patres eorum ignem accendunt, & mulieres eorum subigunt farinam, vnde conficiant placentas militiæ cœli.Propheta nihilominus respondit cunctis, Ob superstitiosum Deorum cultum, & circa idola errorem, Dominus Deus omnimodis supplicijs vos afficit. Hos enim fructus transgressio legis producere solet. Quos licet perspectos habueritis,pertinaces tamen fuistis in errore.(*Perseuerate in* confessionibus vestris & perficite desideria vestra: veruntamen audite verbum Domini: Ecce ego iuraui per nomen meum magnum, dixit Dominus Deus, Si vltrà inuocatum fuerit nomen meum per os cuiusquam Iudæi, in vniuersa terra Aegypti, dicentis,*Viuit Dominus.*) Ostendit iterum iusiurandum, eum qui iurauit, nihil habere excellentius. Comminatur autem internecionem Iudæis in Aegypto degentibus. quòd per iam dicta declarauit.& consonant,quæ sequuntur. Minatur enim eis & famem & gladium: & his, qui i ista effugerint,translationem, *Et cognoscent omnes reliqui Iudæi habitantes in Aegypto, vtrius sermo firmus sit.* Meus,an illorum.Ex ipsarum rerum euentu cognoscent sermonum meorum veritatem.*Et hoc vobis signum, dicit Dominus.Nam ego visitabo vos in loco isto in mala:vt sciatis, quia stent sermones mei contra vos in mala.* Rerum exitus,sermonum veritatem monstrabit. (*Sicut enim tradidi* Sedeciam regi Babyloniorum :ita tradam Pharaonem Ephree, ad quem vos confugistis,ipsi *Nabuchodonosor.*)Vocat autem Ephree,Pharaonem:vt doceat,eum habere hoc nomen proprium: nomen autem Pharaonis,significare dignitatem regiam. Hunc etiam in modum, nostros appellamus imperatores,Tyberius Cæsar,Claudius Cęsar,in quo alterum quidem,est nomen proprium:alterum pertinet ad regium ordinem.

Supr.7.d.

CAP. XLV.

HAc vbi narratione implicatam absoluit prophetiam,meminit antiquioris præfectionis:quam referre iussus est Barucho, temporibus Ioacim.*Dixit Dominus Deus Israel,Quia tu, Baruch,dixisti,Va mihi: quia addidit Dominus laborem labori meo:dormiui in gemitibus, & non inueni requiem: Sic dices ei,Hæc dicit Dominus,Ecce, quos ædificaui,ego destruam: & quos plantaui, ego euellam,etiam terram illam vniuersam. Et tu quaris tibi grandia? Noli quærere. Quia ecce,ego adduco malа super vniuersam carnem, dicit Dominus: & dabo animam tuam in salutem,in quemcunque locum perexeris.* Dominus consolatur Baruch,ministrantem prophetæ,& oracula scribentem,cum miseria & molestia viuentem. Hortatur verò, vt vitam dolore plenam generoso animo ferat. Si enim,ait,cunctum populum, quem eduxi ex Aegypto,& plantaui in terra ista, extirpo nunc & amputo,torque supplicijs afficio:despondes tu animum,quòd non solus viuas absque solatio? Certè non ita te agere oportet. Ego verò de te solicitus ero: & dum vlciscar de his, tibi consolationem afferam,& vbicunq; degas:prouidentiam meam experiere.

Quamobrem decet nos,quia ista accepimus, non iniquè ferre,cùm molestum quippiam nobis obuenerit: sed à Deo meliora postulare, tolerare nihilominus præsentia.Hanc enim patientiam nostram vbi Dominus animaduerterit, non sinet nos tentari supra vires nostras: sed faciet cum tentatione prouentum: vt nos possimus sustinere.Cui competit gloria & magnificentia, cum vnigenito eius Filio, & sanctissimo Spiritu,nunc & semper, & in sæcula sæculorum,Amen.

TOMVS NONVS.

CAP. XLVI.

ERMO, quem habuit Dominus cum Ieremia propheta cõtra omnes gentes. Post finem impositum prophetijs de pppulo,vaticinatur quæ ventura sunt alijs gentibus,docens,se esse omnium opificem, Deum,ac Dominum. Primo itaque loco narrat de Aegypto, designato tempore prophetiæ,nempe factæ post mortem Pharaonis Nechao,qui Iosiam interfecit iuxta fluuium Euphratem,atque itidem ipse occisus est à

est à rege Babyloniorum.*Assumite arma,& scuta & adducite ad bellum, sternite equos,& ascendite equites,state in galeis vestris: torquete hastas,& induite loricas vestras.* Quia his confidebant,equitandi scilicet & armorum peritia,his verbis vti iubetur,vt doceat,ea fore inutilia. Istud enim indicant,quæ sequuntur. *Cur ipsi pauent, & recedunt retro? Quia fortes eorum cædentur, fuga fugerunt,& non sunt reuersi,obsessi in circuitu.ait Dominus.* Deinde imperandi modo:*Ne fugiat leuis, & ne seruetur fortis ad aquilonem. Quæ iuxta flumen Euphratem,infirmata sunt,& ceciderunt,*

Postea meminit pristinæ prosperitatis: *Quis est iste, qui tanquam flumen ascender:& fluuiorum instar inundant aquæ eius? Aegyptus vt flumen ascendit,& velut flumen perturbant aquæ eius.* Ostendit autem sermones eius,arrogantia plenos. *Et dixit, Ascendam,& tegam terram, perdam ciuitates, & habitatores earum.* Et vt ostendat, non succedere,prout commentatum erat & cogitatum, dicit ironicè,*Conscendite equos,præparate currus: egredimini pugnatores.* (Dicit autem,adiutores Aegyptiorum) *Aethyops & Lybici instructi armis: & Lydi ascendite, & intendite arcum,* Mox docet, Dei nutu temeritatem Aegyptiorum euerti. *Et dies illa Domino Deo nostro,dies vindictæ, vt vlciscatur de inimicis suis.Et deuorabit gladius meus carnes, & saturabitur: & inebriabitur sanguine eorum.* Per hæc declarat interfectorum multitudinem. *Quia sacrificium Domino exercituum,à terra aquilonis ad flumen Euphratem.* Quoniam Aegyptij luerunt pœnas impietatis,& Deo volente sunt occisi,idcirco cædem illorum appellauit sacrificium. *Ascende Galaad, & cape resinam virgini filiæ Aegypti.* Etiam fratres Ioseph resinam & stacten detulerunt in Aegyptum. Resina verò est arborum lacryma, medicamentis apta:quam potissimum excolit Galaad. Dixit autem hæc per ironiam, ostendens,morbum esse incurabilem. quod deprehenditur ex sequentibus:*Frustra auxisti medicamina tua: vilitas non est in te.* Et ostendens plagæ magnitudinem, subiunxit,*Audierunt gentes vocem tuam,& clamore tuo repleta est terra. Quia pugnator aduersus pugnatorem infirmatus est:eodem loco cecidit vterque.* Per hæc etiam vicentium futuram prænunciauit internecionem. Hæc igitur propheta vaticinatus est de priore belli clade. In sequentibus, prædicit venturum in Aegyptum exercitum Nabuchodonosor: & admonet,prophetiam indicari Magdalo,Memphis,Taphnis, vniuerso denique regno Aegyptiorum, & ait, *Sta & præpara.quia deuorauit gladius hederam tuam.* Syrus interpretatur τὸν σμίλακα, quę sunt in circuitu tuo. hoc enim ipsum subindicare videtur σμίλαξ,hoc est,hedera. Est enim herba,quæ plantis succrescentibus implicatur. Figuratè ergo adiutores Aegyptiorum sic appellauit:quorum, tum cladem,tum fugam vaticinatus est.*Quia fugit Apis,vitulus electus tuus: & non expectauit.* Vitulum electum, dicit Apin. Hic autem bos erat,qui ab ipsis alebatur, & adorebatur. Sermo igitur propheticus docet quam ob causam victi sint:quoniam scilicet vitulum constituentes Deum, & in eo fiduciam collocantes,nullum adepti sunt auxilium.*Quia Dominus dissoluit eum.* Hoc est, vitulum. Destruxit etiam illum,qui miracula faciebat in eo,& seducebat homines.*Et multitudo tua infirmata est, & cecidit.*

Dicit item formidinem,quæ illos inuaserat: atque quòd sè mutuo hortabantur ad fugam, veriti hostes,& eorum adiutores. *Surgamus & reuertamur,*ait,*ad populum nostrum, & in patriam nostram,à facie gladij Græci.* Verisimile est,quoddam Græcorum ipsse in expeditionem cum rege Babyloniorum. Arbitror autem, eum vnà prædicere Macedonum dominationem :cùm Alexander,deleto Aegyptiorum regno,Macedonibus eos seruire coegerit.*Vocate nomen Pharaonis Nechao,regis Aegypti, Sao Neesbiemod.* Syrus ista sic interpretatus est, vocate nomen ipsius,Perturbans,& transferens tempora. Quondam enim imperium Aegyptiorum potens erat,& vicinas gentes perturbabat, multorumque res prosperas mutabat in aduersas. *Viuo ego dicit Dominus Deus, Rex exercituum nomen illi.* Aeternitatem & potentiam ipsius simul nos docuit.*Quia sicut est Thabor in montibus,& sicut Carmelus in mari,ita venies.* Quali dicat,ne dubitaueris.Quemadmodum enim confitentur omnes,absq; dubio Thabor esse montem, eumq; & Carmelum esse mari proximum,ita prædictio continet veritatem.*Vasa migrationis fac tibi habitatrix filia Aegypti.* Pro,fias apta captiuitati. Memorat etiam regiæ ciuitatis desolationem. Memphis enim temporibus illis erat vrbs regia.quod edocti fumus à diuino Esaia,Defecerunt enim,ait,principes Taneos,& exaltati sunt principes Mempheos.*Vitula exornata Aegyptus.* His verbis declarauit illius indomitam, & iugi expertam naturam,atque delicias.Et magnã illorum arguens imbecillitatem,ostendit, vel paucis etiam aduenientibus hostibus, eos resistere non potuisse,his verbis, *Exultsione ab aquilone venit ad eam, & mercenarij eius apud eam, velut vituli saginati.* Declarat autem auxiliatorum imbecillitatem. Nam vitulus saginatus non excolit terram, sed ab alijs comeditur. Eorum quoq; fugam narrat. *Auersi sunt enim,*ait,*& fugerunt vna mente, non steterunt.* Et subijcit rationem:*Quia dies interitus venit super eos: & tempus vindictæ eorum.* Oportebat enim eos impietatis pœnas luere.Docet nihilominus ex his Dominum vbi longa patientia fuerit vsus, tandem postea supplicium infligere: *Vox eorum,quasi serpentis sibilantis.* Proprium est miserorum,gemere & sibilare: & eorum qui præ desperatione excandescunt,extollere spiritum. *In arena ambulabunt.* Ex his debilitatem eorum innuit. Etenim Dominus audientem verbum suum,& non facientem,comparat viro stulto, qui domum ædificat super arenam. *Cum securibus venient contra eam.quasi cædentes ligna.* Deinde more imperantis:*Excidite saltum eius,dicit Dominus Deus. Nam non habebit dilectum Deus. plures sunt quàm locustæ.* De numero incolarum intelligit. *Non est in eis numerus.* Assimilat eam saltui:& hostes,syluæ cæsoribus.*Pudore perfusa est filia Aegypti:tradita est in manus populi ab aquilone, dicit dominus*

Esa.19.b

Matth.7.d

dominus exercituum Deus Israel. Ista etiam propheta prædixit Iudæis, cùm descendisset in Aegyptum: quando lapides recondidit sub vestibulis palatiorum. (*Ecce*, ego vlciscar de Ammone, *filio eius.*) Aegyptij Iouem vocant Ammona: à quo etiam regio Ammoniaca denominata est. Huic autem delubrum maximum extruxerunt. Filium autem eius vocat Ammona, eo quòd ab ipsa constitutus sit Deus. simulachrũ enim est manufactum. Minatur ergo, se traditurum Babylonijs idolum Ammon, nec non etiam alios Deos eorum. Hoc enim sibi vult: *Et de Pharaone*, & de Aegypto, & de Dijs eius, & de regibus eius. Et de Pharaone, & de confidentibus *in eum.*) Hostes, ait, eodem momento victores erunt de omnibus, & de rege, & de principibus, & de idolis, & de copijs auxiliaribus. Cæterùm vbi tradita fuerit regi Babyloniorum, pristinam dominationem recuperabit. (*Postea enim*, inquit, in tranquillitate viuet, iuxta dies pristinos. dicit *Dominus.*) Deinde etiam Israeli grata prædicit, & vaticinatur reditum è Babylone. Prænunciat etiam Babyloniorum exitium. (*Tu vero*, ait, ne timeas, seruemus Iacob, dicit Dominus. quia ego sum tecum. Etenim faciam consummationem in omni gente, ad quã expuli te: te autem non faciam deficere. Et castigabo te in iudicio: non tamen velut innocentem *absoluam te.*) Medicinali castigatione te afficiam. Hoc enim sibi vult, (*Et* castigabo te in *iudicio.*) Nec velut incorruptum abire permittam, hoc enim indicat, (*Non* tamen velut innocentem *absoluam te.*)

CAP. XLVII.

EXinde transfert prophetiam ad alienigenas. vocat autem alienigenas, eos qui incolunt Ascalonem, Gazam, Azotum, Geth, & Accaron. Aitq; prędictionem antè fuisse emissam quàm Pharao percuteret Gazam. Et comparat exercitum Babyloniorum torrenti exundanti, à quo diluuio perduntur vrbes, delentur incolæ, eiulantes, eò quod strepitum armorum & curruum ferre nequeant. Docet etiam, præ formidine, patres oblitos esse naturæ, filiósque neglexisse. (*Non sunt* reuersi patres ad filios suos, præ dissolutione manuum suarum, die adueniente, vt perdentur omnes *alienigenæ.*) Prædicit ad hæc Tyrijs & Sidonijs exitium: vt qui venerint ad auxilium eorum. (*Et vastabo*, inquit, Tyrum & Sidonem, & omnes reliquos auxiliatores eorum. Quia exterminabit Dominus alienigenas, reliquias insularum, & *Cappadociæ.*) Dum interpretaremur prophetas, ostendimus, aduenas, qui erant apud Cyprios & Cappadocas, quondam habitasse in Palæsthina. (*Venit* caluitium ad *Gazam.*) Quasi dicat, Antiquo splendore priuaberis. Caluitium autem frequenter indicat luctum. Rade enim, ait, caput tuum, & sume in labijs lamentationem. (*Proiecta est* Ascalon, & reliqui *Enacim.*) Posteri autem illius incoluerunt Ascaloniam. (*Quousque* cogemini? Quousque incidet gladius *Domini?*) Vocauit Nabuchodonosor, gladium Domini, eo enim permittente, fecit ista: & impij de se mutuas soluebant impietatis pœnas. (*Restituere in* vaginam tuam, quiesce & *tollere.*) Et ostendens quis iussit, vt vim exerceret, subdidit, (*Et Dominus* præcepit ei, vt insurgat aduersum Ascalonem, aduersus maritimos, & aduersus *reliquos.*) Prosopopeia vsus est, vt doceret apertius. creaturam non carere gubernatore: sed factorem eius, omnibus præesse. qui interdum quidem suppeditat ipsis copiam bonorum, quandoq; vero permittit, vt delabantur in calamitates.

CAP. XLVIII.

VErum propheta conuertit prophetiam in Mob. (*Moab sic* dixit Dominus exercituum, Deus Israel, Væ super Nabo: quia perij: *capta est.*) Istud erat idolum, cuius meminit Esaias propheta, inquiens, Cecidit Bel, contrita est Nabo. Est etiam vrbs, idolo cognominis. *Esa.46.a* (*Capta* est Cariathaim: pudefacta est Masigath, atque victa est. Non est vltrà medicamen Moab: insolentiam in *Hesebon,*) Erant vrbes præclaræ: de quibus gloriabantur Moabitæ. (*Cogitauerunt* de ea mala, Venite, excidamus eam de gente: & quietem *quiescet.*) Deinde ostendit, ne fuga quidem salutem esse adepturos: *Post te vadet gladius.* Per hoc declarantur persecutores. *Quia vox clamantium de Oronaim.* Hæc est alia vrbs. Refert autem Zagoram accepisse nuntium rei tristis, reliquasq; vrbes vlulatu perfundendas. Hortatur autem eos, vt & fugiant, & asinorum agrestium more degant in solitudine. Et docens, non muris ambientibus, sed incorruptibili Conditori & Domino fidendum subiunxit: (*Quia confidisti* in munitionibus tuis, venient tibi afflictiones. Et non solùm tu ab hostibus capieris, sed etiam Chamos egredietur in *migrationem.*) Chamos autem, erat idolum Moabitarum. (*Sacerdotes* eius & principes eius simul. Et veniet vastitas in omnem ciuitatem. Et patientur istud valles, ait, & regiones *campestres.*) Prædicit summam hostium desolationem. *Date enim*, inquit, *signa Moab.* In desertis locis & nulli prorsus peruijs, cùm homines posuerint signa quædam ex lapidibus, hoc modo pergunt, & in ea intuentes, incedunt absque errore. *Quia plaga petetur.* Hoc est, incendetur. (*Et ciuitates* eius in inuium vertentur, eò quod non sint habitator in ea. Vnde habitator *in ea?*) Per hæc quæ sequuntur, docet, mandato Dei omnium ista fieri. (*Maledictus*, qui facit opera Dei negligenter. Et maladictus, qui subtrahit gladium suum à *sanguine.*) Atqui si iussu Dei sermo propheticus subijcit hic maledictioni eos, qui negligenter occidunt, quantas nos pœnas exoluemus, si munus spiritale parui penderimus? (*Quieuit* Moab à puero, & confisus est gloriæ suæ: & non infudit de vase in *vas.*) Hoc est, non immutauit suam habitationem, non fuit sedibus suis pulsus. (*Nec abijt* in transmigrationem. Ideo permansit gustus eius in ipso, & odor eius non *defecit.*) Permansit in metaphora. quia meminit vasis, necessariò fecit etiam mentionem de gustu & odore. Propterea, inquit, permansit in prosperitate, & nullam aduersitatem expertus est, velut in eisdem semper conuersus

uersans locis. (*Ecce ergo* dies veniunt, dicit Dominus, quibus mittam ei stratores, & sternent eum: & vasa eius comminuent: & cornua eius *conterent.*) Parabolicè & tropicè posuit ista. Dixit enim, *sternent*, sicut de vase: pro, exhaurient. Nec sufficiet ipsis (hostibus scilicet) accipere quæ sunt in vasis, sed & vasa conterent. Vocat porrò, vasa quidem, vrbes: quæ autem sunt in vasis, opes. Vtrunque verò fecerunt hostes, & depopulati sunt, & incenderunt. (*Et pudefiet* Moab à Chamos, sicut pudore affecta est domus Israel, propter Bethel, in qua habebat *fiduciam.*) Ieroboam collocauit in Bethel vitulam. Docet ergo sermo propheticus, Moab nullo modo adiutam esse à Chamos, quemadmodũ nec Israel vllum consecutus est auxilium ab idolis. Post hæc ostendit, eos qui tantopere de robore gloriabantur, interitum tamen perpeti: quia Deus omnium hoc statuit. Vbi verò dixit, supplicij tempus iam aduenisse, hortatur vicinos, vt excitent ipsum ad fortitudinem, & ad pristinum robur erigant. Denuntiat autem eis, vt dicant, (*Quomodo* contrita est virga gloriosa, baculus *magnificentiæ?*) Hæc autem declarant facultatem tuam, & maiorem viribus tuis superbiam. Recenset quoq; ciuitates, quæ quondam erant splendidæ & insignes: & ostendit prosperitatis immutationem: idq; subiecta causa, *Inebriate enim*, inquit, *illum: quia aduersus Dominum se extulit.* Cùm enim Moabitæ intellexissent, quæ Iudæis acciderant, subsannabãt, arguentes Deum vniuersorum imbecillitatis. Hoc enim docét sequentia: *Applaudet Moab manu sua.* Quasi dicat, choreas agens & gaudens. *Et erit etiam ipse risui.* Mox apertius: *Atqui contemptui tibi erat Israel. An in furtis tuis inuentus est, quia oppugnabas eum?* Quid ait, ab illo damni passus, eum impetebas? Parietum perfossores & prædatores reperisti? *Propter ipsum migrabis.* Hoc est, propter iniuriam, qua illum affecisti. Eorum etiam fugam narrat. *Qui habitabant Moab, reliquerunt ciuitates, & habitauerunt in petris: facti sunt quasi columbæ, nidum construentes in petris, ore foueæ.* Possederunt enim speluncas in verticibus montium constitutas, eò quòd ferre non possent incursionem hostium. Vocatq; eum contumeliosum, arrogantem & superbũ. *Et ego*, inquit, *horum ipse spectator fui.* Et vt ostendat, fastum verborum ipsa rerum experientia conuictum esse subiunxit. *Nonne iuxta sufficientiam ipsius, sic & brachia eius?* Non ita fecit. Ante bellum enim magna cum arrogantia minabatur, se fortiter facturum: videns hostes, aufugit. Istud autem, κεϱάδας αὐχμῶ, id est, tonsos siccitatis, Syrus ita interpretatus est, Capita eorum erant rasa, & barbæ eorum rasæ. is erat captiuorum habitus. Patefacit autem sermo propheticus in Moab, *Vlulate super viros murorum, tonsos siccitatis.* Id est, qui muris olim vtebantur & mœnibus: nunc autem detonsi sunt, quantũ ad pristinorum dierum prosperitatem, & squallore circundati. *Quasi planctum Iazar plangam tibi.* Meminit cuiusdam historiæ. Et declarauit lamentationis excessum. *Vinea Sabama, palmites tui transierunt mare.* Ipsa optimum vinum & plurimum ferebat. ideoq; amplitudinem vineæ comparat mari, & ait, huius terram esse calcatam, & vineam labefactatam. (*Vinum*, inquit, erat in torcularibus tuis: mane non calcauerunt neq; vespere fecerunt *quicquam.*) Hoc Syrus ita interpretatus est, Non vltrà calcantes torcular dicebant, Eia, Eia. Atque vbi ista variè dixit, explicat, (*tonsos siccitatis.* Omne caput in omni loco radent: & omnis barba radetur, & omnes manus incidentur, & in omni lumbo cilicium & in omnibus tectis Moab, & in plateis eius, *planctus.*) Per hæc omnia vim calamitatis edocet. (*Quia contriui* Moab, tanquam vas, cuius nullus est vsus, dicit *Dominus.*) Ostendit, quàm planè sit inutilis. Subijcit item oculis velocitatem regis Nabuchodonosor. (*Hæc dicit* Dominus, Ecce, instar aquilæ cum impetu veniet: & extendet alas suas ad *Moab.*) Diuinus etiam Ezechiel parem facit Nabuchodonosor aquilæ. Est enim animal regium, & omnium volucrum velocissimum & potentissimum. Ad hæc prædicit ipsius Moab timidum animum: quem comparat cum animo mulieris parturientis. Patefacit etiã ipsius impietatem: (*Perijt* Moab à turba. quia contra Dominũ magnificata *est.*) Prædicit etiam mala inuicem succedentia: (*Timor, fouea* & laqueus super te, qui sedes in Moab, dicit Dominus. Qui fugerit à facie timoris incidet in foueam, & qui conscenderit de fouea, comprehendetur *laqueo.*) Significat per hæc, eos qui fuga sibi consulere tentarunt, captos esse: & in ea decidisse, quæ minimè sibi grata fuerunt. (*Quia educam* hæc super Moab, vt in anno, quo visitabo eam, dicit *Dominus.*) Vocat tempus, annum. Quando, inquit, placuerit mihi de illis vindictam sumere, talibus eos afflictionibus circundabo.

Prædicit etiam, ipsorum bellum intestinũ. (*Quia ignis* egressus est de Hesebon, & flamma de vrbe Sion: & deuorauit duces *Moab.*) Suauia tamen illis quædam prædicit. *Et conuertam captiuitatem Moab in nouissimis diebus, dicit Dominus.* Ex sumpta vltione, perhumana item illorũ tractatione, demonstrauit, se esse Dominum omnium diuitiarum erga omnes, qui inuocãt illum: neque Iudæorum duntaxat esse Deum, sed omnium hominum.

Hucusque iudicium Moab. Id est, prolata contra eum sententia.

CAP. XLIX.

CAeterum transit sermo propheticus ad filios Ammon: quibus dicit Dominus omnium, (*Et filij* non sunt in Israel? An non est in eis, qui assumat? Quare Melchon accepit Galaad? & populus eorum in vrbibus eius *inhabitat?* Decem tribus possidebant Galaad item regionem. illis ergo ductis in captiuitatem occuparunt eam Ammonitæ: quibus ait Deus, Populum contempsistis an me? παραληψόμενον verò, id est, qui assumat, dixit προσληψόμενον, id est, pro eo qui sumit vires, & adiuuat seipsum. Melchom autem, idolum erat filiorum Ammon. Putatisne, inquit, illud quod non est, potentius esse me, qui semper sum? *Propterea* ecce

ecce dies veniunt, dicit Dominus, & auditum faciam in Rabbath filiorum Ammon, tumultum *bellorum*.) Rabbath vrbs erat Arabię. Τὸ δὲ ἀκουτιῶ, id est, auditum faciam, idem est quod, audiri faciam. (*Et erunt* in inuium: & interitum & altaria eius igne succendentur: & assumet Israel principatum suum, dicit *Dominus*.) Perseuerat autem in prædictione eorum quæ euentura sunt Ammonitis. (*Vlula* Hesebon: quia perijt virtus tua. Clamate filiæ Rabbath: induamini saccis, & plangite. & discurrite per muros, quia Melchom abibit in migrationem: & sacerdotes eius, & principes eius *simul*.) Demõstrauit imbecillitatem idolorum. Ipsa enim cum adoratoribus abierunt in captiuitatem. (*Quid* exultatis in campis Enacim? Effluxerunt campi tui, filia *ignominiæ*.) Impudentiam eius arguit & temeritatem, quam de diuitijs ostentabat. quod etiam indicant sequentia: (*Quæ confidebat* in thesauris suis, & dicebat, Quis accedet *ad me*?) Et quia res conspicuas attendebat, ignorabat autem Deum inuisibilem: ostendit quis sit, qui plectat. (*Ecce, ego* injiciam in te timorem, dicit Dominus exercituum, ab omni *circuitu tuo*.) Vndecunq;, inquit, current, qui tibi nuntient, exercitum hostium aduentare. (*Et dispergemini* vnusquisque ante faciem suam: & non erit qui congreget *peregrinum*.) Non enim vnà fugietis: sed timore immodico dissipabimini. Prædicit verò illis etiam reditum: ne superbiant Iudæi, vtpote soli regressum adepti. Prædicit item Idumææ funesta: & qui gloriabantur de sapientia, ea priuatos esse dicit. (*Non* est sapientia in Theman: perijt consilium à *prudentibus*. Ipsa erat vrbs, in qua regnauit Eliphaz. Eliphaz enim rex erat Themanitarum. (*Concul. catus* est locus eius. Demergite vosipsos in sessionem, qui habitatis in Dedan. quia dura fecit. Adduxi ad eum in tempore, quo *visitaui eum*.) Dedan, erat altera vrbs. Hortatur ergo eos, vt sub terra occultentur: istud enim est, *demergi in sessionem*. Et docet se de illis pœnas sumpturum. Si enim tempore præterito, inquit, lõga patientia vsus sum, * *Quia vindemiatores* † *Desunt quædam.* nerunt tibi: & non relinquent tibi *reliquias*. Appellat hostes, vindemiatores: quos dicit, omnia prædari & depopulari. Docet etiam, quo tempore venturi sint: (*Tanquam fures*, nocte imponent manus suas, quia ego attraxi Esau. Reuelaui abscondita eorum: abscondi non *poterunt*. Adiacent Idumææ maximi montes & excelsi. In his ergo fodientes speluncas, ad illas confugiebant, aduenientibus hostibus. verùm exciderunt spe sua: cùm & ex eo loco Deus omnium tradidit illos. *Perijt semen illius per manum fratris, & vicini eius*. Nulla, inquit, affectus vel lætitia, siue à natura, siue à vicinia. Fratres enim erant Iacob & Esau, & tamen intra eosdem terminos habitantes. Nullus enim alius separauerat eos ab inuicem. (*Non est, qui* misericordia motus superesse permittat pupillos tuos, vt saluentur. & ego eos *conseruabo*.) Omnes enim, ait, ob multam nequitiam tuam, infenso tibi sunt animo. & ego iustus iudex succurram tibi. *Quia viduæ tuæ sperauerunt in me*. Posuit hæc ironicè vt patet ex sequentibus: (*Quia hæc* dicit Dominus, Ecce, quibus non erat lex bibendi calicẽ, bibentes biberunt. Et tu innocens non eris *inmunis*.) Ea mihi lex est, vt puniam eos, qui impiè & perperam viuunt. Abducti sunt in Babylonem prophetæ & sacerdotes, Daniel, Ezechiel, nec non Ananias, Azarias, Misael, viri pij: & alij plurimi, vt probabile est, quorum historia meminit. Illi porrò, ait virtutis ergò non erant obnoxij pœnæ, fuerunt nihilominus captiui: & tu speras effugere? Spe tua frustraberis, (*quia bibens* bibes. Etenim per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia in interitum, in opprobrium, in inuium, & in maledictionem eris. Bosor in medio eius: & omnes vrbes eius erũt desertæ in *æternum*.) Bosor dixit, non Bosran: sed alteram, sitam in Idumæa. (*Famam* audiui à Domino: angelos misit ad gentes. Congregamini, & accedite ad eam: & exurgite in prælium aduersus *eam*.) Istud autem, *angelos misit ad gentes*, posuit, pro, iussit. Atqui verisimile est, angelos mandato diuino obsequentes, suscitasse hostes. Diuus enim Dauid ait, Et misit in *Psal. 77. 6* eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per angelos malos. Malos autem vocat, non quòd natura tales sint: sed quia mittuntur ad pœnas sumendas. Nam calamitates, quæ nobis inuehuntur, solemus appellare mala. Sic angelus interfecit primogenita Aegyptiorum: sic alij missi sunt aduersus Israelem, quando Dauid recensuit populum. Et multa alia eiusmodi reperire licet apud scripturam diuinam. *Ecce, pusillum dedi te in gentibus, & contemptum inter homines*. Idumæi quidem erant minimè insignes, & planè ignoti, nisi scriptura diuina eos illustrasset, quos reddit claros, non omnibus, sed studiosis. *Iusto tua, hæc tibi molita est, & ignominia cordis tui*. Ex his accusat idololatriam, delicias, & intemperantiam. *Habitauit in foraminibus petrarum*. Iamque diximus, quæ perfugia habebant. *Apprehendit robur collis excelsi*. Dicit cacumina montium, quæ erant maxima, & sublimia. (*Nam* etsi exaltaueris, vt aquila, nidum tuum, inde te detraham, dicit Dominus. Et erit Idumæa in *inuium*.) Dicit quoque, transeuntes per eam, admiraturos, & exibilatione declaraturos ingentem desolationem: prædictasq; ciuitates ad eũ modum deferendas, quo Sodoma, Gomorrha, & aliæ vrbes, quæ fuerunt eiusdem afflictionis sociæ. Qui sermo verus est. Nam Dedan, Theman, & Bosor in solitudinem prorsus redactæ sunt. Ait quoq; regem Babylonium, instar leonis, in eam irrupturum, & per Iordanem iter facturum: & iubet, strenuos armari aduersus eam: & subdit. (*Nam quis*, vt ego? & quis resistet mihi? Quis iste pastor, qui stabit ante faciẽ *meam*?) Neq; enim reges, neque idola eorum, iubente me, resistere potuerunt. (*Propterea* audite consilium Domini, quod consuluit super Idumæam: & cogitationem ipsius, quam cogitauit super habitantes *Theman*.) Deinde ait, oues eorum fore numeratu faciles, regionem futuram inuiam, & lamentationes sonum occupaturum mare rubrum: regemq; Babylonis aquilę more infestaturum, locis munitis potiturum: Idumęos verò timiditati, & doloribus subijciendos, adeò, vt eorum animus veniat conferend⁹ cum animo mulieris parturiẽtis. Hoc itaq; loco, vbi finem fecit prædicendi quæ pertinent ad Idumæam, traducit sermonem ad Damascum, inquiens, *Pudefacta est Emath & Arphat: quia rumorem malum audierunt*. Emath, vt antè iam diximus, nunc upat Emesan. Est enim alia Emath, quæ etiamnum dicitur Epiphania. Arphat autem, quidem aiunt esse, quæ nunc vocitantur Rephaneæ. *Obstupuerunt in mari: irati sunt, quiescere non possunt*. Mare vocauit, multitudinem exercitus. Demonstrauit autem primũ Damascenoruum impetum. dixit enim de ipsis, *Irati sunt*. Postea formidinem arguit: *Dissoluta est Damascus, versa est in fugã. proiecta est, timor apprehendit eam, & dolores velut parturientis obtinuerunt eam*. Et quæ sit causa calamitatis, docet. *Quare ratione non dereliquit vrbes meas? Villam meã amauit*? Meas, inquit, vrbes & villas occupare conatus est. Vrbes & villas suas vocat, quæ sunt Israelis: quibus aduersarij semper Damasceni, gesserunt animũ. (*Propterea cadent* iuuenes tui in plateis tuis: & omnes viri bellatores cadẽt in die illa, dicit Dominus exercituũ: & succendã ignẽ in muro Damasci & deuorabit biuia filij *Ader*.) Filius ader, est nomẽ. Ben, adad enim nominabitur lingua Syrorum. hic enim erat rex Damasci: &, vt prophetia innuit, splẽdidis ædificijs eam exornauit: quibus minatur incendium. Prædicit item propheta, etiam Ismaelitis, qui nũc dicuntur Sarraceni, calamitates obuenturas *Cedar reginæ Aulæ, quam percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. sic dicit Dominus*. Cedar, vnus erat filijs Ismahel: idq; docemur ex libro Creationis. Illo verò tempore illa reliquis tribub⁹, vt verisimile est, imperabat: vnde etiã illam appellauit reginam, aulam verò nominat, vniuersum statum Sarracenorum. Erant nanque pastores habitantes in tentorijs. Adhortatur autem, vt in eos ducant expeditionem, & depredentur oues & camelos, ac tentoria depopulentur. Cedma quoque erat filius Ismahelis. Admonet eos, vt sub terra lateant. quod dicitur per id, *demergite vos in sessionem*: vt euitare possint hostium impetum, (*Surge*, ascende ad gentem quietam, sedentem in refrigerio, dicit Dominus. Quibus nõ sunt portæ, non seræ, nõ vectes: sed soli *habitant*.) Tibi sunt hæc, ait, facilia: quando nulla obsidione aut diuturna mora tibi opus est, aut tempore longo: captu faciles sunt, & morigeri. Ostendit porrò, se vltionem immittere. (*Et ventilabo* eos omni vento, qui sunt attonsa facie. Ex omnibus finibus eorum afferam inuersionẽ *eorum*,) Hoc est, ad omnia climata vertentur in fugam: & qui sedent ad orientẽ solem, & qui habitant circa vesperam. *Et erit Aula, commoratio struthionum & inuia, vsque in æternum: Non sedebit illic homo, nec habitabit filius eius, qui è terra natus est*. Quibus verbis res ipsæ testimonium perhibent. Nam relicta illa planè deserta, accedunt ad loca tutiora, quæ inhabitantur. Prædicit item, quæ ventura sunt Aelam: explicato prophetiæ tempore. Nam refert eam, statim vt regnare cœpit Sedecias, emissam esse. *Hæc dicit Dominus exercituum, Ecce, ego contero arcum Aelam, & caput dominationis eorum*. Aelam, est vrbs sita in ore maris rubri. Erat autem hęc quondam emporium insigne: vnde etiã hodie prouehuntur, qui nauigant ad Indos: *Et inducam super Aelã quatuor ventos, e quatuor extremis cœli. Et non erit gens, quæ non veniat illuc*. Cùm rex Babylonis obtinuisset Aegyptum, rediens irrupit in eam, pristinum habens exercitũ, è partibus aquilonis & orientis coactum. Cui etiam aderat multitudo hominum insulas occidentis incolentium: ac secum etiam assumpserat Aegyptios, Afros, & Aethiopes, qui plagam fortiti sunt australem. Hæc propheticus sermo prędixit. (*Et attonitos* eos reddam coram hostibus suis, quærentibus animam eorum. Et inducam in eos iuxta iram indignationis meæ, dicit Dominus. Et immittam à tergo eorum gladium meum, donec cõsumã *eos*. Vocauit rursum gladiũ suum, Babylonios: quoniam eorum ministerio pœnas ab his exegit. *Et ponam solium meum in Aelam, & perdam inde regem & magnates, dicit Dominus. Ponam solium meum*, dixit, pro, illic iudiciũ exercebo, & proferam sententiam, vtens hostibus, tanquam publicis quibusdam ministris. Nunc autem, eade ciuitate conuersa, ibi etiam solium tenet ad pietatem: ita, vt iuxta hunc sermonem vera sit prophetia: *Et erit in extremo dierum, conuertam captiuitatem Aelam, dicit Dominus*. Existimo, bonum Dominum per hanc & alias prophetias, quibus promisit reuocationem, non modò polliceri liberationem à captiuitate corporis, sed etiam à captiuitate mẽtis: vtpote qui maiorem animarum curam habeat. Ea enim de causa castigationes infligit corporibus. Prædicit ergo destructionem diaboli, cessationem ab impietate, & liberationem hominum, à peccato in captiuitatem redactorum. Quam adepti, collaudabimus illius administrum: & liberam vitam amplectentes, Pristinam seruitutem execrabimus: vt tribunali dominico securi possimus adsistere, per gratiam ac beneuolentiam iusti iudicis. cum quo patrem vnà cum sanctissimo Spiritu, decet gloria & magnificentia, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

TOMVS DECIMVS.

CAP. L.

POstquam vaticinatus est quæ sunt alijs nationibus euentura, prædicit de cætero Babylonis exitium. (*Annuntiate in* gentib⁹, auditum facite, attollite signũ: euulgate, & ne celetis. dicite, Capta est *Babylon*.) Cùm rex Babyloniorum euertisset alia regna, suoque subiugasset imperio, iubet significari gentibus, regni Babylonici destructionem. *Pudefactus est Bel*. Idolum erat, quod apud Babylonios summo habebatur in honore: & nonnulli quidem, vocãt illud Iouem: quidam verò Saturnum.

num. Aitq; pudefactum esse, tum quòd adoratoribus succurrere nequiuerint: tum quòd suis cultoribus omnino sit spoliatus. *Belus*, inquam, *imperterritus & delicatus*. Facultatem eorum & mollitiem indicat. *Traditus est Merodach*. Eum qui primus imperauit Babylonijs, nominauerunt Merodach. Hoc igitur loco, vel postremum dicit, sub quo euersio regni contigit: vel primum, qui transtulit regnum à Niniue in Babylonem. Istud autẽ, *traditus est*, possit quispiam accipere tam primi quàm secundi tempore factum esse, modò sub secundo de ipso regno intelligat: cuius omnia idola dicit esse pudore perfusa, ac perspicuam euasisse eorum imbecillitatem. Per gentem, quæ in expeditionem aduersus Babylonios venit ab aquilone, vult dicere Medos. hi enim, ait, terram ipsorum reddiderũt desertam, ac depopulati sunt. (*Illo*, inquit, tempore decem ac duæ tribus recipient libertatẽ: & vnà reuertentur & confugient ad Dominum. Testamentum enim æternum non dabitur *oblitioni*.) Hoc est, promissio patribus facta. Deinde comparat eos ouibus, quæ perierunt: adscribens pastoribus causam interitus ouium. Vocat autem pastores, non modo reges, sed etiam sacerdotes. Et refert, in quo fecerint eos errare. (*Expulerunt* eos in montes, errare fecerũt eos. De monte in collem abierunt: obliti sunt cubilis *sui*.) Delubra idolorum, appellat colles & montes: quoniam in eis adorabant idola: templum autem, diuinum, cubile eorum. Inde enim consequebantur bonorum fruitionem. Error, inquit, ille tradidit eos hostibus, propter ea quæ commiserunt in Dominum. *Pascua iustitiæ ei, qui congregauit patres eorum Domino*. Sic & beatus Dauid dicit, Nos autem populus eius & oues pascuæ eius. Istud etiam hic dicit, eos fuisse pascua iustitiæ Domino, qui patres eorum elegit. (*Abalienamini* de medio Babylonis: & de terra Chaldæorum egredimini. Et estote velut arietes ante faciem *ouium*.) τοὺς ἐρίφους, id est, arietes Syrus interpretatus est, τράγους, id est, hircos. Hortatur ergo eos, vt sint potentiores Babylonijs, & patriam suam occupent. Propterea comparãuit eos hircis. Sunt enim hirci robustiores ouibus. Hunc etiam in modum diuinus Daniel vidit Alexandrum, hirco similem: Darium autem, arieti. Narrat porrò multitudinem aggredientium Babylonem: qui, vt ait superiores erunt, & implebuntur bonis ibi congregatis. Et explicat causam, propter quam patiatur aduersa. (*Quia* exultatis & gloriamini diripientes hæreditatem meã. & quoniam more vitulorum in herba lasciebatis, & cornu petebatis, vt tauri. Et pudore vehementi affecta est mater *eorum*.) Id est, Babylon. *Effossa est mater, quæ peperit vos, quantũ ad bona*. Pro, exhausta est. Istud euersionis superlationem indicat. quod etiam sequentia docebunt. *Ecce, extrema gentium deserta, & aqua currens, præ ira Domini non habitabitur, tota vastabitur*. Ait etiã, prætereuntes, ob vim tribulationis immensam: tristem vultum gestare, & sibilo stuporẽ significare. Præcipit insuper sagittarijs, vt incessanter iaculentur, & sumãt pœnos de impietate ipsius. *Peccauit enim*, inquit, *Domino*. Prædicit item formidinẽ Babyloniorum, ac murorum euersionem: causamq; calamitatis colligit. *Quia vltio à Deo est. Vlciscamini de ea: sicut fecit, ita facite illi: Disperdite semẽ de Babylone, tenentem falcẽ in tempore messis*. Quasi diceret, Non solùm milites, sed etiã agricolas interficite: Id enim ipsi perpetrarunt, dum bellũ gererent aduersus Israelem. *A facie gladij Græci vnusquisq; ad populum suum reuertetur: & quisq; ad terram suam fugiet*. Cyrus antè destruxit Lydos, quàm Babylonem. Subiugauit etiã Ionas & Aeoles: qui migrãtes è Græcia, habitauerunt in Asia. Hos erga Cyrus etiã ducens, inijt expeditionem contra Babylonẽ. Nec certè frustra Græcorũ meminit sermo propheticus: verùm vt doceret, etiam nationes vbicunq; procul habitantes, diuina sententia congregatas esse aduersus Babylonẽ. *Ouis errans Israel*. Error circa idola, fuit illi causa malorum. *Leones eiecerunt eum*. Nominauit ita, reges Assiriorũ. *Primus deuorauit eos rex Assur*. Theglath, phalasar, Salmanasar: & Senacherib: atq; ita posteriore loco *Nabuchodonosor rex Babylonis ossa eius comedit*. quasi dicat pro auorum reliquias. Quamobrẽ, inquit, pœnas exigam ab eis: & eadem patietur, quæ passa est Niniue, atiqua metropolis Assyriorum. Vbi verò de his vindictam sumpsero, reducam Israelem ad terram paternam. quam vocat Basan, Carmelum, & montem Emphraim. Prædicit quoq; commutationem in melira, & ab errore pristino liberationem, Deinde terram Chaldæorum vocat, terram rursus exacerbantium. gladium verò hostes. quibus præcepit, vt irruãt in illos, & mandata sua peragãt. Regnum Babyloniorũ, nominauit malleum vniuersæ terræ, eo quod cunctas gẽtes plaga affecerit, & alia regna euerterit. Nã maliei proprium est, cõminuere quæ percutiuntur. *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ. quia opus Deo ac Domino exercituum est in terra Chaldeorum. venerunt enim tempora eius*. Thesauros enim vocauit, vltricem sententiã: tempora verò eius, ipsum supplicium. Non vltrà siquidẽ ait, Dominus longanimiter feret, sed de impietate sumet pœnas. Postheç, vt doceat, se esse, qui pœnas irroget, mãdat, vt scrutentur apothecas, & cuncta perdant, ac ne vestigium quidem prioris facilitatis relinquãt. Prædicit item, quo pacto Iudæi cum magna multitudine illinc aufugientes, sint recuperaturi Ierusalem, declaratuque mala, quæ Babylonem apprehenderint. Tum, postquam iusserit eam pati, quæ commisit, *Reddite*, inquit, *ei iuxta opera eius*. Ac demõstrata illius contra ipsum Deum insania, alloquitur eam. *Ecce, ego in te, inquit, Dominus exercituum, superbiam contumeliosam*. Nomen, ὑβριστρια, id est, superbia contumeliosa, hic positum, superbiam aduersus Deum obscurè indicat, & declarat iniquitatem in homines. *Quia venit dies causæ tui, & dies vltionis tuæ. Et infirmabitur superbia tua, & cadet & non erit qui suscitet eam. Et accendam ignem in sylua eius: & deuorabit omnia; quæ sunt in circuitu eius*. Syluam vocat, multitudinem domorum atq; habitantium: ea quæ sunt in circuitu, subditos: infirmitatem verò superbiæ, imperij dissolutionem. Hæc verò corruent, inquit: qui cùm populum meum in seruitutem redegissent, noluerunt tempore opportuno eis concedere libertatem. Propterea minatur, se traditurum hostibus ciuitatem, & incolas eius falsa etiam vaticinia, eosq; qui fœlicitatem collocare consueuerunt in illis adiutores eorum, & thesauros reconditos. Minatur item, se aquam effecturum inanem. multitudinem figurate vocauit aquã. Verisimiliter itaq; prænuntiat, quæ sunt aquis obuentura. Quondã enim Euphrates vrbem ipsam mediam diuidebat: nunc autem fluuius conuersus est ad aliam viam, & minimo alueo per rupes fluit. Insulas verò vocat, domos ciuitatis: quasi aqua muros ambientes circumfluat, rursumq; vrbis in medio flumen habeat. Statuas verò dæmonum imaginationes vocat. Filias Syrenarum Syrus interpretatus est, struthiocamelos, atq; scriptura diuina solet ita vocare dæmones: eò quòd demulceant & fallant homines, quæ ambo vastitatem significant. *Et nõ ædificabitur vltra in sæculum: & non habitabitur amplius in generationes & generationes*. Et vtrunq; euenit. Nam non est ædificata: sed in hodiernũ vsq; diem caret muris, & vt plurimum manet non habitata. Hoc enim sibi vult, *in generationes & generationes*. Nũc itaq; pauci talem incolunt Iudæi. Et cõparat illam Sodomæ & Gomorrhæ, ob cladẽ postea inflictam. Subijcit etiam oculis armatum exercitũ hostium: quem æstuanti mari similem esse dicit: & cumigne cõfert eius promptitudinem. Babyloniorũ porrò manus dicit esse præmetu dissolutas: & horum dolores, muliebres referre dolores. Docet præterea, se ducẽ esse Medorum. *Quis enim, vt ego? & quis resistet mihi? Et quis iste pastor, qui stabit contra faciem meam?* Quoniam pastor Israelis nominabitur, & reges Babylonis arbitrabantur se superaturos Deum omnium, demõstrat, se esse eum, qui vlciscitur de illis, incomparabili præditus potentia. Deinde hortatur, vt ipsos etiam ouium agniculos interficiant, & pascuum deuastent. Vocat autẽ agniculos, infantes: pascuum verò, ciuitatem ac terram subditam. Depueris quidem beatus Dauid etiam vaticinatur. Beatus enim, ait, qui tenebit paruulos tuos, & allidet eos ad petram. *Quoniam à voce captiuitatis Babylonicæ commouebitur terra, & clamor eius, in gentibus audietur*. Etenim tum esset vrbs insignis, peruagata est fama gentes vniuersas.

mea cura prorsus priuati. *Protul aureũ Babylon, in manu Domini, inebrians omnem terram vino suo. Gentes biberunt illud: commotæ sunt gentes: & repente cecidit Babylon, & contrita est*. Beatus Daniel, interpretans somnium, regnũ Babylonicum dixit esse caput aureum, Hoc itaq; loco, suppliciũ alijs gẽtibus à Deo illatum, nuncupauit poculum aureum. Ait ergo Babylonẽ, & reliquas gentes pœnis affecisse, & mox, præter spem omnem captã esse & euersam. Deinde dicit gẽtibus, quæ in auxilium venerant, *Lugete illam: adhibete resinam corruptioni eius, vt sanetur*. Pro, medicamentum auxilij adferte illi. Et vsus est, prophetæ ethopœia, subiungens illorum responsionem: (*Medelam* adhibuimus: & non est sanata. Derelinquamus eam, & abeamus vnusquisq; in terrã suam. Quia appropinquauit ad cœlum iudicium eius, & elatum est vsq; ad astra. protulit Dominus iudicium *eius*.) Prædixit hanc Babyloni cam superbiã etiam beatus Esaias: Dixit enim, ait, Supra sidera ponã solium meum. Docet porrò clarius, quis subministret & iubeat. *Suscitauit Dominus spiritum regis Ledorum, quia contra Babylonem ira eius, vt perdat eam. Quandoquidem vltio Domini est, vltio templi sui, in muris Babylonis*. Infligam muris Babylonis, quę perpetrauit cõtra templum. Tum ironicè loquens, hortatur Babylonios, vt constituant in muris custodes, quos excitent, & cõmoneant, arma sumere. Et vt doceat, nullã illis vtilitatem inde affuturam, subdidit, *Et faciet Dominus, quæcũq; locutus est de habitatoribus in Babylone*. Prænuntiauit siquidem per prophetas, eius euersionem. Verũ, ait, Deũ iurasse per brachium: ac si dicat, per suam ipsius potentiam. Hoc enim subiunxit: *Qui fecit terram robore suo: qui parauit orbem terrarum sapientia sua intellectu suo extendit cœlum. Qui posuit aquarum multitudinem in cœlo, vt audiatur sonus vocis eius. Et eduxit nubes ob extremo terræ fulgura in pluuiam fecit. Et eduxit lumen de thesauris suis*. Posuit tum ea quæ pertinent, ad creationem, tum quæ faciunt ad prouidentiam. quia non modo condidit vniuersa, sed etiam in ijs gubernandis perseuerat. Istud autem, *posuit aquæ rum multitudinem in cœlo, vt audiatur sonus vocis eius*, explicat tonitrui strepidum, qui ministerio nubium editur. Sed diuinæ sapientiæ opponit dæmoniorum imbecillitatem: quæ ostendit, aurificum industria opus habere, & ab alijs confici: nec, perinde vt animalia bruta, respirare posse. Illaque prædicit cessatura. *Tempore enim visitationis*, ait, *peribunt. Non est, eiusmodi pars Iacob. Nam qui formauit omnia, ipse est pars eius: & Israel, virga hæreditatis eius: Dominus exercituum nomen illi*. Hi sunt Dij Babylonis: Israẽlis aũt Deus est, qui omnia cõdidit. Quare meritò illi dissoluuntur: isti verò redeunt. *Tu dissipas mihi vasa belli: & dissipabo gentes in te*. Syrus interpretatus est illud, præpara mihi instrumenta bellica. At iuxta græcam interpretationem, sic intelligendũ est, Quoniã vsus es armis tuis cõtra populum meum, & tela hastasq; eiaculatus es in eos: & ego dissipabo in te gentes, Hoc enim innuit, Et ego dissipãs dissipabo gẽtes, quę venerunt in auxilium tuum: equos & ascenso-

res eorum: homines cuiuſcũq; ætatis & ſexus, principes,& ſubditos: paſtores,& agricolas. Et hæc patiemini, propter ea quæ commiſiſtis in Sion. *Ecce ego ad te,mons corrupte, qui corrumpis vniuerſam terram, dicit Dominus.* Ipſam vocat montem, ob excellentiam imperij: corruptum autem,impietatis & iniquitatis ergo. *Et extendam in te manum meam,& deuoluã te à petris.* Hoc eſt, humilem te exhibebo. *Et dabo te in montem cõbuſtũ.* pro,planè inutilẽ.quod declaratur ex ſequentibus: *Et non ſument de te lapidem in angulũ, & lapidem in fundamentum.quia redigeris in vaſtitatem æternam,dicit Dominus.* Nec regem creabunt,nec principem ex recentibus incolis. Fundamenta enim ſuſtinent ædificiũ anguli verò, compingunt. *Erigite ſignum in terra. Canite tuba inter gentes.Sanctificate contra eam gentes.* pro,ſegregata. *Annuntiate contra eam regnis Ararat, Menni, & Aſchanez eis.* Armeniam, appellat Ararat. Aſchanazei verò,ſunt gens alia, illorum vicina. Hos porrò cunctos coegit rex Perſarũ ac Medorum. hoc enim ſubiunxit: *Sanctificate contra eam gentes, regem Medorum, & omnes magiſtratus eius,& omnes duces eius.* At qui dicit terram eſſe commodam: *Quia ſurrexit cogitatio Domini contra Babylonem: vt redigat terram Babylonis in vaſtitatem, ne ipſa inhabitetur.* Prædicit etiam obſidionem, & imbecillitatem bellatorum intus exiſtentium: vrbis incendium,& hos qui captiuitatem eius regi ſunt nuntiaturi: comparantq; domorum deſtructionem cum area attenuata, & meſſe matura. & infert verba, quæ dicebat Ieruſalem de rege Babyloniorum: *Diuiſit mẽ :abſobuit me:inſtar tenuium tenebrarũ comprehendit me Nabuchodonoſor,rex Babylonis.* Tenuiſimus aer magis penetrat corpora noſtra. Ait ergo, Tenebræ calamitatis vel ipſa animæ meæ membra repleuerũt. *Reddidit me velut vas inane: abſorbuit me,quaſi draco: ventrem ſuum implenit de liciis meis.* Spoliauit, inquit, me omnibus bonis: & accipias vniuerſas opes meas, & proſperitate me priuans, imitatus eſt dracenem, ſtruthionũ catulos abſorbentem. Enimuero docet, quomodo iniquitates eius illã infirmam exhibuerunt,illum autem robuſtum. *Expulerunt me labores mei, & miſeriæ meæ in Babylonem, dicet Sion habitãtibus:& ſanguis meus ad habitantes Chaldæam, dicet Ieruſalem.* Vindicabitur,inquit, ſanguis meus de illis: & perſoluent pœnas eorum nomine,quæ perperam geſſerunt in me hac ratione, quæ dicta ſunt de Ieruſalem, oſtendunt iuſtam à Deo latam eſſe ſententiam. *Propterea hæc dicit dominus, Ecce, ego iudicabo aduerſariam tuam, & vlciſcar vltionem tuam.* Quia agnouiſti, quantum tibi ex peccato naſcitur detrimenti. *Et deſertum efficiam mare eius.* hoc eſt, ſubditorum multitudinẽ. *Et deſiccabo fontem eius.* Regnum & dominationem in omnes. Deinde refert,quæ propriè pertinent ad vaſtitatẽ. de qui bus ſæpe diximus. *Non habitabitur vna.* Paucas enim nunc habet domos,eaſq; diſiparas. Optimates autem eius cùm pares feciſſet leonibus, prædicit meticuloſum eorum animum, & internecionem. *Dabo enim,* ait, *potum eis. & inebriabo illos: vt conſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non excitentur, dicit Dominus. Et deducam eos, vt arietes, ac victimam, & ſicut agnus cum hœdis.* Et principes, & quibus imperant, & vnà cùm rege ſubditos. Agnos enim & hœdos, appellauit ſubditos: arietem autem principes. *Quomodo capta eſt Seſach: & venando arepta eſt gloria vniuerſa terræ?* Babylonem ipſam ita vocauit. Illius enim regem,in his quæ ſuperius interpretati ſumus,Seſach vocitauit: Veriſimile porrò eſt, cùm ita quondam nominaretur,poſtea Babylonem fuiſſe nuncupatam. Et quòd eo nomine ciuitatem vocet,teſtimonio ſunt. quæ ſubijciuntur: *Quomodo redacta eſt Babylon ad vaſtitatẽ, in omnibus gentibus?* Oſtendit etiam multitudinem exercitus inuadentis. *Aſcẽdit in Babylonem mare: in ſonitu fluctuum eius capta eſt.* Deinde poſt quam prædictionem vaſtationem, denuo profert in mediũ ipſum Bel. *Vlciſcar enim,* ait, *de Bel in Babylone: & eijciam ex ore eius quæ deuorauit. Et nõ congregabuntur ad eũ vltrà gẽtes.* Daniel quoq; meminit ciborũ, qui offerebantur ei: & quo pacto ſacerdotes conſumabant eos. Prædicit verò ſermo propheticus, erroris ceſſationem : & cõſolatur populum, exhortans, ne pertimeſcat mala,quæ obuentura ſunt Babyloni, docens, ea multò antè denũtiata eſſe. *Ingredietur enim eodem anno auditio: & poſt hunc in anno auditio, & iniquitas in terra: poteſtas aduerſus poteſtatem, & acies aduerſus aciem.* Quoniam vno aut duobus annis ante denuntiatum aduentum hoſtium, more ſuo perſeuerabant in iniuſtitia & iniquitate, propterea minatur interitum tam ſculptilibus quæ adorantur, quàm his qui adorant illa. Et vniuerſam creaturam dicit lætari de excidio eius. Nec nõ iuſtam eſſe vindictæ cauſam oſtendit,potiſſimumque de Babylone. *In qua cum reciderint vulnerati Iſrael, ob id Babylonis vulnerati ab vniuerſa terra cadent.* Quæ enim commiſerunt in Iſraelem, patientur ab alijs. *Cùm abducemini è terra, pergite, ne ſubſiſtereris. Memores eſtote Domini, qui procul veniſtis,* (Iudæis captiuis iſta dicit.) *& Ieruſalem aſcendat in cor veſtrum.* Ne obliuiſcamini dedicata Deo ciuitatis.

Deinde ex perſona illorum : *Erubuimus, quia audiuimus opprobrium noſtrum. Ignominia cooperuit faciem noſtram. Ingreſſi ſunt alienigenæ in ſancta noſtra, in domum Domini.* Eumq; in modum lugentibus illis, dixit Dominus. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & vlciſcar de ſculptilibus eius: & in omni terra eius cadent vulnerati. Quia ſi aſcenderit Babylon, ſicut cœlum: & ſi munierit ſublimitatem potentiæ ſuæ à me prodibunt, qui deuaſtent eam, dicit Dominus.* Maximis muris ac valde ſublimibus Deus, illos nullum inde conſecuturos auxilium, ipſa contra eos ferente ſententiam. Annectit etiam ſentẽtiæ diuinæ effectũ,& dicit: *Vox clamãtis in Babylone,& cõtritio magna in terra Chaldeorũ, quia vaſtauit Dominus Babylonem,& ſuſtulit ex ea vocem, ſonantẽ quaſi aquæ multæ.* Per hęc multitudinem incolarũ deſignauit: & quod ei tela vel haſtę nihil proderũt, Deo pœnas ab ea exigẽte. Præter ducũ & imperatorũ interitũ, *murus ingens illius effodietur: & portæ ſublimes fient pabulũ ignis.* Hęc vbi ſic prædixit, oſtẽdit ſe

ditſe prophetiam hanc iuſſu diuino ſcripſiſſe: anno regni Sedeciæ quarto: librumq; tradidiſſe Saraiæ, qui Babylonem à Sedecia miſſus eſt: cui denuntiauit, vt librum iſtum legeret in Babylone,& diceret, *Domine, tu locutus es cõtra locum iſtum, vt de populareris eũ, & vt non eſſet habitator in eo ab homine vſque ad pecus. quia vaſtitas in ſempiternum erit.* Iſta verò, inquit, cum præcatus fueris. & librum alligaueris lapidi, proijce in Euphratem: & dices, *Sic ſubmergetur Babylon: & non reſurget à facie malorum, quæ ego induco ſuper eam.* Hoc autem Dominus fieri præcipit, in conſolationem captiuorum: vt, cum illius captiuitatem, ſuamq; liberationẽ intellexerint, pro conſolatione, ſpem bonorum concipiant. Hic prophetia finem accepit.

CAP. LII.

QVæ verò ſequuntur hiſtorico potius more proſequitur:& docet, quo pacto Sedecias regnauit,& perſeuerauit iniquè agere: Quo etiam modo,anno nono regni eius, exercitum adduxit Nabuchodonoſor: qui in obſidenda Ieruſalem perdurauit,vſque ad annum vndecimum,altero extrinſecus ex ingenti lapide muro extructo: vtq; fames eos qui intus erant cruciabat acerbius, quam hoſtes ipſi. Recitat autem quemadmodum poſt caſum murorum potentiores noctu cum rege aufugerũt: quos perſecuti Chaldæi comprehenderunt & abduxerunt in Reblatha,& regi Nabuchodonoſor exhibuerunt. Ille verò redarguens Sedeciã, quòd iuſiurandum violaſſet, primũ quidẽ filios eius interfecit, deinde principes & poſt acerbum illud ſpectaculum, cum regis oculos effodiſſet, & ei compedes impoſuiſſet, deduxit in Babylone, & piſtrino tradidit. Docet item, qua ratione Nabuzardan, miſſus à Nabuchodonoſor, templum diuinũ incendit, & præterea palatia regis illuſtresq; ciuitatis domos, & muros vrbis fundit9 euertit. Et reliquis omnib9 in Rebla tha traductis, paucos quoſdã è pauperibus reliquit, vt terrã excollerent. Columnas etiã æneas immenſæ magnitudinis, quas apparauerat Salomon, & mare æneum, confluiſſet, tranſtulit Babylonem, & τὰς ποδιστῆρας, ac pelues virium recreationi paratas (ποδιστῆρας autẽ, Syrus interpreatus eſt, pelues lauãdis pedibus aptas) & alia cum eis vaſa abſtulit Babylonem. Sappho autem, vocat obeliſcos. Docet porro quonam pacto rex Babyloniorũ interemit primũ & ſecundum ſacerdotem, & quos abduxerat cum illi. Recenſetq; numerũ captiuorũ, quos abduxerat. Et adhæc refert, qui ſeptimo & triceſimo anno poſt captiuitatũ Iechoniæ (ipſum enim vocat Ioachin(Euilmerodach rex, illum ipſum Iechoniã è carcere liberatũ, boneuolentiæ participẽ effecit, dignatus eum ſolio regio. quem etiã ante reliquos ſedere præcipiens, conuiuã habebat, omniúq; rerũ neceſſariarũ, quibus frui liceret, copiã ſuppeditabat. Quæ quidem res prædicat clementiam & benignitatem Domini. Puniens enim, miſeretur: & caſtigatio ne vtens, conſolatur: iuſtitiæq; ſententiam clementia temperat. Quare nos iuſtũiudiciu formidare debemus: & beneuolentiam eius freti, de ſalute non deſperare: verum miſericordiã diuinã expectantes, recta via debemus incedere, quo beatũ finẽ adipiſci poſsimus. Per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrũ : cum quo patri noſtro ſit gloria, vna cum ſanctiſsimo Spiritu,& nũc & ſemper,& in ſæcula ſæculorũ, Amen.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, IN BARVCH PROPHETIAM INTERPRETATIO.

TOMVS VNDECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

ADmirandus Baruch diſceſsit vnà cum Iudęis qui aufugerãt in AEgyptum (hoc enim in præcedentibus didicimus) veruntamen poſt quinque annos ex quo capta eſt vrbs peruenit Babylonem. Omnem enim operam impendebant pietatis alumni, vt confirmarent infirmos,& ad veritatem deducerent. Cùm ergo peruenifſet Babylonem, recitauit diui Ieremiæ prophetiam cunctis captiuis,& potiſsimum Iechoniæ: qui cùm regnaſſet modico tẽpore, factus eſt captiuus. Nec aberrauit à ſcopo: quia duxit illos in ſenſum peccatorũ priſtinorum: vt etiã calamitatis cauſam agnoſcerent, multis etiã lacrimis profuſis, & quiſq; cõferet pecunias, quas mittebãt ſacerdob9 relictis in Ieruſalẽ, ad cõparãdas victimas, quas immolarẽt, vt Dominũ Deum ſibi propitiũ redderẽt. (τὸ θῦμα vocant, Hebræi ſacrificium vocant,) Poſtolant autem vitam regi Nabuchodonoſor, & Balthaſar filio eius. Hunc etiã in modum diuus Apoſtolus ſanciuit, præcandum pro regibus, qui religioné adhuc impugnaut,& pro his qui in ſublimitate & poteſtate ſunt conſtituti. Tanta eſt inter vetus & nouum Teſtamentũ conſonantia. Præcantur etiam ipſi vt ſeruiant,& vel inuiti illuſtra- 1. Cor. 2. d.

lustratos habeant oculos, ne quempiam errorem patiantur. Reuocant etiam in memoriam peccata sua, iustamque esse fatentur sententiam diuinam. Et obsecrant, vt hæc eorum epistola legatur Deo, in solennibus festis. *Et dicetis*, ait, *Domino Deo nostro iustitia: nobis autem confusio faciei nostræ, sicut est dies, hæc, homini Iudæ, & habitantibus Ierusalem, & principibus nostris, & sacerdotibus nostris, in conspectu Domini.* Iustissima, inquit pronũtiata est contra nos Dei sententia: nos autem pudore digni, palam omnes inique egimus. Nam cum regibus etiam sacerdotes conuersi sunt in viam contrariam. *Quia infideles ei fuimus, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt incederemus in mandatis Domini, quæ dedit nobis ante faciem.* Reuocat etiam in memoriã antiqua facinora. (*Nam ex* quo liberati sunt à seruitute Aegyptiorum patres nostri, vsq; in in præsentem diem, legem diuinam sine intermissione transgressi sumus. Et leues eramus, ita vt non audieremus vocem *ipsius.*) τὸ δὲ ἐξεδιάζομεν, id est, leues eramus, posuit pro, ἐπεινοοῦμεν, hoc est, excogitabamus peccatorum genera. Tales vocat etiam beatus Paulus, inuentores malorum. Collegamus autem ait, fructus peccatorum. *Adhæserunt enim nobis mala, & maledictio, quã constituit Dominus Mosi seruo suo.* Lex continet tum moledictiones tum benedictiones: obseruatoribus quidem, benedictiones: transgressoribus verò maledictiones.

Rom. 1. d.

CAP. II.

REferunt autem, quomodo aspernabantur prophetas, qui à Deo mittebantur ad illos: cum tamen completa sint, quæ prædicta sunt ab ipsis. *Et adduxit*, inquit, *super nos grandia mala, qualia non sunt facta deorsum sub vniuerso cœlo, iuxta ea quæ fecit in Ierusalem.* Et volentes ostendere, ipsa esse prædicta, subiecer ũt: *Secundum ea quæ scripta sunt in lege Mosi: vt comedat homo carnes filij sui, & homo carnes filiæ suæ.* Obsidio nanq; procurrauit famem fames tandem compulit eos de carnibus humanis sumere. Exultabant, ait, de miseria nostra, etiam vicinę gentes. *Et facti sumus subter, & non suprà.* Hoc est, serui, & domini. Deinde subiungit causam, *Quia peccauimus domino Deo nostro, & non obediuimus voci eius.* Rursum sentẽtiæ diuinæ iustitiã asscribentes, sibi confusionẽ tribuunt. Cum enim frequenter cõminatus sit Deus, & ista prædixerit per prophetas, minimè venimus ad Sempiternũ in dieb⁹ nostris. Atqui non muri committebãt hæc, aut dicebant: sed ipsi incolæ. Sed repugnantes perseuerauimus. *Et euigilauit Dominus in mala, quæ adduxit super nos.* Euigilationem Dei, vocat vindictã. Nam scripturæ diuinę mos est, longanimitatem eius, appellare somnum. Rursum, itaq; memoria recolentes supplicium. Dominum iustum esse dicunt: vt qui transgressores & sanari nolẽtes punierit. Deinde cum obtestatione supplicant, & memoria repetunt antiquam libertatem, quã adepti sunt patres eorum, aspera seruitute Aegyptiorum liberati. Et recolentes facta miracula, sua pronuntiant delicta, clamantes: *Peccauimus, impiè egimus, iniquitatem fecimus, Domine Deus noster, in omnibus iustificationibus tuis.* Omne, ait, mandatum tuum transgressimus: omnem legem conculcauimus. (*Auertatur*, quæso, ira tua à nobis. quia residui sumus pauci ex multis, inter gentes, ad quas dispersisti *nos.*) Iustum esse supplicium confitemur: sed vt sistas illud, supplicamus. Ad paucos enim redacti sumus, qui quondam arenæ comparabamur. (*Exaudi* Domine orationem nostram, & obsecrationem nostram: & erue nos propter *te.*) Nos non sumus digni: sed tu clemens & benignus es: vocamur item populus tuus: idcirco veniam consequemur. (*Et* da nobis gratiam in conspectu eorum, qui nos *transtulerunt.*) Ne nos oderint: sed sinant abire. (*Vt* cognoscat vniuersa terra, quia tu es Dominus Deus noster: & nomen tuum inuocatum est super Israel, & genus *illius.*) Malorum nostrorum mutatio, dabit alijs occasionem religionis & pietatis. Perspicient enim tuam Dei nostri potentiam. (*Domine* respice de domo sancta tua, & intende in *nos.*) Domum sanctam vocat, eam quæ erat Ierosolimis. In illa enim sui præsentiam exhibebat. *Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide* Solent molestia aliqua affecti claudere oculos, statim vt conspecti fuerint illi, qui iniuriam fecerunt: & pupillas oculurum auerte re, dum ij qui iniuria eos affecerunt, precantur eos. Hæc igitur posuerunt, humano more loquentes. Numen enim diuinum non est comprehensibile. His addiderunt: *Non mortui te laudare solent.* Sed hoc proprinm est viuentium. *Anima enim anxia sursum ascẽdit. Spiritus curuus & infirmus, oculi deficientes, & anima esuriens, dabunt tibi gloriam & iustitiam, Domine.* Qui in grauissimas calamitates delapsi sunt, & in desperatione melioris fortunæ constituti, deinde mutationem quandam adepti, tuam ingenuè collaudant clementiam. Mox dicunt, nempe, *Non de iustitijs patrum aut nostris confidentes, misericordiã aliquam consequi precamur.* Sumus enim digni malis, quæ nobis comminati sunt prophetæ. Hi nanq; suadebant nobis, vt correctionem iusti iudicij tui susciperemus & seruiremus regi Babylonis: & perpetuò contradiximus. Et impleuisti Domine, quæcunq; per illos prædixisti. Et non solum nos, qui viuimus, traditi sumus seruituti, sed & sepulchra patrum nostrorum, quinetiam regum, extra sunt à fundamentis: ita vt illorum ossa proiecta sint in aëra, & contrarijs mutationibus aëris corrupta. *Et mortui sunt doloribus pessimis, in fame, & in gladio, & in emissione.* At verò non modò tradidisti nos in famem, cædem, & seruitutem (nam τὴν ἀποστολὴν, hoc est, emissionem, captiuitatem appellat) sed & templum sanctũ tuum, factum propter nomen tuum, pręclarum & spectabile, fecisti desertum. Et hæc nihilominus adduxisti, non pro meritis impietatis nostræ: sed rigorem iustitiæ clementia tẽperasti. (*Nam* exercuisti, ait, in nos, Domine Deus noster: omnem æquitatem tuam, & miserationem tuam *magnam.*)

Videat lector, quorsum hæc dicta sint.

Faciunt etiam mentionem comminationum descriptarum in lege. Disertè enim prædixit inCantico, mala eis euentura: Dentes bestiarum *Deut. 32. d.*

rum

rum emittam in eos. Et vt ostendat, se vocare hostes, bestias, subiungit, Foris absq; liberis faciet eos gladius: intus pauor. Et rursum, Dispergam eos. Harum itaque meminerunt comminationum. Recolunt item bonorum promissiones. Dixisti enim, aiunt, te misserturum pœnitentiam, è captiuitate liberaturum, & pristinam restituturum libertatem.

CAP. III.

DOmine omnipotens. *Deus Israel, anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te.* Excessum inquit, video calamitatum, & magnitudinem desperationis. (*Audi* Domine & miserere: quia Deus misericors es tu. Et miserere quia peccauimus in conspectu *tuo.* Pelagus habes clementiæ, possides abyssum misericordiæ: porrige illam opus habentibus. Decet enim peccatores pœnitentiam agentes, misericordia. *Quia tu sedes in æternum: & nos perimus in æuum.* Tu, inquit es æternus: nos autem, temporanei. Tu sempiternus, & interitui minimè obnoxius: vita autem nostra exiguæ mensuræ dimensione continetur. Ad hoc significandum, posuit, (*Tu sedes* in æternum. Domine omnipotens, Deus Israel, audi orationem mortuorum *Israel.* (verba clarè ostendunt immortalitatem animæ.) *Et filiorum ipsorum, qui peccauerunt ante te.* Tu, inquit, dixisti, Dentes comedentium vuam acerbam, obstupescent. Intuere igitur in adolescentulos expertes peccati: & ne memineris peccatorum, quæ commiserunt patres nostri. *Sed recordare manus tuæ, & nominis tui, in tempore isto.* Vtere, inquit, solita miraculorum effectione: & quemadmodum eduxisti ab Aegypto, ita libera è Babylone. *Quia tu es Dominus Deus noster.* Quia tu es ille ipse, & non es immutatus: eadem præditus es facultate, eadem clementia, (*Laudabimus* te Domine: quia propter hoc dedisti timorem tui in cor nostrum, vt inuocetur nomen *tuum.*) Ostendit supplicij fructum. Eruditi enim, ait, conuersi sumus. (*Et laudabimus* te in peregrinatione nostra. Quia auersati sumus in corde nostro omnem iniquitatem patrum nostrorum, qui peccauerunt *ante te.*) Non sequimur, ait, patres, nec iuxta eorum institutionem ambulamus: sed insequimur leges tuas. Respice ergo opprobria nostra, & acerbam seruitutem, quã sustinemus, tum ob impietatem nostram, cum ob iniquitatem paternam. Hanc populi orationem vt inseruit Baruch admirabilis operi suo, apponit & responsum diuinum. (*Audi Israel* præcepta vitæ. Ausculate, vt cognoscatis prudentiam. Quid est Israel, quòd in terra hostili es? Inueteratus es in terra aliena: pollutus es cum mortuis: deputatus es cum descendentibus in *infernum.*) Quid hoc noui, inquit? Quid hoc tam præter opinionem? Qui populus meus vocabatur, illustris, omnium ore celebris, seruus pro libero, alienigenarum virorum & impiorum conuiua, præ malorum excessu, accedit ad mortuorum similitudinem. Mox docet, quæ sint horum causæ. (*Dereliquisti* fontem sapientiæ. Si in via Dei ambulasses, habitasses in pace, tempore *perpetuo.*) Tibi ipsi, ait, procurasti hæc mala. Cùm enim vti debuisses duce lege, quam attulerat tibi fons sapientiæ, sectatus es vanas cogitationes. (*Disce, vbi* sit prudentia, vbi sit fortitudo, vbi sit intellectus: vt cognoscas simul, vbi sit longæuitas & vita: vbi sit lumen oculorum, *& pax.*) Nunc saltem, quandoquidem non antea, quærito, & cognoscito, quis horum bonorum administer.) *Quis* reperit locum eius? & quis ingressus est in thesauros *illius?*) Hoc est, prudentiæ. *Vbi* sunt principes gentium, qui dominabantur bestijs, quæ sunt super terram? Qui in auibus cœli ludebant: qui thesaurizabant argentum & aurum, in quo confidunt homines: & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabrefaciunt, & soliciti sunt, nec est inuentio operum *illorum?*) Comparat cultum diuinum cum diuitijs & potentatu. hortaturque reuocare in mentem reges lege carentes, qui nunquam opibus satiari poterant. hi quoque, inquit, arte venatoria in bestias & aues imperium obtinebant. Illorum verò etiam exitum edocet. (*Exterminati* sunt, & ad inferos descenderunt: & loco eorũ alij surrexerunt. Iuniores viderunt lumen, & habitauerunt super terram: & viam scientiæ nescierunt, nec intellexerunt semitas eius, neq; assecuti *sunt eam.*) Illi etiam, inquit, traditi sunt corruptioni: & qui descenderunt ex illis, sunt quidem connumerati cum viuentibus, eiusdẽque luminis sensibilis splendorem participarunt, non tamẽ adepti sunt radium intellectus & notitiæ diuinæ. Recenset porrò Chananæos, Idumæos & Ismahelitas, qui gloriabantur de sapientia. Theman enim, est Idumæa: Agar autem mater Ismahelis. Hos vocat fabulatores, quia parabolicè disputare consueuerunt. Veruntamen neque hi viam sapientiæ agnouerunt: vtpote, qui nunquam impietati seruire desierunt. (*O Israel*, quam magna est domus Dei, ingensque locus possessionis eius: Magnus est, & non habet finem, excelsus & *immensus.*) Ne putes, ait, illud esse templum Dei, quod præparauit Salomon. Templum enim Dei maximũ est & immensam: nempe expers interitus, cùm fine careat.

Mentione autem facta gigantum, qui ob magnitudinem corporis fuerunt celebres, subdidit: *Non hos elegit* Deus, neque viam sapientię dedit illis: & perierunt, eò quòd nõ habuerint sapientiam: perierunt, propter suam *insipientiam.*) Ista porrò percurrit, volens ostendere, se anteposuisse illos omnibus gentibus, solisq; dedisse legem scriptam, prophetas misisse, omni solicitudine dignos habuisse: nouissimè tandem ad ipsos, factum hominem, deuenisse. Id enim clarè docet ex sequentibus: (*Quis ascendit* in cœlum, & accepit eam, & deduxit eam de *nubibus?*) Hoc est sapientiam. (*Quis traiecit* mare, & inuenit illam, & attulit illam super aurum *purum?*) Non est venditioni obnoxia, inquit, nec facilè prostat mercatoribus. (*Non est* qui cognoscat viam eius, nec qui excogitet semitam *illius.*) Excedit, inquit, cogitationem humanã. (*Sed qui* scit vniuersa, nouit illam: & adinuenit illam intellectu *suo.*) Hanc dictionem, ἐξεῦρεν, id est,

id est,adinuenit, posuit humano more. Nam vocauit eum,fontem sapientiæ:& in proœmio huius prophetiæ, fontem vitæ nominauit ipsum.In sequentibus verò demonstrat omnipotentiam diuini opificij.(*Qui* præparauit terram in æterno tempore: & repleuit eam iumentis *quadrupedibus.*αἰὼν, id est,sæculum, vocatur etiam vita præsens quadrupedum: futura autem αἰὼν αἰῶνος,hoc est,sæculum sæculi. *Qui emittit* lumen,& vadit:& vocauit illud,& obedit illud,& obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt. Vocauit eas,& dixerunt,Adsumus. Luxerunt cum lætitia,ei qui fecit *illas.*) Cuncta, inquit, parent factori. quicquid factum est, custodit proprios terminos.Custodias autem stellarum vocat καιρούς,id est,tempora et opportunitates. Nam vnaquæque definito oritur tempore. *Hic est Deus noster.*Horum omnium opifex, horum gubernator & præfectus. *Non æstimabitur alius erga eum.* Non facit comparationem Patris & Filij: sed reijcit eos,qui vocantur Dij. *Adinuenit omnem vitam scientiæ.* Item humano more loquens,posuit istud verbum, *adinuenit:* cùm sit fons bonorum, *Et dedit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo.*Vtpote doctrinam notitiæ diuinæ,& legem datam per Mosem. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Sermo iste nobis dilucidè ostendit,Vnigenitũ humanam naturam assumpsisse, ipsumq; vniuersorum esse opificem,& sapientiæ fontem:illius etiam ipsum esse factorem, & Dominum. Et de ipso ait in Prouerbijs,Dominus creauit me initium viarum in opera sua.Non enim Deus Verbum illa dicit, sed Dei Verbi ab ipso præparata sapientia. Prouer. 8.

CAP. IIII.

Hic est labor mandatorum Dei. Vtpote, datus per humanæ naturæ assumptionem vnigeniti filij Dei. *Et lex,quæ est in æternum.* Vetus enim testamentum finem accepit.(*Omnes* qui tenent eam,peruenient ad vitam : & qui dereliquerint eam, *morientur.*) Vtrorumque finem ostendit.

Deinde hortatur populum, qui nominatur Iacob:(*Conuertere* Iacob,& apprehende illam: ambula ad splendorem contra lumen *illius.*) Sectare splendorem radij: illustrabit enim te, & deducet ad vitam. *Ne des alteri gloriam tuam: & quæ tibi conferunt genti alienæ.* At non audiuit Israel.Propterea ipsi procul steterunt à bonis: gentes autem,fruuntur bonis à Deo datis. *Beati sumus, Israel:quia quæ placent Deo, nota sunt nobis.* Nullum,inquit,habemus ignorationis prætextum.quia certiores nos fecit eorum quæ placent illi.

Deinde bono animo eos esse iubet,docetq;, tunc quidem duræ seruituti traditos, nõ quòd planè Deus omnium auersatus sit illos, sed quòd per castigationem de illis bene meriti nitatur. Relicto enim eo, ait,qui ergavos beneficus erat,prætulistis cultum dæmonum,nutricietiam vestræ vastationis causa effecti.

Vtens insuper prosopopœia, exhibet ciuitatem reliquis sibi subditis ciuitatibus cum luctu dicentem,*Profectò luctum acerbum adduxit mihi Dominus.*Vidi enim quosdam ex incolis interfectos,alios in molestam seruitutem traditos.*Nemo congratuletur mihi viduæ,à populis derelictæ.*Seipsam appellat viduam, tanquam destitutam prouidentia diuina. *Desolata sum,propter peccata filiorum meorum.* Quæ enumerat, & recitat hostium crudelitatem. (*Non erubuerunt,* inquit,senem , non miserti sunt pueri : & abduxerunt dilectos viduæ:& solam, filiabus carentem *effecerunt.*) Seipsam, vt arbitror, vocat solam, eò quòd in ea sola sit templum Dei: aut fortasse,quòd relicta sit sola, alijs vrbibus ab Assyrijs depopulationem passis. Tum dicit ipsa,se quidem opem ferre non posse, sed auxilium diuinum pollicetur, lugens nihilominus præsentem vastationem. *Relictæ sum,* inquit, *desolata:& exui me stola pacis.* Ostendit autem eorum,qui relicti sunt, mutationem. *Et indui me sacco obsecrationis meæ,& clamabo.* Postmodum exhortatur eos , ad fiduciam collocandam in beneuolentia diuina,& misericordiam implorandam.Etenim ego,inquit, expecto reditum vestrum. (*Quia* emisi vos cum luctu:sed restituet mihi vos Deus cum gaudio *& lætitia.*) Similia sunt hæc eorum quæ dicta sunt à beato Dauide,Euntes ibant & flebant , mittentes semina sua.Venientes autem venient cum exultatione,portantes manipulos suos,Commemorat item oblectationem,quam capiebant vicinæ gentes de eorum captiuitate: & mœrorem, quo tenebantur post reditum illorum.Admonet autem eos , vt patienter ferant castigationem inflictam,ac pollicetur rerum immutationem.(*Persecutus est,*ait,te inimicus tuus: & videbis breui interitum eius.Et super ceruicem illius *ambulabis,*)Inimicos vocat,Idumæos,Ammonitas,Moabitas, alienigenas. (*Delicati* mei ambulauerunt vias asperas: ablati sunt, velut ouile, quod direptum est ab *hoste,*) Delicatos vocat eos,qui opibus ac rebus omnimodis abundant: vtqui nulla experiantur aduersa.Tũ hortatur eos,vt per pœnitentiam sibi comparent salutem.Hæc vt dixit ex persona Ierusalem ,consolatorijs eam sermonibus alloquitur.(*Confide* Ierusalem : consolabitur te , qui tibi nomen *dedit.*)Suscepit tuam,ait,in meliora mutationem. Mutabit tuam calamitatem, qui tibi denominationem imposuit, hoc est, opifex tuus: qui te præ cunctis ciuitatibus in honore habuit.(*Miseri,qui* te vexauerunt,& gauisi sunt de casu tuo.Infelices vrbes, quibus filij tui *seruierunt.*)Babylonij enim dederunt pœnas iniquitate dignas.Docet deinceps ,fore,vt Babylon sua lugeat mala. (*Amputabo enim,* inquit,turbulentam exultationem eius, & iactantia illius vertetur in luctum.Nam ignis prodiens à Sempiterno aggredietur eam in dies pauos,&habitabitur à dæmonijs longo *tempore.*) Hanc vltionem passa est opera Persarum.Atverò ostendit hic sermo non prædixisse, illam fore prorsus inhabitabilem,sed diu: nunc autem à paucis Iudæis incolitur.(*Circumspice* Ierusalem ad orientem, & vide lætitiam tuam, à Deo tibi *obedientem.*)Vaticinatur reditum captiuorum.(*Ecce,veniunt* filij tui,quos emiseras: veniunt congregati ab oriente vsque ad occidentem,verbo sancti: gaudentes ob honorem *Dei.*)Non enim viribus superauerunt hostes:sed qui tradidit eos Deus , restituit libertatem. Psal.125.a.

CAP. V.

IVbet porrò,stolam lugubrem deponere,& induit eam habitu sacerdotali. (*Induere,* inquit,deploide iustitiæ,quæ est à Deo:& impone capiti tuo mitram gloriæ *æternæ.*)In mitra enim inerat lamina aurea,in qua insculptum erat nomen Dei.(*Quia Deus* ostendet splendorem tuum vniuersæ creaturæ,quæ sub cœlo est. Vocabitur enim à Deo nomen tuum in sæculum, Pax iustitiæ,& Gloria *pietatis.*)Hæc autem nomina nunc habet:propterea concurrunt ad eam cuncti.Saluatoris enim passio reddidit illam splendidam & illustrem. Hortatur denuo illam,vt spectet captiuos redeuntes ab oriente & occidente:docetque,victos illos pedites abductos esse,reuersuros autem omni cumulatos honore.Sciendum tamen est, redeuntibus illis,qui erant in Babylone,tanquam pace genti præstita,reuersos etiam esse eos, qui aufugerant tempore belli,& deuenerant ad partes australes & occidentales:ideo meminit etiam redeuntium ab occidente. (*Constituit* enim Deus,omnem montem excelsum & rupes perennes humiliari,& conualles repleri ad æqualitatem terræ:vt ambulet Israel tutò, in honorem *Dei.*)Omnem,inquit,asperitatem represit. Dissoluit Babylonios:qui videbantur esse simile montibus excelsis :eos autem qui sub iugo illorum tenebantur,& humilibus vallibus similes erant,sursum oculos erigere fecit.Nobis ergo securitas reditus vndecunq; parata est.(*Syluæ condensæ* & vmbrosæ,atq; omne lignum,mãdato Dei,cesit in odorem suauẽ *Israeli.*) Hæc accedere videntur ad ea , quæ dixit Dauid, Montes exultauerunt,vt arietes:& colles, sicut agni ouium.Syluas ergo figuratè vocat,gentes interiacentes:quæ non ferebant Deo fructum pietatis,Israelem tamen redeuntem cum omni obsequio honorificè prosecuti sunt. Et profert causam bonorum.(*Deus enim* erit dux Israelis cum lætitia,in lucem gloriæ eius, cum misericordia & iustitia,quæ est *ex ipso.*)Deo duce, omnia leuia & facilia.Misericordia quidem vsus est,erga populum :iustitia verò contra Babylonios.Illi enim peccantes,per castigationẽ emolumentum adepti sunt: hos verò victoria reddidit dementiores, & magis impios.Quam obrem supplicemus nos Deo vniuersorum , vt sit perigrinationis nostræ dux & imperatu,: vt lumine vultis sui intermedio,iuxta Dauidi eã melodiam,pergentes ,non declinemus ad dexteram vel sinistram:sed incedamus via regia, quæ ducit ad vitam. Quam vtinam consequi nobis liceat , per gratiam & beneuolentiam Domini nostri Iesu Christi , cui cum Patre sit gloria , vnà cum sanctissimo Spiritu , & nunc,& semper,& in sęcula sæculorum, Amen. Psal.113.a.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS IN DIVI IE-
REMIAE LAMENTATIONES,
INTERPETATIO.
TOMVS DVODECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

LAmentatio equidem commiserationis & intimi amoris est indicium. Cæterum arbitror diuinum prophetam scripsisse lamentationes in gratiam & vtilitatem tũ eorum,qui tunc temporis viuebant,hominum,tum posteriorum:vt tam illi quàm hi intelligant ex scriptis, quantorum peccatum sit causa malorum. Quatuor igitur conscripsit Lamentationes : quarum vniuscuiusque versus composuit iuxta numerum & ordinem elementorum. Luget autem vrbis vastationem, multitudinis incolarum eius,antequam destructa esset, facta mentione: videns etiam illam miserè soluentem tributum,quæ ab alijs ciuitatibus quondam accipere solebat.Vsus autem prosopopœia , dicit, ciuitatem,noctu diuque lacrymas effundere, eò quòd non sit,qui consoletur:& omnes amici eius denegent eam. Profertque in medium totius Iudææ translationem,& molestam seruitutem:& ait,facilè mancipatos fuisse propter peccatum.(*Omnes* persequentes, inquit , illam, apprehenderunt eam inter *affligentes.*) Meminit etiam viarum homines imitantium,tempore solennitatum, (nam vndecunque concurrebant omnes ad vrbem) & luget. Videri enim possunt ijs qui anguntur ,inanimata quodammodo mutationem suscipere.Et horum causas refert.(*Facti sunt* tribulantes eam , in caput . & inimici eius locupletati sunt. Quia Dominus humilia-

humiliauit eam, propter multitudinem impietatum *eius.*) Hoc & beatus Moſes prædixit eis,
Deute. 28. b. tranſgredientibus legem diuinam, Erunt hoſtes tui ſuprà, & non ſubter. Quinetiam lac ſugentibus vnà cum ſenibus interitum futurum dicit: Sugens, ait, vbera, cum eo qui ſenex euaſit. Ita & hic: *Pueri eius perrexerunt in captiuitatem, ante faciem tribulantis.* Narrat porrò, quo pacto priuata eſt decore priſtino: & confert principes cum arietibus carentibus pabulo. ſpoliati ſunt enim priſtino robore. Deinde iubet, vt reuocentur in memoriam proſpera & aduerſa, quæ olim acciderunt Ieruſalem: quibus ſi conferantur mala, quæ modò obuenerunt, videbuntur multò minus eſſe curabilia, eò quòd de illius calamitate lætentur inimici. Continenter inſtruit, quæ ſit cauſa calamitatum procurans vtilitatem. (*Peccatum enim*, inquit, peccauit Ieruſalem, propterea facta eſt in *commotionem.*) Quapropter hi, qui prius eam venerabantur, ſpectato eius infortunio, contumelioſi fuerunt in eam. Poſt hæc meminit peccatorum cuiuſcunq; generis: *Sordes ante pedes eius, non eſt recordata finis ſui, & cecidit mirabiliter.* Conuenit enim, non de proſperitate confidere, ſed expectare mutationem. Quando igitur nemo ei adfert conſolationem, ait, Tu Domine, qui intueris eam infeliciter agentem, miſerere. Vehementer autem luget, quòd hoſtes auſi ſint ingredi ſecreta templi, inquiens, (*Manum* ſuam extendit, qui affligebat, ad omnia de ſiderabilia eius. Vidit enim gentes ingreſſas in ſacrarium eius, de quibus præcepiſti ne intrent in eccleſiam *tuam.*) In ſancta ſanctorum equidem ſoli pontifici licebat ingredi, & hoc, ſemel in anno: in ſancta verò anteriora, ſoli ſacerdotes ingrediebantur: in interiorem verò aulam, etiam Leuitæ: at in exteriorem, qui erant de genere Iſrael & Proſelyti circunciſi. Omnẽ nanq; non circunciſum etiam in illam lex prohibebat intrare: maximè tamen Moabitas & Ammonitas ingredi vetat, Ammonita & Moa-
Deut. 2. a. bita non intrabit in eccleſiam Domini in æternum. Huius legis meminit lamentatio. Deinceps recitat mala, quæ contigerunt ex fame: (*Omnis* populus eius gemens quærit panem, dederunt deſiderabilia ſua pro cibo, ad reducendam *animam.*) Hoc loco *deſiderabilia* vocat, infantes. Nam guſtauerunt tempore famis etiam de carnibus humanis. Implorat nihilominus clementiam diuinam. (*Vide* Domine, & reſpice, quia ignominioſa facta *ſum.*) Mox admonet tranſeuntes per eam, vt intueantur incomparabilem dolorem illius. (*Hunc autem*, ait, induxit mihi Dominus, locutus *in me.*) Hoc eſt, mandauit duntaxat, & inflicta ſunt mihi mala. Τὸ ἐπεφύλισέμοι, id eſt, vindemiauit me, Syrus interpretatus eſt ἤλεμοι, hoc eſt, coxit me: Refert etiam plagam diuinitus ſibi illatam. (*De excelſo* ſuo emiſit ignem in oſſa mea, & adduxit eum ſuper *me.*) Ipſe ſiquidem conceſsit hoſtibus, vt auxiliarios adducerent, obſiderent, & incenderent ciuitatem. (*Expandit* rete pedibus meis: auertit me retrorſum. Tradidit me deſolatam tota die *dolentem.*) Rete vocat, mala quæ euitari non poſſunt. Etenim etiam qui auſugerant capti ſunt. Oſtendit quoq; iuſtam eſſe vltionẽ. (*Vigilauit* in impietates meas, & manibus ſuis *conuoluit me.*) Pro, compedes iniecit mihi, & hoſtibus tradidit. *Aggrauauit iugum ſuum ſuper collum meum.* Quoniam acerbè me coegit ſeruire crudeliſsimis Babylonijs. (*Et infirmata* eſt virtus mea, quia dedit, Dominus in manibus meis dolores, quos non valeo *ſuſtinere.* Deflet etiam optimatum interitum. (*Abſtulit* omnes robuſtos meos: Dominus vocauit ſuper me tempus conterendi *electos meos.*) Syrus & Hebræus vocant tempus, calamitatem. Et nos ſæpenumero ſolemus lugere difficultates temporum. (*Torcular* calcauit Dominus virgini filiæ Iuda: propterea *ego fleo.*) Perſæpe ſcriptura diuina comparat grauiſsimum ſupplicium cum torcu lari, eò quòd in tortularibus omnes vuæ conterantur, ita vt ne acinus quidem vnus, vt plurimum, effugiat. (*Oculi* mei deduxerunt aquã: quia elongatus eſt à me *conſolans me.*) Et oſtendens, quis ſit ille, ſubiunxit: *Qui conuertit animã meam.* Nam per id caſtigationem adduxit, animæ meæ procurans id quod vtile eſt.

Luget etiam filiorum internecionem, & dominationem hoſtium. Necnon ipſius lugentis habitum deſcribit, *Expandit Sion manus ſuas.* Illæ enim quæ lugent, conſueuerunt & extendere & contrahere manus ſuas. Dicit itaque, illam admittere non poſſe conſolationem: præcipuè, cùm Dominus permiſerit hoſtibus, facere impetum in eam, & conſecratam polluere. (*Facta* eſt enim, ait, Ieruſalem quaſi menſtruata in medio *eorum.*) Immunda enim erat ſecundum legem, quæ patiebatur fluxum ſanguinis. Huic ergo parem facit ciuitatem, alienigenis & impijs hominibus plenam. Sanè propheta aſſiduus eſt in prædicanda ſententiæ diuinæ iuſtitia, emolumentum inde præbens cuiuis occurrenti. *Iuſtus eſt Dominus: quia os eius irritauit.* Quia latas ab eo leges tranſgreſſa ſum.

Poſteaquam verò deſleuit virginum & iuuenum mancipationem, docet, inutilem eſſe cultum idolorum. amaſios ſiquidem vocat illa. Deprecatur autem eum, qui poteſt delere deformitatem malorum, miſereri eius, quæ confitetur peccatum. *Exaſperans enim*, ait, *exaſperauit.* Angit verò grauiter eam, quod illudatur ab hoſtibus. Et hoc, inquit, annuente te factum eſt. (*Nam* adduxiſti diem, & vocaſti tempus: & obtigerunt mihi, *heu, heu.*) Et exoptat, illos in eaſdem incidere calamitates. (*Prodeat enim*, ait, omnis iniquitas eorum ante faciem *tuam.*) Sicut cõtemplatus es, inquit, iniquitatem meam: ita etiam intuere impietatem eorum. (*Et vindemia* illos, quemadmodum vindemiaſti me, pro omnibus peccatis meis. quia multi gemitus mei, & triſtatur cor *meum.*) Et hoc loco Syrus τὸ ἐπιφύλλισόμ, quod eſt vindemia, ſic interpetatus eſt, & affligе illos, ſicut afflixiſti me. Prima ergo Lamentatio ſortita eſt hunc finem.

CAP. II.

PRoœmium verò ſecundæ eſt huiuſmodi: (*Quomodo* obtexit Dominus caligine iræ ſuæ filiam Sion? Proiecit de cœlo in terram gloriam Iſrael? Et non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die iræ *ſuæ?*) Et hinc clarum eſt, diuinum Dauidem, ſcabellum pedum eius, appellaſſe templum Dei: Adorate enim, ait, ſca-
Pſal. 98. a bellum pedum eius, Sine dubio propheta calamitatem ſimilem fecit caligini: & dicit ciuitatem de cœlis in terram eſſe proiectã. Eò quòd priuata ſit floreſcente gratia, hoſtibus effecta eſt captu facilis. *Præcipitauit Dominus* non parcens, omnia ſpecioſa Iacob. Deſtruxit in furore ſuo munitiones filiæ Iuda: agglutinauit ea in *terram.*) Hoc eſt, vſque ad ſolum deturbauit. *Polluit reges eius, & principes eius.* Hæc & beatus Dauid prædixit, Poſuiſti, ait, firmamentum
Pſal. 88. f. eius formidinem. Dirripuerunt eum, omnes tranſeuntes viam. (*Confregit* in ira furoris ſui omne cornu *Iſrael.*) Appellat cornu, principes & potentes. *Auertit* retrorſum dexteram ſuam à facie inimici: & accendit in Iacob ignem ardentem: & deuorauit omnia quæ ſunt in ambitu *eius.*) Ingruentibus enim hoſtibus, noluit adiuuare. Atqui videbatur generoſo duci ſimilis, qui facilè poſsit hoſtes fundere, licet manus in tergum vertat, & velut inimicis concedat victoriam. Ediuerſo, inquit, in me vſus eſt manibus. *Tetendit enim* arcum ſuum, quaſi inimicus: firmauit dexteram ſuam, velut aduerſarius: occidit omnia deſideria mea, in tabernaculo filiæ Sion. effudit, velut ignem, furorem *ſuum.*) Etenim hoſtes in templo cædes committere auſi ſunt. Hoc ſermone docemur, quòd permittente Deo omnia illa fiebant. Ob id enim quòd peccauerunt, fauit partibus inimicorũ: & hoſtium miniſterio muros deſtruxit, & domos incendit, viris & mulieribus luctum addu xit. Hoc enim ait: *Multiplicauit* filiæ Iudæ humiliatum & humiliatam: & demolitus eſt, quaſi vineam, tabernaculum *eius.*) Exuſſerunt enim hoſtes templũ Dei. *Abolouerunt feſtum eius.* Quia non amplius feſta celebrabant: ſed lugere cogebantur. (*Dominus* fecit, vt Sion obliuiſceretur feſti & *ſabbathi.*) Addidit etiam regum & ſacerdotum interitum, vaſtationem templi, altaris pollutionem, deſtructionem murorum: &, quod omnium moleſtiſsimum eſt, *vocem belli dederunt in domo Domini*, tanquam pſalmum Leuitarum, *in die feſti.* Loco pſalmodiæ ſolitæ reſonabat vlulatus hoſtium. (*Cogitauit* Dominus diſsipare murum filiæ Sion: extendit *menſurã.*) Id eſt. æquam & iuſtam ſententiam. Hoc etiam perſpexit beatus Zacharias.

Facta iterum portarum, murorum, & principum mentione, ſubdidit, *Non eſt lex.* Siquidem ante aduentum hoſtium, citra formidinem tranſgrediebantur legem: poſt vrbem verò captam, & incendium templi, ne volentes quidem poterant iuxta legem peragere officium diuinum. *Et prophetæ quoq; eius non inuenerunt viſionem à Domino:* Dicit pſeudoprophetas: qui vaticinabantur ei falſa.

Subindicat ſenes lugentes, & ſaccis indutos. quinetiam ipſe propheta clamat, *Defecerunt in* lacrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea: effuſa eſt in terram gloria mea, in contri-

tionem filiæ populi *mei.*) Oſtendit autem tribulationem miſericordia digniſsimam. *Dũ exanimarentur pueri & lactentes in plateis ciuitatis.* Fames ſiquidem vincebat amorem naturalem. quod ſubiunxit: (*Matribus* ſuis dixerunt, Vbi triticum, & vinum? dum defecerunt *ipſi.*) Dicit, ſe non reperire æſtimationem & pondus huius afflictionis. *Quid enim*, ait, teſtificabor tibi, aut quid comparabo tibi, filia *Ieruſalem?*) Reducit etiam in memoriam pſeudoprophetas, qui fauſta prædicebant. (*Propheta enim tui*, inquit, viderunt vanitatem tuam, & imprudentiam tuam: & non aperuerunt iniquitatem tuam, vt auerterent captiuitatem tuam. Et viderunt tibi aſſumptiones vanas, & *expulerunt te.*) Quia prædicentes grata, impediebant pœnitentiam: nec ſinebant eos à frequenti ſcelere recedere. (*Plauſerunt* ſuper te manibus omnes prætereuntes viam: ſibilauerunt: mouerunt caput ſuum ſuper filiam *Ieruſalem.*) Iſtud proprium eſt eorũ, qui admirantur res in deterius mutari. Refert autem eorum verba, (*Eratne* hæc ciuitas corona gloriæ, decor honeſtus, & lætitia vniuerſæ *terræ?*) Cuncta hæc dicit impleta eſſe, iuxta prædictiones diuinas: docetque, quibus verbis vſi ſint inimici inſultantes, ob aduerſa quæ illi acciderunt. *Hæc enim eſt dies, quam ſperabamus: inuenimus, & vidimus eam.* Quod & beatus Dauid *Pſal. 78. a* prædixit, dicens, Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt. Et rurſum, Poſuiſti nos in ig-
Pſal. 43. b nominiam in gentibus: commotionem capitis in populis. Denuo verò propheta, proſopopeia vſus, ſuadet muris & vrbi, noctu diuq; lacryma ri: ob omnimodas calamitates & malorum exceſſum refert: (*Comedunt ne* mulieres fructum ventris ſui? Vindemiam fecit *coquus.*) Hoc eſt, fructum ſerò natum coxit. Hoc enim ſubdit: *Interficientur in ſanctes multi, lactentes vbera.* Addit & aliam abſurditatem: *An occident in ſanctuario Domini ſacerdotem & prophetam?* Perſonarum & loci qualitate demonſtrauit afflictionis ſuperlationem. Poſtquam verò luxit ſenum, adoleſcentulorum, & virginum mancipationem ſubdidit, (*Vocaſti in* circuitu, tanquam ad diem feſtum, coloniam meam. Et nullus fuit in die iræ Domini ſaluatus & *derelictus.* Nam qui metuebant incurſionem hoſtium, illuc confugerunt, velut ad vrbem munitam. ibi nihilominus omnes capti ſunt. Conſueuerant enim tempore feſtorum illuc omnes concurrere: idcirco comparat feſto captiuitatem. (*Enutriui*, obtinui, multiplicaui: & hoſtis cuncta ſimul *abſumpſit.*) Inanis, inquit, effectus eſt labor meus: priuata ſum omnibus alumnis meis. Hic finem dedit ſecundæ Lamentationi.

CAP. III.

TErtiam verò exorditur, in hunc modum: *Ego vir, videns paupertatem.* In omnibus propheta iſte diſertè prædixit tempus calamitatum. Paupertatem igitur vocat, penuriam bonorum. (*In virga* furoris aſſumpſit me, & abduxit me in tenebras, & non in *lucem.*) Tribulationes contra ciuitatem illatas familiariter explicat,

cat,tenebras vocans infortunium.(*Verùntamen* in me conuertit,& mutauit manum suam, totam *diem*.) Nam cùm olim suppediteret mihi bona,nunc adducit castigationem.Istud enim significatur,per,(*mutauit* manum suam.Ad vetustatem redegit carnem meam,& pellem meam:ossa mea *contriuit*.) Ista enim omnia parit desperatio. *Aedificauit contra me,& circundedit me*.Pro inuecta mala non possum effugere.Innuit etiam externum murum, quem obsidentes hostes extruxerant. (*Caput* meum vexauit sedere me fecit in tenebris, sicut mortuos *seculi*.) Obscurè per hæc designat asperam seruitutem.Etenim rex Babylonis,vbi Sedeciæ oculos effodisset, tradidit eum in pristinum. quod declaratur ex his quæ subijciuntur. *Aggrauauit iugum colli mei*. Crudelissimis siquidē hostibus seruire me coegit.*Tametsi vociferer,clamenque*.Non suscipit enim meam obsecrantis orationem. *Aedificauit vias meas in marmore,& semitas meas deleuit*. Occludor enim afflictionibus,quas vitare nequeo. (*Ipse factus* est mihi vrsus insidians:velut leo in abditis. Persecutus est me recedentem:*perturbauit me*.)Docet, quā iusta sit castigatio. Ego siquidem,inquit,prius defeci,post hoc tale mihi supplicium inflixit. Harum alioqui prædictionum etiam antiquiores prophetæ meminerunt.(*Reddidit* me vastatam: tetendit arcum suum,& firmauit me,tanquam signum ad *sagittam*.) Qui iaculantur ad scopum,eamque artem exercent,non duo,tria aut quatuor duntaxat,tela mittere solent: sed plura.Per iaculationes,notat calamitatis vicissitudinem.Refert quoque dolorem animi,(renes enim appellat,cogitationes) itidem, se exultationi factam esse hostibus,illatas ei calamitates assiduè canentibus. Denudauit,ait, me omni robore. Istud enim designat. *Et eiecit lapillo dentes meos:& aluit me cinere*. Syrus autem dicit,ἐμπτέρσα,id est, lapide.Nam et pristina pace priuauerunt me,& quibuslibet bonis. *Et dixi,Periit victoria mea:& spes mea à Domino*.Melior rem,inquit,spem abieci: veruntamen macero animam continua molestiarum memoria, & attraho Dominum ad misericordiam.(*Misericordiæ* Domini multæ: quia non defecimus. quia non sunt consumptæ miserationes *eius*.) Si enim par peccato supplicium inflixisset,cædem nunquam euadere potuissemus. Deinde propheta supplicationem offert,eorum nomine: *Renoua eos, velut diluculum matutinum*. Quia calamitatem nominauit, tenebras : mutationem eius, comparat diluculo, *Multiplicata est fides tua in matutinis*.Quoniam facta mutatione synceriorem dabunt operam pietati.Multæ sunt enim angustiæ meæ : defecit cor meum. *Pars mea Dominus,dixit anima mea: propterea expectabo eum*.Nullum,inquit,aliud habeo perfugium: sed tuum auxilium expecto.Postea docet, quænam sit vtilitas spei in Deum. (*Bonus* Dominus expectantibus eum,Animæ,quæ quærit eum,viuet.Bonum est sustinere,& sperare in salutare *Domini*,) Ad consolationem eorum, qui despondent animum,hæc docet,& alia. *Bonum* est viro,cum tulerit iugum à iuuentute sua. Sedebit solus,& tacebit:quia tollit super seipsum graue *iugum*.) Hoc & beatus Dauid dixit, Bonum mihi,quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.Istud autem,*Sedebit solus,& tacebit*,docet constantem esse, & tolerare aduersa.Cui consonant,quæ subduntur:*Dabit in puluere os suum*.nempe,si est spes patientiæ. *Dabit percutienti se maxillam suam, & satiabitur conuicijs*.Hæc est lex euangelica.Dominus enim præcepit,percutienti dexteram maxillam, vertere et aliam.Hoc autem, *Dabit* ὁ χώματι, id est, *in puluere os suum*. Syrus dixit ὁ γῇ, hoc est, in terra.Tacebit,scilicet,& animo generoso feret conuicia & probra,perinde ac si habeas os plenum terra.Hoc & diuinus Dauid perspicuè dixit,Cum consisteret peccator aduersum me, humiliatus sum : & surdus effectus, silui à bonis.Mox docet,Dominum,vtpote clementem, non vti diuturnis castigationibus :sed post castigationem adducere misericordiam. *Non enim humiliauit*,ait,*ex toto corde suo, neque repulit filios hominum*. Species enim est irascentis : sed voluntas plena est humanitatis & clementiæ. Sane quam ad vtilitatem humanam castigatione vtitur,vt subijcit,nempe,*Vt humiliaret sub pedibus suis omnes vinctos terræ*.Hoc est,alligatos terræ,& intellectum sublimen minimè gerentes. Iniquum est enim viuentibus vnà,non extimescere speculantem vniuersa. (*Quis ita* dixit,& factum est ? Dominus non mandauit. Ex ore Altissimi non egredientur mala *& bona*.) Hæc verba reprehendunt eos,qui tollunt prouidentiam nostri.hi enim fato & fortunæ adscribunt ea quæ fiunt. *Quid murmurabit homo viuens ? vir de peccato suo*?Ignauia siquidem,non natura, est causa peccati,quamobrem & iudex afficit pœna delinquentes.*Disquisita est via nostra, & inuestigata est*.Nouit enim commissam à nobis iniquitatem.*Et conuertamur ad Dominum*. Pœna sit nobis occasio pœnitentiæ. *Resumamus corda nostra,& intueamur in excelsum,& habitantem in cœlo*.Superfluarum,inquit, curarum cogitationibus liberati, flagitemus misericordiam diuinam.(*Nos* peccauimus,& impiè egimus :& non es *propitiatus*.) Iusto, inquit, supplicio affecisti. (*Obuelasti* in furore,& persecutus es nos: occidisti nos,& non pepercisti. Condensatam nubem tibi ipsi obduxisti: ne transiret ad te oratio *nostra*.) Idem dicit Deus per alterum prophetam, Quia peccata vestra diuiserunt inter vos & me. Quæ quidem iste nubis instar esse dicit,precationis ingressum impedientis. Luget porrò,& conqueritur vehementer, videns hostes conuiciantes, & probra populo obijcientes.quos dicit venatos esse, mactasse, proiecisse in lacum,lapidem imposuisse,& irriguum aquæ fecisse. quibus omnibus declarat malorum pondus immensum.Hoc itidem modo diuinus Dauid, ex horum persona dixit,Saluum me fac Deus:quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.Infixus sum in limo profundi:& non est substantia. Veni in altitudinem maris:& tempestas demersit me. Et iterum,Non me demergat tempestas aquæ,neque absorbeat me profundum:neque vrgeat super me puteus os suum.Ita & hic. *Inuocaui nomē tuum,Domine,de lacu : audisti vocem oris mei. Ne obturaueris aures tuas ad deprecationem meam,& ad vociferationem meam*. Docet,se credere, Deū esse clementē. *Appropinquasti enim*, ait, *in die, quo inuocaui te: & dixisti, Ne timeas*. Vel breuis iste sermo sufficit ad consolationem.

Psal. 118.

*Psal.*37.c

*Esa.*59.a.

*Psal.*68.a

ibid.c.

Tum docet, quemadmodum Deus, iustum ferens de illis ac de inimicis iudicium,hos quidem tradidit in seruitutem, illos autem libertate donauit. Imprecatus autem impijs hostibus exitium, tertiam absoluit Lamentationē.

CAP. IIII.

Quomodo obscuratum est aurum, alteratum est argentum bonum, effusi sunt lapides sancti, à principio omnium compitorum? Cum eiusmodi materijs confert pietatem maiorum: doletq;s posteros immutatos esse. Istud enim innuitur per subsequentia: *Filij Sion inclyti, qui erant elati, qui superabant aurum, quomodo æstimati sunt, vt vasa testacea, opera manuum figuli* ? Idē prædixit Dominus per diuinum Esaiam , Quia erunt inutiles, vt vas figulinum in minuta contritum : in quibus aquam haurire non possumus, nec ignē è fornace capere. *Neque dracones nudauerūt mammas,lactauerūt catulos suos: filia populi mei degenerunt ad id quod est insanabile, quasi struthio in deserto*.Etiam crudeliora animalia solicita sunt de catulis suis:immēsa verò tribulationis magnitudo effecit, vt incolæ Sion vel ipsius naturæ obliti sint. Et cæsis quidem plurimis, alijs verò in seruitutem redactis, pauci quidam remanserunt,persimiles solitarij struthionis, per desertum erantis.Declarat autem incommoda quæ peperit fames: *Linguæ lactentis adhæsit gutturi, præ sitì. Paruuli petierant panem : & non erat, qui frangeret eis*.

*Esa.*30.c.

Exponit quoque luxum, qui præcesserit ista: *Qui vescebātur delicatis,perierunt in compitis*. Pro, in foro proiecti. *Enutriti in cocco,amplexati sunt stercora*.Horū aūt causam , dicit esse peccatum: quod eo mparat cum peccato Sodomorum.

Explicat porrò,quantopere splenderent Nazaræi ante calamitates : tempore verò calamitatis,quàm malè tractarentur. aitq;,necem quę bello, quàm quæ telis famis oppetitur , esse optabiliorem.

Inserit autem Lamentationi etiam afflictionem omnium acerbissimam : *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt illis in escam in contritione filiæ populi mei*. Amorem enim intimū & naturalem,violētia famis superauit. Hac affecit clade Sion Dominus iure indignatus.*Nō crediderūt reges terræ,& vniuersi qui incolūt orbē, quòd hostis & persecutor ingressurus esset per portas Ierusalem*. Qui tamen pro certissimis pignoribꝰ credendi habebāt ea, quæ gesta sunt temporibus Sennacherib: cuius exercitum fudit Dominus breui parte noctis. Tradita est autem hostibus, ob sacerdotum occisionem. *Repebant pueri eius in exitibus*. Τὰς ἐξόδους, id est, exitus , appellat,τὰς ἀγυιάς,& quas vocāt ῥύμας, id est,vicos , plateas. *Polluti sunt in sanguine , eò quòd ipsi non possent, proiecti sunt cum suis vestimentis*. Fames quidem vrgebat , vt proijcerentur : at hostes obsidentes, prohibebant , ne sepelirentur: canes verò, proiectos absumebant. Recitat item, quæ vulgo iactabantur ab hostibus:*Recedite ab immundis*. Immundos vocabant nos. Deinde,vt ostendat,quos appellet immundos, resumpsit quod dictum est, & ait, *Recedite ab immudis.Recedite,& ne appropinquetis illis. quia irritauerunt*. Deum scilicet. *Et fugerunt, & sanè commoti sunt*. Propter iniquitatem, nudati sunt ope diuina. *Dicite in gentibus, Non addent, vt habitent in conspectu Domini*. Prorsus ait, repudiauit nos.*Oculi nostri defecerunt ad auxilium nostrum, dum rebus vanis intenderemus. Intendimus in gentem quæ non saluat*. Nam confidentes de suppetijs Aegyptiorum, falsi fumus spe nostra. Tum explicat hostium crudelitatem : *Senectutē non pepercerunt, nec reuerriti sunt sacerdotium. Venati sumus paruulos nostros,ne irent in plateas nostras*. Syrus interpretatus est, *Venati sunt* : & sermo consequentiam habet. Hostes enim,iuuenes cum senibus venati fuerant. Ista verò pertulimus,*quia appropinquauit*, inquit, *tempus nostrum: complети sunt dies nostri*. Ostendit hic sermo,Deum omnium statera & mensura vtentem, tum longanimiter agere,tum punire.Cùm enim longa patiētia vsus, contemptim agere viderit,pœnas infligit: vt peccato finem imponat.

Mox docet, velocitatem hostium superare celeritatem aquilarum.Prædicit quoque passionem Saluatoris. *Spiritus faciei nostra Christus Dominus captus est in corruptionibus nostris. Cui dixerimus, In vmbra eius viuemus inter gentes*. Dicant Iudæi, quem sermo prophetícus vocet Christum : quis item sit ex ijs, qui apud ipsos Christi dicti sunt, siue rex, siue propheta , siue sacerdos,qui appellatus sit Dominus. Núquam ostendere poterunt,licetmultis vtantur mendacijs. Clarum est modò, quòd propheta prædixerit, Saluatorem & Dominum nostrum, ab ipsis cōprehensum, ob corruptissimam impietatem eorum. Illos autem prophetæ dicunt in vmbra victuros. Credebant itaque per sacros Apostolos,& per diuina,quæ ipsi gentibus prædicebant, responsa. Cæterùm prospiciamus, quæ dicuntur apud eum de sacrosancto nos illustrante Spiritu : *Spiritus*, ait, *faciei nostræ Christus Dominus*. Istam propheta Lamentationibꝰ inseruit prophetiam , vt doceret , Iudæos qui tunc erāt, consecuturos veniam,& beneficium reuocationis adepturos , licet cruci traditurі essent Saluatorem orbis : eò quòd nondum erat nata spes eorū. *Gaude & lætare filia Idumææ, quæ habitas in terra Hus: quia etiā ad te perueniet poculū Domini: & bibes,& inebriaberis, & effundes*. Prædixit ipsis sermo propheticus ingentē molem tribulationum. Hoc enim significant hæc verba,*inebriaberis, & effundes*.Et de ipsis Idumeis ait diuinus Dauid,Memor esto Domine filiorum Edom,in die Ierusalē. Qui dicunt, Exinanite,exinanite,vsque ad fundamenta eius. Nam cùm essent fratres ac vicini , pacem inire nolebant, sed auitum odium retinuere. *Defecit iniquitas tua,filia Sion: non addet vltrà, vt migrare te faciat. Visitauit iniquitatem tuam, filia Edō, revela*

*Psal.*136.b.

uit impietates tuas. Fausta quidem prænuntiauit ipsi Sion, Idumeæ verò cõtraria: quia dixit vltionem venturam super eam. Verum est etiam istud, *Et non addet vltrà, vt migrare te faciat,* Qui enim subiugauerãt, perditi sunt prorsus, & sub dominium Persarum redacti.

Hunc ergo finem propheta Lamentationibus imposuit. Nos verò laudibus efferamus eũ, qui os dedit homini, quiq; docet hominẽ scientiam: eò quòd huius etiam Prophetæ sensum, quatenus assequi nobis licuit, planum fecimus, hancq; etiam alijs propheticis libris adiecimus interpretationem: adeò, vt per gratiam eius, nullam prophetiam interpretationis expertem reliquerimus. Obsecro nihilominus eos qui in hunc librum incident, vtquæ rectè riteque dicta sunt, amplectantur: sin errat um sit in aliquo, ignoscant. Cùm enim simus homines & perfectione egeamus, animi nostri promptitudinem attulimus, emolumentum aliquod præstantes ijs, qui Dei laborisque sunt studiosi: à quibus etiam atq; etiam petimus, vt interpretationis operam auxilio precũ remunerent: quibus freti reliquam vitam peragamus, operibus ipsis, sermonibus, & cogitationibus seruientes Deo ac Saluatori nostro, cũ quo Patrem, vna cum sanctissimo Spiritu, decet gloria & magnificentia, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRI IN PROPHETAM EZECHIELEM COMMENTARIVS, IOANNE BAPTISTA GABIO VERONENSI INTERPRETE.

ARGVMENTVM.

CVLI corporis figurarum & colorum constituti sunt iudices: qui si valeant, tum demum rectè & integerrime iudicandi munere funguntur; si verò sint imbecillius affecti, à vera ratione aberrantes, nec assecuti rerũ decentiam, obiecta sibi rectè specie vehementer læduntur, vt vel prorsus nõ videant, vel alia pro alijs cernentes, eorũ, quæ sub aspectũ cadunt, naturam perperã discernãt. animi aũt pars illa, in qua inest videndi vis, quæq; oculis ipsis hanc eandem subministrat, alteram quoq; accepit ab opifice facultatem, qua nõ figurarum modo, & colorum vaporumq; & gustus, atq; aliorũ huiuscemodi qualitates dijudicat, sed etiam rationes & orationes perpendens impias à pijs distinguit, diuinarumq; & humanarum discrimen agnoscit, & omnino secundum sapientem Salomonem intelligit parabolam et tenebricosum sermonem, verbaq; sapientũ & ænigmata. verũ vnumquodq; horum, cùm rectè affecta est, & ab incredulitate soluta ac libera, discernit. at vbi talis ei offusa est caligo, idem, quod oculi corporis, ipsa sustinet, & alia pro alijs intuetur, vel turbatione superante victa nihil omnino videt. In istiusmodi morbum collapsi quidam diuinam scripturam accusare aggressi sunt, & præcipuè prophetarũ oracula, veluti obscuritate operta. cõtra quos merito diuus Paulus dixerit, quod si opertum est euangelium nostrum in ijs, qui pereunt, est opertũ. sapientiam enim loquimur inter perfectos. & his ea quoq; cõsentiunt quæ à domino & saluatore nostro sanctis Apostolis dicta sunt, Vobis datũ est, inquit, nosse mysteria regni, illis autẽ non est datũ, causamq; dicẽs statim subjcit, vt videntes nõ videãt, & audientes nõ intelligãt. ipsi enim voluntarias, inquit, ad se insciticæ tenebras attrahunt. nãsi conuersi fuerint ad dominum, sicut auctor est diuus Apostolus, auferetur velamen. nonomnibus igitur

Prouerb. 1.
2. Cor. 4.
1. Cor. 2. Mar. 4. Luc. 8.
2. Cor. 3.

tur diuina obscura sunt, sed voluntaria cæcitate laborantibus. quos animaduertisse & considerasse oportuit, eorum quæ pretiosa sunt, in promptu hominibus esse nihil. margaritam quippe, sicuti etiã purpureæ vestis regiæ florem, maris occultat profundum: & auri argentiq; venæ in terræ superficie non extant, sed in intimis eiusdẽ partibus cõteguntur. in domibus item pretiosissima quæq; intus in penibus impositis vinculis, clauibus, & sigillis custodimus. consilia quoque earum rerum, quæ sint maioris alicuius ponderis, fidelioribus amicis, non omnibus temere enunciare consueuimus. verùm hisce omnibus, quæ modo diximus, augustiora diuina sunt, tantoq; præstantiora, quanto & quæ sub oculorum sensum minime cadunt, ab ijs quæ videntur, & quæ mente, ab ijs quæ sensu comprehenduntur, & à fluxis stabilia differunt. Decet igitur ea maiore custodia digna censentes cum Domino dicere, non esse proijciendas margaritas ante porcos. etenim reuera contemnitur eorum quæ sunt in promptu possessio: sed quæ labore parta possidentur, ea vero iucundissima sunt, & amabilissima. Præterea ad hæc quæ diximus aliud quoque addendum est, diuinorum prophetarum oraculis accusationem Iudæorum iniquitatis contineri, & bona gentibus promitti: ac necessario oportebat veluti obumbratam prophetiam, ne vsitato inuidiæ morbo laborantes Iudæi, & alienis bonis insidias ausi moliri, libros hæc significantes delerent. atque hanc etiam obscuritatis illius, quæ in ipsis videtur inesse, causam fuisse res ipsæ testantur. obscura enim olim hæc Iudæis fuere, vt literarum monumentis prodita benedictionis gentium memoria seruaretur. at vbi prædicta euentu comprobata, & scripta res consecutæ sunt, tunc in reliquum aperta, & perspicua facta sunt oracula prophetarum. quicunque enim propheticos legunt libros ab ipsis rebus interpretationem percipiunt. nemo igitur ex ijs præsertim qui sunt pietatis alumni, in diuinum spiritum audacter inuectus eius orationes condemnet obscuritatis; verùm sacra verba cupiens intelligere cum diuino Dauid exclamet, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. voti enim compos omnino fiet, studium expetendi sibi hanc cognitionem ad vtilitatem dari professus. hanc quippe nos quoque deprecationem Domino adhibentes, qui secundum diuinum Dauid cæcos illuminat, & secundum beatum Esaiam eos, qui in tenebris, & caligine versantur, diuini Ezechielis audacter aggrediemur interpretationem, & prophetiæ reconditiora, quantum in nobis est, perscrutari, & quodcunque inde lucri cogatur, id omnibus pijs commune proponere conabimur. age igitur ante interpretationem summatim ipsius percurramus argumentum. Prophetiam suam exorsus est hic propheta captiuitatis Ioacim, qui etiam Iechonias dictus est, anno quinto. atque hæc captiuitas non prima fuit, sicut quibusdam visum est, sed Hierusalem tertia, Iuda quarta, omnis vero Israel sexta. primus enim Theglatphalassar maximã decem tribuũ partem armis cepit. secundus Salmanasar Samaria, & finitimis vrbibus in seruitutem redactis discessit. tertius Sennacherim alias Iudææ vrbes obsidione expugnauit, multosque captiuos in exilium abduxit, ad Hierosolyma autem cum exercitu proficisci multa cum impietate conatus, maledicti præmia tulit, diuinaque plaga amisso exercitu, cum paucis in patriam se recepit. Post hunc quartus Nabuchodonosor, anno tertio regni Ioacim filij Iosiæ, regno potitus, cum ingenti exercitu in Iudæam peruenit, multisq; acceptis auri & argenti talentis, captiuisque è regio genere compluribus, & nonnullis sacris vasis correptis, impositoque regi tributo inde profectus est, breui autem interiecto tempore impositum sibi tributum soluere noluit, & Nabuchodonosor vndecimo eius regni, sui vero imperij octauo anno rursus ad Hierosolyma adducit exercitum, ac Ioacim interfectum de muro præcipitari iussit, insepultumque diutius relinquit, & omnibus quicunque profecti erãt, in seruitutem redactis, ac reliquis

4. Reg. 25.
4. Reg. 15.
4. Reg. 19.
Psal. 118.
Psal. 145
Esa. 29.

rege constituto Ioacim, qui etiam Iechonias dictus est, (filius autem hic fuit Ioacim) Babylonem se recipit, tribusque mensibus, diebus insuper paucis præteritis, cùm ipsum cognouisset seditionem concitasse, rursus reuertitur, eumque vinctum cum haud mediocri multitudine bello captum abducit, regemque eius patruum creat prioris Ioacim fratrem, Iosiæ filium Mathaniam, qui item Sedecias appellatus est, ab eo iureiurando accepto fore eum sibi fidum, benevolumque, & stato tempore soluturum tributum. verùm cùm hic quoque violato iureiurando tributum reddere noluisset, neque in officio, & fide mansisset, sed ad Aegyptios confugisset, rursus coacto exercitu inuasit vrbem, qua cum hominibus capta, regiam, & sacrum Dei templum, atque adeo omnem splendidam domum combussit; quique fami, & hostium cædi superfuissent, eos omnes captiuos abduxit, vasaque omnia non solum, quæ ex auri, argentique materia confecta erant, sed etiam columnas ex ære constructas in Babylonem cum alijs omnibus asportauit. itaque captiuitas Iechoniæ non prima fuit, vt quibusdam visa est, sed Hierosolymorum tertia, quod nos quartus quoque Regum, & Paralipomenon liber docet. Diuus item Daniel propheta, qui suam prophetiam sic exordit ur: In anno tertio regni Ioacim, regis Iuda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Hierusalem, & obsidebat eam, & dedit Dominus in manu eius Ioacim regem Iuda, & de parte vasorum domus Dei. & paulò pòst: Et dixit, inquit, rex Asphenec principi eunuchorum suorum, vt introduceret de filijs captiuitatis Israel, & de semine regni. Primò igitur Hierosolyma capta sunt anno tertio regni Ioacim, qui primus fuit annus regni Nabuchodonosor. atque hoc ipsum ipse nos propheta docet, cùm dicit, anno secundo regni Nabuchodonosor somniaui somnium. iterum capta sunt vndecimo regni Ioacim anno, vt modo dixi, octauo vero imperij Nabuchodonosor: tertiò primo Iechoniæ Ioacim filij regni, imperij Nabuchodonosor nono, atque hæc aperte nos docet beatus Hieremias propheta, & facile est si quis velit tempora colligere ex illo quoque propheta, hæc aperte percipere. igitur Ezechiel prophetiam exorsus est anno quinto captiuitatis Ioacim, qui Iechonias etiam dictus est, quintus item annus hic fuit Sedeciæ regis qui pro Iechonia Iudæorum rex fuerat declaratus. duodecim vero annis prior Daniel prophetiam exorsus erat. ijdem autem tẽporibus hi in Babylone prophetabãt, et in Iudæa Hieremias, & Sophonias, & Vrias Samæi, sed rursus illi maiores natu non solũ Ezechiele, sed etiam ipso Daniele. annõ enim tertio decimo Iosiæ regni beatus Hieremias suæ prophetiæ fecit initium, & Sophonias Iosia rege prophetasse dicitur. Vrias autem Samæi cùm regnãte priore Ioacim prophetasset, & futuras calamitates prædixisset, iniustam ab illius cæde necem sustinuit. eorum igitur qui captiuitatis tempore prophetarunt, postremus est diuus Ezechiel propheta. Aggæus autem, & Zacharias, & Malachias post reditum prophetandi munus obierunt. Vidit hic propheta diuinas reuelationes metus & horroris plenas, vaticinatur autem non solum Iudæorum excidium, sed etiam Tyriorum, & Sydoniorum, aliorumque externorum Moabitarum, & Ammanitarum, & Idumæorum, præter eaque Aegyptiorum. prædicit item fore, vt à seruitute Iudæi vindicentur, & sacrum Dei templum ædificent, & alia infinita, quæ singula interpretantes, ne argumentum prolixius fiat, obseruabimus. ipsum igitur prophetæ Deum per prophetam deprecati, vt intelligendi nobis munus impertiatur, age interpretationem exordiamur.

SECTIO.

SECTIO PRIMA.

Et factum est in trigesimo anno, in quarto mense, quinta mensis.

Quibusdam visus est tricesimus iobilæi annus esse: & iobilæum vocant Iudæi, quinquaginta annorum numerum. sicut enim Romani quindecim annis temporis conuersionem notant, ita Iudæi quinquaginta. horum quinquaginta tricesimum annum esse prophetiæ tempus dixere, ego vero primũ in annalibus temporum accurate inuestigato tempore comperi Iechonię captiuitatis annum quintum nõ cum trigesimo iobilæi, sed cum vigesimo quinto consentire. Deinde cùm animaduertissem neminem vnquam prophetarum hoc tempus declarasse, perscrutatus comperi hũc esse annum trigesimum, paulò pòst enim hic idem prophe
Exech. 9. ta dormire iubetur in dextrum latus, & assume re peccata domus Iuda quadraginta dies, die in annum computata. cùm igitur considerassem septuaginta annis clementem dominum Iuda captiuitatẽ definisse & quadraginta annos ipsis septuaginta deesse, cognoui prophetam captiuitatis tempus trigesimum annum esse dixisse: & retro numerans tempusque inquirens comperio non ante triginta annos, sed ante tredecim captiuitatem fuisse. bonus enim, & amator hominum Deus à sua sententia non à rerum
Gen. 15. euentu disciplinæ tempus numerare consueuit. ita etiam erga patriarcham Abraham fecit, cui cùm dixisset, peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis, nõ permisit eos hoc omne tempus degere apud Aegyptios, verum à sententia sua quadringentos annos enumerat: & Noë item, cùm ad pœnitentiam centum viginti annos præfinisset, conspecto iniquitatis incremento, haud expectauit sententiæ finem, vt peccati progressionem comprimeret, ita hic quoque comperimus triginta annorum numerum, si à Dei sententia numerandi initium faciamus. condemnauit autem Iudæos Deus captiuitate, & seruitute, decimo octauo anno Iosiæ regni. nam cùm Chalcias princeps sacerdotum defossam comperisset Mosaicam legem, tantum enim Iudæorum iniquitas susceperat incrementi, vt omnia diuina obliuioni prorsus tradita essent, deinde eam rex legisset, animaduertissetque ea, quæ populus auderet, aperte legi contraria, & iccirco haud mediocri terrore affectus sacerdotũ principem iussisset operã dare vt Deus placaretur, confert se princeps sacerdotum ad Aldan vatem piam mulierem, quæque diuinas leges obseruaret, quæ diuino instinctu concitata diuinique spiritus plena dixit ad eum, hæc dicit
4. Reg. 22. dominus Deus Israel, dicite viro, qui misit vos ad me, ecce ego adduco mala super locũ istum, & super habitantes in eo, omnia verba libri, quem legit rex Iuda, qui dereliquerunt me, & sacrificauerunt dijs alienis, vt irritarent me in omnibus operibus manuum suarum, & succendetur indignatio mea in loco hoc, & nõ extinguetur. regi autem Iuda, qui misit vos, vt consuleretis dominũ, sic dicetis, hæc dicit Dominꝰ Deus Israel, pro eo quod audisti verba mea, & pœnituit cor tuum, & versus es à facie mea, vt audisti quęcunque locutus sum super locum istum, & super habitantes in eo, vt fierent in interitum, & scidisti vestimẽta tua, & fleuisti corã me, etiam ego audiui dicit dominus, nõne sic? Ecce ego appono te ad patres tuos, & adduceris ad sepulchrũ in pace, & non videbunt oculi tui omnia mala, quæ ego adduco super locum istum, & super habitantes eum. atq; hæc item Paralipomenon liber docet. hæc autem gesta sunt, vt dictum, est anno octauo decimo Iosiæ regni, qui vnum & triginta regnauit annos. ab octauo decimo igitur vsque ad trigesimum anni intersunt quatuor decim, post hunc regnauit Ioachaz menses tres, qui cum his annis cõiungendi sunt, propterea quod octauo mẽse octaui decimi anni hoc editum est à propheta oraculum. deinde coniunctis cum prioribus, vndecim Ioacim annis, vigintiquinq; comperiemus. tres verò Iechoniæ menses, & dies rursus paucos pro his mensibus, qui deerant octauo decimo anno, computabimus; & ipsis vigintiquinq; captiuitatis Iechonię, quinq; additis triginta annorum numerum deprehendemus, ita etiam septuaginta captiuitatis annos verè poterimus percipere, nam ab octauo decimo Iosiæ regni vsq; ad primum Cyri Persarum regis, quo regnante primus fuit reditus, septuagesimus annꝰ expletur. qui vero desolationis templi septuaginta annos numerare velit, is incipiat ab vndecimo anno Sedeciæ, tunc enim sacrũ Dei templũ incensum fuit, desinatq; in secundum Darij Hystaspis annum, quo regnante omni studio templum instaurarunt, & opus ad exitum perductum est. ait igitur propheta.

Trigesimo anno in quarto mense quinta mensis, ego eram in medio captiuitatis super fluuium Chobar, & aperti sunt cœli, & vidi visionem Dei quinta mensis. hic annus quintus captiuitatis Ioacim regis.

Cùm essem in medio captiuorum iuxta fluuium Vulg.
Chobar, aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei in quinta mensis. ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioacim.

Nosq; ipse quoque aperte docuit, haud simpliciter captiuitatis annum quintum, sed captiuitatis Ioacim regis esse. hic autem (vt dixi) Iechonias fuit, qui tres menses, & paucos insuper dies regnauit. huius enim pater Ioacim anno sui vndecimo in Hierosolymis interfectus est. apertos autem fuisse cœlos dixit, non vere neq; re ipsa, sed spiritali contemplatione, & vidi, inquit, visionem Dei, non essentiam Dei, sed visionem, reuelationem quandam, & veluti expressam effigiem, quæ ab humana natura comprehendi posset. & eam in medio captiuitatis, pius cum impijs, cum iniustis iustus. tanta enim Domini benignitas est, vt peccatorum causa suos famulos supplicijs, & calamitatibus afficiat.

Et factum est verbum Domini ad Ezechielem filiũ Buzi sacerdotem in terra Chaldæorum super fluuium Chobar. Vulg. secus flumen Chobar.

Duobꝰ donis gloriatur, & sacerdotio, & pro

phetia,vtraq; autem sunt spiritus dona. & mentionem facit regionis,& loci,vbi diuinam reuelationem conspexit,multa per hæc significans, primum numen eiusmodi esse,quod non in solis Hierosolymis potestatem haberet, neq; solis Iudæis dominaretur, sed omnium effector esset, & moderator. & hoc eius item ineffabilem bonitatem indicat,quia quos captiuos tradidit,eos haud negligit, sed omni prouidentia,decentique cura prosequitur. ad aquas vero eum hac visione dignatur, omnium hominum salutem præsignificans,& eam,quæ futura est per aquæ regenerationem, piorum Dei cognitionem declarans. ita etiam diuinus Daniel propter aquas diuinas illas visiones conspexit,& legislator Moyses ad ripam proiectus per aquam salutem est consecutus, ita rursus ipsi puteus,& aqua nuptias conciliauit:quod iterũ superioribus patriarchis nõ Iacob tantum, sed etiam Isaac vsu venit. verum ad interpretationem reuertamur, neque enim in præsenti hoc est orationis institutum.

Et facta est super me manus Domini.

Vulgata. *Et facta est super eum ibi manus Domini.*

Diuini spiritus efficaciam ita vocauit, etenim diuus Paulus resistẽtem Elymam docens,

Actor. 13. ita dicit, ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus. diuini autem spiritus erit efficacia,vt ipse Paulus ait, in virtute signorum, & prodigiorum in virtute spiritus Dei. facta est super me, inquit, manus Domini.

Et vidi,& ecce ventus extollens veniebat ab aquilone,& nubes magna in eo, & splendor in circuitu eius,& ignis fulgurans.

Vulg. *Et vidi,& ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone,& nubes magna,& ignis inuoluens,& splendor in circuitu eius.*

Necesse est prius reuelationis causam explicare, deinde sigillatim hæc interpretari: multi hoc tempore falsi prophetæ prophetis contradicebant,quod nos maxime docet beatus Hie-

Hierem. 28. remias. cum enim vincula ferre ipsum Deus iussisset,& regis ac totius populi captiuitatem prædicere, Ananias quidem pseudopropheta his contritis contradicebat ijs, quæ à propheta dicerentur aperte mentiens & exclamãs, non modo vrbem non euersam iri, sed etiam qui prius captiui fuerant, prope diem redituros,quare amplius indignatus Deus pro ligneis iubet vt ferrea sibi vincula circumdet, & ijs qui in Iudæa erant, obsidionem prænuntiet,& seruitutem,captiuis vero in Babylonem abductis scribat,vt domus ædificent, vineta conserant, septuaginta quippe annorum lata sententia certa, & mendacio carente. oportebat igi-

Hierem. 29. tur non solum in Iudæa Hieremiam hæc dicere,& scribere,sed eos etiam qui captiui abducti fuerãt per eos prophetas,qui apud ipsos erant, hæc intelligere. videt igitur propheta excidiũ quo Hierosolyma funditus perdẽda essent,hoc enim significat, ventus extollens veniebat ab aquilone, vel vt Symmachus ait, impetu flans. significat autem venti vis Babylonij impetum : & maxima nubes, hastarum & iaculorum, omnisque generis telorum copiam, quasi inundationem : ignis vero fulgurans non solum incussum terrorem,sed etiam vrbis demolitionem ab igne profectam : splendorque in circuitu, Dei gloriam quæ se per supplicium ostendet. nam quia beneficiorum fructum percipere, neque ex illis beneficiorum auctorem intelligere voluerunt, per supplicium cognitionem adipiscuntur. iccirco etiam exclamant, post captiuitatem meam respui.

Et in medio eius quasi visio electri in medio ignis, & splendor in eo.

Et de medio eius,quasi species electri,id est, de me- Vulg. *dio ignis.*

Hactenus igitur omnem nobis reuelationẽ declarauit,deinceps eam secundum partes explicare incipit.

Et in medio quasi similitudo quatuor animalium.

Animal rationis particeps est & homo & angelus,sed alter rationale mortale, alter rationale immortale animal est. quis autem possit reuelationem aperte declarare, cùm ipse propheta in eius enarratione defatigatus fuerit? non enim simpliciter quatuor se animalia conspexisse dixit, neq; item similitudinẽ animalium, sed tanquam similitudinem quatuor animalium,ita vt perspicuum sit non ipsas vidisse diuinos prophetas,eorum qui cerni nequeunt naturas, sed similitudines, & formas ab eo qui magna largitur ad vnumquemque vsum ostensas. narrat igitur nobis etiam conspectorum à se animalium figuras.

Hæc enim visio, inquit, ipsorum, similitudo hominis in eis.& quatuor facies vni,et quatuor alæ vni,& crura eorũ recta, & pennati pedes eorum, & scintillæ vt æs fulgurans, & leues pennæ eorum, manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus ipsorum.

Et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis, Vulg. *& quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni, & pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quasi plãta pedis vituli,& scintillæ quasi aspectus æris candentis, & manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.*

Formam igitur eorum,quæ conspexit,rectã esse ait, & homini similem, & vnumquodque quadruplici facie,& quatuor alis præditum,totidemque numero manus,quot alas habere dixit, ac pedes alis plenos. declarat autem per quatuor numero facies & alas, earum potestatum,quæ diuinam vehunt figuram, omnium regis Dei quocunque pertinentem prouidentiam.quod autem pennis est præditum,naturæ ipsarum significat acumen, & scintillæ splendidissimo similes æri splendorem, & mentis indicãt puritatẽ, manus vero alis absconditæ, eam, quæ videri nequit,& variam indicant efficacitatem. his subijcit.

Non reuertebantur, cùm ambularent ipsa, vnumquodque ante faciem suam gradiebatur.

Non reuertebantur, cùm incederent, sed vnum- Vulg. *quodque ante faciem suam gradiebatur.*

Homo enim ad borealem partem incedens, deinde cùm vult ad australem redire necessario conuertitur,vnum tantum faciem fortitus: sed

sed cui tot sunt numero facies quot partes orbis terræ,huic australe nihil est, sed vbique facies illius omnia intuetur,& quocunque velit, incedit, neque indiget conuersione.

Et similitudo, inquit, facierum eorum facies hominis,& facies leonis à dextris ipsis quatuor, & facies aquilæ quatuor, & facies vituli à sinistris ipsis quatuor, hæ facies ipsorum.

Vulg. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis,à dextris ipsorum quatuor : facies autem bouis,à sinistris ipsorum quatuor,& facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.*

At nemo existimet bestiarum, & animantium rationis expertium imagines habere eas, quæ cerni nequeant, potestates, siquidem his alia innuuntur. leo enim regnum, namque animal regium est,significat,per vitulum sacerdotium. nam pro principe sacerdotum vitulus vnus offerebatur,& per aquilam prophetia declaratur. est enim animal in sublime volans, & prophetia huiusmodi est, quæ sublimia contemplans longissime prospicit futura. docet igitur ijs, quę dicta sunt,omnem humanam naturam vna cum proprijs ducibus omnium regi,omniumque auctori subiectam esse,qui tot donis humanum genus instruxerit.

Et alæ, inquit, extensæ super quatuor, vnicuique duæ coniunctæ altera ad alteram,& duæ cooperiebant super corpus eorum.

Vulg. *Et facies eorum,& pennæ eorum extentæ desuper, duæ pennæ singulorum iungebantur,& duæ tegebant corpora eorum.*

His declarat ne à diuinis quidem potestatibus omnia comprehendi posse, sed alia ipsius perspicua, alia ignota esse,quæ sibi positos terminos haudquaquam transgrediuntur:sed duas alas concesso sibi contemplandi munere exultantes extendunt, & duabus corpus contegunt, eorum, quæ occulta sunt, ignoratione contentæ, neq; contendentes, vt ea percipiant, quæ percipere nefas est.

Et vnumquodque coram facie sua gradiebatur : quocunque erat spiritus, ambulabant, nec reuertebantur.

Vulg. *Et vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat:vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent.*

Potestatum illarum quæ cerni nequeunt in omnibus obedientiam significat, atque etiam vt constitutam viam minime relinquebant. & hoc ipsum diuinus quoque Dauid ait, cùm dicit, Benedicite Dominum omnes angeli eius potentes virtute,facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius.

Et in medio animalium, quasi visio carbonum ignis ardentium, quasi visio lampadarum discurrentium per medium animalium, & splendor ignis, & de igne egrediebatur fulgur, & animalia currebant, & reuertebantur,quasi species Bezech fulguris.

Vulg. *Et similitudo animalium,& aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. hæc erat visio discurrens in medio animalium,splendor ignis,& de igne fulgur egrediens,& animalia ibant,& reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*

Hoc autem Symmachus interpretatus est, sicut species radij fulguris, terribilis contemplatio & horroris plena pœnas præsignificans. etenim carbones ignis & discurrentes lampades,& inde emissa coruscatio, & huc atq; illuc animalium cursus,& à cursu splendor emissus futura mala declarant. hæc enim beatus quoque Dauid in pœnis numerat, cùm modo ait, *Psalm.17.* grando,& carbones ignis,modo, cadent super *Psal. 119.* eos carbones ignis. & alio loco, fulgura multi- *Psalm.17.* plicauit & conturbauit eos.& alibi, fulgura co- *Psal. 143.* ruscationem tuam,& dissipabis eos,emitte sagittas tuas,& conturbabis eos.

Et vidi, & ecce rota vna super terram coniuncta animalibus quatuor, & species rotarum, & affectio ipsarum,sicut species tharsis.

Cùmque aspicerem animalia,apparuit rota vna Vulg. *super terram iuxta animalia habens quatuor facies. & aspectus rotarum,& opus earum quasi visio maris.*

Secundum Symmachum vero, sicut visio hyacinthi.

Et similitudo in quatuor, & opus ipsarum vnum.

Et vna similitudo ipsarum quatuor, & aspectus Vulg. *ipsarum & opera,quasi sit rota in medio rotæ.*

Rotam vnam in vnoquoq; animalium coniunctam contemplabatur,quæ hyacinthi similitudinem haberet,nullumque se in ipsis discrimen conspexisse dixit, sed plane similes illas quatuor inter se fuisse,aspectus enim ipsarum, inquit,& opus ipsarum vnum, perinde ac esset rota in rota.

In quatuor partes earum ambulabant, neque reuertebantur cùm ambularent ipsæ,neque dorsa eorum, & altitudo erat eis,& terribilia erant.

Per quatuor partes earum euntes ibant,& non re- Vulg. *uertebantur cùm ambularent, statura quoque erat rotis,& altitudo & horribilis aspectus.*

Quasi animalia quatuor vultus habentia, ait,quocunque pertinentem Dei inspectionem hac oratione declarans.ita etiam rotarum speciem interpretatur,perinde ac esset,inquit,rota in rota. hoc autem facile poterit inspici, si quis duos circulos ratione sumptos,alterum in altero crucis instar interserat. talis enim figura etiam in eadem sede posita, in quatuor partes motum admittit,orientem,inquam,& occidentem,aquilonalem,& australem. hoc itaq; beatus propheta ait,perinde ac esset rota in rota, in quatuor partes earum ambulabant, & non reuertebantur cùm ambularent ipsæ. eiusmodi enim figura conuersione non indiget. namque in vnamquamque inclinationem ab eadem sede mota facile fertur. Atq; hoc itidem vbique Dei præsentiam significat, his crassius propter humanam imbecillitatem, & corpulentius conspectis.

Et vidi,inquit,ipsas,& ecce dorsa ipsarum plena oculis,in circuitu quatuor, & cùm ambularẽt animalia,ambulabant etiam rotæ coniunctæ ipsis,& cùm attollerentur animalia de terra, attollebantur etiam rotæ,vbicunque erat nubes, illuc concitabatur spiritus

ambulare. ambulabant animalia, & rotæ incedebant cum ipsis, quia spiritus vitæ erat in rotis.

Vulg. *Et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea: & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ: quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum, spiritus enim vitæ erat in rotis.*

Hoc aperte nos beatus Paulus docet, naturarum quæ oculis cerni nequeunt, ordines recenſens, & cum alijs virtutibus thronos etiam quoſdam connumerans, in ipſo enim condita ſunt vniuerſa, id eſt, in Chriſto, ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue angeli, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, igitur etiam throni ratione præditus & corporis expers eſt ordo, quare propheta quoque aſſerit, ſpiritum vitæ in rotis eſſe, vnde ſpontaneus & voluntarius eſſet motus, neq; enim temo aut iugũ animalibus erat impoſitum. verum præibat quidem nubes, vio lentus autem ille ac vehemens ventus ſequebatur, & diuinum vehiculum per ſe currebat, animalibus præeuntibus, rotis per ſe motis, & in quatuor partes, ita vt non redirent, latis. Dorſa enim ipſarum plena, inquit, oculis erant. hoc eſt plena erant cognitione, quod Cherubim interpretatio declarat, in Græcam quippe vocem tranſlatum nomen cognitionis vim interpretatur.

Coloſ. 1.

Et ſimilitudo, inquit, ſuper caput ipſorum deſuper, & ſub firmamento alæ ipſorum extenſæ, volantes altera ad alteram, vnicuique duæ cooperientes corpora ipſorũ, & audiui vocem alarum ipſorum, cùm volarent ipſa, quaſi vocem aquarum multarum, ſicut vocem Dei Sadai, & cùm ambularent ipſa, vocem verbi, quaſi vocem caſtrorum: & cùm ſtarent ipſa, quieſcebant alæ ipſorum, & ecce vox deſuper firmamento exiſtente ſuper caput ipſorum, cùm ſtarent ipſa, etiam remittebant alæ ipſorum.

Vulg. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis, & extenti ſuper capita eorum deſuper, ſub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum, vnumquodque duabus alis velabat corpus ſuum, & alterum ſimiliter velabatur, & audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei, cùm ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, vt ſonus caſtrorum; cumque ſtarent, demittebantur pennæ eorum.*

Vbique diuinus propheta ſimilitudinem ponit, docens nos adumbratam quandam effigiem ſe conſpexiſſe, non item ipſam, eorum qui cerni nequeunt, naturam. cùm enim ſuprà dixiſſet, conſpexiſſe ſe cœlos apertos, nunc ſupra animalia quaſi ſimilitudinem firmamenti cõtemplatur, & animalia ſubiecta, alaſque mouentia, non temere ſed ad vocem ſuperne latã, cui obedientia & eas mouebant, & rurſus ſeruabant immobiles, docet nos itidem ſonitum, qui inde ferebatur, modo aquarum vi, modo clamori caſtrorum aſſimilans. & ad extremum dubitans, comparationem adduxit, ſicut vox Dei Sadai, quod Aquilas & Symmachus, Idonei, interpretati ſunt. cur enim laboro, inquit, rei inquirens imagines & nulla ratione reperiens? ſatis eſt oſtendiſſe opificem, eum qui hæc efficit, & per illum ſonitus vim & magnitudinem declarare. cùm enim ſit idoneus & omnipotens, omnia perinde ac vult facile perficit.

Et deſuper, inquit, firmamento ſuper caput ipſorum, ſicut viſio lapidis ſapphiri ſimilitudo throni ſuper eum.

Et ſuper firmamentum quod erat imminens ca- Vulg.
piti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni.

Hæc itidem ſpecies reconditam & ſub ſenſum oculorum minime cadentem diuinam indicant naturam, nubes enim & caligo, inquit, *Pſal. 96.* in circuitu eius. & rurſus idem propheta, poſuit, ait, tenebras latibulum ſuum, tenebræ autem & nubes & caligo diuinam naturam eiuſmodi declarant, quæ nequeat videri, nam purum illud & inacceſſum lumen nobis tenebræ ſunt, qui præ naturæ imbecillitate oculorum aciem in ipſum intendere minime valemus. ſi enim quicunque ſolis orbem accurate cupiens intueri, in eo amplius æquo oculum coniectum continuerit, id aſſequitur, vt etiam mediocriter videndi facultatem amittat, & à lumine tenebrarum percipit fructum; quid non euenturum ei exiſtimandum, qui contra diuinum & inacceſſum lumen auſus fuerit inſpectare.

Pſal. 17.

Et ſuper ſimilitudinem, inquit, throni, ſimilitudo, quaſi ſpecies hominis deſuper ipſo, & vidi quaſi viſionem electri, quaſi aſpectum ignis, & ſplendorem eius in circuitu, quaſi viſionem arcus, quando fuerit in nube, in die pluuiæ. ſic viſio ſplendoris in circuitu.

Et ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi Vulg.
aſpectus hominis deſuper, & vidi quaſi ſpeciem electri, velut aſpectum ignis intrinſecus eius per circuitum, à lumbis eius, & deſuper, & à lumbis eius vſque deorſum vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu, velut aſpectum arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ. hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum.

Vbique & ſimilitudinem, & quaſi apponit, vt doceat nos non hactenus conſiſtendum, ſed intelligendum eſſe, vnamquamq; viſionem ad rei vſum accommodari. nam patriarchæ Abraham auctor omnium rerum dominus vt hominem ſe videndum præbuit, nihilque ipſi formidabile oſtendit, cùm & ipſi & per ipſum cuncto terrarum orbi promiſſa eſſet bona præbiturus. promiſsio enim Iſaac domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti ortum ſecundum carnem continet. quare etiam gentium benedictio cum Iſaac pollicitatione coniuncta eſt, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ, cùm vero ipſi generis prædicebat ſeruitutem, non ita ei benignus apparuit ſed, & clibanum *Geneſ. 15.* fumantem, & lampades ignis, inter diuiſiones illas tranſeuntes oſtendit. ita cùm Iacob ab *Gene. 32.* Eſau timentem animo confirmare, & conſolari vellet, vt homo ab eo conſpectus eſt. & Moyſi initio quidem horribilia oſtendit, ignem in *Exod. 3.* rubo, & rubum ita ardentem, vt minime tamen combureretur, deinde vero manſuete & placide cum eo colloquitur, nihil eorum præ ſe ferens, quæ poſſent terrorem incutere. *Exod. 19.* & Iſrael ſimiliter cùm vellet perterrefacere, eique ſuam virtutem indicare, totum montem fumantem oſtendit, & tonitruum fremitus, & buccinas ſonantes, ingentemque caliginem, & omnino ita ipſos perterruit, vt prophetæ ſupplicarint, ne ſecum Deus loqueretur, ſed ipſe internuncius ad ſe diuina iuſſa perferret. Hoc item viſionum diſcrimen magno quoque Heliæ oſtendit, primum commotionem, deinde ignem, tum ſpiritum montes conterentem, & *3. Reg. 19.* comminuentem petras, ac poſtea flatum auræ tenuis, & in ipſa dominum, ſiquidem gaudet ipſe bonitate, & longanimitate, ac manſuetudine vultreshumanas procurare, verum impietas & iniquitas cauſa eſt, vt illa quoque adhibeat. quare non in illis dixit dominum eſſe, ſed in aura tenui, quando non ab eius voluntate illa proficiſcuntur, ſed propter hominum vtilitatem fiunt: bonitas vero & benignitas eius naturæ propria ſunt. cùm igitur diuerſas Dei viſiones audieris, ne multiforme numen opineris, quod omnino à corpore, & ſpecie qualibet vacuũ, ſimplexque, & compoſitionis, omniſque figuræ expers, neque oculis cerni, neque animo comprehendi poteſt, aut vllo termino circumſcribi. oſtendit autem viſiones, perinde vt opus eſt eas repræſentans. & hoc itaque loco illa quidem terribilia oſtendit, oſtendit etiam beneficium, quo omnes homines afficiendi erãt, Dei inquam & ſaluatoris noſtri in carne diſpenſationem, hac de cauſa, ſpeciem quidem humanam dicit, naturas vero duas, alteram electri, alteram ignis, & alteram ferentem, alteram latam. diuina ſiquidem natura humanam induit. iccirco ſuperiorem partem conſpectam eſſe ait, tanquam ſpeciem electri, inferiorem verò à lumbis & infra, quaſi ſpeciem ignis, igne diuinam innuente naturam, Deus enim tuus, *Deut. 4.* inquit, ignis conſumens eſt, electro vero humanam. tale enim eſt electrum, veluti miſta quadam ſpecie præditum, neque auro neque argento ſimile, ſed quaſi vtriuſque commiſtio. tale etiam corpus humanum: neque enim ſolum terra eſt, neque aqua ipſum per ſe, neque ignis, neque aër, ſed ex quatuor elementis eſt compoſitum. immo vero talis neque anima ratione prædita tantum, neque mortale corpus, ſed vtraque ſimul. propterea propheta videt, à lumbis eius & deſuper ſicut ſpeciem electri, quin etiam ſicut viſionem ignis intrinſecus eius per circuitum. etenim humanitas verbi Dei, hilaris, & ſplendida, & gloriosa, immortaliſque, & à corruptione libera ab inhabitante diuina natura facta eſt, iccirco congruenter dixit: Et vidi ſicut ſpeciem electri, velut aſpectum ignis, intrinſecus eius per circuitum, à viſione lumborum & vſque deorſum, ſicut viſio ignis, natura enim diuina ferebat humanam, & ſplendor eius in circuitu, ſicut viſio arcus, quãdo fuerit in nebula in die pluuiæ, ita viſio ſplẽdoris in circuitu. & hæc diuina dona ſignificant, quæ ſplendoris inſtar inde profecta humanum genus beneficijs proſequuntur, pluuiam illinc defluentem & indicantia, & ſecum afferentia. ita omnibus narratis propheta ſubiecit.

Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini. *Cap 2.*

Neque dixit, hæc natura Domini, neque gloria Domini, ſed viſio ſimilitudinis gloriæ Domini. ſicut enim voluit ita figurata viſione, illius me contemplatione dignatus eſt.

Et vidi, & cado in faciem meam.
Et vidi, & cecidi in faciem meam. Vulg.

Et meritiſsimo. ſi enim Seraphim celebrantia velant ora, quid non ſuſtinuiſſet homo mortali corpore indutus veram viſionem contemplans? verum metum excutit benignus Dominus.

Audiui enim, inquit, ad me loquentem: & dixit ad me, Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar ad te.

Et audiui vocem loquentis: & dixit ad me, Fili ho- Vulg.
minis ſta ſuper pedes tuos & loquar tecum.

Filium hominis appellat tantum non ita dicens, ne naturæ obliuiſcaris ea contemplatione dignatus, quæ tuam ſuperat naturam, verum noſce te ipſum, neq; tamen immẽſo metu diutius detinearis, cùm tibi auctor ego ſim vt bono ſis animo, ſed ſtans audi, quæ à me dicantur, non huc aut illuc te circumuertens, ſed ipſo ſtatu ſtabilitatem ſignificans. neq; hæc ſolum bonus dicebat Dominus, ſed etiam ipſis rebus metum eximebat.

Venit enim ſuper me, inquit, ſpiritus, & aſſumpſit me, & extulit me, & ſtatuit me ſuper pedes meos, & audiui ipſum loquentem ad me.

Et ingreſſus eſt in me ſpiritus, poſtquam locutus eſt Vulg.
mihi, & ſtatuit me ſupra pedes meos, & audiui loquentem ad me & dicentem.

Diuina enim quædam virtus cùm tetigiſſet me, veluti ſolutum metu collegit, & ita comparauit, vt conſiſtens verba, quæ ferebantur, audire poſſem.

Et dixit ad me, fili hominis, mittam ego te ad domum Iſrael irritantes me, qui irritauerunt me ipſi & patres eorum, & præuaricati ſunt in me vſque ad hodiernum diem.

Fili hominis mitto ego te ad filios Iſrael, ad gen- Vulg.
tes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me, ipſi & patres eorum præuaricati ſunt pactum meum vſque ad diem hanc.

Quis oratione diuinam poterit dimetiri clementiam? quæue mens illius bonitatis pelagus obire? poſt infinita ſcelera impiaq; facinora, non denegat illis ſalutem, ſed & ipſos & parentes eorum accuſat, quod legi non obedierint, & compoſita fœdera violarint, & vſque ad hodiernum diem in improbitate degere perſeuerauerint, reuocat eos tamen & inſanabili morbo laborantes ad ſanitatem inuitat, præſertim cùm ipſorum contumaciam noſſet, & animos rebelles. quamobrem iubijcit.

Et filij aura facie, & grauì corde, ad quos ego mitto te.

Et filij

Vulg. *Et filij dura facie & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.*

Hoc est impudentes, qui nescíunt erubescere, quique molliri nolunt, neque verbis eorum qui consulunt obtemperare, neque item supplicíorum necessitate mutantur.

Et dices ad ipsos, hæc dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Et dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus.*

Illud autem Adonai etiam ipsum dominum significat & habet aliam quandam paruam emphasim: hæc dicit, inquit, Dominus Dominus meus.

Si forte audiant, aut timeant, quia domus exasperans est, & cognoscent quia propheta es tu in medio ipsorum.

Illud, si forte, non ignorationem significat, nihil enim eorum quæ futura sunt ignorat is, qui omnia cognoscit antequam fiant, quamobrem beatus quoque Dauid exclamat erga ipsum: Tu cognouisti sessionem meã, & resurrectionem meam, tu intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti, ecce tu Domine cognouisti omnia nouissima & antiqua. certo itaque sciens ipsorum pertinaciam, apponit, si forte; per hæc liberam mentis facultatem docens, quia possunt immutari, si voluerint. simile dictum est in ipso quoq; euangelio, ex persona patris: mittam filium meum ad agricolas, forte verebuntur hunc. neque enim illud, forte, ibi ambiguitatis signum est, nouerat quippe fore, vt nõ vererenturíed ea facit, quæ suæ iustitiæ consentanea sint. ne quis enim suam præscientiam rerum euentus causam opinetur, necessario apponit ambiguitatis verba, ostendens voluntatis liberum arbitrium, sibique defensionem ad diem iudicij reseruans. Hac de causa prænoscens eorum contumaciam rebellionemque, omnem machinam mouet, vt ab improbitate deficientes resipiscant, quamobrem per Esaiam prophetam exclamat, Quid amplius faciam vineæ meæ huic, & non feci? & per Osee rursus, Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? veruntamen sciens insanabili eos morbo egrotare adhibet remedia, vt in die iudicij sine cõtrouersia rebelles latam contra se sententiam approbent, diuinis beneficijs in medium prolaris. quare beatus quoque Dauid exclamat, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris: nostra enim iniquitas cum diuinis beneficijs collata, iure nos supplicijs subijcit, & ipse iustus iudex etiam ab ijs qui puniuntur, vt victor accipit suffragium, vt is qui nullum humanitatis genus reliquerit, neq; vllam rationem qua posset de hominibus benemereri intactam prætermiserit: illud itaque, si forte audiant, aut timeant, non inscitiam Dei significat, sed illis tribuit pœnitentiæ locum, quandoquidem Pharaonis etiam contumaciam noscens Deus,

Psal. 138.

Luce 20.

Esa. 5.

Osee 6.

Psalm. 50.

Ex Cap. 3. *Noui enim ego, inquit, quod non dimittet vos Pharao nisi in manu valida & in brachio excelso.*

Diuina sua lenitate vti perseuerauit. nam si supplicia intulisset Dominus iam inde cùm prænouisset; qua ex re cognosci potuisset diuina iustitia ab ijs, qui prægnitionis haud cernerent euentum? iccirco finem expectat, & tunc infligit pœnas. & mẽ itaq;, inquit, ô propheta, & quæ à me dicuntur vt internuncius ad tuos cognatos perferto, vt ipsis vtilitatis auctor fias, discantque te esse inter ipsos prophetam, diuinorum verborum ministrum.

Et tu fili hominis ne timeas eos, neque formides à facie ipsorum, quia insanient, & congregabuntur contra te in circuitu, & in medio scorpionum tu habitas, verba eorum ne timeas, & à facie ipsorum tu ne formides, quia domus irritans est.

Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque sermones Vulg.
eorum metuas, quoniam increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas, verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia domus asperans est.

Causa idonea est ad contemptum eorum qui insidiari aggrediuntur, improbitas, legis enim violatores, & à diuina ope vacui sunt, non sunt itaque huiusce modi viri metuẽdi, inquit, quamuis more scorpionum lædant, quamuis temeraria verba proferant, quamuis multa rabie multaque insania efferantur. hoc enim per illud verbum innuit, παροξυσμὸν, à boum translatione, quas œstrus pascentes impellit, & sæpe per præcipitia ferri cogit. est autem muscæ genus quolibet stimulo vehementius, boues exagitans. ita igitur insaniam per translationem appellauit.

Et tu fili hominis, loquerù verba mea ad eos, si forte audiant, aut timeant, quia domus irritans est.

Loqueris ergo verba mea ad eos, si forte audiant, Vulg.
& quiescant, quoniam irritatores sunt.

Rursus ambiguitatem adiecit vt ad pœnitentiam adducat. par est enim ipsos, inquit, suppliciorum commination expauescere, & minarum euentum vereri, quando mitioribus verbis cedere recusant.

Et tu fili hominis audi loquentem ad te, & ne fis irritans, quemadmodum domus irritans est, aperi os tuum, & comede quæ ego do tibi.

Tu autem fili hominis audi quæcunque loquar ad Vulg.
te, & noli esse exasperans sicut domus exasperatrix est. aperi os tuum, & comede quæcunque ego do tibi.

Ne repugnes, inquit, ijs quæ tibi præcipiam neque contradicentes æmuleris, verum imperata perficito.

Et vidi, & ecce manus extensa ad me, & in ipsa caput libri, & euoluit ipsum coram me, & in eo scripta erant, quæ ante & quæ post, & in eo scripta erat lamentatio, carmen, & væ. & dixit ad me, fili hominis comede caput hoc, & abi & loquere filijs Israel.

Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat in- Vulg.
uolutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris, & scripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ: & dixit ad me, fili hominis, Cap. 3.
quodcunque inueneris comede, comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.

Merito supra dixit, si forte audiant, aut timeant: terroris enim plena, quæ prophetæ mandantur,

dantur, lamentatio, & carmen, & væ, in toto capite scripta, intus & foris. caput autem vocat libros inuolutos. sic enim prisci scripta monumenta seruabant, & Iudæi ad hoc vsque tempus in huiusce modi voluminibus diuinas continent scripturas.

Et aperuit os meum, & cibauit me eo capite. & dixit ad me, fili hominis, os tuum comedet & venter tuus implebitur hoc capite, tradito tibi, & comedi ipsum, & factum est in ore meo sicut mel dulce.

Vulg. *Et aperui os meum & cibauit me volumine illo, & dixit ad me, fili hominis venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi, & comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce,*

Psal. 118. Quam dulcia enim, diuinus Dauid inquit, faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. dulcis quippe & iucundissima est ob peccata lamentatio, defectio siquidem tenuit me, inquit, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, & vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt: eiusq; filius nos admonet cum ait, melius est ire ad domũ luctus, quàm ire ad domum risus. ita prophetæ fuit mellisimilis voluminis comestio, cùm nihil iucundi, aut vnde oblectaretur contineret, sed lamentationem tantum, & carmen, & væ. nemo autem opinetur eiuscemodi cibũ fuisse, qui aut sensu percipi posset, aut corpore constaret. quemadmodũ enim visionem illam spiritu contemplatus est, ita hunc quoque gustum spiritu percipit.

Et dixit ad me, fili hominis vade, accede ad domum Israel, & loquere verba mea ad eos, quia non ad populum labij profundi, & tardæ linguæ tu mitteris, ad domum Israel, neque ad populos multos alterius vocis, aut alterius linguæ, neque graues lingua, quorum non audias sermones.

Vulg. *Et dixit ad me, fili hominis vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos: non enim ad populum profundi sermonis & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Israel, neque ad populos multos profundi sermonis & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones.*

Hic aperte ostendit discrimen inter apostolicos & propheticos labores. illis enim vnius tantum gentis, ex qua oriundi erant, cuiusque natiuam linguam habebant, cura commissa fuit, Apostolis vero cunctus orbis terrarum & omnes gentes commendatæ sunt, secundum

Matth. 28. Domini iussum. Euntes enim docete, inquit, omnes gentes, quæ infinitas habebant & diuersas linguas moresque varios, & contrarias leges. attamen ijs, quibus multæ gentes, diuersæ linguæ, varij mores, omnis generis leges creditæ fuere, orbem terrarum ad præstantiora instituta traduxere. quibus vero effrenatus ille populus commissus est, ij multos quidem sustinuerunt labores, non dignos tamen laborum fructus tulere. in culpa autem non agricolarum segnities, sed eorum qui colerentur difficultas. quamobrem ipse quoq; Dominus ait.

Et si ad eiuscemodi missem te, ij audissent te, do-
mus vero Israel nolent audire te, quia nolunt audire me, quia omnis domus Israel contentiosi sunt & duri corde.

Et si ad illos mitterem te, ipsi audirent te, domus au- Vulg.
tem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me: omnis quippe domus Israel attrita fronte est, & duro corde.

Per hæc autem ostendit gentium obedientiam, & ipsius Israel contumaciam, & interpretatus est etiam illud, si forte audiant, aperte docens non ignorare se, sed optime nosse ipsorum peruicaciam, simulq; significat iam ea voluntate non à natura profectam. domus enim Israel, inquit, nolent audire te, quia nolunt audire me: hoc est, ne ægre tuleris, cùm tibi non obediunt: mihi enim resistentes, verbis à te prolatis repugnant. causa vero cur repugnent, à voluntate contentionum studiosa, & corde aduersandi cupido, & mentis temeritate proficiscitur: verum ne timeas cùm ad hos miteris.

Ecce dedi faciem tuam potentem contra facies eo-
rum, & contentionem tuam corroborabo contra contentionem eorum, & erit semper. duriorem petra dedi frontem tuam: ne timeas ab eis, neque vereatis à facie ipsorum, quia domus irritans est.

Ecce dedi faciem tuam valentiorem facielus eo- Vulg.
rum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, quia domus exasperans est.

Cùm noris inquit illorum improbam mentem, metum omnem ex animo excutito: tribuam enim tibi robur, quod eorum contentioni proportione respondeat, & vires laboribus conuenientes subministrabo, & omni lapide duriorem frontem tuam constituam, vt neque contumelia affectus, neque pulsatus, neque aliud quippiam graue sustinens effugias, quin mandata exequaris, & istorum curam abijcias.

Et dixit ad me, fili hominis omnes sermones quos ego locutus sum tecum, assume in cor tuum, & auribus tuis audi, & vade ingredere in captiuitatem ad filios populi tui, & dices ad eos, hæc dicit Adonai Dominus, si forte audiant, si forte quiescant.

Et dixit ad me, fili hominis omnes sermones meos Vulg.
quos ego loquor ad te assume in corde tuo, & auribus tuis audi, & vade ingredere ad transmigrationem ad filios populi mei, & loqueris ad eos, & dices eis, hæc dicit Dominus Deus, si forte audiant, & quiescant.

Nihil, inquit, tuo nomine cum ipsis loquaris, sed esto verborum meorum minister, & quæcunque mando tibi, ea proferas: par est enim ipsos, & tuos verecundari labores, & meas minas pertimescere. ambiguitas autem rursus, vt dixi, non inscitiam indicat, sed liberæ voluntatis vim excitat.

Et assumpsit me spiritus, & audiui post me vocem commotionis magnæ, benedictæ gloriæ Domini de loco suo.

His enim acceptis mandatis, inquit, properabam munus hoc obire, neque pedum fungi-ine-

gi sinebar officio, verũ à diuina virtute, ad quos missus fui, transferebar. necessario autem commotionem sensu percipit, vt metu stimulatus exequatur mandatum. narrat cantum, quem post commotionem sensisse se asserit: Benedicta gloria Domini de loco suo. hoc vero ab ipso Deo doctus dixit, qui beato Moysi supplicanti vt ei se ipsum indicaret, & cognoscendum præberet, nemo, inquit, videbit faciem meam & viuet. deinde subijcit, Ecce locus apud me, & ponam te in foramen petræ, & protegam te manu mea, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. non quod in faciem & posteriora numen diuisum sit, sed quia per faciem accipimus diuinam essentiam, per posteriora vero diuinas dispensationes, ac beneficia, quæ plurima, omnisque generis in nos conferuntur. locum itaque beneficentiam vocant, propter quam, cùm natura ciusmodi sit, vt comprehendi nequeat, ab ijs qui digni sunt, quoad eius fieri potest comprehenditur.

Gen 33.

Et vidi vocem alarum animalium ferientium alterius ad alteram, & vox rotarum coniuncta eis, & vox commotionis magna.

Vulg. *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum sequentium animalia, & vocem commotionis magnæ.*

His enim mihi dictis animalia mouebantur alas concutientia, & rotæ insequebantur, maximaq; cõmotio his motis fiebat: ingens enim crepitus erat, qui vndique ferebatur.

Et spiritus sustulit me, & suscepit me, & abijt sublimè in impetu spiritus mei.

Vulg. *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me, & abijt amaritudine in indignatione spiritus mei.*

Diuini enim spiritus gratia, quæ mihi accessit, id effecit vt interiectum inter cœlum & terram aërem veluti quidam volucer alatus secarem.

Et manus Domini erat super me fortis.

Vulg. *Manus enim Domini erat mecum, confortans me.*

Rursus ipsam spiritus gratiam significat.

Et ingressus sum ad captiuitatem sublimis.

Vulg. *Et veni ad transmigrationem ad acerum nouarum frugum.*

Hoc est, non ambulans, sed per aëra vectus.

Et circuiui habitantes ad fluuium Chobar, qui erãt ibi, & sedi illic septem dies versatus in medio eorum.

Vulg. *Ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar, & sedi vbi illi sedebant, & mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.*

Cùm enim adijssem ad eos, ad quos iussus fueram, dies septem silentio commoratus sum, diuinam expectans virtutem.

Et factum est post septem dies verbum Domini ad me, dicens: fili hominis speculatorem dedi te in domo Israel, & audias de ore meo verbum, & minaberis eis à me.

Vulg. *Cùm autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & audies do ore meo verbum, & annunciabis eis ex me.*

Locum obtine, inquit, speculatoris, quem super aliquem tumulum constituunt homines, vt sibi prænunciet futuras barbarorum irruptiones: & tu itaq; veluti in quadam specula, & vertice prophetiæ constitutus, quæ præuides, ea populo prædicito, & verba mea ad ipsos vt internuncius perferto.

Cùm dixero ego iniquo, morte morieris, & si non distinxeris ipsi, neque locutus fueris, vt distinguas iniquo, vt reuertatur ipse à vijs suis, vt viuat ipse iniquus, ille iniquitate sua morietur, & sanguinem eius de manu tua requiram.

Si dicente me ad impium, morte morieris, non au- Vulg.
nunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

Terribilis & horroris plena comminatio, idonea ad deterrendos eos quoq;, qui maxime lapidei sint, ineffabilis autem quæ per commination em bonitas præmonstratur. minatur enim iusto se ab eo rationes exacturum, nisi iniquo mortem minis præsignificet, doceatque, quid vitam afferat, & quid mortem concilietq, (ita cupit omnium opifex & dominus peccatorum pœnitentiam) quia quamuis omnem aliquis assequatur virtutem, creditas vero sibi animas neglexerit, nihil ei recte facta proderunt, sed pœnas negligẽtiæ erga illas luet. Quia vero par est, hunc omne remedij genus adhibere, illos autem insanabili morbo laborare, & adhibitum remedium non admittere, necessario adijcit,

Et tu si distinxeris iniquo, & non reuersus fuerit à via sua, & ab iniquitate sua, iniquus ille in iniquitate sua morietur, & tu animam tuam liberabis.

Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fue- Vulg.
rit conuersus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.

Insons, inquit, eris si quæ te decent, feceris, quæque à te requiruntur executus fueris: etenim si illius morbus manserit insanabilis, ipse solus suæ pertinaciæ soluet pœnas. decet aũt intelligere, & superius & hic impiũ punitũ iri dixisse in iniquitate degere perseuerantem, siue distinguentem habuerit, hoc est docentem, siue minus. sufficit enim natura ad ea, quæ facto opus sunt, discernenda. doctrina vero vel superuacua adhibetur, diuina bonitate omnes vias ad hominum salutem moliente.

Et cùm auerterit se iustus à iustitijs suis, & faciet delictum, & dabo tormentum in faciem eius, ipse morietur, quia non distinxisti ei, in peccatis suis morietur, quia non tenebuntur memoria iustitiæ eius, quas fecit, & sanguinem eius de manu tua requiram.

Sed & si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fe- Vulg.
cerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annunciasti ei, in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ eius quas fecit, sanguinem vero eius de manu tua requiram.

Non simpliciter dixit, si peccarit iustus, sed si auersus fuerit à iustitijs suis, & fecerit delictum,

ctũ, hoc est, si relicta recta, qua incedebat, via, in alteram versus fuerit, nam beatus etiam Dauid peccauit, & maxima commisit facinora, nõ reliquit tamen viam, qua incedebat: sed cùm offendisset, ac lapsus esset, surrexit, & idem iter secutus est. si itaq; iustus, inquit, relicta sua via, contrariam persequatur, tuq;, hoc cognito, nõ argueris illius errorem, neq; in pristinam viam reducere studueris, ille quidẽ alterius viæ exitum se dignum inueniet, cùm omnis pristinus labor frustra susceptus perierit: in alterã enim viam deflexit: contrarij autẽ sunt exitus, & vijs conueniẽtes: alterius quippe vita, alterius mors est. Igitur necessario priorũ laborum lucrum amittet, in improbæ viæ lapsus exitium. amissamq; illius vitam de manu tua requirã, pœnas à te tuæ negligentiæ sumens.

Si vero tu distinxeris iusto, vt non peccet, & ipse non peccarit, iustus vita viuet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberabis.

Vulg. *Si autem tu annunciaueris iusto, vt non peccet iustus, & ille non peccauerit, viuens viuet, quia annunciasti ei, & tu animam tuam liberasti.*

Duplicem enim lucraris vitã tibi & illi. ille enim tuis admonitionibus effugiet perditionis barathrũ, & viæ iustæ dignum se reperiet exitum. tu autem à reddẽdis rationibus liber eris, habitaq; salutis proximi tui ratione maximũ periculum euades. atque hæc satis sunt ad nos excitandos, & impellendos vt pro fratribus omnem adhibeamus diligentiam, neq; desistamus omnia tũ dicere tum facere, quæ illis prosint, vt & supplicia, quæ nobis minatus est Deus, euitemus, & promissam consequamur salutem, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo patri gloria cum sancto spiritu nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

SECTIO II.

Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me, surge, & egredere in campum, & ibi sermo tecum habebitur.

Vulg. *Et facta est super me manus Domini, & dixit ad me, surge, egredere in campum, & ibi loquar tecum.*

Quies enim diuinarum rerum contemplationi apta est, cùm mẽs libera ab ijs, quę externis curis, quæ eam ancipitem faciunt, non amplius huc & illuc distrahitur, sed in se ipsam conuersa accuratius potest diuina percipere.

Et surrexi, & egressus sum in campum, & ecce ibi gloria Domini stabat, quasi visio, & sicut gloria quam vidi super fluuium Chobar, & cado in faciem meam, & veni in me spiritus, & statuit me super pedes meos.

Vulg. *Et surgens egressus sum in campum, & ecce ibi gloria Domini stabat, quasi gloria quam vidi iuxta fluuiũ Chobar, & cecidi in faciem meam, & ingressus est in me spiritus, & statuit me super pedes meos.*

Crebrius visionẽ assequitur, vt ad verbi ministerium studiosior reddatur. & illud nos scire op. est, ne eas quidem reuelationes, quarum modum possit humana natura percipere, ab ijs, qui admodum pura mente fuerint, potuisse conspici, sicut tandem hic etiam prophetæ, quamuis visionis experientiam cepisset, statim tamen cadit, vt contemplatus est, & gratia indiget excitante.

Et locutus est ad me, & dixit mihi, ingredere, & includere in medio domus tuæ.

Ipsis rebus iubet prophetiæ munus obiri, & per ea, quæ propheta facere iubebatur, Hierusalem obsidionem prænunciari.

Et tu fili hominis ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum, & linguam tuam colligabo gutturi tuo, & mutus fies, neque eris ipsis in virum arguentem, quia domus irritans est.

Et tu fili hominis ecce data super te vincula, & Vulg.
ligabunt te in eis, & non egredieris in medio eorum, & linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est.

Pædotribæ instar Dominus veluti athletam quendam prophetam vngit, futuras ipsi calamitates prædicens, & molestias, quas exhibiturus est populus. sustinere tamen & perferre iubet, atq; silere quoad ipsi loquendi facultatem concesserit: & vbique addit, quia domus irritans est, docens non esse eos metuendos, qui absq; metu Deũ irritent, aspernandi siquidem sunt iniqui.

Et cùm loquar ego ad te, aperiam os tuum, & dices ad eos, hæc dicit Adonai Dominus, qui audit audiat, & qui non obedit, non obediat, quia domus irritans est.

Cùm autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, Vulg.
& dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus, qui audit, audiat, & qui quiescit, quiescat, quia domus exasperans est.

Hæc item liberam mentis voluntatem declarant. tu enim communem inquit omnibus affer doctrinam. & docens voluntariam obedientiam suis verbis apponit, qui vult, obediat, & non obediens qui contraria sentit, contradicat. vnusquisq; enim pro mentis optione præmia feret.

Et tu fili hominis cape tibi tibi ipsi laterem, & ponas e- Cap. 4.
um ante faciem tuam, & describes in eo vrbem Hierusalem, & dabis circa ipsam munitionem, & ædificabis contra eam propugnacula, & circum eam pones vallum, & dabis contra eam castra, & ordinabis machinas telorum missilium in circuitu.

Et tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum Vulg.
coram te, & describes in eo ciuitatem Hierusalem, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.

Ipsius Hierusalem obsidionem describere iubetur, in latere autem fit descriptio, propter incolarũ debilitatem, qui nõ ædificarunt domum suam secundum sapientem illum, supra Matth. 7.
petram, sed super arenam, quare venerunt flumina & descendit pluuia, & flauerunt venti, & irruerunt in domum ipsorum, & cecidit & fuit ruina illius magna.

Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones ipsam murum ferreum inter te & inter ciuitatem,

& parabis faciem tuam ad eam, & erit in conclusione, & concludes eam: signum est hoc filijs Israel.

Vulg. *Et tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te, & inter ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem, & concludes eam: signum est domui Israel.*

Dei formam continere iubetur propheta, quamobrem sartaginem quoq; ferream inter se & vrbem in latere descriptam ponere iubetur: quo docetur fore vt præsens Deus & quæ contra Hierosolyma fierent intuens omnia, nulla eos prouidentia dignetur; sed quasi muro quodam ferreo coercitus, neque cernere quę fiant neque sibi supplicantes audire videatur. hæc autem, inquit, facito, signum dans ijs, qui obedire renuant, & dictis repugnent, prophetiam per res ipsas.

Et tu dormies in latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israel super eo, secundum numerum dierum quinquaginta & centum, quas dormies super eo, & accipies iniquitates ipsorum, et ego dedi tibi duas iniquitates ipsorum in numerum dierum nonaginta, & centum diebus: & accipies iniquitates domus Israel, & complebis eas,

Vulg. *Et dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates domus Israel, super eo numero dierum quibus dormies super illud, & assumes iniquitates eorum, ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies, & portabis iniquitatem domus Israel: & cum compleueris hæc,*

Post Salomonem regnante Roboam diuisæ sunt duodecim tribus, & decem modo Ephraim, modo Israel vocabantur. Iudas autem & Beniamin, Iudas dicebantur, veruntamen vnus erat populus ab Israele & Abraham oriundus, quare tanquam de vno populo quæ separatim dixit, eadem rursus coniunxit. cum enim tribuisset centum quinquaginta dies Israel, & Iuda quadraginta, rursus tanquam de vno corpore, vnaque cognatione locutus cum centũ nonaginta diebus coniunxit, coniunctasque rursus diuisit & ait.

Et dormies super latus tuum dextrum iterum, & assumes iniquitates domus Iuda quadraginta diebus, diem in annum posui tibi ipsas.

Vulg. *Dormies super latus tuum dextrum secũdo, & assumes iniquitatem domus Iuda, quadraginta diebus diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi.*

Maior enim erat iniquitas illius populi, qui Israel vocabatur, qui cùm penitus à Deo defecissent, modo iuuencas colebant, modo omnis generis idola adorabant, iccirco illis centum quinquagita dies definit: Iuda vero quadraginta, vnumquenque diem in annum posui tibi: significant quadraginta dies Iuda, quadraginta annos illos, qui deerant septuagin ta annis: declarat enim Deus per prophetam Hieremiam, se septuaginta annos vt in Babylone illi degerẽt decreuisse, sed triginta iam transierant anni: trigesimo siquidem captiuitatis suã prophetiam exorsus est diuinus Ezechiel, circiter annum quintum Iechoniæ captiuitatis, à quo vsq; ad annum primum regni Cyri Persæ reliqui quadraginta explentur anni. quod non solum ab annalibus temporũ colligi, sed etiã à diuinis scripturis percipi potest: etenim beatus Hieremias propheta & Paralipomenon liber docet, quemadmodũ in tricesimo & septimo anno captiuitatis Ioacim, qui etiã Iechonias dictus est, exultauit caput ipsius Euiladmarodach, & eduxit eum de domo custodiæ in anno regni sui. post hunc Babyloniorum regno potitus est Baltasar, haud diutius; quia cùm se impium præbuisset, occisus fuit. regnauit autẽ circiter annos tres; nam tertio eius regni anno visionem vnã Daniel vidit. post ipsum Dari Assueri à Medis oriundus accepit regnum. & breui ipse quoq; tempore imperauit, idq; nos docet beatus Daniel, qui cũ dixisset: In primo anno Darij filij Assueri, in anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerũ annorũ, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiam prophetam vt complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni. Igitur dies definiti ipsi Iuda, quadraginta, annorũ quadraginta qui deerãt, numerũ significant, centũ vero quinquaginta ipsi Israeli præfiniti, centum quinquaginta annos indicant, post quod tempus & vrbs ædificata est, & incolis completa, muroq; cincta, & septis vndiq; communita, aliæq; vrbes & Israel, & Iuda, instauratæ fuere multis receptis incolis. hoc autem factum est anno vigesimo regni Artaxerxis filij Xerxis, à quo Necmias eius pincerna ab ipso delectus hoc impetrato à rege, quod petierat, beneficio, multa alacritate in Iudæã redijt, omniaq; paulo ante dicta confecit. quod aperte nos Esdræ docet historia. quod si quis etiam annorũ numerum velit accurate perdiscere, principium numeri capiat annum quintum captiuitatis Iechoniæ: ab illo enim quadraginta numeraumus: comperies enim quadraginta vsque ad primum annũ Cyri Persæ, inde reliquos Cyri viginti nouem, tum Cambysis septem, deinde Darij Hystaspis triginta quinq;, præterea Xerxis viginti, & Artaxerxis vndeuiginti: anno enim vigesimo vrbis muros præcepit ædificari. & nemo dicat ipsius Israel ædificationẽ Hierusalẽ nihil interfuisse, cùm iã pridem à tribu Iuda diuisus esset: namque post reditum haud mansit illa diuisio, verum concordes & vnanimes omnes, qui reditum consecuti fuerant, degebant, Hierusalem metropolim incolentes.

4 Reg. 25.

Et ad conclusionem Hierusalem, inquit, parabis faciem tuam, & brachium tuum firmabis, & prophetabis super eam. Vulg.

Et ad obsidionem Hierusalem conuertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum, & prophetabis aduersus eam.

Apparatus faciei indignationem significat, brachij confirmatio disciplinã quę adhibetur.

Et ecce dedi super te vincula, & non conuerteris à latere tuo in latus tuum, donec expleantur dies obsidionis tuæ.

Ecce circumdedi te vinculis, & non te conuertes à latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obsidionis tuæ. Vulg.

Opor-

Oportet enim ipsos ex ijs, quæ meditaris, percipere nullam se veniam consecuturos vt reuocentur in patriam. quare decet te definitum illud tempus ita in latus vtrumq; incubantem degere, vt ne mouearis in aliam partem, quo ipsi latam contra se sententiã intelligant.

Et tu fili hominis sume tibi triticum, & hordeum, & fabam & lentem, & milium, & siliginem, & injcies ea in vas vnum fictile, & facies ea tibi ipsi in panes, secundum numerum dierum quibus tu dormis, in latus tuum, nonaginta & centum diebus comedes ea, & cibus tuus, quem comedes in pondere, viginti siclos, in die à tempore vsque ad tempus comedes ea.

Vulg. *Et tu sume tibi frumentum, & hordeũ & fabam, & lentem, & milium, & viciam, & mittes ea in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum, quibus dormies super latus tuum, trecentis & nonaginta diebus comedes illud, cibus autem tuus quo vescêris, erit in põdere viginti stateres in die, à tempore vsque ad tempus comedes illud.*

Laborioſa sunt quæ prophetæ imponuntur, vt typum in se eorum, qui puniantur, gerens populum doceat, per ea, quæ facere iubebatur, futuram Hierosolymis famem. quare non ex tritico tantum panem conficere iubebatur, sed etiam ex milio, & siligine & faba. atque huiusce modi cibus argumentum est inopiæ. & pondus item indigentiam significat: semel enim die, inquit, comede viginti siclos; qui tres vncias & paulo amplius insuper conficiunt, vt asserunt ij, qui pondera hæc & mensuras diligenter perscrutati sunt.

Et aquam mensura bibito, sextam partem hin, à tempore vsque ad tempus bibito.

Vulg. *Et aquam in mensura bibes sextam partem à tempore vsque ad tempus bibes illud.*

Et hoc rursus inopiæ incrementum illud, quod attulit obsidio, declarat. Hin autẽ mensura apud ipsos erat, cuius sexta pars secũdum Syrum dimidium xesti capiebat: hanc mensuram bibere propheta iubebatur, vt præsignificaret eorum quæ ad victum necessaria sunt, inopiam quæ ab obsidione proficisceretur.

Et panem subcinericium hordeaceum comedes ea, in stercoribus simi humani occultabis ea, ante oculos eorum.

Vulg. *Et quasi subcinericium hordeaceum, comedes illud, & stercore quod egredietur de homine, operies illud in oculis eorum.*

Panes conficies, inquit, ex his omnibus seminibus, sicuti consueuerunt hordeacei confici panes. & materia ignis ad panis cõfectionem humanum stercus fiat, vt indicentur inquinamenta, quibus inter gentes polluendi sint. iccirco subijcit.

Sic comedent filij Israel panem suum immundum inter gentes, vbi dispergam eos.

Vulg. *Hæc dicit Dominus, sic comedent filij Israel panem suum pollutum inter gentes ad quas ejciam eos.*

Necesse enim erat, vt, qui captiui essent, & cũ gentibus alienigenis commisti, non secundum leges gubernarentur, sed multas ex consortio ad legem violandam caperent occasiones.

Et dixi, nequaquam Domine Deus Israel, ecce anima mea non est polluta in immunditia, & morticinium, aut captum à bestijs non comedi, ab ortu meo vsque nunc, neque ingressa est in os meum omnis caro putrida & profana.

Et dixi a, a, a, Domine Deus, ecce anima mea non Vulg. *est pollutа, morticinium, & laceratum à bestijs non comedi ab infantia mea vsque nunc, & non est ingressa in os meum omnis caro immunda.*

Coactus propheta legitimam suam vitæ degendæ rationem nudans aperit, ac domino benigno supplicat, vt alio iussu, quæ sibi ab eo imperata fuerant, abroget, & statim exorauit. bonus enim Dominus est, & qui suppliciũ precibus facile flectatur, vt eo tempore tandem. nam cùm exclamasset, ac iussisset fimo vti ad conficiendum panem, subijcit,

Filij hominis ecce ego contero firmamentum panis in Hierusalem, & comedent panem in pondere & in indigentia, & aquam in mensura, & in interitu bibent, vt indigentes fiant panis & aquæ: & delebitur homo, & frater eius, & contabescent in iniquitatibus suis.

Et dixit ad me, fili hominis, ecce conteram bacu- Vulg. *lum panis in Hierusalem, & comedent panem stum in pondere & in sollicitudine, & aquam in mensura & in angustia bibent, vt deficientibus pane & aqua corruat vnusquisque ad fratrem suum, & contabescat in iniquitatibus suis.*

Duo per illam panis confectionem significantur, à mensura fames in Hierusalem, ab immũdo apparatu, vita degenda inter gentes, quæ legem violent, verum iustitia supplicium contineat: pœnas enim soluent, inquit, eorum quæ deliquerint.

Et tu fili hominis cape tibi romphæam acutam, si- Cap. 5. *cut nouaculam tonsoris, & posside eam tibi ipsi, & indues super caput tuum, & super barbam tuam, & sumes stateram ponderum, & diuides ea.*

Et tu fili hominis sume tibi gladium acutum ra- Vulg. *dentem pilos, & assumes eum, & duces per caput tuũ, & per barbam tuam, & assumes tibi stateram ponderis, & diuides eos.*

Rõphæa, id est, gladius, innuit vlciscendi facultatem: adeptio autem capillorum & barbæ, decoris priuationem: stateræ & pondera, diuinæ sententiæ iustitiã: nihil est enim quin ponderetur, apud incomprehensibilia iudicia eius. Rom. 11.

Quartam partem in igne combures in media ciuitate secundum completionem dierum obsidionis tuæ, & accipies quartam partem & combures in medio eius, & quartam partem concides in romphæa in circuitu eius, & quartam partem disperges vento, & gladium nudabo post eos.

Tertiam partem igni combures in medio ciuita- Vulg. *tis iuxta completionem dierum obsidionis, & assumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius, tertiam vero aliam disperges in ventum, & gladium nudabis post eos.*

Hæc ipse paulo pòst interpretatur, & vocat ignem, & famem, & mortem, iccirco duas quartas partes in ignem injici præcepit, quasi & hac & illa ignis instar, homines depascente: per gladium hostium impetum significauit, &

eas cædes,quas erant facturi: per dispersionem venti captiuitatem, & captiuorum dissipationem futuram, de quibus adiecit, & gladium nudabo posteos: etenim postquam bello capti fuere, infinita mortis genera subiere.

Et assumes, inquit, inde paucos in numero, & circũ ligabis eos indumento tuo, & ex his excipies adhuc, & proijcies eos in medium ignis, & cõbures eos in igne, ex ea egredietur ignis in omnem domum Israel.

Vulg. *Et sumes inde paruum numerum, & ligabis eos in summitate pallij tui, & ex eis rursũ tolles, & proijcies eos in medio ignis, & combures eos igni, & ex eis egredietur ignis in omnem domum Israel.*

Per hæc eos qui relicti fuerãt significat, quos Nabuzardan coquorum princeps cũ Godolia reliquit, qui rursus diuersis modis consumpti sunt, modo alius ab alio mutuo occisi, modo in Aegyptum fugientes, & ab impietate tamen non desciscentes. idque nos aperte Hieremiæ prophetia docet. Illud autem, ex ipsa egredietur ignis in omnem domum Israel, innuit quidem & Babylonij, qua tunc exarsit, indignationem, & exitium ipsis in Aegypto illatum, presignificat vero seditiones ortas post reditum regnante Antiocho Epiphane, propter quas in innumerabiles calamitates incidere. sed precipue prædicit insaniam contra Christum Dominum, & illud exitiũ, quo funditus post crucem interijsse eos constat, & in omnẽ terrarum orbem dissipatos. hæc inquit cùm fecerit, dicito etiam pœnarum causas.

Hæc dicit Adonai Dominus, hæc Hierusalem, in medio gentium posui eam, & regiones in circuitu eius, & dices mutauit iustificationes meas in iniquitatem, ex gentibus quæ sunt in circuitu eius, quia iustificationes meas repulerunt, & in legitimis meis non ambulauerunt.

Vulg. *Hæc dicit Dominus Deus, ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras, & contempsit iudicia mea, vt plus esset impia quàm gentes, & præcepta mea vltra quàm terræ, quæ in circuitu eius sunt: iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt.*

Auctor omnium rerũ Deus Iudæorum gentem elegit, per quos omnes homines beneficio volebat afficere. iccirco legẽ ipsis, quæ ab omnibus eos distingueret dedit; vt hinc etiam claritatem obtinerent. concessit item ad habitandum locum, orbis terrarum vmbilicum, ad orientem & aquilonem Asiam habentem, ad occidẽtem Europã ad se per mare pertinẽtem, ab austro Lybiam. in has enim partes tres Noë quoque filij orbem terrarum diuiserunt. posui igitur Hierusalem, inquit Deus, in medio gentium, vt illi ab hac vtilitatem capiant, & omnem pietatem, & verum legis cultum percipiant: sed ipsa omnia contrà fecit: neque enim datam à me sibi legem tantum cum ipsis non communicauit, sed etiam illorum impietatis particeps ipsa fuit.

Propterea hæc dicit Adonai Dominus, propterea quod forma vestra ex gentibus quæ sunt in circuitu vestro, & in legitimis meis non ambulastis, & iustificationes meas non fecistis, sed neque secundum iustificationes gentium quæ sunt in circuitu vestro fecistis, iccirco hæc dicit Adonai Dominus, ecce ego super te, & faciam in medio tui iudicium in conspectu gentium.

Iccirco hæc dicit Dominus Deus, quia superastis Vulg. *gentes quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, & iuxta iudicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt non estis operati; ideo hæc dicit Dominus Deus; Ecce ego ad te, & ipse ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium.*

Quando enim gentium characterа induistis, & earum institutis perfusi mea iudicia & leges auersati estis, & propter iniquitatis exuperantiam impietate gentes ipsas vicistis, à quibus eam didicistis: hac de causa aperte iudicabo te inspectantibus iudicium gentibus & pœnas audientibus, vt quæ nullam à tua æquitate vtilitatem percepere, aliquam saltem percipiant à tuo supplicio.

Et faciam in te, quæ non feci, & non faciam similia ipsis amplius, propter omnes abominationes tuas.

Et faciã m te, quod non feci, & quibus similia vltra Vulg. *non faciam, propter omnes abominationes tuas.*

Deinde docet, quænam sint ea, quæ minatus est.

Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres.

Hoc accidit in obsidione & Babyloniorum, & Romanorum, incredibili vi famis ad hoc nefarium facinus & impium impellente.

Et faciam in te iudicia.

Hoc est, iusto te iudicio condemnabo.

Et dispergam omnes reliquos tuos in omnem ventũ.

Et ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ven- Vulg. *tum.*

Non indiget interpretationis oratio, cùm ipsæ res clament.

Iccirco viuo ego, dicit Adonai Dominus, profectò eo quod sanctã meã polluisti, in omnibus offensionibus tuis, & in omnibus abominationibus tuis, etiam ego repellam te.

Iccirco viuo ego, dicit Dominus Deus, nisi pro eo Vulg. *quod sanctum meum violasti, in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam.*

Sancta vocat, non solum præcepta legis, sed etiam dedicatum sibi templum, quod idolis in eo collocatis polluerunt: offensiones autem, & abominationes idola nũcupat; abominationes, vt abominationis plena; offensiones, vt omni referta iniucunditate. huic simile est illud quod à Rebecca dicitur: Infensa fum animæ *Genes. 27.* meæ propter filias Chananæorum: si acceperit Iacob filius meus ex ipsis vxorem, vt quid mihi viuere? hoc est, valde abominor filias *Psal. 94.* Chananæorum. & rursus Deus per Dauid: Ideo offensus fui generationi illi, & dixi semper, errant corde, hoc est, auersatus sum. & de iniquo item idem propheta, ait, malitiam autem *Psal. 3.* non odiuit. id est, non abominatus est malitiam.

Non parcet oculus meus, & non miserebor ego.

Tanta est iniquitatis exuperantia, vt misericors

cors misereri minime sustineat, & clemens à pœnis reorũ se non abstineat. deinde quæ iam interpretati sumus enarrat, quemadmodum fame quartam partem consumet, & aliam morte, id est peste, tùm aliam belli cæde, reliquam partem quartam captiuam tradet, pœnis rursus eos quoque persequentibus. & subijcit:

Et explebitur furor meus, & ira mea super eos, & consolabor, & scient, quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cùm expleuero iram meam super eos.

Vulg. *Et comb.ebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor, & scient quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cùm impleuero omnem indignationem meam in eis.*

Expers affectionis numen est, & ab ira prorsus vacuũ. vtitur autem humanis nominibus, ita appellans ea quæ fiunt, cùm homines puniuntur. illud vero, explebitur ira mea super ipsos, id significat, finem habebit. cumq; experientia docti didicerint ipsi, me Deum esse ac Dominum, qui auersatus eorum scelera supplicia intuli, consolabor. hoc enim consilio pœnas irrogaui.

Et ponam te in desertum & in opprobrium ijs, qui sunt in circuitu tuo.

Vulg. *Et dabo te in desertum, & in opprobrium gẽtibus, quæ in circuitu tuo sunt.*

Hoc quoq; idoneum est ad acerbe eam excruciandum, si finitima loca incolentes, & continenter bellantes irrideant, & eius illudant solitudini.

Et filias quæ sunt in circuitu tuo in conspectu omnis prætereuntis.

Vulg. *Et in conspectu omnis prætereuntis.*

Filias vocat subiectas vrbes, & regiones.

Et eris suspirij plena, manifesta disciplina, & desolatio, et filiæ tuæ in circuitu tuo in gẽtibus quæ sunt in circuitu tuo.

Vulg. *Et eris opprobrium & blasphemia, exemplũ & stupor in gentibus quæ in circuitu tuo sunt.*

Insignem, inquit, te in malis faciam: ita, vt omnes qui audierint & tuum, & subiectarum tibi vrbium, pagorumq;, interitum, suspirent ac lugeant.

Cùm fecero ego in te iudicia in ira, & furore, in vltione furoris, & increpationibus.

Deinde vacare mendacio, quæ dicta sunt ostendens;

Ego Dominus, inquit, locutus sum.

Est enim personæ declaratio idonea ad veritatem ostendendam.

Cùm misero ego sagittas meas famis super eos, & erũt in defectionem, & mittam eas, vt corrumpã vos, & famem congregabo, & conteram firmamentum panis tui, & emittam in te gladium, & bestias malas, & puniam te, & mors & sanguis transibit super te, & gladium inducã super te in circuitu. ego Dominus locutus sum.

Vulg. *Quando misero sagittas famis pessimas, quæ erũt mortiferæ, quas mittam vt disperdam vos, & famem congregabo super vos, & conterã in vobis baculum panis, & immittam in vos famem, & bestias pessimas vsque ad internecionem, & pestilentia & sanguis transibunt per te, & gladium inducã super te. ego Dominus locutus sum.*

Eadem sæpius dicit deterrere cupiens audientes, vt miserabilium malorũ metu ad veram pietatem eos traducat, & ne cogatur in illos edere exemplum eorum quæ minatur. bestias vero malas, crudelissimos Chaldæos appellauit instar bestiarum cruorem vorantium, inuadentes, & alios occidentes, alios viuos capientes, alios bello captos in seruitutem abducentes.

Et factus est sermo Domini ad me dicens, fili hominis firma faciem tuam ad mõtes Israel, & proph e ta to ad eos, & dices.

Et factus est sermo domini ad me dicens, fili homi- Vulg. *nis pone faciem tuam ad montes Israel, & prophet a bis ad eos, & dices.*

Non sunt montes ratione præditi, neq; item animati, quin etiam sensu carent: cum reb⁹ tamen inanimis colloquitur, vt res ratione præditas magis coarguat. ita etiam regnante Hie- *3. Reg. 13.* roboam, ad altare vir Dei verba fecit.

Montes Israel audite verbum Adonai Domini. hæc dicit Adonai Dominus montibus, & collibus, & rupibus, & vallibus: Ecce ego induco super vos gladium, & exterminabuntur excelsa vestra, & delebuntur altaria vestra, & conterentur delubra vestra, et deijciam vulneratos vestros in conspectu idolorum.

Montes Israel audite verbum Domini Dei. hæc di- Vulg. *cit Dominus Deus montibus, et collibus, rupibus, et vallibus: Ecce ego inducam super vos gladium, et disperdam excelsa vestra, et demoliar aras vestras, et confringentur simulacra, et deijciam interfectos vestros ante idola vestra.*

Cùm enim in omnibus his locis aras erexissent idolis, necessario prædicit futurum hostium impetum, & cædes quæ vbique patrabuntur, & templorũ in quibus idola colantur demolitionem.

Et dabo cadauera filiorum Israel ante faciem idolorum suorũ, & dispergam ossa vestra in circuitu altariũ vestrorum, in omni habitatione vestra.

Et dabo cadauera filiorum Israel ante faciem si- Vulg. *mulacrorum vestrorum, & dispergam ossa vestra circum aras vestras in omnibus habitationibus vestris.*

Ab inanimis ad ratione præditos conuertit orationem, minaturque cadaueribus compleurum se idolorum delubra, & humanis ossibus dæmonum aras, docens ipso supplicio nihil eis dæmonum profuisse cultum, neque ex illis opem aliquam aut auxilium habuisse in ijs, quæ sibi fuerunt illatæ, calamitatibus.

Et vrbes deserentur, & excelsa delebũtur, vt exterminentur, & desolentur altaria vestra, & conterantur.

Vrbes desertæ erunt, & excelsa demolientur, & Vulg. *dissipabuntur, & interibunt aræ vestræ & confringentur.*

Illud desolentur, ita interpretatus est Symmachus.

Et cessabunt idola vestra, & auferentur delubra vestra, & delebuntur opera vestra.

Et cessabunt idola vestra, & conterentur delu- Vulg. *bra vestra, & delebuntur opera vestra.*

Ostendit pœnarum causas: clemens enim Dominus ita punit, vt medici more sanitatis

habeat rationem; vt comprimat impietatis licentiam. hæc enim omnia, inquit, facio, & solitudinem inducam, vt insaniam & rabiem, qua excitati estis ad idola colenda, extinguam.

Et cadet vulnerati vestri in medio vestri, & cognoscent quia ego Dominus.

Vulg. *Et cadet interfectus in medio vestri, & scietis quia ego sum Dominus.*

Quamobrem pœna diuinæ cognitionis est magistra. iccirco etiam beatus Dauid dicebat: Psal.118. Bonum mihi, quia humiliasti me vt discam iustificationes tuas.

Et asumam cùm fuerit ex vobis saluatus ex gladio in gentibus, in dissipatione vestra, in regionibus.

Vulg. *Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in gentibus, cùm dispersero vos in terras.*

Quia dixit, cognoscetis quia ego Dominus, necessario ostendit, eos qui percepturi sint vtilitatem. nam qui ex captiuitate fuerint dispersi, ex pœnis vtilitatem percipient. iccirco subijcit,

Et recordabũtur mei saluati ex vobis, quò captiui ducti fuerint.

Vulg. *Et recordabuntur me liberati vestri in gentibus, ad quas captiui ducti sunt.*

Vtilis igitur quæ à Deo adhibetur disciplina pœnitentiæ mater.

Iuraui enim cordi eorum fornicanti, recedenti à me, & oculis eorum fornicantibus post instituta ipsorum, quia plorabunt ante faciem suã pro malis, quæ fecerunt in omnibus abominationibus suis, & cognoscent quia ego dominus non gratis locutus sum, vt facerem eis omnia mala hæc.

Vulg. *Quia contriui cor eorum fornicans & recedens à me, & oculos eorum fornicantes post idola sua, & displicebunt sibimet super malis quæ fecerant in vniuersis abominationibus suis, & scient quia ego Dominus non frustra locutus sum, vt facerem eis malum hoc.*

Sine vlla dubitatione, inquit, eos pœnitebit, quòd à me deficientes idolorum cultum complexi fuerint; hoc enim hoc in loco fornicationem vocauit; & ipsa experientia discent, à me neque iniuste, neque sine sua vtilitate eos huiuscemodi supplicijs affectos. impietas enim iustitiam ostendit, vtilitatem pœnitentia.

Hæc dicit Adonai Dominus: plaudito manu tua, & obstrepito pede tuo. et dic heu ad omnes abominationes malorum domus Israel, in gladio, et in fame, et in morte cadent.

Vulg. *Hæc dicit Dominus Deus, percute manum tuam, et allide pedem tuum. et dic heu ad omnes abominationes malorum domus Israel, quia gladio, fame, et pestе ruituri sunt.*

Me, inquit, declarante, & sententia decernente omnis generis supplicia, tu plaude, & admirare sententiæ iustitiam, deinde ijsdem rursus prædictis rebus, eos videlicet fame, peste, & hostium cæde interituros, & captiuos abductum iri, ac fore vt circum aras idolorum cultui dicatas pereant.

Et in nemoribus, quæ ab ipsis, inquit, culta fuerint, et sub quercu derisa, ederunt, inquit, odorem suauitatis omnibus idolis suis.

Vulg. *In omni colle excelso, et in cunctis summit. montium, et subtus omne lignum nemorosum, et subtus vniuersam quercum frondosam, locum vbi accenderunt thura redolentia vniuersis idolis suis.*

Ostendit etiam solitudinis terminos.

Ponam enim terram, inquit, in desolationem, & interitum à deserto Deblatha in omnibus habitationibus eorum, & cognoscent quia ego Dominus.

Et extendam manum meam super eos, & faciam Vulg. *terram eorum desolatam, & desituam à deserto Deblatha in omnibus habitationibus eorum, & scient quia ego Dominus.*

Et sciens crebras calamitatum prædictiones idoneas esse ad molliendos eos quoq; qui maxime aduersarij sint, rursus alijs verbis futura mala prædicit.

Factus est enim sermo, inquit, Domini ad me dicens, & tu filij hominis hæc dicit Adonai dominus terræ Israel: finis venit, finis venit super quatuor alas terræ, venit finis nunc, & veniet finis super te habitantem terram.

Et factus est sermo Domini ad me dicens, & tu Vulg. *filij hominis hæc dicit Dominus Deus terræ Israel; finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ, nunc finis super te.*

Quatuor alas terræ non orbis terrarum dicit, sed Israel. hoc est, res vestræ ad finem perueniere: ne existimetis enim posse vos ea mala fugere, quæ sum comminatus, nisi resipiscentes pœnitentiam agatis, nam contra vos omnes exitium procedet.

Et immittam ego furorem in te, & iudicabo te iuxta vias tuas.

Nunc tempus est cum beato Paulo dicere, Hebr.10. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis, reddet enim vnicuique secundum opera sua. quod etiam hic asserit, & iudicabo te iuxta vias tuas.

Et dabo super te omnes abominationes tuas.

Et ponam contra te omnes abominationes tuas. Vulg.

Hoc est, metes, quæ seuisti, & digna factis præmia feres.

Non parcet oculus meus super te, & nõ miserebor.

Cùm enim ita deliquerimus, vt iniquitatis nostræ nullus sit modus, & in insanabilẽ morbum progressi fuerimus, Dei misericordiam excludimus.

Quia viam tuam super te dabo, & abominationes tuæ super te erunt, & cognosces quia ego dominus.

Sed vias tuas ponã super te, & abominationes tuæ Vulg. *in medio tui erunt, & scietis quia ego Dominus.*

Maxima cõsolatio ijs est, qui puniuntur, punientis Dei cognitio.

Hæc dicit Adonai Dominus, afflictio vna, afflictio ecce venit, finis venit, venit finis, excitata est aduersum te, ecce venit finis, venit complicatio super te habitantem terram.

Hæc dicit Dominus Deus, afflictio vna, afflictio Vulg. *ecce venit, finis venit, venit finis, euigilauit aduersum te, ecce venit, venit contritio super te qui habitas in terra.*

Ineffabilis Dei clementia pœnas minatur, ne pœnas inferat, cùm vero non veriti fuerimus minas, tunc experientia eas percipimus, quod etiam

etiam istis accidit, qui cùm audissent finem venire non tamen veriti sunt finem. vocat autem afflictionem vnam, illatam omnibus perniciem, & complicationem vincula peccati. catenis enim suorum quisque peccatorum obstringitur. Et Esaias ait: Væ ijs qui trahunt peccata Esa.5. sua quasi funiculo longo, & quasi iugi loro vitulæ iniquitates suas.

Instat, inquit tempus, appropinquauit dies, non cum perturbatione, neque cum doloribus, nunc cominus effundam iram meam super te.

Vulg. *Venit tempus, prope est dies occisionis, & non gloriæ montium, nunc de propinquo effundam iram meam super te.*

Non erit, inquit pœnarum dilatio, sed adest & impendet ipsarum tempus. deinde rursus narrat, vt suorum peccatorum pœnas luent. Et complebo furorem meum in te, & quæ sequũtur. ac paulo pòst adijcit.

Virga floruit, & contumelia surrexit, & conteret firmamentum iniqui.

Vulg. *Floruit virga, germinabit superbia, iniquitas surrexit, in virga impietatis.*

Virgam vocauit pœnam ab iniquitate irrigatam, & efflorescentem; & contumeliam impietatem erga Deum appellauit, in qua plurimum temporis degentes diuinam longanimitatem contemnere perseuerarunt; sed ipsa, inquit, in præsenti surrexit, & conteret firmamentum iniqui. iccirco subijcit.

Qui emit ne lætetur, & vendens ne lugeat, quia ira in omnem multitudinem eius, & emens ad vendentem non amplius reuertetur.

Vulg. *Qui emit non lætetur, & qui vendit non lugeat, quia ira super omnem populum eius: quia qui vendit, ad id quod vendidit non reuertetur.*

Hoc est cupiens permutare commercium. omnes enim in eadem mala incident, æque lugentes ac suspirantes. veruntamen,

Et adhuc, inquit, in vita viuere ipsorum, quia visio ad omnem multitudinem eius non reuertetur.

Vulg. *Et adhuc in viuentibus vita eorum, visio enim ad omnem multitudinem eius non regredietur.*

Tot enim malis eos opprimentibus, non tamen ipsi viuere recusant, neque visio prophetica omnibus ipsis fide videtur digna. oportebat autem eos cognoscere, vt:

Vir in oculis vitæ suæ non roborabitur.

Vulg. *Et vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur.*

Hoc est, non omnes humanas spes ipsæ res consequuntur, sed sæpe cùm viuere aliquis sperauerit, contrarium inuenit finem.

Canite tuba & iudicate omnia, & nõ est proficiscens ad bellum: quia ira mea in omnem multitudinem eius.

Vulg. *Canite tuba, præparentur omnes, & non est, qui vadat ad prælium: ira enim mea super vniuersum populum eius.*

Quando putatis, inquit, falsa esse, quæ à me prædicuntur, tubis vestris vtimini, existimate vos omnibus præstantiores esse. at certe nihil id vobis profuturum est: neq; enim habebitis, qui possint prælio dimicare siquidem omnibus communiter omnis generis infero supplicia.

Bellum & gladius foris, & fames & mors intus: qui in campo, gladio vitam finient, eos qui sunt in vrbe fames & mors consumet.

Gladius foris, & pestis & fames intrinsecus: qui Vulg. *in agro est gladio morietur, & qui in ciuitate pestilentia & fame deuorabuntur.*

Quo modo itaque bello contendere poteritis à tot tantisq; malis vndique circumsepti?

Et saluabuntur, inquit, saluati ex ipsis, & erunt in montibus sicut columbæ meditantes.

Et saluabuntur qui fugerint ex eis, & erunt in mõ- Vulg. *tibus sicut columbæ conuallium.*

Conquerentes enim & lugentes columbis sublimibus assimilabũtur; suspirantibus quippe columbarum similis est vox.

Omnes, inquit, interficiam vnumquemque in iniquitatibus suis.

Omnes trepidi, vnusquisque in iniquitate sua. Vulg.

Non iniuste inferam supplicia, sed debitas ab vnoquoque repetam pœnas.

Omnes manus dissoluentur, & omnia femora polluentur humore.

Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent Vulg. *aquis.*

Vtrumque timiditatis est signum.

Et induentur saccis, & operiet eos stupor, & super omnem faciem dedecus, & super omne caput caluitiũ.

Et accingent se ciliciis, & operiet eos formido, & Vulg. *in omni facie confusio, & in vniuersis capitibus eorum caluitium.*

Quando enim viderint, inquit, malorum sibi nubem inferri, & nullum ex vlla parte afferri remedium, tunc abiecto animo arma bellica proijcient, & lugubrem assument habitum. iccirco etiam sacci meminit, & capitis rasi. hæc enim consueuerant eo tempore lugentes obseruare.

Et argentum ipsorum in plateis proijcietur, & aurum ipsorum contemnetur.

Argentum eorum foras proijcietur, & aurum eo- Vulg. *rum in sterquilinium erit.*

Deinde etiam causam docet, cur pecuniæ contemnentur.

Argentum enim ipsorum & aurum non potest liberare eos in die iræ Domini.

Argentum eorum & aurum eorum non valebit li- Vulg. *berare eos in die furoris Domini.*

Cernentes enim inutilem auri & argenti possessionem, ipsa proiecta despicient, non amplius custodientes vt prius.

Et animæ ipsorum non explebuntur, & ventres ipsorum non saturabuntur, quia tormentum iniquitatum ipsorum factum est.

Animam suam non saturabunt, & ventres eorum Vulg. *non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factum est.*

Quam enim vtilitatem afferet ipsis aurum aut argentum, bellante fame, & rerum ad cultui necessariarum vrgente inopia, propter quam vacui à cibo ventres, & animæ cibos expetunt? tormentum autem, & quæstio iniquitatũ ipsorum fit. tum rursus causam pœnarum docet.

Electa ornatus in superbiam posuerunt ea, & imagines abominationum suarum, & offensionum fecerunt ex eis.

Vulg. *Et ornamentum monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum & simulacrorum fecerunt ex eo.*

Aurum enim & argentum & lapides pretiosos habuerunt superbię simul & impietatis materiam, sumptuosum sibi inde ornatum comparantes, & plurima ad conficienda idola impendentes.

Propter hoc, inquit, dedi ipsis ea in immunditiam, & tradam ea in manus alienorum, vt diripiant ea, & pestilentijs terrę in spolia, & inquinabunt ea, & auertam faciem meam ab eis.

Vulg. *Propter hoc dedi eis illud in immunditiam, & dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impijs terrę in prædam, & contaminabunt illud, & auertam faciem meam ab eis.*

Pestes autem terræ Babylonios vocauit crudelissimos homines, & sceleratissimos, & omni impietate obstrictos. his inquit tradam, quæcunque aurea & argentea confecistis, & ornatum illum, quem vobis sumptuosum comparastis. Et inquinabunt ea, hoc est, pretiosis vestris idolis ad alia conficienda vtentur.

Et polluent visitationem meam, & ingredientur in ea sine custodia, & inquinabunt ea, & facient inquinationem.

Vulg. *Et violabunt arcanum meum, & introibunt in illud emissarij, & contaminabunt illud. fac conclusionem:*

Visitationem suam dedicatum sibi templũ nominat, vnde explorare videbatur Israel, & sua eum prouidentia dignari. tradam autem inquit non solum idola ipsorum Babylonijs, sed etiam consecratum mihi templum, & ingredientur in ipsum absq; custodia. hoc est, non lustrati neq; expiati secundum legem, neque prius circumcisi, sed vnà cum apparatu sanguine perfuso bellicam induti armaturam intus in ipsis adytis etiam audacter occidẽtes. hoc enim declarauit, cùm dixit, & inquinabunt ea, & facient inquinationem. tum etiam causam addit.

Quia plena terra populis, & ciuitas iniquitatum plena.

Vulg. *Quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate.*

Similis est enim multitudo scelerum istorũ hominum multitudini orbem terrarum incolenti.

Et adducam improbos gentium & hæreditate possidebunt domos eorum, & auertam fremitum roborũ eorum, & polluentur sancta ipsorum.

Vulg. *Et adducam pessimos de gentibus, & possidebunt domos eorum, & quiescere faciam superbiam potentium, & possidebunt sanctuaria eorum.*

Et non dixit sancta mea, sed sancta eorum, hoc est, quæ ab ipsis mihi consecrata sunt, quibus ego non indigebam, sed propter eam curam, quam habeo ipsorum, ea accepi. at rursus hæc eadem propter ipsorum scelera polluta & conculcata despiciam.

Propitiatio veniet, & quæres pacem, & non erit.

Angustia superueniente requirent pacem, & non Vulg. *erit.*

Deprecabuntur, inquit, cùm mala in ipsos viguerint, vt beneuolentiam consequantur, & ab ipsis vindicentur, sed nihil exorabunt.

Væ super væ erit, & nuncius super nuncium.

Conturbatio super conturbationem veniet, & au- Vulg. *ditus super auditum.*

Mala ad alia mala ipsis accedent, & tristem famam tristior alia excipiet fama.

Et quæretur visio ex propheta, & lex peribit à sacerdote, & consilium ex senioribus.

Et quærent visionem de propheta, & lex peribit à Vulg. *sacerdote, & consilium à senioribus.*

Hæc hodie quoque apud ipsos grassantur, neque enim sacerdotium secundum leges apud ipsos administratur, & prophetiæ donum extinctum est.

Rex lugebit, & princeps induetur interitum, & manus populi dissoluentur.

Rex lugebit, & principes induentur mœrore, & Vulg. *manus populi terræ conturbabuntur.*

Hoc apertius nos Hieremias edocet, enarrans quæ Sedeciæ acciderint, & illius fugam.

Secundum vias ipsorum faciam eis, & iudicijs eorum vlciscar super eos, & cognoscent quia ego Dominus.

Secundum viam eorum faciam eis, & secundum Vulg. *iudicium eorum iudicabo eos, & scient quia ego Dominus.*

Has inquit ab ipsis pœnas exigam pro ijs, quæ in me commiserunt, supplicia reposcens. iccirco decet nos omnes ex vnoquoque eorũ quæ dicta sunt vtilitate percepta non excitare contra nos improbitate scelerum vltionem, sed pœnitentiæ lacrymis peccatorum vulneribus mederi, ne superinfusum nauigium nos in profundum demergat secundum iusta Dei iudicia, quem decet gloria in sæcula, Amen.

SECTIO III.

Et factum est in anno sexto, in quinto mense, quin- Cap. 8. *ta mensis, ego sedebam in domo, & seniores Iuda sedebant coram me.*

Et factum est in anno sexto, in sexto mense, in quin- Vulg. *ta mensis: ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me.*

Perspicuum est prophetam cum Iechonia in captiuitatem abductum fuisse, quare vbique tempus ipsum notat. perseuerabat autem veluti quidam magister & præceptor puerorum captiuos instituere, & ad diuinam voluntatem eos adducere. quod declarauit cùm dixit, & seniores Iuda sedebant coram me. deinde subijcit:

Et facta est super me manus Adonai Domini.

Et cecidit ibi super me manus Domini Dei. Vulg.

Diuini spiritus efficaciam, manum Domini appellat.

Et vidi, & ecce similitudo viri à lumbis eius vsque deorsum, ignis, & à lumbis eius suprà, quasi visio splendoris, quasi species electri.

Et vidi,

Vulg. *Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis, ab aspectu lumborum eius & deorsum ignis, & à lumbis eius & sursum, quasi aspectus splendoris & visio electri.*

Quem super Cherubim contemplatus fuerat, hunc videt absque Cherubim. interdum enim ipsi formidabilis, interdum mitis apparet, omnia pro vtilitate dispensans. ipsius enim Osee 12. dictum illud est, ego visiones multiplicaui, & in manibus prophetarum assimilatus sum, non secundum essentiam visus sum. quare propheta quoque similitudinem se dicit vidisse.

Et extendit, inquit, similitudinem manus hominis, & assumpsit me in vertice capitis mei, & assumpsit me spiritus inter terram, & inter cœlum, & adduxit me in Hierusalem, in visione Dei, ad vestibula portæ interioris respicientis ad aquilonem, vbi erat columna imaginis zeli possidentis.

Vulg. *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter terram & cœlum, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei, iuxta ostium interius, quod respiciebat ad aquilonem, vbi erat statutum idolum zeli, ad prouocandam amulationem.*

Sciendum est prophetam dixisse vidisse hęc se in visione Dei, non igitur translatum fuit corpus, neque oculis carnis contemplatus est, sed domi sedens inter seniores Iuda, hanc totam vidit visionem, quod post eius enarrationem perspicuum facit. ascendi enim à visione Ezech. 11. mea, inquit, hoc est ad me ipsum redij. Cùm enim acerbas prædicat pœnas, necessario ipsarum quoque causas docet, & aspicit in sacro Dei templo columnã imaginis zeli. erat enim ibi præter legem statutum idolum, quod zelum vocat per translationẽ à mulieribus sumptam, quæ adulterium committunt, & viros suos relinquunt, alijsque commistæ ad zelotypiam eos adducunt. Hoc item per magnum Deut. 32. Moysen dixit Deus: Ipsi me ad zelum prouocarunt in eo qui non erat Deus, atque id interpretans subiecit: Irritauerunt me in idolis suis.

Et ecce ibi erat gloria Domini Dei Israel, secundum visionem, quam vidi in campo. & dixit ad me, fili hominis respice oculũ tuũ ad aquilonem: & respexi oculũ meis ad aquilonem: & ecce ab aquilone super portam ad orientem altaris, vbi imago zeli huius introitu ipsius.

Vulg. *Et ecce ibi gloria Dei Israel secundũ visionem quam videram in campo, & dixit ad me, fili hominis leua oculos tuos ad viam aquilonis, & leuaui oculos meos ad viam aquilonis, & ecce ab aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu.*

Iam ante diximus prophetam doceri iustas causas, cur Iudæi puniantur, quamobrem ipsi iustus iudex indicat omnia, quæ audent illi, facinora.

Et dixit ad me, fili hominis, vidisti quid isti faciũt? iniquitates magnas, quas domus Israel faciunt hic, vt recedant ipsi à sanctis meis.

Vulg. *Et dixit ad me, fili hominis putas ne vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel faciunt hic, vt procul recedant à sanctuario meo?*

Vides, inquit, vt ipsi propijs sceleribus in se attrahunt supplicia: nam impie agentes, & meum cultum contemnentes procul erant à sanctis locis meis: secundum Dauid prophetam; Quia qui elongant se à te, peribunt. Psalm 27.

Et introduxit me ad vestibula aulæ, & vidi, & ecce foramen in pariete, & effodi; & ecce porta vna in pariete, & dixit ad me, ingredere & vide iniquitates malas, quas isti faciunt hic.

Et introduxit me ad ostium atrij, & vidi, & ecce Vulg. *foramen vnum in pariete, & dixit ad me, fili hominis fode parietem, & cùm fodissem parietem apparuit ostium vnum; & dixit ad me, ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.*

Cùm ostendisset ipsi Dominus eam impietatem, qua aperte illi audebant impia facinora committere, ostendit similiter quæ occulte ab ipsis patrabantur.

Ingressus enim sum, inquit, & vidi, & ecce omnis similitudo reptilis, & iumenti, vanæ abominationes, & omnia idola domus Israel depicta in pariete in circuitu per totum, & septuaginta viri ex senioribus domus Israel, & Iezonias filius Saphan stabat in medio ipsorum, & vnusquisque thuribulum habebat in manu sua, & vapor incensi ascendebat.

Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptili- Vulg. *um & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum, & septuaginta viri de senioribus domus Israel, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulæ de thure consurgebat.*

Præter impietatem ingens stultitiæ exuperantia. quid enim stultius ijs, qui venenatorum serpentium, & rationis expertium iumentorũ adorant imagines? illos enim vt noxios, atque insidiosos occidere consueuimus; hæc vt nobis seruirent ac ministrarent, Dominus attri- Psal 146. buit. qui producit enim in montibus inquit Psal. 103. fœnum & herbam seruituti hominum. Consideremus igitur quantum à ratione abhorreat, si quis famulorum seruorumque adoret imagines. quare Dominus iure succensens ait prophetæ.

Vidisti fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt, vnusquisque in cubiculo suo occulto, quia dixerũt, non videt Dominus, dereliquit terram.

Et dixit ad me, cerne vides fili hominis, quæ senio- Vulg. *res domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubilis sui: dicunt enim, nõ videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.*

Causa quippe impietatis, Dei est obliuio, qui enim sibi persuaserant, nihil eorum, quæ ipsi committerent, à Deo inspici, eò iniquitatis processerunt. sed à beato Dauid contrà & sentire docemur & loqui. prouidebam enim Dominum, inquit, in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.

Et dixit ad me, adhuc videbis iniquitates maiores, quas isti faciunt, & introduxit me ad vestibula ianuæ domus Israel respicientis ad aquilonem; & ecce mulieres sedentes & flentes Thammuz.

Et dixit

Vulg. *Et dixit ad me, adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt, & introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad aquilonem, & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.*

Horum non solum impietatem sed etiam lasciuiam accusat. Thammuz enim secundum græcam linguam Adonis est. Venereorum igitur orgiorum lamentatio est lasciui dæmonis, & propter incontinentiam cultum admittentis.

Et dixit ad me, fili hominis adhuc etiam maiora his videbis instituta, & introduxit me ad vestibula in aulam domus Domini interiorem, & in vestibulo templi Domini inter Vlam, & inter altare circiter viginti quinque viri, posteriora ipsorum ad templum Domini, & facies eorum è regione ad orientem, & ipsi adorabant ad orientem solem.

Vulg. *Et dixit ad me, certe vidisti fili hominis, adhuc conuersus videbis abominationes maiores his; & introduxit me in atrium domus Domini interius; & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum & altare quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis.*

Maximus etiam hic impietatis conatus. adorare enim conseruum solem, Domino terga dantes, cui nam insaniæ exuperandę locum relinquit? Vlam autem diuini templi vestibulum vocauit, ante quod æreum altare positum erat: & inter Vlam & altare stantes dixit audere eos illa impia committere. & recte in singulis, quæ ostendebat, quasi defensionem afferens dominus pro Iudæorum pœna suo ministro ait.

Vidisti fili hominis, nunquid parum est domui Iudæ facere iniquitates, quas fecerunt hic? quia compleuerunt terram iniquitate, & auersi sunt, vt irritarent me. & ecce ipsi extendunt palmitem sicut subsannantes me.

Vulg. *Et dixit ad me, certe vidisti fili hominis, nunquid leue est hoc domui Iuda, vt facerent abominationes istas quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate conuersi sunt ad irritandum me? & ecce applicant ramum ad nares suas.*

Ego enim elegi eos, inquit, hoc consilio, vt opera ipsorum alij quoque ab impietate desciscerent. ipsi vero non modo cum cęteris vtilitatem non communicarunt, sed magis impia ausi sunt facinora patrare, vt in reliquum omnis terra iniquitate compleretur: propagarunt enim ramos impietatis, meo contraria consilio committentes. iccirco ait,

Et ego faciam ipsis cum furore: non parcet oculus meus, & non miserebor, & clamabunt in aures meas voce magna, & non exaudiam eos,

Vulg. *Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor, & cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

Quemadmodum enim ipsi non pietatis sed impietatis ramos propagarunt, & finitimorum auxerunt damna, ita ego minime parcens medicam ipsis sectionem adhibebo, neque eos inuocantes sustinens, neque exclamantes exaudiens. neque enim misericordia est, ipsis parcere: medicum siquidem decet illius, qui secatur, neque lacrymas, nec verba attendere, sed artis legem obseruare.

Et clamauit in aures meas voce magna dicens, appropinquauit vltio vrbis, & vnusquisque habuit vasa exterminationis in manu sua. Cap. 9.

Et clamauit in auribus meis voce magna dicens, Vulg. *appropinquauerunt visitationes vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua.*

Deinde docet qualia vasa.

Et ecce sex viri veniebant à porta excelsa respiciente ad aquilonem, & vnicuique securis in manu eius.

Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, Vulg. *quæ respicit ad aquilonem, & vnusquisque vas interitus in manu eius.*

Cùm enim ab aquilone & idolum positum esset, & mulieres Thammuz lugerent, necessario inde supplicium reperit aditum. & meminisse oportet eorum, quæ suprà dicta sunt, quartam videlicet vrbis partem morte consumptum iri. vide igitur eas potestates quibus puniendi munus commissum est, ad constitutum supplicium paratas. Et profecto Assyriorum multa millia vnus angelus iaculis confecit, & Aegyptiorum primogenitos angelus vnus iussus est interficere. hic vero propter impietatis exuperantiam, sex angelis Iudæorum puniendorum munus est impositum.

Et vir, inquit, vnus in medio ipsorum indutus veste talari, & zona sapphiri super lumbis eius.

Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, Vulg. *& atramentarium scriptoris ad renes eius.*

Septimi habitus erat sacerdotis: non enim ex ijs erat, qui punirent, sed ex ijs, qui supplicarent pro redimendis salute dignis. nam quia septimam diem coli præcepit, necessario septimum maxime honoratum ostendit.

Et ingressi sunt, & steterunt adhærentes altari æreo.

Et ingressi sunt, & steterunt iuxta altare æreum. Vulg.

Hoc autem in aula positum erat ante templi vestibula.

Et gloria Dei Israel ascendit à Cherubim, quæ erat super ipsis in subdio domus.

Et gloria Domini Israel assumpta est de Cherub, Vulg. *quæ erat super eum ad limen domus.*

Cùm enim sit contra ciuitatem sententiam laturus, extra sancta loca id facit, quæ non supplicia, sed salutem suppeditant.

Et vocauit virum talari veste indutum, qui habebat super lumbis suis zonam, & dixit Dominus ad eum: transi mediam ciuitatem, mediam Hierusalem, & da signum super frontes virorum gementium, & dolentium super omnibus iniquitatibus, quæ fiunt in medio eorum.

Et vocauit virum qui indutus erat lineis, & atra- Vulg. *mentarium scriptoris habebat in lumbis suis, & dixit Dominus ad eum: transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa thau super frontes virorũ gementium & dolentium, super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius.*

Conducit

Conducit enim profecto præcipere, & consulere peccantibus: sed cùm repugnant, neque obediunt, necessaria est & vtilis lamentatio. ic-
2. Cor. 11. circo beatus quoq; Paulus dicebat, Quis infir-
2. Cor. 12. matur, & ego non infirmor, quis scandalizatur & ego non vror? & rursus, Ne iterum cùm venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam. pij igitur erant etiam hi, qui lugebant, plorabantque populi scelera. iccirco signo conspicui fiunt, ne pœnarum participes fiant. sic inquit qui illi hæc mandauit, cæteris præcipit.

Ite in ciuitatem post eum, & percutite, neque parcite oculis vestris, neque misereamini senioris, & iunioris virginis, & infantes, & vxores interficite ad internecionem, ad omnes autem, super quos est signum, ne prope accedatis, & à sanctis meis incipite.

Vulg. *Et illis dixit, audiente me, transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini: senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem, omnem autem super quem videritis thau ne occidatis: & à sanctuario meo incipite.*

Rursus dico, horrendum est incidere in manus Dei viuentis secundum id quod à beato Paulo dicitur. addo illud etiam quod dixit diuinus Dauid, Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore: in die enim mala liberabit eos dominus. vtraque enim hęc in ijs, quæ modo dicta sunt, comperimus, hos quidem cum toto genere cædi absque vlla venia, & in omnem ætatem peruadere supplicium, illos vero iuste seruari, & ab eorum communione liberos permanere. Iubet vero vt à sanctis suis vltrices potestates initium faciant, non reuera sanctos eos nuncupans, sed quia hoc esse existimabantur, quasi ad diuinum cultum selecti. neque enim, vt quidam opinati sunt, de sanctis locis hoc dictum est, sed de hominibus ad Dei cultum segregatis. quod perspicuum faciunt prophetiæ sequentia. statim enim subijcit.

Et incepit à viris senioribus, qui erant intus in domo.

Vulg. *Cœperunt ergo à viris senioribus, qui erant ante faciem domus.*

Quos præcipit intus interfici. iustum est enim, qui ibi legem violarant, ibi quoque pœnas dare.

Dixit enim ad ipsos, inquit, polluite domum, & complete vias cadaueribus, egredimini & percutite.

Vulg. *Et dixi ad eos, contaminate domum, & implete atria interfectis. egredimini.*

Propterea quòd ipsi idolis domum polluerant, iustus iudex iniquorum cæde hoc fieri iubet.

Et egressi percutiebant ciuitatem.

Vulg. *Et ingressi sunt, & percutiebant eos qui erant in ciuitate.*

Et factum est cùm percuterent, relictus fui ego solus, & cadо super faciem meam, & exclamaui, & dixi, hei mihi Adonai Domine, deles tu reliquos Israel, in effundendo iram tuam super Hierusalem?

Et cade completa remansi ego, ruique super faciem Vulg. *meam, & clamans aio, Heu, heu, heu, Domine Deus, ergo ne disperdes omnes reliquias Israel effundens furorem tuum super Hierusalem?*

Humanus propheta, & ad misericordiam prò pensus. talis fuit beatus Paulus, qui pro Iudæis optabat anathema à Deo esse: verum dominus amicissimum prophetam consolatur, & iusta edocet supplicia.

Iniustitia enim domus Israel, inquit, & Iuda magnificata est admodum valde.

Et dixit ad me, iniquitas domus Israel, & Iuda ma- Vulg. *gna est nimis valde.*

Et conduplicatione illius, valde, exuperantiam incrementi declarauit.

Quia completa est terra à populis multis, & ciuitas completa est iniustitia & immuditia, quia dixerunt, dereliquit dominus terram.

Et repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta Vulg. *est auersione: dixerunt enim, dereliquit dominus terram, & dominus non videt.*

Cùm enim fumi carbones præceperit & per vrbem disipari, recedere quodam modo videtur, ei, cui iussus erat, imperata faciendi locum concedens. veritus enim fuerat omnino appropinquare ipsi gloriæ diuinæ quæ in Cherubim veheretur, & maximus edebatur sonus cùm mouerentur alæ Cherubim, ita vt existimari posset vel tonitru esse vel diuina vox. illud enim vox Dei Sadai, Idonei Dei tonitru, Symmachus & Theodotion interpretati sunt: hoc est, sonitum illum comparare potuisses Idonei & potentis Dei vocì. id est, tonitrui quod à diuina vi proficiscatur.

Et venit, inquit, & stetit adhærens rotis, & extendit inquit Cherub manum suam, de medio ipsorũ Cherubim, in medium ignis, qui erat in medio Cherubim, & accepit & dedit in manus eius, qui indutus erat stolam sanctam, & accepit, & egressus est.

Egressus ille stetit iuxta rotam, & extendit Che- Vulg. *rub manum de medio Cherubim, ad ignem qui erat inter Cherubim, & sumpsit, & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis, qui accipiens egressus est.*

Ordinum, qui cerni nequeunt, discrimen hinc quoque licet agnoscere. sex enim imperatum fuit, vt ne prope quidem accederent ad ipsa Cherubim, hic vero appropinquat quidẽ, non tamen audet inter ipsa progredi, sed ipsa Cherubim porrigunt carbones.

Et vidi, inquit, Cherubim, similitudinem manuum hominum sub alis eorum.

Et apponit in Cherubim similitudo manus hominis Vulg. *subtus pennas eorum.*

Opera manus significant: deinde rursus narrat, quæ ad rotas pertinent. omnibus ijs dictis, quæ paulo ante diximus, spẽciem tantum coloris immutatam se vidisse ait: illic enim secundum Symmachum, quasi speciem hyacinthi dixit se conspexisse: hic vero secundũ septuaginta, quasi carbonis, ita vt ex hoc quoq; loco discere posimus, non vidisse easdem naturas eorum, qui cerni nequeunt, sed similitudines

quasdam

quasdam & imagines. ideo etiam immutatas contemplatur: atque hanc immutationem in ipsis quoque Cherubim conspexerat. ibi enim primam faciem homini similem dixit fuisse, secundam leoni, tertiam vitulo, quartam aquilę: hic autem ordine conuerso & faciem primam Cherubim, quod est vituli, dixit vidisse, secundam hominis, deinde leonis, tum aquilæ. non igitur talis est potestatum, quæ cerni nequeúnt, natura. Sed perinde atque opus est, huiusce modi visiones dominus administrat. & arbitror quia in templo hanc vidit visionem, iccirco præpositam vituli faciem vidisse, quando hoc ad typum sacerdotij sumptum est, docerq; dorsa ipsorum, & manus horum, & alas & rotas plenas oculis fuisse, edoctus vim cognitionis ipsorum, quod significat hoc nomen, Galgal.

Rotis autem istis, inquit, impositum est nomen Galgal audiente me.

Vulg. *Et rotas istas vocauit volubiles audiente me.*

Hoc est, imperatum fuit ipsis vt voluerentur, atque commouerentur.

Et eleuatæ sunt, inquit, Cherubim.

Deinde docet nos hæc prius etiam se conspexisse, & ait.

Ipsum est animal quod videram iuxta flumen Chobar.

Vulg. *Hoc animal quod vidi super fluuium Chobar.*

Verum tunc quidem visionem percepit, sed nomen ignorauit, quod nunc didicit.

Et cùm incederent Cherubim, incedebant etiam rotæ, & ipsa adhærebant ipsis, & cùm extollerent Cherubim alas suas, vt extollerentur à terra, non reuertebantur rotæ eorum, & ipsæ iuxta illa, & cùm starent ipsa stabant, & cùm attollerentur ipsa, attollebantur cum ipsis, quia spiritus vitæ in ipsis.

Vulg. *Cumque ambularent Cherubim ibant pariter & rotæ iuxta ea, & cùm eleuarent Cherubim alas suas, vt exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed & ipsæ iuxta erant, stantibus illis stabant, & cum eleuatis eleuabantur, spiritus enim vitæ erat in eis.*

Sequebantur, inquit, in omnibus rotæ ipsa Cherubim, cumque illa mouerentur, simul mouebantur, & volantia consequebantur, & cùm starent stabant, non ab aliqua vi tractæ, sed sponte sua vnumquodque horum facientes, quia ipsis quoque spiritalis vita communicata fuerat.

Et egressa est gloria domini à subdio domus, & ascendit super Cherubim, & assumpsere Cherubim alas suas, & elata sunt à terra coram me, cùm attollerẽtur ipsa, et steterunt ad vestibula portæ domus dominicæ regionę, & gloria Dei Israel erat super ipsis desuper.

Vulg. *Et egressa est gloria domini à limine templi, & stetit super Cherubim, & eleuantia Cherubim alas suas exaltata à terra coram me, & illis egredientibus rota quoq; subsecutæ sunt, & stetit in introitu portæ domus Domini orientalis, & gloria Dei Israel erat super eos.*

Quando enim sumi præcepit carbones, visa est quodam modo recedere, vt is, cui fuerat imperatum vt accederet, auderet. quo facto rursus redire videtur & inuehi: sed Cherubim inquit sublimia & facile per aëra ferebantur, alarũ motu pro pedibus vtentia. & sequebantur rotæ ne parum quidem seiunctæ: inuehebatur autem Dei gloria, non ipse Deus, qui incircumscriptus est, & vbiq; præsens & omnia complens, sed eius gloria, quæ secundum illius dispensationes sese ostendit.

Hoc, inquit, est animal, quod vidi subter Deum Israel, iuxta fluuium Chobar, & cognoui Cherubim esse.

Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israel, Vulg. *iuxta fluuium Chobar, & intellexi, quia Cherubim essent.*

Visionem enim prius etiam percepi, sed nomen in præsenti didici. atque hinc aperte intelligi potest, non ipsam ab eo conspectam fuisse, naturarum, quæ cerni nequeunt, essentiam, sed imagines quasdam atque similitudines: namque in altera visione quatuor alas dixit habere vnum ex Cherubim, hic vero octo. at natura hanc mutationem non admisisset. verũ pro re nata expressa est visio. quando enim ampliorem cognitionem ex diuino colloquio percepit propheta, & alæ cognitionis celeritatem indicant, incrementum additæ ipsi cognitionis significans duplicatas ei Cherubim ostendit alas, quarum appellatio græca voce vim cognitionis significat.

Et assumpsit me, inquit, spiritus, & eduxit me ad Cap. II. *portam domus Domini, quæ erat è regione, respicientem ad orientem, & ecce in vestibulis ianuæ, quasi viginti quinque viri, & vidi in medio ipsorum Iezoniam filium Iezec, & Phaltiam filium Banai duces populi, & dixit Dominus ad me, fili hominis, isti viri iniqua nantes vana, & consulentes in ciuitate hac, dicentes, nonne recenter ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, vos autem carnes.*

Et eleuauit me spiritus, & introduxit me ad por- Vulg. *tam domus Domini orientalem, quæ respicit ad solis ortum, & ecce in introitu portæ viginti quinque viri, & vidi in medio eorum Iezoniam filium Azar, & Phaltiam filium Banaiæ principes populi, dixitq; ad me, fili hominis hi sunt viri, qui cogitant iniquitatem & tractant consilium pessimum in vrbe ista, dicentes, nõne dudum ædificatæ sunt domus? hæc est lebes, vos autem carnes.*

Accusat & principes, & subiectos illis, vt cõtraria Deo consulentes, & prophetis repugnantes, neq; eorum dictis volentes habere fidem: fore scilicet vt hostibus tradantur, sed sibi persuadentes vt vrbem incolentes, ibi sortiantur vitæ finem: nuper enim domus, aiunt, ædificatæ sunt, & in ipsis habitabimus, & vitam finiemus. hac de causa succensens Deus futuram hostium inuasionem per prophetam prædicit.

Cecidit enim super me, inquit, spiritus Domini, & dixit ad me, hæc dicit Dominus.

Et irruit in me spiritus Domini, & dixit ad me, Vulg. *loquere, hæc dicit Dominus.*

Hoc est, diuini spiritus virtute completus hæc dicere ex persona Dei iussus fui.

Sic domus Israel dixistis. etiam pessima consilia spiritus

spiritus vestri ego scio, multiplicastis mortuos in vrbe hac, & impleuistis vias eius vulneratis, quos percussistis in medio eius, isti sunt carnes, & hæc est lebes, & vos educam è medio eius, romphæam timetis, & romphæam inducã super vos, dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Sic locuti estis domus Israel, & cogitationes cordis vestri ego noui, plurimos occidistis in vrbe hac, & implestis vias eius interfectis, propterea hæc dicit dominus, interfecti vestri quos posuistis in medio eius, hi sunt carnes, & hæc est lebes, & educam vos de medio eius, gladium metuistis, & gladium inducam super vos ait Dominus Deus.*

Vos quidem, inquit, lebetem feciſtis vrbẽ, quam infinitis cadaueribus compleuistis, iccirco, quæ speratis minime assequemini, neque à molestijs vacuũ sortiemini vitæ finem, verum hostibus, quos veriti estis, mox trademini, & illorum gladio peribitis.

Et educam vos de medio, & tradam vos in manus alienorum, & faciam in vobis iudicium.

Vulg, *Et eijciam vos de medio eius, daboq; vos in manum hostium, & faciam in vobis iudicia.*

Iure, inquit, vos vlciscar: nam quia vos cognatos interfeciſtis, alienis & hostibus iure trademini.

In montibus Israel iudicabo vos, & cognoscetis quia ego Dominus.

Vulg. *Infinibus Israel iudicabo vos, & scietis quia ego Dominus.*

Extra vrbem, inquit, eorum quæ impie patraſtis, luetis pœnas, & experientia dominum esse me discetis.

Hæc vobis non erit in lebetem, & vos non eritis in medio eius in carnes, super mõtibus Israel iudicabo vos, & cognoscetis quia ego Dominus.

Vulg. *Hæc nõ erit vobis in lebetem, & vos nõ eritis in medio eius in carnes, in finibus Israel iudicabo vos, & scietis quia ego Dominus.*

Non moriemini, inquit, in vrbe, neque in ipsa sepultura afficiemini secundũ spes vestras, sed procul ab ipsa interficiemini. causasque docens,

Quia in iustificationibus meis non ambulastis, & iudicia mea non feciſtis, sed neque secundum iudicia gentium quæ sunt in circuitu vestro feciſtis.

Vulg. *Quia in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non feciſtis, sed iuxta iudicia gentium, quæ in circuitu vestro sunt estis operati.*

Iniquitatis exuperantia, & impietatis maximum argumentum, non solum diuinam violare legem, sed etiam gentibus in impietate degentibus magis impia perpetrare.

Et factum est cùm prophetare m ego, & Phaltias filius Banai mortuus est, & cado in faciem meam & clamaui voce magna & dixi, heu Adonai domine in consummationem tu facis reliquos Israel.

Vulg. *Et factum est cùm prophetarem, Phaltias filius Benaiæ mortuus est, & cecidi in faciem meam clamans voce magna, & dixi, heu, heu, heu, domine Deus consummationem tu facis reliquiarum Israel.*

Videt propheta illorum opera, qui iussi fuerant ciuitatem nulli parcentes cædere, & veritus ne funditus intereat, omnibus interfectis; oblitus enim fuerat præ animi mœrore multos accepisse incolumitatis signa; clementi domino supplicat, vt misericordiæ medicamento mitiget iustitiam: doceturque fore, vt isti quidem hostibus tradantur, propter ingentem improbitatem: qui vero iam captiui abducti fuerant, etiam in externa regione consolationem percipiant, & reditum consequantur.

Fili enim hominis, inquit, fratres tui & viri captiuitatis tuæ & omnis domus Israel consummata est.

Et factum est verbum domini ad me dicens: fili ho- Vulg *minis fratres tui, fratres tui viri propinqui tui, & omnis domus Israel.*

Aliquos, inquit, bello captos, qui iam pœnas eorum facinorum quæ ausi sunt, dederunt, seruabo in populum.

Quibus dixerunt habitantes Hierusalem, longe abestis à domino, nobis data est terra in hæreditatem.

Quibus dixerunt habitatores Hierusalem, longe re- Vulg. *cedite à domino, nobis data est terra in possessionem.*

Deridentes illos qui nunc habitant Hierusalem dicere audebant, vos dominus à se procul esse voluit: sed nobis promissionis terram distribuit. iccirco inquit, contra omnia fient, & vos neci tradam, illorum autem curã habebo.

Propterea dixit, hæc dicit Adonai dominus, quia repellam eos in gentes, & dispergam ipsos in omnẽ terram, & ero ipsis in sanctificationem paruam in regionibus, quò ingressi fuerint.

Propterea hæc dicit dominus Deus, quia longe feci Vulg. *eos in gentibus, & quia dispersi eos in terris, ero eis in sanctificationem modicam in terris, ad quas venerint.*

Interim enim ipsos quidem captiuos, & exules, & profugos feci, veruntamen in exilio, expectatione mutationis calamitatum, & spe bonorum cõsolationem eis afferam. hoc enim declarauit, cùm dixit, ero ipsis in sanctificationem paruam, non multo pòst autem ipsos rursus restituam, & in patriam terram reducam.

Cogam enim ipsos inquit ex gentibus, & accipiam eos de locis, in quibus dispersi eos, & dabo ipsis terram Israel, & ingredientur illuc, & educent omnes abominationes eius, & omnes iniquitates eius de ea.

Propterea loquere, hæc dicit dominus Deus, cũgre- Vulg. *gabo vos de populis, & adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboq; vobis humum Israel, & ingredientur illuc, & auferent omnes offensiones, cunctasq; abominationes eius de illa.*

Hoc autem docet Esdræ historia, & Maccabæorum scriptura. nam post reuersionem à Babylone, relicto idolorum cultu, auctorem omnium rerum Deum studiosè colere perseuerabant.

Et dabo ipsis, inquit, cor alterũ, & spiritum nouum Vulg. *dabo eis.*

Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum.

His autem non liberi arbitrij euersionem declarauit, sed futurum ab ipso auxiliũ societatemque ad efficienda bona opera. Spiritum nouum vocauit animæ ad honesta impetũ. Cũ enim ad contraria propensi ferrẽtur, mutatio-

nem in melius nouum ſpiritum appellauit, quemadmodũ enim cũm dixiſſet alterũ cor, non naturæ mutationem ſignificauit, ſed mentis in melius propenſionem, ita etiam per ſpiritum nouum hoc idem declarauit, idq; ſequentia teſtantur.

Et extraham enim cor, inquit, lapideum de carne ipſorum, & dabo eis cor carneum.

Vulg. *Et auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.*

Et nemo eorum, qui natura prudentes ſint, opinetur lapideum cor lapidis eſſe, ſed obedire renuens, atque inexorabile, quodq; Deo nolit cedere: carneum vero rurſus obediens, & quod facile cedat.

Vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant, faciantq; ea, & ſint mihi in populum & ego ſim eis in Deum.

Quando enim ipſorum reſpub. ſecundum meas leges adminiſtrabitur, ego ipſorum Deus vocabor, ipſi populus meus nuncupabuntur. hæc de ijs locutus, qui iam bello capti fuerant, rurſus transfert ad eos, qui tunc Hieruſalẽ habitabant, orationem.

Ipſorum autem inquit in cor abominationum ſuarum, & iniquitatum ſuarum cor eorum ambulauit, vias ipſorũ in capita eorũ dedi, dicit Adonai dominus.

Vulg. *Quorum autem cor poſt offendicula, & abominationes ſuas ambulat, horum viam in capite ſuo ponam dicit dominus Deus.*

His autem, inquit, qui illorum malis haud reſipuere, ſed impietati addicti in ea perſeuerãt degere, dignas ſcelerum, quæ auſi ſunt, infligam pœnas.

Et extulerũt Cherubim alas ſuas, & rotæ adhærentes ipſis, & gloria Dei Iſrael ſuper ea de ſuper ipſis, & aſcendit gloria domini de medio ciuitatis, & ſtetit ſuper montem qui erat contra ciuitatem.

Vulg. *Et eleuauerunt Cherubim alas ſuas & rotæ cũ eis, & gloria Dei Iſrael erat ſuper ea, & aſcendit gloria domini de medio ciuitatis, ſteteritq; ſuper montem, qui eſt ad orientem vrbis.*

His ita dictis, inquit, receſſerunt de ciuitate Cherubim gloriam Dei inſidentem vehentia, ſteteruntq; ſuper montem è regione Hieruſalem. eſt autem hic mons qui vocatur oliuarum, vnde etiam ſecundum carnẽ ſaluator noſter aſſumptus eſt. merito igitur eo quoq; tempore cùm & in humana figura apparuiſſet, duasq; in vna perſona naturas oſtendiſſet, & diuina quidem per ignem ſignificata, humana vero per electrum declarata, lata contra Hieruſalem ſententia, in hunc montem proficiſcitur, & inde redit in cœlum: etenim poſt crucem & mortem lata rurſus contra Hieruſalem ſententia, quia nõ relinquetur lapis ſuper lapidẽ, qui non deſtruatur, in montem illum cum diſcipulis profectus, ab intelligentibus, & quæ cerni nequeunt poteſtatibus latus in cœlos aſſumptus eſt. figura igitur futurorum ea quoque erant, quæ prophetæ oſtenſa ſunt. hæc autem ita contemplatus ait.

Spiritus aſſumpſit me, & adduxit me in terrã Chaldæorum in viſione, in ſpiritu Dei.

Et ſpiritus leuauit me, adduxitq; in Chaldæam & tranſmigrationem in viſione in ſpiritu Dei. Vulg.

Neque enim corpore inquit reuera modo in Iudeam, modo in Chaldæorum terrã transferebar, ſed in viſione, hoc eſt in ſpeculatione, & in ſpiritu Dei, id eſt, Dei virtute & efficacia mente illuſtratus, & ſuſcipiens propheticos oculos vnumquodque horum ſpeculabar, atq; hoc apertius declarans ſubiecit:

Et aſcendi à viſione, quam vidi, & locutus ſum ad captiuitatem omnia verba domini, quæ oſtendit mihi.

Et ſublata eſt à me viſio quam videram, & locutus ſum ad tranſmigrationem omnia verba domini quæ oſtenderat mihi. Vulg.

Ad me ipſum inquit redij, cùm finis factus eſſet ſpiritalis contemplationis, & illa quidem non amplius videbam, ſolos autem eos, qui vna aderant ſeniores, quibus etiam narraui ſingula, quæ videram, quæque audieram. verum tempus nunc eſt euangelicum illud dictum proferre: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. quod nos abunde docuerunt etiam quæ dicta ſunt: multis enim ſimul ſedentibus, ſolus tamen propheta viſionem illam percepit. Hanc cordis munditiẽ nos quoque cõſequi ſtudeamus, ac ſupplicemus, vt ab omni lippitudine liberi cõtinenter in præſenti vita Dei memoriam in anima circumferamus, cum fiducia autẽ ipſum videre digni cenſeamur in die aduentus eius. ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Matth. 5.

SECTIO IIII.

Et factum eſt verbum domini ad me dicens, fili hominis in medio domus irritantis tu habitas, qui habent oculos ad videndum & non vident, & aures ad audiendum, & non audiunt; quia domus irritans eſt.

Et factus eſt ſermo domini ad me dicens, fili hominis in medio domus exaſperantis tu habitas, qui oculos habent ad videndum & non vident, & aures ad audiendum & non audiunt; quia domus exaſperans eſt. Vulg.

Animæ vim in vtriſque oratio declarauit: habent enim oculos, inquit, ad videndum, nec vident, aures ad audiendum, nec audiunt. do censq; non naturaliter ijs affectionibus eos obnoxios fuiſſe factos, adiecit, quia domus irritans eſt. illud παραπικραίνων Symmachus irritatrix, interpretatus eſt, id eſt contentioſa, rebellis & obedire renuẽs, atque hæc prophetæ prædixit dominus, cùm ſit præcepturus ipſi, vt per ipſas res prophetiæ munus obeat, & veluti ſe excuſans, quòd propter populi obſtinatam voluntatem ac peruicaciam, hęc præcipere cogatur.

Et tu fili hominis facito tibi vaſa captiuitatis, & eſto captiuus die coram ipſis, & captiuus duceris à loco tuo, in locum alterum coram, eis, vt videant, quia domus irritans eſt.

Tu ergo fili hominis fac tibi vaſa tranſmigrationis, tranſmigrabis per diem coram eis, tranſmigrabis autem Vulg.

rem de loco tuo ad locum alterum in conſpectu eorum, ſi forte aſpiciant, quia domus exaſperans eſt.

Et clariora faciens, quæ dixit, adiecit.

Et afferes vaſa tua ſicut vaſa captiuitatis die ante oculos ipſorum, & tu egredieris veſpera coram ipſis, ſicut egredietur captiuus. perfodito tibi ipſi parietem, & egredieris per ipſum coram eis, in humeris ſuſtolleris, & occulte exibis, faciem tuam cooperies, & non videbis terram, quia portentum dedi te domui Iſrael.

Vulg. *Et efferes foras vaſa tua, quaſi vaſa tranſmigrantis per diem in conſpectu eorum: tu autem egredieris veſpere coram eis, ſicut egredietur migrans: ante oculos eorum perfode tibi parietem, & egredieris per eum, in conſpectu eorum humeris portaberis, in caligine efferis, faciem tuam velabis, & non videbis terrã, quia portentum dedite domui Iſrael.*

Imitare, inquit, aliquem obſeſſum, deinde vrbe capta etiam fugere coactum, effodientem parietem, & exitum excogitantem, & faciem tegentem, ne omnibus, qui viderint, notus fiat. per te enim hæc facientem volo habitantibus Hieruſalem præſignificare futuram captiuitatem. atque horum vnumquodque nos apertius beatus Hieremias edocet narrans, vt Sedecias vrbe capta cum domeſticis & ſatellitibus noctu fugit exitum quendam per hortũ regiæ machinatus. deinde docet propheta, vt vnumquodque eorum, quæ dicta ſunt, ad exitum perduxit, vtpote diuina mandata exhauriens. His autem, inquit, à me ita geſtis, Hier. 39.

Factum eſt verbum domini ad me diluculo dicens: fili hominis, nonne dixit ad te domus Iſrael, domus irritans? quid tu facis? dic ad eos, hæc dicit Adonai dominus, principi & duci in Hieruſalem, & omni domui Iſrael, qui ſunt in medio eorum dic quia ego portentum facio, quemadmodum feci, ſic erit in ipſis, in tranſmigratione, & in captiuitate ibunt.

Vulg. *Et factus eſt ſermo domini mane ad me dicens: fili hominis nunquid non dixerunt ad te domus Iſrael, domus exaſperans quid tu facis? dic ad eos, hæc dicit dominus Deus, ſuper ducem onus iſtud, qui eſt in Hieruſalem, & ſuper omnem domũ Iſrael, quæ eſt in medio eorum. Dic, ego portentum veſtrum, quomodo feci fiet illis, in tranſmigrationem & in captiuitatem ibunt.*

Interrogatus, inquit, ab iſtis contumacibus & aduerſarijs, eorum, quæ à te facta ſint, cauſam, aperte dic eis, portentum vobis ego ſũm & ſignum, rebus ipſis prophetiæ munus obiẽs, & in me ipſo adumbrans, quæ tum regi ipſius Hieruſalem, tum omnibus principibus euentura ſunt.

Et princeps enim ipſorum in medio eorum ſuper humeros extolletur, & occulte exibit per murum, & effodiet, vt exeat per eum, faciem ſuam cooperiet, vt ne videatur oculis, & ipſe terram non videbit.

Vulg. *Et dux qui eſt in medio eorum in humeris portabitur, in caligine egredietur, parietem perfodient, vt educant eum: facies eius operietur, vt non videat oculo terram.*

Veruntamen fugam ſic quoque faciens, & ita machinatus vt lateret, ab hoſtibus comprehendetur.

Et extendam, inquit, rete meum ſuper ipſum, & comprehendetur in munitione mea, & ducam eũ in Babylonem, in terram Chaldæorum, & ipſam non videbit, & ibi morietur.

Et extendam rete meum ſuper eum, & capietur in ſagena mea, & adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipſam non videbit, ibiq; morietur. Vulg.

His omnibus, quæ dicta ſunt, docuit, vt inſtrumentis vſus ipſis hoſtibus pœnas repeteret impietatis à rege, & principibus, omniq; illis ſubiecto populo. rete enim ſuum vocauit hoſtes, & munitionem ſuam obſidionem. Hæc etiam quartus regum liber, & beatus Hieremias aperte docent. Nabuchodonoſor enim miſſo equeſtri exercitu in ſolitudinem, quæ eſt ad Ierico, Sedeciam, atque eos qui cum eo fugerant, correptos adduxit in Deblatha, ibiq; Sedeciæ filijs prius interfectis, & facto ipſo filiorum cædis ſpectatore, deinde illius oculos effodit, circumiectisq; vinculis ex ære confectis eum in Babylonem abduxit, atque in piſtrino coegit habitare. Iccirco ait prophetia, in Babylona adducetur, & ipſam non videbit.

Et omnes, inquit, in circuitu eius, auxiliatores eius, & omnes opem ferentes ei, diſpergam in omnem ventum, & gladiũ effundam poſt eos, & cognoſcent quia ego dominus, cùm diſſipauero ego eos in gentibus, & diſſeminabo eos in regionibus.

Et omnes qui circa eum ſunt præſidium eius & agmina eius diſpergam in omnem ventum, & gladium euaginabo poſt eos, & ſcient quia ego dominus, quando diſperſero illos in gentibus, & diſſeminauero eos in terris. Vulg.

Quicunque autem in prælio cædem effugerint, efficiam vt captiui abducantur & exules faciam & profugos, vt ipſis rebus diſcant, muta eſſe idola, & ab omni prorſus efficacitate vacua: me vero dominum atque herum.

Et relinquam ex ipſis viros numero ex gladio, & ex fame, & ex morte vt enarrent omnes iniquitates ſuas in gentibus, quò ingreſſi ſunt, & cognoſcant quia ego dominus.

Et relinquam ex eis viros paucos à gladio, & fame, & peſtilentia, vt enarrent omnia ſcelera eorum in gentibus ad quas ingrediẽtur, & ſcient quia ego dominus. Vulg.

Hi autem ipſi, inquit, reliquiæ erunt famis, & mortis, & bellicę cędis, accuſatores proprię impietatis, & iniquitatis erunt, docentes eas gentes, in quibus captiui degẽt, pœnas eorum dare ſe, quæ in me deliquerunt.

Et factum eſt verbum domini ad me dicens, fili hominis panem tuum cum dolore comedes, & aquã tuam cum tormento, & tribulatione bibes.

Et factus eſt ſermo domini ad me dicens, fili hominis panem tuum in conturbatione comede, ſed & aquam tuam in feſtinatione & mœrore bibe. Vulg.

Et hoc rurſus ſignũ famis illius, quæ in obſidione eſt futura.

Et dices ad populum terræ, hæc dicit Adonai dominus, habitantibus Hieruſalem, & in terra Iſrael, panes ſuos in egeſtate comedent, & aquã ſuam cũ deletionibus bibẽt, vt deleatur terra cũ plenitudine eius in

impietate omnium habitantium in ea, & vrbes ipsorũ habitatæ desolabuntur, & terra in desolationem erit, & cognoscetis, quia ego dominus.

Vulg. *Et dices ad populum terræ, hæc dicit dominus deus ad eos, qui habitant in Hierusalem, in terra Israel, panem suum in sollicitudine comedent, & aquam suam in desolatione bibent, vt desoletur terra a multitudine sua propter iniquitates omnium qui habitant in ea, & ciuitates quæ nũc habitantur desolatæ erunt, terraq; deserta, & scietis, quia ego dominus.*

Cùm enim fruentes ijs bonis, quæ à me accepistis, & fructibus terræ delicatè vescentes ignoraueritis largitorem, & erga eum qui bene de vobis meritus est, ingrati fueritis, ipsa priuatione bonorum, & vrbium solitudine meam dominationem intelligetis. Hæc ijs, qui in Hierosolymis erant prædixit propheta, cùm inter captiuos versaretur, & eos qui iam capti fuerant consolari Deus vellet, quòd non solum ea perpessi essent, sed etiam alios habebant participes: & eos qui in Hierusalem habitabant metu malorum, quæ prophetia prædiceret, ab improbitate studeret abducere: ad hæc, quia ij, qui incolebant Hierusalem diuini Hieremiæ verbis repugnabant, & admirabilis Ezechielis, itidem ij, qui in Chaldæorum regione degebant, necessario alter alterius dicta confirmant, consentanea prædicentes, & ipsa concordia diuina verba esse ostendunt. nam si prope inter se habitassent, locum facile habuisset, illorum sermonũ concordiæ suspicio: quia vero multis stadijs distantes, eadem prædicebant, merito diuina esse quæ dicunt, ostendũtur. Hac de causa Hieremias epistolam scribit ijs, qui in Chaldæa erant, Ezechiel ijs, qui in Iudæa: auctore omnium rerum Deo & ijs & illis omnia ad vtilitatem prouidente.

Et factum est verbum domini ad me dicens, fili hominis quæ vobis hæc parabola in terra Israel dicentibus: longe dies, perijt omnis visio.

Vulg. *Fili hominis, quod est prouerbium istud vobis in terra Israel? dicentium: In longum differentur dies & peribit omnis visio.*

Curnam, inquit, Iudæam incolentes dicere consueuerunt prophetis, post multum annorum numerum futura prædicitis, mendacia verbis commiscentes, nihilque veri prænunciantes?

Propterea dic ad eos, hæc dicit Adonai dominus, & auertam parabolam hanc, & non amplius dicent parabolam istam domus Israel, quia loqueris ad eos dicens: Appropinquauerunt dies & tempus omnis visionis.

Vulg. *Ideo dic ad eos, hæc dicit dominus Deus, quiescere faciam prouerbium istud, neque vulgo dicetur vltra in Israel, & loquere ad eos quod appropinquauerint dies, & sermo omnis visionis.*

Quando diutinam lenitatem mendacium vocant, indicatur ipsis mox futurus prophetiæ euentus, & in vestibulis deinceps prædictum supplicium imminere.

Quia non amplius erit omnis visio falsa, & vaticinans ea, quæ ad gratiam sint, in medio filiorum Israel.

Vulg. *Non enim erit vltra omnis visio casſa, neque diuinatio ambigua in medio filiorum Israel.*

Auferam enim falsos, inquit, prophetas vestros, qui meis prophetis contraria prædicere conantur, bonorum abundantiam vobis falso prænunciantes.

Quia ego dominus loquar verba mea, & faciam, & non differam vltra, quia in diebus vestris domus Israel exasperans, loquar verbum, & faciam, dicit Adonai dominus.

Quia ego dominus loquar, & quodcunq; locutus fuero Vulg.
verbum & fiet, nõ prolongabitur amplius, sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum, & faciã illud, dicit dominus Deus.

Ne animum adhibete prophetis meis sicut alijs loquentibus, ego enim per ipsos loquor, & dicto citius, quæ locutus fuero, perducam ad exitum, vos ipsos faciens veritatis meorum verborum spectatores. ita rursus alijs verbis eisdem rebus significatis, & ijs, qui prophetas accusarent, quasi præsentia haud prædicentes, & multis pòst sæculis futura falsò prænunciantes minatus celerem eorum, quæ prædixerint, veritatem.

Non enim amplius, inquit, producentur sermones mei, quos locutus fuero, quia loquar verbum, & faciã, dicit Adonai dominus.

Non prolongabitur vltra omnis sermo meus, ver- Vulg.
bum quod locutus fuero complebitur, dicit dominus Deus.

Contra falsos prophetas reliquum orationis conuertit.

Fili enim hominis, inquit, vaticinare ad prophetas Cap. 13.
Israel qui prophetant.

Et ne æquiuocatio aliquid damni afferret hominibus, prophetæ enim tam veri quàm falsi nominabantur, merito subiecit.

Et dices prophetis prophetantibus de corde suo.

Et dices prophetantibus de corde suo. Vulg.

Hoc est ijs, qui omnino sunt ope diuina destituti, & mendacia secundum proprias cogitationes loquuntur.

Et prophetabis, inquit, & dices ad eos, audite verbũ domini, hæc dicit Adonai dominus, væ prophetantibus de corde suo, & ambulantibus post spiritum suum, & omnino non videntibus.

Audite verbum domini: Hæc dicit dominus Deus, væ Vulg.
prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.

Luctus, inquit, occupabit eos, qui non sunt afflati diuino spiritu, sed proprio consilio obediunt. consilium enim animi, spiritum ipsorũ appellauit.

Sicut vulpes in desertis prophetæ tui Israel, non steterunt in stabilitate, neque congregauerunt gregem ad domum Israel, non surrexerunt sicut in prælio, dicentes sicut in die domini.

Quasi vulpes in deserto, prophetæ tui Israel erant, Vulg.
non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die domini.

Hæc autem Symmachus apertius interpretatus est: sicut vulpes in ruinis prophetæ tui Israel, non ascendistis ad intercisiones, neque obsepiuistis sepem circa filios Israel, vt starẽt in prælio dicentes in die domini: Vulpibus enim similes, inquit, prophetæ tui sunt Israel,

Israel, in ruinis habitanibus. nam sicut illę ruinarum non obsepiunt exitus, per quos cuilibet exire & introire licet, ita isti videntes populi segnitiem, non intercluserunt ei vias ad improbitatem, neque pijs verbis obsepiuerunt, vt in die irędomini superiores hostibus esse possent, immo populi impietate ad proprium quæstum abusi sunt.

Videntes, inquit, mendacia, vaticinantes vana, dicentes dicit dominus, & dominus non misit eos, & cœperunt suscitare sermonem, nonne visionem falsam vidistis, & diuinationes vanas dixistis? & dicitis, dominus, dominus, & ego non sum locutus.

Vulg. *Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes, ait dominus, cùm dominus non miserit eos, & perseuerarunt confirmare sermonẽ, numquid non visionem casſã vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis? & dicitis, ait dominus, cùm ego non sim locutus.*

Nomine, inquit, meo abusi estis, falsa vaticinia populo prædicentes. ego autem nihil horum vobis inspiraui.

Ideo dic, hæc dicit Adonai dominus: quoniam verba vestra mendacia, & diuinationes vestræ vanæ, iccirco ego super vos dicit Adonai dominus, & extendam manum meam super prophetas videntes mendacia, & loquentes vana, in disciplina populi mei non erunt, neq; in scriptura domus Israel scribentur, & in terram Israel non egredientur, & cognoscent, quia ego Adonai dominus.

Vulg. *Propterea hæc dicit dominus Deus: quia locuti estis vana & vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos dicit dominus Deus, & erit manus mea super prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium in consilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur, & scietis quia ego dominus Deus.*

Meum inquit erudiam populum, isti vero funditus peribunt, neque eorum memoria literis prodetur, neque cum populo meo recensebuntur, causamq; ostendens,

Quia, inquit, deceperunt populum meum, dicentes pax pax, & non est pax.

Vulg. *Eo quòd deceperint populum meum dicentes pax pax, & non est pax.*

Ego enim populo bellum, & cędem, & captiuitatem prædicebã, cõminatione malorum cupiens eos resipiscere: sed isti contraria mihi facientes pacem ipsis incassum pollicebantur.

Et ipse, inquit, ædificat murũ, vt solidum, & ipsi liniunt eum, cadet, dic ad linentes eum, cadet.

Vulg. *Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis, dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit.*

Populus enim ædificat murũ debilem, propter improbitatem & impietatẽ, isti vero bonas prædictiones, & pollicitationes, veluti quoddam linimentũ, & vnctionem muro adhibent, cùm opus esset debilem ædificationem dissoluere, & operam dare, vt solida fieret, illinentes autem murum opinabantur, ea vnctione se eum tutum efficere. dic igitur ipsis, cadet, & dissoluetur.

Erit enim imber, inquit, inundans, & dabo lapides ingentes, qui iaciantur in iuncturas eorum, & cadet, & spiritus auferens veniet, & dirumpetur, & ecce cecidit murus.

Erit enim imber inundãs, & dabo lapides pręgran- Vulg.
des, desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem, siquidem ecce cecidit paries.

Per translationem omnia tanquam de muro dixit, & his omnibus hostium declarauit impetum. vincula autem muri regem, & principes appellauit, qui sicut commissuræ ædificium, ita populum constringebant. Imbrem igitur inundantem, & ventum auferentem Chaldæos nuncupauit. cùm ceciderit igitur murus,

Nonne dicent ad vos vbi est litura, quam liniuistis?

Numquid non dicetur vobis, vbi est litura, quam Vulg.
liniuistis?

Cùm rebus ipsis didicerint falsas esse vestras prædictiones, & bellum, & cædem, & captiuitatẽ, pro sperata pace, nonne dicent vobis, vbi pulchra vestra illa verba, & pacis pollicitationes? ita rursus diffusius eadẽ locut⁹, minatusq; hostilium telorum inundationem, & lapidum instar niuis defluxus, male ædificati muri à fundamentis euersionem, & certũ argumentum mendacij eorum qui bona prædixerint, apertius differit.

Dixi enim ad vos, inquit, non est murus, neque linientis eum prophetæ Israel prophetantes super Hierusalem, & videntes. hæc pax & pax non est dicit Adonai dominus.

Dicámque vobis, non est paries, & non sunt qui li- Vulg.
niunt eum prophetæ Israel, qui prophetant ad Hierusalem, & vident ei visionem pacis, & non est pax ait dominus Deus.

Omnia inquit delebuntur, & linimentum & murus, & qui linimentum adhibuerint prophetæ, obsidio enim & captiuitas, inquit, pro promissa pace Hierusalem occupabit. his dictis de pseudoprophetis, ad eas mulieres, quæ itidem falso prophetabant conuertit orationem. quas humanæ naturæ hostis cùm inuenisset instrumenta, per eas quoque mendacia exercebat, & prophetis quidem falsos prophetas opponebat, mulieribus vero prophetica gratia dignatis, eas quæ mendacij prædicendi facultatẽ nactæ essent. prædicit igitur ipsis quoq; futura.

Et tu fili hominis firmæ faciem super filias populi tui, prophetantes de corde suo, & prophetа super eas, & dices, hæc dicit Adonai dominus, væ consuentibus puluinaria sub omnem cubitum manus, & facientibus velamina sub omne caput in omni ætate, vt peruertant animas, animas populi mei peruertebant, & animas seruabant.

Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias Vulg.
populi tui, quæ prophetãt de corde suo, & vaticinare super eas & dic. Hæc dicit dominus Deus, væ, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas, & cùm caperent animas populi mei, viuificabunt animas eorum.

Hoc autem Symmachus apertius interpretatus ita dixit, væ consuentibus puluinos sub omni cubito manus, & facientibus ceruicalia

ad caput omnis ætatis ad venandum animas. His per transſlationem molliores ac mitiores innuit ſermones. ceruicalia enim & puluinaria requietem quandam & auxilium afferunt membris, quibus ſupponuntur. & molliora verba cùm falſa ſint ad tempus aures titillant, ſed omnis generis euerſiones animis afferũt: ita etiam falſę vates populo animæ exitium, ſibi ipſis pecuniarum lucrum comparabant ea prophetantes, quæ videntur vtilia. hoc enim innuit cùm dixit, animas populi mei peruertebant, & animas ſeruabant, peruertentes enim populum & à Deo recedentes id efficiebant, vt ſuis dictis illi attenderent, deinde lucri vilitatem.

Et contaminabant me ad populum meum, pro pugno hordeorum, & pro fragmentis panis.

Vulg. *Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis.*

Quid enim his vilius? & quid moleſtius damno hinc profecto?

Vt interficerent, inquit, animas quas non oportebat mori, & vt ſeruarent animas, quas non oportebat viuere, cùm loquereminí vos populo, vana reſponſa exaudienti.

Vulg. *Vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.*

Parui enim lucri cauſa alios fruſtra laudabatis in populo, alios eſſe ſupplicio dignos arguebatis, populi leuitate facilitateque abutentes, illi enim veſtris dictis addicti alios eſſe ſaluos iubebant, alios ſine cauſa occidebant. ſic redarguta impietate ſupplicium minatur.

Propterea hæc dicit Adonai dominus: ecce ego ſuper puluinaria veſtra, ſuper quæ vos conuertitis ibi animas, & dirumpam ea ſub brachijs veſtris, & emittam animas, quas vos peruertiſtis, animas ipſorum in diſſipationem. & rumpam velamina veſtra, & eruam populum meum de manu veſtra, & non amplius erunt in manibus veſtris in conuerſionem, & cognoſcetis quia ego dominus.

Vulg. *Propter hæc dicit dominus Deus: ecce ego ad pulullos veſtros, quibus vos capitis animas volãtes, & dirumpam eos de brachijs veſtris, & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandum, & dirumpam ceruicalia veſtra, & liberabo populum meum de manu veſtra, neque erunt vltra in manibus veſtris ad prædandum & ſcietis quia ego Dominus.*

Redarguam, inquit, verba veſtra, & falſa oſtendã, & pro bonis illis pollicitationibus, quæ ſimiles ſunt mollib⁹ ceruicalib⁹, & puluinis infligã calamitates populo qui vobis crediderit, & diſpergam eos, experientia docens mendacia veſtra, liberabo tamen eos à veſtro mendacio perſuadens ipſis ijs malis, quę ſuſtinebunt, haud ampli⁹ veſtris eſſe verbis attendendum, ſed me dominum atque herum inſcribendum.

Pro eo quod peruertiſtis cor iuſti iniuſte, & ego non peruertebam eum, & vt corroboretis manus impij, ne penitus conuerteretur ipſe à via ſua mala, & viueret ipſe, propterea mendacia non videbitis, & diuinationes non diuinabitis amplius, & eruam populum meum de manu veſtra, & cognoſcetis quia ego dominus.

Vulg. *Pro eo quod mœrere feciſtis cor iuſti mendaciter, quem ego nõ contriſtaui, & cõfortaſtis manus impij, vt non reuerteretur à via ſua mala, & viueret, propterea vana non videbitis, & diuinationes nõ diuinabitis amplius, & eruam populũ meum de manu veſtra, & ſcietis quia ego dominus.*

Quia enim iuſtos, inquit, perturbabatis, ac veluti fluctus exagitabatis, ita quippe Aquilas interpretatus eſt, calamitates ipſis prædicentes, & audaciores improbos reddebatis, bona eis vaticinantes, & vtraq; hæc præter meum conſilium faciebatis: ideo omnibus exitijs vos perdam, & falſo vaticinio finem imponam, & ab interitu, quo veſtra opera interibat, populum meum vindicabo. His ita de iſtis vaticinatus ad aliud transfert orationem.

Et venerunt, inquit, viri de ſenioribus Iſrael, & ſederunt ante faciem meam, & factum eſt verbum domini ad me dicens: fili hominis, viri iſti poſuerunt cogitationes ſuas in cordibus ſuis, & pœnam iniquitatum ſuarum poſuerunt ante faciem ſuam, reſpondens reſpondebo ipſis. Cap. 14.

Et venerunt ad me viri ſeniorum Iſrael, & ſederunt coram me, & factus eſt ſermo domini ad me dicẽs: fili hominis, viri iſti poſuerunt immunditias ſuas in cordibus ſuis, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerunt contra faciem ſuam, numquid interrogans reſpondebo eis? Vulg.

Apertius hoc Aquilas interpretatus eſt; Viri iſti dedicarunt idola in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ poſuerunt contra faciem ſuam. quæ enim male excogitarunt ea perficiunt, & impudenter neglecta ſupplicij commination e, quam minatus ſum peccantibus, ad te venerunt percontari aliquid ſtudentes, & ſperantes aliquo ſe reſponſo dignatum iri.

Iccirco loquitor ipſis, & dices ad eos, hæc dicit Adonai dominus, homo de domo Iſrael, qui poſuerit cogitationes ſuas in corde ſuo, & pœnam iniquitatis ſuæ poſuerit ante faciem ſuam, & venerit ad prophetam, ego dominus reſpondebo & in ijs, in quibus tenetur mẽs eius, vt auerteret domum Iſrael ſecũdum corda eorum abalienata à me in cogitationibus eorum,

Propter hoc loquere eis, & dices ad eos, hæc dicit dominus Deus, homo, homo de domo Iſrael, qui poſuerit immunditas ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad prophetam interrogans per eum me, ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum, vt capiatur domus Iſrael in corde ſuo, quo receſſerunt à me in cunctis idolis ſuis. Vulg.

Quando prophetis & pſeudoprophetis abuſi pari ratione ij qui obſtricti erant impietatis ſcelere percontabantur, non vt à Deo imperata prorſus perficerent, ſed ea gratia vt intelligerent an prædictiones ſuis eſſent cogitationibus reſponſuræ, hac de cauſa auctor omnium rerum Deus per prophetam ait, quicunq; homo de domo Iſrael diuinæ regugnãs doctrinæ, ſoliſque ſuis rationibus obſecutus, & eam

& eam deſpiciens comminationem, quam improbis minatus ſum, ad pſeudoprophetam abierit ſua incœpta perficere ſtudens, & periculum faciens, an quæ prædicta ſunt euentu ſuis reſpondeant cogitationibus: ego, inquit, reſpondebo ei, ſiquidem non recta mente vſus eſt, concedam pſeudoprophetæ, vt eius conſilia conformet, exitio enim dignus eſt, & interitu, iccirco inquit, vt auerteret domum Iſrael ſecundum corda eorum abalienata à me in cogitationibus eorum. nam, quia ipſi à mea cura procul recedunt, gaudentque pſeudoprophetarum deceptione, permittam vt ipſi ſuorum laborum percipiant fructus. hoc etiam Achaab eueniſſe inuenimus: Sedecias enim pſeudopropheta confectis ſibi cornibus ferreis, dicebat ipſi Achaab, his cornibus Syriam petes, his ventilabis Syriam. cumque Ioſaphat quæ à pſeudoprophetis dicerentur, nequaquam admittens diuinum prophetam inquireret, accerſitus fuit Michæas, qui contraria Sedeciæ vaticinatus, non perſuaſit ipſi Achaab: neque enim volens ea facere, quę Deus prædiceret, prophetam interrogabat, ſed modis omnibus, quod ſibi faciendum propoſuerat, id ratum fieri ſtudebat. iccirco Dei permiſſu prædixerunt pſeudoprophetæ falſa, quibus ille creditis exijt in expeditionem, & impietatis pœnas dedit. 2. Par. 18.

Propterea dic ad domum Iſrael, hæc dicit Adonai dominus, conuertimini, & recedite ab inſtitutis veſtris, & ab omnibus impietatibus veſtris, & conuertite facies veſtras.

Vulg. *Propterea dic ad domum Iſrael: Hæc dicit dominus Deus, conuertimini, & recedite ab idolis veſtris, & ab vniuerſis contaminationibus veſtris. auertite facies veſtras.*

Salutis conciliatricem tradit admonitionem, & quid inde lucri futurum ſit oſtendit.

Quia homo, homo de domo Iſrael, & de proſelytis qui peregrinantur in domo Iſrael, qui abalienatus fuerit à me, & poſuerit cogitationes ſuas in mente ſua, & pœnam iniquitatis ſuæ poſuerit ante faciem ſuam, & venerit ad prophetam, vt interroget eum in me, ego dominus reſpondebo ei in ijs, quibus detinetur.

Vulg. *Quia homo, homo de domo Iſrael, & de proſelytis, quicunque aduena fuerit in Iſrael, ſi alienatus fuerit à me, & poſuerit idola ſua in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad prophetam, vt interroget per eum me, ego dominus reſpondebo ei per me.*

Hæc apertius iteravit. omnis, inquit, quicunque ſe à mea cura abalienarit, & duce mala cogitatione vſus fuerit, ſcienſque pœnas, quas malis comminatus ego ſum, ea contempta acceſſerit ad aliquem pſeudoprophetam, ab eo videlicet cupiens quid facto opus ſit intelligere, ego, inquit, reſpondebo, & permittam vt propheta vocatus ea reſpondeat, quæ illius cogitationibus conſentanea ſint. deinde dignum ſupplicium minatur.

Et firmabo faciem meam ſuper hominem illum, & ponam eum in ſolitudinem, & in interitum, & auferam eum de medio populi mei, & cognoſcetis, quia ego dominus.

Et ponam faciem meam ſuper hominem illum, & faciam eum in exemplum & in prouerbium, & diſpergam eum de medio populi mei, & ſcietis quia ego dominus. Vulg.

Oſtendenſq; non de diuinis prophetis hæc à ſe dici, ſed de ijs, quibus eſt ſolum prophetæ nomen, & ab ipſa re omnino vacui ſunt, ſubiecit,

Et propheta ſi errauerit, & locutus fuerit ſermonem, ego dominus errare feci prophetam illum, & extendam manum meam ſuper ipſum & delebo ipſum de medio populi mei Iſrael, & capient iniuſtitiam ipſorum.

Et propheta cùm errauerit, & locutus fuerit verbum, ego dominus decepi prophetam illum, & extendã manum meam ſuper illum, & delebo eum de medio populi mei Iſrael, & portabunt iniquitatem ſuam. Vulg.

At non eſt iuſti iudicis proprium & decipere prophetam & in errorem inductum punire. Non igitur ſecundum efficaciam ait ſe prophetam in errorem inductum ire, ſed ſecundum permiſſionem. hoc eſt, cùm poſſim ipſius ſtatim mendacium redarguere, ſuſtineo, & diuina lenitate vſus permitto, vt dolo vtatur, quem voluntate, non autem neceſsitate exercet. Iccirco etiam par ſupplicium comminatur & male interroganti, & male reſpondenti.

Secundum enim iniquitatem, inquit, interroganti, ſic etiam iniquitas prophetæ erit, vt non errent amplius domus Iſrael à me, & vt ne polluantur amplius in omnibus delictis ſuis, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, dicit Adonai dominus.

Iuxta iniquitatem interroganti, ſic iniquitas prophetæ erit, vt non erret vltra domus Iſrael à me, neque polluatur in vniuerſis præuaricationibus ſuis, ſed ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum: ait dominus exercituum. Vulg.

Non ſine cauſa, inquit, hoc illis infligam ſupplicium, ſed vt illorum interitu populo meo benefaciam, & eum ab illorum impietate vindicem. volo enim ipſum habere populum, & eſſe illorum Deus, omni eos cura proſequens.

Et factum eſt verbum domini ad me dicens, fili hominis, terra ſi peccauerit mihi, vt delinquat delicto, etiam extendam manum meam ſuper eam, & conteram ipſius firmamentum panis, & emittam in eam famem, & auferam de ea hominem & iumentum, & ſi fuerint tres viri hi in medio eius, Noe, & Iob, & Daniel, ipſi in iuſtitia ſua ſaluabũtur, dicit Adonai dominus.

Et factus eſt ſermo domini ad me dicens, fili hominis, terra cùm peccauerit mihi, vt præuaricaretur præuaricans extendam manum meam ſuper eam, & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem & iumentum, & ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas: ait dominus exercituum. Vulg.

Si nationem quæ peccarit, inquit, punire voluero, & fame necare, & ij, qui punientur,

noluerint ad pœnitentiam adduci, nullam veniam consequentur,ne si Noe quidem & Iob & Daniel in ipsis inuenti fuerint. verum hi certe suæ iustitiæ colligent fructus, & salutem adipiscentur,sed illos ab illato supplicio minime liberabunt. horum autem virorum mentionem fecit,vt valde ijs,quæ dicta sunt, consentientibus,quæ illorum tempestate acciderunt. nam & Noe in impiorum generatione inuentus haudquaquam potuit eos à diluuij exitio liberare,qui noluerunt ad pœnitentiam adduci:& Daniel similiter,cùm captiuitatis tempore vigeret, alios propter ingentem ipsorum impietatem ab illatis malis haud vindicauit, sed ipse bello captus hostium tamẽ potitus est, & eos, qui se in seruitutem abduxerant, sibi subiectos habuit.nẽque filijs Iob parentis iustitia profuit,sed ipse solus aduersarij superauit insidias.alijs autem rursus pluribus hæc asserit,& si necem inferam terræ illi,& si feras contra eam exuscitem,& si aduenientium hostium impetum, inuentique fuerint tres viri isti in medio ipsorum,ne filios quidem suos aut filias seruare poterunt,sed soli salutem consequentur.perspicuum est autem eos,qui à resipiscentia vacui sint,nullam à iustis vtilitatem percepturos,pœnitentię siquidem salutem consequi testis est diuina scriptura,hoc vbique docens, Nineuitæ enim neque Noe, neque Iob, neque Daniel habentes, sed Ionam, qui non pro eis supplicabat,sed vera dicere cupiebat, ipsa pœnitentia salutem inuenere.docet igitur oratio prophetica,sceleribus obstrictos nullam veniam habituros,& quicunque resipiscere nolint, etiam si inter iustos degere se glorientur.ad hęc ostendere vult auctor omnium rerum Deus,quod erga aliam nationem non fecit, hoc erga Israel se fecisse.

Hæc enim dicit,inquit, Adonai dominus, si autem & quatuor vltiones meas malas, (malas autem molestias ait) gladium, & famem, & bestias malas, & mortem emisero super Hierusalem, ad exterminandum ex ea hominem & iumentum, & ecce relicti in ipsa saluati ex ea, qui educent ex ea filios & filias, ecce ipsi egrediuntur ad vos, & videbitis vias eorum.

Vulg. *Quoniam hæc dicit Dominus, quod etsi quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Hierusalem, vt interficiam de ea hominem & pecus, tamen relinquetur in ea saluatio educentium filios & filias:ecce ipsi egredientur ad vos, & videbitis viam eorum.*

Mortem quidem vocat repentinum interitum,gladium vero occidionem,famem,egestatem,bestias malas eos qui crudeliter in seruitutem redigunt,malas vltiones acerbas & amaras.his pœnis inquit Israel illatis, relinquam qui ex ipsa saluentur, filios & filias, vt discant omnes ingentem eorum impietatem,& improba instituta,cognoscantque iusta supplicia. & vos item illorum cognati, conspecta istorum improbitate, haud accusabitis pœnarum crudelitatem,idque declarans adiecit.

Et pœnitebit vos super mala, quæ induxi super Hierusalem, in omnibus malis, quæ induxi super eam, & consolabuntur vos, quia videbitis vias eorum, & cogitationes eorum, & cognoscetis, quia non frustra feci, omnia quæcunque feci in ipsa, dicit Adonai dominus.

Et consolabimini super malo, quod induxi in Hierusalem, in omnibus quæ importaui super eam, & consolabuntur vos cùm videritis viam eorum, & adinuentiones eorum, & cognoscetis quod non frustra fecerim, omnia quæ feci in ea, ait dominus Deus. Vulg.

Hac de causa inquit non omnes funditus perdam,sed relinquam ex ipsis, qui saluentur, per quos omnes iustum fuisse illatum ipsis supplicium cognoscant.

Et factum est verbum domini ad me dicens, & tu fili hominis quid fiet lignum vitis, ex omnibus lignis sarmentorum, quæ sunt in lignis siluæ, si capient ex ea lignum vt faciant in opus, si capiant ex ea paxillum vt suspendant super eum omne vas, præter id quod igni traditum est in consumptionem, annuam purgationem eius consumit ignis, & deficit in finem. Cap. 15.

Et factus est sermo domini ad me dicens, fili hominis quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna siluarum? numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? ecce igni datum est in escam, vtramque partem eius consumpsit ignis, & medietas eius redacta est in fauillam. Vulg.

Cùm vineam semper Israel per prophetas nuncuparit, per Dauid enim, vineam inquit, de Aegypto transtulisti: Esaias autem: vinea facta est dilecto meo,ait. Et Hieremias: quomodo conuersa es in amaritudinem, vitis vera? per translationem à sarmentis vitis ostendit inutilem Israel.quemadmodũ enim præter omnia ligna ad opus minimè idonea sunt ligna vitis, neque enim paxillum vel tenuissimum ex ea quis poterit conficere,sed tantum ignis fit alimentum, & annua item ipsius expurgatio in ignem proijcitur, ita iste populus ad aliud nihil idoneus,quam ad interitum ac suppliciũ. annuam,inquit,ipsius expurgationem consumit ignis,& deficit in perpetuum. Psal. 97. Esa. 5. Hier. 2.

Numquid vtile erit ad opus? numquid etiam si ignis illud consumpserit in finem, amplius erit ad opus? aut fiet in opus, neque adhuc ipso existente integro, non erit in opus amplius.

Numquid vtile erit ad opus? etiam cùm esset integrum non erat aptum ad opus, quanto magis cùm illud ignis deuorauerit, & combusserit, nihil ex eo fiet operis? Vulg.

Si enim antequam in ignem conijciatur ad nullum opus est idoneum, nullo pacto vtile esse poterit vbi fuerit ab igne consumptum, ita dicta comparatione, eam interpretatur.

Iccirco dic, hæc dicit Adonai dominus: quemadmodum lignum vitis in lignis siluæ, quod dedi igni in consumptionem: ita dedi habitantes Hierusalem, & dabo faciem meam super eos.

Propterea hæc dicit dominus Deus: Quomodo lignũ vitis inter ligna siluarum, quod dedi igni ad deuorandum, sic tradam habitatores Hierusalem, & dabo faciem meam in eos. Vulg.

Hoc per translationem dixit ab ijs desumptam

ptam qui vultum iracundum terribilemq; præ se ferunt.

De igne egredientur, inquit, & ignis comedet eos.

Vulg. *De igne egredientur, & ignis consumet eos.*

Liberati quippe à fame,occidione peribunt, aut captiui abducentur.

Et cognoscent quia ego dominus, cùm firmauero faciem meam super eos, & dabo terram in desolationem pro eo, quod deliquerunt delicto dicit Adonai dominus.

Vulg. *Et scietis, quia ego dominus, cùm posuero faciem meam in eos, & dedero terram inuiam & desolatam eo, quòd præuaricatores extiterint, dicit dominus deus.*

Ipsos quidem in seruitutem redigi permittam,& occidione consumi, terram vero ab ipsis cultam, desertam reddam &à cultoribus vacuam,atque hæc patientur pœnas eorũ quæ in me deliquerint persoluentes. cùm igitur quæcunq; antè scripta sunt ad nostram vtilitatem scripta sint, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus, ne simus ligna & fœnum & calamus,quæ sunt ignis alimenta,sed aurũ & lapides pretiosi, regij diadematis materia, vt cum Christo regnemus, cum quo patrem gloria decet cum sancto spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

SECTIO V.

Cap. 16. *Et factum est verbum domini ad me dicens, fili hominis testificare Hierusalem peccata ipsius.*

Vulg. *Et factus est sermo domini ad me dicens, fili hominis notas fac Hierusalem abominationes suas:*

Bona est peccatorum reprehensio,quæ cùm vtilitatis causa adhibetur, stupore laborãtibus sensum affert,& in memoriam ipsis propria reuocat delicta. triste est enim & admodum molestum morbo laborare,sed longe molestius ipsum morbum non agnoscere.qua de causa sæpe etiam medicorum natio ita affectos, qui ægrotationis sensum nolint percipere, morbi grauitatem docet,vt percepto illius sensu desinant morbo suppeditantes materiam causas suis offensionibus enutrire, sed medicæ artis legibus obsequantur:hoc etiam auctor omnium rerum Deus erga eos,qui peccant; & ita affecti sunt,vt sensum morbi non capiant,continenter facit. peccatori enim per Dauid dicit, Psal. 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam peccata tua.& ipsi Hierusalẽ per Hieremiam,cognosce, quia in dominum Deum tuum impie egisti.& rursus,vide vias tuas,in sepulcro multitudinis, & cognosce quid feceris. & infinita alia huiusce modi inuenire licet. hoc igitur hîc quoque prophetæ Ezechieli faciendum præcipitur. testificare enim Hierusalem,inquit, iniquitates eius.ostendito,inquit,vulnera,demonstra vlcera ipsius,vt ne existimet supplicium esse dissectionem, sed intelligens esse sectionem eiusmodi,quæ medeatur,medico agat gratias. Deinde sigillatim ipse delicta narrat. Hier. 2.

Et dices hæc dicit Adonai dominus Hierusalem.

Vulg. *Et dices hæc dicit dominus deus Hierusalem.*

Vbique conduplicatio veram docet dominationem.

Radix tua & generatio tua de terra Chanaam, pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa.

Valde gloriabantur Iudæi propter cognationem Abraham, ideo etiam domino in sacris euangelijs dicebant,semẽ Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. hanc arrogantiam beatus quoque Ioannes Baptista compri- Luc. 3. mit cùm dicit, Genimina viperarum, quis ostẽdit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentiæ,& ne velitis dicere intra vos,quia patrem habemus Abraham,Amen enim dico vobis,potest Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. quemadmodum igitur diuinus hic vir eos, qui ferini erant, & in improbitate degebant,venenatis feris compararit, ita hoc loco quoque dominus Deus per prophetam, Chananęam ipsorum stirpem vocat,patrem Amorrhæorum & matrem Cethæam,& omnino generationem externam. quorum enim æmulati fuerant impietatem,eorum merito cognationem contraxere. & propter mores simul cum isto genere sortiti sunt hereditatem. hoc autem satis erat ad eos admodũ perterrendos non solum propter istarum gentium,quæ tunc vigebant,scelera,sed etiam ,propter ignobilitatem,quam maioribus acceptam referebant,Chanaan siquidem execrationibus obnoxius factus fuit, & ab auo Noe seruitutis est condemnatus.ab hoc inquit es oriundus,& nulla es cum Abraham & Sem cognatione coniunctus.quorum enim pietatem repudiasti,eorum etiam cognationem amisisti, & illa nobilitate prorsus spoliatus es. ita ipsis Chanaan cognatione deterritis, separatim & eorum scelera & proprium narrat beneficium. Matt. 3.

Non est præcisus, inquit, vmbilicus tuus.

Hoc est,adhuc Aegyptiacum hauris alimentum, & generationem ipsius ex Aegypto exitum vocat. afferunt autem medici fœtum in vtero matris veluti quandam radicem habere vmbilicum,per quem aiunt eum nutriri & augeri.cùm igitur obstetrices partem illam vmbilici,à qua propendet infans,incidere consueuerint, moraliter per translationem ait, vmbilicus tuus non est præcisus,hoc est, hodie quoq; ab vtero materno, id est Aegypto, impietatis attrahis alimentum.

Et in aqua non es lota in salutem.

Hoc itidem per translationem ab infantibus,qui post partum abluuntur, & occultãtur, & à sanguine ex vtero contracto liberantur. tu igitur inquit ab his non es liberata, sed adhuc hodie quoq; materni vteri signa defers.

Neque sale salita es, & fascijs non es fasciata.

Nec sale salita, nec inuoluta pannis. Vulg.

Non accepisti,inquit, doctrinæ sales,neq; allatas tibi fascias per legis disciplinam,quæ adhibentur infantibus, vt si aliquod exmembris in ipso partu à recto ritu peruersum fuerit,restituatur,decentemq; formam suscipiat.

Neque pepercit super te oculus meus, vt facerem in te vnum ex omnibus istis, vt pateretur quid super te, & proiecta es à facie campi præuitate animæ tuæ, in qua die nata es.

Non pepercit super te oculus, vt faceret tibi vnum de his misertus tui, sed proiecta es super faciem terræ in abie- Vulg.

abiectione animæ tuæ in die, qua nata es.

Statim enim & eueſtigio, inquit, nata, & ab Aegypto liberata, & à melegis æqualitatem edocta peruerſa es, obliqua ſemper & deprauata complexa: campum enim æqualitatem hic nũcupauit: ego autem in Aegypto quidem nullã tibi inquit legem attuli neq; mandatorum ſales, neq; vmbilici ſectionem, neq; membrorũ per faſcias reformationem. poſtea vero quam inde profecta es, omni te curatione dignam cẽſui. ideo ſubijcit.

Et veni ſuper te, & vidi te miſtam in ſanguine tuo, & dixi tibi, in ſanguine tuo viues, & dixi tibi, cum ſanguine tuo vita multiplicare innocenter, ſicut ortum agri dedi te.

Vulg. *Tranſiens autem per te vidi te conculcatam in ſanguine tuo, & dixi tibi cùm eſſes in ſanguine tuo viue. dixi inquam tibi: in ſanguine tuo viue. multiplicatã quaſi germen agri dedi te.*

Conſpicatus enim te idololatriæ ſanguine inquinatam, & ſacrificiorum ſanguines amplexantem, conceſsi tibi vt ſacrificares non idolis ſed mihi. quod declarauit cùm dixit, in ſanguine tuo vita multiplicare innocenter, hoc eſt non præter legem, ſed ſecundum legem, nõ dæmonibus ſed Deo ſacrificans: hoc enim faciens inſtar terræ virentis germinabis, omniſque generis fructibus exornaberis.

Et multiplicata es, & magnificata es, & ingreſſa es in vrbes vrbium.

Vulg. *Et multiplicata es & grandis effecta, & ingreſſa es, & peruenisti ad mundum muliebrem.*

Meam, inquit, benedictionem ſecutum eſt opus, ego enim dixi, vt ortum agri dedi te, tuq; accepta benedictione, ſimul & multitudinem & magnitudinem adepta es, conſpicuaq; & illuſtris facta maximas vrbes tibi ſubiecisti, ita breuiter & ortu & incremento ipſius enarrato, rurſus partium narrat incrementum.

Vbera tua, inquit, recta facta ſunt, & capillus tuus ortus eſt.

Vulg. *Vbera tua intumuerunt & pilus tuus germinauit.*

Omnia per tranſlationem à pueris moraliter narrat, his ampliorem oſtendens affectionem, & vbera vocat rationalis animæ partis iudicium, cor enim vbera cooperiunt: capillos vero, ornatum illum qui ab ætatis maturitate proficiſcitur.

Tu autem eras, inquit, nuda, & ignominiæ plena.

Vulg. *Et eras nuda & confuſione plena.*

Nondum enim acceperas legis tegumentũ.

Et tranſii ſuper te, & vidi te, & ecce tempus tuum, & tempus diſſoluentium, & expãdi alas meas ſuper te, & operui ignominiam tuam, & iuraui tibi, & ingreſſus ſum in teſtamento tecum, dicit Adonai dominus.

Vulg. *Et tranſiui per te & vidi te, & ecce tempus tuum tempus amantium, & expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuã, & iuraui tibi & ingreſſus ſum pactum tecum, ait dominus Deus.*

Cùm enim conſpexiſſem te in reliquum idoneam, quæ mecum per legem ſocietatem coires, expandi quaſi quaſdam alas ſalutariũ præceptorum doctrinam, & cooperui iniquitatis nuditatem, & hoc connubium etiam dotis libellus eſt conſecutus: ingreſſus enim ſum, inquit, in teſtamento tecum. & quia opus erat vt libello adhiberetur iuſiurandum, ne hoc quidem facere recuſaui: ſed quamuis fide dignus eſſem vel verbo tantum promittens, attamen iuſiurandum quoq; verbo adhibui. hoc autem intelligere facile eſt volẽti legis ſcripturas percurrere. inueniet enim in beati Moyſis cantico, ipſum omnium rerum auctorem Deum ita dicentem: Leuabo in cœlum manum meam, & iurabo dextera mea, & dicam viuo ego in ſæculum. Deut. 32.

Et facta es mihi, inquit.

Hoc eſt coniuncta es mihi, & nuptiæ perfectæ ſunt.

Et laui te in aqua, & laui ſanguinem tuum, & vnxi te in oleo & indui te varia, & calciaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & circumdedi te ſubtilibus ex crimibus contextis.

Et laui te aqua & emundaui ſanguinem tuum ex te, Vulg. *& vnxi te oleo, & veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus.*

Sigillatim ſua enarrauit beneficia. primum enim aqua inquit doctrinæ laui te, & luſtrationes, & aquiminaria adhibui, deinde vnxi te oleo; hic ſacerdotij genera recenſet; ſacerdotes enim oleo ſancto vngebantur, ipſiq; byſſinam induebantur, & hyacinthinam veſtem. Innuit etiam diuitias, quæ acceſſerunt ipſi populo tam ſpiritales, quàm corporis ſua ipſius prouidentia. & circũdedi te trichapto. hoc eſt rete è capillis confectum, quod mulierum capitibus circumponebatur. per tranſlationem igitur, impoſitum ipſis decorem ſua in omnibus rebus cura declarauit, & innuit item vt ego arbitror tabernaculum, ex ſagis cilicinis confectum, in quo & ſacrificia propeccato offereban Exod. 26. tur, & reuelationes de initiandi ritu factæ exponebantur ex propitiatorio cum principe ſacerdotum Deo colloquente.

Et ornaui te ornamẽto, & circumdedi armillas circa manus tuas, & monile circa collum tuum, & dedi inaurem circa naſum tuum, & rotulas circa aures tuas, & coronam gloriationis ſuper caput tuum.

Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus Vulg. *tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronã decoris in capite tuo.*

Et vnumquodque horum moraliter decet intelligere: armillas manibus impoſitas, eam virtutem, quæ ad agendum nos excitat: monile collo circumdatum, legis iugum: inaurem naſo iniectã, à vitijs dehortationem, quæ per man data freni inſtar adhibetur à tranſlatione taurorum, qui ferreum aunulum naribus excipiunt, quo huc atque illuc circumducuntur. & bobus eorum audaciam comparaſſe teſtis eſt item Oſee propheta, qui ex perſona domini loquens ait, Sicut iuuenca irritans irritauit Ephraim: inaures vero auribus adhibitas bonam ſignificat doctrinam, ornamentum auribus eavi, quæ ad obediendum adducit homines, imponentem: coronam ſuper caput impoſitam eã gloriam, quæ à pietate, & cultu legis, atq; adeo ex omnibus bonis comparata ſit.

Et ornata es auro & argento, & indumenta tua byſſina

byſſina, & trichapta, & varia.

Vulg. *Et ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multis coloribus.*

Et vnumquodque item horum ita poteſt intelligi. & illud ad ea quæ dicta ſunt addere opus eſt: non ſolum ea quæ ſunt ſpiritus per modo dicta innui, ſed etiam beneficia ad corpus pertinentia ſignificari. ſtatim enim ex Aegypto egreſsi ab Aegyptijs vaſa argentea & aurea mutuati eos ſpoliarunt, iuſtam violenti operis repetentes mercedem, & tamen earum quoq; gentium, quæ Palæſtinam incolebant, omnes facultates deprædati ſunt. ſignificat itaq; præter ſpiritalia bona, eorũ quoq; quæ ad corpus pertinent, abundantiam. iccirco ſubijcit.

Similam, mel, & oleum comedisti.

Omnibus, inquit, terræ bonis potita es ad fruendum.

Et facta es pulchra valde valde.

Vulg. *Et decora facta es vehementer nimis.*

Obſeruans legem adepta es decorem ab ipſius legis cultu profectum.

Et directa es in regnum.

Vulg. *Et profecisti in regnum.*

Ita inquit aucta es in regnum, vt formidabilis facta ſis omnibus finitimis, & regium honorem perceperis. hoc enim innuit his, quæ ſubiecit.

Et exiuit tibi nomen in pulchritudine tua in gentibus.

Vulg. *Et egreßum eſt nomen tuum in gentes propter ſpeciem tuam.*

Illuſtris enim facta es & celebris vbique. deinde etiam huiuſce rei cauſam docens ait.

Quia completum erat in decore, quem poſui ſuper te, dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Quia profecta eras in decore meo, quem poſueram ſuper te, dicit Dominus Deus.*

Ego enim tibi decoris iſtius auctor eram, qui præceptis & legibus te proprijs inſtruxeram.

Et confiſa es in pulchritudine tua.

Vulg. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua.*

Hoc eſt malorum initium, ſpem diuinam abieciſſe, ſuisque proſperis gloriari ſucceſsionibus.

Et fornicata es in nomine tuo, & effudisti fornicationem tuam ſuper omnem tranſitum, ipſi erat, non erit.

Vulg. *Fornicata es in nomine tuo, & expoſuisti fornicationem tuam omni tranſeunti, vt eius fieres.*

Cùm nobiliſsima facta eſſes, & iccirco maxime gloriareris, à me deficiens in extremam laſciuiam collapſa es, non vnum aut alterum excipiens amatorẽ, ſed omnes qui per te tranſire cupierunt, & cum vnoquoq; ipſorum conſuetudinem habebas, præter legem eam admittens. hoc enim declarauit cùm dixit: ipſi erat, non erit. cum alijs coniuncta es, ad quos nihil attinebas, mihi quippe à principio te ipſam dedicaſti: & fornicationem hîc idolorum cultum vocat: & omnem tranſitum, diuerſas dæmonũ inſidias.

Et cepisti de veſtimentis tuis, & fecisti tibi ipſi idola conſuta, & fornicata es ſuper eis, & non ingredieris, quæ non erunt, neque fient.

Et ſumens de veſtimentis tuis fecisti tibi excelſa Vulg. *hinc inde conſuta, & fornicata es ſuper eis, ſicut non eſt factum neque futurum eſt.*

Noua, inquit, & incredibilia tua idololatriæ inſtituta: non enim aliorum tantum æmulata es mala, ſed ipſa etiam alia excogitaſti, idolorũ imaginibus è veſtibus confectis, dijſq; nuncupatis, me præſertim omnia tibi iſtiuſmodi per legem interdicente.

Et ſumpſisti vaſa gloriationis tuæ ex argento meo, & ex auro meo, ex ijs quæ dedi tibi, & fecisti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis.

Et tulisti vaſa decoris tui, de auro meo, atque argẽ- Vulg. *to meo, quæ dedi tibi, & fecisti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis.*

A me, inquit, argentum & aurum accipiens deosq; ex meis donis fabricãs meo cultui eos prætulisti. imagines autem maſculinas appellauit, quia fornicationem idololatriam per trãſlationem nominat.

Et tulisti, inquit, veſtimentum tuum varium, & induisti ea, & oleũ meum, & thymiama meum poſuisti ante faciem eorum, & panes quos dedi tibi ſimila & melle & oleo cibauite, & poſuisti ea ante faciem ipſorum in odorem ſuauitatis.

Et ſumpſisti veſtimenta tua multicoloria, & ope- Vulg. *ruisti illas, & oleum meum & thymiama meum poſuisti coram eis, & panem meum quem dedi tibi, ſimilam & oleum & mel, quibus enutriui te, poſuisti in conſpectu eorum in odorem ſuauitatis.*

Quæ à me, inquit, bona accepisti hæc adulteris illis inſanis offerebas, alijs eos inſtruens & adornans, alijs libamina & ſacrificia peragens.

Et factum eſt dicit Adonai Dominus, & tulisti filios tuos, & filias tuas, quas genuisti, & ſacrificasti eis in conſumptionem.

Et factum eſt ait Dominus Deus, & tulisti filios tuos Vulg. *& filias tuas quas generasti mihi, & immolasti eos ad deuorandum.*

Deinde reprehenſio eſt per ironiam.

Quaſi parum fornicata es.

Numquid parua eſt fornicatio tua? Vulg.

Ex quibus apertum eſt, & maxime perſpicuum fornicationem hîc idolorum cultum ab eo vocari.

Et iugulasti, inquit, filios tuos, & dedisti eos, vt conſecrares expians eos ipſis, hoc præter omnem fornicationem tuam, & abominationes tuas.

Immolasti filio meos, & dedisti illos conſecrans Vulg. *eis, & poſt omnes abominationes tuas & fornicationes.*

Omnium enim reuera & improbiſsimum & maxime deteſtabile iniuſta filiorum cædes, quam inſania correpti ſacrificantes perpetrabant, mala deorum auerſantes, & liberationẽ à malis, vt ſtulte opinabantur, ſibi molientes.

Et non meministi diei infantiæ tuæ, quando eras nuda & ignominioſa, & inquinata ſanguine tuo, & vixisti.

Non es recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, quando Vulg. *eras nuda & confuſione plena, conculcata in ſanguine tuo.*

Non reuocasti, inquit, in memoriam priſtina, vt ego te nudam & omni prouidentia orbatam,

batam, atq; idolorum ſanguine pollutam excipiens ablui, auctorq; fui vt & viueres, & omni cura te protegi intelligeres.

Et factum eſt poſt omnes iniquitates tuas, væ tibi, væ tibi dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Et accidit poſt omnem malitiam tuam væ væ tibi ait Dominus Deus.*

Fructum enim ingratæ tuæ mentis lamentationem percipis & luctum. deinde diffuſius illius impietatem recenſet.

Et ædificaſti tibi domum fornicationis, & feciſti tibi proſtitutionem in omni platea, & in principio omnis viæ ædificaſti lupanaria tua, offendiſti pulchritudinem tuam, & diuiſiſti crura tua omni tranſitu.

Vulg. *Et ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis, ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum, & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti.*

Hæc apertius cognoſci poſſunt ex hiſtoria Iudicum, & ex libro Regnorum. vbiq; enim & in domibus, & in foris ſtatuerunt idolorum ſtatuas, atq; has domos impietate compleruntIudic. 2.3. & in ipſo Dei templo pernicioſis dæmonibus aras conſtruxerunt, vbi ſimulacra dæmonumque imagines poſuerunt. & hoc Dominus hic accuſat, domum fornicationis idolorum nuncupans delubra. & huiuſce fornicationis exuperantiam redarguens oſtendit ipſam omnibus congredi cupientibus omnino proſtitutã, per ea idola, quibus vias, plateas, & omne forũ compleuit, pietatisq; pulchritudinem læſit, omnemq; tranſitum ad iſtiuſmodi excepit laſciuiam, modo Aegyptiorum, modo Aſſyriorum, & Chaldæorum deos adorans, idq; docens ſubiecit:

Et multiplicaſti fornicationem tuam, & fornicata es ſuper filios Aegypti, finitimos tuos, magnos carnibus, & multis modis fornicata es ad irritandum me.

Vulg. *Et fornicata es cũ filijs Aegypti vicinis tuis, magnarum carnium, & multiplicaſti fornicationem tuam ad irritandum me.*

Per tranſlationem rurſus magnos carne eos, qui ſupra modum idolorum cultui addicti erant, nominauit, qui hircos, & boues, & oues, canesq;, & ſimias, & crocodilos, & ibes, & accipitres adorarunt.

Et ecce extendam manum meam ſuper te, & auferam legitima tua, & tradam te in animas odientium te, filias alienigenarum declinantes à via tua, qua impie egiſti.

Vulg. *Ecce ego extendam manum meam ſuper te, & auferam iuſtificationem tuam, & dabo te in animas odientium te filiarum Palæſtinarum, quæ erubeſcunt in v a tua ſcelerata.*

Mouebo, inquit, ad diſciplinam manum meam, & ſpoliabo te ſplendore legis, & te hoſtibus tuis conſtituam ludibrium, finitimaſque vicinorum vrbes adducam, vt in te illudant, quæ tuæ impietatis exuperantiam minime ſunt æmulatæ.

Et fornicata es, inquit, ſuper filios Aßur, & ne ſic quidem expleta fuiſti, & fornicata es & non es ſatiata, & multiplicaſti lupanaria tua ad terram Chanaã, & in Chaldæos, & neque in his expleta es.

Vulg. *Et fornicata es in filijs Aßyriorum, eo quòd nec dum fueris expleta, & poſtquam fornicata es nec ſic es ſatiata, & multiplicaſti fornicationem tuam in terra Chanaam cum Chaldeis, & nec ſic ſatiata es.*

Vnaquæq; natio, inquit, proprijs ſeruiuit idolis: tu vero cùm adoraueris deos omnes, & omnium idolorum, quæ ſunt vbiq; terrarum, cultum complexa ſis, nondum tamen ne hodie quidem vlla te impietatis ſatietas cepit.

Quo mũdabo cor tuum, dicit Adonai Dominus, cùm facias tu hæc omnia opera mulieris adulteræ licentia abutentis?

Vulg. *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cùm facias omnia hæc opera mulieris meretricis & procacis?*

Quam inquit tua impietate dignam tibi pœnam infligam? quo adhibito remedio vlcera tua putrida expurgabo? auſa es enim opera mulieris, quæ à fronte pudorem abſterſerit, impudenterq; & propalam intemperantiam profiteatur.

Et fornicata es tripliciter in filiabus tuis.

Iniquitas tua ſubiectarum tibi vrbium triplex eſt, & quam oportuit fuiſſe pietatis magiſtram, hæc omnis impietatis extitit exemplar.

Cùm ædificaueris, inquit, lupanar tuum in principio omnis viæ & proſtitutionem tuam feciſti in omni platea, & non fuiſti vt meretrix cogens mercedes.

Vulg. *Quia fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelſum tuum feciſti in omni platea, nec facta es quaſi meretrix faſtidio augens pretium.*

Neq; enim rerum neceſſariarum inopia ad iſtam te laſciuiam redegit: omnibus quippe bonis perfruens, meisq; delicate abutens muneribus, quæ à me tibi tribuerentur, illis offerebas: iccirco ſimilis es mulieri, viro quidem matrimonio coniunctæ, ſed adulteris formam proſtituenti, & quæ viri ſunt elargienti, & amatoribus ea ſuppeditanti.

Mulier enim adultera inquit ſub viro ſuo ſimilis tibi in alienos, quæ à viro ſuo accipiens mercedes, & in omnibus fornicantibus in eam prodens merces.

Sed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienum.

Et hoc idem latius narrans, vt aperte quam ſit illa res abſurda redarguat,

Vulg. *Omnibus, inquit, meretricibus dantur mercedes, tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis, & onerabas eos vt venirent ad te per circuitum in fornicatione tua.*

Et dona dabas eis vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum.

Nemo enim aliquid vnquam boni à peſſimis dæmonibus accepit, qui vero eos colere inſtituunt, conceſſa ſibi à Deo bona illis offerentes, eorum dominationem attrahunt. hoc enim innuit, cùm dixit, & onerabas eos vt venirent ad te per circuitum in fornicatione tua. ijs enim, quæ illis offerebas, eos hortabaris, vt ad te venientes accurrerent, tecumq; continenter verſarentur.

Et factum eſt in te peruerſum præter mulieres in fornicatione tua, & poſt te non fornicabuntur. in eo enim quod tu das mercedes, & mercedes non dantur tibi, factum eſt in te peruerſum.

Vulg. *Factum eſt in te contra conſuetudinem mulierum, in*

in fornicationibus tuis, & poſt te non erit fornicatio: in eo enim quod dediſti mercedes, & mercedes non accepiſti factum eſt in te contrarium.

Similis enim facta es, inquit, laſciuis mulieribus, quę omnibus proſtitutę ſunt, multorum admittens cõſuetudinem: quod vero non accipias ſed præbeas mercedẽ, contraria rurſus illis facere perſeueras. quapropter & eas, quę ante fuerunt, & quæ poſt futuræ ſunt, iſtiuſmodi laſciuiæ genere viciſti. ita enudata ipſius iniquitate à rebus ei nomen imponens ait.

Iccirco meretrix audi verbum Domini, hæc dicit Adonai Dominus, eo quod effudiſti æs tuum, & reuelabitur ignominia tua in fornicatione tua, ad amatores tuos, & in omnes cogitationes iniquitatum tuarum, et in ſanguinibus filiorum tuorum, quos dediſti eis.

Vulg. *Propterea meretrix audi verbum domini, hæc dicit Dominus Deus, quia effuſum eſt æs tuum, & reuelata eſt ignominia tua in fornicationibus tuis ſuper amatores tuos, & ſuper idola abominationum tuarum in ſanguine filiorum tuorum, quos dediſti eis.*

Subæratum vocatur adulterinum numiſma, in quo alia commiſta ſit materia, quando igitur meis legibus, inquit, haud mediocrem quandam iniquitatem admiſciſti, imo multũ æs effudiſti, ita vt ne in reliquum quidem auri appareat natura, ſed totũ numiſma æreum conſpiciatur, deinceps te mea prouidentia deſtitutam ignominia complebo, omnis generis tuæ iniquitatis à te repetens pœnas, ſed præcipue ob iniuſtam filiorum cædem, quos cruẽtis dæmonibus obtuliſti.

Ideo ecce ego ſuper te congrego omnes amatores tuos quibus commiſta es, & omnes quos amaſti, cum omnibus, quos oderas, & congregabo eos ſuper te in circuitu.

Vulg. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commiſta es, & omnes quos dilexiſti, cum vniuerſis, quos oderas, & congregabo eos ſuper te vndique.*

Per ipſos inquit amatores tuos vlciſcar te. æmulata es Chaldæorum, Aſſyriorum, Chanæorum, & Aegyptiorum impietatem, his contra te inſtrumentis vſus debita tibi infligã ſupplicia, & cum amatoribus tuis eos quoq; quos odiſti coniungam, vt & iſti, & illi ingentem tuã conſpicentur iniquitatem.

Reuelabo enim malitias tuas inquit ad eos, & videbunt omne dedecus tuum. & vlciſcar te vltione adulterarum, & effundentium ſanguinem, & ponam te in ſanguine furoris mei & zeli.

Vulg. *Et nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam, & iudicabo te iudicijs adulterarum, & effundentium ſanguinem, & dabo te in ſanguinem furoris & zeli.*

Homicidarum enim & adulterarum mulierũ pœnas lues, quarum enim imitata es ſcelera, earum ſupplicia ſubibis.

Et tradam te in manus eorum, & effodient lupanar tuum.

Vulg. *Et dabo te in manus eorum, & deſtruent lupanar tuum.*

Hoc eſt dæmonum delubra.

Et deſtruent baſim tuam.

Vulg. *Et demolientur proſtibulum tuum.*

His innuit ſacrum Dei templum, baſis enim ipſorum, & crepido, & fundamentum cultus qui in eo adhibebatur.

Et exuent te veſtimentis tuis, & ſument vaſa gloriationis tuæ, & dimittent te nudam & ignominiæ plenam.

Et denudabunt te veſtimentis tuis, & auferent vaſa decoris tui, & derelinquent te nudam plenamq; ignominia. Vulg.

Direptionem & ſeruitutem his declarauit.

Et adducent ſuper te turbas, & lapidabunt te in lapidibus, & iugulabunt te in gladijs ſuis, & incendent domos tuas in igne, & facient in te vltiones coram mulieribus multis.

Et adducent ſuper te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladijs ſuis, & comburent domos tuas igni, & facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum. Vulg.

Hæc captiuitatis tempore eueniunt. quæ per tranſlationem diſſeruit ab adultera muliere, quæ lapidibus oppreſſa occidebatur, cõburebaturq;. quamobrem in tranſlatione commoratus ſubiecit. & facient in te vltiones coram mulieribus multis. non autem mulieres, mulieres vocat, ſed per tranſlationem vrbes ita nuncupat, quandoquidem ipſam quoq; vrbem mulieris inſtar in iudicium adducit. deinde vtilitatem à pœna profectam innuit.

Et auertam te à fornicatione, & mercedes non dabis amplius.

Et deſines fornicari, & mercedes vltra non dabis. Vulg.

Spoliata enim tua tranquillitate & captiua in ſeruitutem abducta non habebis amplius in poſterum improbæ illius laſciuiæ occaſiones. ſed egeſtas vtilitatis tibi conciliatrix erit.

Et dimittam furorem meum ſuper te, & auferetur zelus meus à te, & requieſcam, neque ſollicitus ero amplius.

Et requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius. Vulg.

Per tranſlationem rurſus tanquam de homine zelotypia affecto egre ferente vxoris adulterium hæc dixit. adhibito enim ſupplicio, inquit, laſciuiam tuam comprimam, & à cura quã de te habeo ſolutus ac liber ero. non amplius enim me amatores tui ad zelotypiam adducẽt, & hoc tibi inferam ſupplicium.

Eo quod non es recordata dieiinfantiæ tuæ, & moleſtia afficiebas me in omnibus his, & ego ecce vias tuas in caput tuum dedi, dicit Adonai Dominus.

Eo quòd non fueris recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, & prouocaſti me in omnibus his, quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus. Vulg.

Tu, inquit, attraxiſti horum malorum vim, cùm nolueris cogitare, qualis ex quali facta ſis, & vt te, quæ tenuis eras & parua atq; omnino ignobilis, celebrem reddidi & admodum illuſtrem.

Et ſic non feci ſecundum omnem impietatem tuam in omnibus iniquitatibus tuis.

Et non feci iuxta ſcelera tua in omnibus abominationibus tuis. Vulg.

Nihil tuis, inquit, peccatis dignum ſuſtines: paruum enim eſt ſupplicium ſi cum impietate conferatur.

Hæc ſunt omnia, quæcunque dixerunt contra te in

parabola dicentes: sicut mater, etiam filia.

Vulg. *Ecce omnis, qui dicit vulgo prouerbium, in te assumet illud dicens, sicut mater ita & filia eius.*

Tibi conuenit, inquit, prouerbium illud quod circumfertur, matri similem esse filiam: & matrem ipsius supra Cethæam nuncupauit.

Filia matris tuæ es tu, quæ repulit filios suos & virũ suum: & soror sororum tuarum, quæ expulerunt virum suum, & filios suos.

Vulg. *Filia matris tuæ es tu, quæ proiecit virum suum, & filios suos: & soror sororum tuarum, quæ proiecerunt viros suos & filios suos.*

His ostendit non Iudæorum tantum esse se Deum, sed etiam gentium: etenim illorum antiquitus Deus appellatus est, antequam ipsi eo detrimento afficerentur, vt idola colerẽt, quapropter illos quoq; & virum & filios repulisse dixit: negato Deo, dæmonibusq; filijs immolatis. deinde apertius loquitur.

Mater vestra Cethæa & pater vester Amorrhæus, soror tua senior Samaria hæc, & filiæ eius, & sedens à sinistris tuis, & soror tua iunior sedens à dextris tuis Sodoma & filiæ eius.

Vulg. *Mater vestra Cethæa & pater vester Amorrhæus, & soror tua maior Samaria, ipsa & filiæ eius, quæ habitant ad sinistram tuam. soror autem tua minor te, quæ habitat à dextris tuis, Sodoma & filiæ eius.*

Non secundum tempus, sed secundum impietatis doctrinam appellauit, tempore enim Sodoma antiquior est. sed quia Samariæ prius æmulata est instituta, deinde paulatim auxit facinora, ita vt etiam Sodomis assimilari potuerit, iuniorem que sororem appellat, Sodoma, vt quæ postea cognationem cum ipsa complexa sit. impietatis enim communionem cognationem vocauit. illud autem à dextris & sinistris, propter situm locorum apposuit: his enim qui in Hierosolymis sunt ad orientem conuersi, à dextris Sodoma sita sunt: à sinistris vero Samaria magis vergens ad aquilonem. filias autem huius & illius subiectas & vrbes & vicos nominat. cupiensq; impietatis exuperantiam ostendere subiecit.

Et ne sic quidem in vijs earum ambulasti, neque secundum iniquitates earum fecisti, & parum abfuit, & superasti eas in omnibus vijs tuis.

Vulg. *Sed nec in vijs earum ambulasti, neque secundum scelera earum fecisti pauxillum minus: pene sceleratiora fecisti illis in omnibus vijs tuis.*

Auxisti, inquit, commentis praua earum instituta, & periclitaris impietatis præmia percipere.

Viuo ego dicit Adonai Dominus, si fecit Sodoma soror tua hæc, & filiæ eius, quemadmodum fecisti tu, & filiæ tuæ.

Vulg. *Viuo ego dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ.*

Deinde discrimen ostendit.

Verumtamen iniquitas Sodomorum in superbia, & in saturitate panis, & in abundantijs deliciabantur ipsa & filiæ eius, hoc fuit in ipsa, & infirmabus eius, & manum mendici & pauperis non assumebant; & gloriabantur, & fecerunt ea quæ sunt abfurda coram me, & abstuli eas, sicut viderunt.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas sicut vidisti. Vulg.

Circumfluentes nimia bonorum, inquit, abundantia, & in superbiam, & arrogantiam prolapsæ sunt, & eos qui egerent despiciebant, ipsi omnibus delicijs perfruentes, ex quo in extremam lasciuiam inciderunt, & pœnas impijs facinoribus dignas pertulere.

Et Samaria secundum dimidia peccatorum tuorum non peccauit, & multiplicasti iniquitates tuas super eas, & iustificasti sorores tuas in peccatis tuis, & omnibus iniquitatibus tuis, quas fecisti. Vulg.

Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.

Hanc autem comparationem non facit secundum solam peccati, sed secundum prouidentiæ qualitatem, nam tametsi peccasset, & infinita facinora ausa esset Samaria, at procul aberat à Dei templo, & paruam certe quandam veniam habebat. cùm & sub alius regis imperio degeret & in sacro Dei templo legitima perficere nequiret. & Sodoma item neq; prophetam habebat, neq; legis latorem, sed sola naturalis legis doctrina fruebatur: tu vero & legem habens, & sacerdotes, & prophetas, & sacrum Dei templum, legitimumq; cultum, illarum impietatem cõsectata es, quare illas ostendis venia dignas.

Et tu sustine tormentum tuum superãs, in quo corrupisti sorores tuas in peccatis tuis, quibus inique egisti super eas, & iustificasti eas super te ipsam.

Ergo & tu porta confusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratius agens ab eis: iustificatæ sunt enim à te. Vulg.

Haud simpliciter dixit iustificasti, sed super te ipsam. tu enim illarum scelera imitata, non habes excusationem qua te defendas, à lege & prophetis adiuta. illæ vero propter impietatis exuperantiam veniam consequi cupiunt. susci pe igitur tuorum institutorum suppliciũ: quia illis quoq; detrimentum attulisti.

Et tu confundere, & suscipe ignominiam tuam, eo quòd iustificasti sorores tuas.

Ergo & tu confundere & porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas. Vulg.

Cùm aliquis est in honore nec intelligit, ignominia affectus sensum pristini percipit honoris. & Hierusalem igitur non cognito honore sibi à Deo concesso, obsidione, & captiuitate suum agnouit Deum. Iccirco à beato Dauid do ipsalm. 43.
cta exclamat, confusio faciei meæ cooperuit me, à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis.

Et auertam, inquit, auersiones earum, auersionem Sodomorum & filiarum eius, & auertam auersionem Samariæ & filiarum eius.

Et conuertam restituens eas conuersione Sodomorum cum filiabus suis, & conuersione Samariæ & filiarum eius. Vulg.

Opus est scripturæ idiomata nouisse, neque enim

enim aliter eius consilium percipi potest. hoc igitur idioma præter alia multa item habet, vt & quæ fuerunt tanquã futura narret, & futura, vt ea quæ facta sint. itaq; hoc loco similiter res gestas, vt futuras disserit, auersata est me Sodoma & subiectæ illi vrbes, pariq; ratione cum subiectis Samaria, sed ego item auersatus sum, eorumq; quæ peccauit exegi pœnas.

Tuamq; rursus itidem auertam auersionem in medio earum vt portes tormentum tuum, & ignominia afficiaris ex omnibus quæ fecisti, cùm tu ad iracundiam prouocares me.

Vulg. *Et conuertam reuersionem tuam in medio earum, vt portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus quæ fecisti consolans eas.*

Eadem, inquit, tu quoque patieris, quæ illæ passæ sunt, & eorum quæ in me deliquisti pœnas dabis.

Et soror tua Sodoma, & filiæ eius restituentur, sicut fuerunt à principio, & tu & filiæ tuæ restituemini sicut fuistis à principio.

Vulg. *Et soror tua Sodoma, & filiæ eius reuertẽtur ad antiquitatem suam, & Samaria & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam, & tu & filiæ tuæ reuertemini ad antiquitatem vestram.*

Restitutionem hic nõ in melius, sed in peius appellauit, rursus enim idioma illud scripturæ, quod de præteritis loquitur vt de futuris, Sodomis appositum est. quod autem dicit, est huiusmodi: quemadmodum Sodoma cùm essent clara & à plurimis habitata, in pristinam formam restitui, fieriq; vt prorsus à cultoribus esset vacua, qualia erant antequam ædificarentur, ita & tibi adempto omni decore operam dabo vt in pristinam redeas formam.

Et nisi fuisset Sodoma soror tua in auditum in ore tuo, in diebus superbiæ tuæ antequam reuelarentur malitiæ tuæ, quemadmodum nunc opprobrium fuisti filiarum Syriæ & omnium quæ in circuitu tuo, & filiarum alienigenarum, circumdantium te in circuitu.

Vulg. *Non fuit autem Sodoma soror tua audita in ore tuo in die superbiæ tuæ, antequam reuelaretur malitia tua, sicut hoc tempore in opprobrium filiarũ Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæstinærum, quæ ambiunt te per gyrum.*

Si non didicisses, inquit Sodomorum suppliciũm, & diuulgatum fuisset in ore tuo illorum exitium, quemadmodum tua nunc obsidio in Syriæ & Palæstinæ ciuitatibus, quidnam amplius mali perpetrasses? neq; enim illorum tibi exemplũ profuit, sed cùm noris & quæ illi ausi sunt, & illatas ipsis calamitates, nihilo minus delinquere perseueras. propterea

Iniquitates tuæ & iniustitias tuas tu porta eas, dicit Dominus Deus. hæc dicit Adonai Dominus, & faciã in te, sicut fecisti, sicut despexisti execrationem vt violares testamentum meum.

Vulg. *Scelus tuum & ignominiam tuam tu portasti ait Dominus Deus, quia hæc dicit Dominus Deus. Et faciã tibi, sicut despexisti iuramentum, vt irritum faceres pactum.*

Habuit lex execrationem eos, qui violassent ipsam persequentem, iusitq; hanc sex tribus in monte Gebal stantes percurrere, & omnem populum respondere Amen. Cùm igitur ne execrationem quidem verita fueris, sed absq; metu pactum meum violaris, percipe seminum fructus. deinde post pœnam bona quoque pollicetur.

Et recordabor ego testamenti mei tecum in diebus infantiæ tuæ, & statuam tibi testamentum meum, testamentum sempiternum.

Et recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ, & suscitabo tibi pactum sempiternum. Vulg.

Tu enim mea fœdera, inquit, aspernata es, & pacta, quæ mecum pepigeras, violasti, sed me ne hoc quidem adducet vt te omnino deseram, verum vbi te disciplina instructam, æquitatem edocuero, fœderum illorum recordabor, quę olim tecum percussi cùm adhuc esses infantula: & ita vocat tempus illud, quo in solitudine est commorata, & statuam testamentum meum, testamentum sempiternum. non legis sed gratię, non per Moysem sed per Apostolos: illud enim ad tempus durabat, hoc est æternum. hoc item per Hieremiam prophetam se factũ pol Hiere. 31.
licitus est. disponam enim domui Israel, inquit, & domui Iuda, testamentum nouum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum, in die qua apprehendi ego manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, quia ipsi non manserunt in testamento meo, & ego repuli eos, sed disponam ipsis testamentum nouum dans leges in mentem eorum, & in corde eorum scribam eas. hoc item testamentum hîc quoq; pollicetur.

Et recordaberis, inquit, viarum tuarum, & ignominia afficieris cùm receperis tu sorores tuas seniores tecum iunioribus te.

Et recordaberis viarum tuarum & confunderis cũ receperis sorores tuas te maiores cum minoribus tuis. Vulg.

A supplicio enim sensum tuarum viarũ percipiens, ignominiamq; tibi circumiectam conspicata proprium agnosces Dominum: videbisque etiam istas sorores tuas eodem tecum fœdere fruentes, imo te ipsam vna cum illis idem adeptam.

Dabo enim tibi ipsas, inquit, in ædificationem, & nõ ex testamento tuo.

Et dabo eas tibi in filias, sed non ex pacto tuo. Vulg.

Non enim illæ per te, sed tu ex illis percipies vtilitatem, non isto testamento, secundũ quod nunc rempublicam administras, hanc societatem conciliante, sed sempiterno illo quod tibi postea tradetur. innuit per Sodoma & Samariã omnium gentium & Iudæorum pariter futuram pietatem.

Et suscitabo, inquit, ego testamẽtum meum tecum, & cognosces quia ego Dominus.

Et suscitabo ego pactum meum tecum & scies quia ego Dominus. Vulg.

Primum enim Iudæis prædicatum est euangelium, deinde omnibus gentibus, sed etiã per magnũ Heliam rursus prædicabitur ante mundi consummationem. ego igitur, inquit, omnia faciam tuam vtilitatem prouidens. Ex his enim cognosces qualia fuerint ea, quæ à te in me perfecta sunt, & qualia ea bona quæ ex me tibi acciderunt. iccirco subiecit.

Vt recorderis, & pudore perfundaris, & non sit tibi

amplius aperire os tuum à facie ignominiæ tuæ, cùm tu placaueris me secundum omnia quæcunque fecisti, dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Vt recorderis & confundaris & non sit tibi vltra aperire os præ confusione tua, cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ fecisti ait Dominus Deus.*

His verbis tres pueri quoque in fornace vsi sunt. ascitis enim sibi populi sceleribus supplicantes dicebant: & nunc non est nobis aperire os, confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & colentibus te. & diuinus Daniel itidem in captiuitate supplicans exclamat: Tibi Domine iustitia, & nobis confusio faciei, sicut dies hæc, & regibus nostris, & patribus nostris, & principibus nostris. causamq; ostendentes merito subiecerunt: quia peccauimus tibi. Igitur exitum hæc quoq; prophetia sortita est. expers enim mendacij est, qui spiritu suo afflat prophetas. itaque oportet nos item nostra examinantes, & accurata habita eorum quæ administrauimus quæstione, nostrisq; cum delictis diuina beneficia conferentes his vti supplicates verbis, & pudore peccatorum quæ ante commisimus opus illud effugere, quod ignominiæ efficiendæ vim habeat, Deiq; memoria animá illustrare. sic enim poterimus à peccati machinis procul abesse, & Deo assistentes eiusdé gratia perfrui in Christo Iesu Domino nostro, cum quo patri gloria cum sancto spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

Dan. 3.

SECTIO VI.

Et factum est verbum Domini ad me dicens: fili hominis, narra narrationem, & dic parabolam super domum Israel, & dices, hæc dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Et factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domũ Israel, & dices, hæc dicit Dominus Deus.*

Aenigmatice iubetur ipsis prophetare, vt qui audiunt non intelligentes quæ dicantur, ad ea inquirenda maius adhibeant studium, & per interrogationem à propheta interpretationem percipiant.

Aquila magna, magnis alis prædita, longa extensione, plena vnguium.

Vulg. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis & varietate.*

His Nabuchodonosor innuit, quem magnũ nominauit, propterea quod celeberrimus fuerit, magnisq; alis præditum, quia maxime regnum dilatauit; longum extensione, vt superbum & arrogantem; & plenũ vnguium ipsum vocauit, vt cui suppeditaret multã exercitus & equitatus & peditatus, leuisq; armaturæ & scutati milites: vngues enim regis sunt milites, qui extremam corporis obtinent partem: eo quod ducibus subiecti sint, & celeres sint atq; validi ad percutiendum, & feræ instar dilaniandum eos qui contradicere conentur.

Quæ habet, inquit, ductum intrandi in Libanum.

Vulg. *Venit ad Libanum.*

Hic aperte docuit non sponte ad Hierusalem illum accessisse, sed ab auctore omnium rerum Deo quadam haud conspicua ratione impulsum & adductum. Libanum autem Hierusalem appellauit, nõ tantum vt illustrem, sed etiam vt id temporis superbia elatam, & incolis refertam, & legitimis sacerdotibus prophetisq; diuina vaticinantibus.

Et ingressa est, inquit, & cepit selecta cedri, summũ mollitiæ vellicauit.

Et tulit medullam cedri, summitatem frondium eius Vulg. *auulsit.*

Iechoniam per hæc innuit, selecta vero cedri propter regnum dixit; summum autẽ mollitiæ, non solum propter celsitudinem, sed etiam propter iuuenilem ætatem. iuuenis enim cùm adhuc esset ætate & regnum excepit & captiuitatem pertulit: & congruenter apposuit illud vellicauit, quia aquilam appellauit plurimis vnguibus vtentem.

Et introduxit ea, inquit, in ciuitatem Chanaan, in vrbem muro munitam posuit ea.

Et transportauit ea in terram Chanaan, in vrbe ne- Vulg. *gotiatorum posuit illam.*

Babylonem per hæc significauit, ipsamq; vrbem Chanaan propter morum cognationem nuncupauit.

Et cepit de semine terræ & dedit ea in campum satiuum, vt acciperet radicationem plantarum, in aqua multa conspicuum posuit illud.

Et tulit de semine terræ, & posuit illud in terra pro Vulg. *semine vt firmaret radicem super aquas multas. in superficie posuit illud.*

Per hoc Sedeciam declarauit. hoc enim pro Iechonia rege declarato abijt, neque amplius Hierusalem Libanum appellat, sed campum ad serendum aptum, & illud, in aqua multa conspicuum posuit illud, significat, cùm subiectus est, eiq; impositum est tributum.

Et ortum est, inquit, & factum est in vineam, & fecit surculos, & extendit ramos suos.

Cumq; germinasset creuit in vineam latiorem hu- Vulg. *mili stirpatura respicientibus ramis eius ad eam, & radices eius sub illa erant.*

Maxime imbecille fuit nouissimum Iudæorum regnum. cùm enim ter iam sustinuissent obsidionem, & in seruitutem abducti essent, in paupertatem quoq; compulsi sunt, & multitudine spoliati. iccirco ait.

Quia facta est in vitem imbecillem, & paruam magnitudine, & palmites eius super eam.

Facta est ergo vinea, & fructificauit in palmites, & Vulg. *emisit propagines.*

Non amplius, inquit, extendit secundũ Dauid prophetiam, vsq; ad mare, & vsq; ad flumina, neq; operuerunt montes vmbræ eius, & arbusta eius cedros Dei. illud autem, extendit ramos suos, non magnitudinem significat, sed erga Aegyptium amicitiam. iccirco subiecit.

Et facta est altera aquila magna magnarum alarum, & multa vnguibus: & ecce vitis hæc implicata ad eam, & radices eius ad ipsam, & ramos suos extendit ei, vt potaret eam cum gleba à radice plantationis suæ in campum pulchrum, in aqua multa hæc biber, vt faciat germina & ferat fructum, vt fit in vitem magnam.

Et facta est aquila altera grandis magnis alis mul- Vulg. *tisq; plumis, & ecce vinea ista quasi remittens radices suas*

suas ad eam, palmites suos extendit ad illam vt irrigaret eam de areolis germinis sui, in terra bona super aquas multas plantata est, vt faciat frondes & portet fructum, vt sit in vineam grandem.

Aquilas vocat reges propter imperium; regium enim est animal & in aues imperium sortitum; & per has Aegyptiorum innuit regem. hic Vaphres erat, cuius meminit Hieremias propheta, quo cum Sedecias fœdus percusit, violato iureiurando & pactis, quæ cum Nabuchodonosor ipse pepigerat. illud autem ramos suos extendit ei, pecunias à Sedecia regi Aegyptiorum missas significat: misit autem, inquit, vt potaret eam cum gleba, vt & pro rege & pro illi subiectis pugnet. glebã enim appellauit populum, in transfatione commoratus, siquidem & regem vitem nuncupauit. vitis autem in terra plantata & proprias huic tribuit radices, & humorem ab hac exhaurit. misit igitur pecunias, inquit, Aegyptiorum regi Sedecias, vt illius auxilio & ipse & populus tutelam adipisceretur, vt faciat germina & ferat fructum. vitis autem permanens, hoc est, cùm non amiserit eam quam accepit dignitatem.

Propterea dic, hæc dicit Adonai Dominus, si dirigetur nonne radices teneritudinis, & fructus eius computrescet, & arescent omnia, quæ oriuntur ante eam?

Vulgata. *Dic hæc dicit Dominus Deus: ergo ne prosperabitur? & radices eius euellet, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius, & arescet?*

Spes eius, inquit, fallet eam, neque potietur ijs, quæ expectat, irrigatio enim Aegypti non solum nullam ei afferet vtilitatem, sed etiam in radicibus gignet putredinem. & inde natos fructus arefaciet. atque hoc rerum euentu comprobatum est. fretus enim Sedecias Aegyptij auxilio, violauit fœdera quæ cum Nabuchodonosor percusserat. ille vero eò cum exercitu profectus, & ipsum captiuum cepit, & populum in seruitutem redegit, & vrbem combussit.

Et non in brachio magno, neq; in populo multo vt euellat eam à radicibus eius.

Vulg. *Et non in brachio grandi, neq; in populo multo vt euelleret eam radicitus?*

Neque enim multum exercitum mittet ipsi Aegyptius, & hic non solum ipsi non proderit, sed etiam à radicibus euellet.

Et ecce bibet, num dirigetur?

Vulg. *Ecce plantata est, ergo ne prosperabitur?*

Et interim, inquit, auxilio confidit, sed non perpetuo fruetur.

Nonne simul eam contigerit ventus vrens, arescet ariditate, cum gleba germinis sui arescet?

Vulg. *Nonne cùm tetigerit eam ventus vrens siccabitur, & in areis germinis sui arescet?*

Statim enim cùm Babyloniorum rex, inquit, aduenerit, & rex, & omnis ei subiectus populus in seruitutem redigetur. rursus enim hîc populum glebam appellauit, ventumq; vrentem Babylonij regis exercitum: sicut enim vitem regem, & glebam populum, in quo plantatus fueras, ita per transfationem irrigationem Aegyptij auxilium, ventum autem vrentem Babylonij impetum appellat.

Et factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis, dic ad domum irritantem, nescitis quid sint hæc? dic eis. Ecce venit rex Babylonis super Hierusalem, & capiet regem ipsius, & principes eius, & abducet ipsos ad se ipsum in Babylonem.

Et factum est verbum Domini ad me dicens, dic ad Vulg. *domum exasperantem: nescitis quid ista significent? dic ecce veniet rex Babylonis in Hierusalem, & assumet regem & principes eius, & adducet eos ad semetipsum in Babylonem.*

Illud ecce venit præsentis temporis, pro ecce venit præteriti: interim enim, quæ iam facta sunt, enarrat, & de Iechonia hæc recensuit, & secundum proprium idioma, præterita vt nondum gesta commemorat: illa vero de Iechonia ab eo dicta fuisse, qui sextum iam reliquum degebat annum captiuus, secundum ipsius prophetæ doctrinam sequentia docent.

Et capiet, inquit, de semine regni, & disponet cum eo fœdus, & introducet ipsum in maledictione, & duces terræ capiet, vt sit in regem infirmum, & omnino non extollatur, sed custodiat testamentum eius, & stet ut aut illud.

Et tollet de semine regni, feriet q; cum eo fœdus, & Vulg. *ab eo accipiet iusiurandum, sed & fortes terræ tollet, vt sit regnum humile, & non eleuetur, sed custodiat pactum eius, & seruet illud.*

Hæc de Sedecia dixit, quæ sex annis ante acciderant. illud igitur, capiet disponet & introducet, pro cepit disposuit & introduxit: fœdera enim cum Sedecia percutiens, ab eo maxime horribile iusiurandum exegit, ne pacta sibi imposita violaret, sed ille statim iusiurandum conculcauit. subijciens autem ipsum, inquit, regem omnes diuitijs superbos in seruitutem captiuos abducet. Quod nos & quartus Regum, & secundus Paralipomenon docuit, itemq; beatus Hieremias propheta. & hæc omnia, inquit, Babylonius molitur, vt infirmum reddat regnum, vt perpetuo obediat, neq; vlla ei sit seditionis occasio. Hiere. 39.

Et recedet ab eo, vt mittat homines in Aegyptum, vt det sibi equos & populum multum.

Qui recedens ab eo misit nuncios ad Aegyptum, vt Vulg. *daret sibi equos & populum multum.*

Quæ supra adumbratim, & per similitudinẽ dixerat, hîc aperte docuit, deinde per interrogationem subijcit.

Num dirigetur, num saluabitur, faciens contraria, & violans fœdus? num effugiet?

Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem Vulg. *qui fecit hæc? & qui dissoluit pactum, numquid effugiet?*

Vobis, inquit, vsus sum iudicibus, an iustum sit eum qui iusiurandum & fœdera violarit, pœnas effugientem consequi salutem. quia vero nihil respondistis, ego sententiam proferro.

Viuo ego dicit Adonai Dominus: Certe in loco regis, qui constituit eum regem, qui non honorauit maledictionem meam, & transgressus est testamentum meũ cum eo, in medio Babylonis morietur, & non in exercitu magno, neq; in turba multa.

Viuo ego dicit Dominus Deus, quoniam in loco re- Vulg.

gis,qui constituit eum regem,cuius fecit irritum iuramentum & soluit pactum,quod habebat cum eo,in medio Babylonis morietur,& non in exercitu grandi, neque in populo multo.

Ignorans me Babyloniorum rex, inquit, meo impulsu ab isto iusiurandum exegit: sed iste qui sub meis legibus degebat, iurisiurandi violator fuit: iccirco ei regi, qui ipsum delegerit,tradetur,& in Babylone sortietur vitæ finem.

Faciet autem Pharao bellum in iactu aggeris, & in extructione vallorum,vt auferat animas multas.

Vulg. *Faciet contra eum Pharao bellum in iactu aggeris, & in extructione vallorum, vt interficiat animas multas.*

Et hoc item nos edocet beatus Hieremias propheta. cùm enim Chaldæi Hierusalem obsiderent,Aegyptiorũ rex venit auxilio Iudęis, cuius aduentum veriti Chaldæi recesserunt, verum Sedeciæ per Hieremiam prophetã præcipit auctor omnium Deus, ne confideret Aegyptiorũ suppetijs, statim enim veniet, inquit, rex Babylonis & capiet vrbem. Hæc item hoc loco per Ezechielem ait Deus.

Et non honorauit iuramentum vt violaret fœdus, & ecce dedit manum suam,& omnia hæc fecit ei,num saluabitur?

Vulg. *Spreuerat enim iuramentum vt solueret fœdus, & ecce dedit manum suam, & cùm omnia hæc fecerit non effugiet.*

Nullam,inquit,vtilitatem ex Aegyptij socie tate percipiet, sed violati fœderis pœnas persoluet.

Propterea dic,hæc dicit Adonai dominus: Amen,iuramentum meum quod inhonorauit, & testamentum meum quod transgressus est,& dabo illud in caput eius, & extendam super eum rete meum,& capietur in cõplexione eius,& ducam ipsum in Babylonem,& disceptabo cum eo illic de iniustitia eius, qua iniuste egit in me in omnibus exilijs suis, & omnes electi eius cum omnibus aciebus eius in gladio cadent,& omnes reliquos ipsorum in omnem ventũ dispipabo.& cognoscetis quia ego dominus locutus sum.

Vulg. *Propterea hæc dicit Dominus Deus,viuo ego quoniã iuramẽtum quod spreuit,& fœdus quod præuaricatus est,ponam in caput eius, & expandam super eum rete meum,& comprehendetur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem,& iudicabo eum ibi in præuaricatione qua despexit me, & omnes profugi eius cum vniuerso agmine suo gladio cadent, residui autem in omnem ventum dispergentur,& scietis quia ego dominus locutus sum.*

Fretus,inquit,Aegyptiorum auxilio meum iusiurandum conculcauit, sed ego veluti quodam rete vsus Chaldæorum exercitu, viuum capiam ipsum, & in Babylonem transmittam, & profugos eius, & optimates exercitus neci dabo, eos vero qui è prælio mortem effugerint, capiendos curabo, & ipsa experientia vos discetis verba mea carere mendacio. quod significauit cùm dixit, & cognoscetis quia ego dominus locutus sum.

Hæc dicit Adonai dominus,capiam ego de electis cedri altæ de vertice,& dabo de capite ramorum eius ex corde verticis eius auellam,& plantabo super montem excelsum ego,& suspendã illud in monte sublimi Israel,& plantabo illud,& emittet germen,& faciet fructum,& erit in cedrum magnam, & requiescet sub ea omnis auis,& omne volatile sub vmbra eius requiescet, & rami eius restituentur.

Vulg. *Hæc dicit dominus Deus:& sumam ego de medulla cedri sublimis,& ponam: de vertice ramorum eius tenerum dispergam & plãtabo super montem excelsum & eminentem,in monte sublimi Israel plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificabit.*

Vere domus irritans Israel est, & oculos habent neq; vident. quod si hęc nõ ita se habent, nobis ostendant, quisnã iste sit sumptus de elẽctis cedri sublimis ex corde verticis, & primũ plantatus in excelso monte, deinde suspensus in sublimi monte Israel, qui postquã suspensus fuit protulit germẽ,fecitq; fructum,magna cedrus eua sit,ita vt omnis auis, omneq; alatum, non quadrupes,neq; reptile,sed omnis auis, & rolatile, sub eius vmbra quiescat. nã si hæc de Zorobabel dicta fuisse asseruerint, ostendant, in quo monte Zorobabel suspensus sit,aut sub vmbra eius omnes aues volucresq; requieuisse. Zorobabel enim populo tantummodo,qui è captiuitate simul redierat,imperauit. aliæ vero nationes non modo ipsi non obtemperarũt, sed etiã continenter ei bellũ faciebant: quamobrem neædificatio quidem templi breui est absoluta.quod si nequaquam Zorobabeli hæc congruũt,vix alij alicui poterunt cõuenire.qđ si conentur ad Maccabæos, prophetiam hanc referre, facile ipsorum mendacium coarguetur; neq; enim illi à regali sed à sacerdotali tribu oriundi fuere; hic autem cedrum regium genus appellat, etenim de Iechonia ita dixit: aquila magna magnis alis prædita, tenera cedri auulsit, & in Babylonem abduxit: hoc est regium genus. Igitur si neq; Zorobabeli, neque Maccabæis conueniunt, quæ dicta sunt, perspicuum est de Domino ac saluatore nostro Iesu Christo hæc fuisse prænunciata, qui à Dauid secundum carnem genus duxit, non ex aliquibus regni ramis maiores habens, sed ex ipsa regum successione. Idque nos beatus Matthæus Matth. accurate docet: qui cùm dixerit Salomonem Dauid filium, & illius Roboam, deinde ordine omnes genealogias percurrerit vsque ad transmigrationem Babylonis, subijcit: & post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel, iste ipse qui captiuus fuit, Salathiel autem genuit Zorobabel, atque hic est, qui post reditum populo imperauit: ab his Dominus Christus secundum carnem genus ducit. Iccirco ait: capiam de electis cedri sublimis ex vertice, hoc est ex ipsa regia stirpe. & rursus idem significans: & dabo à capite ramorum eius ex vertice capitis auellam. captiuos igitur Babylonius auulsit, quam vero susceperit carnẽ ipse dominus,vt ante diximus,amputauit: sibi enim humanũ ædificauit templũ: & plantabo super montem excelsum ego non Babylonius; montem autem excelsum Ecclesiæ

Esa 2. Mich. 4. siæ nobilitatem vocat, sic enim Esaias quoq; & Michæas prædixerunt. & erit inquit in nouissimis diebus conspicuus mons Domini, & domus Dei in summitatibus montiũ, & quæ sequuntur. ita ostensa sua nobilitate per miracula atq; præconia, prędicit etiam quod subiturus erat supplicium: & suspendam ipsum in monte Israel, ipsius enim permissu eius quoque passio absoluta est. & hoc ipse Dominus Pilato perspicuum fecit cum eo colloquens. cùm enim gloriaretur ille,quasi potestatem haberet & puniendi,& absoluendi;nõ haberes dixit Dominus potestatem, nisi tibi datum esset desuper. vt efficientem causam igitur permissionem appellauit: & suspendam ipsum in monte excelso Israel: excelsus autem Golgothas est,vbi salutaris infixa crux est: deinde post passionem resurrectionem,& euangelij propagationem:& plantabo eum & producet germen,& faciet fructum, quem orbis terrarum vindemians, & depascens æternam vitam sperat,& requiescet sub eo omnis auis: tum apertius:& omne volatile sub vmbra eius requiescet,nullum neq; iumentum neq; reptile, aut abiectum humile, sed si quid alatum est,& in aere incedens,& ad sublimia naturalẽ habeat impetum. Tales enim sunt fidei alũni, ad superiora mentem transmittentes,& cœlestia cogitantes, & sub vmbra maximæ cedri sedentes: & cedrum ipsum vocauit secundum humanitatem,Dauidicum siquidem regnum cedrum quoq; nuncupauit: eaque est cedri natura, vt nunquam putrescat, quemadmodum etiam Dominus secundum humanitatẽ id habuit,vt peccare non posset. & rami eius restituentur,inquit. hoc subiecit propter eam solitudinem Hierusalem, quæ tunc erat, hoc est, ne respiciatis in eam solitudinem,quæ futura est vrbis post captiuitatem. hic enim sempiternus rex ab ea profectus regnabit, & ex ea accipiet ramos. significat autem Apostolicum chorum. restituetur igitur Dauidicæ tribui regnum,inquit,secundum ea pacta quæ cum Dauid pepegit ipse Deus: deinde subijcit.

Et cognoscent omnia ligna campi,quia ego Dominus humilians lignum excelsum, & exaltans humile lignum,& arefaciens lignum viride,& germinare faciens aridum lignum,ego Dominus locutus sum & faciam.

Vulg. *Et scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime,& exaltaui lignum humile,& siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego Dominus locutus sum & feci.*

Cognoscent,inquit,omnes homines facile mihi esse & ea quæ alta sunt humilia reddere, & quæ sunt humilia extollere, humidaque exsiccare, & sicca florentia demonstrare, quando enim viderint, post vrbis solitudinem germen ex ea productum secundum Esaiæ prophetiam: egredietur enim virga inquit de radice Iesai,& flos de radice eius ascẽdet,& huic totius orbis terræ regem declaratum, cognoscent omnes esse me dominum hęc prædicentem,& verbum opere comprobantem.

Esa. 11.

Et factum est verbum Domini ad me dicens,fili hominis quæ vobis parabola hæc in terra Israel? dicentium,patres comederũt vuam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt,viuo ego dicit Adonai Dominus, si fuerit amplius parabola hæc in Israel,quia omnes animæ meæ sunt, quemadmodum anima patris ita etiam anima filij,omnes animæ meæ sunt,& anima peccans ipsa moriatur.

Et factus est sermo Domini ad me dicens, quid est, Vulg. *quod inter vos parabolam vertitis in prouerbiũ istud in terra Israel? dicentes,patres comederunt vuam acerbam & dentes filiorum obstupescunt,viuo ego Dominus Deus,si erit vltra vobis parabola hæc in prouerbium in Israel,ecce omnes animæ meæ sunt,vt anima patris, ita & anima filij mea est, anima quæ peccauerit ipsa morietur.*

Quibusdam videtur ad aliud caput digressa esse prophetia, sed cum ijs quæ ante dicta sunt,quæ modo dicuntur consentanea videre licet. Cùm enim cõmemorata Sedeciæ fœderis violatione futurum ex semine regio orbis terrarum imperium vaticinatus sit, necessario docet populum, non esse abutendum eo prouerbio,quod iniustitiæ Deum accuset, videlicet, cùm patres vuam acerbam comederint,filiorum dentes obstupescere,vel secundum Symmachum confringi. ecce enim,cùm reges illi, qui tunc regnabant, iniqui fuerint, semen ex ipsis orbis terrarum potietur imperio,non enim sustinebo eorum quæ parentes deliquerint à filijs pœnas repetere,cùm & horum & illorum sim Dominus, eandemque omnium curam habeam,omnes quippe animæ meæ sunt, & anima peccans ipsas pœnas luet. tum iustitiæ nos genera docet, & qua ratione possint homines & vita frui, & à supplicio soluti ac liberi esse.

At homo, qui est iustus, faciens iudicium & iustitiam.

Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iusti- Vulg. *tiam.*

Hoc est,æqua detinens iustitiæ pondera.

Super montes non comedet.

In montibus non comederit. Vulg.

Qui ab idolorum,inquit, cultu procul abfuerit,quorum templa in montibus erant posita.

Et oculos suos non attollet ad cogitationes domus Israel.

Et oculos suos non leuauerit ad idola domus Israel. Vulg.

Hoc est,si non persequetur mala Israel consilia. & per hæc similiter & impietatem & scelus declarauit.

Et vxorem proximi sui non polluet,& ad mulierem in fluxu sanguinis prope non accesserit.

Et vxorem proximi sui non violauerit, & Vulg. *mulierem menstruatam non accesserit.*

Oportet autem ipsum neque alienum cubile prædari, neque ad eam,quæ fluxu sanguinis mẽstruo laboret,prope accedere. etenim hoc quoque interdictum lege fuit.

Et hominem non opprimet,& pignus debitoris reddet,& rapinam non rapiet.

Et hominem non contristauerit, pignus debitori Vulg. *reddiderit,per vim nihil rapuerit.*

Si ab omni, inquit, auaritia liber conspe-

ctus fuerit. deinde sequitur virtutis incremen tum.

Panem suum esurienti dabit, & nudum induet vestimento.

Vulg. *Panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento.*

Non enim satis est non rapuisse, sed oportet facultatum participes indigentes accipere.

Argentum suum ad vsuram non dabit, & id quod amplius est non accipiet.

Vulg. *Ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit.*

Etenim hæ quoque auaritiæ species.

Ab iniuria auertet manum suam.

Vulg. *Ab iniquitate auerterit manum suam.*

Breuiter iniquitatem interdixit.

Et iudicium faciet inter virum & proximũ suum.

Vulg. *Et iudicium verum fecerit inter virum & virum.*

Si iustum se iudicem præbuerit non gratia, neq; odio sententiam ferens. deinde breuiter,

Et in præceptis meis ambulauit, & iustificationes meas custodiuit, vt faceret eas, iustus hic est, vita viuet, dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Et in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit vt faciat veritatem, hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus.*

Qui omnia inquit fecerit, quæ dicta sunt, & ab omnibus quæ interdicta sunt, liber fuerit, & iusti cognomento dehonestabitur, & vitæ colliget fructum.

Et si genuerit filium, pestem, effundentem sanguinem, & facientem peccata.

Vulg. *Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, & fecerit vnum de istis.*

Tum breuiter.

In via patris sui iusti non ambulat.

Sed vnumquodque eorum, quæ iam prohibita sunt, patrauit, & contraria via incessit.

Iniquitatem inquit fecit iste vita non viuet, omnes iniquitates has fecit, morte morietur, sanguis eius super ipsum erit.

Vulg. *Et hæc quidem omnia non faciens ei, sed in montibus comedentem, & vxorem proximi sui polluentem, egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos suos, abominationem facientem, ad vsuram dantem & amplius accipientem, numquid viuet? non viuet, cùm vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur, sanguis eius in ipso erit.*

Nihil, inquit, scelerato profuerit patria virtus, qui aliam vitam atque ille viuere instituat, sed suorum seminum fructus percipiet.

Cùm vero genuerit, inquit, filium, viderit́q; ille omnia parentis sui peccata quæ fecit, & timuerit, neq; fecerit secundum hæc.

Vulg. *Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, & non fecerit simile eis.*

Deinde ordine persequitur, quia ab idolorum cultu se liberum ostendit, neque scelerũ domus Israel particeps fuit, alienisque nuptiis insidiatus non est, omne genus auaritię odit, eamque, quam potuit, curam indigentibus adhibuit, aliorum famem expellens, alios induens & à nuditate liberans, omniaq; simul præcepta seruauit.

Non morietur hic, inquit, in iniquitatibus patris sui sed vita viuet.

Super montes non comederit, & oculos suos non le- Vulg.
uauerit ad idola domus Israel, & vxorem proximi sui non violauerit, & virum non contristauerit, pignus nõ retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, à pauperis iniuria auerterit manum suam, vsurã, & superabundantiam non acceperit, & iudicia mea fecerit, & in præceptis meis ambulauerit, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita viuet.

Neque enim iustum est ab hoc pro sceleribus illius exigi pœnas.

Pater autem, inquit, quando tribulationes tribulauit, & rapinam rapuit, & contraria fecit in medio populi, & mortuus est in iniquitate sua, & dixistis, cur non tulit filius iniquitatem patris sui?

Pater eius, quia calũniatus est, & vim fecit fratri, Vulg.
& malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua, & dicitis, quare non portabit filius iniquitatem patris?

Vos autem iniuste, inquit, iudicantes vultis filium pro parente scelerato supplicia subire, & vos inter vos percontamini, curnam pro sce sceleribus patris haud soluit pœnas? ego autem vobis dico,

Quia filius iudiciũ, & iustitiam, & misericordiam fecit, omnia legitima mea custodiuit, & fecit ea, vita viuet.

Videlicet, quia filius iudicium & iustitiam opera- Vulg.
tus est, omnia præcepta mea custodiuit, & fecit illa, vi uet vita.

Quando non eandem viam, quam pater secutus est, sed meam viam viæ patris anteposuit, dignum & reperit viæ exitum.

Anima autem peccans ipsa morietur, filius non feret iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij sui.

Anima quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non por Vulg.
tabit iuiquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.

Eadem rursus apertius, breuiterque declarauit.

Iustitia iusti super eum erit, & iniquitas iniqui super ipsum erit.

Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit Vulg.
super eum.

Sæpe eadem repetit, cùm velit in audientibus eorum stabiliri memoriam.

Et iniquus si conuersus fuerit ex omnibus iniquitatibus suis quas fecit, & custodierit omnia mãdata mea, & fecerit iudicium & iustitiam, & misericordiam, vita viuet, & non morietur, omnia delicta eius, quæcunque fecit, non commorabuntur ei, in iustitia sua, quam fecit, viuet.

Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & nõ morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor, in iustitia sua, quam operatus est, viuet.

Tantum abest, inquit, vt ab alio pro alio pœnas reposcã, vt etiã ipsum legis violatorẽ quãuis infinita facinora patrarit, si tamẽ ille pœnitẽs resipiscat, & iustitię vias persequi instituat, & accipiam, & vita dignum censeam. deinde propriam bonitatem declarat.

Nunquid voluntate volam mortem iniqui dicit Adonai dominus, quam vt conuertatur ipse à via sua mala & viuat ipse?

Nunquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis & viuat?

Non mortem, inquit, iniqui, sed pœnitentiam cupio, neque enim vt punirem hominem ipsum creaui, sed vt cum eo vitam communicarem. & rebus verba testimonium dant: siquidem neque prophetas suo numine afflasset, aut Apostolos misisset, & scriptas leges tradidisset, pollicereturque bona, & gehennam minaretur, si punire cuperet, sed permisisset homines eò ferri, quocunque vellent. nunc autem omnia hæc facere perseuerat, vt ab ijs calamitatibus, quas minatus est, vindicet. esse autem quæ dicuntur non solũ verba, sed res, quę partim gestæ sint, partim gerantur testis est diuina scriptura. Ezecias enim ex impio patre Achaz natus non solum pro parente nõ soluit pœnas, sed etiam propria pietate nobilissimus euasit. beatissimus autem Manasses omnino contrariã parenti viam ingressus nihil à patria pietate vsilitatis percepit, atvbi eum pœnituit salutem est consecutus. & Amos huius filius patriã improbitatem æmulatus, non item pœnitentiam, malum habuit vitæ exitum. cuius filius Iosias patris auersatus impietatem, omni virtutis genere anima instructa in sanctorum numerum ascriptus est, nullo ex iniquitate paterna cõtracto detrimento. at eius filij minime ipsum æmulati, sed omni impietate adstricti pœnas suorum delictorum persoluerunt, nulla ex pietate patria vtilitate percepta: & ex ipsa igitur sanctarum scripturarũ historia, vera ostensa sunt eloquia Domini. Age igitur ad ea quæ sequuntur interpretanda reuertamur.

Et cùm conuersus fuerit iustus à iustitia sua, & fecerit iniustitiam, secundum omnes iniustitias quas fecit impius, si fecerit non viuet, omnes iustitiæ eius quas fecit, non memorabuntur in delicto quo deliquit, & in peccatis suis, quæ peccauit, in ipsis morietur.

Vulg. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid viuet? omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur, in præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit in ipsis morietur.*

Quemadmodum, inquit, si quis improbus pristinam abominatus vitam, contrariam sequi instituerit, admittam eius pœnitentiam, ipsumq; vita dignabor; ita si quis omnino deserta iustitię via, aliam ingressus fuerit, omnem pristinum cursum amittet, & idoneum reperiet viæ exitum, in peccatis enim suis morietur. & sciendum est, non simpliciter dixisse si peccarit, sed si conuersus fuerit à iustitia sua, & fecerit iniustitiam, secundum omnes iniustitias, quas fecit iniquus; quandoquidem offendunt etiam ex pijs aliqui, sed resurgentes eadem rursus incedunt via, & pœnitentia salutem consequuntur, at qui prorsus ab hac recedunt, contrariæ viæ fructus percipiunt.

Et dixistis, inquit, non est recta via Domini, audite quæso domus Israel, numquid via mea non est recta?

Et dixistis, non est æqua via Domini, audite ergo do Vulg.
mus Israel, numquid via mea non est æqua?

Hanc, inquit, meam iustam sententiam cernentes, iniustitiæ audetis accusare? atqui oportebat, vt vosmet ipsi accusaretis, qui tali conspecta iudicis iustitia, iniustitiam prætulistis. deinde eadem rursus breuiter enarrat, & iustus in contrariam versus morte peccati condemnabitur, & peccator rursus pœnitẽtia adductus perque omnem virtutem incedere instituens, vitam ex resipiscentia percipiet.

Hæc autem inquit videns domus Israel ait, non est recta via Domini. numquid via Domini non est recta domus Israel? nonne via vestra non est recta?

Et dicunt filij Israel, non est æqua via Domini, num- Vulg.
quid viæ meæ non sunt æquæ domus Israel? & non magis viæ vestræ pravæ?

Ipsæ, inquit, res exclamant, iudicia mea recta & iusta esse, at vestrum institutum improbitatis plenum.

Iccirco vnumquemque secundum viam suam iudicabo vos domus Israel, dicit Adonai Dominus.

Iccirco vnumquemque iuxta vias suas iudicabo do- Vulg.
mus Israel, ait dominus Deus.

Ita minatus iusta prolata sententia ad admonitionem orationem conuertit.

Conuertimini, & reuertimini ab omnibus impietatibus vestris & non erunt vobis in tormentum iniquitatis, projcite à vobis ipsis omnes impietates vestras, quibus impie egistis in me, & facite vobis ipsis cor nouum, & spiritum nouum, & vt quid morimini domus Israel?

Conuertimini & agite pœnitẽtiam ab omnibus in- Vulg.
iquitatibus vestris & non erit vobis in ruinam iniquitas, projcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis ipsis cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israel?

Relinquite, inquit, impietatis viam, & aliam susçipite mentem, & ad meas leges declinate ne mortem ex improbitate percipiatis, & spiritum nouum animæ, ad meliora conuersionem appellauit, deinde propriam quoque enudat bonitatem.

Quia nolo mortem morientis, dicit Adonai Dominus, vt cõuertatur ipse à via sua, & viuat anima eius, dicit Adonai Dominus, reuertimini igitur & viueris.

Quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus, Vulg.
reuertimini & viuite.

Scientes, inquit, me non pœnam, sed pœnitentiam peccatoris cupere, resipiscite & vitæ fructus percipite. hæc etiam nobis medicina congruit, non enim Iudæorum Deus tantum, sed etiam gentium, & ipse Dominus omnium dies in omnes, qui inuocant illum, relinquamus igitur improbitatis viam, cuius finis, interitus & perditio, & tandem viam diuinam discamus, quæ ad cœlos ducit, quæque nobis ad Deum fiduciam præbet, quam vtinam consequamur in Christo Iesu Domino nostro, cum quo patri gloria cum sancto spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

S E-

SECTIO VII.

Cap. 19. *Et tu cape lamentationem ſuper principem Iſrael & dices quid mater tua leæna?*

Vulg. *Et tu fili hominis aſſume planctum ſuper principes Iſrael & dices, quare mater tua leæna?*

Quæ euentura ſunt inquit regi Iſrael, per quæ eum luges prædicito, & regem Iſrael, non eũ qui in Samaria, pridẽ quippe regnum illud euerſum fuit, ſed eũ qui in Hieruſalem iura dabat, intelligit, omnibus enim qui tunc reliqui fuerant rex Iuda imperabat, quod nos & quartus edocet Regũ liber, & Paralipomenon ſecundus. matrem autẽ regis Hieruſalem nuncupauit, cùm illinc reges proficiſcerentur. & leænam ipſam vocat, nõ ſolum propter vrbis regiam nobilitatem, ſed etiam propter morum audaciam.

In medio leonum pauit.

Vulg. *Inter leones cubauit.*

Eorum regum qui in circuitu erant mores æmulata eſt.

In medio leonum multiplicauit catulos ſuos.

Vulg. *In medio leunculorum enutriuit catulos ſuos.*

Significat autem ea, quæ poſt Ioſiam acciderunt, quatuor enim reges breui tempore ipſi Hieruſalem dominati ſunt, Ioachaz, Ioacim, Iechonias, Sedecias.

Et exiliuit vnus de catulis ſuis, leo factus eſt, & didicit rapere rapinas, homines comedit, & exaudierũt de eo gentes, & comprehenſus eſt in corruptione ſua, & adduxerunt eum in camo in terram Aegypti.

Vulg. *Et eduxit vnum de leunculis ſuis, leo factus eſt, & didicit capere prædam, hominemq; comedere, & audierunt de eo gentes, & non abſque vulneribus ſuis, ceperunt eum & adduxerunt eum in catenis in terram Aegypti.*

De Ioachaz loquitur, qui cùm Ioſiæ parenti ſucceſſiſſet, & in Deum impius fuit, & in ſibi ſubiectos iniquus, ſed hunc Pharao Nechao Aegyptiorum rex bello captum & compedibus vinctũ introduxit in Aegyptum, vbi ille ſcelerum pœnas perſoluit. quod ſignificauit cùm dixit, cõprehenſus eſt in corruptione ſua. deinde ſubijcit.

Et vidit, quia repulſus eſt ab ea, & perijt expectatio eius & cepit alium de catulis ſuis, leonem conſtituit eum, & verſabatur in medio leonum, leo factus eſt & didicit repere rapinas, & homines comedit, & paſcebatur in audacia ſua, & ciuitates eorũ deſertas fecit, & deſolauit terram, & plenitudinem eius à voce rugitus ſui.

Vulg. *Quæ cùm vidiſſet quoniam infirmata eſt, & perijt expectatio eius, tulit vnum de leunculis ſuis, leonẽ conſtituit eũ, qui incedebat inter leones, & factus eſt leo, & didicit prædam capere & homines deuorare, didicit viduas facere, & ciuitates eorum in deſertum abducere, & deſolata eſt terra & plenitudo eius à voce rugitus illius.*

His Iechoniam Ioacim filium declarauit: de ijs enim qui captiui fuere & in externa regione ſortiti ſunt vitæ finem, verba facit. Ideo Ioacim in præſenti mentionẽ omiſit, quia ipſe in Hieruſalem interfectus fuit. breuiter igitur recenſuit Iechoniæ ſcelera, qui menſes tres dies inſuper paucos cùm regnaſſet, iniuſtis cædibus vrbem compleuit, & his ab eo innui non Ioacim, ſed Iechoniam ſequentia teſtantur. ait enim

Et irruerunt ſuper eũ vndique ex regionibus gẽtes, & expanderunt ſuper eũ retia ſua, & in corruptione earũ comprehenſus eſt, & poſuerunt eũ in camo, & in cauea, & adduxerunt eum ad regem Babylonis, & introduxerunt eum in cuſtodiam, vt ne audiatur vox eius amplius ſuper montes Iſrael.

Et conuenerunt aduerſus eũ gentes vndique de pro- Vulg.
uincijs & expanderunt ſuper rete ſuum, in vulneribus earum captus eſt, & miſerunt eum in caueam, in catenis adduxerunt eum ad regẽ Babylonis, miſeruntq; eum in carcerem, ne audiretur vox eius vltra ſuper montes Iſrael.

Ioacim vero non captiuus abductus eſt, ſed in Hieruſalẽ fuit interfectus, at Iechonias, quẽ modo dicta ſunt, omnia paſſus eſt. & iure tanquam contra leonem exercitus impetum retia nominauit, camumq; & caucã, iniecta ipſi vincula. cùm enim per tranſlationẽ eum leonem vocarit, congruenter quoque ea, quæ ipſi acciderunt per tranſlationem appellat, leoni enim & retia, & cauea conueniunt. his ita narratis tranſit ad aliud parabolæ genus, & ait.

Mater tua vitis, ſicut flos mali granati in aqua plãtati fructus eius, & germen ipſius factum eſt ex aqua multa & facta eſt virga roboris in tribũ ducum, & exaltata eſt in magnitudine ſua in medio ſtipitum, & vidit magnitudinem ſuã in multitudine palmitũ ſuorũ.

Mater tua quaſi vinea in ſangu ne tuo ſuper aquam Vulg.
plantata eſt, fructus eius & frondes eius creuerunt ex aquis multis, & facta ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptra dominantium, & exaltata eſt ſtatura eius inter frõdes, & vidit altitudinem ſuam in multitudine palmitum ſuorum.

Viti ſimilis eſt, inquit, mater tua & malo granato apud ripam conſito, apud ripam inquit & propter eam irrigationem, quæ inde proficiſcitur, virenti & floribus ornato, multumque fructum producẽti. & illud annotare oportet, non pulchrum fructum appellaſſe. per aquam autem omnis generis dona Dei declarauit, & virgam roboris regnum ipſum nũcupauit, eſt enim virga corripiẽdi vi prædita. illud autem in tribum ducum appoſuit, quia non dominatus eſt omni Iſrael, ſed tribui Iudæ duci. & quod ait: vidit magnitudinem ſuam in multitudine palmitum ſuorum, ſuperbiã illam declarat, quæ ex tranquillitate acceſſit ei. quare ſubijcit:

Et confracta eſt in furore, ſuper terrã proiecta eſt, & ventus vrens arefecit, electa eius, vindicatæ ſunt, & deſolatæ ſunt virgæ roboris eius, ignis arefecit eam, ignis conſumpſit eam.

Et euulſa eſt in ira, in terramq; proiecta, & ventus Vulg.
vrens ſiccauit fructum eius, marcuerunt & areſactæ ſunt virgæ roboris eius, ignis comedit eam.

Omnia per tranſlationem atq; ſimilitudinẽ tanquam de vite & malo granato, ventumque vrentem hoſtium vocauit incurſum. ignem autem ſupplicium, quod eos oppreſſit, à diuina ira profectum. & virgas roboris eius exaruiſſe dixit, propterea quod extinctum fuit regnum. deinde rurſus docet, quæ poſt Sedeciæ captiuitatem mala ſint euentura.

Et nunc plantauerunt eam in deſerto, in terra ſine aqua & ſitienti.

Vulg. *Et nunc tranſplantata eſt in deſertum in terra inuia & ſitienti.*

Poſt vrbis & ſacri Dei templi incendium omnibus principibus partim interfectis, partim bello captis & abductis, relictis ibi pauperibus Nabuzardan Godoliã principem præfecit, & vrbs omnino deſerta fuit, immo omnis Iudea. & muris dirutis & ædificijs incenſis, & plurimis incolis aut cæſis aut in ſeruitutẽ redactis. iccirco ait, & nunc plantauerunt eam in deſerto, ſed ne ſic quidem permanebit, inquit, verum reliquiæ quoque perimentur.

Egredietur enim ignis, inquit, ex virgis electorum eius, & deuorabit eam.

Vulg. *Et egreſſus eſt ignis de virga ramuorum eius, qui fructum eius comedit.*

Iſmael enim è regio genere oriundus Godoliæ inuidia adductus, fictaq; erga eum amicitia vſus occulte inſidiatur, & eorum plurimos, qui eũ ſequebantur, interficit, reliqui omnes Chaldæorum iram veriti, cum Hieremia propheta in Aegyptum ſe recepere. atque hoc declarauit cùm dixit, & egredietur ignis de virgis electorum eius, & comedet eam. 4. Reg. 25.

Et non erit in ea virga roboris tribus, ſceptrum ad habendam poteſtatem in parabolam lamentationum eſt, & erit in planctum.

Vulg. *Et non fuit in ea virga fortis, ſceptrum dominantium, planctus eſt, & erit in planctum.*

Perſpicuum eſt ante reditum hæc dicere, tunc enim à ſuis plorabatur, & alienis fuit lamentationis prouerbium. conſueuerunt enim homines de ijs, qui in maximas incidunt calamitates, dicere: ne mihi talia eueniant, qualia iſte paſſus eſt. hoc igitur lamentationis prouerbium vocauit, adiecitque, nõ eſſe in ea virgam roboris, aut tribum, aut ſceptrum: nullum enim principem habuit, aut agmen, quod tribũ facere poſſet ante reditum. poſt reditum vero priſtinum ſplendorem recepit. hæc ita vaticinatus interponit inter prophetiam breuem quandam narratiunculam, cum qua mox prophetiam coniungit.

Cap. 20. *Et factum eſt in anno ſeptimo, in quinto menſe decima menſis venerunt viri de ſenioribus domus Iſrael, vt interrogarent Dominũ, & ſederunt ante faciem meam, & factum eſt verbum Domini ad me dicẽs, fili hominis loquere ad ſeniores Iſrael, & dices ad eos, hæc dicit Adonai Dominus: ſi ad interrogandum me vos venitis, viuo ego ſi reſpondebo vobis dicit Dominus, ſi vltus fueris eos vltione, ſi vltus fueris eos.*

Vulg. *Et factum eſt in anno ſeptimo, in quinto, in decima menſis venerunt viri de ſenioribus Iſrael, vt interrogarent Dominum & ſederunt corã me. & factus eſt ſermo Domini ad me dicens, fili hominis loquere ſenioribus Iſrael, & dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus, nũquid ad interrogandum me vos veniſtis? viuo ego, quia non reſpondebo vobis ait Dominus Deus, ſi iudicas eos, ſi iudicas fili hominis.*

Admodum congruit hiſce verbis, quod à Deo & ſaluatore noſtro dictum eſt, non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum Dei, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnũ Dei. etenim iſti quoque ſceleribus addicti, ac pœnitentiæ remedijs ſanari recuſantes, Dominum interrogare tentarunt, non vt ea omnino facerent quæ ſibi imperarentur, ſed vt diſcerent an ſuis cogitationibus diuina oracula cõſentirent. hoc item Sedecias ſæpius fecit, adactoq; iureiurando Hieremia, vt quæ Deo viſa eſſent, aperte ſibi prænunciaret, cùm didiciſſet, quæ iuſſa fuerant, ijs contraria patrauit, & qui in Aegyptum poſt captiuitatẽ peruenere, hoc idem auſi ſunt. quare auctor omnium rerum Deus non vult his reſpondere, ipſe enim nouit ſecundum ſacrorum euangeliorum doctrinã, quid ſit in homine, iccirco ipſi quoq; prophetę præcipit, vt eos deſpiciat, neque vllas pro ipſis preces adhibeat. quod ſignificauit, cùm dixit, ſi vltus fueris eos vltione fili hominis, ſi vltus fueris eos. hoc eſt, ne vllam habeas ipſorũ rationem, veluti curator ipſorum, ne admittas eorum interrogationem. Matth. 7.

Iniquitates autem patrum ipſorum cõteſtare eis, & dices ad eos, hæc dicit Adonai Dominus: à qua die elegi domũ Iſrael, & cognitus ſum ſemini domus Iacob, & cognitus fui ipſis in Aegypto, & cepi manum ipſorum dicens, ego Dominus Deus veſter, in die illa apprehendi eos manu mea, vt educerem eos de terra Aegypti, in terram quam paraui eis, terram, fluentem lac & mel, fauus eſt vltra omnem terram.

Abominationes patrum eorum oſtende eis, & dices Vulg.
ad eos, hæc dicit Dominus Deus, in die qua elegi Iſrael, & leuaui manũ meam pro ſtirpe domus Iacob, & apparui eis in terra Aegypti, & leuaui manum meã pro eis dicens: Ego Dominus Deus veſter, in die illa leuaui manum meam pro eis vt educerem eos de terra Aegypti, in terram quam prouideram eis fluentem lacte & melle, quæ eſt egregia inter omnes terras.

Iſtis, inquit, ò propheta, qui ad te adierunt, & mea oſtendito beneficia, & parentum ipſorum ſcelera recenſeto, narrato item, quemadmodũ in Aegypto parentibus ipſorum adhuc impie viuentibus & Aegyptiorum idola colentibus me ipſum oſtenderim, eoſq; docuerim eſſe me Deum, ac dominum, quibus verbis vſus ſum, cùm & eos à ſeruitute vindicare vellẽ, & quæ pollicitus eram, perficere, promiſſamque illis infinitorum bonorum parẽtem terram & omnis generis fructus incolis ſuis ferentem reddere. & quam nemo errarit omni regione præſtantiorem aſſerens, apumque opus appellans. hoc enim declarauit, cùm dixit: fauus eſt vltra omnem terrã. ita nuncupauit fauos mellis plenos.

Et dixi, inquit, ad eos, vnuſquiſque abominationes ab oculis ſuis proijciat, & in inſtitutis Aegypti ne polluamini, ego Dominus Deus veſter.

Et dixi ad eos, vnuſquiſque offenſiones oculorũ ſuo- Vulg.
rum abijciat, & in idolis Aegypti nolite pollui, ego Dominus Deus veſter.

Admonui autem ipſos, inquit, vt ſocietatem Aegyptiorum impietatis effugerent, meamq; dominationem agnoſcerent, quam ipſos & ſignis & miraculis edocuerã. at illi nequaquam meis

meis præceptis animum adhibere voluerunt. quod significans adiecit:

Et recesserunt à me & noluerunt obedire mihi, vnusquisque abominationes oculorum suorum non abiecit, & institutа Aegypti non reliquerunt.

Vulg. *Et irritauerũt me, noluerũtq; me audire, vnusquisque abominationes oculorum suorum nõ proiecit, nec idola Aegypti reliquerunt.*

Deinde docet iram suam iustam esse.

Et dixi vt effunderem furorem meum super eos, vt complerem iram meam in ipsis in medio Aegypti.

Vulg. *Et dixi vt effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis in medio terræ Aegypti.*

Tum clementiam, & longanimitatem docet, qua vsus humanam naturam gubernat.

Et feci vt nomen meum non omnino profanum esset coram gentibus, in quarum medio ipsi sunt, in quibus cognitus sum eis, coram ipsis, vt educerem eos de terra Aegypti.

Vulg. *Et feci propter nomen meum vt non violaretur coram gentibus, in quarum medio erant, & inter quas apparui eis vt educerem eos de terra Aegypti.*

Volui, inquit, quod non obedierint statim punire, sed quãdo populus meus nuncupatus est, pœnas ab ipsis pro impie rebus gestis haud exegi, vt ne omnino nomẽ meum polluereturcoram gentibus, quibus cum isti habitabant: ne causa, inquit, in me maledicti, ipsorum foret supplicium. volebam enim per beneficium in istos collatũ, illorum quoque mentes immutari. atque hæc nos apertius docet Exodi liber. narrat enim beatus Moyses vt ipsi populus attribuebat diuina verba, quæ interpretem agens referebat Pharaoni. Hac igitur longanimitate adhibita, inquit, hunc eduxi ex Aegypto.

Et adduxi eos in desertũ, & dedi eis præcepta mea, & iustificationes meas notas feci illis. quicunque homo fecerit ea, etiam viuet in eis: & sabbata mea dedi ipsis vt sint in signum inter me & inter ipsos, vt cognoscerent, quia ego Dominus sanctificans ipsos.

Vulg. *Et eci ergo eos de terra Aegypti, & eduxi eos in desertũ, & dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis, quæ faciens homo viuet in eis, insuper & sabbata mea dedi eis vt essent signum inter me & eos, & scirent quia ego Dominus sanctificans eos.*

Liberatos inquit illos ab amara illa seruitute in deserto tanquam in palæstra aliqua probis & vtilibus legibus, quasi pueros, instruebam, quibus seruandis vitam illis moliebar. leges enim erant vitæ cõciliatrices. præcepta autem ipsa & iustificationes appellauit, nõ enim alia sunt præcepta, alia iustificationes, sed eadẽ diuersis nominibus vocata sunt. præcepta sunt enim tanquam à Deo & Domino scripta, quæ iussi sunt homines seruare: iustificationes vero non solum vt iure scriptа, & quod iustum est continentia, sed etiam, vt quæ recte agentem iustificare possint. & illud scire necesse est ab his præceptis & iustificationibus, quæ possunt ea obseruantibus vitam ministrare, sabbata eũ distinxisse. cùm dixisset enim, dedi ipsis præcepta mea & iustificationes meas notas feci illis, declarassetq; inde profectã vtilitatem, qui fecerit ea homo, viuet in ipsis, tunc subiecit, & sabbata mea dedi eis, neque dixit, vt illis obseruatis viuant in eis, sed vt sint in signũ inter me & inter ipsos, vt cognoscant ipsi quia ego Dominus sanctificans eos. nam sabbatorum ipsis otium lege prescripsi, non vt quod ipsis sufficere vitã posset, sed vt hæc ciuilis administrationis ratio peculiaris à gentium quidem eos distinguat institutis, sed meorum beneficiorum in memoriam adducat. otio enim & cessatione à carnis operibus, dũ diuino cultui continenter vacarent, & diuina audirent eloquia, lucrum percipiebant cùm discerent ex ipsis diuinis eloquijs & effectorem omniũ Deum, & de omnibus benemeritum. non igitur simpliciter otium, vitæ auctor est, sed Dei assiduus cultus.

Et dixi, inquit, ad domum Israel in deserto, in præceptis meis ambulate, & irritauerunt me domus Israel, in deserto, in præceptis meis non ambulauerunt, & iustificationes meas proiecerunt, quæ faciet homo & viuet in eis. & sabbata mea polluerunt vehementer.

Et irritauerunt me domus Israel in deserto, in præ- Vulg. *ceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo viuet in eis.*

Rursus hîc quoque sabbatorum mentionẽ fecit, neque ea cum alijs iustificationibns coniunxit, neque enim hæc vt illæ vitam conciliant, sed quendam peculiarem reipublicæ administrandæ characterem continent. illud enim non mœchaberis, non occides, non furaberis & alia cum his coniuncta alios quoque homines naturæ lex edocuit. at sabbati obseruandi non natura magistra, sed latio legis. in alijs igitur cum alijs communione iũcti, in obseruatione sabbati propriam quandam videbantur obtinere rempublicam: nulla enim alia gens hoc otium obseruabat, neque circumcisio ita ipsos ab alijs distinguebat, vt sabbatum, quippe circumcisionem Idumæi quoque habebant, qui ab Esau genus ducebant, & Ismaelitæ similiter, Aegyptij item à Iudæis hanc edocti obseruare studebant, quod per prophetam Hieremiã Deus declarauit cùm dixit: Et visitabo super omnes circumcisos præputium ipsorum, super Aegyptum, & super Edõ, & quę sequuntur. sabbati vero obseruationem sola Iudæorum natio custodiebat. iccirco dixit Deus, quia sabbata mea dedi eis, vt sint in signum intra me, & inter ipsos, vt cognoscant quia ego Dominus sanctificans eos. commemorata igitur illorum in Aegypto contumacia, suaque longanimitate rursus earum legum quas tulit in solitudine & præceptorum mentionem fecit, & vt illi obedire recusantes ea violarunt. deinde docet iustam suam iram, & ineffabilem bonitatem. Hier. 9.

Et dixi vt effunderem furorem meum super eos in deserto vt consumerem eos, & feci vt nomen meũ omnino non violaretur coram gentibus, à quibus eduxi eos, ante oculos earum.

Dixi ergo vt effunderem furorem meum super eos Vulg. *in deserto & consumerem eos, & feci propter nomen meum ne violaretur coram gẽtibus, de quibus eieci eos in conspectu earum.*

Et

Exod. 32. Et hæc item diuinus docet Moyses cùm ait dixisse Deum, & nunc dimitte me, & iratus furore delebo eos, & faciam te in gẽtem magnã. deinde suam deprecationem exponit, & in fine adijcit, quia si percusseris eos audiet Aegyptus & dicet, eo quod non potuerit Dominus introducere eos in terram quam pollicitus est patribus eorum, consumpsit eos in deserto. hoc etiam declarauit hoc loco, cùm dixit, & feci vt nomen meum omnino non violaretur coram gentibus à quibus eduxi eos ante oculos earum. tum diffusius narrat, voluisse se omnes ipsos in deserto funditus perdere, vt qui iustificationes vitam subministrantes conculcassent, ac sabbata polluissent, rursusque separatim facta sabbatorum mentione subijcit.

Numer. 14.

Et pepercit ipsis oculus meus vt non delerem eos, & non feci eos in consumptionem in deserto.

Vulg. *Et pepercit oculus meus super eos, vt non interficerem eos, nec consumpsi eos in deserto.*

Diuersis enim supplicijs affectis improbis illis, liberos eorum qui tamen nihilo meliores ipsis erant euasuri, seruauit, & in promissam patrem tibus terram introduxit.

Et dixi inquit ad filios eorum in deserto, in legitimis patrum vestrorum ne ambulate, & iustificationes eorum ne custodite, & in institutis eorum ne commisceamini, ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & iustificationes meas custodite & facite eas, & sabbata mea sanctificate, & erunt in signum inter me & inter vos vt cognoscatis quia ego Dominus Deus vester.

Vulg. *Dixi autem ad filios eorum in solitudine in præceptis patrũ vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorũ custodiatis, nec in idolis eorum polluamini, ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite & facite ea, & sabbata mea sanctificate, vt sint signum inter me & vos, & sciatis quia ego sum Dominus Deus vester.*

Et filijs item ipsorum, inquit, à parentibus separatis doctrinæ præcepta dedi in solitudine, consuluique, vt à patrijs moribus descisce-rent, meumque dominium agnoscentes & mea præcepta sequerentur, & datas sibi iustificationes perficerent, sabbatique obseruatione peculiarem suam rempub. declararent, & per legem ducem ad legis latorem peruenirent. sed isti quoque has leges cõtempserunt. quod declarans adiecit.

Et irritauerunt me etiam filij ipsorum, in præceptis meis non ambulauerunt, & iustificationes meas non custodierunt vt facerent eas, quas faciet homo, & viuet in eis, & sabbata mea polluerunt.

Vulg. *Et exacerbauerunt me filij, & in præceptis meis nõ ambulauerunt, & iudicia mea non custodierunt, vt facerent ea, quæ cùm fecerit homo viuet in eis, & sabbata mea violauerunt.*

Deinde addit, ab istis quoque rursus impietatis pœnas sese exigere voluisse, alios in seruitutem abduci, alios interfici permittentẽ. hoc enim significauit, cùm dixit.

Et sustuli manum meam super eos in deserto, vt dispergerem illos in gentibus, & disseminarem eos in regionibus.

Vulg. *Iterum leuaui manum meam in eos in solitudine, vt dispergerem illos in nationes, & ventilarem in terras.*

Ne vero aliquid hinc detrimenti & Aegyptijs & Chananæis accideret, hoc inquit non feci, sed

Dedi eis præcepta nõ bona & iustificationes in quibus non viuent.

Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia Vulg. *in quibus non viuent.*

Quidam igitur hæc de idolorum cultu dicta acceperunt, dedi pro permisi, intelligẽtes. sed perspicuum est, eos nequaquam eorum quæ dicta sunt sententiam percepisse. impiam enim idolorum religionem nemo recte sentiens non bonam dixerit, sed admodum malam. non ergo sapientiæ fons, pietatis legis lator, impietatis accusator, extremã impietatem nõ bonam apellauit, quam malitiæ terminum vocat. alia igitur hæc innuit oratio, cùm enim dederim inquit iustificationes ipsis, quas faciet homo & viuet in eis. & per hæc intelligit, decem verba legis, à quibus migrarunt ipsi, atq; ea sine vllo metu aspernari perseuerarunt, alijs eos præceptis ostrinxi ac velut affixi, quæ vitã nullam ipsis ministrare poterant, sed sua obseruatione & in ipsis occupatione id efficiebant, vt necessarias leges illas violare desisterẽt, atque his innuit præcepta de lepra, de ossibus cadaueris, & morticino, & seminis fluxu laboranti, & de alijs huiuscemodi, & crebras propter hæc expiationes, & sacrificia, quæ pro his offeruntur. in his enim obseruandis illi occupati, non amplius necessarias illas & vtiles leges poterãt aspernari. iccirco non dixit dedisse se illis mala præcepta sed non bona. neq; enim vitium edocebant, neq; virtutis ipsa per se erant efficientia, sed crebro ad sacrum Dei templum aduentare & Deo presto esse cogebant. qui enim se pollutũ credebat, is ad expiationem accurrebat, ad quam cùm peruenisset, in Dei memoriam redibat, atque hæc ipsa memoria impiam mentem exterminans diuinas leges obseruandas persuadebat, ipsa igitur per se non bona, quæ diuino consilio haud consentiebant, sed eorum, quibus lex imponebatur, imbecillitati congruebant. non tamẽ ipsa pulchra neq; necessaria, sed ad bona & necessaria adducebãt. his subijcit.

Et polluam eos in donis, cùm traiecero ego omne aperiens vuluam, vt deleam eos, vt cognoscant quia ego Dominus.

Et pollui eos in muneribus suis, cùm offerrent omne Vulg. *quod aperuit vuluam, propter delicta sua, & scient quia ego Dominus.*

Hoc simile est illi, quod per beatum Dauid Psal. 80. à Deo dictum est: Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. vbi enim vidi ipsos ex meis præceptis vtilitatis nihil percipere permisi eos deinceps sua consilia persequi, haud sustinẽs eos gubernare. quod hic quoque declarauit cùm dixit, polluam eos in donis suis. sed apertius hoc Aquilas interpretatus est, qui dixit, & pollui eos in dogmatibus ipsorũ, cùm traducerent ipsi omne aperiens vuluam. permisi enim ipsos suis

inquinari institutis, cùm per ignẽ traducerent filios,& pueros primogenitos dæmonibus offerrent, dignas ipsis in reliquum pœnas infligens.

Iccirco loquere ad domum Israel, fili hominis & dices ad eos, hæc dicit Adonai Dominus, vsque ad hoc etiam ad iracundiam incitarunt me patres vestri, in delictis suis, in quibus deliquerũt in me. & introduxi eos in terram, in quam sustuli manum meam, vt darem eam ipsis, & viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum vmbrosum, & sacrificauerunt ibi dijs eorum, & posuerunt ibi furorem munerum suorum, & posuerunt illic odorem suauitatis suæ, & libauerunt illic libamina sua.

Vulg. *Quamobrem loquere ad domum Israel fili hominis & dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus. Adhuc & in hoc blasphemauerũt me patres vestri, cùm spreuissent me contẽnentes, & induxissem eos in terrã, super quã leuaui manum meam vt darem illam eis, viderunt omnẽ collem excelsum & omne lignum nemorosum, & immolauerunt ibi victimas suas & dederunt ibi irritationem oblationis suæ, & posuerunt ibi odorem suauitatis suæ, & libauerunt libationes suas.*

Non contenti fuerũt, inquit, in Aegypto mihi sua peruicacia restitisse, suisq; in deserto facinoribus, sed etiam ingressi in terram sibi promissam multa eam impietate cõplerunt, in omnibus collibus, nemoribusque constructis aris, impositisq; idolis, quibus & libamina, & sacrificia obtulerunt. illud autem, posuerũt ibi furorem munerum suorum, hoc est, iniquis suis illis donis iram meam concitarunt.

Et dixi ad eos, quid est Abama, vel vt Symmachus dixit, quid est Bama, id est excelsum, quia vos ingredimini illuc? & vocauerunt nomen eius Bama vsque in hodiernum diem.

Vulg. *Et dixi ad eos, quid est excelsum, ad quod vos ingredimini? & vocatum est nomen eius excelsum vsque ad hanc diem.*

Locus iste nobilis ex impietate erga idola factus est. dixit igitur ipsis, quodnam lucrũ inde percipitis? quæ vobis ab ipsa Bama vtilitas accidet, quam ita etiam illustrem reddidistis, vt cognomentũ quoque illius vsque ad præsens tempus stabile permaneat?

Iccirco dic ad domum Israel. hæc dicit Adonai dominus: si in iniquitatibus patrum vestrorũ vos polluimini, & post abominationes ipsorũ vos ambulatis, & in primitijs laborũ vestrorũ, & in separationibus vestris, in traducendis filijs vestris in igne vos polluimini, & in omnibus cogitationibus vestris vsq; in diem, & ego respondebo vobis domus Israel, si respõdebo vobis si ascendet in spiritum vestrum hoc.

Vulg. *Propterea dic ad domũ Israel, hæc dicit Dominus Deus, Certe in via patrum vestrorũ vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini, & in oblatione donorũ vestrorum cùm traducitis filios vestros per ignẽ, vos polluimini in omnibus idolis vestris vsq; hodie, & ego respõdebo vobis domus Israel, viuo ego dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis, neque cogitatio mentis vestræ fiet.*

Hoc speratis, inquit, vigẽte in repub. vestra patria iniquitate & impietate, & omnia ista, quę enarraui, audentibus vobis, responsum à me aliquod consecuturos vos esse. ne fallite vos ipsos; siquidẽ fieri nequit, vt vestris ego interrogationibus respondeam, quas audet impietas vestra. sed id vobis rebus ipsis persuadeo, vt istiusmodi quoque spem abijciatis. hoc enim significauit cùm dixit, & si ascendet in spiritum vestrum hoc.

Et non erit, quemadmodum vos dicitis, erimus sicut gentes & sicut tribus terræ, vt seruiamus lignis & lapidibus.

Dicentium, erimus sicut gentes & sicut cognationes terræ, vt colamus ligna & lapides. Vulg.

Verumtamen ne illud quidem vestrum ad exitum perducetur, vt similiter, sicut alię omnes gentes ligna & lapides Deos facientes ipsis Deo conueniens munus offeratis, & vsitato iureiurando rursus vsus est, nam secundum beatum Apostolum, cùm neminẽ habeat per quẽ iuret maiorem, ait, Hebr. 8.

Propterea viuo ego dicit Adonai Dominus, si non in manu forti, & in brachio excelso, & in furore effuso regnabo super vos.

Viuo ego dicit Dominus Deus, quoniã in manu forti & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. Vulg.

Non amplius enim vsitatam, inquit, longanimitatem adhibebo, sed regnum meum, meamque potestatem per castigationem enudabo: nam per manum fortem, & brachium excelsum potestatem simul, & vindicandi facultatem declarauit, deinde etiam modum castigationis docet.

Et educam vos de populis, & accipiam vos de regionibus, in quibus disseminati fuistis, in manu forti & in brachio excelso, & in furore succenso.

Et educam vos de populis & congregabo vos de terris in quibus dispersi estis, in manu valida, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. Vulg.

Primum enim ab ea captiuitate, inquit, quæ nunc vos detinet, in libertatem vindicabo, & in pristinam terram reducam.

Deinde adducam vos in solitudinem populorum, ibique iudicio disceptabo vobiscum facie ad faciem: quemadmodum iudicio disceptaui cũ patribus vestris in solitudine Aegypti, ita iudicabo vos dicit Adonai Dominus.

Et adducam vos in desertum populorũ, & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem, sicut iudicio contendi aduersum patres vestros in deserto terræ Aegypti, sic iudicabo vos dicit Dominus Deus. Vulg.

Desertum autem populum vocat, gentes olim à Deo destitutas, & per hoc præsignificauit, fore, vt pietate in gẽtes introducta, isti quoque ab idolorũ cultu desciscant, earũ gẽtium, quæ impię olim fuere, im mutationem erubescentes. illud autẽ, iudicio disceptabo vobiscũ facie ad faciem, reprehensionem illam declarat, quæ rebus fit. ipsæ enim res, inquit, tantum non exclamantes vestrã contumacem & iniquã mentem redarguunt, populorũ antiquitus destitutorum obedientiam præ se ferentes. sicut igitur cum patribus vestris in solitudine iudicio disceptans, funditus eos perdidi, ita vobis quoque inferam supplicium. quod apertius fecit, cùm ea dixit, quæ sequuntur.

Et transire faciam vos sub virga mea, & introducam vos in numero fœderis, & eligam ex vobis impios, & rebelles.

Vulg. *Et subijciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis, & eligam de vobis transgressores & impios.*

Impios enim, & quià legibus à me latis discesserint, adhibita virga dissipabo, eos vero, qui numero digni fuerint, quiq; meum fœdus obseruauerint, introducam, meaque prouidentia dignos censebo. atq; per hoc Apostolicum significauit chorum, & eos, qui diuino per eos præconio crediderint. deinde in improborũ comminatione commorans, adijcit.

Quia de terra incolatus eorum educã eos, & in terram Israel non ingredientur, & cognoscent, quia ego Dominus.

Vulg. *Et de terra incolatus eorum educam eos, & in terrã Israel non ingredietur, & scietis quia ego Dominus.*

Cùm enim à captiuitate eos reduxero, hos eosdem inquit impijs moribus vsos rursus in omnes gentes dissipabo. quod post saluatoris nostri crucem ad exitum perductum est, quippe cùm Romani ipsos in seruitutem redactos in omnem terrarum orbem dispersserint, à regia ipsorum vrbe deiectos; ita prædictis calamitatibus admonitionem rursus ipsis & consilium dat, clemens, suarum enim pollicitationum meminit, qui dixit nolle se mortem peccatoris, vt conuertatur ipse, & viuat. ait igitur.

Et vos domus Israel, hæc dicit Adonai Dominus. vnusquisque excogitationes suas auferte, & post hæc, si vos audieritis me, & nomen meum sanctum non pollueritis amplius in donis vestris, & adinuentionibus vestris, quia in monte meo sancto, in monte excelso Israel, dicit Adonai Dominus, illic seruient mihi omnis domus Israel, in finem in terra, & ibi suscipiam eos, & illic visitabo primitias vestras, & primitias separationum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris.

Vulg. *Et vos domus Israel, hæc dicit Dominus Deus: singuli post idola vestra ambulate & seruite eis, quod si & in hoc non audieritis me & nomen sanctum meum pollueritis vltra in muneribus vestris, & in idolis vestris in monte sancto meo, in monte excelso Israel ait Dominus Deus, ibi seruiet mihi omnis domus Israel, omnes inquam in terra, in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris.*

Si enim adduci volueritis vt obtemperetis, & desieritis polluere nomen meum sanctum, à me siquidem appellati & impie viuentes mu meraque idolis offerentes mihi impietatis conuitium inuritis, in patriam terram reducemini, & vsitatæ prouidentiæ meæ fructus percipietis grato animo perceptorum bonorum primitias offerentes, meque eas benigne accipere cernentes.

In odore enim bonæ fragrantiæ suscipiam vos, cùm eduxero ego vos de populis & suscepero vos de regionibus, in quibus dispersi fuistis, & sanctificabor in vobis ante oculos populorum, & cognoscetis quia ego Dominus, cùm introduxero vos in terram Israel, in terram in quam sustuli manum meam, vt darem eam patribus vestris.

In odorem suauitatis suscipiam vos, cùm eduxero vos de populis, & cõgregauero vos de terris, in quas dispersi estis, sanctificabor in vobis in oculis nationum, & scietis quia ego Dominus cùm induxero vos ad terram Israel, in terram pro quã leuaui manum meam, vt darem eam patribus vestris. Vulg.

Illud autem sanctificabor, posuit vt ita intelligatur. omnes enim videntes & mea beneficia, & vestram animi grati æquitatem, vtilitatem multam percipiẽt, eorum quos ipsi deos vocant imbecillitatem cernentes, & meam ex beneficijs in vos collatis potestatem contemplantes.

Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & adinuentionum vestrarum omnium in quibus polluti estis, & percutietis facies vestras, in omnibus malitijs vestris quas fecistis.

Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis, & displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitijs, quas fecistis. Vulg.

Agnitio enim peccati pudoris est initium, iccirco conscientia stimulante frontem percutere consueuimus, & hoc etiam his significauit. cùm enim recesseritis, inquit, à pristina iniquitate, & meum fueritis cultum amplexati, meam consecuti prouidentiam pristinorum scelerum impiorum percipietis sensum, & facies percutietis, quantis polluti sitis facinoribus ratiocinantes.

Et cognoscetis quia ego Dominus cùm fecero ego sic vobis, vt nomen meum ne violetur, non secundũ vias vestras malas, neque secundum adinuentiones vestras corruptas domus Israel, dicit Adonai Dominus.

Et scietis quia ego Dominus cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundum vias vestras multas, neque secundum scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus. Vulg.

Hac autem cura, inquit, vos dignos censebo alios etiam omnes homines per meum in vos beneficium studẽs ad meam cognitionem traducere. neque enim vos clementia aut venia digni estis, in impijs institutis educati. Cũ igitur didicerimus, quàm impium sit nomen Domini polluere, caueamus ne Domino conuitium inuramus, qui enim ab ipso eius nomine dignati sunt, seque indignos eo ciues prębent, in repub. degentes, ad eius conuitia stultorum concitant linguas. quod etiam de Iudæis dicebat Deus, Et polluistis nomen meum in gentibus, cùm diceretur vobis populus Domini ipsi, & de terra eius egressi sunt: nos autem idem quoque quod Dominus cognomen obtinuimus, siquidem à Christo nominamur. iccirco decet omnes nos secundum Apostolicam legem, siue manducemus, siue bibamus, siue aliud quid faciamus, omnia in gloriam Dei facere, & sine offensione esse Iudæis & gentibus & ecclesiæ Dei, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen Ezech. 36. 1. Cor. 10.

SECTIO VIII.

Et factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis firma faciem tuam super theman, & respice ad

ad darum & propheta ſuper quercetum, ducē nagem.

Vulg. *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: fili hominis pone faciem tuam contra viam auſtri, & ſtilla ad africum, & propheta ad ſaltum agri meridiani.*

Theman græcæ linguæ meridies eſt, & darum liba ſignificat, nagem vero notum. & ita Symmachus interpretatus eſt, fili hominis firma faciem tuam ſuper notum viam libis, & propheta de ſilua in regione meridiana. & his omnibus innuit ipſam Hieruſalem, ad auſtrum enim & meridiem & liba Babylonis ſitum habet Hieruſalem. & quia non recta ad meridiem ſita eſt, ſed parumper vergit ad occidentem, neceſſario etiam liba talem ſitum habentem appoſuit, quercetumque ducem appellauit Hieruſalem, & propter fructuum ſterilitatem, tale enim eſt quercetum, & propter mentis duritiam, talis enim eſt quercus natura, & præterea, quia non ordine conſita ſunt in querceto ligna, ſed multa eſt in illis confuſio, & inſuper, quia ferarum receptaculum eſt quercetum. & hæc omnia facile inuenientur id temporis in Hieruſalem fuiſſe.

Et dices ſiluæ nagem, audi verbum Domini, hæc dicit Adonai Dominus, ecce ego accendo in te ignem, & deuorabit in te omne lignum viride, & omne lignum aridum non extinguetur flamma ſuccenſa.

Vulg. *Et dices ſaltui meridiano, audi verbum Domini hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum non extinguetur flamma ſuccenſionis.*

Commoratus eſt in tranſlatione, & cùm ſyluam Hieruſalem vocarit, iure etiam hoſtium exercitum ignem nuncupat, & ligna combuſta eos, qui ab ipſis interfecti ſint, lignumque viride, & lignum aridum, & diuitijs elatos, & pauperie oppreſſos. deinde docet, interiectas quoque gentes calamitatis participes futuras, ait enim.

Et comburetur in ea omnis facies ab apeliote, vſque ad aquilonem, & cognoſcet omnis caro quia ego Dominus ſuccendi ea & non extinguetur.

Vulg. *Et comburetur in ea omnis facies ab auſtro vſque ad aquilonem, & videbit vniuerſa caro, quia ego Dominus ſuccendi eam nec extinguetur.*

Illud ab Apeliote, Symmachus rurſus à meridie interpretatus eſt, & docet à Chaldęorum terra vſque ad Hieroſolyma, ſe adhibiturum exercitus ignem, & interiectas gentes conſumpturum, vt ſaltem calamitate docti diſcant omnes ipſum eſſe, qui cuncto dominetur orbi terrarum.

Et dixi nequaquam Adonai Domine, ipſi dicunt ad me, nonne parabola hæc eſt quæ dicitur?

Vulg. *Et dixi A, a, a, Domine Deus ipſi dicūt de me, numquid non per parabolas loquitur iſte?*

His ita dictis, inquit, ego quidem populi incredulitatem Domino indicaui cùm dixi, eos opinari parabolam, non autem vera eſſe quæ dicerentur. ipſe vero deinceps Dominus quæ parabolice dicta fuerant, apertius me proferre iuſsit, & ita ait.

Cap. 21. *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens, iccirco propheta fili hominis, & firma faciem tuam ſuper Hieruſalem, & reſpice ad ſancta eorum, & propheta de terra Iſrael.*

Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens, fili hominis pone faciem tuam ad Hieruſalem, & ſtilla ad ſanctuaria, & propheta contra humum Iſrael. Vulg.

Quando enim parabolam omnino, inquit, & non veritatem eſſe ea quæ dicta ſunt opinantur, indicato ipſis aperte, Saltum Nagem, hoc eſt, meridianum & auſtralem, ipſam eſſe Hieruſalem.

Et dices ad terram Iſrael, Hæc dicit Adonai Dominus, ecce ego ad te, & extraham gladium meum de vagina ſua, & exterminabo ex te iuſtum & iniquum.

Et dices terræ Iſrael, hæc dicit Dominus Deus, ecce Vulg. *ego ad te & eiiciam gladium meum de vagina ſua, & occidam in te iuſtum & impium.*

Perſpicuum eſt ab eo gladium vocari ſupplicium. vaginam vero hoc eſt gladij thecam longanimitatem appellat, quam cùm deſinit adhibere, apertum deinceps ijs, qui commeruere, infertur ſupplicium. iuſtaſque oſtendens pœnas, recte appoſuit, exterminabo ex te iuſtum & iniquum. tū docet, quæ alijs quoque interiectis gentibus illo tempore ſint euentura.

Eo quod exterminabo ex te iuſtum & iniquum, ita egredietur gladius meus de vagina ſua, & non reuerteretur amplius.

Pro eo autem quod occidi in te iuſtum & impium Vulg. *iccirco egredietur gladius meus de vagina ſua ad omnem, ab auſtro vſque ad aquilonem, vt ſciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina ſua irreuocabilem.*

Propter ſcelera enim tua, inquit, veluti gladium quendam è vagina educens Chaldęorum exercitum eiſdem pœnis afficiam eos quoque qui inter te & Chaldæos interiecti ſunt, idque efficiam vt omnes experientia docti omnia eſſe in poteſtate mea ſita cognoſcant, meque iure eos in talem calamitatem iniciſſe.

Et tu fili hominis ſuſpira in contritione lumbi tui, & in doloribus gemes ante oculos ipſorum.

Et tu fili hominis ingemiſce in contritione lumbo- Vulg. *rum, & in amaritudinibus ingemiſce coram eis.*

Conſequatur, inquit, ea quæ dicuntur, tua quoque animi affectio qua adduceris ad miſericordiam, & doceto eos tuis ſuſpirijs vera eſſe quæ dicantur.

Et erit ſi dixerint ad te, propter quid tu gemis? & dices: ſuper nuncium, quia venit & frangetur omne cor, & diſſoluentur omnes manus, & refrigeſcet omnis caro, & omnis ſpiritus & omnia ſemora polluentur humore. ecce venit & erit dicit Adonai Dominus.

Cumq; dixerint ad te quare tu gemis? dices, pro au- Vulg. *ditu quia venit, & tabeſcet omne cor, & diſſoluentur vniuerſa manus, & infirmabitur omnis ſpiritus, & per cuncta genua fluent aquæ, ecce venit, & fiet ait Dominus Deus.*

Te, inquit, ſuſpirantem neceſſario interrogabunt cupientes doloris cauſam cognoſcere percontantibus igitur reſponde: quia futura prouidens mala, moleſtosque nuncios, atque hinc

hinc omnibus iniectum terrorem, ſuſpiro ac ploro cognatorum meorum calamitates.

Et factum eſt verbum Domini ad me dicens, fili hominis propheta & dices, hæc dicit Adonai Dominus, dic: gladius, gladius, acuere, & iraſcere, vt iugules iugulationes, acuere vt ſis in ſplendorem paratus in diſſolutionem, iugula, deſpice, reijce omne lignum.

Vulg. *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens, fili hominis propheta & dices, hæc dicit Dominus Deus, loquere gladius, gladius exacutus eſt & limatus, vt cædat victimas exacutus eſt, vt ſplendeat limatus eſt: qui mones ſceptrum filij mei ſuccidiſti omne lignum.*

Gladium rurſus per tranſlationem ſuppliciū vocat, per Babylonios & Iudæis, & alijs interiectis gentibus illatum, mihique videtur ipſe cùm præcipit acuere, nitidum reddere, iugulare, & omne lignum radicitus euellere, docere ſuo permiſſu hæc fore, & non propter Babyloniorum potentiam, ſed propter ſuam virtutem, hęc omnia perfectum iri. tale eſt etiam, quod in Deuteronomio ab ipſo Deo dictum eſt, Quoniam acuam vt fulgur gladium meum, & arripiet iudicium manus mea, & vlciſcar, & reddam vltionem hoſtibus, & odientibus me retribuam: inebriabo ſagittas meas à ſanguine & gladius meus deuorabit carnes. in his enim gladium quoque & ſagittas puniendi facultatem appellauit, debitas à reis exigens pœnas. deinde ſubijcit.

Et dedit eum paratum, vt teneret manum eius, exacutus eſt, gladius paratus eſt, ad dandum eum in ma-
Vulg. *nus occidentium.*

Et dedi eum ad leuigandum vt teneatur manu, iſte exacutus eſt gladius, & iſte limatus eſt in manu interficientis.

Hunc enim paratum gladium, inquit, commiſit ijs, qui ad puniendū idonei ſunt, & Chal
Eſa. 10. dęos ſignificat. ſimile eſt illud etiam apud Eſaiam à Deo in Babylonium ſiue Aſſyrium dictum. numquid gloriabitur ſecuris ſine incidente cum ea? aut exaltabitur ſerra ſine trahente eam? ſimiliter ſi quis extulerit virgam, vel
Ibidem. lignum. & rurſus: væ Aſſyrijs, virga furoris mei & iræ meæ eſt in manibus eorum. quam igitur virgam ad caſtigandum idoneam, & ſecurim, & ſerram, inſtrumenta, quæ plantas deſtruendi vim habeant, illic appellauit, hic gladium nuncupauit acutum nitidumque factū propter eorum, qui puniantur, ſupplicium, Babylonijs quaſi quibuſdam carnificibus traditum. atque hoc ſupplicium ſupra quoque ignē vocauit: multis nominibus eos deterrere, & ad pœnitentiam cupiens adducere, qui ſunt impietati penitus addicti. His ſubijcit.

Exclama, & vlula fili hominis, quia hic factus eſt in populo, in omnibus ducibus Iſrael, qui prope habitabāt mihi in gladium facti ſunt cum populo meo.

Vulg. *Clama & vlula fili hominis, quia hic factus eſt in populo meo, hic in cunctis ducibus Iſrael, qui fugerant, gladio traditi ſunt cum populo meo.*

Quid huius ſimile bonitatis? iuſte punit, & lugere prophetam iubet, non enim libens punit, ſed populi ſcelere coactus. præcipitq; prophetæ, vt quaſi mulier, admiretur, quia non ſolus populus, ſed etiam eius principes gladio necati ſunt. & quod omnium maxime moleſtum, qui habitabant prope me, inquit, in gladium facti ſunt cum populo meo, cùm enim ſacerdotes ſcelerum populi participes fuiſſent, participes item fuere ſupplicij, hoc ſiquidem prope habitantes nominauit, vt qui intus in ſacro Dei templo degerent, quibuſque ſacrificiorum miniſterium commiſſum eſſet.

Iccirco plaude ſuper manum tuam, quia iuſtificatus eſt, & quid ſi etiam tribus repulſa fuerint? non erit dicit Adonai Dominus.

Iccirco plaude ſuper femur, quia probatus eſt, & Vulg. *hoc cùm ſceptrum ſubuerterit, & non erit dicit dominus Deus.*

Manuum plauſu, inquit, ſignificato calamitatis exuperantiam, & admirator iuſtas pœnas, neque enim mediocris ijs, qui relicti fuerint ab hoc ſupplicio vtilitas acciderit. principiū enim hoc ipſius iuſtificationis conſtituetur. nam tametſi nunc reiecta fuerit, ab alijs gentibus ſeparata tribus & per hoc omne Iudaicum populum ſignificat, attamen rurſus erit, conſequeturque vt in priſtinum ſtatum reuocetur. ſatis eſt enim ad ea confirmanda quæ dicuntur, ipſum hæc herum & dominum dicere.

Et tu fili hominis propheta & plaude manum ſuper manum & duplica gladium, tertius gladius interfectorum eſt gladius, interfectorum magnus.

Tu ergo fili hominis propheta, & percute manu Vulg. *ad manum & duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum, hic eſt gladius occiſionis magnæ.*

Tertium gladium vocat eum exercitum, qui nono regni Sedeciæ anno contra Hieruſalē profectus eſt, verū numero quidem ea profectio quarta eſt, ſed quia ea quæ regnante Iechonia ſuſcepta expeditio eſt, incruenta fuit, vltro enim egreſſus eſt rex ad Nabuchodonoſor, cum matre & vxore & principibus eius, & ita captiuus abductus eſt in Babylonem, merito tertium vocat gladium, cum regnante Sedecia exercitus eſt cò profectus, congreſſus & prælia non ſimpliciter hoſtiles numerans incurſus, iccirco etiam dicit: tertius gladius occiſorum eſt magnus. deinde docet curnam iubeatur manibus plaudere.

Et obſtupeſcere facies eos vt frangatur cor eorum, & multiplicentur ægrotantes ſuper omnem portam eorum, & traditi ſunt in iugulationes gladij.

Qui obſtupeſcere eos facit & corde tabeſcere, & Vulg. *multiplicat ruinas, in omnibus portis eorum dedi conturbationem gladij acuti.*

Et fac, inquit, & dic omnia, quæ eis queant terrorem inijcere, vt eorum corda frāgantur, hoc eſt vt molliatur ac veluti conteratur aduerſaria cordis eorū contentio calamitatum prædictione. ſatis eſt autem ad eos perterrendos, cùm dixit eos interfectum iri, & plenas futuras omnes portas occiſorum. deinde quadā proſopopœia ſuo pmiſſu ea fieri ſignificat.

Bene acutus fuit in cædem, bene fuit in fulgorem, ſicut fulgur incede, acuere à dextris & ſiniſtris, quocunque facies tua excitetur.

Acuti, & limati ad fulgendum amicti ad cædem, Vulg. *exacuere vade ad dexteram ſiue ad ſiniſtram, quocunque faciei tuæ eſt appetitus.*

Anceps, inquit, gladius vtrinque acutus, bene admodum in cuſpidem exacutus, fulguris inſtar ſplendores emittens, quare in vtramuis partem, inquit, ſecede ſiue ad dextram, ſiue ad ſiniſtram, habebis enim me quoque tibi auxilium ferentem. quod declarauit, cùm ſubiecit.

Et ego autem plaudam manum meam ſuper manum, & immittam furorem meum, ego Dominus locutus ſum.

Vulg. *Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam, ego Dominus locutus ſum.*

Propterea etiam beatus Hieremias dicebat, Hiere. 10. Noui domine quia nõ eſt hominis via eius, neque ambulabit vir & diriget viam ſuam. Vulg. Scio Domine quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos. docens hui uſcemodi abſque ſuperno Dei auxilio, aut permiſſu fieri nihil, qui quidem ea efficit quæ decent, alia diuerſo adminiſtrationis ſuæ more permittit, & libero hominis concedens arbitrio, & in hunc modum peccatorum exigens pœnas.

Et factum eſt verbum Domini ad me dicens: & tu fili hominis, diſpone tibi ipſi duas vias, vt ingrediatur gladius regis Babylonis, é regione vna egrediẽtur duo imperia, præpara manum pungentem in initio viæ vniuſcuiuſque ciuitatis, pungentem in principio viæ ordinabis, vt ingrediatur gladius ad Rhabath filiorum Ammon, & ad Iudæam in Hieruſalem.

Vulg. *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens, & tu fili hominis pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis, de terra vna egredientur ambæ, & manu capiet coniecturam, in capite viæ ciuitatis conijciet, viam pones, vt veniat gladius ad Rabbath filiorum Ammon, & ad Iudam in Hieruſalem munitiſſimam.*

Tanquam in imagine inquit deſcribito viam vnam in duas

Partes diuiſam, quarum altera recta ferat ad Hieruſalem, altera vero ad Rhabath filiorũ Ammon pertineat.

Nam quia Nabuchodonoſor à Babylone profectus & contra Iudæã, & contra Ammanitas exercitum duxit, per prophetam hęc Deus prædicit. Rhabath autem filiorum Ammõ dixit, quandoquidem altera quoque eſt, cognominis ipſius quę Amman dicitur, & hãc ipſam, quæ dicitur Amman, aiunt aliqui eam eſſe, quæ nunc in Arabia Philadelphia vocatur, quę vſque ad pręſens tempus Amman indigenarum lingua appellatur. His adijcit.

Iccirco ſtabit rex Babylonis in antiquam viam, in initio duarum viarum, ad diuinandum diuinationem vt aſcendere faciat virgas, & interroget in ſculptilibus, & iecur exploret.

Vulg. *Steit enim rex Babylonis in biuio in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiſcens ſagittas, interrogauit idola, exta conſuluit.*

Occupata enim via, inquit, in duas partes diuiſa, quarum altera in Iudęam, altera in Rhabath ducit: quę per virgas fit diuinatione vtetur, & itidem victimarum extiſpicio, ſcire cupiens, quò primum ſibi ſit cum exercitu proficiſcendum, & cùm hæc inquit ab eo fierent,

A dextris eius facta eſt diuinatio ſuper Hieruſalẽ, vt circumdet vallum, & aperiat os in clamore, & exaltet vocem cum clamore tubæ, & ponat vallum contra portas eius, & iaciat aggerem, vt ædificet munitiones.

Ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Hieru- Vulg.
ſalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde, vt eleuet vocem in vlulatu, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt ædificet munitiones.

Illud ſcire oportet, eorum quæ futura ſunt dæmones ſcire nihil, ſed è rebus coniecturam capientes prædicere conantur, & aliquãdo recta feruntur, ſæpius vero aberrant. & hoc non ſolum à rebus ipſis licet intelligere, ſed etiam à diuina ſcriptura docti ſumus. cùm enim per Sedeciam pſeudoprophetam ipſi Achaab victoriam prædixiſſent, à veritate exciderũt, neque enim prælio tantum victus, ſed etiam interfectus fuit. Hic vero & datam Iſrael legem non ignorantes & eos cernentes aliter adminiſtrare rempub. quam ſibi legibus præſcriptum eſſet, & inſuper propheticas prædictiones exaudientes diuinam indignationem docebantur. Hanc igitur etiam per vaticinia impio regi præſignificabant, prius eſſe cùm exercitu ad Hieruſalem proficiſcendum, & vallis atque aggeribus vtendum, aliaſque omnes machinas ad oppugnandum idoneas adhibendas. verum cùm hæc ab iſto fiant, qui obſidentur contemnunt, non virtũte freti, ſed indolentiæ morbo laborantes. idque docens dixit.

Et ipſe eis diuinans diuinationes coram ipſis, hebdomazontes hebdomadas ſibi.

Eritq; quaſi conſulens fruſtra oraculum in oculis Vulg.
eorum, & ſabbatorum otium imitans.

Ita, inquit, affecti ſunt, quaſi vaticinia ipſis bona ſignificent, hoc enim innuit per illud coram ipſis. hoc eſt, quaſi pro ipſis vaticinia facta ſint, & vt hebdomada hebdomadũ celebrantes ita degunt. hæc autem vna erat ipſis ex tribus maximis celebritas, ſed eorum opiniones res ipſæ haud conſequentur.

Et ipſe enim commemorans inquit iniuſtitiam eorum, vt capiantur.

Ipſe autem recordabitur iniquitatis ad capien- Vulg.
dum.

Memoria enim improbitatis illorum cauſa erit, vt capiantur ipſi.

Iccirco hæc dicit Adonai Dominus, pro eo quod recordati eſtis iniuſtitias veſtras, cùm reuelaretur impietates veſtræ, vt viderentur peccata veſtra in omnibus iniquitatibus veſtris, & in omnibus inſtitutis veſtris, pro eo quod recordati eſtis in iſtis capiemini in ipſis.

Iccirco hæc dicit Dominus Deus, pro eo quod recor- Vulg.
dati eſtis iniquitatis veſtræ, & reuelaſtis prævaricationes veſtras, & apparuerunt peccata veſtra in omnibus cogitationibus veſtris, pro eo inquam quod recordati eſtis, manu capiemini.

Vos inquit & hoſtium confidentiæ & dæmonum veritatis auctores fuiſtis, veſtrorum enim inſtitutorum improbitas, & impietatis

tis exuperantia, & mea vos gratia orbauit, & in hoſtium poteſtatem redegit, qui per vaticinium in vos cum exercitu inuadentes videnti vaticinijs res ipſas reſpondere. cùm igitur vos illorum veritatis auctores fueritis, merito capti ſupplicio afficiemini. hinc ad principes digreditur, & regem & ſacerdotes, aitque.

Et tu, profane, inique dux Iſrael, cuius venit dies in tempore iniquitatis finis, hæc dicit Adonai Dominus, auſer cidarim, & repelle coronam, ipſa non talis erit?

Vulg. *Tu autem profane impie dux Iſrael, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita, hæc dicit Dominus Deus, auſer cidarim, tolle coronam, nonne hæc eſt?*

Tu quidem inquit ſacerdos propter improbitatem ſacerdotali cidari ſpoliatus fuiſti, tu autem rex impietati addictus te ipſum corona priuaſti, vtrumq; igitur imperium ſua deponat inſignia. hęc enim obſeſſio ſuperioribus haud ſimilis eſt, finis ſiquidem veſtro regno impoſitus eſt, cauſamq; docens.

Humiliaſti inquit excelſum, & exaltaſti humile iniuſtitia.

Vulg. *Quæ humilem ſubleuauit, & ſublimem humiliauit.*

Aſcita enim tibi ſocia iniuſtitia, quod excelſum erat propter virtutem, depreſiſti, & quod humile erat propter iniuſtitiam, verbis exuliſti corrupto iure. ideo ait,

Iniuſtitiam, iniuſtitiam ponam eam.

Vulg. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam.*

Hac de cauſa, inquit, iniuſtitiæ iſtius abs te pœnas exigam, deinde ſubijcit.

Neq; hæc tali erit, donec venerit, cui congruit, & tradam ei.

Vulg. *Et hoc non factum eſt, donec veniret, cuius eſt iudicium, & tradam ei.*

Superiorum enim oppugnationum, inquit, hæc grauior erit, non tamen penitus extinguam regiæ cognationis ſcintillam, quoad venerit, ad quem attinet, cuique conuenit, & ipſi tradam regnum. Hoc item beatus Paulus
Gal. 3. ait, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. & Ia-
Gen. 49. cob item patriarcha Iudæ benedicens dixit, non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus eis, donec veniat, cui repoſitũ eſt, & ipſe expectatio gentium. Igitur hîc quoque domini Chriſti regnum innuit cùm dixit, neque hæc talis erit, donec venerit, cui congruit, & tradam ei. nam tametſi obſidionem ſuſtinuit, & depopulationem Hieruſalem à Nabuchodonoſor, non tamen talem, qualem pertulit à Romanis poſt ſalutarem crucem. poſtquam enim primo capta fuit, cùm ſeptuaginta tranſiſſent anni, rurſus inſtaurata eſt, & priſtinam recepit felicitatem: ſed poſt ſalutarem crucem extremam ſubijt ſolitudinem, ipſiq; Iudæi ne aſcendere quidem audent ad fines illos lege prohibiti, iccirco dixit, neque hæc talis erit, hoc eſt, qualis futura. Seruabo enim genus, donec veniat, cui conuenit, & tradam ei. cùm enim apparuerit ille, inquit, in quem pollicitationes referuntur, tunc tradito ipſi regno, iſtos exterminabo. Hinc contra Ammanitas prophetiam conuertit, qui male erga Iudæos animati in illorum calamitates inſultabant.

Et tu fili hominis propheta, & dices, Hæc dicit Adonai dominus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorũ, & dices, Gladius gladius extractus ad occiſiones, & enſe datus ad conſumptionem, excitare vt ſplendeas in viſione tua vana, & in diuinando mendacia.

Et tu fili hominis propheta & dic, hæc dicit dominus Vulgata.
Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum, & dices, mucro, mucro euaginate ad occidendum, limate vt interficias & fulgeas: cùm tibi viderentur vana, & diuinarentur mendacia.

Vaticinatus autem eſt non gladijs, ſed ij, qui eo vſi ſunt, falſumque vaticinium, & viſionem appellauit, tanquam à veritate alienum. nam tametſi vera tunc præſignificabat, at diuinis Prophetis diuinam ſententiam prænunciantibus quæ ab illis audiuit, ea ante indicare, viſus eſt. Improbitati enim addicti peſsimi dæmones Nabuchodonoſor per vaticinia, quæ à Prophetis acciperent, renunciabant, & Iudæis per falſos Prophetas contraria prædicebant, pacẽ ipſis & hoſtium fugam pollicentes, vt Deo nõ obedientes, & reſiſtentes, vſitataq; prouidentia orbati, hoſtibus ab ipſa iuſtitia traderentur, & vera ipſorũ declararẽtur oracula. cùm ita præceperit gladio, vt imponeretur in ceruicibus eorum, qui iniuſte, impieq; vixiſſent, quaſi aduenerit exitus & finis ipſorum, eidem gladio hæc imperat.

Reuertere in vaginam tuam, ne deſieris in loco iſto, vbi fuiſti, in terra propria tua iudicabo te.

Vt daretis ſuper colla vulneratorum impiorũ, quo- Vulg.
rum veniet dies in tempore iniquitatis præfinita. reuertere ad vaginam tuam in locum, in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te.

Vos autem inquit ò Babylonij, quos gladiũ voco, qui hæc feciſtis quæ præcepi, non hic ſed in propria terra impietatis pœnas à vobis repetam.

Et effundam ſuper te iram meam, in igne iracundiæ meæ inſufflabo in te.

Et effundam ſuper te indignationem meam, in igne Vulg.
furoris mei ſufflabo in te.

Diuinæ potentiæ facultatem his declarauit, ſicut enim facile eſt, inquit, inſufflare, ita proſixum & admodum & promptum eſt, omnis te generis afficere ſupplicio.

Et tradam te in manus virorum barbarorum fabricantium interitum, in igne eris cibus. ſanguis tuus erit in medio terræ tuæ, non erit tui memoria. quia ego dominus locutus ſum.

Daboq; te in manus hominum inſipientium, & fa- Vulg.
bricantium interitum, igni eris cibus. ſanguis tuus erit in medio terræ, obliuioni traderis, quia ego dominus locutus ſum.

Per hæc innuit cùm Medi & Perſæ in Babylonem inuaſerunt, qui omne machinarum genus ad mœnia, quæ obſidebant, admouerunt, & noctu, in ipſa celebritate, intra vrbẽ ingreſſi, omnẽ quidem ciuitatẽ ſubegerunt, plurimam

vero partem combusserunt, ac sanguine & domos & vias omnes complerunt.

Et factum est verbum domini ad me dicens, an iudicas ciuitatem sanguinum? an ostendis ei omnes iniquitates eius? & dices, hæc dicit Adonai dominus.

Vulg. *Et factum est verbum domini ad me dicens, & tu fili hominis nonne iudicas ciuitatem sanguinum? & ostendis ei omnes abominationes suas? & dices: hæc dicit dominus deus.*

Traduxit rursus orationem ad Hierusalem, prophetæq; præcipit vt iudicis instar redargtiat, quæ ipsa scelerate audet facinora, ipsamq; ciuitatem sanguinum vocat, vt quę multas iniusta fecerit cædes, quamobrem rursus eisdem nominibus appellat, exclamatque his verbis.

O ciuitas effundens sanguinem in medio eius, vt veniat tempus eius, & faciens cogitationes contra se ipsam, vt se ipsam polluat.

Vulg. *Ciuitas effundens sanguinem in medio sui, vt veniat tempus eius & quæ fecit idola contra semetipsam, vt pollueretur.*

Tu inquit attrahis calamitates, ô ciuitas, quę commenta meditata, ea in actum perducis, & his pollueris, iniustoq; sanguine expleris. tempus autem calamitatem nuncupauit.

In sanguinibus tuis, quos effudisti, deliquisti, & in cogitationibus tuis, quas fecisti, polluta es, & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum.

Vulg. *In sanguine tuo, qui à te effusus est, deliquisti, & in idolis tuis quæ fecisti polluta es, & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum.*

Tempus enim certa quadam mensura præfinitum secundum diuinam longanimitatem, iniquitas amplior effecta contrahit, quod etiam factum fuisse Noe tempestate videre licet. cùm enim centum & viginti annorum tempus hominibus illis, qui tũc viuebant, ad pœnitentiam præfinisset, conspicatus eorum impietatem augescere, præfinitum tempus illud contraxit, & anno centesimo, per diluuium supplicium illis infixit. Hoc etiam hîc innuit, cùm dixit, & appropinquare fecisti dies tuos, & adduxisti tempus annorum tuorum, deinde scelerum fructus recenset.

Propterea dedi te in opprobrium gentibus, & in illusionem omnibus regionibus appropinquantibus ad te, & ijs, quæ procul absunt à te.

Vulg. *Propterea dedi te opprobrium gẽtibus & irrisionem vniuersis terris quæ iuxta sunt, & quæ procul à te.*

Hac de causa te, inquit, eiusmodi reddam, cui gentes illudant, quamque irrideant omnes finitimi, & propter te incolentes, insuper etiam ij, qui procul habitant.

Et illudent tibi, & clamabunt in te, impura, nominata est multa in iniquitatibus tuis.

Vulg. *Triumphabunt de te, sordida, nobilis, grandis interitu.*

Insultantes enim in tuas miserias, impuram te & iniquam, & improbitate insignem nominabunt. deinde scelerum species enumerat.

Ecce duces domus Israel vnusquisq; ad cognatos suos commisti sunt in te, vt effundant sanguinem.

Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt Vulg. *in te ad effundendum sanguinem.*

A principibus exorsus est accusationem, vtpote cùm subiecti populi principes sequantur, capite enim male affecto, necesse est, vt corpus illius ægrotationis particeps fiat. ait igitur, à cognatis eos nihil abstinere, sed cognationis iura confundere iniustas cædes perpetrantes. quin etiam

Patri, inquit, & matri maledicebant in te.

Patrem & matrem contumelijs affecerunt in te. Vulg.

Et hoc etiam vnum est ex ijs, quæ lege sunt interdicta.

Et ad proselytum, inquit, auertebant, in iniustitia in te.

Aduenam calumniati sunt in medio tui. Vulg.

Et hoc item lex prohibuerat, quæ ita dicit, Aduenam non affligetis, quia aduenæ fuistis in terra Aegypti. ab ijs quæ passi estis, inquit, discite humanitatem. sed hanc quoq; legem sine metu violabant, deinde & aliam. Exod. 22.

Pupillum & viduam opprimebant in te.

Pupillum & viduam contristauerunt apud te. Vulg.

Omnia autem contrà bonus lege præcipit Deus, Iudicate enim pupillum inquit, & viduã iustificate. & in lege: non iterum vindemiabis vineam tuam, & erit pupillo, & viduæ, & aduenæ: isti autem non modo ipsis non communicarunt, sed male quoque tractarunt, & alia hoc grauiora commiserunt. Deut. 24.

Et sancta mea spernebant, & sabbata mea polluebant in te.

Sanctuaria mea spreuistis, & sabbata mea polluistis. Vulg.

Meas enim leges inquit prosternebant, & diem illum qui quiete à laboribus honoratur, impijs operibus contumelia afficiebant. & his magis impia,

Viri latrones fuerunt in te, vt effunderent sanguinẽ, in montibus comedebant in te.

Viri detrectatores fuerunt in te, ad effundendum Vulg. *sanguinem, & super montes comederunt in te.*

Improbitati enim addictos, homicidas, & sanguinarios, & in montibus dæmonas colentes, quiq; templis idolorũ cultui dedicatis gloriarentur, habebas in te vitam traducentes.

Et impia faciebant, inquit, in medio tui.

Scelus operati sunt in medio tui. Vulg.

Deinde horum vnumquodq; narrat.

Verecundiam patris discooperuerunt in te, & in immunditijs sedentem humiliabant in te.

Verecundiora patris discooperuerunt in te, immun Vulg. *ditiam menstruatæ humiliauerunt in te.*

Cum nouercis, inquit, commiscebant corpus. hoc enim reuelàtionem turpitudinis patris appellauit. ita enim hoc ipsum in lege nuncupauit, Turpitudinem enim vxoris, inquit, patris tui non discooperies, turpitudo enim patris tui est. cùm enim lasciuissimi essent & admodum incontinentes, ne à mulieribus quidẽ quæ fluxu menstruo laborarent, quod non solum est contra legem, sed etiam maxime impurum, abstinebant. deinde inaccusanda libidine commoratur.

Vnusquisque in vxorem proximi sui inique agebat, &

& vnusquisque nurum suam polluebat in impietate.

Vulg. *Et vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefarie.*

Hoc autem iniquitatis est incrementum, neque enim æquale est cum aliena vxore miscreri, & proprij filij nuptijs insidiari, sed quanto fornicatione adulterium grauius, tanto adulterio cum nuru consuetudo sceleratior.

Et vnusquisq; sororem suam filiam patris sui humiliabat in te.

Vulg. *Frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te.*

Et hic item aperte ostendit scelcris exuperantiam, ex vno parte natos arguens, virum & vxorem. hinc ad amplificationem accusationis procedit.

Munera accipiebant in te, vt effunderent sanguinem.

Vulg. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem.*

Iura, inquit, vendere perseuerabant, & pecunijs vendebant insontium cædes. tum ad extremum veluti quendam colophonem scelerum imponit.

Vsuram & superabundantiam accipiebant in te.

Vulg. *Vsuram & superabundantiam accepisti.*

Quod si etiam non extremum vt grauius positum erat, & coniunctum tamen erat cum ijs, quæ dicta sunt, idoneum erat ad deterrendos eos, qui hoc vterentur, & ad persuadendũ, hoc auaritiæ genus effugiendum esse, vtpote cum sceleratissimis & impijs coniunctum: cum homicidis enim, & idololatris, & libidinosissimis, atq; intemperantissimis connumeratum est. ita narratis scelerum generibus, docet deinceps, ipsorum futurum supplicium.

Et consummabo consummationem malitiæ tuæ, in oppressione, mei autem oblitus es dicit Adonai Dominus: ecce igitur percutiam manum meam ad manum, in quibus consummata es, & quæ fecisti, & in sanguinibus factis in medio tui, si sustinebit cor tuum, & si præualebunt manus tuæ in diebus, quibus ego facio in te.

Vulg. *Et auare proximos tuos calumniaberis, meiq; oblita es ait Dominus Deus, ecce complosi manus meas super auaritiam tuam, quam fecisti, & super sanguinem qui effusus est in medio tui, numquid sustinebit cor tuum, aut præualebunt manus tuæ, in diebus quos ego faciam tibi?*

More domini ac iudicis ait se percussurum manus ostendens iram: quando enim mei oblita es, inquit, neq; in memoriam beneficia mea & leges reuocare voluisti, eiusmodi tibi, inquit, afferam calamitates, vt manus tuæ dissoluãtur, & corde omni perturbatione completo salutẽ desperes. deinde quæ dicta sunt mendacio carere ostendens ait.

Ego dominus locutus sum, & faciam.

Dicta confirmat eius, qui dixit, auctoritas, satis est enim vos eo cognito qui locutus est, dictis fidem habere.

Et dispergam te in gentibus, & disseminabo te in regionibus.

Vulg. *Et dispergam te in nationes, & ventilabo te in terras.*

Tum quæ hinc proficiscatur vtilitas docet.

Et deficiet immunditia tua ex te, & hæreditabo in te ante oculos gentium, quia ego dominus.

Et deficere faciam immunditiam tuam à te, & pos- Vulg. *sidebo te in conspectu gentiũ, & scies quia ego dominus.*

Quando enim in seruitutem redacti, inquit, exules eritis, tunc experientia docti resipiscere, pristinis relictis sceleribus percipietis esse me Deum vestrum ac dominum, & hæreditas mea vocabimini, discentq́ue per vos gentes, apud quas incoletis, dignitatem & potentiam meam.

Et factum est verbũ domini ad me dicens, fili hominis ecce facti sunt mihi domus Israel, commisti omnes ære, & stanno & ferro & plumbo in medio fornacis argenti commisti sunt.

Et factum est verbum domini ad me dicens, fili homi Vulg. *nis, versa est mihi domus Israel in scoriam, omnes isti as, & stannum & ferrum & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt.*

Similis est, inquit, populus iste ò propheta argento adulterino cui multum æris, & ferri, & stanni, ac plumbi commistum sit. Hoc itẽ Deus ait per Hieremiam prophetam. Argentum re- Hiere. 6. probatum vocate eos, quia reprobauit eos dominus Deus. & per horum, quæ dicta sunt materiam, omnis generis scelerum species declarauit. quod rursus per Hieremiam prophetam Ibidem. discipotest, qui hoc eodem crimine Iudæos accusans dixit. defecit sufflatorium ab igne, defecit plumbum, incassum argentarius argentum cudit, malitię eorum non sunt liquefactæ, ex quo subiecit. Argentum reprobatum vocate eos, quia reprobauit eos dominus Deus. Sufflatorium autem diuinæ virtutis efficaciam vocauit, Ignem vero modo orationem, quæ instruit, & expurgat, modo supplicium, quod ipsis rebus adhibetur. vtrisq; enim diuina virtus ad aliquid efficiendũ vtitur, argentariumque rursus propheticam doctrinam nuncupauit, & plumbum supplicium. nam quia plumbũ in argentũ quod conflatur infunditur, vt quod in ipso adulterinum est consumat, etiam supplicium ijs, qui eo digni sunt, infertur, vt à peccato puri reddantur. hoc etiam se hic facturum minatur.

Propterea dic, hæc dicit Adonai dominus, pro eo quod facti estis omnes in commistionem vnam, iccirco ecce ego suscipiam vos in medio Hierusalem, sicut excipitur argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum in medio fornacis, ad insufflandum in eam ignem ad conflandum, sic excipiam vos in ira mea, & in furore meo, & adducam, & dimittam, & conflabo vos, & insufflabo vos in igne iræ meæ, & conflabimini in medio eius, quemadmodum conflatur argentum in medio fornacis, ita conflabimini in medio eius, & cognoscetis quia ego dominus effudi furorem meum super vos.

Propterea hæc dicit Dominus Deus, Eo quod versi Vulg. *estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Hierusalem congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis vt succendam in ea ignem ad conflandum, sic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requiescã & conflabo vos, & congregabo vos, & succendã vos in igne furoris mei, & cõflabimini in medio eius, vt conflatur argentũ in medio fornacis, sic eritis in medio eius, & scietis quia*

ego

ego dominus cùm effuderim indignationem meam super vos.

Quando, inquit, scelerum colluuionem admisistis, & argento improbo similes per omnis generis improbitatem adulterinos vos ostendistis, fornacem vobis constituam ipsam Hierusalem, & carbonum instar, hostes inijciam, meamque vim & voluntatem, veluti quoddam sufflatorium commouebo, & simul vos conflabo, vt eos qui insanabili morbo laborarint, æque atque aliam materiam, conficiam, eos vero qui curationem admiserint, veluti quoddam purgarum argentum, reddam.

Et factum est verbū domini ad me dicens, fili hominis dic ei, tu es terra non rigata, neq; pluuia facta est in te, in die iræ, & ex bello inculta, & neq; pluuiam, neq; aratrum excipiens.

Vulg. *Et factum est verbum domini ad me dicens fili hominis dic ei, tu es terra immunda & non compluta in die furoris.*

Atqui doctrinæ pluuiam per sanctos ipsi prophetas adhibebat, quam cùm non exciperent, sed repellerent veluti saxum quoddam pluuiæ irrigationi haud præbens aditum, merito ipsam terram non irrigatam nominauit. deinde rursus principes accusat.

Cuius duces in medio eius tanquam leones rugientes, rapientes rapinas, animas deuorantes in potentatu, diuitias & honores accipientes, viduas eius multiplicarunt in medio eius.

Vulg. *Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens rapiensq; prædam, animas deuorauerunt, opes & pretium accepexunt, viduas eius multiplicauerunt in medio illius.*

Viris enim interfectis perspicuum est viduitati locum datum esse. hinc in sacerdotes accusatoriam transfert orationem.

Et sacerdotes eius spreuerunt legem meam.

Vulg. *Sacerdotes eius contempserunt legem meam.*

Maximum hoc est scelus, quos enim alijs duces esse oportuit, ij cæci degere perseuerabant.

Et profanabant sancta mea.

Vulg. *Et polluerunt sanctuaria mea.*

Haud rite inquit perficiebāt, quæ ad eorum ministerium pertinerent. tum scelerum genera recensет.

Inter sanctum & profanum non distinguebant, & inter purum & impurum non distinguebant.

Vulgata. *Inter sanctum & profanum non habuerunt distantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt.*

Non distinguebant, inquit, neq; docebant, quid sanctum, & diuinum, & quid profanum, & humanum. profanum enim hoc loco, non impium vocat, sed id quod commune est, & à rebus diuinis distinctum. purum & impurum, quæ secūdum legem separata sunt, & quę rursus secundum legem interdicta. neq; de cibis tantum & sacrificijs loquitur, sed etiam de indumentis & alijs quæ tum voluntate, tū præter voluntatem accidunt, fluxu seminis, & menstruo laborante, & contactu lepræ, & contactu cadaueris, & morticini, & à fera capti, & de alijs omnibus, quæcunque lex prohibet. ad hæc addit.

Et à sabbatis meis cooperiebant oculos suos, & profanabant me in medio ipsorum.

Et à sabbatis meis auerterunt oculos suos, & coinquinabar in medio eorum. Vulg.

Videntes enim propalam sabbatorum diem contumelia affici, & opus lege non permissum quietis die perfici, arguere nolebant eos, qui delinquere audebant, sed veluti conniuentes oculis, dissimulabant ea videre, quæ continenter cernebant. rursus ad principes reuersus ait.

Principes eius in medio eius, vt lupi rapientes rapinas ad effundēdum sanguinem, ad perdendum animas, vt auaritia plus haberent.

Principes eius in medio illius, quasi lupi rapiētes prædam, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auare sectanda lucra. Vulg.

Occasionem lucri, inquit, faciebant imperium sortiti iniustas cędes. & quos oportebat eorum quibus fieret iniuria propugnatores esse, ij eorum qui iniuriam faciebant, partes sequebantur. Hinc ad prophetas digreditur hæc loquens.

Et prophetæ eius vngentes eos.

Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento. Vulg.

Hoc item supra dixit, cùm docuit male constructum murum à populo, peius à falsis prophetis inunctum. confirmabant, inquit, qui prophetæ vocabantur, ea quæ à principibus perperam fiebant, adulatorijs verbis vsi, & principatus obseruare edocti. deinde horum docet supplicium.

Cadent videntes vana, diuinantes mendacia, dicentes hæc dicit Adonai Dominus, & Dominus non est locutus.

Videntes vana & diuinantes eis mendacium, cùm dominus non sit locutus. Vulg.

Imitantes enim veros prophetas Dei personæ falsa sua oracula adscripserunt, & veritatis fonti attribuerunt mendacium. hæc autem dicebant, inquit.

Populum terræ opprimentes iniustitia, & diripientes rapinas, mendicum & pauperem opprimentes, & ad aduenam non reuertentes cum iudicio.

Populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violenter, egenum & pauperem affligebant, & aduenam opprimebant calumnia absque iudicio. Vulg.

Mendacio, inquit, vtebantur, & ad voluntatem principum diuinabant, securitatem cōtra pauperes nanciscī studentes, & occasionem lucri mendacium facientes.

Et quærebam ex ipsis virum conuersantem recte, & stantem in intercisione sepis ante faciem meam in tempore terræ, vt ne in finem delerem eam, & non inueni.

Et quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparē eam, & non inueni. Vulg.

Hæc etiam per Hieremiam docet cùm ait, circumcurrite vias Hierusalem, & aspicite, & quæretis in plateis tuis, si inueneritis vnum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. Igitur hic quoq; ait, ex principibus, ex sacerdotibus & ex alijs omnib. inquirebam vnum certe virum, qui posset in interci sione sepis stare. hoc est cohibere illata supplicia sua iustitia valentem, & eam intercisionem, quæ propter iniquitatem facta fuerat, & pœnarum introitum obturare. neque inueni. Iccirco Hieres.5.

Effudi, inquit, furorem meum super eam, in rigore iræ meæ, ad consumendum eos.

Vulg. *Et effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumpsi eos.*

Iustaq; ostendens supplicia subiecit.

Vias ipsorum in capita eorum dedi dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.*

Hinc percipi potest non solum diuinæ bonitatis exuperantia, sed etiam Iudæorum impietas, nam de Sodomis pollicitus fuit, si quinque iustos inueniret, omnem se vrbem à supplicio illæsam conseruaturum. Hic vero cùm vnū quæsijsset, non inuenit, quamobrem inimicis eam traditam curauit euertēdam. decet igitur nos, quibus exploratum est, diuinam misericordiam cum iudicio coniunctam esse, misericordiam enim & iudicium, inquit, cantabo tibi domine; haud commorari in institutis peccatorum, neq; Dei longanimitatem contemnere, neq; thesaurizare nobis ipsis iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. ipsi gloria in sęcula sæculorum. Amen. Psalm. 100. Rom 2.

SECTIO IX.

Et factum est verbum domini ad me dicens, fili hominis duæ mulieres erant filiæ matris vnius, & fornicatæ sunt in Aegypto. Cap.23.

Et factus est sermo domini ad me dicens, fili hominis duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt, & fornicatæ sunt in Aegypto. Vulg.

In ijs, quæ interpretati sumus, omnem populum vnam meretricem nuncupauit, vnus enim populus etiam à principio vocatus fuit. vbi vero regnante Roboam facta est diuisio, & hi Ephraim, & Israel nominabantur, hi vero Iudæ: iure etiam parabolica & translationis formula secundum diuisionem vsus est, vocatque ipsos à metropolibus, decem quidem tribus à Samaria, Iudam autem & Beniamin à Hierusalem, asseritque eas vnius matris, non solum propter vnam generis stirpem, sed etiam quia secundum impietatem vnam habuerunt parentem Aegyptum, etenim superius per translationem, matrem ipsorum Cethæam, & Ammorrhæum patrem appellauit. Hæ igitur

Fornicatæ sunt, inquit, in Aegypto.

Deinde etiam tempus declarat.

In adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi ceciderunt vbera eorum, ibiq; deuirginatæ sunt.

Vulg. *In adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi subacta sunt vbera earum, & fractæ sunt mammæ pubertatis earum.*

Patres enim ipsorum Abraham & Isaac & Iacob pietate splenduerunt, eorumque filij ita permanserunt vt idololatriæ mysterijs minime initiarentur. verum qui ex illis procreati sunt, cùm in Aegypto commorarentur, impietatem didicerunt. & adolescentiam eorum vocat, initium vnde tanta creuit multitudo. corruptionem vero & mammarum casum impiorum dogmatum doctrinam. quemadmodum enim violatam virginitatē mammarum laxitas consequitur, ita cùm quis à Deo defecerit, sequitur eius partis, quæ in nobis principatum obtinet, casus. cuius veluti tegumenta, & indumenta sunt mammæ. tum quia per similitudinem mulieres ipsas nominauit, mulierum quoque quarundam in Aegypto ob intemperantiam insignium ipsis nomina imponit. aitque.

Et nomina earum Oolla senior, & Ooliba iunior soror eius.

Nomina autem earum Oolla maior, & Oolibæ soror eius minor. Vulg.

Cùm superiora ænigmaticè dixisset, ad id quod apertius est, transtulit orationem, & meretricum illarum mulierum mentionem fecit, accusationem amplificans, dum cupit in ipsis per exemplum impietatis sensum ingeneratum iri. deinde beneficium à se in eos profectum commemorat.

Et fuerunt mihi & pepererunt filios & filias, & nomina earum, Samaria Oolla, & Hierusalem Ooliba.

Et habui eas, & pepererunt filios & filias, porro earum nomina Samaria Oolla, & Hierusalem Ooliba. Vulg.

Consuetudinem autem & societatem vocat eorum per legem consensum. ille enim leges ferebat, ipsi se leges latas obseruaturos pollicebantur. illud vero, pepererunt mihi filios & filias, declarat, ad quoddam tempus eos sub lege degentes pietate filios imbuisse. Hactenus igitur communiter vtrosq; accusauit, deinceps vero facta tribuum diuisione, Samariam prius accusat, quam Oollam nominauit, etenim prior in vitulorum impietatem collapsa est, in duas partes regno diuiso.

Et fornicata est Oolla à me, & adiūcta est ad amatores suos.

Fornicata est igitur Oolla super me, & insaniuit in amatores suos. Vulg.

Tanquam de muliere loquens amatorum posuit nomen, innuit autem significatq; dæmonas, quos colere perseuerauit, tum etiam impietatis genera docet.

Et Assyrios, inquit, appropinquantes sibi, vestitos hyacinthinis principes, & duces, iuuenes electos omnes, equites equitantes in equis, & dedit fornicationem suam super eos. super electos filios Assyriorum omnes, ad quos apposita est in omnibus desiderijs suis polluebatur.

In Assyrios propinquantes vestitos hyacintho, principes & magistratus, iuuenes cupidinis vniuersos, equites ascensores equorum, & dedit fornicationes suas super eos, electos filios Assyriorum vniuersos & in omnibus in quos insaniuit, in immunditijs eorum polluta est. Vulg.

Per ænigma iuuenes electos indutos hyacinthinis idola vocat ita ab ipsis picta, & figurata. etenim consuescuerant omnes antiquitus impietati

tati dediti, habitus in sua repub. vsitatos suis dijs imponere. Græci siquidem & Romani Martem secundum propriam sui habitus armant figuram, Persæ autem secundum suam, & aliter Indi, aliter Aethiopes, & similiter vnaquæque earum, quæ nominantur, natio. attamẽ docet ipsos priores sibi auxilio Assyrios accersisse, neglecta Dei societate. accersito enim Yphul, erat hic rex Assyriorum, auxilio contra Syros, tributum & vectigal ipsi pendere polliciti sunt. hinc deinceps commercium impietatem introduxit. tum subijcit.

Et fornicationem suam ex Aegypto non dereliquit, quia cum ea dormiebant in adolescentia eius, & ipsi deuirginauerunt eam, & effuderunt fornicationem suam super eam.

Vulg. *Insuper & fornicationes suas, quas habuerat in Aegypto, non reliquit, nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia sua & illi confregerunt vbera pubertatis eius, & effuderunt fornicationem suam super eam.*

Copulata, inquit, cum Assyrijs, eorumq; superstitione perfusa ne Aegyptiacas quidem disciplinas neglexit, imo illas studiosissime obseruauit. ita narratis impietatis generibus, iustas etiam pœnas ostendit.

Propterea tradidi eam in manus amatorum suorum, in manus filiorum Assyriorum ad quos coniuncta est.

Vulg. *Propterea tradidi eam in manus amatorum suorũ, in manus filiorum Assur, super quorum insaniuit libidinem.*

Cùm enim meas leges non retinuerit, sed mihi dedicata alios amarit, mea ipsam prouidentia destitui, tradidique eam illis, quos meæ prætulit societati.

Ipsi, inquit, discooperuerunt verecundiam eius, filios & filias ipsorum tulerunt, & ipsam gladio occiderunt, & facta est locutio in mulieres. & vltiones fecerunt in ea, in filias.

Vulg. *Ipsi discooperuerunt ignominiam eius, filios & filias eius tulerunt, & ipsam occiderunt gladio, & factæ sunt famosæ mulieres, & iudicia perpetrauerunt in ea.*

Ita inquit à me proiecta experientia didicit, quænam mea sit societas, & quæ amatorum suorum improbitas. statim enim, vt ipsam in seruitutem redegerunt, primum supplicijs, illius enudarunt adulterium: deinde crudelissime & absq; vlla misericordia interfecerunt, filiosque ipsius & filias bello captos abduxerũt: & omnis ciuitas ea diuulgat, quæ illi acciderunt, mulieres enim per translationem rursus ciuitates nuncupauit. neq; in ipsam solum crudelitatem hanc adhibuerũt, sed etiam in illius filias: intelligit autem subiectas illi vrbes, & pagos. hæc autem sustinuere decem tribus, primum à Thetlathphalasar, deinde à Salmanasar, qui fuerunt reges Assyrij. ita narratis, quæ ad Samariam pertinẽt, ad Hierusalem orationem transferens ait.

Et vidit soror eius Ooliba, & corrupit aggressum suum super eam (Aquilas vero, πλὼ ἐπι θεῷν interpretatus est, desiderium) & fornicationem suam, super fornicationem sororis suæ multiplicauit, ad filios Assyriorum adiuncta est, duces & præfectos propese, & indutos speciosis, equites equitantes in equis, iuuenes electos omnes.

Vulg. *Quod cùm vidisset soror eius Ooliba, plusquam illa insaniuit libidine, & fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum præbuit impudenter ducibus & magistratibus ad se venientibus indutis veste varia, equitibus qui vectabantur equis, & adolescentibus forma cunctis egregia.*

Eadem inquit Hierusalem commisit, quę Samaria, & similiter violato fœdere, quod mecũ inierat, Syriorum deos mihi anteposuit, quorum freta fiducia opem meã contempsit, nam per ducem & prefectos initam cum illis innuit societatem.

Et vidi, inquit, ego, quia polluta est via vna duarum.

Et vidi, quod polluta esset, via vna ambarum. Vulg.

Paria enim, & similia, inquit, eorum instituta.

Et addidit ad fornicationem suam & vidit viros depictos in pariete imagines Chaldæorum depictas in coloribus in stylo accinctas, variatæ vestes super lumbos eorum, & tiaræ tinctæ super capita eorum, aspectus triplex omnium similis filiorum Babylonis, Chaldæorum terræ patriæ eorum, & adiuncta est ad ipsos visione oculorum suorum.

Et auxit fornicationes suas, cumq; vidisset viros depictos in pariete imagine Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos baltheis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium similitudinem filiorum Babylonis, terræq; Chaldæorum, in qua orti sunt, insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum. Vulg.

Recte & admodum congruenter idolorum imbecillitatem reprehendit, nihil aliud esse docens, quàm colores & figuras & artis opificia. illud autem, aspectus omnium triplex, multas ipsorum formas significat. Symmachus vero, aspectus prædonum omnium, interpretatus est. Hos inquit cùm conspexisset, nihilq; aliud cerneret, quàm picturæ artis imagines, eorum amauit consuetudinem. & vbiq; idolorum innuit cultum.

Et misit, inquit, nuncios ad eos in terram Chaldæorum & venerunt ad eam filij Babylonis, ad cubile diuertentium, & polluerunt eam in fornicatione sua, & polluta est in eis & recessit anima eius ab eis.

Et misit nuncios ad eos in Chaldæam, cumq; venissent ad eam filij Babylonis ad cubile mammarum polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima eius ab illis. Vulg.

Ipsa enim, inquit, cùm ipsos vt sibi opem ferrent accersisset, & ex eorum commercio contraxisset impietatem, rursus ab illis defecit. defectionem autem hìc non à dæmonibus ait, sed ab ipsis Babylonijs. etenim Ioacim, & Iechonias, & Sedecias, fœdera, quæ cum Babylonijs percusserant, violarunt.

Et reuelauit fornicationem suam, & discooperuit verecũdiam suam, & recessit anima mea ab ea, quemadmodum recessit anima mea a sorore eius.

Denudauit quoque fornicationes suas, & discooperuit ignominiam suam, & recessit anima mea ab ea sicut recesserat anima mea à sorore eius. Vulg.

Conspecta, inquit, impietatis ipsius exuperantia, mea prouidentia illam orbaui: rursus enim secundum allegoriæ speciem, animam posuit, non quia in animum & corpus numen diuisum sit, quod & à corpore & à compositione vacuum est, humanitus autem & vsitato hominum more colloquitur, hominum sese accommodans imbecillitati. Hactenus igitur cum propheta visus est verba facere. deinceps vero quasi in memoriam reuersus per narrationem eorum quæ ipsa ausa est, ad eam transfert orationem.

Et multiplicasti, inquit, fornicationẽ tuam, vt recordareris dierum adolescentiæ tuæ, in quibus fornicata es in Aegypto.

Vulg. *Multiplicauit enim fornicationes suas recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in terra Aegypti.*

Obliuioni, inquit, tradideram, quæ tu in Aegypto deliquisti, verum tu eorum memoriã posterioribus tuis institutis reuocasti. consueuit enim sæpe pristinorum peccatorum reminisci improbitatis similitudo. deinde rursus per allegoriam & translationem idolorum cultum accusat.

Et adiuncta es ad Chaldæos, quorum carnes vt carnes asinorum, & pudenda equorum pudenda eorũ, & visitasti iniquitatem adolescentiæ tuæ, quæ faciebas in Aegypto in diuersorio tuo, vbi vbera adolescentiæ tuæ ceciderunt.

Vulg. *Et insaniuit libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt vt carnes asinorum, & sicut fluxus equorum fluxus eorum. & visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Aegypto vbera tua, & confracta sunt mammæ pubertatis tuæ.*

Et cum Chaldæis, inquit, coniuncta, ne Aegyptiaca quidem instituta negligebas, sed & horum & illorum deos colebas. multam autem ipsorum impietatem, multorumq; deorum superstitionem pudendis equorum & asinorum comparauit: quandoquidem fornicationem quoq; idolorum cultum vocat. animæ enim quæ Deo coniunctæ & dedicatæ sunt, cùm deinde eo relicto dæmonum consuetudinem amplectuntur; merito adulteræ nuncupantur.

Propterea hæc dicit Adonai Dominus: Ecce ego excito amatores tuos contra te, à quibus defecit anima tua, & adducam eos ad te in circuitu, filios Babylonis, & omnes Chaldæos, Phacum, & Sud, & Cud, & omnes filios Assyriorum cum ipsis, iuuenes electos, duces, & præfectos, omnes tristatas, id est regios satellites, & nominatos, equitantes in equis, & venient contra te omnes ab aquilone cum armis, & curribus, & rotis, & multitudine populorum, & thoracas, & clypeos, & galeas circumponent contra te, & iacient super te custodiam in circuitu.

Vulg. *Propterea Ooliba, hæc dicit dominus Deus, ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te, de quibus satiata est anima tua, & congregabo eos aduersum te in circuitu, filios Babylonis, & vniuersos Chaldæos, nobiles, tyrannosq;, & principes omnes filios Assyriorũ, iuuenes forma egregia, duces & magistratus vniuersos, principes principum, & nominatos ascensores equorum, & venient super te instructi curru, & rota, & multitudo populorum lorica, & clypeo, & galea armabuntur contra te vndique.*

Ab ipsis, inquit, rebus percipies, quisnam ego sim, & quinam amatores tui, ego enim à te neglectus longanimitatem adhibui: isti autem simulatq; tuam defectionem didicerint, omni armorum apparatu aduenient, equis, & curribus instructi, subiectosq; sibi omnes adducentes, vallisq; & aggeribus tuos aditus circumdabunt. hoc enim significauit, cùm dixit: Iacient super te custodiam in circuitu. deinde adijcit.

Et dabo ante faciem ipsorum iudicium, & vindicabunt te in iudicijs suis, & dabo zelum meum in te, & facient tecum in ira furoris mei.

Et dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te iudicijs suis, & ponam zelum meum in te, quem exercent tecum in furore. Vulg.

Quando enim illos meæ prouidentiæ prætulisti, per eosdem illos eorum quæ in me deliquisti à te pœnas exigam, ipsorumq; te iudicijs tradam. suppliciorum autem genera recenset.

Nares tuas, & aures tuas auferent, & reliquos tuos gladio deijcient, ipsi filios tuos & filias tuas capient, & reliquos tuos deuorabit ignis, & exuent te vestimentum tuum, & capient vasa gloriationis tuæ.

Nasum tuum, & aures tuas præcident, & quæ remanserint gladio concident, ipsi filios tuos, & filias tuas capient, & nouissimum tuum deuorabitur igni, & denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ. Vulg.

Alios enim bello captos abducent, inquit, alios in prælio iaculis confodient, alijs extremas partes summo odio & crudelitate amputabunt, & omnia quæ ad te pertinent prædabuntur, & igne plurimas res tuas consument. ostendit item ex crudelitate futuram vtilitatem.

Et auertam impietates tuas à te, & fornicationem tuam de terra Aegypti non recordaberis amplius.

Et requiescere faciam scelus tuum de te, & fornicationem tuam de terra Aegypti, nec leuabis oculos tuos ad eos, & Aegypti non recordaberis amplius. Vulg.

In illis enim malis cùm versaberis, tua scelera senties, & admodũ ea abominaberis, quæ calamitatem istam tibi conciliarint.

Quia hæc dicit Adonai dominus, ecce ego trado te in manus eorum, quos odisti, à quibus defecit anima tua, & facient in te in odio, & capient omnes labores tuos, & defatigationes tuas, & eris nuda, & ignominiosa, & reuelabitur ignominia fornicationis tuæ, & impietatis tuæ.

Quia hæc dicit dominus Deus, ecce ego tradam te in manus eorum, quos odisti, in manus de quibus satiata est anima tua, & agent tecum in odio, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam & ignominia plenam, & reuelabitur ignominia fornicationum tuarum, scelus tuum, & fornicationes tuæ. Vulg.

Amore, inquit, Chaldæorum capta rursus eos odisti, verum ego istis te tradam, per quos à te pœnas exigam & supplicia, quibus totam nudam impietatem tuam indicabo, discent enim ij, qui tuas conspexerint calamitates, earum auctorem tuam fuisse iniquitatem. iccirco merito subiecit.

Fornicatio tua fecit tibi hæc, cùm ambulares post gentes, & polluebaris in cogitationibus earum.

Vulg. *Fecerunt hæc tibi quia fornicata es post gentes, inter quas polluta es in idolis earum.*

Secuta es, inquit, gentium institutа, quę suis innixæ rationibus impietatem excogitarunt. quin etiam

In via sororis tuæ ambulasti, & dabo ego calicem eius in manus tuas.

Vulg. *In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua.*

Quæcunq; sustinuit, inquit, Samaria, eadem tu quoque subibis: calicem enim supplicium vocauit, vt qui grauedinem & ebrietatem ingeneret.

Hæc dicit Adonai Dominus. Calicem sororis tuæ bibito profundum & latum, & erit in risum & subsannationem, qui abundat, vt perficiat ebrietatem, & dissolutione repleberis calicem perditionis & deletionis, calicem sororis tuæ Samariæ, & bibes eum, & exhauries feces, & testas ipsius deuorabis, & vbera tua dilacerabis.

Vulg. *Hæc dicit dominus Deus: calicem sororis tuæ bibes profundum & latum, eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima. ebrietate & dolore repleberis, calicem mœroris & tristitiæ calicem sororis tuæ Samariæ, & bibes illum & epotabis vsq; ad feces, & fragmenta eius deuorabis, vbera tua lacerabis.*

Profundum calicem vocauit ob calamitatis magnitudinem, latum autem propter septuaginta annorum tempus, deletionis vero calicem nuncupauit, propter solitudinem, quę vrbem occupauerat, & illud exhauries feces, apposuit quia extremã pertulit obsidionem, testasq; ipsam voraturam dixit, propter extrema, in quæ incidit mala, & vbera laceraturam propter eam pœnitentiam, quam paritura essent mala.

Et celebritates tuas, inquit, & neomenias tuas auertam, quia ego locutus sum dicit Adonai Dominus.

Omnem tuum publicum conuentum, omnemq; lætitiam extinguam, & imponam verbis finem, verus enim sum & mendacij expers dominus.

Propterea hæc dicit Adonai Dominus. eo quod oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, & tu cape impietatem tuam, & fornicationem tuam.

Vulg. *Propterea hæc dicit dominus Deus, quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum, tu quoq; porta scelus tuum & fornicationes tuas.*

Quando meo cultui corporis voluptates antepositi, suscipe, inquit, intemperantiæ præmia. per hæc autem innuit, fundamentum impietatis scelera fuisse, inseruientes enim voluptatibus in idolorum prolapsi sunt cultum.

Et dixit Dominus ad me, fili hominis, num iudicabis Oollam, & Oolibam, & annunciabis eis scelera eorũ quia adulterium committebant, & sanguis in manibus earum, & in cogitationibus suis adulterium committebant, & filios suos, quos genuerunt mihi, traduxerunt per ignem?

Vulg. *Et ait dominus ad me dicens, fili hominis numquid iudicas Oollam, & Oolibam & annuncias eis scelera earum, quia adulteratæ sunt, & sanguis in manibus earum, & cum idolis suis fornicatæ sunt, insuper & filios suos quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad deuorandum.*

Illud, num iudicabis? alij interpretes interpretati sunt, iudica. mea, inquit, susceptа persona ò propheta, fac iudicium de Samaria, & Hierusalem, earumque scelera redarguito, vt videlicet me relicto cum idolis commiscebantur, & vt filios, qui à me illis concedebantur, vt sacrificium illis offerebant, meas leges aspernati, meaque sabbata profanantes. hoc enim subiecit.

Quo ad & ista fecerunt mihi polluebant sancta mea in die illa, & sabbata mea profanabant.

Sed & hoc fecerunt mihi, polluerunt sanctuarium Vulg. *meum in die illa, & sabbata mea profanauerunt.*

Tum docet profanationis modum.

Et cùm iugularẽt ipsi filios suos idolis suis, & cùm ingrederentur ipsi in sancta mea in die illa profanabant ea.

Cumq; immolarent filios suos idolis suis, & ingre- Vulg. *derentur sanctuarium meum in die illa, vt polluerent illud.*

Multa autem impietatis est exuperantia, primum enim, quod ipsi filios iugularint, extremus est impietatis terminus. quod vero etiam dæmonibus tales victimas obtulerint, rursus sceleris est amplificatio. at quod etiam sabbato hæc ausi fuerint, quo etiam opus necessariũ fuerat interdictum, multo maiorem id impietatem demonstrat. sed quod post eiusce modi facinus etiam ad diuina vestibula conscenderint, hoc vero cuinam talis exuperandę impietatis locum reliquit? iccirco etiam extremo hoc loco posuit, ac rursus adiecit.

Et ecce sic faciebant in medio domus meæ.

Etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. Vulg.

Hoc inquit impium facinus in domo mihi dedicata ausi sunt.

Et mittebant viris venientibus de longe, ad quos nuncios mittebant, & simulac venirent ipsi statim lauabaris, & stibio linebas oculos tuos, & ornabaris ornatu & sedebas in lecto strato, & mensa ornata ante ipsam.

Miserunt ad viros venientes de longe ad quos nun- Vulg. *cium miserant, itaq; ecce venerunt, quibus te lauisti, & circumlinisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri, sedisti in lecto pulcherrimo & mensa ornata est ante te.*

Omnia, quæ dicta sunt, tanquam de muliere meretrice descripsit, significatq; initam ab ipsis cum Assyrijs & Chaldæis societatem, & inde introductam impietatem, declarat insuper lasciuos ornatus, quos in dæmonum celebritatibus adhibebant, & alia omnia, quæcunque in huiusce modi publicis conuentibus fieri consueuerant, quod ea item significant, quę sequuntur.

Et thymiama meum & oleum meum ponebas ante eos.

Thymiama meum & vnguentum meum posuisti Vulg. *super eam.*

Hoc est, ante idola.

Et lætabantur in eis.

Lætitia quippe dæmonum, hominum est interitus. ad hæc ait.

Et vocem harmoniæ resonabant ad viros ex multitudine hominum venientes ebrios ex deserto.

Vulg. *Et vox multitudinis exultantis erat in ea, & in viris qui de multitudine hominum adducebãtur, & veniebant de deserto.*

Quid enim desertius est ijs, qui adorant idolas? ex illis enim desertis inquit animis impietatis tibi documenta afferebantur, quæ musicis organis excipiebas iucundum suauemq; sonum resonantibus.

Et dabas ipsis armillas in manibus eorum, & coronam gloriationis in capite eorum.

Vulg. *Posuerunt armillas in manibus eorum, & coronas speciosas in capitibus eorum.*

Nihil enim ab idolis accipiunt, qui eos sibi colendos instituunt, imo dona sibi à Deo concessa ipsis offerunt omnis generis ornatu eos instruentes.

Et dixi, non in his mœchantur, & opera meretricia hæc, & ipsa fornicata est.

Vulg. *Et dixi ei, quæ attrita est in adulterijs, nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc.*

Dicebam enim vtens prophetis vt instrumentis, adulterium vestrum in rebus inanimis audacter committi, & meretricia hæc vestra esse instituta.

Et ipsi ingrediebantur ad eam, quem admodum ingrediuntur ad mulierem meretricem, ita ingrediebantur ad Oollam, & ad Oolibam mulieres iniquas vt facerent iniquitatem.

Vulg. *Et ingressi sunt ad eam quasi ad mulierem meretricem, sic ingrediebantur ad Oollam, & ad Oolibam mulieres nefarias.*

Licentiam, enim, in reliquum nacti ex horum iniquitate, tanquam ad mulieres meretrices, omnibusq; prostitutas, ita ad Samariam & Hierusalem ingressi sunt etiam animarum euersores dæmones, quiq; eorum cultum docti fuere, Chaldei. deinceps igitur ad hos trãsfert orationem & ait.

Et viri iusti hi.

Vulg. *Viri ergo iusti sunt.*

Iusti epitheton apposuit, non eorum iustitiæ perhibens testimonium; erant enim iniustissimi, iniquissimi, & admodum impij; sed ex comparatione impiorum istius facinorum, apposuit, iustum. hoc est, si tecum conferãtur hi iusti sunt, quod etiam superius fecit, cùm de Hierusalem loqueretur, dixit enim, & iustificasti sorores tuas in peccatis tuis, & in iniquitatibus tuis, quas fecisti, & hìc item viri iusti hi, ait, id est iustiores te sunt.

Et vlciscentur eas vltione adulterarum, & iudicio effundunt sanguinem, quia adulteræ sunt, & sanguis in manibus earum.

Vulg. *Hi iudicabunt eas iudicio adulterarum & iudicio effundentium sanguinem, quia adulteræ sunt & sanguis in manibus earum.*

Homicidij inquit & adulterij pœnas luent suos amatores iudices sortiti, & ea patientur, quæ adulteræ mulieres & homicidæ iure perferũt. ita absoluta ænigmatica narratione contra ipsos sententiam pronunciat.

Hæc dicit Adonai dominus, adduc ad eas multitudi nes, & da in ipsis perturbationem, & direptionem, & lapidentur lapidibus turbarum, & confodiant eas gladijs suis, filios eorum & filias interficient, & domos earum incendent igne.

Hæc enim dicit dominus Deus, adduc ad eas multi- Vulg. *tudinem & trade eas in tumultum & rapinam, & lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladijs eorum, filios, & filias earum interficient, & domos earum igne succendent.*

Deinde ostendit ex his rebus vtilitatem futuram.

Et auertam impietatem de terra, & erudientur omnes mulieres, & non facient secundum impietates earum.

Et auferam scelus de terra, & dicent omnes mulie- Vulg. *res ne faciant secundum scelus earum.*

His enim hæc inquit sustinentibus, lapidibusq;, & gladijs & igne consumptis, omnis ciuitas percipiet vtilitatem, discens, qualia sint impietatis præmia, atque hic rursus mulieres nuncupauit ciuitates.

Et dabitur impietas vestra super vos, & omnia peccata cogitationum accipietis, & cognoscetis quia ego dominus.

Et dabunt scelus vestrum super vos, & pecc ata i- Vulg. *dolorum vestrorum portabitis, & scietis quia ego dominus Deus.*

Impietatis vestræ fructus, inquit, feretis, non enim coacti ipsam suscepistis, sed voluntate atque cupiditate. verum ex ipso supplicio maximam colligetis vtilitatem, qua me dominum agnoscetis, quam vtinam agnitionẽ nos consequamur, non malorum experientia docti, sed diuina beneficia sentientes, & ingratũ animum abominantes, & ob Dei memoriam in singulos dies renouati & sanctissimi spiritus virtute in Dei caritatem inflammati, & domini nostri Iesu Christi aduentum expectantes, cum quo patri gloria cum sancto spiritu nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

SECTIO X.

Et factum est verbum domini ad me in anno nono, in mense decimo decima mensis dicẽs. fili hominis scribe tibi ipsi nomen diei huius, a qua confirmatus est rex Babylonis super Hierusalem a die hodierna.

Et factum est verbum domini ad me in anno nono Vulg. *in mense decimo, decima die mensis dicens. fili hominis scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est rex Babylonis aduersum Hierusalem hodie.*

Docuit nos, quo tempore contra Hierusalem Babylonius cum exercitu est profectus, illo autem vrbem obsidente prophetа ijs, qui iam bello capti fuerant, impendentia mala præsignificat, iccirco prophetiæ quoq; veritatem ostendens dominus, annotari iubet diem, qua hostis aggredi cœpit vrbẽ, vt tum ex tempore tum ex euentu rerum, discant, & ij qui iam in seruitutem redacti sunt, & ij qui obsidentur, ab initio hęc de ipsis Deum prædixisse: & non propter hostium virtutem se victos esse, sed suorum peccatorum pœnas persoluere.

Et dic ad domum exasperantem parabolam.

Vulg. *Et dices per prouerbium ad domum irritatricem parabolam.*

Post annotatum tempus per similitudinem & ænigma iubetur propheta, quæ ciuitati euentura sint edocere, vt propter eorum quæ dicuntur obscuritatem, studiosiores ad interrogandum auditores effecti exploratius oracula diuina percipiant.

Et dices ad eos, Hæc dicit Adonai Dominus, statue lebetem, statue, effunde in ipsum aquam, & immitte in eum diuisiones in duas partes, omnem diuisionem bonam crus, & humerum à carnibus separata, ab ossibus delectis pecoribus assumptis, & succende ossa sub eis.

Vulg. *Et loqueris ad eos, hæc dicit dominus Deus, pone ollam, pone inquam, & mitte in eam aquam, congere frusta eius in eam, omnem partem bonam fœmur, & armum electa. & ossibus plena, pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea.*

Lebetem appellauit vrbem, aquam effusam, omnis generis calamitates, diuisiones autem partium, & crura, & humeros ex electis pecoribus, abundantia rerum ac diuitijs & opibus affluentes principes & duces ac sacerdotes, eisdem simul calamitatibus affectos, ossa vero succensa paupertate oppressos, primum fame consumptos ignem Babylonium vocat eiusq; prælium. his adijcit.

Efferbuit, efferbuit, & cocta sunt ossa ipsius in medio eius.

Vulg. *Efferbuit coctio eius: & discocta sunt ossa illius in medio eius.*

Igne enim iniecto, inquit, ossa succensa consumpta sunt, famis enim consumptio fuit, quique effugerunt famis impetum, ad summum malorum peruenere obsidentium oppugnationes sustinentes.

Propterea hæc dicit Adonai dominus, ô ciuitas sanguinum lebes, in quo est rubigo, & rubigo non egressa est ex ea, per membrum suum protulit, non cecidit super eam sors.

Vulg. *Propterea hæc dicit Dominus Deus. væ ciuitati sanguinum, ollæ cuius rubigo in ea est, & rubigo eius non exiuit de ea, per partes, & per partes suas eijce eam, non cecidit super eam sors.*

Docuit hic nos etiam supra se lebetẽ vrbem nominasse: rubiginemq; lebetis peccatum vocat, & maxima est accusatio, quod ne tantus quidem calamitatum ignis lebetis rubiginem consumpsit. illud autem, per membrum suum protulit, non cecidit super eam sors, declarat neminem illatas effugisse calamitates, neque sorte delectos fuisse alios ad perniciem, alios ad salutem, sicuti in quibusdam priſtinis iam vsu venerat calamitatibus, sed omnes omnino partim fame, partim peste consumptos, eosq; qui hæc euasissent, vel præliantes interfectos, vel expugnados obsidione in seruitutem redactos. causamq; malorum docens,

Quia sanguis, inquit, eius in medio eius fuit.

Vulg. *Sanguis enim eius in medio eius est.*

Hæc autem sustinent, inquit, eximiæ cædis pœnas luentes.

Super leuem petram posui illum, non effudi ipsum in terram, vt operiret ipse terram, vt ascenderet furor in vltionem, vt vlciscatur, dedi sanguinem eius super leuem petram dedi ipsum, ne operiret ipsum.

Super limpidissimam petram effudit illum, non effudit illum super terram, vt posset operiri puluere, vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlciscerer, dedi sanguinem eius super petram limpidissimã ne operiretur. Vulg.

Non cooperiam, inquit, ea facinora, quæ ipsi ausi sunt, sed ipsa enudabo, omnibusq; ostendam, quasi sanguinem non in terra effusum, & ab ea absorptum, sed super leuem lapidem iniectum, qui continenter seruatur, vt eos accusset, qui illum effundere ausi sunt.

Propterea hæc dicit Adonai dominus, ô ciuitas sanguinum & ego magnificabo terram, & multiplicabo ligna, & incendam ignem, vt tabescant carnes, & minuatur ius, & ossa torreantur & stet super carbones suos inanis, incensa est, vt comburatur, & calefiat, & torreatur æs eius, & liquefiat in medio eius immunditia eius, & deficiat rubigo eius, & humilietur rubigo eius, & non exeat ex ea.

Propterea hæc dicit Dominus Deus, væ ciuitati sanguinum cuius ego grandem faciã pyram, congere ossa quæ igne succendam, consumentur carnes, & coquetur vniuersa compositio, & ossa tabescent: pone quoq; eam super prunas vacuam vt incalescat, & liquefiat æs eius, & consletur in medio eius inquinamentũ eius, & consumatur rubigo eius, multo labore sudatum est & non exiuit de ea nimia rubigo eius. Vulg.

Magnificabo, inquit, torrem. id est, augebo malorum principium, & ligna multiplicabo, hoc est multas occasiones præbebo, multamque materiam malorum igni, vt hunc incendam, & carnes coctas, homines videlicet in vrbe tabescere faciam, ita vt alij fame conficiantur ossium instar assati, alij omnis generis calamitatibus, veluti coctæ carnes comburãtur, multoq; ignis impetu etiam ius consumatur. omne videlicet quod ad refrigerandum vsui esse possit, eiusq; rei causa, vt deinceps ipsum per se æs igni appropinquans liquefiat, & cum rubigine simul absumatur. victis enim ijs, qui propugnabant, capta deinde vrbs euersa fuit, & incendio consumpta. veruntamen, quamuis tot eam malo oppresserint, non est à rubigine liberata, sed in ea remansit ad peccandũ propensio. iccirco subijcit.

Multa rubigo eius, confundetur rubigo illius, in immunditia tua feruor.

Neq; per ignem immunditia tua execrabilis. Vulg.

Tu inquit in sceleribus tuis ebullitionem hanc, & ignis flammam incendisti, multam enim obtinebas rubiginem, quæ in præsenti patefacta ignominia perfundetur.

Pro eo quod polluebaris tu, & non es emundata ab immunditia tua, & non eris immundata amplius, donec implebo furorem meum in te.

Quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis, sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. Vulg.

Cùm enim tua vulnera pœnitentia sanari nolueris, veniam minime consequeris, neq; item id obtinebis, vt emunderis, quoad pœnas dederis pro ijs, quæ deliquisti, deinde vera esse quæ

se quæ dicta sunt, ostendit personæ qualitate.

Ego Dominus locutus sum.

Quæque futura sint absque vlla controuersia.

Et veniet, & faciam, non differam, non parcam neq; consolabor.

Vulg. *Venit, & faciam, non transeam, nec parcam, nec placabor.*

Non enim alios dimittam, alios affligam, sed omnes ijs malis, quæ minatus sum afficiã, indicat etiam iusta supplicia.

Secundum vias tuas, & secundum cogitationes tuas iudicabo te dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Iuxta vias tuas, & iuxta adinuentiones tuas iudicabo te dicit Dominus.*

Atque hoc idem diffusius.

Propterea ecce ego iudicabo te secundum cogitationes tuas, & secũdum sanguines tuos iudicabo te, immunda & nominata, multaq; ad irritandum.

Insignis, inquit, ob improbitatem facta es, tuorum autem scelerum causa hæc est, quod improbas persequeris cogitationes. quod declarauit cùm dixit, secundum cogitationes tuas, & secundum sanguines tuos iudicabo te: prius enim ratiocinantes cogitamus, bona ne an mala sint, tum opus cogitationibus adhibemus. hinc ad aliud genus prophetiam transfert & ait.

Factum est verbum domini ad me dicens, fili hominis: ecce ego aufero à te desideria oculorum tuorum. non planges, neq; plorabis, nec venient tibi lacrymæ, geme tacens, gemitus sanguinis luctus lumbi est.

Vulg. *Et factum est verbũ domini ad me dicens, fili hominis ecce ego tollo à te desiderabile oculorũ tuorum in plaga, & non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ, ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies.*

Cogitationes seu desideria oculorum, ita enim quædam habent exemplaria, coniugem vocat mulierem, qua mortua propheta iubetur, neq; plorare, neque lamentari, sed silentio gemere, præsertim cùm luctus sit circa lumbos, per lumbos enim procreandæ sobolis appetitum declarauit, ita enim diuus quoq; Apostolus, de Leui verba faciens dixit, adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech, eiq; benedixit, iccirco etiam lumbos præcingere iubemur, vt cupiditates comprimamus, coerceamusq; impetus. cùm vellet igitur affectionis exuperantiam indicare, merito dixit, gemitus sanguinis luctus lumborum est. hoc est, mortis gemitus, & luctus circa lumbos est. verumtamen cùm talis esset calamitas iubetur non lamentari.

Heb. 7.

Humanum enim luctum non facies.

Tum etiam modum docet.

Erunt crines tui complicati super te, & calciamenta tua in pedibus tuis, & non consolaberis in labijs eorum, & panem virorum non comedes.

Vulg *Corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.*

Nihil, inquit, eorum quæ lugentes facere consueuerunt, facere sustineas, neq; caput detondere, neq; pedibus nudis incedere, sed neque per funebres epulas, quę parentalia vocantur, consolationem vllam accipere. videtur autem propheta etiam Nazaræus esse, erunt enim, inquit, capilli tui complicati super te. & superius item non vinum sed aquam bibere iussus fuerat: & horum vtrumq; Nazarę orum proprium est.

Et locutus sum ad populum mane, quemadmodum mandauerat mihi, & mortua est vxor mea vespere, & feci mane quemadmodum imperatum fuerat mihi.

Locutus sum ergo ad populum mane & mortua est vxor mea vespere, feciq; mane sicut præceperat mihi. Vulg.

Typum quendam auctoris omnium rerum Dei perfecte exprimit propheta. cùm enim populus Israelita pro sponsa Domino copulatus esset, & sic in seruitutem redigendus foret, & interficiendus, diuinum quoq; templum comburẽdum, formam quandam futurorum præbet prophetam. cuius repente mortua vxore, præcipit ei ne lugeat, ne ploret, neue luctuosum suscipiat habitum, ne ad eam mẽsam accedat, quæ consolationis ergo instruitur, verum silentio gemat, ostendens fore vt ipse nulla clementia, qui sibi coniuncti erant, dignos censeat, præter voluntatem tamen ipsis infligat supplicium. non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur ipse & viuat. qua de causa prophetæ quoq; vt silentio gemat, præcipit, hoc ipso significans etiam se præter voluntatẽ sustinere illatas populo calamitates, cùm & multa bonitate præstet, qua ad clementiam propensus est, & punire propter improbitatis exuperantiam cogatur.

Et dixit, inquit, ad me populus meus, non renunciabis nobis, quæ sint hæc, quæ tu facis? & dixi ad eos, verbum Domini factum est ad me dicens, dic ad domum Israel, hæc dicit Adonai dominus, Ecce ego profano sancta mea, superbiam roboris vestri, desideria oculorum vestrorum, & pro quibus parcunt animæ vestræ, & filij vestri, & filiæ vestræ quas reliquistis, gladio concident, & facietis quemadmodum feci, ab ore ipsorum non consolabimini, & panem virorum non comedetis, & comæ vestræ super caput vestrum & calciamenta vestra in pedibus vestris, neq; plangetis, neq; flebitis, & tabescetis in cordibus vestris, & non consolabimini vnusquisq; fratrem suum, & erit vobis Ezechiel in portentum. secundum omnia quæcunque feci facietis, quando venerint hæc, & cognoscetis, quia ego Adonai Dominus.

Et dixit ad me populus, quare non indicas nobis quid ista significent, quæ tu facis? Et dixi ad eos: sermo Domini factus est ad me dicens, loquere domui Israel, Hæc dicit dominus Deus, Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, & desiderabile oculorum vestrorum, & super quo pauet anima vestra, & filij vestri, & filiæ vestræ, quas reliquistis gladio cadent, & facietis sicut fecit, ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis, coronas habebitis in capitibus vestris, & calciamenta in pedibus, non plangetis, neq; flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, & vnusquisq; gemet ad fratrem suum, eritq; Ezechiel vobis in portentum, iuxta omnia quæ fecit, facient, cum venerit istud, & scietis quia ego dominus deus. Vulg.

Per ipsas res, inquit, vobis prophetiam ostẽ-

di,& in meipſo quæ futura ſunt adumbraui. quemadmodum enim ego mortua coniuge, nihil eorum feci,quę pro mortuis fieri conſue uerunt,nõ lamentatus ſum, non ploraui, non lugubrem veſtem ſumpſi, ita etiam vos filijs & filiabus veſtris interfectis, ſanctoq; templo profanato, impiorum barbarorum ingreſſu, pro quo ad hoc vſque tempus ſuperbia elati gloriabamini, & inſuper, infinitis alijs malis oppreſsi,neq; lamentandi facultatẽ conſequemini,neq; vſitata faciendi vobis poteſtas concedetur, non capitis detondendi, non calciamentis pedes exuendi,neq; lacrymarum fontibus doloris acerbitatem leniendi, neq; illius fruendæ menſæ,quæ cõſolationis ergo inſtruitur : neq; demũ aliud quippiam eorum, quæ vſitata ſunt faciendi. & recordabimini eorum,quæ à propheta facta ſunt,& ex euentu rerum cognoſcetis tanquam portentũ quoddam & ſignum fuiſſe vobis prophetam, qui per ipſas res futura vobis prædixerit.

Et tufil: hominis, nonne in die quando capio ab ipſis robur eorum, elationem gloriationis eorum, deſiderio oculorum ipſorũ,& elationem animæ ipſorum, filios ipſorum, & filias eorum in die illa, venier ſaluatus ad te,vt renũciet tibi in aures, in illa die aperietur os tuum ad ſaluatum,& loqueris, & non eris mutus amplius,& eris ipſis in portẽtum, & cognoſcent quia ego Adonai Dominus.

Vulg. *Et tufil: hominis ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & deſiderium oculorum eorum, ſuper quo requieſcunt animæ eorum,filios & filias eorum, in die illa cum venerit fugiens ad te,vt annunciet tibi,in die inquam illa aperietur os tuum,cum eo qui fugit,& loqueris, & non ſilebis vltra. eriſq; eis in portentum & ſcietis quia ego Dominus.*

Non ſolum in præſenti hæc ipſos edocebis, ſed etiam quando prædictio euentu fuerit cõprobata,& impijs barbaris tradita fuerint quæ ſancta ſunt,ac filij ipſorum & filię occiſi,& aduenerit inde aliquis qui facta doceat, tunc in memoriam illis redigens prædictiones haud ſuſtinebis tacere, vt percipiant mea voluntate,meoq; permiſſu facta hæc fuiſſe. pœnaſq́ue impiorum facinorum luent,non autem,ppter hoſtium vires ſed propter iuſtam meã iram, paſsi ſunt, quæcunq; pertulerunt. deinceps ad eos qui finitimi erant Iſrael,quiq; propter eos lætabantur,prophetiam conuertit : primosq; filios Ammon in medium producit.

Cap. 25. *Et factum eſt verbũ domini ad me dicens ,fili hominis firma faciem tuam ſuper filios Ammon,& propheta ſuper eos,& dices filijs Ammon,audite verbum Adonai domini,Hæc dicit Adonai Dominus,eo quod gauiſi eſtis ſuper ſanctis mea,quia profanata ſunt,& ſuper terram Iſrael,quia deſolata eſt,& ſuper domum Iuda, quia abijt in captiuitatem,propterea ecce ego trado vos filijs Cedem in hæreditatem, & firmabunt tentoria in peccato eorum inte & dabunt in te tabernacula ſua, & comedent fructus tuos, & ipſi bibent pinguedinem tuam.& dabo ciuitatem Ammon in paſcua camelorum & filios Ammon in paſcua ouium, & cognoſcetis quia ego Adonai Dominus.*

Vulg. *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens,fili hominis pone faciem tuam contra filios Ammon, & prophetabis de eis, & dices filijs Ammon, audite verbum Domini Dei,Hæc dicit Dominus Deus,pro eo quod dixiſti Euge euge ſuper ſanctuarium meum, quia polluta eſt, & ſuper terram Iſrael, quoniam deſolata eſt, & ſuper domum Iuda, quoniam ducti ſunt in captiuitatem,iccirco ego tradam te filijs orientalibus in hæreditatem & collocabunt caulas ſuas in te,& ponẽt in te tentoria ſua,ipſi comedent fruges tuas,& ipſi bibent lac tuum,daboq; Rabbath in habitaculum camelorum,& filios Ammon in cubile pecorum, & ſcietis quia ego Dominus.*

Filios Cedem alij interpretes filios orientis interpretati ſunt, hi autem ſunt qui ab Iſmael genus ducunt. dicit igitur auctor omnium rerum Deus per prophetam ad filios Ammon,quando gauiſi eſtis, dedicatũ mihi templum ab improbis nefarijſq; hominibus conculcatum cernentes, ac terram Iſrael deſolatam, tribumq; Iuda in ſeruitutem redactam, vos in eorum redigam poteſtatem, qui Babylonijs multo fuerint inferiores & imbecilliores,qui quidem vos multis afficient calamitatibus,tentoria in vrbibus tuis collocantes,camelorum autem greges in tuis agris paſcẽtes, voſq; ipſos ouium conſtituẽtes paſtores. cum hæc igitur vobis acciderint, intelligetis non propter meam imbecillitatem perpeſſum eſſe, quæ paſſus eſt populus meus, ſed propter ſuam improbitatem.

Iccirco hæc dicit Adonai dominus eo quod plauſiſti manu tua,& gauiſa es anima tua, & inſonuiſti pede tuo ſuper terram Iſrael,propterea ecce ego extendam manum meam ſuper te, & dabo te in direptionem in gentibus, & exterminabo te de populis, & perdam te de regionibus perditione, & cognoſces quia ego Adonai Dominus.

Quia hæc dicit dominus Deus, pro eo quod plauſiſti Vulg. *manu, & percuſſiſti pede & gauiſa es toto affectu ſuper terram Iſrael,iccirco ecce ego extendam manum meam ſuper te,& tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram,& ſcietis quia ego dominus.*

Quando inquit tu gauiſus & admodum lætatus populi mei malis & manibus plaudebas, & pedibus edebas ſonitum, ſaltans, & tripudians, iccirco grauiora patieris & ipſis rebus diſces eſſe me dominum.Hinc ad Moab fratrem Ammon & finitimum prophetiam tranſfert.

Hæc dicit Adonai Dominus, pro eo quod dixit Moab & Seir ecce quemadmodum omnes gentes, domus Iſrael & Iuda,iccirco ecce ego diſsoluo humerũ Moab hoſtibus ipſius,à promontorijs eius,electam terram Bethiaſimuth ſuper ſontem ciuitatis maritimæ Baelmon & Cariathem filios Cedem ſuper filios Ammon dedi ipſos in hereditatem & dabo eam in ablationem, vt ne ſit memoria filiorum Ammon in gentibus, & in Moab faciam vltiones & cognoſcetis quia ego Dominus.

Hæc dicit Dominus Deus,pro eo quod dixerũt Mo- Vulg. *ab & Seir,ecce ſicut omnes gentes domus Iuda,iccirco ecce ego aperiam humerum Moab de ciuitatibus, de ciuitatibus inquã eius,& de finibus eius inclytas terræ Bethieſimoth Beelmeõ,& Cariathaim,filios orientis cum filijs Ammon,& dabo eam in hæreditatem,vt non ſit vltra memoria filiorum Ammon in gentibus, & in Moab faciam iudicia, & ſcient quia ego Dominus.*

Seir cum Moab coniunxit, quia ipſi quoq; finitimi erant,& Seir vocat ab Eſau oriundos: vocabatur autem Edom flauum videlicet aut rubrum,& Seir dẽſum,& hirſutum. & vtrum-
Gen.25. que horum habuit Eſau frater Iacob. egreſſus eſt enim primogenitus inquit rufus totus & tanquam pellis hirſutus. patriarcha item Iacob de ipſo cum matre loquens ait, eſt Eſau
Gen.27. frater meus vir piloſus,ego autem homo leuis. quando igitur Seir & Moab inſultantes populi mei mala dicere auſi ſunt, nihil intereſſe inter meum populum & reliquas gentes, & hoc maledictum in me coniectum eſt, ſiquidem perinde atque aliarum gentium idola præ imbecillitate populo auxiliari nequiui, hac de cauſa diſſoluo humerum Moab ab hoſtibus ipſius.hoc eſt robur ipſorum deſtruam, neque ſolum in promontorijs poſitas ſed etiam maritimas ipſius vrbes euertendas curabo:maritimas autem vocat ad mare mortuum ſitas, procul enim ab alio mari incolebant Moabitæ,& vrbium quoque profert nomina.quarum ad præſens vſq; tempus exiguæ reliquiæ permanſerunt,& aliæ ſunt huius, aliæ illius Arabiæ, addit item iſtos ſe hoſtibus traditurum, eiſdem,quibus fratres etiã ipſorum filios Ammon,& experientia eos percepturos eſſe Dominum potentem,qui opem ferre valeat, ſed propter populi ſceleraid facere recuſet,iccirco ſubiecit,& cognoſcent quia ego Dominus. ita prædictis ijs,quę ſint Moab euẽtura,ad Seir,qui idem eſt Edom,tranſfert orationem.

Hæc dicit Adonai Dominus, pro eo quod fecit Idumæa in vlciſcendo eos vltione in ira in domo Iuda, & memoriam malorum retinuerunt, & vlti ſunt vltionem ab eis,Iccirco hæc dicit Adonai Dominus. et extendam manum meam ſuper Idumæam,& exterminabo ab ea hominem & pecus, & ponam eam deſertam,& de Theman & Dedan fugientes in gladio cadent,& dabo vltionem meam ſuper Idumeam in manu populi mei Iſrael,& facient in Idumæa,ſecundum iram meam,& cognoſcent vltionem meam dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Hæc dicit Dominus Deus,pro eo quod fecit Idumæa vltionem vt ſe vindicaret de filijs Iuda,peccauitq; delinquens,& vindictam expetiuit de eis,iccirco hæc dicit dominus Deus,extendam manum meam ſuper Idumeam,& auferam de ea hominem & iumentum, & faciam eam deſertam ab auſtro,& qui ſunt in Dedan gladio cadent: Et dabo vltionem meam ſuper Idumæam per manum populi mei Iſrael, & facient in Edom iuxta iram meam & furorem meum,& ſcient vindictam meam dicit Dominus Deus.*

Cùm enim non vt Moabitæ ſolum & Ammanitæ lætati ſint,ſed etiã factis ſuam improbitatem indicarint,priſtina illa ſeruata ira:iratus eſt enim ipſi Iacob, inquit, pro benedictione qua benedixit ei pater eius. hanc ob rem non alijs ipſos hoſtibus tradam, ſed ipſi populo meo ab eo iniuria affecto, vt per ſolitudinem,qua penitus deſerentur,diſcant ipſi mei dominij potentiam. Theman autem vrbs eſt Idumææ & Dædan, eorum itidem qui à Chettura nati ſunt patriarchæ Abrahæ, & cognomines fuere habitatorum. & propinqua erat Dædan Idumææ & cum ea conſentiebat.ita quæ ad hos pertinẽt prædictis ad alienigenas transfert prædictionem,Idumæi enim cùm ab Iſaac oriundi ſint,non ſunt alienigenæ, neque item Ammanitæ, aut Moabitæ, qui à Lot genus ducunt. Alienigenæ igitur erant Tyrij & Sydonij & alij omnes horum finitimi,ſed præcipue alienigenas diuina ſcriptura vocat Aſcalonitas & Gazzæos,Metthæos,& Acaronitas & Azotios,quandoquidẽ Iudæ tribui coniunctam habebant terram, & valde finitimi erant,& in propinquis regionibus incolentes. dicit igitur etiam ea quæ his euentura ſunt.

Hæc dicit Adonai Dominus, eo quod fecerunt alienigenæ in ira, & ſuſcitauerunt vltionem gaudentes ex tota anima, vt corrumperent ex animo ſecundum odium ſempiternum : iccirco hæc dicit Adonai Dominus,ecce ego extendam manus meas ſuper alienigenas, & exterminabo Creteenſes & perdã reliquos habitantes maritimam, & faciam in ipſos vltiones magnas in redargutionibus furoris,& cognoſcent quia ego Adonai Dominus cum dedero vltionem meam ſuper eos.

Pro eo quod fecerunt Paleſtini vindictam, & vlti Vulg. *ſe ſunt toto animo interficientes,& implentes inimicitias veteres,propterea hæc dicit Dominus Deus, ecce ego extendam manum meam ſuper Paleſtinos,& interficiam interfectores, & perdam reliquas maritimæ regionis.faciamq; in eis vltiones magnas arguens in furore,& ſcient quia ego Dominus cum dedero vindictam meam ſuper eos.*

His quoque æque atque Idumæis odium vitio vertit, memores enim iniuriarum à populo meo acceptarum, quaſi à victore & proprio regno potito,calamitatis tempus vltionis tempus fecerunt,& in eos inuadentes infinitis eos malis affecere.hac de cauſa ego pœnas odij ab illis exigam,& diuinitus illis plagas infligam, & vna cum principibus ſubiectos illis interficiã,& in mala,quæ euadere nequierint, impellam; vt per ea quæ ſuſtinuerint mei dominij iura cognoſcant.nos autem ne expectemus dum malorum experientia Dominum noſtrum agnoſcamus, ſedà ſempiternis illius donis percepta cognitione erga illius beneficia gratos nos præbeamus, vltionisque cupiditatem cognitis ipſius pernicioſis fructibus euitemus, A poſtolicoq; præcepto pareamus, haud expectantes vt ſuper mutuas offenſas occidat ſol,ſed ante illius occaſum irã ſedemus, ita enim iram contra nos iuſti iudicis mitigabimus amabiliq́ue illa & optatiſsima benevolentia fruemur.cuius vtinam compotes omnes ſimus gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria cum ſancto ſpiritu in ſæcula.Amen.

SECTIO XI.

Cap.26. *Et factum est in vndecimo anno vna mensis, factum est verbum domini ad me dicens, eo quod dixit Sor super Hierusalem Euge, contrita est, periit, gentes conuersæ sunt ad me, quæ plena est deserta fuit.*

Vulg. *Et factum est in vndecimo anno prima mensis factus est sermo domini ad me dicens, fili hominis pro eo quod dixit Tyrus de Hierusalem, Euge, confracta sunt portæ populorum, conuersa est ad me, implebor, deserta est.*

Anno vndecimo captiuitatis Iechoniæ, regni vero Sedeciæ mense quarto, quarta mensis, à Babylonijs Hierusalem capta est. paucis igitur diebus antequã capiatur, iubetur propheta contra Tyrum prophetica verba facere, Tyrus enim Sor incolarum lingua vocatur, ipsa autem obsidione Hierusalem lætata fuerat & opinata est fore vt nobilissima illa vrbe euersa ipsa in omnes finitimas gentes potiretur imperio.

Propterea hæc dicit Adonai Dominus, ecce ego induco super Sor, & adducã super te gentes multas, sicut ascendit mare fluctibus suis, & diruent muros tuos, & destruent turres tuas, & ventilabo puluerem eius ab ea, & dabo eam in leuem petram, exsiccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, dicit Adonai Dominus, & erit in prædam gentibus, et filiæ ipsius in agro gladio interficientur, & cognoscent quia ego Dominus.

Vulg. *Propterea hæc dicit Dominus Deus, ecce ego super te Tyre, & ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans, & dissipabũt muros Tyri, & destruent turres eius, & radam puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram, siccatio sagenarum erit in medio maris, quia locutus sum ait Dominus Deus, & erit in direptionem gentibus, filiæ quoque eius quæ sunt in agro gladio interficientur, & scient quia ego Dominus.*

Per hæc Babyloniorum cum exercitu profectionem ipsi minatur, aitque dirutis muris ipsam ita desertam fore, vt quibusdam leuibus lapidibus comparari possit, quibus explicare sagenas piscatores cõsueuere. asserit item subiectas illi vrbes & vicos euersum iri, has enim filias eius nuncupat, significat præterea vtilitatem à calamitatibus futuram cùm dicit, cognoscent quia ego Dominus.

Quia hæc dicit Adonai dominus: ecce ego adduco super te Sor Nabuchodonosor regẽ Babylonis ab aquilone, rex regum est, cum equis & curribus, & equitibus, & congregatione gentium multarum valde, iste filias tuas quæ in campo sunt gladio interficiet, & dabit super te præcautionem, & circumædificabit te, & ponet tibi vallum, & circumædificabit super te in circuitu, & vallum, & circumstantiam armorũ, & lanceas eius contra dabit.

Vulg. *Quia hæc dicit Dominus Deus, ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone regem regum, cum equis, & curribus, & equitibus, & cœtu populoq; magno. filias tuas quæ sunt in agro, gladio interficiet, & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro, & eleuabit contra te clypeum.*

Speculam, vocat arces quas inuadentes hostes ædificare consueuerunt, vt & quæ foris prædentur, & rerum necessariarũ inopia obsessos interficiant. circumædificare autem ea quæ extra ab hostibus ædificãtur mœnia nun cupat. & addet inquit ad hanc ædificationem vallum & fossas, & aggeres, vt nemo exire audeat, & facile inde omnis generis tela conijci possint. deinde subijcit.

Muros tuos, & turres tuas destruet in armis suis, à multitudine equorum eius, operiet te puluis eorum, et à voce equitum eius, & rotarum curruũ ipsius, commouebuntur muri tui, ingrediente illo portas tuas tanquam ingrediẽte in vrbem de campo, in vngulis equorum suorum, conculcabunt omnes plateas tuas, populum tuum gladio interficiet, & substantiam roboris tui in terram deducet, & deprædabitur potẽtiam tuam, & spoliabit facultates tuas, & destruet muros tuos, & domos tuas desiderabiles euertet, & lapides tuos, & ligna tua, & puluerem tuum in medio maris iniiciet. & dissoluet multitudinem musicorũ tuorum, & vox psalteriorum tuorum non audietur amplius, & dabo te in leuem petram, exsiccatio sagenarum eris, & non ædificaberis amplius, quia ego locutus sum dicit Adonai Dominus.

Et vineas & arietes temperabit in muros tuos, & Vulg. *turres tuas destruet in armatura sua, inundatione equorum eius operiet te puluis eorum, à sonitu equitum, & rotarum & curruum mouebuntur muri tui, cùm ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum vrbis dissipatæ. vngulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas, populum tuum gladio cædet, & statuæ tuæ nobiles in terram corruent, vastabunt omnes opes tuas, diripient negotiationes tuas, & destruent muros tuos, & domos tuas præclaras subuertent, & lapides tuos & ligna tua, & puluerem tuum in medio aquarum ponent, & quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, et sonitus cithararum non audietur amplius, et dabote in limpidissimam petram: siccatio sagenarum eris, nec ædificaberis vltra, quia ego Dominus locutus sum ait Dominus Deus.*

Vera, inquit, omnia sunt quæ à me prædicuntur, igitur vt à mendacio vacuam excipe prædictionem, nam muros tuos diruent Babylonij, & domos tuas euersas, quæ illis propinquæ sunt, lapidibus complebunt, tantusque erit equorum & curruũ strepitus, vt videatur quodam veluti terræ motu vrbs commoueri, & facultates tuas diripiẽt, & incolas tuos redigent in seruitutem, tantaque solitudine occupaberis, vt in te piscatores sagenas madefactas exsiccẽt, & quæ in leuibus saxis mari propinquis facere consueuerunt, ea in te præmulta solitudine faciant. illud autem non amplius ædificaberis, ex beati Esaiæ prophetæ prophetia cognoscemus. etenim propheta ille itidem calamitates Tyro vaticinatus est. verum tempore quodã definito miserias terminauit. derelinquetur enim Tyrus, inquit, septuaginta annis, sicut tẽpus regis vnius, sicut tẽpus hominis, & erit post septuaginta annos, speculationẽ Deus faciet Tyri, & rursus restituetur in antiquum, & erit emporiũ omnibus regnis orbis terræ, super faciẽ totius terræ, & erit negotiatio eius sancta Domino, & quæ sequuntur. illud igitur nõ ædificatur, morum innuit mutationem quia secundum pristinam impietatem non ædificabitur, sed aliã & aperte contrariam ędificationem nanciscetur, quæ secundum prophetam Esaiam sancta erit Domino, & res testantur, atque ea quæ nunc viget pietas: à pristina enim superstitione, & errore circa idola ad Deum conuersa diuinæ cognitionis lumen excepit.

Esa.23.

Quia hæc dicit Dominus Sor, nonne à voce ruinæ tuæ, cùm gemuerint vulnerati tui, cùm interfecti fuerint gladijs in medio tui, commouebuntur insulæ, & descendent de thronis suis omnes principes gentium maris, & auferent mitras de capitibus suis, & vestimentum suum varium exuentur, furore insanient, super terram sedebunt, & verebuntur perditionem suam, & suspirabunt super te?

Vulg. *Hæc dicit Dominus Deus de Tyro, numquid non à sonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum, cùm occisi fuerint in medio tui commouebuntur insulæ, & descendent de sedibus suis omnes principes maris, & auferent exuuias suas, & vestimenta sua varia abijcient, & induentur stupore in terra sedebunt, & attoniti super repentino casu tuo admirabuntur?*

Illustris fuit Tyrus à principio non in Asia tãtum sed etiam in Europa, necessario igitur, quæ ei accidit calamitas, nota fuit. qua percepta, inquit, insulas habitantes perterrebũtur, & eorum reges præ tristitia & mœrore, etiam diadematis capita spoliabunt, hæc enim mitras vocauit, & sumptuosa deposita veste, lugubrem habitum assument, eadem se passuros sperantes. quod significauit cùm dixit, & verebuntur perditionem ipsorum, itaq; eos cruciabit malorum nuncius, vt etiam

Lamentum super te assumant, & dicant: quomodo perijsti, & euersa es ex mari, ciuitas laudabilis? quæ fuit fortis in mari ipsa, & habitantes eam, quæ dedit timorem suum omnibus habitantibus eã, & verebuntur insulæ à die ruinæ tuæ, & turbabuntur insulæ à potestate tua in mari.

Vulg. *Et assumentes super te lamentũ dicent tibi, quomodo perijsti, quæ habitas in mari, vrbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant vniuersi, nunc stupebunt naues in die pauoris tui, & turbabuntur insulæ in mari, eo quod nullus egrediatur ex te?*

Reputantes, inquit, tuam pristinam potestatem, & eam quæ te in præsenti calamitas occupauit, conspicientes, te quidem lamentis prosequentur vrbem olim nobilissimam ac celeberrimam, res vero suas per se ipsi cogitabũt, veriti ne in eadem incidant mala.

Quia hæc dicit Adonai Dominus, cùm dedero te vrbem desolatam, sicut vrbes quæ non habitabuntur, cùm reduxero ego super te abyssum, & cooperiet te aqua multa, & deducam te ad descendẽtes in puteum, ad populum sæculi, & collocabo te in profunda terræ, sicut solitudinem æternam cum descendentibus in foueam, vt ne habiteris, neque resurgas super terram vitæ.

Vulg. *Quia hæc dicit Dominus Deus, cùm dedero te vrbem desolatam sicut ciuitates quæ non habitantur, & adduxero super te abyssum, & operuerint te aquæ multæ, & detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum, & collocauero te in terra nouissima sicut solitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum, vt non habiteris, porro cùm dedero gloriam in terra viuentium.*

Abyssum vocauit Babylonij exercitũ propter multitudinem, cùm enim ipsa quoque circumfluasit & rotunda insula & tota intus in mari sita, vnum à terra aditum habens, congruus fuit translatione, aquam multam & abyssum cùm hostium vim nuncupauit: illud autem, deducam ad descendentes in foueam ad populum sæculi, mortem significat, sub qua omnes præsens æuum transigunt, quicunque è vita decesserunt, populum igitur sæculi mortuos nominauit; illud vero neque resurgas super terram vitæ, id quod in psalmis habetur declarat, ideo non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum, cumque impij fuerint, qui eo tempore Tyrum incoluere in terram vitæ non resurgent, quam beatus Dauid viuentium nominat regionem, quia eripuit, inquit, animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu, vt placeam coram domino in regione viuentium. & dominus in sacris euangelis hanc facit diuisionem. hi enim resurgent, inquit, in vitam æternam, & hi in pœnã, & dedecus sempiternum. minatur igitur ijs quoque qui tunc Tyrũ incolebant impie degentes non solum Babylonij iuuentum, & futurã per illum perniciem, sed etiam in futura vita tristes cruciatus, & molestias. quid enim tristius quàm super terram vitę non resurgere? ad hęc adijcit.

Psal.1.

Perditioni te dabo, & non eris vltra, & quæreris, neque inuenieris in sæculum, dicit Adonai Dominus.

In nihilum redigam te & non eris, requisita non Vulg. *inuenieris vltra in sempiternum, dicit Dominus Deus.*

Psal.114.

Omnes diuini prophetæ sacriq́ue Apostoli eundem spiritum percepere, nõ igitur ea quæ inter se discrepent, loquuntur. spiritus enim veritatis Spiritus sanctus est, quod si eodem spiritu diuini prophetæ dignati sunt, & veritatis spiritus Spiritus sanctus est, inter se prophetarum oracula consentiunt, & quamuis inueniamus definitam Tyri solitudinem apud Esaiam prophetam, & audiamus prophetam Ezechielem, cùm Tyro dicit, quæreris, neque inuenieris in sæculũ dicit Adonai Dominus: non tamen discrepare inter se prophetas asseremus, sed ex idiomatis scripturæ, id quod quæritur dissoluemus, consueuit enim diuina scriptura sæpe etiam breue tempus sæculum vocare. tale est & illud quod à beato Dauid dictum est, sæculum nostrum & in illuminatione vultus tui. & idem insuper dies inquit annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autem in potentatibus octuaginta anni, & amplius eorum labor & dolor, tantam igitur cùm nosset humanam vitam, sæculum eam nominauit: ergo illud non inuenieris in sæculum, hoc est, in definitum tibi solitudinis tempus, definitum autem ipsi fuit septuaginta annorum tempus, per Esaiam prophetam.

Psal.84.

Ibidem.

quod

quod si quis hunc locum magis secundum spi ritum velit intelligere,sic quoque veram com periet prophetiam, si quis enim quæ fierit Ty rum,non inueniet illam priorem,illa enim im pia fecit,quę vero post illam desertam floruit, ac pullulauit, pia conspicitur diuinæ cogni tionis lumine illustrata. siue igitur secundum id quod dictum est velit aliquis prophetiam intelligere, comperiet sæculum nominatum tempus ipsi definitum,siue in penitiorem par tem velit quis penetrare, reperiet rursus Ty rum non illam esse, sed illi omnino contra riam.

Et factum est verbũ domini ad me dicens,& tu fili hominis assume super Sor planctum,& dices Sor ha bitanti in introitu maris emporio populorum ab insu lis multis.

Vulg. *Et factus est sermo Domini ad me dicens,tu ergo fi li hominis assume super Tyrum lamentum,& dices Ty ro,quæ hab.tat in introitu maris,negotianti popolo rum ad insulas multas.*

Clementiæ Dei bonitatisque exuperanti am significant ea quæ dicta sunt,docet autem nos hæc oratio, cùm peccantibus correctio nem quandam adhibemus, non odio aliquo aut inimicitia id facere,sed commiserantes,& admodum dolentes,etenim ipse iure & iustis sime iudicans prophetæ præcipit vt ciuitatem punitam lamentetur,declarans qua animi affe ctione illam puniret.

Hæc dicit Adonai Dominus Sor, tu dixisti ego circumdedi.nihi ipsi decorem meum, in corde maris Ba alim.

Vulg. *Hæc dicit Dominus Deus ò Tyre tu dixisti, perfe cti decoris ego sum,& in corde maris sita.*

His ingrati eius animi vitium redarguit,vt superbiam,quæ à Deo acceptis decoris occa sionibus ingrata erga bonorum largitorem fuit,propriæque sapientiæ ac viribus,quę sibi accesit,bonorum ascripsit abundantiã,quam item Baalim attribuit, ita autem idola sacra nuncupat scriptura. duplex igitur impietas, non enim solum bonorum datorem ignora uit,sed etiam ijs,qui prorsus imbecilles,ne pul chritudinem quidem, quæ sensu percipiatur, sibi vendicare possunt, eorum submini stra tionem assignare ausa est. deinde narrat, quot & qualia dona perceperit,& ex quot gen tibus ipsi abundantiæ occasiones afferrentur.

Filij tui circumdederunt tibi pulchritudinem, ce drus ex Sanir ædificata est tibi, tæniæ tabularum cy pariss. ex Libano captæ sunt,vt facerẽt in abiegnos ex Basanitide fecerunt remos tuos.

Vulg. *Finitimi tui,qui te ædific auerunt,impleuerunt de corem tuum,abietibus de Sanir extruxerunt te, cum omnibus tabulatis maris,cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum,quercus de Basan dolauerunt in remos tuos.*

Hi montes diuersa ligna producunt, enu merat igitur, quæ vndique ipsi afferebantur, & malos, inquit,à Libano excisos comporta bas,& à Basanitide remos,& ædificia à Sanir. ad hæc adijcit.

Templa tua fecerunt ex ebore, domos nemorosas ab insulis Chettijm.

Et transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, Vulg. *prætoriola de insulis Italiæ.*

Pro templa tua alij interpretes cornu tuum,posuerunt,vt ea quæ ante dicta sunt, con sequatur.malum enim & remos antenna quo que consequitur. quod si etiam de idolis dictum sit, à ratione non abhorret, eburnea enim construxit,inquit,idola,& domos nemoro sas.id est,tabulis contectas, ita enim Aquilas interpretatus est. declarans que quàm pretiosa essent ligna illa, eorum loca significauit. hæc enim afferebas, inquit, ab insulis Chettijm, Chettijm vero Græcas insulas appellat,etenim per Hieremiam Deus ait:Transite Hier. 2. ad insulã Chettijm,& videte,& in Cedar mittite & considerate valde si facta sunt talia, si mutabunt gentes Deos suos, & ipsi non sunt dij:& per Cedar sitas ad orientem gentes declarat,per Chettijm ad occidentem. Cittium vero oppidum in Cypro est, & ad hoc vsque tempus ita nuncupatur,quod aspirationis nota signatum secũdum Hebræorũ idioma cum Chettijm cognationem ostendit, & Cyprus eo tempore insularum imperio potiebatur.iccirco Græcas insulas Chettijm vocat. ex his, inquit,insulis pretiosa tibi ligna afferebantur. his subijcit.

Byssus cum varietate ex Aegypto,facta est stratum vt circumdaret tibi gloriã, & operiret te hyacinthus & purpura, ex insulis Elisa facta sunt indumenta tua.

Byssus varia de Aegypto texta est tibi in velum, vt Vulg. *poneretur in malo, hyacinthus & purpura de insulis Elisa facta sunt operimentum tuum.*

Aegyptus,inquit,tibi varia strata omnisque generis afferebat,indicat autem tapetas, & alia inde allata, Græcia vero indumenta tibi mittebat,omnis quidẽ generis purpurea, sed hyacinthino quædam colore tincta, Elisa enim Græciam vocat.

Et principes tui habitantes Sidona,& Aradij fuerunt remiges tui.

Habitatores Sidonis & Aradij fuerunt remiges Vulg. *tui.*

Hebræorum & Syrorum volumina non ha bent principes tui,sed finitimi tui,vt vero etiam Septuaginta interpretationem intelliga mus,ita accipiamus,Sydonij olim tibi imperantes nunc vna cum ijs,qui Aradũ colunt,navalem tuam classem complent tuas remis naues impellentes,& qui apud te sapientes sunt, hi gubernatoris obeunt munus.

Sapientes enim tui, inquit, Sor, qui erant in te, isti gubernatores tui, senores Bybli, & sapientes eorum, qui erant inte, isti corroborabant consilium tuum.

Sapientes tui Tyre facti sunt gubernatores tui,se- Vulg. *nes Biblij & prudentes eius habuerunt nautas ad mini sterium variæ supellectilis tuæ.*

Non propriam vrbem confirmabant, sed tibi optima consilia consultationesque afferebant.

Et omnia nauigia maris, & remiges eorum fuerũt in te permutantes commercio tuo, & facti sunt tibi in occidentem occidentis.

Omnes

Vulg. *Omnes naues maris,& nautæ earum fuerunt in po pulo negotiationis tuæ.*

Vndique,inquit,ad te mercatores consue bant,tum vendentes,tum ementes. hoc enim significat,permutantes commercio tuo, & nõ solum finitimi tui ad portus appellebantur, sed etiam extremas occidentis partes incolen tes:illud enim ad occidentem occidentis hoc declarat.quia non solum illi,inquit,qui habi tant tibi ad occidentem,sed etiam ij, qui illis magis incolunt ad occasum.

Persæ,& Libyes, & Lydi erant in exercitu tuo viri bellatores tui,qui peltas & galeas suspenderunt in te, isti dederunt gloriam tuam.filij Aradiorum,& exer citus tuus in muris in circuitu erant, sed etiam Medi in turribus tuis erant custodes,pharetras suas suspen derunt super humeros tuos in circuitu.isti perfecerũt pulchritudinem tuam.

Vulg. *Persa & Lydi & Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui,clypeum & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo.filij Aradij cum exercitu suo erant su per muros tuos in circuitu,sed & Pygmæi qui erant in turribus tuis pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum : ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.*

Enarrata lignorum diuersitate, vestitũ item varietatibus,nauticis gubernationibus,consi liarijs,qui quid facto opus esset indicarẽt,mer catoribus vndique aduentantibus,militarem quoq; cœtum recenset, è diuersis nationibus & ciuilia instituta edoctis profectum Persis & Lydis & Libybus, Aradijsque,& Medis.com memorat autem & omnis armaturæ genera pharetras,peltas,& galeas.pelta vero parũ est scutum, quod leuis armaturæ milites inter hostes ferunt,quo item vtuntur Pyrrichamlu dentes.

Chartaginienses mercatores tui.à multitudine to tius potentiæ tuæ,argentum & aurum, & æs & fer rum & stannum & plumbum, dederunt forũ tuum.

Vulg. *Chartaginienses negotiatores tui à multitudine cunctarum diuitiarum argento, ferro, stanno, plum boq; repleuerunt nundinas tuas.*

Chartaginem,metropolis hæc est illius quę olim Libya nunc Africa nominatur, & Syrus & Hebræus Tharsis appellat, & per metropo lim negotiationem earum rerum,quæ ex om ni natione afferebantur, è multiplici materia ibi inuentarum declarauit.

Græcia omnis,& pertinentia ad eã negotiati sunt in te in animalibus hominum, & vasa ærea dederunt forum tuum.

Vulg. *Græcia, & Thubal, & Mosoch, ipsi institores tui, mancipia & vasa ærea adduxerunt populo tuo.*

Mancipia,inquit,& vasa ærea,à Græcia finitimisque regionibus afferebantur tibi.

E domo Thorgoma equos & equites, & mulos de derunt forum tuum.

Vulg. *De domo Thorgomæ equos & equites & mulos ad duxerunt ad forum tuum.*

Equos autem,inquit,& equites & mulos ti bi Phrygia mittebat; ita enim domum Thor goma interpretantur.

Filij Rhodiorũ mercatores tui ab insulis multiplica runt negotiationẽ tuã, cornua & dentes elephãtinos.

Filij Dædan negotiatores tui insulæ multæ negotia Vulg. *tio manus tuæ,dentes eburneos,& hebeninos commu tauerunt in pretio tuo.*

Cornua Symmachus hebenos interpreta tus est,à quibus ea fiunt, quæ hebenia vocan tur.hæc inquit Rhodij mare transmittente af ferebant tibi, & horum tibi vsum supple bant.

Et ijs,qui introducebantur,reddebas mercedes tu as homines negotiationis tuæ à multitudine commi stos tuos.

Syrus negotiator tuus propter multitudinem ope- Vulg. *rum tuorum.*

Hæc autem omnia inquit tu susc ipiens red debas comportantibus mancipia, cùm colo nos plurimos haberes.hos enim cõmistos vo cauit ex alijs quidem gentibus profectos, sed cum ipsis habitare non recusantibus.

Guttam,& purpuram,& variatas vestes, & byf sum è Tharsis & Rhaamoth, & Choth dederunt fo rum tuum.

Guttam & purpuram & scutulata, & byssum, Vulg. *& sericum, & chodchod proposuerunt in mercatu tuo.*

Habebas item, præter ea,quæ iã dicta sunt, alia à Carthagine bona,quæ non solum vesti bus te exornarent,& varijs indumentis indue rent,sed etiam vnguenta multam tibi odoris suauitatem afferentia, guttam enim nominat id,quod balsammum vocatur, choth autem, gemmam quæ onyx dicitur,& rhaamoth,alia aromata.

Iudas & Israel, isti mercatores tui in frumenti venditione, & vnguentorum & casiæ, & primum mel & oleum, & resinam dederunt in commercium tuum.

Iuda & terra Israel ipsi institores tui in frumento Vulg. *primo balsamum & mel,& oleum,& resinam propo suerunt in nundinis tuis.*

Tanta enim erat inquit ex Iudaica negotia tione,quæ ad te afferebatur, abundãtia,vt in digenæ tui,& hospites,& coloni comportatis bonis fruerentur, alijs ad vsum edendi, alijs ad odoris delicias.

Damascus negotiatio tua in multitudine operum tuorum,in multitudine potentiæ tuæ.

Damascenus negotiator tuus in multitudine ope- Vulg. *rum tuorum,in multitudine diuersarum opum.*

A multitudine,inquit,omnium opum tua rum, quæ apud te gignebantur, emebat Da mascus,negotiabaris igitur cum ipsa quoque ei vendens,quę tibi superabant,& inde aurum cogens.

Vinum pingue ex Chelbon,& lanam lucidam è Mi leto,& vinum Dadan,& Ioanan,& Mezzel in forum tuum dederunt.

In vino pingui,in lanis coloris optimi,Dan & Grę- Vulg. *cia & Morel in nundinis tuis proposuerunt.*

Ionan Ioniam vocat,Dædan vero vrbẽ Idu mæa,& Chelban vicus quidam erat ipsi finiti mus. vndiq; tibi inquit bona afferebantur,vi num dulce,& odoratum,ex hac gẽte, optima que lana è Mileto, hæc autem vrbs olim qui dem & ipsa Ioniæ,nunc vero Cariæ est. Chel bon Symmachus Chalen,interpretatus est.

Et Asel ferrum elaboratum, & rotæ in commistione tua sunt, Dædan negotiatores tui, cum iumentis electis ad currus, Arabia, & omnes principes Cedar, isti negotiatores per manus tuas camelos & arietes, & agnos in quibus negotiantur tibi.

Vulg. *Ferrum fabrefactum, stacte & calamus in negotiatione tua Dædan institores tui in tapetibus ad sedendū, Arabia & vniuersi principes Cedar, ipsi negotiatores manus tuæ, cum agnis & arietibus, & hœdis venerunt ad te negotiatores tui.*

Alij quidem tibi inquit ferrum elaboratum afferebant, alij autem mulos & equos ad currus: alij vero camelos, & arietes & agnos, vt illis ad onera ferenda, his ad cibos & vestes vtereris. Cedar vero ab Ismaele oriundos vocat, & Dædan Idumææ vrbem sicut iā etiam paulo ante diximus. ita enim & apud Hieremiā & apud ipsum Ezechielem in visione cōtra Idumæam inuenimus Theman cum Dædan coniunctam, & Asel Asiam quidā esse opinati sunt, optimos habentem ferri artifices, & è ferro vasa optime construentem.

Mercatores Saba & Rhegma & ipsi mercatores tui cum primis vnguentis, & lapidibus pretiosis, qui etiam aurum dederunt mercatum tuum.

Vulg. *Venditores Saba & Reema ipsi negotiatores tui, cum vniuersis primis aromaticis, & lapide pretioso & auro, quod proposuerunt in mercatu tuo.*

Saba & Rhegma à Chuz genus ducūt, Chuz autem Cham primogenitus fuit. Aethiopiæ igitur hæ & Indicę gentes, declaratque ea quę inde comportabantur.

Lapides pretiosi & aurum & vnguenta, Charan, & Chalan, & Dædan, isti mercatores tui.

Vulg. *Haran, & Chenne, & Eden negotiatores tui.*

Charran, Caræ, & Challan, Chalane est est, vbi turris ædificata fuit, Dædan vero, sæpe interpretati sumus.

Saba, & Assur, & Cham, negotiatores tui ferentes negotiationem in Mehallim, & Galma, hyacinthū & varietatem, & thesauros electos in Magozis compositos, colligatos in funiculis, & in cyparissinis nauigijs, in ipsis negotiatio tua.

Vulg. *Saba, Assur, & Chelma venditores tui, ipsi negotiatores tui multifariam inuolucris hyacinthi, & polymitorum, gazarumq; pretiosarum, quæ obuolutæ & astrictæ erant funibus: cedros quoque habebant in negotiationibus tuis, naues maris principes tui in negotiatione tua.*

Saba Indicam nationem appellat, comperimus enim hoc nomen in ipsius Sem genealogia, & Assur, Assyrium, Charman vero eā, quæ Carmaene nuncupatur. & illud, in Machalim & in Galima, hyacinthum & varietatem, & thesauros electos in Magozis compositos. Aquilas ita interpretatus est. constructis inuolucris hyacinthi & varietatis & in Magozis compositis. & in Magozis ab hebræo in græcam linguam vertit, significatq; in occultis vasis. ita enim Syrus quoque in hanc sententiam interpretatus est. statim autem sumptuosa, inquit, & varia pretiosis inuolucris contecta, & in vasis optime instructis reposita, funiculisq; deuincta tibi afferebantur.

Naues Chartaginienſiū in negotiatione tua in multitudine commistorum tuorum.

Et ad negotiationem vsa es Chartaginiēsium nauibus infinitam habens multitudinem non solum domesticam, sed etiam aduentiam.

Et repleta es, & grauata es valde in cordibus marium, in aqua multa duxerunt te remiges tui.

Et repleta es & glorificata es nimis in corde maris, in aquis multis adduxerunt te remiges tui. Vulg.

Satietas, inquit, te ad exultandum induxit, perceptisque bonis auctorem beneficiorum ignorasti. hoc quoque nomine Israel accusauit. comedit enim Iacob, inquit, & expletus est & recalcitrauit dilectus. quia vero nihil ex tranquillitate vtilitatis percepisti, contrarijs te resipiscere docebo.

Spiritus enim austri inquit contriuit te in corde maris.

Ventus auster contriuit te in corde maris. Vulg.

Per translationem Babylonium ita appellauit, quando maximos excitare fluctus auster consueuit, & difficilem contra nauigantes suscitare tempestatem. per translationem quasi contra maritimam vrbem austrum vocat, hostium incursum, tum dicit, at ne eisdem immo remur, & te & inquilinos tuos & remiges, & gubernatores, & consiliarios & mercatores, & bellicos supplentes cœtus pernicies opprimet, hoc enim significauit cùm dixit.

Cadent in medio cordis marium.

Cadent in corde maris. Vulg.

Ad hęc addit ita fore vt obsessa & capta vrbe procul degentes gubernatores tui, multo terrore affecti in fugam vertantur, eademque nautæ facient cum ijs, qui ad proram imperāt, relictisque nauigijs lamentantes & lugentes in terram descendant, & terra caput conculcēt, atque in ipso solo recumbant puluerem inde extergentes capitaque capillorum spolient or natu, saccisque induti lamentari & lugere perseuerent. deinde lamentationem, quam ipsi adhibebant, enarrat.

Quis sicut Tyrus quæ conticuit in medio maris?

Quæ est vt Tyrus quæ obmutuit in medio mari? Vulg.

In otio inquit & pace omne hoc tempus trāsegisti, quo nemo tibi perturbationem excitare ausus est.

Quantam inuenisti mercedem à mari?

Satis hoc est ad docendos omnes homines ne superbia efferantur propter eam, quæ videtur, felicitatem, propterea quod mutatio consequitur. hoc enim ipsi Tyro ait, Quid tanto tempore à negotiatione tua lucrata es? atqui inquit,

Et à commistione tua, & à commercio ditasti omnes reges terræ, nunc autē contrita es in mari, in profundo aquæ, commistio tua & omnis congregatio tua in medio tui ceciderūt, & omnes remiges tui, habitantes insulas tristabuntur super te, & reges ipsorum stupore obstupescent, & flebit facies eorum, mercatores à gentibus sibilabunt super te, perditio facta es, & non vltra eris in æternum.

Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari implesti populos multos, in multitudine diuitiarum tuarum, & populorum tuorum ditasti reges terræ, nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ & omnis multitudo tua quæ erant in medio tui ceciderunt, vniuersi habitatores insularum obstupuerunt super te, & reges earum omnes tempestate percussi mutauerunt vultus, negotiatores populorum sibilauerunt super te: ad nihilum deducta es, & non eris vsque in perpetuum. Vulg.

Considerato, inquit, vt nihil tibi negotiationis labor profuit, neque ad te omnium gentium concursus, instar enim nauigij demersi malorū deformitate cooperta es veluti quosdam fluctus excipiens hostilium legionum defluxus. quamobrem omnes insulani, maritimique cum suis te regibus lugent, conspicati nobilissimam olim vrbem repente deletam, & ad nihilum redactam, admirantesq; in extremam te solitudinem mutatam, sibilo suæ mentis stuporem significabunt. illud autem non eris amplius in æculum, secundum eam interpretationē, quæ iam à nobis allata est, intelligemus. quod si altera quoq; ad ea quæ dicta sunt addenda est, id facere nos non pigebit. audiuimus auctorem omnium rerum Deum per Hieremiam prophetam dicentem: finem loquar super gentem & regnum, vt auferam eos, & destruam, & perdam, & si conuersa fuerit gens illa à malis suis, pœnitentiā agam de malis, quæ cogitaui facere illis, & finem loquar super gentem & regnum, vt iterum ædificetur, & plantetur, & si fecerint mala coram me vt non audiant vocem meam, pœnitentiam agā de bonis quæ locutus sum, vt facerem eis. Igitur & fert Dominus sententiam, & latam antiquat, neque veritas mentitur, fert enim sententiam contra non pœnitentes, in ijs vero, qui pœnitentiæ remedium exceperunt, supplicij decretum nullum habet locum. hoc venit vsui Nineuitis, quos damnauerat exitio, cùm dixit, Adhuc tres dies & Nineue subuertetur, verum facti pœnitentes excepit, sententiamque dissoluit. Hic igitur itidem longi supplicij decretum abrogauit posterorum commutatio.

Hier. 18. Vulg.

Cap. 28.

Et factum est verbum Domini ad me dicens, & tu fili hominis, dic principi Tyri, hæc dicit Adonai Dominus, pro eo quod exaltatū est cor tuum, & dixisti Deus ego sum, habitationem Dei habitaui in corde maris, tu autem es homo, & non Deus, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei.

Vulg. *Et factus est sermo Domini ad me dicens: fili hominis dic principi Tyri, hæc dicit Dominus Deus, eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum & in cathedra Dei sedi in corde maris, cùm sis homo & non Deus, & dedisti cor tuum, quasi cor Dei.*

Execranda quidem omnia peccatorum genera, sed omnium maxime detestabilis superbia, omne enim excelsum, inquit, abominatio coram Domino, & superbis Deus resistit.

1. Timoth. 3.

& diuus Apostolus, non neophytum, inquit, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. hoc morbo laborabat etiam princeps Tyri, tum is qui videbatur, tū is qui cerni non poterat, etenim nos pij regimur proprie ac vere ab auctore omnium rerum Deo, regimur item ab hominibus pietate præditis: & Tyrus igitur nunc quidem perinde ac nos, regem Deum habet, & eos homines quibus ab eo in ipsam regnum commissum est, olim vero Dei ignoratione quasi morbo laborans, & impietati addicta, principem habuit & regem, scelerum impietatisq; auctorem & magistrum diabolum, habuit item & principem qui conspiciebatur, ab isto male vexatum. cōtra vtrumque igitur oratio, sed neque in hunc neque in illum omnia conueniunt, quædam autem in vtrosque, & alia in alterum tantum, & quæ nunc lecta sunt in vtrumque. diabolus enim in illam insaniam lapsus est, & rabie percitus Deum se ipsum appellauit, hominibusque, vt hunc sibi cultum adhiberent, persuasit. & qui cernebatur Tyriorum princeps, hoc fastu laborās cùm in multam respiceret felicitatem, opinabatur esse se Deum, iccirco ad ipsum Deus ait, tu autem es homo & non Deus, & per comparationem,

Numquid sapientior es tu Daniele? sapientes non erudierunt te sapientia sua.

Ecce sapientior es tu Daniele? omne secretum non est absconditum à te. Vulg.

Tantum abest, inquit, vt res tuas cum diuina natura comparem, vt etiam te prudentibus hominibus longe inferiorem ostendam. Daniel enim & diuina sapientia præditus fuit, & Chaldęorum scientiam sibi comparauit, tu vero & diuina gratia orbatus es, & ab hominibus sapientibus haud percepisti scientiam. deinde à rebus redarguit.

Numquid in scientia tua, aut in prudentia tua fecisti tibi vires? & congregasti argentum & aurum in thesauris tuis, aut in multa scientia tua, & negotiatione tua multiplicasti potentiam tuam, exaltatum est cor tum in potentia tua?

In sapientia tua, & prudentia tua fecisti tibi fortitudinem & acquisisti aurum & argentum in thesauris tuis, & multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem, & eleuatum est cor tuum in robore tuo. Vulg.

Ipsis, inquit, rebus disce, non tua sapientia, sed me subministrante fuisse tibi hanc negotiationem, bonorumque abundantiam, nam si voluero ego statim te his omnibus orbabo, magistramque tibi rerum experientiam præficiam. si enim tua sapientia istam possessionem adeptus esses, eadem sapientia, ijs, quæ possedisti, haud fuisses orbatus, sed spoliatus vacuusque ab istis omnibus redditus insanas abijcito cogitationes, & cognosce eum esse me qui dederim, quique ista rursus ademerim. cùm enim non noueris me quando ea accepisti, disces quando ipsis spoliatus fueris.

Propterea hæc dicit Adonai Dominus: quia dedisti cor tuum, sicut cor Dei propter hoc, ecce ego adduco super te alienas pestilentias de gentibus. enaginabunt gladios suos super te, & super pulchritudinem scientiæ tuæ, & sternēt pulchritudinem tuam in perditionem, & deducent te, & morieris morte vulneratorum in corde maris. num loquens dices Deus sum coram interficientibus te? tu autem es homo & non Deus, in manu vulnerantium te, mortibus incircuncisorum

forum morieris, in manu alienorum, quia ego locutus sum dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Propterea hæc dicit Dominus Deus, eo quod elenatum est cor tuum, quasi cor Dei, iccirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentium, & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ & polluent decorem tuum, interficient & detrahent te, & morieris in interitu occisorum in corde maris. numquid dicens loqueris Deus ego sum coram interficientibus te, cùm sis homo & non Deus, in manu occidentium te? morte incircumcisorum morieris in manu alienorum, quia ego locutus sum ait Dominus Deus.*

Quando te, inquit, regia potestate priuabũt ij, quos contra te hostes. misero, teque interficient, num fremens & arrogantia insolens rursus Deum te ipsum nominabis, quasi eos Dei appellatione perterrefaciens? verum hoc fieri nequit, rerum enim commutatio superbiæ quoqùe mutationem afferet, discesque hominem esse te, non Deum, cùm vulneratus, & cæsus, æque atque incircumcisi tibi subiecti, occideris, valida est enim, & cui resisti nequit mea sententia, quod significauit, cùm dixit: quia ego locutus sum dicit Adonai Dominus. Hæc etiam improbo dæmoni, qui improbitatem in principe, qui cernebatur Tyriorum, molitus fuerat, conueniunt. iccirco ab alienis quoque ipsi minatur exitium, & pestilentijs & gentibus. Tales autẽ olim fuere, qui per euangelicum præconium ad pœnitentiam adducti Deum agnouere, quare diuus quoque Apo
Ad Tit.3. stolus ait: Eramus enim aliquando & nos insipientes, incredeli, errantes, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs in malitia & inuidia agentes odibiles odientes inuicem. & ipse De-
Deut. 32. us per magnum Moysem, isti inquit prouocauerunt me in non Deo, irritauerunt me in idolis suis, & ego prouocabo eos in gente, in gente stulta iritabo illos. Per hos igitur qui olim fuere insipientes & stulti errantesque & odibiles, & pestilentes, & alieni, & gentiles, diabolũ destruendum prophetica, prænuntiat oratio. & licet inuenire pijs quoque, qui credidere, a-
Ephes.2. lienorum nomen impositum, vos enim, inquit, qui olim longe eratis, facti estis prope: Hos ait suis gladijs diaboli scientiæ pulchritudinem deleturos, & ad nihilum eam redacturos, hoc est tuas machinas destruent, & insidias, quas contra homines molitus fueris, sedabunt, quæque ab ipsis tibi constructa fuerint delubra, à fundamentis euertent, & veluti cuidam morti obliuioni tradẽt accepta po-
Luc.10. testate calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem tuam virtutem, atq; ipsis rebus dilces incassum te hominibus persuasisse esse te Deum, & hęc patieris, quia incircumcisam mentem habuisti, grauemq; tuæ arrogantiæ morbum nequaquam circumcidisti.

Et factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis assume lamentationem super principem Tyri, & dic ei, hæc dicit Adonai Dominus: tu es signaculum similitudinis, plenus sapientiæ, & corona pulchritudinis, & in delicijs paradisi Dei fuisti, omnem lapidem preciosum indutus es, sardium, & topazium, & smaragdum, & hyacinthum, & carbunculum & sapphirum, & iaspidem, & argentum, & aurum, & liguirium, & achatem, & amethystum, & chrysolithum, berillum, & onychium, & auro impleuisti thesauros tuos, & apothecas tuas in te, à qua die creatus es.

Vulg. *Et factus est sermo Domini ad me dicens, fili hominis leua planctum super regem Tyri, & dices ei hæc dicit Dominus Deus, tu signaculum similitudinis plenus sapientia perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, & onyx, & berillus, sapphirus, & carbunculus, & smaragdus, aurum quoque decoris tui, & foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt.*

Hæc extorquens aliquis de eo, qui cerneba tur, principe Tyri dicta acceperit, proprie tamen & vere conueniunt pernicioso dæmoni, qui in illo suam vim exercebat. si igitur de principe Tyri, qui videbatur, hęc accipiamus, ita intelligemus, tu es signaculum similitudinis, ad imaginem enim Dei plenus sapientia conditus est homo, rationis capax, & oratione instructus, pulchritudinisque corona, omnibus quippe rationis expertibus præstans, pedestribus & volucribus, aquatilibus & amphibijs, id est ancipitibus bestijs tum in aqua tum in terra degentibus: & in delicijs paradisi Dei fuisti, à primo siquidem parente genus ducis, qui simulatque creatus est, in paradiso deli-
Gen.2. ciarum positus fuit, vt operaretur & custodiret illum. & iure etiam Hierusalem, quæ sacra & diuina vrbs appellabatur, paradisum vocat habentem & Dei prophetiæ, & pontificatus maximi arbores, vitam salutemque subministrantes. olim vero Tyriorum regi cum rege Israelitarum intercedebat amicitia, eratque mutuum quoddam inter ipsos commercium, quod ex libris Regnorum facile est percipere. illud autem, omnem lapidem pretiosum indutus, est perspicuum si secũdum literam intelligatur, & de rege dictum accipiatur, infinitis enim te bonis instructum curaui, & omnis generis vndique tibi materiam suppeditaui, vnde diadematis & coronis, fibulisque & zonis annulisque constructis, & penibus complete tis, propter horum abundantiam & ornatum contraria sentire perseueraſti. quod si ad diabolũm hęc referantur nõ ita intelligenda sunt, verum illud: Tu es signaculum similitudinis, de regno ipsi olim tradito & potestate concessa dictum accipiemus, ait enim diuus Apostolus, secundum principem potestatis aeris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ. vt perspicuum sit antiquitus huius aeris administrationem illi commissam fuisse, sed propter superbiam principatu deiectum in ijs qui non credunt præconij verbo suam vim patefacere. plenus sapientia, & corona pulchritudinis, & in delicijs paradisi fuisti. pri
Gen.3. stinam per hæc illius innuit virtutem. vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, & iste quoque vnus erat eorum, quæ facta sunt, cùm in deteriorem partem nondum mentem commutasset. per lapides autem qui com-
Ephes.2.

memorati sunt, omnis generis sapiẽtiam, scientiamque illius significat. etenim sacerdotum princeps, rationale iudicij, in quo positi erant hi lapides in pectore gestãs, in sancta sanctorum ingrediebatur, pectus vero est veluti quoddã cordis penu, & phylacterium, & quæ sequuntur omnia, non principi Tyri, qui cernebatur, sed ei, qui videri non potest, conueniunt.

Præparatus enim fuisti, inquit, cùm Cherub vnctus à Deo in tabernaculo habitante.

Vulg. *In Cherub extentus, & protegens.*

Cum sanctis enim illis & augustis potestatibus & opificio & vnctione dignatus es. & vnctionem hoc loco vocat sanctificationem à diuino spiritu, corporis expertibus & sanctis potestatibus subministratam.

Et posuite te in monte sancto Dei, factus es in medio lapidum ignitorum.

Vulg. *In medio lapidum ignitorum ambulasti.*

Montem sanctum Dei cognitionis celsitatem vocat, & lapides ignitos, sanctissimas potestates, etenim id quod pretiosum est continẽt, & illustrandi vi præditæ sunt, consueuitque sæpe diuina scriptura, pios quoque homines sanctos lapides nuncupare. lapides enim sancti inquit voluuntur super terram, sed hi sancti quidem, non tamen igniti. de superiori-
Psal.130. bus vero potestatibus audiamus Dauid loquentem, qui facit angelos suos spiritus & ministros suos flammam ignis. Horum nihil in Tyriorum principem, qui cernebatur, conuenit, etiamsi millies litigiosi quidam contendentes dixerint, lapides ignitos Iudæos esse & Tyriorum cum ipsis commercium: neque enim Iudæi lapides igniti. quod si prophetas, qui in ipsis fuere, lapides ignitos aliquis nominarit, tu vero ita sententiam obfirmato, nulla enim intercedebat impie viuentibus Tyrijs cum prophetis consuetudo, sed commercia negotiationum cum abiectissimis, & humilibus Iudæis habebant, quos nullus vnquam sanæ mentis lapides ignitos ausus fuerit appellare, diuinam legem violantes, & præter illius sententiam cum gentibus commercia instituentes. immo ne illud quidem, posui te in monte sancto Dei, huic conuenire, videri potest. neque enim in Hierosolymis degebat, vt concedamus etiam de Sion hæc mõte dici, & quæ sequuntur hoc aperte declarant.

Ambulasti enim immaculatus, inquit, in diebus tuis, à qua die creatus es tu, quoad inuenta sunt iniquitates in te.

Vulg. *Perfectus in vijs tuis, à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.*

Talis enim fuit antelapsum diabolus, de hominibus vero audiuimus, nemo mundus à sorde, ne si vnius diei quidem fuerit vita ipsius super terram. Hic autem cùm corporis expers esset, immaculatus fuit à principio, vbi vero in deteriorem partem inclinatione voluntatis lapsus est, via penitus contraria incessit.

A multitudine enim circuitus tui replesti cellaria tua iniquitate, & peccasti, & vulneratus es.

In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate & peccasti. Vulg.

Non contentus enim data tibi sapientia & potestate, sed maiorum cupiditate incẽsus, iniquitate repletus es, & peccati vulnera accepisti. Hæc item propheta Esaias de ipso loqui-
Esa.14. tur, quomodo cecidit de cœlo Lucifer mane exoriens, contritus est in terram, qui mittebat ad omnes gentes, cùm enim omnes sibi subiectos haberet, per salutarem crucem à tyrannide deiectus est, deinde pristinam ipsius narrat insaniam, & ingentem arrogantiam. tu autem dixisti in corde tuo, in cœlum ascendam, super astra cœli ponam thronum meum, sedebo in monte alto, super montes excelsos ad aquilonem, ascendam supra nubes, ero similis altissimo: montes autem ad aquilonem vocat, scelerum occasiones, ab aquilone enim secundum prophetam exardescent mala super omnes habitantes terram. & ita patefacta illius superbia, prædicit etiam euersionem. nunc autem in infernum descendes in fundamenta terræ. hoc item diuinus Ezechiel à Deo loqui docetur.

A monte enim Dei, inquit, deduxit te Cherub obumbrans de medio lapidum ignitorum.

Et eiecit te de mõte Dei, & perdidit ò Cherub protegens de medio lapidum ignitorum. Vulg.

Tunc igitur Cherub, quod vt diuinam gloriam ferret, dignum effectum fuerat, ipsum à sanctis potestatibus separauit, quæ etiam ignitæ appellantur, nunc vero ij, qui sunt diuino
ascẽsu digni, propter animi munditiẽ, in quorum cordibus sunt ascensus Dei secundum diuinum prophetam, potestatem ipsum conculcandi pedibus accepere.

Eleuatum est cor tuum, propter pulchritudinem tuam.

Et eleuatum est cor tuum in decore tuo. Vulg.

Ingenti inquit superbia elatus es conspectis ijs bonis, quæ à me tibi suppeditata sunt.

Corrupta est scientia tua cum pulchritudine tua.

Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. Vulg.

Omnibus, inquit, orbatus fuisti, cùm assignatum tibi ordinem reliquisti.

Propter multitudinem peccatorum tuorum in terram proieci te, coram regibus dedi te vt traducereris.

In terram proieci te, ante faciem regum dedi te, vt Vulg.
cernerent te.

Multa, inquit, improbitate à superiore ordine excidisti, & deorsum proiectus es, vt ab ijs, qui assignatum sibi ordinẽ seruassent, quique recte suis affectionibus imperare nouissent, ridereris.

Propter multitudinem peccatorum tuorum, & iniquitatem negotiationis tuæ, profanasti sanctificationem tuam.

In multitudine iniquitatum tuarum, & iniqui- Vulg.
tate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.

Dicant ij qui repugnant, quam sanctificationem habuerit impius rex Tyri, verum non poterunt ostendere. iste autem, de quo nunc

loquimur,quando vnus ſanctorum archangelorum erat,omnis ſanctificationis erat particeps, ſed ipſe profanata ſanctificatione, vſus mala negotiatione maioraque expetens etiam conceſsis ſibi bonis excidit, & hoc vt itidem patereturhomo auctor fuit, ille enim ſecundum imaginem Dei quoque factus, blandis ipſius verbis deceptus cùm cõcupijſſet Deum ſe fieri, illud etiam quod erat, imago ſcilicet Dei,amiſit.

Et educam ignem de medio tui.

Vulg. *Producam ergo ignem de medio tui.*

Hoc vtrique conuenit,& ei,qui operatus eſt malitiam,& ei in quo id factum eſt, Tyriorum regi,vtrique enim illati ſibi ſupplicij præbuerunt occaſiones. tale eſt quod per prophetam

Eſa. 50. Eſaiam ad Iudæos dictum eſt. ecce omnes vos ignem incenditis & confortatis flammam, ambulate lumine ignis veſtri,& flamma quã ſuccendiſtis.& hic quoque ait,educam ignem de medio tui.

Hic deuorabit te.

Vulg. *Qui comedat te.*

Hoc eſt tuis ſceleribus, quaſi materia vtar ad inferenda tibi ſupplicia.

Et dabo te in cinerem ſuper terram tuam,in conſpectu omnium videntium te.

Et hoc item vtriſque conuenit, etenim homo in ſua terra lapſus,puluis factus eſt, & diabolus qui orbi terrarum imperare videbatur, à Deo & ſaluatore noſtro euerſus cineris inſtar,ab impijs conculcatur.

Et omnes ſcientes te in gentibus contriſtabuntur ſuper te.

Vulg. *Omnes qui viderint te in gentibus obſtupeſcent ſuper te.*

Qui enim adhuc tibi ſeruiunt idolorum euerſionem cernentes,eorumque delubra penitus euerſa,cum mœſtitia degunt animũ deſpondentes & continenter dolentes.

Perditio factus es, & non eris amplius in ſæculum.

Vulg. *Nihil factus es,& non eris in perpetuum.*

Illum omnino euerſum iri per hæc declarauit.ita abſoluta lamentatione Tyri,ad Sidonem tranſit item finitimam,& breui, quæ ipſi quoque euentura ſunt,prædicit.

Et factum eſt verbum Domini ad me dicens: firma faciem tuam ſuper Sidonem, & propheta ſuper eam & dic, hæc dicit Adonai Dominus, ecce ego ad te Sidon,& glorificabor in te,& cognoſces quia ego ſum Dominus, cùm fecero ego in te iudicia, & ſanctificabor in te,& emittam in te mortem & ſanguinem, in plateis tuis,& cadent vulnerati in medio tui in gladiis in te,& in circuitu tuo, & cognoſcent quia ego Dominus.

Vulg. *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens,fili hominis pone faciem tuam contra Sidonem, & prophetabis de ea & dices, hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ad te Sidon & gloriabor in medio tui,& ſcient quia ego Dominus cùm fecero in ea iudicia, & ſanctificatus fuero in ea, & immittam ei peſtilentiam & ſanguinem in plateis eius, & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum, & ſcient quia ego Dominus.*

Quando inquit in tranquillitate degens ignoraſti me, multis te omnisque generis malis afficiam,fame & hoſtium cædibus, vt calamitatibus diſcas eſſe me Dominum. narrat etiam interitus cauſas.

Et non erunt amplius domui Iſrael palus amaritudinis & ſpina doloris, ab omnibus qui ſunt in circuitu eorum, qui ignominia affecerunt eos, & cognoſcent quia ego ſum Adonai Dominus.

Et non erit vltra domui Iſrael offendiculum amaritudinis,& ſpina dolorem inferens,vndique per circuitum eorum qui aduerſantur eis, & ſcient quia ego Dominus Deus. Vulg.

Hæc inquit & Tyro & alienigenis & omnibus finitima loca incolentibus inferam,vt neque exemplar impietatis vos habeat populus meus,neque hoſtes crebro in ſe inuadentes,& continenter eos excruciantes. ita calamitates vaticinatus,Iſrael bona prænunciat, augens in eos miſerias:inimice enim animati occaſionẽ doloris ipſius Iſrael felicitatem faciebant.

Hæc dicit Adonai Dominus & congregabo domum Iſrael de gentibus in quibus diſperſi ſunt, & ſanctificabor in eis coram populis & gentibus, & habitabunt in terra ſua,quam dedi ſeruo meo Iacob, & habitabunt in ea inſpe,& ædificabunt domos,& plãtabunt vineas, & habitabunt in ſpe, quando fecero iudicia in omnibus qui ignominia affecerunt eos,in circuitu ipſorum, & cognoſcent quia ego ſum dominus Deus ipſorum, & Deus patrum eorum.

Hæc dicit dominus Deus,quando congregauero domum Iſrael de populis in quibus diſperſi ſunt, ſanctificaborin eis coram gentibus,& habitabũt in terra ſua quam dedi ſeruo meo Iacob, & habitabunt in ea ſecuri,& ædificabunt domos,& plantabunt vineas,& habitabunt confidenter, cùm fecero iudicia in omnibus qui aduerſantur eis per circuitum, & ſcient quia ego dominus Deus eorum. Vulg.

Non æque omnes peccantes auctor omnium rerum Deus corripit, ſed ſibi amicos adhibita medici more curatione, alios vero more iudicis cõdemnatione. quamobrem etiam propheta ſupplicans ita dicebat: corripe nos Hier.10. Domine,verumtamen in iudicio & non in furore.quod idẽ quoq; Dauid petebat, Domine Pſal.6. ne in furore tuo arguas me,neq; in ira tua corripias me.Hoc diſcrimen in ijs etiã,quæ paulo ante interpretati ſumus videre licet.alijs enim interim nihil pollicitus eſt boni, ſed Iſrael ab exilio reuocationem, & reditum in patriam, domorum ædificationem, terræ cultum,arborum ſationes,& bonorum ſpem, quodque omnium eſt bonorum caput,Dei cognitionẽ. His enim geſtis inquit cognoſcent me ipſorum eſſe Dominum, Deumque patrum ipſorum.Hanc nobis quoque contingat continenter adeſſe cognitionem, vt ipſum ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus, & ex toto robore diligamus, non in partes beneuolentiam diuidentes,ſed totam ibi collocantes, vt ipſum ſpiremus, & indelebilem ipſius memoriam retineamus,& ſedentes & reſurgentes,dormientes & ambulantes in via,ſic enim continua illius quoq; prouidentia fruemur,& promiſſa bona conſequemur,in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo patri gloria cum

ria cum ſancto ſpiritu nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

SECTIO XII.

Cap.29. *In anno duodecimo,in duodecimo menſe vna menſis factum eſt verbum domini ad me dicens, fili hominis firma faciem tuam ſuper regem Aegypti, & propheta ſuper eum, & ſuper Aegyptum totam loquere.*

Vulg. *In anno decimo,decimo menſe vna die menſis factum eſt verbum domini ad me dicens,fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Aegypti et prophetabis de eo & de Aegypto vniuerſa.*

Prædictionibus de Tyro impoſito fine ad Aegyptum prophetiæ verba transfert.

Et dic, hæc dicit Adonai dominus, ecce ego ad te Pharao rex Aegypti,draconem magnum ſedentem in medio fluuiorum, & dicentem, mea ſunt flumina & ego feci ea.

Vulg. *Et dices, hæc dicit dominus Deus, ecce ego adte Pharao rex Aegypti,draco magne qui cubas in medio fluminum tuorum & dicis,meus eſt fluuius,& ego feci memetipſum.*

Quidam interpretes ſingulari numero fluuium dixerunt, alij vero numero multitudinis fluuios,& vtrumque verum eſt,vnus enim Nilus,ſed illius foſſe plurimæ: & fluuius vnaquæque foſſa ab indigenis vocatur. reprehendit igitur Pharaonis arrogantiam, oſtenditq; ipſum propter flumina gloriantem,quaſi ab ipſo confecta: draconem autem eũ vocat propter tyrannidem,& potentiam qua ſe Deo opponebat. ita enim diabolum quoque diuina nuncupat ſcriptura. die enim illa inquit induet Deus gladium ſanctum,& magnũ & fortem, ſuper draconem, ſerpentem, & quæ ſequuntur.

Et ego dabo frenum in maxillas tuas,& adglutinabo piſces fluminis ad alas tuas,& extraham te de medio fluminis tui, & omnes piſces fluminis ſquammis tuis adglutinabuntur,& proijciam in deſertum te & omnes piſces fluminis, & deijciam te celeritate, & omnes piſces fluminis tui, ſuper faciem campi cades, & non congregaberis, & non colligeris, beſtijs terræ & volatilibus cœli dedi te in deuorationem,& cognoſcent omnes habitantes Aegyptum, quia ego ſum dominus.

Vulg. *Et ponam frenum in maxillis tuis, & adglutinabo piſces fluminum tuorum ſquammis tuis,& extraham te de medio fluminum tuorum, & vniuerſi piſces tui ſquammis tuis adhærebunt,& proijciam te in deſertum,& omnes piſces fluminis tui, ſuper faciem terræ cades,non colligeris,neque congregaberis, beſtijs terræ & volatilibus cœli dedi te ad deuorandum, & ſcient omnes habitatores Aegypti quia ego dominus.*

Terribilia ſunt,quæ minatus eſt, & horroris plena, non ſolum ipſum enim,ſed illi quoque ſubiectos,minatus eſt ſe neci daturum. piſces quippe adglutinatos ſubiectos appellauit: & quemadmodum de Tyro loquens,tranſlationis occaſiones à mari ſumpſit, maritima enim vrbs erat, ita hic tranſlatione à flumine ſumpta vſus eſt,ſquammas autẽ eius & alas,imperium & poteſtatem nuncupauit, quibus neceſſario regi ſubiecti illius ſupplicij participes fuere.& abunde per frenum innuit, ſaltationes ante frenum. & minatus eſt alios in deſertam regionem ſe bello captos emiſſurum, alios interfecturum beſtijsq; eſcam relicturum. cauſam quoque ſubiecit.

Pro eo quod fuiſti virga arundinea domui Iſrael, quando apprehenderunt te manu ſua,& cõfractus es, & quando plauſit ſuper eos omnis manus, & quando requieuerunt ſuper te,contritus es,& confregiſti omnem lumbum eorum.

Pro eo quod fuiſti baculus arundineus domui Iſrael,quando apprehenderunt te manu,& confractus es, & laceraſti omnem humerum eorum,et innitentibus eis ſuper te,comminatus es, et diſſoluiſti omnes renes eorum. Vulg.

Tyro igitur & alienigenis,de quibus ſuperius diximus,minatus eſt ſe calamitates illaturum,vt qui lætarentur ijs malis, quæ Iſrael eueniſſent.ſed Aegyptum non ob hanc cauſam reprehendit, ſed omnia potius contra. quia cùm operam dediſſet vt populus ſuo confideret nixus auxilio,diuina cum prouidentia priuauit, nihilque ipſum ſua ope iuuit, quod per arundineam virgam declarauit, cõtritam confractamque ob imbecillitatem.ita etiam Sennacherim apud Eſaiam Aegyptiorum auxi- Eſa. 36.
lium appellauit, confiſus eſt enim ſuper virgam inquit arundineam fractam,ſuper Aegyptum,ſuper qua ſi innixus fuerit vir,ingredietur in manum eius. ſic eſt rex Aegypti & omnes qui confidunt in eo.hoc item hic dixit,apprehenderunt te manu ſua, confractus es & plauſit ſuper eos omnis manus,ridiculi inquit & eiuſmodi facti ſunt, quibus hoſtes illuderent,te inſtar arundineæ virgæ confracto victoque.

Propterea hæc dicit Adonai dominus: ecce ego adduco ſuper te gladium, et perdam homines à te, et iumenta,et erit Aegyptus in perditionem et deſertum, et cognoſcent quia ego ſum dominus.

Propterea hæc dicit dominus Deus.ecce ego adducam ſuper te gladium, & interficiam de te hominem & iumentum,& erit terra Aegypti in deſertum & in ſolitudinem,& ſcient quia ego dominus. Vulg.

Cùm enim ſuperbia elatis alijs quoque te opem laturum pollicearis, experientia diſces ne pro tua quidem terra propugnare te poſſe me tibi ſupplicium inferente, cognoſcetque populus meus meam potentiam. deinde rurſus facta illius arrogantium verborum mentione,

Dicebas enim flumina,inquit,mea ſunt, & ego feci illa.

Pro eo quod dixeris fluuius meus eſt, & ego feci eum. Vulg.

Solitudinem Aegypto minatur, non omni, ſed ei quæ eſt à Magdolo & Syene vſque ad fines Aethiopum. & neque his vrbibus perpetuam ſolitudinem,ſed ad quoddam tempus.

Iccirco ecce ego ad te & ad flumina tua, & dabo terram Aegypti in deſertum,gladium,& perditionem à Magdolo & Syene vſq; ad terminos Aethiopum.

Iccirco ecce ego ad te, & ad omnia flumina tua, Vulg.

dabóque terram Aegypti in solitudinem gladio dissipatam à turre Syenes, vsque ad terminos Aethiopum.

Non transibit eam inquit pes hominis, & pes iumenti non transibit super eam, & non habitabitur quadraginta annis, & dispergam Aegyptum in gentibus, & ventilabo eos in regionibus.

Vulg. *Non pertransibit eam pes hominis, neq; pes iumenti gradietur in ea, & non habitabitur quadraginta annis.*

Ineffabilis est Dei clementia quæ mensura quadam & pondere infert supplicia, & rursus ea sanat, quæ percussit, eius enim dictum illud est, ego occidam, & viuere faciam, percutiam & ego sanabo. & hic igitur captiuitatē Aegyptijs minatur, & dispersionem, & solitudinem, quam breui tempore definit. quadraginta inquit annos erit eiusmodi ad quam nemo accedat, neque omnis Aegyptus, sed à Magdolo, & Syene vsque ad terminos Aethiopum, statimque fore promittit vt reuocentur.

Post quadraginta enim annos inquit congregabo Aegyptios de gentibus, in quibus dispersi sunt, & reducam captiuitatem Aegyptiorum, & collocabo eos in terra Pathures, in terra vnde capti fuere.

Vulg. *Post finem quadraginta annorum congregabo Aegyptum de populis in quibus dispersi fuerant, & reducam captiuitatem Aegypti, & collocabo eos in terra Phatures, in terra natiuitatis suæ, in terra de qua sumpti sunt.*

Ita pollicitus liberationem à captiuitate, prædicit etiam futuram regni illius tenuitatem.

Et erit enim regnum humile inquit ibi præter omnia regna, & erit humillima, vt non extollatur amplius super gentes, & paucissimos eos faciam, ne sint ipsi plures in gentibus.

Vulg. *Et erunt ibi in regnum humile, & inter cætera regna erit humillima, & non eleuabitur vltra super nationes, & imminuam eos ne imperent gentibus.*

Res prophetiæ veritatem testantur. euersum enim à Nabuchodonosor Aegyptiorum regnum, rursus Cyro Persa regnante floruit, verum pristinam potentiam minime recuperauit, interiecto enim haud multo tempore, Cambyses Cyri eodem rursus euerso regno in suam potestatem redegit Aegyptum, sibiq; ferre coegit tributū. deinde Macedonas quoque reges accepit, Aegyptijs regibus omnino sublatis.

Et non erunt amplius domui Israel in spem reminiscentem iniquitatem, vt sequantur post eos, & cognoscent quia ego sum dominus.

Vulg. *Neque erunt vltra domui Israel in confidentia docentes iniquitatem vt fugiant, & sequantur eos, & scient quia ego dominus Deus.*

Ita enim Aegyptiorum inquit regnum imminuam, vt non amplius meus populus illorū ope confidat, & impietatis ab illis capiat occasiones, verum meam inquirat prudentiam, siquidem me dominum esse percipient.

Et factum est in septimo & vicesimo anno in vna mensis primi, factum est verbum domini ad me dicēs fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna contra Tyrum. omne caput caluities, & omnis humerus depilatus, & merces non fuit ei, & exercitui eius super Tyro, & seruitute qua seruiuit propter eam.

Et factum est in vicesimo & septimo anno in primo Vulg. *in vna mensis, factum est verbum domini ad me dicēs, fili hominis, Nabuchodonosor rex seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum, omne caput decaluatum & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro seruitute qua seruiuit mihi aduersus eam.*

Illa decimo anno captiuitatis Iechoniæ prædixit, siue duodecimo, ita enim & Hebræus dicit & Syrus. hæc vero septimo & vigesimo post captam Tyrum, & longā obsidionem, propter quam etiam omne caput caluum factum esse ait, omnemq; humerum depilatum. commoratio enim diutina sub diuo talia facere consueuit, æstu sepe cutem distrahente partibus illis, quæ nudę membris corporis propositæ sunt. pollicetur autem Nabuchodonosor se mercedem daturum Aegyptum, pro laboribus ad oppugnationem Tyri susceptis, non quia, animo diuinæ ministrans voluntati, hæc molitus fuit, suo enim conatu contra omnes has gentes adduxit exercitum, verum per hæc declarat, nihil se inuito factum iri. duo enim Matth. 10. passeres inquit, asse veneunt & vnus ex illis non cadet sine patre vestro qui in cœlis est, quem nihil latet eorum quæ fiunt, verum alia quidem ipse moderatur, alia vero fieri permittit, modo libero hominis cedens arbitrio, modo eos, qui digni sunt, per alios puniri concedens. Igitur vt ostenderet suo permissu hanc Nabuchodonosor potentiam adeptum, promittit etiam mercedem ei se daturum, pro Tyriorum oppugnatione, Aegyptiorum seruitutem.

Hæc dicit Adonai dominus: ecce do Nabuchodonosor regi Babylonis terram Aegypti: & capiet multitudinem eius, & diripiet spolia eius, & prædabitur prædam eius, & erit merces exercitui illius, pro ministerio eius, quo seruiuit contra Tyrum, dedi ei terrā Aegypti pro omnibus quæcunque fecit.

Propterea hæc dicit dominus Deus, ecce ego dabo Vulg. *Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti, & accipiet multitudinē eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi pro quo seruiuit aduersus eam, dedi ei terram Aegypti, pro eo quod laborauerint mihi.*

Rursus eadem dixit, repetitione atque iteratione prædictionem confirmans.

Hæc dicit Adonai dominus, in die illa orietur cornu omni domui Israel, & tibi dabo os apertum in medio ipsorum & cognoscent, quia ego dominus.

Ait dominus Deus, In die illo pullulabit cornu do- Vulg. *mui Israel & tibi dabo apertum os in medio eorum, & scient quia ego dominus.*

Cornu diuina scriptura alias pietatem vocat, alias potentiam, alias regnum. hoc autem, orietur cornu per translationem à vitulis sumptam posuit. qui ante cornuum productionem sunt imbecilles, sed postquam ea creuerint, multum roboris nanciscuntur. Aegypto igitur euersa, inquit, meus populus efflorescet, pietateq; potietur, non habens sibi magistram improbitatem. præbebunt autem propheticis verbis aures, quod me dominum esse perceperint. hoc enim declarauit cùm dixit, & dabo os apertum in medio eorum. nam per Ezechielem omnem propheticū chorum significauit.

Cap. 30. *Et factum est verbum domini ad me dicens, fili hominis propheta & dic: hæc dicit Adonai dominus, vlulate, ò, ò, dies, quia prope dies domini, & appropinquat dies nubis, & tempus gentium erit.*

Vulg. *Et factum est verbum domini ad me dicens, fili hominis propheta & dic, hæc dicit dominus deus vlulate, væ, væ, diei, quia iuxta est dies, & appropinquabit dies domini, dies nubis, tempus gentium erit.*

His omnibus quæ dicta sunt terrorem incutit, lamentari & lugere iubens. diem vocat supplicij tempus, nubem autem animis offusas à calamitate tenebras; & tempus gentium supplicium gentibus illatum nūcupauit. non solum enim meus inquit, populus in hæc incidet mala, sed etiam gentes impietatis pœnas dabunt.

Et veniet gladius super Aegyptios, & erit perturbatio in Aethiopia, & cadent vulnerati in Aegypto, & capietur multitudo ipsorum, & corruent fundamenta eius, & capientur Persæ & Cretes & Libyes & Aethiopes & Lydi & omnis Arabia, & omnes commisti, & ex filijs testamenti mei in ipso gladio cadent cum ea.

Vulg. *Et veniet gladius in Aegyptum & erit pauor in Aethiopia cùm ceciderint vulnerati in Aegypto, & ablata fuerit multitudo illius, & destructa fundamenta eius, Aethiopia & Libya, & Lydi, & omne reliquum vulgus, & Chub & filij terræ fœderis cum eis gladio cadent.*

Quæ Aegypto, inquit, euentura sunt perturbationem Aethiopiæ quoque afferent, quæ finitima illius sollicita erit ne eadem patiatur. deinde narrat Aegyptiorum adiutores cum Aegyptijs interfectum iri, Cretenses & Libyas, & Aethiopas, & Lydos, & Arabas. Græcorumq; historiæ Lydorum & Aegyptiorum docent societatem, Persas autem non eos qui è Perside essent ipsius auxilio venisse dicit, qui enim fieri poterat, vt Assyrijs & Chaldæis cum ipsis bellantibus socios Persas haberent, sed eos qui olim inde coloni deducti in Aegypto inquilini erant. aiuntq; hac de causa etiam Aegyptiacam Babylonem Persicæ cognominem fuisse, vtpote quam Persæ incoluissent, filios vero fœderis Iudæos ipsos vocat, qui post obsidionem Hierusalem, in Aegyptum assumpto secum Hieremia propheta descenderunt, & his similiter pœnas minatur, quandoquidem præter suam voluntatem relicta Iudæa contenderunt in Aegyptum. atq; Hiere. 44. item per Hieremiam prophetam dicta sunt. cognoscent enim omnes inquit reliqui Iuda habitantes in terra Aegypti, cuiusnam verbū maneat, meum an ipsorum, & hoc vobis signū, dicit Dominus, ecce ego do Pharaonem Vaphrem regem Babylonis, traditum in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animam eius, sicut dedi Sedeciam regem Iuda in manus Nabuchodonosor regis Babylonis inimici eius, & quærentis animam eius. cōsentiunt igitur inter se quæ diuinis prædicta sunt prophetis, vnius enim spiritus verba sunt. ita rursus prædicta Aegypti solitudine definiti temporis, nuncupatoq; igne Assyriorum rege, subijcit.

In die illa egredientur nuncij à facie mea in Sim, fe stinantes delere Aethiopiæ spem, & erit perturbatio ipsis in die Aegypti, quia ecce venit.

In die illa egredientur nuncij à facie mea, in trieri- Vulg. *bus ad conterendam Aethiopiæ confidentiam, & erit pauor in eis in die Aegypti, quia absq; dubio veniet.*

Spem Aethiopiam vocauit, eo quod Aegyptij illorum ope confiderent, Sim autem græca lingua, in robore declaratur. hæc autem Aegyptijs inquit sustinentibus perturbabuntur eorum adiutores Aethiopes, non solum propter ea mala, quæ illos inuaserint, sed propter sibi ipsis imminentes calamitates, quæ eos occupabunt per nuncios quosdam à me missos festinantesq; imperata perficere.

Hæc dicit Adonai dominus, & perdam multitudinem Aegyptiorum per manum Nabuchodonosor regis Babylonis, ipsius & populi eius cum eo, pestē à gentibus missæ ad perdendam terram, & euaginabunt omnes gladios suos super Aegyptum, & implebitur terra vulneratis, & dabo flumina eorum deserta, & reddā terram in manus improborum, & perdam terram, & plenitudinem eius in manibus alienorum, ego dominus locutus sum.

Hæc dicit dominus Deus, & cessare faciam multi- Vulg. *tudinem Aegypti in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, ipse & populus eius cum eo fortissimi gentium adducentur ad dispergendam terram, & euaginabūt gladios suos super Aegyptum, & implebunt terram interfectis, & faciam alueos fluminum aridos, & tradam terrā in manus pessimorum, & dissipabo terram & plenitudinem eius in manus alienorum, egō dominus locutus sum.*

Omnibus inquit gentibus crudelioribus Babylonijs Aegyptum tradam, vt omnis eorum terra cædibus compleatur, & flumina ab incolis deserantur. illud autem & reddam terram in manus improborum, pro tradam posuit. conuenit hoc ijs etiam, quæ ante dicta sunt, mercedem se daturum dixit Nabuchodonosor Aegypti seruitutem, pro exhaustis ab ipso laboribus in oppugnatione Tyri. deinde prædicit abominationes ipsorum, id est simulacra abominationis plena, ab hostibus euersum iri.

Et cessabunt Memphis principes.

Quibus tunc Aegypti habenæ creditæ fuerint. & terror omnes inuadet Aegyptios, ipsa Tane incensa, & Diospoli funditus deleta, potentissimaque Saitarum vrbe in difficillimas calamitates collapsa, & omnino ignis instar hostibus omnem vastantibus Aegyptum ita vt etiam Syene in intimis eius partibus sita hinc maxime perturbetur, & repentinum incursum satis declarauit cùm dixit, erunt in Memphi bella eadē die, nam simulatq; nuncius allatus fuerit, prælium committetur. illud autem in Diospoli erit scissura, & diffundētur aquę, murorum innuit demolitionē, & hostium aduen-

tum inſtar aquæ influentium,& in omnes eius vicos domosq; diffuſorum. ad hæc addidit.

Iuuenes Heliopoleos & Bubaſti gladio cadent.

Perſpicuum autem eſt, propter hos tanquam optimates & potẽtes eos gloriari,quin etiam

Mulieres inquit in captiuitate ibunt.

Vulg. *Et ipſæ captiuæ ducentur.*

Tum adijcit.

Et in Taphnis obtenebreſcet dies.

Vulg. *Et in Taphnis nigreſcet dies.*

Significans tenebras à calamitatibus profectas, quod idem rurſus ſignificauit, cùm dixit, & ipſam nubes operiet, qui enim in mala inciderunt, haud æque lumen vident, ſed omnibus tenebris obſcuriorem diem opinantur. deinde eorum quæ fiant propoſitum ſibi finem declarauit.

Et faciam iudicia in Aegypto,& cognoſcent Aegyptij quia ego ſum dominus.

Vulg. *Et iudicia faciam in Aegypto & ſcient quia ego dominus.*

Hæc enim omnia inquit fieri permittam,vt etiam Aegyptij diſcant, non propter ſe ipſos gloriari, ſed meæ dominationis ius agnoſcere.

Et factum eſt in vndecimo anno, in primo menſe in ſeptima menſis factum eſt verbum domini ad me dicens.

Hoc loquendi genus apud Hieremiã quoque propheram reperitur,etenim ille ſparſim apponit tempora, & priore loco poſitis quæ regnante Sedecia geſta ſunt, qui poſtremus regnauit,rurſus quę ad Ioacim pertinent, recenſet, qui quidem ante illum regnum adminiſtrauit.atq; huiuſce rei cauſa hæc eſt,quod nõ ſimpliciter ipſi hiſtoriã conſcribunt,ſed prophetias quibuſdam temporibus factas. neceſſario vero,& iure optimo huius temporis nũc mentionem fecit. cùm enim tantam calamitatum nubem ſit Aegypto minatus, ſeptimo & vigeſimo anno, iuſtum illud eſſe nos edocet ſupplicium.

In decimo enim anno,inquit,dixit dominus ad me, fili hominis brachia Pharaonis regis Aegypti contriui, & ecce non eſt colligatus,vt daretur ei ſanitas, vt imponeretur ei malagma, vt colligaretur & corroboraretur,& apprehendent gladium.

Vulg. *Fili hominis brachium Pharaonis regis Aegypti cõfregi,& ecce non eſt obuolutum vt reſtitueretur ei ſanitas,vt ligaretur pannis, & faſciaretur linteolis, & recepto robore poſſit tenere gladium.*

Mediocre inquit ipſi ſupplicium intuli, neque pœnitentiæ remedijs vti voluit,vt priſtinam rurſus potentiam recuperaret.

Propterea hæc dicit Adonai dominus, ecce ego ad Pharaonem regem Aegypti,& conteram brachia eius fortia, & extenta, & contrita, & deijciam gladium eius de manu eius, & diſſeminabo Aegyptum in gentes,& ventilabo eos in regiones, & corroborabo brachia regis Babylonis,

Vulg. *Propterea hæc dicit dominus Deus,ecce ego ad Pharaonem regem Aegypti & comminuam brachium eius forte, ſed confractum, & deijciam gladium de manu eius, & diſpergam Aegyptum in gentibus, & ventilabo eos in terris, & confortabo brachia regis Babylonis.*

Cùm noluerit mediocribus caſtigationibus reſipiſcere maximis illum pœnis afficiã, omniq; eũ robore priuabo,vt ne bellicis quidem inſtrumentis vti queat, omniq; robore, & virtute imbuam Babylonium: per brachia ſiquidem,& de Aegyptio & de Babylonio loquens vires indicauit, quãdoquidem brachijs res bellicæ perfici conſueuere.

Et dabo inquit gladium meum in manus eius,& inducet eam ſuper Aegyptum, & prædabitur prædam eius,& ſpoliabit ſpolia eius.

Vulg. *Daboq; gladium meum in manu eius, & confringam brachium Pharaonis, & gemet gemitibus interfecti coram facie eius.*

Ego inquit vlciſcendi facultatem ei committã,vt omnia quæ prædicta ſunt, faciat Aegypto,& hæc denuo adiecit iteratione priora cõfirmans, quamobrem vt perſpicua & aperta,ex ijs,quę ante interpretati ſumus,interpretari ſuperſedimus.

Cap. 31. *Et factum eſt in decimo anno in tertio menſe vna menſis factum eſt verbum domini ad me dicens,fili hominis dic ad Pharaonem regem Aegypti, & ad multitudinem eius, cui aſſimilaſti te ipſum in altitudine tua?*

Vulg. *Et factum eſt in anno vndecimo tertio menſe vna menſis factum eſt verbum domini ad me dicens,fili hominis dic Pharaoni regi Aegypti,& populo eius,cui ſimilis factus es?*

Quando longanimitate, cùm opus erat,vti noluit, ſed faſtu ſuperbiaq; inſoleſcere perſeuerauit, per interrogationẽ cum eo colloquitur: dic inquit ò rex Aegypti quibus te ipſum comparas, & cuinam regum eſſe te ſimilem cenſes? qui tanta ſuperbia abuteris? deinde ſubijcit.

Ecce Aſſur cyparißus in Libano pulcher propaginibus,& altus magnitudine,& denſus tegumento,& in medio nubium factum eſt imperium eius.

Vulg. *Ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano,pulcher ramis,& frondibus nemoroſus, excelſusq; altitudine, & inter condenſas frondes eleuatum eſt cacumen eius.*

Tranſlationis rurſus vſus eſt charactere, aitque Aſſyriorum regem cypreſſo in Libano natæ ſimilem fuiſſe & magnitudine celſitatis, & frequentia,& copia ſibi ſubiectorum,& decore prætorum & ducum, hos enim propagines vocauit. illud autem,in medium nubium factum eſt imperium eius, non ſolum hyperbolicè ſecundum hominum ita loquentium idioma poſuit, plerique enim dicere conſueuere, vſque ad nubes elatus eſt hic, ſed etiam cogitationum eius arrogantiam patefecit, eius quippe dictum illud eſt: aſcendam ſuper nubes, ſuper aſtra cœli ponam thronum meum. quod vndique è diuina ſcriptura percipere licet. nam Sennacherim exclamabat, numquid eruet dominus Hieruſalem de manu mea? Nabuchodonoſor vero conſtructam imaginem auream,omnes ſibi ſubiectos, & principes, & principum parentes imperio præcepit adorare. Igitur hic quoq; ſuperbam illius

illius mentem per ænigmata declarauit, ad hæc adijcit.

Aqua enutriuit illum,abyſſus exaltauit eum,fluuios eius duxit in circuitu plantarum eius,& omnes congregationes eius emiſit ad omnia ligna campi.

Vulg. *Aquæ nutrierunt illum,abyſſus exaltauit illum,flumina eius manabant in circuitu radicum eius, & riuos ſuos emiſit ad vniuerſa ligna regionis.*

Aquam & abyſſum infinitas gentes ab eo in ſeruitutem redactas appellauit, quas vectigal & tributum quaſi quandam irrigationem exercitui afferentes veluti arbores quaſdam enutriuit, effecitq;, vt eius cœtus,id eſt, ordines militares ad omnia ligna campi mitteren tur,hoc eſt,ad eos qui necdum ſubacti, neque in ſeruitutem redacti eſſent,vt illi etiam ſubijcerentur.

Propter hoc exaltata eſt magnitudo eius,vltra omnia ligna campi,& inde dilatati ſunt rami eius,& exaltatæ ſunt propagines eius, ab aqua multa, cùm extenderet ſe.

Vulg. *Propterea eleuata eſt altitudo eius ſuper omnia ligna regionis,& multiplicata ſunt arbuſta eius,& eleuati ſunt rami eius præ aquis multis.*

Hoc inquit ipſi arrogantiæ & ſuperbiæ cauſa fuit:ab infinitis enim gentibus excipiens irrigationem cum propaginibus auctus eſt.

In propaginibus eius, inquit, nidos ſtruxerunt omnia volatilia cœli.

Vulg. *Cumq; extendiſſet vmbram ſuam in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia cœli.*

Per hoc prudentiores homines, & veluti mente volantes ac celeres indicauit.

Et ſub ramis eius gignebant omnes beſtiæ campi.

Vulg. *Et ſub frondibus eius genuerunt omnes beſtiæ ſaltuum.*

His barbaras gentes ſignificauit,& ferinas, & humilia ſentientes,quod ipſe quoque interpretatus eſt cùm dixit.

In vmbra illius habitauit omnis multitudo gentium.

Vulg. *Sub vmbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum.*

Et quod ſupra diuiſim & per tranſlationem dixit, hoc communiter & aperte hic adiecit. vmbramq; ipſius & propagines & ramos,non ſolum prætores, & duces, ſed etiam gentibus imperantes ſatrapas vocauit, quibus ſubiecti populi ſeruiebant. Hæc item Nabuchodonoſor ipſe vidit in ſomnis, & beatus Daniel arboris interpretatus eſt ſomnium.

Et fuit inquit pulchritudo in altitudine eius propter multitudinem ramorum ſuorum.

Vulg. *Eratq; pulcherrimus in magnitudine ſua,& in dilatatione arbuſtorum ſuorum.*

Docet autem nos ramorum multitudinem beatus Daniel,qui dixit centum viginti ſatrapas Dario fuiſſe, qui Baltaſar regnum illi ſuccedens, excepit. deinde cauſam quoq; multitudinis docet.

Quia facta ſunt radices eius in aquam multam.

Vulg. *Erat enim radix illius iuxta aquas multas.*

Extenſis enim circumquaq; radicibus,multaq; excepta irrigatione hos ramos enutriuit. & in tranſlatione commorans,

Cyparißo,inquit,non ſuperextulerunt eum in paradiſo Dei.

Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei. Vulg.

Nemo enim ex ijs, qui tunc per orbem terrarum regnabant, illuſtrior illo fuit: paradiſum quippe hoc loco orbem terrarum nuncupauit. nanque omnia modo per tranſlationem narrat.

Et pinus inquit non ſimiles ramis eius, & abietes non fuerunt ſimiles propaginibus eius.

Abietes non adequauerunt ſummitatem eius, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius. Vulg.

Non ſolum autem ipſe, inquit, illuſtrior aliis omnibus regibus fuit,ſed etiam eius rami, propagineſq; longo interuallo & proceritate & denſitate aliarum gentium reges vicerunt. pinuſque & abietes per tranſlationem minorum gentium reges appellauit, quibus ſatrapas præfecit, quorum munus erat vt hos obedire cogerent. ait igitur maximis regibus maiorem illum fuiſſe, inferioribus autem non ipſum tantum, ſed etiam eius præfectos potentiores nobilioresq; extitiſſe. deinde compendio quodam

Omne lignum in paradiſo Dei non aſſimilatum eſt ei in pulchritudine eius propter multitudinem ramorum eius.

Omne lignum paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi & pulchritudini eius. Vulg.

Pulchritudinem illam dicit,quæ circa corporis ornatum cõſpicitur,purpuream veſtem, coronas,ſedes lapidibus ornatas,haſtatos,ſcutatoſque ſatellites, & alia omnia quæ conſueuerunt coram inſpectantibus reges illuſtrare,aſſerit igitur neminem eorum qui tunc terrarum regno potiti ſunt, ipſi æquatum fuiſſe, additq; eiuſmodi fuiſſe, quem omnes illi æmularentur.

Aemulata enim ſunt ipſum,inquit, omnia ligna aeliciarum paradiſi Dei.

Quoniam ſpecioſum feci eum & multis cõdenſitq; frondibus,& æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis,quæ erant in paradiſo Dei. Vulg.

Deinde animi illius faſtum enudat.

Propterea hæc dicit Adonai dominus, pro eo quod factus eſt magnus magnitudine,& dedit principatum ſuum in medium nubium,& exaltatum eſt cor eius in exaltatione ipſius,& vidi,cùm extolleretur ipſe,& tradidi eum in manus principis gentium,& fecit perditionem ſecundum impietatem eius.

Propterea hæc dicit dominus Deus,pro eo quod ſublimatus eſt in altitudine, & dedit ſummitatem ſuam virentem atque condenſam, & eleuatum eſt cor eius in altitudine ſua,tradidi eum in manus fortiſſimi gentium,faciens faciet ei iuxta impietatem eius, & eieci eum. Vulg.

Quando, inquit,haud contentus fuit in hominesimperio, ſed etiam contra me ſuperbia abuſus eſt,tradidi eum in manus principis gentium,Cyrumq; intelligit,qui materno genere Medus,paterno Perſes erat,& à duabus nationibus profectus Aſſyriorũ & Babyloniorum regnum obtinuit. Et fecit inquit perditionem ipſius,ſecundum impietatem eius, digna enim ijs quæ admiſit ſupplicia pertulit. Secun-

cundum hiſtoriam igitur hęc Nabuchodonoſor accidere,qui tantæ crudelitatis ſuperbiæque & impietatis morbo laborauit. ſi vero hęc accuratealiquis velit inſpicere,comperiet etiam communem hominum peſtem,Deo infeſtum, & inimicum diabolum per hæc indicari,qui recte & pulchre fabrefactus,principibusq; poteſtatibus exæquatus, inferioribusq; nobilior,paradiſum enim deliciarum,& ligna in ipſo ſecũdum allegoriæ leges, corporis expertes naturas vocauit,contra opificem ſuum, quiq; ſibi talem decorem, poteſtatemq; tribuerat,veluti rabie exarſit, meditatusque tyrannidem,cùm ſe Deum fore ſomniaſſet, exci
Tim.3. dit. hoc item beatus Paulus innuit,cùm dicit, non neophytum ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli: neſciens enim perinde vt opus eſt honore vti, ſimilia ijs patietur, quæ diabolus paſſus eſt,qui tributum ſibi honorem faſtus & arrogantiæ fecit occaſionem, hunc ait principi gentium traditum iri, quis autem hic princeps gentium, an vnigenitus Dei verbum,Chriſtus dominus? ad quẽ pro-
Hiere.10. pheta ait.quis non timebit te rex gentium? & beatus Iacob, non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat cui repoſitum eſt, & ipſe expectatio gentium. hæc
Eſa.11. item Eſaias exclamat, erit enim radix, inquit, Ieſſe,& qui conſurgit vt princeps ſit gentium, in ipſo gentes ſperabunt. & pater ad eum, de-
Eſa.42. di te in fœdus generis, in lucem gentium, vt ſis tu in ſalutem vſq; ad extremam terram. & ipſe rurſus propheta ei dicit,laborauit Aegyptus,& negotiatio Aethiopum, & Sabain viri excelſi ad te aſcendent & tibi erunt ſerui,poſt te ſequentur, vincti compedibus, & in te ſupplicabunt quia in te Deus eſt & non eſt Deus præter te,& quæ ſequuntur. ipſe quoq; beatus Dauid ait, populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, & infinita alia licet inueniri teſtimonia hoc idem docentia. Huic igitur traditum eſſe aſſerit communem peſtem, & hoſtem, & ab hoc perditum illum fuiſſe ſecundum impietatem ſuam. his ſubijcit.

Et eieci eum ego & exterminauerunt eum alieni peſtilentes à gentibus,& deiecerunt eũ ſuper montes.

Vulg. *Et eieci eum,& ſuccident eum alieni,& crudeliſſimi nationum,& proijcient eum ſuper montes.*

Cùm enim dominus illum viciſſet,& principatu ac tyrannide deieciſſet, qui olim peſtilentes erant & à Deo alieni ex gentibus, & diuino præconio crediderũt, ij prorſus eum exterminarunt,& radicitus eius tyrannidem extirparunt,& deiecerunt eum in montibus, vbi prius habebat delubra,araſq́ue,erectis philoſophiæ columnis.

Et in cunctis vallibus ceciderunt rami eius, & contrita ſunt ſtirpes eius in omni campo terræ.

Vulg. *In cunctis conuallibus corruent rami eius, & confringentur arbuſta eius in vniuerſis rupibus terræ.*

Ramos autem & ſtipites omnis generis idolorum templa nuncupauit,quæ ab ipſo occaſionem,vt erigerentur,acceperant, quæque à montibus & campis omnino deleta ſunt, per eos qui pridem peſtilentes erant, ſed poſtea fideles fuere gentes.

Et deſcenderunt ab vmbraculo eius omnes populi terræ,& ſtrauerunt eum.

Et recedent de vmbraculo eius omnes populi terræ Vulg. *& relinquent eum.*

Cognita enim eius fraude non ſolum illius dominium effugerũt,ſed etiam vſq; ad ipſum ſolum proſtrauerunt Domini mandatum illud exequentes. eccę dedi vobis poteſtatem *Luc.10.* calcandi ſuper ſerpẽtes & ſcorpiones & ſuper omnem virtutem inimici.

Super ruina eius requieuerunt omnia volatilia cœli,& ſuper truncis eius fuerunt omnes beſtiæ agri.

Vulg. *In ruina eius habitauerunt omnia volatilia cœli, & in ramis eius fuerunt vniuerſæ beſtiæ regionis.*

Si quis enim in ſublime volat, ad cœlum mentis oculos intendens, is lætatur eius contemplans interitum,impietatiſque arrogationem. & qui prius ferino more viuebant, in eius ramos inuadent, idolorumque ſuis manibus templa ſubuertent: quæ ſtipites nominauit.

Et non exaltentur magnitudine ſua omnia ligna quæ ſunt in aqua, neq; dent principatum ſuum in medio nubium,neq; ſtent in excelſitate ſua ad eum bibentes aquam.

Vulg. *Quamobrem non eleuabuntur in altitudine ſua omnia ligna aquarum,nec ponent ſublimitatem ſuam inter nemoroſa,atq; frondoſa, nec ſtabunt in ſublimitate ſua omnia,quæ irrigantur aquis.*

Iſtius, inquit, pernicies, & principatus eius euerſio proderit alijs, & ſecuritatis erit occaſio,qui eacernentes,quę ipſi acciderint,haud ſuſtinebunt immerito ſuperbia abuti. neque tentabunt imperium ſibi nequaquam decorum vſurpare,occaſionem ad tyrannidem nacti, quaſi irrigationem quandam honorem ſibi à me ſubminiſtratum.

Quia omnes dati ſunt in mortem.

Vulg. *Quia omnes traditi ſunt in mortem.*

Non enim ipſe ſolum diabolus, ſed etiam qui eius tyrannidis participes fuere dæmones, funditus interiere. Sed rurſus ad hiſtoriam redire tempus eſt, ſatis enim ſunt ea quæ dicta ſunt ad hoc docendum, non tantum de Nabuchodonoſor ſuperiora fuiſſe dicta, ſed etiam de illo qui in eo operatus eſt, quiq́ue eum ſua ſuperbia inſtruxit: ait igitur ipſum Nabuchodonoſor & omnes qui cum eo fuerint morituros,atq; eadem, quæ alij homines, perpeſſuros.

In terram profunditatis inquit in medio filiorum hominum qui abducuntur in foueam,

Vulg. *Ad terram vltimam in medio filiorum hominum ad eos qui deſcendunt in lacum.*

Ad hæc adijcit.

Hæc dicit Adonai dominus, in qua die deductus eſt in infernum,luxit eum abyſſus,prohibuit & ſtatuit flumina ſua,circumdedit multitudinem aquæ.

Hæc dicit dominus Deus, In die quando deſcendit ad inferos,indixi luctum,operui eum abyſſo, & prohibui flumina eius,& coercui aquas multas.

Abyſſum vocauit ſubiectas illi gentes, quæ cum eo militaria munera exequebantur, lugebantq́; non illius cædem, ſed ſuam cladem, & euer-

& euerſionem. illum enim non luxiſſe eos abunde declaranit cùm dixit: prohibuit multitudinem aquæ,hoc eſt, non amplius tibi mittere tributa ſuſtinebit.

Obtenebratus eſt ſuper eum Libanus, omnia ligna campi ſuper eum ſoluta ſunt.

Vulg. *Contriſtatus eſt ſuper eum Libanus,& omnia ligna agri concuſſa ſunt.*

Libanum autem non montem vocat, ſed regni denſitatem,& ligna agri, principes, qui ſub eo erant,præfectis inferiores, veluti in agro quodam conſitos. intelligit autem ſatrapas præfectis & ducibus ſubiectos, & in Libano conſitos maiores principes. ſicut igitur non Libanum Libanum, neq; agrum agrum, neq; item ligna ligna hic intelligimus, ita neque paradiſum deliciarum, eum qui paradiſus Dei vocatus eſt. ſed ſi de Nabuchodonoſor dictum accipiamus,regna orbis terrarum, ſi de diabolo, intelligentes & corporis expertes poteſtates.

A voce ruinæ eius,inquit,cõmotæ ſunt gentes,quando deducebam eum in infernum cum deſcendentibus in lacum.

Vulg. *A ſonitu ruinæ eius commoui gentes, cùm deducerem eum ad infernum cum his qui deſcendebant in lacum.*

Propter vtrumque hoc accidit, etenim interfecto Babyloniorum rege, fama, quæ circumquaque peruaſerat, ſubiectas illi gentes perturbauit, & diabolo profligato commotæ ſunt gentes, & à priſtina fraude ad ſalutarium dogmatum veritatem deſciuere, namque beatus Paulus commotionem, defectionem vocat.

Et conſolabantur eum,inquit,in terra ima omnia ligna deliciarum, & delecta & pulcherrima Libani, omnia bibentia aquam, etenim & ipſa deſcenderunt cum eo in infernum, cum vulneratis à gladio.

Vulg. *Et conſolata ſunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia atq; præclara in Libano, vniuerſa quæ irrigabantur aquis,nam & ipſi cum eo deſcendent ad infernum ad interfectos gladio.*

Imam autem terram & lacũ & foueam,cùm de Nabuchodonoſor loquitur, mortem appellat,cùm de diabolo,in extrema deiectionem. ait igitur horum & illorum participes fore interitus,qui cum eo regnarint: euerſo enim regno neceſſe eſt etiã magiſtratus,qui ſub eo degunt, commutari. illud vero conſolabuntur ipſum, ab ijs quæ apud nos accidunt, dictum eſt. conſueuit enim quodam modo calamitatum communio ijs, qui animum deſponderunt,aliquid conſolationis afferre. non ſolum autem ab ipſo delecti principes euertentur, ſed etiam

Semen eius habitantes ſub vmbraculo eius, in medio vitæ eorum perierunt.

Vulg. *Et brachium vniuſcuiuſq; ſedebit ſub vmbraculo eius in medio nationum eius.*

Balthaſar enim ſemen & filius Nabuchodonoſor propter ingentem impietatem haud permiſſus eſt ad ſenectutẽ peruenire, ſed cùm iam medium hominibus definiti temporis curſum tranſigeret interfectus eſt. ſi vero ad diabolum hæc referas, opus eſt intelligere,ſemen,diſſeminatam ab ipſo impietatis doctrinam,quia ipſa quoq; funditus delebitur,quiq; pro ea propugnare contenderint. deinde ad ipſum orationem conuertit.

Cui aſſimilatus es in virtute,& in gloria,& in magnitudine inter ligna deliciarum, deſcende, & deducaris cum lignis deliciarum in terræ profundum.

Vulg. *Cui aſſimilatus es ô inclyte atq; ſublimis inter ligna voluptatis, ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam.*

Cùm enim nolueris ijs lignis, quæ ſimul tecum ſata ſunt, ſimilis eſſe, ſed ipſi ſatori, cum ijſdem lignis,quæ eadem quæ tu cogitarunt,iubeo te proijci,proijciq́ue in terræ profundum. Hoc igitur vtrique item conuenit. His ſubijcit.

In medio incircumciſorum dormies cum vulneratis gladio.

Vulg. *In medio incircumciſorum dormies, cum eis qui interfecti ſunt gladio.*

Incircumciſorum, non corpore,ſed corde dixit, nouit enim non ſolum noua ſed etiam vetus ſcriptura cordis circumciſionem,quod per prophetam Deus ait, quia omnes gentes incircumciſæ carne, domus autem Iſrael *Hiere.9.* incircumciſi corde ſuo. quando igitur ſuperbiam circũcidere noluiſti, verum in te ſuperbiæ remanſit abundantia, eadem ſuſtinebis,quæ ij,qui hęc commiſere. deinde ſententiam abſoluit.

Sic Pharao & omnis multitudo roboris eius, dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Ipſe eſt Pharao & omnis multitudo eius dicit Dominus Deus.*

Cùm enim ſuprà dixerit,cui aſſimilaſti teipſum in excelſitate tua, narraueritq; eaquæ pertinerent ad Aſſyrium ſiue Babylonium, ſubiecit ita Pharao,& omnis multitudo roboris eius: nam ſi ille inquit multo te maior & illuſtrior hęc patietur,tu quoq; idem expectato ſupplicium,eadem præditus impietate.

Et factum eſt in decimo anno, in decimo menſe,vna menſis,factum eſt verbum domini ad me dicens,fili hominis aſſume lamentum ſuper regem Aegypti, & dices ei, leoni gentium aſſimilatus es, tu, & vt draco in mari, & ventilabas cornu ipſis fluminibus tuis, & conturbabas aquam pedibus tuis, & conculcabas flumina tua.

Vulg. *Et factum eſt duodecimo anno in menſe duodecimo, in vna mẽſis factum eſt verbum domini ad me dicens, fili hominis aſſume lamentum ſuper Pharaonem regem Aegypti, & dices ad eum: leoni gentium aſſimilatus es,& draconi qui eſt in mari, & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis,& conculcabas flumina earum.*

Iſtius arrogantiam rurſus & faſtum accuſat, aitq́ue æmulatum eum fuiſſe draconis qui eſt in mari ſuperbiam, docti ſumus autem iſtum eſſe diabolum, qui olim in triſti gentium & amara ſuperbia commoratus eſt. & Eſaias ait, inducturum Deum gladium ſanctum ſuper draconem qui eſt in mari, aſſeritq́ue illum tentaſſe, & ſimilem factum eſſe leoni, leonem vero gentium regno potientẽ dominum eſſe didi-

didicimus, recumbens enim requieuit inquit
Gen. 49. vt leo,& vt catulus leonis,quis excitabit eum? Hoc igitur dicit,quia tentasti similis fieri gentium leoni perinde atq; draco qui est in mari, & contra auctorem omnium rerum Deum superbia inflatus es,fluuio fretus, eiusq; fossis, vt qui non indigeres neq; nubibus, neq; pluuia, neq; superna prouidentia & cura, verum pedibus aquam conturbans eam deriuares ad agros irrigandos,hac de causa

Circumiciam, inquit, super te retia mea in ecclesia multorum,& extraham te in hamo meo.

Vulg. *Propterea hæc dicit Dominus Deus,expandam super te rete meum, in multitudine populorum multorum & extraham te in sagena mea.*

Congruenter fluuio,& admodum apposite hamum commemorauit & rete,quæ interpretatus est cùm dixit in ecclesia multorum, nam veluti quodam rete adhibito hostiũ exercitu,& quasi quodam hamo mea voluntate capiam te,& piscis instar venabor.

Et extendam te inquit super terram, & campi tui replebuntur,& sedere faciam super te omnia volatilia cæli, & implebo ex medio tui omnes bestias terræ, & dabo carnes tuas super montes, & implebo à sanguine tuos campos, & potabitur terra à stercoribus tuis super montes,& valles implebo à te.

Vulg. *Et proiiciam te in terram, super faciem agri abiiciam te,& habitare faciã super te omnia volatilia cæli,& saturabo de te bestias vniuersæ terræ,& dabo carnes tuas super mõtes,& implebo colles tuos sanie tua, & irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes,& valles implebuntur ex te.*

Quando inquit ab hostibus captus & interfectus eris,insepultus permanebis,bestiarumque & volucrum ventres implebis,sanguinisq; riui, & putrefacti cruores, hos enim stercora vocauit,& agros & montes complebunt.

Et cooperiam cælum, cùm extinctus fueris tu, & obtenebrabo astra eius,solem in nube tegam, & luna non ostendet lumen suum, omnia quæ lucent in cælo obtenebrabo super te & dabo tenebras super terram tuam,dicit Adonai dominus.

Vulg. *Et operiam cùm extinctus fueris cœlos,& nigrescere faciam stellas eius,solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum, omnia luminaria cœli mœrere faciam super te, & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus.*

Non natura hæc ait accidisse, sed propter eorum, qui cruciabantur affectionem, siquidem calamitatibus oppressi nocte obscuriorem diem opinantur, quod quidem docens ait, & dabo tenebras super terram tuam, non super omnem terram. quod si quis reuera dicat tenebras in Aegypto fuisse belli tempore, ipso Deo ostendente se Babylonijs ad Aegyptios puniendos vsum fuisse, à pia mente non aberrabit.

Et irritabo cor populorum multorum,quando induxero captiuitatem tuam in gentes, in terram quam non cognouisti,& cõtristabuntur super te gentes multæ,& reges ipsorum stupore constupescent, cùm extraxero ego gladium meum contra facies ipsorũ expectantes ruinam suam,à die ruinæ tuæ.

Vulg. *Et irritabo cor populorum multorum cùm induxero contritionem tuam, in gentibus super terras, quas nescis, & stupescere faciam super te populos multos, & reges eorum horrore nimio formidabunt super te, propter vniuersas iniquitates quas operatus es cum volare cœperit gladius meus super facies eorum, & obstupescent repente singuli pro anima sua,in die ruinæ suæ.*

Cùm captus inquit fueris, alij quidem pristinæ tuæ recordati audaciæ, se immites erga te,& absq; misericordia præbebunt, alij vero lugebunt cruciabunturque ex ijs quæ tibi acciderint impendentia sibi mala conijcientes. tum docet, Babyloniorum exercitum venturum cum antesignanis optimatibus quibusdam,hos enim gigantes vocauit, vt qui etiam sint omnibus gentibus crudeliores. pœnas inquit à te ò Aegypte superbiæ exigent, namq; hanc contumeliam nuncupauit,contumeliosus enim superbus & arrogans, aitq; fore, vt ipsorum robur destruant,& eos captiuos abducãt,iumentaq; diripiant,ac diutius imperturbatum fluminis permaneat fluentum, neq; iumento neq; homine eo perturbante propter eam solitudinem,quam captiuitas attulerit,& vt desinentes huc atq; illuc deriuari riui quasi oleum incedant, hoc est, leniter & placide nulla re impediente. atq; hæc inquit erũt cùm ipsam solitudo occuparit,& incolæ eius bello capti in seruitutem abducti fuerint.

Et cognoscent, inquit,quia ego sum Dominus.

Et scient quia ego Dominus. Vulg.

Experientia enim malorum & suam docebuntur tenuitatem, & meum dominium agnoscent. deinde ait,etiam

Filiæ gentium(intelligit autem vrbes & vicos)lamentabuntur super Aegyptum, & super omne robur eius,& lamentabuntur ipsum, dicit Adonai dominus.

Planctus est, & plangent eum filiæ gentium super Vulg.
Aegyptum & super multitudinem eius plãgent eum, ait Dominus Deus.

Non solum inquit Aegyptiorum nationem sed etiam ipsorum regem lamentabuntur,aliarum gentium vrbes pristinam felicitatem reputantes, & repentinam factam commutationem cernentes.

Et factum est in decimo anno primo mense in quintadecima mensis factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis lamentare super robur Aegypti, & declinans attrahe ipsum.

Et factum est in duodecimo anno in quintadecima Vulg.
mensis factum est verbũ Domini ad me dicens, fili hominis cane carmen lugubre super multitudinem Aegypti,& detrahe eam ipsam.

Verbis inquit prophetiæ de statu ipsum declinato, & à regia sede eum detrahito atq; deducito.

Et deducent filias eius gentes mortuas in profundũ terræ ad descendentes in foueam.

Et filias gentium robustarum ad terram vltimam Vulg.
cum ijs,qui descendunt in lacum.

Filias rursus vrbes & vicos vocat, quas ait interfectum iri,foueam enim mortem à sepulchro impositio nomine nuncupauit.

Ex aquis pulchris descende, & dormi cum incircumcisis.

Quo

Vulg. *Quo pulchrior es descende & dormi cum incircumcisis.*

Quæ olim inquit aquis fluminis oblectata ex fructibus qui inde nascebantur, honorem adepta es, neq; cordis impietatem circumcidisti,cum ijs,quibus te similem præstitisti,cedis particeps fias. tum rursus eisdem commemoratis adiecit.

Et dicent tibi gigantes,qui sunt in profundo foueæ, sis,quo enim melior es? descende,dormi cũ incircumcisis in medio vulneratorum gladio.

Vulg. *Loquentur ei potentissimi robustorum de medio inferni,qui cum auxiliantibus eius descenderunt,& dormierunt incircumcisi interfectiq; gladio.*

Esa.14. Hæc item beatus Esaias de Babylonio ait, & dicent tibi principes qui à sæculo sunt, & tu captus es,sicut & nos, in nobis autem connumeratus es, descendit in infernum gloria tua, & multa lætitia tua, subter te sternent tineam & operimentum tuũ vermis. & hic quoque dicent tibi,inquit,qui fuerunt potentia illustres,& olim mortui sunt,hos gigantes vocauit, sis, id est similis nobis mortuus, quo enim præstantior es, qui tentaris fieri immortalis? descende igitur, & fini vitã, & cum ijs, qui eadem quę tu ausi sunt, simili cæde perimaris, tum commemorat eos, qui potentia illustres fuere.

Ibi Assur & omnis congregatio eius, omnes vulnerati illi traditi sunt, & sepulchrum eorum in profundo foueæ,& facta est congregatio eius in circuitu monumenti eius.

Vulg. *Ibi Assur & omnis multitudo eius in circuitu illius sepulchra eorum, omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio,quorum data sunt sepulchra in nouissimis laci:*

Quis inquit fuit adeo celeber vt Assyriorum rex? verumtamen iste quoq; fortitus est vitæ finem. & omnis eius exercitus mortis illius particeps fuit.

Omnes vulnerati qui ceciderunt gladio, qui dederunt sepulchra sua in femoribus lacus.

Vulg. *Omnes interfecti & qui ceciderunt gladio,quorum data sunt sepulchra in nouissimis laci.*

Sepulchrorum formam ita nuncupauit,longa enim sepulchra & femoribus similia.

Et facta est ecclesia in circuitu sepulchri eius, omnes vulnerati cadentes gladio.

Vulg. *Et facta est multitudo eius per gyrum sepulchri eius vniuersi interfecti,cadentesq; gladio.*

Quemadmodum enim rex ipsorum, ita ipsi quoq; interfecti sunt,& apud illius sepulchrum necati. & hæc inquit,passi sunt viri,

Qui viderunt timorem suum in terra vitæ.

Vulg. *Qui dederant quondam formidinem suam in terra viuentium.*

Attamen illi omnes perterrentes & territi capient,inquit,dedecus suum cum ijs,qui deducuntur in foueam: Illa enim gloria priuati, cum dedecore vitam finient eadem cæde interfecti,qua alios ipsi occidere. deinde commemorat gentium monumenta.

Ibi Elam,& omnis potentia eius in circuitu monumenti eius, & omnis multitudo eius,& omnes vulnerati qui ceciderunt gladio, & qui descenderunt incircumcisi in terra profundum.

Ibi Elam & omnis multitudo eius per gyrum sepul Vulg.
chri sui,omnes hi interfecti ruentesq; gladio, quia descenderunt incircumcisi ad terram vltimam.

Mos erat in bellis,vt secundũ gentes,strue-rentur sepulchra, propinquos enim coactos cognati vni sepulturæ mandabant. hoc igitur indicauit hic quoq; gentem Elam fecisse,quæ Assyrijs proxima est,docetq; etiam incircumcisos perijsse, cùm ab impietate nequaquam recesserint. deinde cùm rursus dixerit eos, qui formidabiles olim omnibus fuere, proprio tormento punitos,& æque atq; alios mortuos esse,adiecit.

Vnicuique in circuitu sepultura eius, omnium incircumcisorum vulneratorum gladio.

In medio interfectorum posuerunt cubile eius in Vulg.
vniuersis populis eius in circuitu eius sepulchrum illius omnes hi incircumcisi interfectiq; gladio.

Aliasque gentes enumerat, quæ hac cæde sunt interfectæ.

Ibi traditi sunt Mosoch & Thobel.

Ibi Mosoch, & Thubal. Vulg.

Thobel vocantur Iberes, Mosoch Cappadoces. eisdemq; repetis, quæ de Elamitis dixerat,subiecit.

Et posuerunt gladios suos sub capitibus suis.

Superuacua enim arma sunt ijs interfectis,qui ipsis vterẽtur. narrat etiam cædis causam.

Et factæ sunt iniquitates eorum in ossibus eorum.

Et fuerunt iniquitates eorum. Vulg.

Pœnas inquit impietatis persoluerunt. deinde etiam impietatis genus declarat.

Quia terruerunt gigantes in vita sua,& timor dominantium fuit,in terra viuentium.

Quia terror fortium facti sunt in terra viuenti- Vulg.
um.

Tantam inquit crudelitatem adhibuere, atq; temeritatem vt omnibus terrorem incuterent,non solum tenuibus sed ijs quoq; qui robore & potentia gloriabantur. Iccirco inquit,simili cæde peribis, qua ij, quos ipse occidisti. hæc autem sustinuere aliæ quoq; gentes.

Ibi enim Edom,& reges ipsius, & omnes principes eius qui dederunt robur suum in vulnera gladij.

Ibi Idumen & reges eius, & omnes duces eius, qui Vulg.
dati sunt cum exercitu suo cum interfectis gladio.

Hoc est, qui ad cædes viribus abusi sunt. cumque ostenderit istos similiter interfectos itidem subiecit.

Ibi principes aquilonis omnes ipsi, omnes duces Assur, qui deducti sunt cum vulneratis cum timore suo.

Ibi principes aquilonis omnes & vniuersi venato- Vulg.
res,qui deducti sunt cum interfectis pauentes & in sua fortitudine confusi.

Exibit enim spiritus eius & reuertetur in terram suam,vt inquit diuinus Dauid, in illa die peribunt omnes cogitationes eius, hoc etiam hic Deus ait,qui deducti sunt cum vulneratis,cum timore suo, morte enim etiam potentiæ terror euertitur, victi inquit à robore ipsorum,id est,nudi & vacui à robore fuerũt. dedecore affecti dormierunt in circumcisi, ni-

hil enim ita ignominia afficit,vt illius, qui ſibi ſceleris eſt conſcius,accuſatio.& incircumciſos denuo vocauit eos qui peccati non amputent excrementa.deinde cùm dixerit

Acceperunt tormentum ſuum, cum deſcendentibus in foueam,

Hoc eſt,ſupplicium,ſubiecit,

Illos videbit rex Pharao,& conſolabitur ſuper omne robur ipſorum, vulnerati gladio Pharao, & omnis exercitus eius dicit Adonai Dominus,quia dedit timorem ſuum ſuper terram viuæ. & dormiet in medio incircumciſorum vulneratorũ gladio, Pharao & omnis multitudo eius dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Vidit eos Pharao & conſolatus eſt ſuper vniuerſa multitudine ſua, quæ interfecta eſt gladio Pharao & omnis exercitus eius ait dominus Deus,quia dedit terrorem ſuum in terra viuentium et dormiuit in medio incircumciſorum cum interfectis gladio, Pharao & omnis multitudo eius ait dominus Deus.*

In illos enim reſpiciens,inquit Pharao,qui maiores fuerunt,& longe potentiores, aliqua cõſolatione afficietur,& vna illi ſubiecti, dabit tamen impietatis pœnas, quia multo ſibi ſubiectis incuſſo metu, ipſe legem meam non admiſit,ſed animam reliquit incircumciſam. quamobrem cum talibus ipſe quoque & vna qui eadem ſentientes ſimiliter vixerunt, occidentur. His igitur perceptis cùm cognouerimus ex diuinis oraculis, quales pœnas luant, qui animam non circumcidunt, accipiamus, hortor, ſanctiſsimi ſpiritus haud manufactam circumciſionem: de qua beatus Paulus ait: & circumciſio cordis in ſpiritu,non litera,cuius laus nõ ex hominibus ſed ex Deo eſt.circumciſionem vero cordis edocti ſumus peccati ablationem, & improbarum mentis affectionum amputationem eſſe.quod Dominus docebat,cùm diceret: ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, excide, & proijce à te: & de manu ac pede idem dixit,addiditq;: expedit tibi vt pereat vnum membrorum tuorum,& non totum corpus tuum proijciatur in gehennam. & membra hoc loco, membrorum actiones vocauit,quæ circumcidere opus eſt,& excidere,& partem in qua ratio ineſt expurgare, totumq; diuinis legibus dedicare & conſecrare. ita enim ab aduerſarij communione alieni erimus,& dominum noſtrum,& beneficiorum nobis auctorem in nobis habitantem excipiemus: quem decet gloria in ſæcula. Amen.

SECTIO XIII.

Cap.33. *Et factum eſt verbum domini ad me dicens,fili hominis loquere filijs populi tui.*

Vulg. *Loquere ad filios populi tui.*

Beneuolus Deus ſuum populum, populum vocat; ſed propter ſcelera eum auerſatus non amplius domeſtico nomine vſus eſt,quod erga magnum Moyſem feciſſe conſpicere licet: ſiquidem ante ſcelus admiſſum dixit Pharaoni, dimitte populum meum, vt ſeruiat mihi: ſed poſt vituli cultum Moyſi dicit,feſtina deſcende celeriter hinc, peccauit enim populus tuus. Ita igitur hic quoq; non ſuum populum, ſed prophetæ populum vocat.

Et dices ad eos,terra ſuper quam ego induco gladium,& capiet populus terræ virum vnum ex ipſis,et dabit eum ſibi in ſpeculatorem, & viderit gladium venientem ſuper terram,& canet tuba, & ſignificabit populo,& audierit audiens tubam,& non obſeruauerit, & venerit gladius,& comprehenderit eum, ſanguis eius ſuper caput eius erit,quia voce tubæ audita, nõ obſeruauit ſe,ſanguis eius ſuper eum erit.

Et dices ad eos,terra cùm induxero ſuper eam gladium,& tulerit populus terræ virum vnum de nouiſſimis ſuis,& conſtituerit eum ſuper ſe ſpeculatorem,& ille viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit buccina,& annunciauerit populo: audiens autẽ quiſquis ille eſt ſonitum buccinæ,& non obſeruauerit, veneritq; gladius & tulerit eum, ſanguis ipſius ſuper caput eius erit, ſonum buccinæ audiuit & non ſe obſeruauit, ſanguis eius in ipſo erit.

Vulg.

Gladium dicit bellum, ſpeculatorem vero exploratorem: docetq; nos oratio, ipſum eſſe qui pacem hominibus præbet propter bonitatem,& bellum fieri permittit propter hominũ ſcelera, quæ ad calamitates trahunt. ſi igitur ſuſcepto inquit bello contra vrbem aliquam, ſpeculatorẽ in tumulo aliquo conſtituerint ij, quibus bellum infertur,deinde ille conſpecto adueniente exercitu ſignum tuba dederit,neque contempſerit neglexeritúe eos, qui ſe hac de cauſa ibi illum poſuerunt, ipſe quidem inquit inſons erit, cùm commiſſum ſibi munus executus fuerit: qui vero noluerit obſeruare,neq; ſuæ ſalutis rationem ducere, ſibi & cædem & captiuitatem conciliabit.iccirco ait, ſanguis eius ſuper eum erit,ſibi,inquit, cædis cauſas attribuat. ille autem quia obſeruauit, animam ſuam liberauit: ſi vero inquit obſeruarit,ſalutis ſibi auctor erit.

Et ſpeculator ſi viderit gladium venientem & non cecinerit tuba, & non ſignificauerit populo,& populus non obſeruauerit,& gladius veniens ceperit ex ipſis animam, ipſa quidem propter ſuam iniquitatem capta eſt, ſanguinem autem eius de manu exploratoris requiram.

Quod ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritq; gladius & tulerit de eis animam,ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram.

Vulg.

Quod ſi,inquit, delectus ſpeculator neglexerit, neq; populo ſignificauerit hoſtium aduentum, capti quidem pœnas eorum quæ deliquerint perſoluent: ſed proditionis quam ſpeculator fecerit, pœnas ipſe ſuſtinebit. atq; hæc dixit vt magis attentum prophetam, ac ſtudioſiorem in diſpenſatione verbi redderet. Iccirco ſubijcit.

Et tu fili hominis,ſpeculatorem dedi te domui Iſrael,& audies ex ore meo ſermonem, et præcuſtodies ipſum à me.

Audiens ergo de ore meo ſermonem annunciabis eis ex me.

Vulg.

Quod in hoſtibus obſeruandis facere ſpeculator cõſueuit,hoc te facere ò propheta decet, & quæ à me dicuntur omni animi alacritate renunciare.

Cùm

Cùm dixero ego peccatori, peccator morte morieris,& non diſtinxeris peccatori vt cuſtodiat ſe impius,& reuertatur ipſe à via ſua,vt viuat ipſe,ipſe impius impietate ſua morietur, ſanguinem eius de manu tua requiram.

Si me dicente ad impium,impie morte morieris, nõ fueris locutus vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.

Si aliquem,inquit,morte damnaro, neq; ei latam contra ipſum ſententiam indicaueris, vt pœnitentia ſententiam euertat,ille quidem dignum vitæ finem inueniet ſed à te interitus illius exigam pœnas: ſi vero tu, inquit,omnia quæ à me decreta ſunt,indicaris impie viuenti,& ille tuis contemptis verbis in ſuo ſcelere permanſerit, ille iuſtum ſubibit ſupplicium, tu vero te ipſum à pœnis liberabis.

Et tu fili hominis dic domui Iſrael: ita locuti eſtis dicentes, peccata noſtra & iniquitates noſtræ in nobis ſunt,& in ipſis nos tabeſcimus, & quo modo viuemus?

Vulg. *Tu ergo fili hominis dic ad domum Iſrael, ſic locuti eſtis dicentes: Iniquitates noſtræ & peccata noſtra ſuper nos ſunt,& in ipſis nos tabeſcimus,quo modo ergo viuere poterimus?*

Me inquit omnia pro ſalute Iſrael molente,nolenteq; eos repudiare, ipſi verbis vtuntur,quibus ſe repudiant, & fieri non poſſe exiſtimant,vt pœnitentia ſalutem conſequantur, grauiſsimum peccatorum pondus ſibi impoſitum aſſerentes,& hodie quoq; ſcelere & iniquitate ſe obſtrictos: aiuntq; non poſſe ita affectos,pœnitentia ſalutem adipiſci.

Dic igitur eis,viuo ego dicit Adonai Dominus,quia nolo mortem peccatoris,vt conuertatur ipſe à via ſua, & viuat ipſe.

Vulg. *Dic ad eos,viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij,ſed vt conuertatur impius à via ſua,& viuat.*

Quis pro dignitate admirari poterit Domini bonitatem?qui neglectus ab ijs,quos beneficijs affecit ſibi admodum ingratis, tamẽ ingratiſsimi animi crimine execrandos omni prouidentia proſequitur,vt eorum conſpiciat mutationem. Iccirco ſubijcit paternam, & beneuolentiæ plenam admonitionem.

Conuerſione conuertimini à via veſtra mala, & vt quid moriemini domus Iſrael?

Vulg. *Conuertimini à vijs veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael?*

Conduplicatio Hebræorum linguæ idioma eſt, declaratq; ingenuam conuerſionem.

Et tu fili hominis dic ad filios populi tui: iuſtitia iuſti non liberabit eum in qua die errauerit,& iniquitas iniqui non occidet eum in qua die reuertetur ab iniquitate ſua.

Vulg. *Tu itaq; fili hominis dic ad filios populi tui: Iuſtitia iuſti non liberabit eum,in quacunq; die peccauerit,& impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die conuerſus fuerit ab impietate ſua.*

Cum perſuadere velit acceptam ſibi eſſe peccatoris pœnitẽtiam à contrario hoc oſtendit. quemadmodum enim ſi quis eorum, inquit,qui cum virtute vixerunt hac via relicta, alteram vitiorum illi antepoſuerit, neceſſe eſt vt dignum viæ exitum inueniat: ita ſi quis in ſceleribus educatus ad virtutis viã redire voluerit,ab eo ſupplicio quod ſceleratis definitum eſt,liber proꝛſus erit.

Cùm dixero ego iuſto quia vita viuet, & iſte confiſus eſt in iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem,omnes iuſtitiæ eius non memorabuntur: in iniuſtitia ſua quam fecit,in ipſa morietur, & cùm dixero ergo impio morte morieris,& reuerſus fuerit ab iniquitate ſua,& fecerit iudicium & iuſtitiam, & pignus debitoris reddiderit,& rapinam reſtituerit, iuxta in præceptis vitæ ambulauit,vt non faciat iniuſtum, vita viuet & non morietur.

Etiam ſi dixero iuſto quod vita viuet, & confiſus in iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur,& in iniquitate ſua,quam operatus eſt, in ipſa morietur. ſi autem dixero impio morte morieris,& egerit pœnitentiam à peccato ſuo,fecerit que iudicium & iuſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius,rapinamq; reddiderit,in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniuſtum,vita viuet & non morietur. Vulg.

Neq; iuſto, inquit, profuerit ea quæ facta eſt à me bonorum pollicitatio niſi in bonis operibus exercendis perſeuerauerit, ſed pro eorum,quę in vita egerit,dignitate pœnas dabit, neq; peccatori ſupplicij ſententia nocuerit, qui pœnitentiæ remedijs vti non recuſarit, & ab omni impio ſcelere deſciuerit, & clementiam erga eum qui ſibi proximus eſt,adhibuerit, & omnino obſeruare ea inſtituerit, quæ à me præcepta ſunt: pœnitentia ſiquidem ſententiam euertet,ac vita fruetur.quodq; omnium amabiliſsimum eſt,

Omnia,inquit,peccata eius,quæ peccauit,non memorabuntur ei,quia iudicium & iuſtitiam fecit, in ipſis viuet.

Omnia peccata eius,quæ peccauit,non imputabuntur ei,iudicium & iuſtitiam fecit,vita viuet. Vulg.

Ita oſtenſa ſua bonitate, iniqui & ingrati populi crimen redarguit.

Et dicunt filij populi tui, non recta via Domini, & hæc via ipſorum non recta.

Et dixerunt filij populi tui, non eſt æqui ponderis via Domini, & ipſorum via iniuſta eſt. Vulg.

Tanta, inquit, à me propoſita bonitate atque clementia, accuſare meas adminiſtrandi rationes,vt minus rectas,audent: atqui oportebat eos à rebus ipſis intelligere mea quidem omnia & recta & iuſta eſſe, ſua vero peruerſa. deinde idem apertius per interrogationem dicit.

Audite domus Iſrael,num via mea non recta, nonne viæ veſtræ non rectæ?

Tum repetens ea quæ dicta ſunt ait: iuſtus, qui ſcelera perſequi inſtituerit, punietur, & peccator ad iuſtitiam reuerſus ſalutem conſequetur. vobis autem hoc inquit haud iuſtum viſum eſt,iccirco ſubiecit.

Et hoc eſt quod dixiſtis, non recta via Domini.

Et dicitis non eſt recta via Domini. Vulg.

Deinde per ſententiæ prolationem.

Vnumquemq; ſecundum vias veſtras iudicabo vos domus Iſrael.

Vulg. *Vnumquemq; iuxta vias suas iudicabo de vobis domus Israel.*

Satis hoc est ad persuadendum vel iis, qui adamantini sint, vt relictis sceleribus vitæ in melius mutationem complectantur.

Et factum est in duodecimo anno in duodecimo mense, quinta mensis captiuitatis nostræ, venit saluatus ad me de Hierusalem dicens: capta est ciuitas, & manus Domini facta est super me vespere, antequam veniret saluatus, & aperuit meum os donec venit ad me mane, & apertum os meum non se continuit amplius.

Et factum est in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Hierusalem dicens, vastata est ciuitas, manus autem domini facta fuerat ad me vespere antequam veniret, qui fugerat, aperuitq; os meum donec veniret ad me mane, & aperto ore meo non silui amplius.

Vulg. Syrus ait vndecimo anno, & duodecimo mense, idq; magis consequi videtur; anno enim vndecimo capta est ciuitas. asseritq; eo tempore, quod dictum est, venisse quendam, qui captam Hierusalem renunciaret, sed anteueniens Dominus vespere imposuit mihi prophetiæ verba. cumq; mane ille apparuisset, non amplius me silentio prophetica verba cõtinere permisit, sed indesinenter ea proferre me iussit, idq; ipse effecit, omnium quippe maxime & silentij & locutionis tempus nouit Dominus.

Et factum est verbũ Domini ad me dicens, fili hominis habitantes desertas has in terra Israel dicentes, aiunt, vnus erat Abraham, & obtinuit terram, & nos plures sumus, nobis data est terra in possessionem.

Vulg. *Et factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis qui habitant in ruinosis hus, super humum Israel loquentes aiunt, vnus erat Abraham, & hæreditate possedit terram, nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem.*

Stultitiæ morbo ita laborant, vt nihil supra positum, qui post tot, tantaq; supplicia adhuc temerarij sunt, & solitudinem Iudææ conspicãtes dicere audẽt: si solus cùm esset Abraham, hanc terram possedit, multo magis nos qui plures sumus, ipsius compotes erimus. oportebat autem simul nouisse Abrahæ virtutẽ, suumq; vitium, neq; multitudine confidere, sed iustitiam inquirere. quare etiam Dominus hanc ipsis adhibet correctionem.

Propterea dic eis, hæc dicit Adonai Dominus: quia sanguinem comeditis, & oculos vestros attollitis ad idola vestra, & sanguinem effunditis, & terram hæreditate obtinebitis? steristis in gladio vestro, fecistis abominationes & vnusquisq; vxorem proximi sui polluistis, & terram hæreditate obtinebitis?

Vulg. *Iccirco dices ad eos hæc dicit Dominus Deus: qui in sanguine comeditis, & oculos vestros leuatis ad immunditias vestras, & sanguinem funditis, numquid terrã hæreditate possidebitis? steristis in gladijs vestris, fecistis abominationes, & vnusquisq; vxorem proximi sui polluit, & terram hæreditate possidebitis?*

Proprijs, inquit, confidentes operibus speratis patria vos terra potituros, & tamen scelerata est vestra vita, ea enim facitis, quæ lege vobis interdicta sunt: sanguinem quippe comeditis, quod legem ferens ipsi Noe interdixi, & per Moysem in terrã effundi præcepi: & idolorum cultum plurimi facitis, & cædes atque adulteria patrare pseueratis. hæc igitur audentes ne sperate terrã vos hereditate possessuros.

Hæc dicit Adonai Dominus. Viuo ego vere, qui in desertis cadent gladio, & qui in facie campi bestijs agri tradentur ad deuorationem, & eos qui fuerint in vrbibus muro munitis, & qui in speluncis, morte interficiam & dabo terram in solitudinem.

Sic dicit dominus Deus; viuo ego quia qui in ruinosis habitant gladio cadent, & qui in agro est bestijs tradetur ad deuorãdum, qui autem in præsidijs & speluncis sunt peste morientur: & dabo terram in solitudinem & desertum. Vulg.

Eorum quæ dicta sunt obsignatio est, viuo ego, & asserit eos qui muro munitas incoluerint vrbes, quiq; in speluncis & desertis locis degent, modo dictas pœnas persoluturos. cau samq; ostendens subijcit.

Et peribit contumelia roboris eius, & desolabuntur montes Israel, eo quod non sit pertransiens, & cognoscent quia ego Dominus, & faciam terram ipsorum desertam, & desolabitur propter omnes abominationes suas quas fecerunt.

Et deficiet superba fortitudo eius, & desolabuntur montes Israel, eo quod nullus sit, qui per eos transeat, & scient quia ego Dominus, cùm dedero terrã eorum desolatam & desertam, propter vniuersas abominationes suas, quas operati sunt. Vulg.

His omnibus & illi & nos docti sumus, qui scelerate viuimus, ne multis quidem & innumerabilibus, nos confidere oportere hominum millibus, sed solis pœnitentiæ remedijs, quæ anteuertens Dominus ostendit.

Et tu fili hominis filij populi tui loquentur de te apud parietes, & in ostijs domorum, & loquentur vnusquisq; proximo suo, & vnusquisq; fratri suo dicentes, congrediamur, quod verbum egrediens à Domino, & veniunt ad te, sicuti conuenit populus, & sedet coram te populus meus, & audiunt verba tua, & non facient ea. Vulg.

Et tu fili hominis filij populi tui qui loquuntur de te iuxta muros & in ostijs domorum, & dicunt vnus ad alterum vir ad proximum suum loquentes, venite & audiamus quis sit sermo egrediens a Domino, & veniunt ad te quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus, & audiũ sermones tuos & non faciunt eos.

Igitur omnia quæ ante dicta sunt, de ijs qui in Iudæa erant dicta sunt. hæc vero de ijs qui iam captiui abducti fuerãt, & Babylonem incolebant, qui audire quidem studebant prophetarum oracula, sed ijs quę dicerentur, non item obtemperare. verum in suis concilijs se mutuo hortati vt ad prophetam accurrentes, quæ à Deo iuberentur edisserent, repugnare perseuerabant. iccirco neq; facient ea inquit,

Quia mendacium in ore ipsorum.
Quia in canticum oris sui vertunt illos. Vulg.

Non consentit, inquit, lingua cum corde.

Post pollutiones enim cor eorum graditur.
Et auaritiam suam sequitur cor eorum. Vulg.

Iucunda enim tantum, non vtilia verba audiunt,

diunt, quare congruenter adiecit.

Et es eis quasi vox psalterij dulcisoni concinni.

Vulg. *Et es eis quasi carmen musicum, quod suaui dulciq; sono canitur.*

Sicut musicum, inquit, quoddam instrumentum concinnam vocem reddens, audientes inde oblectantur, non tamen sonorũ percipiunt disciplinam, ita etiam verba tua ò propheta aures tantum ipsorum delectatione afficiũt, animam vero improbitati addictam minime demulcent: hoc enim subiecit.

Et audient verba tua & non facient ea, quia mendacium in ore ipsorum.

Sed nunc, inquit, haud credentes, cùm viderint euentum experientia credent.

Quando enim venerint, inquit, dicent, ecce venit, & cognoscent, quia propheta erat in medio eorum.

Vulg. *Et cùm venerit quod prædictum est, ecce enim venit, tunc scient, quod prophetes fuerit inter eos.*

Ijs enim, quibus nullam nunc fidem habẽt, rebus ipsis credent, & tunc propheticam vim percipient. Hinc ad pastores transfert orationem, vocatq; pastores non solum reges, sed etiam sacerdotes. quorum accusat impudentiam, & segnitiem, ouium proditionem.

Cap. 34. *Fili enim hominis, inquit, propheta super pastores Israel, propheta & dic pastoribus, hæc dicit Adonai Dominus: ò pastores Israel, num pascunt pastores seipsos? nonne oues pascunt pastores?*

Vulg. *Et factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis propheta de pastoribus Israel, propheta & dices pastoribus. Hæc dicit Dominus Deus, væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur?*

Dicite, inquit, vos, quod nam proprium pastoris munus est, seipsum pascere, an oues?

Ecce lac comedebatis, & lanis induebamini, & crassum occidebatis, & oues meas non pascebatis.

Vulg. *Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.*

Omnia per translationem dicit, vos enim sacerdotes primitias, & decimas, & sacrificiorum partes à victimis ablatas percipiebatis, vos aũt reges tributum & vectigal exigentes haudquaquam his contenti fuistis, sed occisis ditioribus eorum diuitijs fruebamini, neque sacerdotes vestri, neq; vos vllã curam ouium curandarum habebatis. deinde sigillatim ipsorum negligentiam recensẽt.

Quod infirmum fuit non corroborastis, & quod ægrotum non sanastis, & contritũ non colligastis, quódque male se habebat, non in vnum redegistis, & errãs non reduxistis, & quod perierat, non inquisistis, & quod omnium grauissimum, validum oppressistis labore, & in potentia instruxistis eas, & in ludo.

Vulg. *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum nõ sanastis, quod confractum est nõ alligastis et quod abiectum est nõ reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.*

Non enim infirmis tantum idoneum non attribuistis remedium, sed etiam valentibus multos imposuistis labores; quod ex historijs facile est percipere. namq; eos, qui idola colerent, sceleribus addicti, curare, & ad Deũ transferre improbi pastores recusarunt, diuinosq; prophetas summa virtute præditos, flagris cædere, & in vincula conijcere, infinitis malis opprimere perseuerarũt, atq; hæc facientes ipsis illudebant, ea quæ ab ipsis dicerentur, reprehendentes. iccirco ait: in potentia instruxistis eas, & in ludo; ostendens simul eos calamitates intulisse sanctis & iocum ac ludum quæ fierent duxisse.

Propter hos improbos, inquit, pastores, dispersi oues meas, & factæ sunt in deuorationẽ omnib. bestijs agri.

Et dispersæ sunt oues meæ eo quod non esset pastor, et Vulg.
factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri.

Per translationem rursus bestias vocauit: quandoquidem hac ratione oues quoq; nuncupauit. appellat autem bestias intelligentia quidem præditos dæmonas, animarum interfectores, sensiles vero feras vndiq; in ipsas hostes aduentantes.

Et dispersæ sunt & errauerunt oues meæ in omni monte, & in omni colle excelso, & super faciem totius terræ dispersæ sunt oues meæ, & non erat exquirens, neque reducens.

Dispersæ sunt, errauerunt greges mei in cunctis mon Vulg.
tibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ, dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat inquam qui requireret.

Montes, & colles, & alia quæcunque dixit, cultum ab eis idolis adhibitum nuncupauit, in montibus enim & collibus, atq; adeo in omni loco, idolorum templa posuerant, neque regibus, neq; ipsis sacerdotibus impietatem prohibentibus: qua de causa non erat inquit exquirens, neq; reducens. ita absoluta accusatione, pastoribus pœnas minatur, aitque: Cũ propter facilitatem, ac negligentiam à bestijs captæ fuerint oues meæ, neq; vllum vestrę curæ aut prouidentiæ fructum perceperint, solam enim voluptatem propriam, & corporis vestri cultum curastis;

Propterea ò pastores audite verbum Domini, hæc dicit Adonai Dominus, ecce ego super pastores, & requiram oues meas de manibus eorum, & desistere faciam eos pascere oues meas, neq; pascent eas amplius pastores, & liberabo oues meas de ore ipsorum, & non amplius erunt eis in deuorationem.

Propterea pastores audite verbum Domini, hæc di- Vulg.
cit Dominus Deus: ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam.

Per hæc verba præsignificauit & regni Iudæorum & sacerdotij finem: liberabo enim oues meas, inquit, à mala istorum cura, qui nulla eas vnquam prouidentia gubernarunt, sed tantum eas comedere perseuerabant. deinde per saluatorem nostrum salutem pollicetur.

Quia hæc dicit Adonai Dominus: ecce ego requiram oues meas & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit caligo & nubes in medio ouium ipsius separatarum, ita requiram oues meas, & eruam eas ex omni loco, vbi dispersæ fuerunt, in die nebulæ & caliginis.

Vulg. *Quia hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic visitabo oues meas, & liberabo de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis.*

Nubem hic & caliginẽ inscitię tenebras appellauit, quæ per orbem terrarum, antequam saluator noster homo fieret, diffusæ erant, ita igitur asserit: Instar diligentis pastoris, suarum ouium maximam curam habentis, cùm imminentem nubem conspexerit, quæ lupis ac furibus securitatem præbet, ego quoq; satagam ouium mearum, easque dissipatas cogam, & dispersas vnum ouile efficiam. talis est ex Iudæis & gentibus coacta ecclesia. Deinde duplicat prophetiam: quod enim aspectu se ostendit solis conuenit Iudæis, quod autem quasi mysterium occultum est, omnibus hominibus: typus præsertim cùm sint rerum nostrarum, quæ Iudæis accidere. cum illorum enim ab exilio reuocatione, & à captiuitate liberatione, noster quoq; à diabolo ad Deum reditus, & à tyrannica illa seruitute in libertatem vindicatio consentit.

Et educam eos de gentibus, & congregabo eos de regionibus, & introducam eos in terram ipsorum, & pascam eos in montibus Israel, & in vallibus, & in omni habitatione terræ, in pastu bono pascam eos.

Vulg. *Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israel in ruinis, & in cunctis sedibus terræ, in pascuis uberrimis pascam eas.*

Rom. 7. Atqui bona lex & mandatum secundum Apostolum, sanctum & iustum & bonum, sed aliud ipsis pabulum promittit, nam legalem pastum habebant. quis autẽ hic vltra legalem bonus pastus? an perspicuum est diuinorum euangeliorum hic innui doctrinam, quam depascentes oues Dei nutriũtur, & pinguescunt, & salutem consequuntur? quod apertius declarans,

In monte, inquit, excelso Israel erit decor ipsarum.

Vulg. *Et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum.*

Atqui mentionem fecit multorum montium, & vallium, attamen montem quendam excelsum præcipue cõmemorat, in quo prędicit eorum qui pascantur, decorem futurum.

Psal. 67. Huius item montis B. Dauid meminit, cùm dicit: Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. tum Israeliticis montibus huic ipsi monti inuidentibus ait: vt quid suspicamini mõtes coagũlatos, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem. frustra inquit huic monti inuidetis, siquidem in ipso habitare Deus decreuit, quod perpetuo faciet. atque ita nos intelligere alij interpretes docuerunt. Aquilas quidem cùm dixit, vt quid contenditis montes coagulati: Theodotion vero, vt quid iudicatis. de hoc monte Esaias quoq; exEsa. 2. clamat, & Michæas itidem. Erit in nouissimis Mich. 4. diebus manifestus mons domini, & domus domini in summis montium, & venient ad eum omnes gentes: & quæ sequuntur. & Dominus in sacris euangelijs, non potest, inquit, ciui Matth. 5. tas abscondi super montem posita. excelsum igitur & conspicuum euangelicæ doctrinæ montem, hic quoq; nominauit, in quo futurum ouium decorem pollicitus est. tum subijcit:

Et erunt ouilia eorum illic.

Et hoc aperte nobis, non aũt Iudæis conuenit: illi enim vnum ouile quod fuit in Hierosolymis templum habuerunt, nos aũt innume rabiles per totum orbem terrarum ecclesias.

Et dormient, & requiescent illic, & in delicijs bonis & in pastu pingui pascentur in montibus Israel, & ego pascam oues meas.

Ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis Vulg. *pinguibus pascentur super montes Israel, ego pascam oues meas.*

Delicias bonas & pingues diuina nuncupat oracula: delectare enim in Domino, inquit, Psal. 36. & dabit tibi petitiones cordis tui: montes autem Israel propheticos libros, in quibus rursus depascimur accessum quendam per illos ad maximum montem habentes. à prophetici enim oraculis ad euangelicam ducimur doctrinam quam illa testantur, habemusque pastorẽ ipsum herum ac dominum exclamantem, ego sum pastor bonus. quod hoc quoque loco prædicẽs, & ego inquit pascã oues meas.

Et ego requiescere faciam eas, & cognoscent, quia ego sum Dominus.

Et ego eas accubare faciam dicit Dominus Deus. Vulg.

Ab ipso enim pasti & in eius doctrina veluti in quadam herba quiescentes ipsum esse Dominum agnoscimus.

Hæc dicit Adonai Dominus, quod perierat requiram, & errans reducam.

Vt Paulum, quiq; eum sequebantur: & contritum colligabo, vt publicanum & meretricem, & latronem, & similes illorum: & quod infirmum fuerat corroborabo, vt Petrum qui negauit: & pingue & validum custodiam, vt sanctos Apostolos, & eos qui sibi illorum vitam ad imitandum delegere: & pascam eas cum iudicio, bona subministrans, & cum opus fuerit erudiens. Ita absoluta contra improbos pastores oratione, & futuræ suæ diligẽtiæ prędictione ad oues trãsfert orationem, docetq; pastorum ignauiam nullã ouibus ad se defendendum relinquere excusationem, etenim oues ratione prædita vim discernendi habent, possuntque & mala fugere, & bona sectari. Iccirco,

Et vos oues meæ, inquit, hæc dicit Adonai Dominus, ecce ego iudico inter ouem & ouem, arietem & hircum.

Vos autem greges mei hæc dicit Dominus Deus, Vulg. *ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietũ & hircorũ.*

Sicut enim pastores, inquit, & oues iudico, ita etiam ouium iudex ero, & peccantes puniam.

Et nonne satis vobis quia bonum pastum pascebatis? & reliquias pastus vestri conculcabatis pedibus vestris, & consistentem aquam bibebatis, & reliquum pedibus vestris turbabatis, & oues meæ conculcationes pedum vestrorum pascebantur, & turbatam aquam

quam à pedibus vestris bibebant.

Vulg. *Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? insuper & reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris, & cùm purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbastis, & oues meæ, his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant pascebãtur, & quæ pedes vestri turbauerant hæc bibebant.*

Contra locupletes hæc habetur oratio, qui diuitijs ad lasciuiam abutebantur, neq; id solum quod sibi vsui esset ex ipsis percipiebant, sed etiam vltra eorum, quibus opus haberent, fines egrediebantur. quod in præsenti quoq; ab aliquibus fieri videmus. testatur etiam Lazari parabola, quæ diuitem illum ostendit, ne de micis quidem è mensa cadentibus pauperi impertitum fuisse. illud vero, conculcabatis reliquias pedibus, per translationem tanquam de ouibus dictum est herbam comedentibus, reliquam conculcantibus, vt primo aquam bibentibus, deinde pedibus eam suis turbantibus.

Propterea hæc dicit Adonai Dominus: ecce ego ad vos & iudicabo inter ouem forte & imbecillem.

Vulg. *Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos, ecce ego ipse iudico inter pecus pingue & macilentum.*

Deinde validarum confidentiam narrat.

Quia lateribus vestris, & humeris vestris impellebatis, & cornibus vestris vẽtilabatis omnesq; deficientes affligebatis, quoad expulistis ipsas foras, et dispersæ sunt oues meæ omni pertranseunti, & saluabo oues meas, & non amplius erunt in prædam.

Vulg. *Pro eo quod lateribus & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras, saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam.*

Omnia hæc vt de ouibus dixit, humeros & cornua & latera, & his omnibus, eorum qui in imperio constituti essent, iniustam potentiam redarguit, attamen ouibus securitatem pollicetur.

Et iudicabo inter ouem & ouem, & inter arietem & arietem.

Vulg. *Et iudicabo inter pecus & pecus.*

Iudicabo, inquit, neque negligam qui iniuria affecti fuerint, sed ab ijs qui læserint exigã pœnas. deinde cõmunis omnium salutis pollicitatio sequitur.

Et suscitabo super eos pastorem vnum, qui pascet eos seruum meum Dauid, ipse pascet eos, & ipse requiescere faciet eos, & erit eorum pastor.

Vulg. *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas seruum meum Dauid, ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.*

Cùm supra dixerit ego pascam, hic ipsum Dauid pastorem ait fore, quem etiam seruum appellat. quis autem hic est? an perspicuum eum esse Dominum Christũ ex semine Dauid secundum carnem natum? & propterea tanquam homo ipse seruus est, idque secundum naturam, non secundum dignitatem: si enim qui in ipsum credidere non serui sed filij, multo magis ipse, per quem serui in libertatẽ vindicati sunt, non seruus sed filius. quod itẽ beatus Paulus asserit, cũ dicit, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem, Deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. & Esaias ex persona ipsius exclamat: sic dicit Dominus, qui formauit me ex vtero seruum sibi, vt congregarem Iacob, & Israel congregabitur ad eum, ecce dedi te in testamentum generis in lucem gentium vt sis tu in salutem vsque ad extremum terræ: & Iacob autem puer meus assumam eum. apud Esa. 42. Hebræum ponitur, seruus meus: atq; hoc testimonium etiam diuus Euangelista sumpsit in Dominum nostrum Iesum. seruus igitur vocatus est vt homo, & hoc sicut dixi, non secundum dignitatem, sed secundum naturam, serui enim formam assumpsit. vnum vero esse pastorem ouium Dominus item in euangelijs dixit, & alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. deinde subijcit.

Et ego Dominus ero ipsis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio ipsorum.

Ego autem Dominus ero in eis in Deum, & seruus Vulg. *meus Dauid princeps in medio eorum.*

Et ea quæ dicta sunt à mendacio vacua esse ostendit ijs, quæ sequuntur.

Ego Dominus locutus sum.

Satis est enim ad confirmanda verba illius qui ea dixit auctoritas.

Et disponam Dauid testamentum pacis.

Et faciam cum eis pactum pacis. Vulg.

Huius rei Paulus interpres est, cùm de Ephes. 2. Christo exclamat, ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum & medium parietem maceriæ soluens. hoc itidem supra dixit, & suscitabo super eos pastorẽ vnum: vnus enim tũ eos qui ex gentibus, tum qui ex Iudæis credidere, pascit.

Et delebo bestias malas de terra.

Et cessare faciam bestias pessimas de terra. Vulg.

Et malorum dæmonum cœtus, & feritatis morbo laborantes homines partim de sententia deductos, & ad rationem redactos, ac penitus, ne bestiæ omnino essent, liberatos, partim vero morte consumptos.

Et habitabunt in deserto confidentes, & dormient in siluis.

Et qui habitant in deserto securi dormient in salti- Vulg. *bus.*

Vtrunque horum fructuum expers. dicit autem fore vt solitudinem gentium obtineant, & earum terram colant, & in silua Iudæorum quietem, & curationem consequantur. Et supra item cùm vellet Hierusalẽ sterilitatem ostendere, propheta inquit fili hominis super saltum Nagem: indicat autem, vt prædiximus, austrum.

Et dabo in circuitu montis mei benedictionem, & deducam pluuiam vobis in tempore suo, pluuiæ benedictionis erunt.

Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, Vulg. *& deducam imbrem in tempore suo, & pluuiæ benedictionis erunt.*

Talia enim diuinorum Apostolorum documenta irrigationem benedictione plenã credentium animis afferentia, & sæpe in diuina scriptura pluuiam doctrinam vocari, testis est

Esa. 5. propheta Esaias, qui ex persona Dei antiquæ vineæ minatur. non putabitur, neque fodietur, & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.

Et ligna in agro dabunt fructum suum, & terra dabit robur suum.

Vulg. *Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum.*

Nam & ijqui animo terreni sunt, id est ex gentibus profecti, & Iudæi instar arborũ sterilium infœcundi ad fidem accedentes, & huiusmodi irrigatione fruentes mihi præbebũt pietatis fructum.

Et habitabunt in terra sua in spe pacis.

Vulg. *Et erunt in terra sua absque timore.*

Et non dixit in pace, sed in spe pacis. his enim, qui in ipsum credidere Dominus dixit; Ioan. 16. in mundo pressuram habebitis, sed confidite, Rom. 8. ego vici mũdum. & diuus item Apostolus; spe enim salui, inquit, facti sumus, spes autem quę videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid etiam sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. & rursus: non solum autem sed & nos ipsi primitias spiritus habẽtes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionẽ corporis nostri. Deinde, quod omnium quæstuosissimum est.

Et cognoscent quia ego sum Dominus, cum contriuero ego catenas iugi eorum, & liberabo eos de manu eorum, qui eos in seruitutem redegerunt, & non erũt amplius in prædam gentibus, & bestiæ terræ non amplius comedent eos.

Vulg. *Et scient quia ego Dominus, cùm contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi, & non erunt vltra in rapinam in gentibus, neq; bestiæ terræ deuorabunt eos.*

Et iam dixi duplicem esse prophetiam, & alteram Iudæis, alteram omnibus hominibus conuenire: etenim Iudęos à Babyloniorum captiuitate vindicauit, & omnes nos à diaboli tyrannide liberauit: catenas autem iugi, seruitutis necessitatem vocauit. gentes autem & bestias, si ad Iudæos hæc referamus, ferinos hostes; si ad nos ipsos, varias dæmonũ legiones, qui instar ferarum agrestium homines inuadunt. deinde etiam scutum ostendit inexpugnabile, spem inquam in ipsum.

Et habitabunt in spe, & non erit qui deterreat ipsos.

Vulg. *Sed habitabunt confidenter absque vllo terrore.*

Bonum est enim sperare in Domino, quàm sperare in homine; quia qui hanc spem habet exclamat, omnes gentes, & nomine Domini vltus sum eos.

Et suscitabo eis plantam pacis in nomen.

Vulg. *Et suscitabo eis germen nominatum.*

Esa. 11. Hoc item Esaias prędicit, Egredietur virga de radice Iesai & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Dei: & quę sequuntur. & rursus: Erit radix Iesai, & qui consurgit vt princeps sit gentium, in ipso gentes sperabunt, & erit requies eius honor. hoc interpretans Dominus dixit: Ego sum vitis vera Cant. 2. vos palmites. & in canticis canticorum comperimus sponsam dicentem: sicut malum in lignis siluæ, sic nepos meus in medio filiorum. Igitur hic quoque, suscitabo eis, inquit, plantam pacis in nomen, id est, nobilissimam, gloriosam, celeberrimam. Et fortasse aliud quoque innuit oratio, scilicet à planta eos nomen adeptum iri, à Christo enim omnes pij Christiani.

Et non amplius erunt pauci numero in terra.

Hoc est, pij, qui admodum exigui fuerunt ante Christi aduentum.

Et non amplius erunt fame pereuntes in terra.

Et non erunt vltra imminuti fame in terra. Vulg.

Omni, inquit, spiritali fruentur alimento. hic enim famem verbi indigentiam vocat, quam per prophetas minatus est Deus: Inducam enim non famem panis, inquit, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini. Amos 8.

Et non portabunt amplius opprobrium gentium.

Neque portabunt vltra opprobrium gentium. Vulg.

Et hoc rursus tum nobis, tum Iudæis conuenit: nos enim in multitudinẽ aucti, cùm orbem terrarum compleuerimus, non amplius ab ijs, qui in impietate permanserunt, conuitiis afficimur, immo potius nobis inuidetur, & alij nos æmulantur: Iudæi vero post reditum è Babylone à captiuitate liberati suam existimationem receperunt.

Et cognoscent quia ego sum Dominus Deus ipsorum, & ipsi populus meus, domus Israel, dicit Adonai Dominus.

Et scient quia ego Dominus Deus eorum cum eis, et Vulg.
ipsi populus meus domus Israel, ait Dominus Deus.

Necesse est Apostoli verba meminisse: quia Rom. 9. non omnes qui ex Hierusalem, ij Israel, neque quia sunt semen Abrahæ, omnes filij. ad quæ addere oportet ea quæ à diuino Ioanne Baptista Pharisæis fuere dicta: quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Ex quibus perspicuũ est omnes illos, qui credidere, & auctorem omnium rerũ Deum per fidẽ vident, sicuti videri potest, Israel nuncupari. Hoc enim nomen interpretatur, & illis hoc accidit post reditũ, & nobis magis proprie vtriusque conuenit prophetia, quando non figura nostra sunt, sed veritas. Matth. 3.

Et vos oues meæ, inquit, & oues pascuæ meæ.

Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ. Vulg.

Ostendensque non solum se cum Israel colloqui, sed cum omni humana natura, necessario apposuit.

Homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Adonai Dominus.

Vos enim à feritate liberati conuenientem hominum naturæ sensum adepti estis, ego autẽ ero Deus vester & dominus, qui omni vos prouidentia & cura complectar. prophetia igitur talem habet sensum. Ego vero Iudæos quidem vsitato more despere, nihil noui arbitror; admiror autem, quod ex nostris audeant quidã omnia hæc de Zorobabel accipere, cũ non intelligant, eorũ quæ dicta sunt plurima aperte ijs esse contraria, quæ ab illo gesta sunt. illud enim; Disponã Dauid testamentũ pacis;

pacis; & exterminabo bestias malas de terra; & habitabunt in deserto confidentes; & dormient in saltibus; & habitabunt in spe; & non erit qui exterreat eos; & suscitabo eis plantam pacis in nomen; & non amplius erunt pereuntes fame in terra; & non portabunt amplius opprobrium gentium, historiæ, quæ de illo habetur, sunt omnino contraria. ille enim è Babylone reuersus, cùm cœpisset sacrũ Dei templum rursus ædificare, à finitimis gentibus prohibitus est operi finem imponere. quare cùm sex & quadraginta præterijssent anni, & secundum antiquam historiam & secundum euangeliorum testimonium solum templum recens factum est, post vero alios duos & octoginta annos vrbs muros recepit, quos Nemias erexit altero & trigesimo Artaxerxis regni. docetque nos Esdræ historia tantũ metum ædificantes inuasisse, vt cogerentur arma gestantes ædificare, eodemque tempore & lapides afferre, & in hostes tela iaculari. quomodo igitur his conueniunt, non erit qui exterreat eos, vel suscitabo eis plantam pacis, vel non erunt pauci in numero? docet item nos rursus Esdras, vt multo labore Neemias sacerdotibus persuasit, vt desinentes in agris degere vrbem incolerent, & alia similiter discendi studiosis facile est historiæ apponere, discrepantiamque percipere. Igitur aliqua illis conueniunt, plurima vero orbis terrarum saluti. Itaq; relictis Iudæorum nugis, qui ad animã transtulerunt, corporis oculum, suæ matris, Liæ inquam imbecillitatem, neque veritatem volunt inspicere, qui nobiscũ fideles sunt adhortemur, vt omnia probent, & quod bonum est, secundum diuum Apostolum teneant, & quod in cibis facere consueuimus, vt ei, quod iniucundum est iucundum anteponamus, & tamen etiam iucundo iucundius præferentes: hoc etiam in diuinis oraculis faciant, mens enim, sicut Iob ait, verba discernit, guttur autẽ cibos gustat, & in multo tempore sapientia inuenitur, in longa autem & multa vita scientia, accurata enim experientia magistra est superne adepta adiutricem reuelationem, quã confecuti, & ab illius splendore illustrati, nunquã à veritate aberrabimus, in Christo Iesu Domino nostro, cum quo patri gloria cum sancto spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

SECTIO XIIII.

Et factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis conuerte faciem tuam ad montem Seir, & propheta super eum, & dic illi, hæc dicit Adonai Dominus: ecce ego super te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desertum & desolaberis, et in vrbibus tuis solitudinem faciam, & tu in desertum eris, & cognosces quia ego sum Dominus.

Vulg. *Et factus est sermo Domini ad me dicens, fili hominis pone faciem tuam aduersum montem Seir & prophetabis de eo & dices illi, hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, et dabo te desolatum atque desertum, vrbes tuas demoliar, & tu desertus eris, & scies quia ego Dominus.*

Seir mons est Idumææ, sicuti etiam antè diximus, Idumæi vero ab Esau oriundi inimice admodum & hostiliter erga Iudæos affecti erant, quare etiam illatis ipsis calamitatibus gauisi sunt. his minatur auctor omnium rerum Deus extremam solitudinem. illud vero: extendam manum meam super te, per translationem eorum qui manibus percutiunt, posuit, iræ vehementiam ostendens. nouimus tamen diuinam naturã omnis affectionis expertem, & huiusce modi verba auditorum viribus metienda. ita supplicium minatus causam etiam subijcit.

Eo quod fuerit in te inimicitia sempiterna, & assedisti domui Israel in dolo in manu inimicorum gladio in tempore tribulationis eorum, & in tempore iniustitiæ in extremo.

Eo quod fueris inimicus sempiternus, & conclusé- Vulg.
ris filios Israel in manus gladij, in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ.

Reprehendit Idumæos, eis objicit iniuriarum memoriam, & insidias arguit, quas occulte contra Israel moliti sunt: hæc enim indicauit cùm dixit; assedisti domui Israel in dolo in manu inimicorum, gladio in tempore tribulationis eorum, hoc est, cùm in ipsos hostes inuaserunt, insidijs, & cohortibus vias eorũ obstruebas, vt ne fugiendi quidem facultatem ipsis concederes: ita enim alij etiam interpretes interpretati sunt, & conclusisti inquit filios Israel, in manum gladij in tempore tribulationis ipsorum, in tẽpore iniquitatis coram me. iniquitatis enim, vel secundum Septuagin ta, iniustitiæ in me perpetratæ pœnas luentes inquit domus Israel, incrementum habuere calamitatum, tuos dolos, & cum hostibus insidias. docet igitur nos prophetica oratio, non insultandum esse in eos, qui propter peccata puniuntur, sed cum flentibus secundum Apostolicam admonitionem flendum.

Propterea viuo ego dicit Adonai Dominus. vere in sanguinem peccasti, & sanguis persequetur te, sanguinem enim tuũ odisti, sanguis tuus persequetur te.

Propterea viuo ego dicit Dominus Deus, quoniam Vulg.
sanguini tradam te & sanguis te persequetur, & cùm sanguinem oderis sanguis persequetur te.

Sanguinem autem hoc loco non bellum sed cognationem nominat, quando enim generi tuo bellum inquit prætulisti merito ab ipso debellaberis, & cognati quos odisti excitabũt hostes. cognati autem Idumæorũ sunt Iudæi, qui à duobus fratribus genus ducunt, hi quidem ab Edom, qui & Esau dictus est, illi vero à Iacob, qui item Israel est appellatus.

Et dabo montem Seir in desertum & desolatum.

Et dabo montem Seir desolatum atque desertum. Vulg.

Deinde narrat desolationis modum.

Et perdam ab eo hominem & iumenta & prætereuntem & redeuntem.

Et auferam de eo euntem & redeuntem. Vulg.

Hæc autem declarant solitudinis exuperantiam, quia non solum ipsum incolis spoliabit, sed etiam viatoribus prætereuntibus, prædicitque

citóque qua ratione incolas delebit.

Et implebo vulneratis tuis colles tuos, & valles tuas, & in omnibus agris tuis vulnerati gladio cadent in te, & solitudinem sempiternam ponam te, & vrbes tuæ non habitabuntur amplius, & cognosces quia ego sum Dominus.

Vulg. *Et implebo montes eius occisorum suorum in collibus tuis, & in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent, in solitudines sempiternas tradam te, & ciuitates tuæ non habitabuntur, & scietis quia ego Dominus Deus.*

Rursus solitudinem sempiternam, & nō habitabuntur amplius, secundum scripturæ idioma posuit, ab ijs quæ iam interpretati sumus in solitudine Tyri hæc etiam intelligemus, ita supplicium minatus, denuo improbitatem patefacit.

Propterea quod dixeris tu duæ gētes, & duæ regiones meæ erunt, & hæreditate possidebo eas, & dominus illic est.

Vulg. *Eo quod dixeris duæ gentes, & duæ terræ meæ erunt, & hæreditate possidebo eas, cum Dominus esset ibi.*

Vel secundum alios interpretes, & Dominus ibi es. hoc autem non solum insatiabilem cupiditatem, & auaritiam arguit, sed etiam impietatis ostendit exuperantiam: & insolētibus atque arrogantibus Sennacherim verbis hæc similia sunt. etenim ille dicebat, nūquid liberabit Dominus Hierusalem de manu mea? & similiter Idumæi temerarie loquebantur: etiamsi Dominus fuerit in Hierusalē, duas nos obtinebimus regiones. & tamen auctor omnium rerum Deus cùm eduxisset Israel ex Aegypto, non permisit ipsum bellum facere Idu-
Deut. 2. mæis: non pugnabis enim aduersus eum, inquit, quia frater tuus est, iccirco etiam ab itinere excluſi circuierunt montem & solitudinem, vt iusi fuerāt. & de omni illa terra dixit Deus Israel, non dabo tibi eam, Esau enim dedi eam in hæreditatem. verumtamen haud contenti Idumæi bonis sibi à Deo concessis sperarunt etiam se hæreditate Iudæorum regionē obtenturos. quare merito auctor omnium rerum Deus & pœnas minatur, & iureiurando sententiam suam confirmat.

Propterea enim viuo inquit ego dicit Adonai dominus, & faciam tibi secundum inimicitiam tuam, & secundum zelum tuum, quem fecisti, cùm tu odisses eos.

Vulg. *Propterea viuo ego dicit Dominus Deus, quia faciam iuxta iram tuam, & secundum zelum tuū, quem fecisti, odio habens eos.*

Inuidia, inquit, & odio digna patieris.

Et notus ero tibi cùm iudicabo te, et cognosces quia ego sum Dominus.

Vulg. *Et notus efficiar per eos cùm te iudicauero, & scies quia ego Dominus.*

Illatis tibi supplicijs me ipsum, inquit, perspicuum faciam, ne existimes aliunde eas tibi calamitates, sed cùm cognoueris me Dominū esse, ab ea cognitione vtilitatem percipias.

Audiui vocem omnium blasphemiarum tuarum, quas dicebas de montibus Israel dicens, Montes Israel excelsi sempiterni, deserti nobis dati sunt in possessionem, & magnifice locutus es super me ore tuo, & multiplicasti super me verba tua quæ ego audiui.

Vulg. *Audiui vniuersa opprobria tua quæ locutus es de montibus Israel dicens; Deserti nobis ad deuorandum dati sunt, & insurrexistis super me ore vestro, & derogastis aduersum me verba vestra, ego audiui.*

Verba maledica ne commemorare quidem sustinet, docens nos aliorum maledicta minime lingua proferre, meminisse vero dicti illius prophetici, vt non loquatur os meum opera hominum. his omnibus autem non solum ipsorum odium, & iniuriarum memoriam ostendit, sed etiam arrogantiam, & contra Deum rabiem & insaniam. & vtilissime apposuit, multiplicasti super me verba tua, quæ ego audiui, vt doceat nos nihil esse eorum, quę vel dicuntur vel aguntur à nobis, quod ipsius videndi vel audiendi vim latere possit.

Hæc dicit Adonai Dominus: in lætitia omnis terræ desertum te faciam sempiternum, sicut gauisus es hæreditate domus Israel, quia deleta est, ita faciam tibi, in desertum eris mons Seir, & omnis Idumæa consumetur, & cognoscent quia ego sum Dominus Deus ipsorum.

Vulg. *Hæc dicit Dominus Deus: lætāte vniuersa terra in solitudinē te redigam, sicuti gauisus es super hæreditatem domus Israel, eo quod fuerit dissipata, sic faciam tibi, dissipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis, et scient quia ego Dominus Deus.*

Supplicium eiusmodi minatus est, cui remedium adhiberi non possit. omnibus enim inquit in pace & tranquillitate animi degentibus, te calamitatibus afficiam, vt ne ab ijs quidem qui socij sint. malorum consolationem queas percipere, quam oblectationem habuit Israel, cùm Nabuchodonosor nō solum ipsos, sed etiam Tyrios, & Sidonios, & Palestinos atque Aegyptios inuasisset. attamen ad hęc pollicetur per supplicia beneficium. Cognoscēt enim quia ego sum, inquit, Dominus Deus ipsorum. vtilitatem igitur affert disciplina, quę secundum prophetam Esaiam, nostras aures aperit, efficitque vt proprium Dominū agnoscamus percutientem & sanantem.

Et tu fili hominis propheta super montes Israel, au- Cap. 36.
dite verbum Domini, hæc dicit Adonai Dominus, pro eo quod dixit inimicus super vos Euge, solitudines sempiternæ in possessionem nobis factæ sunt, iccirco propheta & dic: Hæc dicit Adonai Dominus, pro eo quod fuistis vos in desolationem omnibus gentibus, & pro eo quod inhonorati fuistis vos, ab omnibus qui in circuitu vestro sunt, vt sitis vos in possessionem omnibus reliquis gentibus, & ascendistis loquela linguæ in labijs, et in opprobrium gentibus.

Vulg. *Tu autem fili hominis propheta super montes Israel et dices: Montes Israel audite verbum Domini, Hæc dicit Dominus Deus, eo quod dixerit inimicus de vobis; Euge, altitudines sempiternæ in hæreditatem datæ sunt nobis, propterea vaticinare et dic. Hæc dicit Dominus Deus, pro eo quod desolati estis, & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis gentibus, & ascendistis super labium linguæ, et opprobrium populi.*

Tristibus atque molestis Idumæis prænunciatis

ciatis ad montes Israel verba transfert, ipsisque bona pollicetur, iubetque bono animo esse, quod quæ ab inimicis dicta sint, ea falsa sint ac vana. nō enim diutius inquit solitudo permanebit, sed gētium quæ vobis finitimæ sunt opprobria redarguam: ipsarumq; contra vos audaciam ita comprimam, vt non amplius vestras enarrent calamitates, vestraque mala diuulgent. His subijcit.

Propterea montes Israel audite verbum Domini. hæc dicit Adonai Dominus, montibus, & torrentibus, & vallibus, & saltibus, & desertis, & desolatis, et vrbibus derelictis, quæ factæ sunt in prædam, et in concultationem reliquis gentibus, quæ sunt in circuitu ipsorum.

Vulg. *Propterea montes Israel audite verbū Domini Dei, Hæc dicit Dominus Deus montibus & collibus, torrentibus, vallibusq;, & desertis parietinis, & vrbibus derelictis, quæ depopulatæ sunt, & subsannatæ à reliquis gentibus per circuitum.*

Facile erat & admodum in promptu omni terræ Israel summatim bona polliceri, verum sigillatim montium & vallium, & collium, & vrbium atque aliorum omnium meminit, vt eos, qui animum propter solitudinem despon derant, consoletur.

Propterea hæc dicit Adonai Dominus, vere in igne zeli mei locutus sum, super reliquas gentes, & super Idumæam omnem, quia dederunt possessionem meam sibi in hæreditatem cum lætitia, ex toto corde inhonorantes animas, vt delerent in præda.

Vulg. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: quoniam in igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus & de Idumæa vniuersa, quæ dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio & toto corde & ex animo, & eiecerunt eam vt vastarent.*

Me valde, inquit, irritauit Idumææ & aliarum gentium audacia, quæ contra meam terram, ipsius solitudine exultantes abusi sunt, cùm sperarent ea se potituros, & animas, quæ in ipsa incolerēt, se in seruitutem redacturos. quamobrem contra eos sententiam tuli.

Propheta igitur, propheta rursus super terram Israel & dic montibus & collibus, & rupibus, & vallibus, hæc dicit Adonai Dominus. Ecce ego in zelo meo, & in furore meo locutus sum, eo quod opprobria gentium tuleritis vos, propterea hæc dicit Adonai Dominus: Ecce ego extollo manum meam super gentes quæ sunt in circuitu vestro: isti ignominiam suam capient.

Vulg. *Iccirco vaticinare super humum Israel, & dices montibus & collibus, iugis & vallibus, hæc dicit Dominus Deus, ecce ego in zelo meo, & in furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis, iccirco hæc dicit Dominus Deus: ego leuaui manum meam, vt gentes, quæ in circuitu vestro sunt, ipsa confusionem suam portent.*

Opprobrium contra vos illatum, inquit, causa fuit vt cōtra eos, qui probris lacesserūt, sententia lata sit, & illi quidem impietatis in me, & memoriæ iniuriarum vestrarum, atque audaciæ fructus ferent.

Vestram autem montes Israel vuam, & fructum vestrum comedet populus meus Israel, quia sperant vt veniant.

Vulg. *Vos autem montes Israel ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israel, prope enim est vt veniat.*

Confirmabo, inquit, populi spem, stabiliamque ipsius bonam expectationem, & reuertetur, & ijs fructibus qui à vobis producūtur, fruetur, perspicuum est autem non cum montibus vt animatis eum colloqui, qui & ratione, & animo vacant, sed ipso cum inanimis colloquio eorum incolas bona promittens consolatur.

Ecce ego super vos, & respiciam ad vos, & colemini, & seminabitur in vobis, & multiplicabo super vos homines omnem domum Israel in finem, & habitabuntur vrbes, & deserta ædificabūtur, & multiplicabo homines super vos, & iumenta, & augebuntur, & multiplicabuntur, & habitare faciam super vos, sicut in principio vestro, & bene faciam vobis, sicut annis superioribus vestris, & cognoscetis, quia ego sum Dominus.

Quia ecce ego ad vos, & conuertar ad vos, et arabi Vulg.
mini, et accipietis sementem. et multiplicabo in vobis homines omnemq; domum Israel, et habitabuntur ciuitates, et ruinosa instaurabuntur: et replebo vos hominibus et iumentis: et multiplicabuntur, et crescent, et habitare vos faciam sicut à principio, bonisq; donabo maioribus quàm habuistis ab initio, et scietis quia ego Dominus.

Non montes cognoscent, sed in montibus incolentes, hęc autem ad exitum post reditum è Babylone perducta sunt, & res ipsæ testātur, incolis enim refertæ sunt Palestinæ vrbes: omnesq; instauratæ ita sunt, vt nobilitate splendeant, illa autem sola deserta permāsit, in qua contra Dominum & saluatorem rabie perciti Iudæi crucis audax facinus patrarunt, omnibus quidem hominibus salutē, sibi vero exitium machinati. vt vero omnis Israel reditum cōsequeretur, & pollicitus est Dominus, & promissum seruauit; effecit enim vt Cyrus omnibus reditum concederet: sed ij, qui vsitato contumaciæ morbo laborabant, imperatis restitere, & suæ externam patriam prætulere.

Hæc dicit Adonai Dominus, eo quod dixerunt tibi terra comedēs homines es tu, et à liberis spoliata à gente tua fuisti, propterea homines nō amplius comedes, et gentem tuam non absque filijs facies amplius, dicit Dominus, non audietur amplius super vos ignominia gentium, et opprobrium nō amplius portabitis, et gens tua non absque filijs fiet amplius, dicit Adonai Dominus.

Hæc dicit Dominus Deus, pro eo quod dicunt de vo- Vulg.
bis, deuoratrix hominum es, et suffocans gentem tuam, propterea homines non comedes amplius, et gentem tuam non necabis vltra, ait Dominus Deus, nec auditam faciam in te amplius confusionem gentium, et opprobrium populorum nequaquam portabis, et gentem tuam non amittes amplius ait Dominus Deus.

Hæc item ad exitum peruenissent si Iudæi voluissent: quia vero quasi canes rabie furentes in dominū insanierūt, ipsi auctores fuere, vt quæ prophetia prædixit, minime perficerentur, atque ita mēdacij expers est prædictio, anteuertens quippe auctor omnium rerum

Deus

Hier.18. Deus, per Hieremiã prophetam dixit: finem loquar ſuper gentem & ſuper regnum vt iterum ædificetur,& plantetur,& faciẽt mala coram me,vt non audiant vocem meam, & pœnitentiam agam de bonis,quæ locutus ſum vt facerem eis.Iudæi igitur in culpa fuere,ne per prophetiam promiſſa ſibi conſequerentur bona.

Et factum eſt verbum Domini ad me dicens,fili hominis domus Iſrael habitauit in terra ſua, & polluerunt eam in via ſua,& in idolis ſuis, & in immunditijs ſuis,ſecundum immunditiam mẽſtruatæ facta eſt via eorum ante faciem meam,& effudi furorem meum ſuper eos.

Vulg. *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens,fili hominis domus Iſrael habitauerunt in humo ſua,& polluerunt eam in vijs ſuis,& in ſtudijs ſuis iuxta immunditiam menſtruata facta eſt via eorum coram me, et effudi indignationem meam ſuper eos.*

Ipſæ,inquit,res iuſtum eſſe ſuppliciũ teſtantur,neque enim ſolum omnis generis idola colere perſeuerarunt,ſed etiam omne ſceleris genus perſecuti ſunt, ita vt omni execratione & odio imbuerentur,& quãdo ſecundum legem admodum impura mẽſtruata habebatur, hoc eſt,cui ſanguis flueret,illi excremento ſceleris comparat execrationem. deinde rurſus in accuſatione commoratus,

Eo quod effuderunt ſanguinem,inquit,in terra,& in idolis ſuis polluerunt eam,& diſſipaui eos in gentes, & ventilaui eos in regiones.

Vulg. *Pro ſanguine,quem fuderunt ſuper terram, & in idolis ſuis polluerunt eam,& diſperſi eos in gentes, & ventilati ſunt in terras.*

Ac rurſus iuſtum oſtendit ſupplicium.

Secundum viam ipſorum, & ſecundum inſtituta eorum iudicaui eos.

Vulg. *Iuxta vias eorum, & adinuentiones eorum iudicaui eos.*

Collegerunt, inquit, quos ſeuere fructus, ſanguinem hoc loco vocauit non ſolum alias cædes,ſed etiam filiorum ſacrificia, quæ cruda vorantibus,& improbis dæmonibus adhibebant.non contenti enim fuere,inquit,ſceleribus ante captiuitatẽ admiſsis, ſed etiã poſtquam bello capti exules fuere in eiſdem facinoribus permanſere.

Et ingreſsi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & profanarunt nomen meum ſanctum,cùm diceretur ipſis populus Domini iſti,& de terra eius exierunt.

Vulg. *Et ingreſsi ſunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen ſanctum meum, cùm diceretur de eis populus Domini iſte eſt,& de terra eius egreſsi ſunt.*

In improbitate, inquit, degentes auctores fuerunt,vt in me maledicta conijcerentur: primum ſiquidem opinatæ ſunt gentes propter meam imbecillitatem iſtos victos fuiſſe, & in hoſtium poteſtatem redactos: deinde experientia cognita ipſorum improbitate contra me conuicia congeſſere, vt qui talibus inſtitutis gauderem,& adeo ſceleſtos homines meũ populum nominarim, verumtamen eorundem ipſorum habita ratione,

Peperci eis propter nomen meũ ſanctum, quod profanauit domus Iſrael,quò ingreſsi ſunt. Vulg.

Et peperci nomini ſancto meo, quod polluerat domus Iſrael in gentibus,ad quas ingreſsi ſunt.

Cùm eos,inquit, docere velim meas vires, iſtos ab imminentibus malis vindicabo.

Propterea dic domũ Iſrael,hæc dicit Adonai Dominus; non vobis ego facio domus Iſrael, ſed propter nomen meum ſanctum,quod profanaſtis in gentibus, ad quas ingreſsi eſtis,& ſanctificabo nomen meum magnum profanatum in gẽtibus,quod profanaſtis in medio ipſarum, & cognoſcent gentes, quia ego ſum Dominus,dicit Adonai Dominus,cùm ſanctificatus fuero ego in vobis ante oculos ipſorum.

Iccirco dices domũ Iſrael,hæc dicit Dominus Deus, Vulg. *non propter vos ego faciam domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum meum, quod polluiſtis in gentibus, ad quas intraſtis,& ſanctificabo nomen meum magnum quod pollutum eſt inter gentes, quod polluiſtis in medio earum,vt ſciant gentes,quia ego Dominus, ait Dominus exercituum,cùm ſanctificatus fuero in vobis coram eis.*

Non vos, inquit, ſalute digni eſtis, ſed decet gentes,quæ à vobis in me maledicti occaſionem accepere,conſequi remedium, veſtra autem ſalute,qua mea virtus indicabitur, hoc ipſorum maledictum opprimetur. nam cùm didicerint quodammodo meum magnum eſſe nomen, & eiuſmodi, quod idoneum ſit ad opem domeſticis ſuis ferendam,meam potentiam laudabunt,& celebrabunt.hoc enim declarauit,cùm dixit,& cognoſcent gentes,quia ego ſum dominus Deus, cùm ſanctificatus fuero ego in vobis ante oculos ipſorum.

Et accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus generationibus,& introducam vos in terram veſtram.

Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo Vulg. *vos de vniuerſis terris,& adducam vos in terram veſtram.*

Hoc in omnes eos conuenit, qui redierunt: quicunque enim redire voluerunt, reditum conſecuti ſunt:ea vero quæ ſequuntur non item in omnes,ſed in eos tantum, qui euangelico præconio fidem inſtituerunt habere. ait enim.

Et ſpargam ſuper vos aquam mundam,& mundabimini ab omnibus immunditijs veſtris,& ab omnibus idolis veſtris mundabo vos.

Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mun- Vulg. *dabimini ab omnibus inquinamentis veſtris,& ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos.*

Aquam autem mundam regenerationis aquam nuncupauit, in qua baptizati remiſsionem peccatorum accepimus. & quæ ſequuntur ea confirmant,quæ dicta ſunt.

Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo vobis.

Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouũ ponam Vulg. *in medio veſtri.*

Per hæc mentis mutationem ſignificauit, ad meliora enim cor veſtrum inclinabit, non item ſecundum priſtinam conſuetudinem ad deteriora propendens. illud vero, dabo, nequaquã libera leditur voluntate,verbis enim, & operibus,& infinitis adhibitis miraculis nó illis

illis tantum, ſed etiam omnibus gentibus, vt ad pietatem accederent,perſuaſit,non coegit: & tamen,quamuis non coegerit,ſed perſuaſerit,ſe,ait dediſſe animis ad meliora propenſionem : quippe ipſe auctor huiuſce rei, tum his, quæ dixit,tum quæ fecit,effectus.

Et auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum,& ſpiritum meum dabo in vobis.

Vulg. *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri.*

Ne hæc quidem ante Chriſti Domini aduentũ facta ſunt:cùm enim tres duntaxat poſt reditum prophetas habuiſſent,Aggæum,&Zachariam,& Malachiam, poſt ipſos ſtatim prophetico munere ſpoliati ſunt:ſed poſtquã Deus ſaluator noſter homo factus eſt,& ad cœlos aſcendit,aduenit ſuper ſacros Apoſtolos Spiritus ſanctus per quos gratia non Iudæis ſolis ſed etiam omnibus his,qui ex gentibus ad fidem conuenere,ſubminiſtrata fuit. lapideum autem cor vocat aduerſarium,& rebelle,carneum vero obediens, & dicto parens, quodque diuinarum literarum figuras poſsit excipere.

Et faciam,vt in iuſtificationibus meis ambuletis,et iudicia mea cuſtodiatis,& faciatis ea.

Vulg. *Et faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis,& operemini.*

Hoc autem ſpiritus gratiæ proprium eſt, quæ noſtrum adiuuans liberum arbitrium efficit,vt recte procedant quæ dicta ſunt.

Et habitabitis in terra,quam dedi patribus veſtris.

Rurſus ad communem redit orationem, quam à ſpiritalibus ad ea, quæ corporis ſunt, transfert.

Et eritis mihi in populum,& ego ero vobis in Deum, & mundabo vos ab omnibus peccatis veſtris,& vocabo frumentum,& multiplicabo ipſum,& non dabo ſuper vos famem,& multiplicabo fructum ligni, & genimina agri,vt non accipiatis amplius opprobrium famis in gentibus.

Vulg. *Et ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris, & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem,& multiplicabo fructũ ligni, & genimina agri,vt non portetis vltra opprobrium famis in gentibus.*

Noui igitur vnumquodque horum etiam ſecũdum ſpiritum exponi poſſe: attamen exiſtimo propheticam orationem ea,quæ corporis ſunt Iudeis nunc polliceri: cùm enim multa ſolitudo terram eo tempore occupaſſet,pollicetur ipſis omnis generis fructuũ abundantiam,& futuram hinc vtilitatem prædicit.

Et recordabimini, inquit, vias veſtras malas, & inſtituta veſtra non bona, & odio erunt vobis ante faciem ipſorum ſcelera veſtra, & abominationes veſtræ.

Vulg. *Et recordabimini viarum veſtrarum peſsimarum, ſtudiorumq; non bonorum, & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ & ſcelera veſtra.*

His,inquit,bonis fruentes, & quantos afferat iuſtitia fructus diſcentes priſtinæ reminiſcemini improbitatis,& illius ſupplicij,quod propter illam vobis fuerit illatum , & priora ſcelera ſummo vobis erunt odio. illud enim abominabimini, pro execrabimini poſuit. tale eſt illud,quod de improbo dictum eſt à Dauid,aſtitit omni viæ non bonæ, malitiã autem non odiuit,hoc eſt malitiam nõ eſt execratus. ita ipſis bona pollicitus, eorum denuo ſuperbiam deprimit,cùm dicit.

Non propter vos ego faciò domus Iſrael,dicit Adonai Dominus, notum ſit vobis dominus Iſrael.

Non propter vos ego faciam,ait Dominus Deus,no Vulg. *tum ſit vobis.*

Non vos, inquit, promiſsis bonis digni eſtis, ſed ego ea facio quæ meam decent naturam. deinde admonens ſimul ac redarguens

Erubeſcite & conuertimini,inquit,à vijs veſtris domus Iſrael.

Confundimini & erubeſcite ſuper vijs veſtris do- Vulg. *mus Iſrael.*

Ne ſtulte,inquit,neue abſque ſenſu varia veſtra ſupplicia feratis, ſed ſero tandem veſtrorum inſtitutorum improbitate in mentem reuocata pro ijs quæ auſi eſtis erubeſcite.

Hæc dicit Dominus, in die qua mundauero vos ab omnibus iniquitatibus veſtris & habitari faciam vrbes,& ædificabuntur deſerta, & terra deſolata colletur, eo quod deſolata fuit ante oculos omnis tranſeuntis.

Hæc dicit Dominus Deus,in die quæ mũdauero vos Vulg. *ex omnibus iniquitatibus veſtris, & inhabitari fecero vrbes: & inſtauarauero ruinoſa, & terra deſerta fuerit exculta,quæ quondam erat deſolata in oculis omnis viatoris.*

Quando,inquit,remiſsionem vobis peccatorum gratificabor, vosque puros ignoſcẽdo efficiam,tum & vrbibus ędificia,& terrę conſitiones præbebo, & pro priſtina ſolitudine, quam omnes viatores conſpicabãtur,vt incolantur,auctor ero.

Et dicent,terra illa deſolata, facta eſt vt paradiſus deliciarum,& vrbes deſertæ & deſolatæ,& effoſsæ in muris munitæ ſederunt.

Dicent,terra illa inculta,facta eſt vt hortus volu- Vulg. *ptatis,& ciuitates deſertæ,& deſtitutæ atque ſuffoſsæ,munitæ ſederunt.*

Quemadmodum enim omnes,inquit,olim tuam ſolitudinẽ in ore habentes diuulgabãt, ita nunc eris celeberrima,omnibuſque afferes admirationem cùm deſerta tua terra paradiſo voluptatis æquiparabitur, & vrbes ab incolis vacuæ,atque adeo euerſæ validis communientur muris.

Et cognoſcent gentes,quæcunque relictæ fuerint in circuitu veſtro, quia ego Dominus ædificaui deſertas, plantaui deſolatas: ego Dominus locutus ſum & faciam.

Et ſcient gentes,quæcunque derelictæ fuerint in cir- Vulg. *cuitu veſtro , quia ego Dominus adificaui diſſipata, plantauique inculta,ego dominus locutus ſum, & fecerim.*

Diſcent autem finitimæ gentes me eum eſſe,qui triſtia prius,& nunc iucũda ac læta prębuerim, atque ea quæ dicta ſunt illius qui dixit auctoritate confirmãtur, ego Dominus locutus ſum & faciã:Dominus enim cùm ſim ac facere poſsim,ea quę dixi ad exitũ perducam.

Hæc dicit Adonai dominus: Adhuc hoc quærar domui Israel vt faciam eis.

Vulg. *Hæc dicit dominus Deus, adhuc in hoc inuenient me, domus Israel vt faciam eis.*

Illud quærar, Symmachus inueniar dixit. ad priſtina, inquit, beneficia hoc quoque addam, vt eos reuocandos cenſeam.

Et multiplicabo eos vt oues ſanctas:

Vulg. *Multiplicabo eos ſicut gregem hominum, ſicut gregem ſanctum.*

Cùm enim ouium inſtar ſub meam tutelam eos ſegregarim, paſtoritiam ipſis curam impertiar.

Sicut oues Hieruſalem in ſolemnitatibus ipſius, ſic erunt vrbes deſertæ plenæ ouium, & hominum, et cognoſcent quia ego Dominus

Vulg. *Vt gregem Hieruſalem in ſolemnitatibus eius, ſic erunt ciuitates deſertæ, plenæ gregibus hominum, et ſcient quia ego Dominus.*

Sicut enim Hieruſalem ante oppugnationem referta erat ouibus in maximis eorũ publicis celebritatibus, ita omnes ipſorum vrbes & hominibus & ouibus & alijs bonis complebo, & ipſis rebus intelligent, eſſe me Dominum ac Deum, occidentem & viuere facientem, percutientem & ſanantem. Cognita igitur Domini noſtri bonitate & potentia, propter eam amemus, propter hanc metuamus, vt & amantes & timentes ipſius mandata obſeruemus, & promiſſa bona conſequamur, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo patri gloria cum Sancto ſpiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.

SECTIO XV.

Cap. 37. *Et facta eſt ſuper me manus Domini.*

Manum rurſus diuinam vim vocat.

Et eduxit me in ſpiritu Domini, & poſuit me in medio campi.

Vulg. *Et dimiſit me in medio campi.*

Spiritalis hæc rurſus contemplatio eſt, neq; enim oculis corporis ea cernebat, quæ ſibi oſtendebantur, ſed ſanctiſsimi Spiritus reuelationem percipiebat.

Et hic erat plenus oſſibus, & circumduxit me ſuper ea per gyrum in circuitu, & ecce valde multa ſuper faciem campi.

Vulg. *Qui erat plenus oſſibus & circumduxit me per ea in gyro, erant autem multa valde ſuper faciem campi.*

Conſentaneas rebus accipit reuelationes: cùm enim propter perfidiam, cuius morbo laborabant, meliora deſperaſſent Iudæi illi, qui ex Iudæa captiui abducti fuerant, ſuam ipſis auctor omnium rerum Deus potentiam oſtendit, & longe difficiliorem illa in priſtinum ſtatum ipſorum reſtitutione, mortuorum corporum reſurrectionem indicat prophetæ: per quem omnem populum docet, omnia ſibi eſſe facilia volenti. Iudæos igitur & alios Iſraelitas, per hunc docuit, facillimum eſſe volenti Deo, in ſeruitutem redactos in priſtinam libertatem vindicare, nobis autem & omnibus omnino, qui præconium euangelicum cum fide excepimus, reſurrectionis corporum noſtrorum oſtendit facilitatem, diuinoque verbo ac nutui rerum obſequi naturã.

Et dixit ad me, fili hominis, an viuent oſſa hæc? & dixi Domine Deus tu ſcis hæc.

Et dixit ad me, fili hominis putasne viuent oſſa iſta? Vulg. *Et dixi Domine Deus tu noſti.*

Non dubitauit propheta, ſed accuratiorem cognitionem Deo cõceſsit, cùm optime quidem noſſet illius potentiam, ſed voluntatem ignoraret.

Et dixit ad me: propheta ſuper oſſa hæc, propheta fili hominis, & dices ad ea, oſſa arida hæc audite verbũ Domini, hæc dicit Adonai Dominus oſſibus iſtis. Ecce ego introduco in vos ſpiritum vitæ, & dabo ſuper vos neruos, & reducam ſuper vos carnes, & extendam ſuper vos pellem, & dabo ſpiritum meum in vos, et viuetis, & cognoſcetis quia ego ſum Dominus.

Et dixit ad me, vaticinare de oſſibus iſtis, & dices Vulg. *eis, oſſa arida audite verbum Domini, Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his, ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis, & dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & viuetis, & ſcietis quia ego Dominus.*

Miniſtro propheta, ac veluti quodam reſurrectionis in viſione vſus eſt inſtrumento, & linguæ verbo, illis inanimis & prorſus mortuis oſſibus, præcipit vt carnes producant, & neruos, atque cutem, vitalemque ſpiritum excipiant. Et fuerunt hæc non ſolum reuocationis in priſtinum ſtatum Iudæorum, ſed etiam reſurrectionis omnium hominum figura. canet enim tuba, inquit diuus Apoſtolus, & mortui 1. Cor. 15. reſurgent incorrupti.

Et prophetaui, ſicut mandauerat mihi Dominus, et facta eſt vox cùm prophetarem ego, & eccè commotio, & acceſſerunt oſſa, os ad os, vnumquodque ad iuncturam ſuam.

Et prophetaui ſicut præceperat mihi, factus eſt Vulg. *autem ſonitus prophetante me, & ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam.*

Propheta quidem diuino inſeruiens præcepto, quæ iuſſus fuerat verba protulit, verba autem opus eſt ſubſecutum, & cõmotio Dei aduentum declarabat, vox vero angelorum diuinæ voluntati miniſtrantium munus: oſſaque videbam inquit accurrentia, & propriam commiſſuram capientia, & quam à principio compoſitionem ſortita fuerant, adipiſcentia.

Et vidi & ecce accedebant ſuper ea nerui, et carnes naſcebantur, & aſcendebant ſuper ea, et circumſtetit ea cutis deſuper, & ſpiritus non erat in eis.

Et vidi et ecce ſuper ea nerui et carnes aſcenderũt, Vulg. *et extenta eſt in eis cutis deſuper, et ſpiritum non habebant.*

Priſtinum opificiũ altera inſtauratio conſequitur, ſicut enim primi parentis Adã corpus prius effictũ fuit, deinde in ipſum anima inſpirata, ita hic quoq; vtraq; conuenere ad propriã cõpagem. produxerunt aũt carnes, & neruos, & cute cooperta ſunt, verũ quædam ſine ſpiritu, & motus expertia iacebant: quę rurſus vitam & ſenſum diuina voluntate cõſequuntur.

Et dixit ad me, propheta ſuper ſpiritum, propheta fili hominis & dic ſpiritui, hæc dicit Adonai Dominus, à quatuor ventis veni ſpiritus, & inſufflato in mortuos iſtos & viuant.

Vulg. *Et dixit ad me, vaticinare ad ſpiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad ſpiritum, Hæc dicit Dominus Deus, à quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant.*

Docet nos hæc oratio, quàm facilia omnia diuinæ ſint poteſtati, omniaque in manu eius eſſe: in manu enim eius anima inquit omnium Iob 12. viuentium: iccirco prophetę præcipit, vt iube at omnes animas, vbicumq; ſint, redire, & ſua rurſus corpora habitare.

Et prophetaui ſicut mandauerat mihi, & ingreſſus eſt in eos ſpiritus, & vixerunt, & ſteterunt in pedibus ſuis congregatio multa valde.

Vulg. *Et prophetaui ſicut præceperat mihi, & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & reuixerunt, ſteteruntq; ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.*

Renunciato inquit à me diuino præcepto, reuixerunt oſſa deuincta, & reſurrectionẽ conſecuta, neque exigua erat eorum, qui reſurrexere, multitudo. ita reuelatione cõſpecta eius docetur interpretationem.

Et locutus eſt Dominus ad me dicens, fili hominis oſſa hæc domus Iſrael eſt. & ipſi dicunt, arida facta ſunt oſſa noſtra, periit ſpes noſtra, diſcerniſimus.

Vulg. *Et dixit ad me, fil: hominis oſſa hæc vniuerſa domus Iſrael eſt, ipſi dicunt, Aruerunt oſſa noſtra, periit ſpes noſtra & abſciſi ſumus.*

Figura, inquit, hæc ſunt Iſrael ò propheta, ſed illi quidem per ſe ſpem abiecerunt, hęc autem figura bonorum ſpem oſtendit.

Propterea propheta fili hominis, & dic ad eos, hæc dicit Adonai Dominus, ecce ego aperiam monumenta veſtra populę meus, & reducam vos de ſepulchris veſtris, & introducam vos in terram Iſrael, & cognoſcetis quia ego ſum Dominus cũ aperuero ego ſepulchra veſtra, & cùm eduxero ego vos de ſepulchris veſtris populum meum, & dabo ſpiritum meum ſuper vos, & viuetis, & ponam vos ſuper terram veſtram, et cognoſcetis quia ego Dominus locutus ſum & faciam, dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Propterea vaticinare & dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus, ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus, & inducam vos in terram Iſrael, & ſcietis quia ego Dominus cùm aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris populę meus, & dedero ſpiritum meũ in vobis, & vixeritis, & requieſcere vos faciam ſuper humum veſtram, & ſcietis quia ego Dominus locutus ſum, & feci, ait Dominus Deus.*

Si id, quod vobis multo difficilius videtur, admodum facile à me fieri poſſe oſtendi, ſane perſpicuum eſt, hoc item me facillime ac nullo negotio facturũ, qui vos è captiuitatis vinculis veluti è quibuſdam ſepulchris eductos in propriam patriam reducam: mendacium enim veritate alienum. ita reditum pollicitus, futuram poſt reditum tribuum concordiam prædicit.

Et factum eſt verbum Domini ad me dicens, fili hominis cape tibi virgam vnam, & ſcribe ſuper eam Iudam & filios Iſrael appoſitos ad ipſum, et virgam alteram cape tibi ipſi, & ſcribes eam Ioſeph virgam Ephraim, & omnes filios Iſrael appoſitos ad eos, & coniunges eas inter ſe, tibi ipſi in virgam vnam, vt colliges eas, et erunt ſimul in manu tua.

Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens, et tu fili Vulg. *hominis ſume tibi lignum vnum, et ſcribe ſuper illud, Iudæ et filiorum Iſrael ſociorum eius, et tolle lignũ alterum, et ſcribe ſuper illud Ioſeph lignũ Ephraim, et cunctæ domus Iſrael, ſociorumq; eius, et adiunge illa, vnum ad alterum tibi in lignum vnum, et erunt in vnionem in manu tua.*

Regnante Roboam diuiſæ fuere tribus, & decem per ſe ſeorſum in vnam vrbiũ Ephraim Samariam cùm ſe recepiſſent, ibi regiã conſtituendam curarunt. tribus vero Iuda & ſuę, & Beniamin tribui imperauit. verum poſt reditum ſub vno omnes imperio degere, iccirco prophetę Deus, vt duas virgas caperet, præcepit, & alteram inſcriberet Ephraim, & illi ſubiectas tribus adijceret, alteram vero Iuda, & eorum qui cum illo conſentiebant. deinde virgas ſimul coniungeret, vt in poſterum finita diuiſione, futuraque vnitate: tum prophetæ præcipit, vt percontanti populo & cognoſcere cupienti, interpretationem aperte renunciet.

Ecce ego capiam tribum Ioſeph per manũ Ephraim, et tribus Iſrael appoſitas ad ipſum, et dabo eas ſub tribum Iuda, et erunt in virgam vnam in manu Iuda.

Ecce ego aſſumam lignum Ioſeph, quod eſt in manu Vulg. *Ephraim, et tribus Iſrael, quæ ſunt ei adiunctæ, et dabo eas pariter cum ligno Iuda, et faciam eas in lignum vnum, et erunt vnum in manu eius.*

Eos, inquit, qui olim ſeipſos à Iudæ regno ſeparariũt, ita comparabo, vt rurſus illius agnoſcant imperium, & factam diuiſionem finiam, efficiamque vt omnes tribus ipſi Iuda communi conſenſu obediant, quod item apertius interpretatur.

Ecce ego aſſumo omnem domum Iſrael de medio gentium, ad quas ingreſſi ſunt, et congregabo ipſos in terram Iſrael, et dabo eos in gentem vnã in terra mea et in montibus Iſrael, et princeps vnus erit omnium ipſorum in regem.

Ecce ego aſſumam filios Iſrael de medio nationum Vulg. *ad quas abierunt, et congregabo eos vndique, et adducam eos ad humum ſuam, et faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſrael, et rex vnus erit imperans.*

Hæc exitum conſecuta ſunt, ſecundum figuram in Zorobabel, accurate autem & vere in Domino Chriſto, neque enim rex fuit Zorobabel, ſed populi atque exercitus ductor.

Et non erunt amplius in duas gentes, neq; diuidentur amplius in duos reges vt ne polluantur amplius in idolis ſuis, et in offenſionibus eorum, et in omnibus impietatibus ſuis: et eruam eos ab omnibus impietatibus eorum, in quibus peccauerunt, et mundabo eos, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, et ſeruus meus Dauid princeps in medio ipſorum, et paſtor vnus erit omnibus ipſis.

Et non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna neque polluẽtur vltra in idolis ſuis, Vulg. *et abominationibus et cunctis iniquitatibus ſuis, et ſaluos eos faciam de vniuerſis ſedibus ſuis in quibus peccauerunt, et emundabo eos, et erunt mihi populus, et*

ego ero eis Deus:& seruus meus Dauid rex super eos et pastor vnus erit omnium eorum.

His etiam ea congruunt, quæ à Domino Christo in sacris Euangelijs dicta sunt: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Dauid autem Dominum dicit Christũ, vt ex Dauid secundum carnem oriundum: seruum vero propter humanam naturam, cùm enim in forma Dei esset, formam serui accepit. vt assumptã igitur naturam ostendat, seruum nuncupauit; hoc est, è seruili secundum carnem ille natura genitus est, non enim seruus est omnium Dominus vnigenitus, neque item, qua Deus, Dauid nominatur, sed qua ex Dauid, Dauid appellatur; neque secundum assumptionem autem seruus est. quod si è seruo hanc etiã naturam verbũ Deus homo factus suscepit, non amisit quod erat, sed vnitam cum diuina natura humanitatem nostram gloriosam reddidit. docet igitur prophetica oratio impietatẽ extinctum iri, & colẽdorum idolorum errorem, regnorumque diuisionem vno tandem imperio terminandam, sub quo degentes ij, qui etiam ab vno pastore significantur, suum & Deum & dominum agnoscent. (Ioan. 10.)

Et in præceptis meis ambulabunt, & iudicia mea custodient, & facient ea, & habitabũt in terra sua, quã dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres ipsorum, & habitabunt in ea ipsi & filij eorum & filij filiorum ipsorum vsque in sæculum, & Dauid seruus meus princeps eorum erit in sæculum.

Vulg. *In iudicijs meis ambulabunt, & mandata mea custodient & facient ea, & habitabunt super terram quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerunt patres vestri, & habitabunt super eam ipsi, & filij eorũ, & filij filiorum eorum vsq; in sempiternum, & Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum.*

Dicant Iudæi, quis sempiternus ipsorũ rex sit, qui Dauid appelletur? nequaquã enim Zorobabeli huiuscemodi appellationes conuenire, ipsi quoque confitebuntur. primum enim haud regnauit ille, sed populi ductor fuit, deinde etiam illud ipsum imperium morte finitum est: quod si de genere Dauidico hunc sempiternum intelligunt Dauid, ostendãt Dauid genus regnare, quod si præter regnum ipsum quoq; Dauid genus incertum est, in præsenti duorum alterum necesse est, vel falsam prophetiam opinari, vel Domini Christi ex Dauid secundum carnem nati regnum adorare; verum à mendacio vacuam esse prophetiam, ipsi itidem fatebuntur. quod si vera est, quemadmodum igitur mendacij expers est, neque videmus aliud Iudæorum regnum, neque insuper ipsum genus Dauid, clarum est & perspicuum, & ipse regnat, vt ex Dauid secundum carnem, filius autem Dei secundum diuinitatem, etiã sempiternum obtinet imperium. perspicua & aperta est & illorũ deliratio, perfidiaque, & nostra Dei cognitio; confirmantur enim quæ dicta sunt in ijs, quæ sequuntur. etenim

Disponam, inquit, ipsis testamentum pacis, testamentum æternum erit cum ipsis.

Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis. Vulg.

Ostendant igitur nobis, vel pacis, vel sempiternum testamentum: at non poterunt, cùm vtroque priuati sint: nobis autem vtrunque dedit Dominus. namque & sempiterna nobis bona pollicitus est, & id nobis est elargitus, vt cũ ipso reconciliaremur. ipse enim est pax nostra, sicut auctor est diuus Apostolus, & rursus, vnus ac mediator, Deus homo, Christus Iesus, qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus; & quæ sequuntur item ijs consentiunt, quæ dicta sunt. (1. Tim. 2.)

Et ordinabo eos, inquit, & multiplicabo eos, & ponam sancta mea in medio ipsorum, in sæculum, & erit tabernaculum meum in eis, & ero ipsis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

Et fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum, & erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Vulg.

Atqui desertum templum, & quæ antiquitus sancta erant, quo modo igitur promisit se positurum sancta sua in medio ipsorum in sæculum, & tabernaculum suum in ipsis? igitur cùm neque horum cernamus euentum, secundum Iudæorum sententiam, nouerimusque spiritalium verborum veritatem, ita hæc intelligemus vt ijs congruant, quæ ante interpretati sumus. habemus enim etiam rerum ipsarum consentiens testimonium: neque enim solum sanctæ domus Dei, sed etiam diuina altaria omnibus hominibus donata sunt: neque solum ijs qui ex gentibus, verum ijs qui è Iudæis credidere: & vnus idemque & horum & illorum Deus nuncupatur, ipse enim, inquit, Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum, merito subiecit. (Rom. 10.)

Et cognoscent gentes, quia ego sum Dominus, sanctificans eos, cùm sint sancta mea in medio ipsorum in sæculum.

Et scient gẽtes quia ego Dominus sanctificator Israel, cùm fuerit sanctificatio in medio eorum in perpetuum. Vulg.

Reuera enim per eos qui ex Iudæis credidere, etiam gentes cognitionis Dei lumen exceperunt: ex Iudæis enim diui Apostoli, & primi Apostolorum discipuli, & ex propheticis libris, qui apud Iudæos custodiebantur, quæ ad saluatorem nostrum Christum pertinent percipientes diuino præconio gentes credidere: quamobrem diuus quoque Apostolus, inseri, qui ex gentibus crederent dixit, in pia Iudæorum radice, frangique & ab hac radice separari eos, qui è Iudęis minime crederent. salute igitur Iudæis, inquit, primũ suppeditata cognoscent gentes quia ego sum Dominus sanctificans eos: ex Iudæis enim Dominus Christus secundum carnem, apud Iudęos, crux, sepulchrum, resurrectio. ex Iudæis Apostoli, primique pręcones. merito igitur gentes per hos salutem consequuntur.

Et factum est verbum Domini ad me dicens, fili hominis firma faciem tuam super Gog, & terram Magog principem Rhos, Mosoch, & Thobel. Cap. 38.

Et fa-

Vulg. *Et factus est sermo Domini ad me dicens, fili hominis pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog, principem capitis Mosoch, & Thubal.*

Gog & Magog sunt Scythicæ gentes, Mosoch autem Cappadocas esse aiunt, & Thobel, Iberos, Rhos vero Hebræorum lingua interpretata est caput. & Aquilas item, Rhos, caput Mosoch interpretatus est.

Et dic eis, hæc dicit Adonai Dominus; Ecce ego super Gog, & Magog, principẽ Rhos, & Mosoch, & Thobel, & circumuertam te in circuitu, & dabo frenum in maxillam tuam, congregabo te & omnem exercitum tuum, equos & equites, indutos thoracas omnes, congregatio multa, peltas & galeas, gladios, & scuta omnes ipsi habentes.

Vulg. *Et vaticinare de eo, & dices ad eum, hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ad te Gog, principem capitis Mosoch, & Thubal, & circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis, & educam te, & omnem exercitum tuum, equos & equites vestitos loricis vniuersos, multitudinem magnam, hastam & clypeum arripientium & gladium.*

His quæ dicta sunt docuit nos diuinæ efficacię potestatem, & istiusmodi nihil absque diuina fieri voluntate, quę vel propter bona, res administrat, vel propter antè commissa peccata calamitates permittit accidere. illud igitur, dabo frenum in maxillas tuas, & congregabo te, non frenum quod sensu percipiatur imponi intelligimus, sed quod nutu diuino Gog, & Magog ducat, atque adeo omnes, qui cum ipso erunt, quorum genera recenset.

Persæ enim & Aethiopes, inquit, Lydi, & Libyes, et Phut cum ipsis.

Vnus autem etiam iste fuit ex filijs Cham Libyam ad occidentem incolentium primus parens.

Omnes isti, scuta, & galeas, & peltas habentes.

Vulg. *Omnes scutati, & galeati.*

Gomer, & omnes isti circa eum.

Vulg. *Gomer & vniuersa agmina eius.*

Galatas, ita vocat.

Domus Thogorma.

Phryges hos aiunt esse.

Ab extremo aquilone, & omnia fulcra eius & gentes multæ cum eo.

Vulg. *Latera aquilonis, & totum robur eius, populiq; multi tecum.*

Fulcra dicit subiectos illi populos regnum sustinentes, ac dirigentes.

Præparare, præpara te ipsum tu, & omnis congregatio tua, coacta ad te, & eris mihi in custodiã. a diebus pluribus præparaberis & in extremo annorum venies, & venies in terram auersam à gladio, collecta à populis multis in terram Israel, quæ facta est deserta omnino.

Vulg. *Præpara & instrue te, & omnem multitudinem tuam quæ coaceruata est ad te, & esto eis in præceptum. post dies multos visitaberis, in nouissimo annorum venies ad terram, quæ reuersa est gladio, & congregata est de populis multis, ad montes Israel, qui fuerunt deserti iugiter.*

Post reditum è Babylone, ij qui fuere pro tempore ecclesiæ doctores aiunt istas gentes cum exercitu in Iudęam profectas esse, & cum prophetia consentit interpretatio, dicit enim, venies in terram auersam à gladio, ab hostibus liberatam & à seruitute in libertatem vindicatam. subijcitque.

Collecta à populis in terram Israel, quæ facta est deserta omnino.

Aiunt autẽ cùm Zorobabel exercitus dux esset, has fuisse gentes interfectas, & de manubijs ipsarum sacrum Dei templũ constructum. neque enim pauperes homines & captiui pecunijs abundabãt: ac verisimile est finitimos quoque Iudæorum felicitati inuidentes, has contra ipsos gentes mercede conduxisse. ędificationem siquidem ab ipsis prohibitã fuisse modo præfectis, modo Persarum regibus deceptis, testis est Esdræ scriptura. ad hæc adijcit.

Et ipsi ex gentibus exierunt, & habitant in pace omnes ipsi.

Hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter vniuersi. Vulg.

Ex his item perspicuum est, statim post reditum in ipsos istas gentes inuasisse, cùm dicat & ipsi ex gentibus exierunt, & habitant in pace.

Et ascendes, quasi pluuia, & venies vt procella, & vt nubes operire terram, & cades tu & omnes qui circa te erunt, & gentes multæ tecum.

Ascendens autem quasi tempestas venies, & quasi nubes vt operias terram, tu & omnia agmina tua, & populi multi tecum. Vulg.

Alia inquit expectans, alia patieris, & victoriam sperãs, exitio peribis. deinde ipsius quoque cogitationes describit.

Ascendent, inquit, cogitationes in cor tuum, & ratiocinaberis malas cogitationes, & dices ascendam in terram abiectam, veniam ad quiescentes populos, in quiete habitantes terram, in qua nõ est murus, neque portæ, neque vectes ad diripiendum spolia, & prædandum prædam ipsorum. vt conuertam manum meam ad terram desertam, quæ habitata est, ad gentem coactam de populis multis, qui fecerunt possessionem & substantiam, habitantibus super vmbilicum terræ.

Hæc dicit Dominus Deus, in die illa ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationem pessimam & dices, ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes, habitantesq; secure, hi omnes habitant sine muro, vectes & portæ non sunt eis, vt diripias spolia, & inuadas prædam, vt inferas manum tuam super eos qui deserti fuerant & postea restituti, & super populum qui est congregatus ex gentibus, qui possidere cœpit, & esse habitator vmbilici terræ. Vulg.

Et hæc item omnia nos docent post captiuitatem hæc accidisse, cùm neq; muros haberent vrbes Iudææ, neq; portas, neq; vectes secundum prophetiam, quare etiã ausæ sunt paulo ante dictæ gẽtes in ipsam cum exercitu inuadere. Insignis autem post reditum Israelites populus euasit, diuino munere reditum consecutus, & sicut exitus ex Aegypto multam ipsi attulit claritatem, ita reditus è Babylone illustres & conspicuos eos reddidit, quare contra ipsos cũ exercitu proficisci ausæ hæ sunt gentes. ac nemo existimet à fide prophetiam abhorrere, secum reputans quod interest inter Scythicas gentes & Iudęam interuallũ, verum

cogitet noſtra quoque memoria ab hac gente omnem orientem occupatum, quæ maximo hominum numero in ſeruitutem redacto, diſceſsit. Phrygas autem & Galatas, Iberas & Perſas & Aethiopas non vt ipſi obedientes aſſerit cũ eo militaſſe, ſed vt diuerſis rationibus cum eo cõiunctos, & partim, qui ad eũ transfugere, ac voluntate militarunt, partim bello captos, & vna coactos bellare. quibus etiam diuina oratio morum inſtitutionem ex aliarum gentium perſona attribuit, cùm dicit.

Saba & Dedan mercatores Tharſis, & omnes vici eorum, dicent tibi, num ad prædam prædandum tu venis, & ad ſpoliandum ſpolia? congregaſti populum tuum, vt acciperes argentum et aurum, vt ferres poſſeſſionem, & ſubſtantiam, vt ſpoliares ſpolia magna.

Saba vero, ſicut iam dixi, natio eſt Aethiopica & Indica, Dedan autẽ Idumææ finitima, eſt item alia Aethiopia; & Tharſis ipſa eſt Carthago. Omnes inquit hæ gẽtes cùm te inuaſiſſe conſpexerint, pecuniarum cupiditate iſtam tuam cum exercitu profectionem fuiſſe intelligent.

Iccirco propheta fili hominis, & dic Gog, hæc dicit Adonai Dominus: nonne in die illa cùm habitauerit populus meus Iſrael in pace, cognoſces, & excitaberis, & venies à loco tuo, ab extremo Babylone, tu & multæ gentes tecum; aſcenſores equorum omnes, congregatio magna & exercitus multus, & aſcendes ad populum meum Iſrael quaſi nubes vt operias terram? in nouiſſimis diebus erit.

Vulg. *Propterea vaticinare fili hominis & dices ad Gog: Hæc dicit Dominus Deus, numquid non in die illa cum habitauerit populus meus Iſrael confidenter ſcies? & venies de loco tuo à lateribus aquilonis, tu & populi multi tecum, aſcenſores equorum vniuerſi, cœtus magnus & exercitus vehemens, & aſcendes ſuper populum meum Iſrael quaſi nubes vt operias terram? in nouiſſimis diebus eris.*

Hoc eſt poſtreditum Iſrael, quod etiam ſuperius dixit, cùm habitauerit populus meus Iſrael in pace, cognoſces & excitaberis. tale eſt & illud, quod à beato Moyſe dictum eſt, oſtendam eis quid erit in nouiſſimo dierum, quia generatio peruerſa eſt: vocatque nouiſſimum dierum non conſummationem, ſed tẽpus quo ipſi diſſipati fuere.

Et adducam te ſuper terram meam, vt cognoſcant me omnes gentes, cùm ſanctificatus fuero in te, coram ipſis ô Gog.

Vulg. *Vt ſciant gentes me cùm ſanctificatus fuero in te in oculis eorum ô Gog.*

Gentes nunc Gog nõ indigent, ad percipiendam auctoris omnium rerum Dei doctrinam, quæ per Chriſtum dominum hanc cognitionem adeptæ ſunt. antiquitus vero, antequã Dominus homo fieret, huiuſcemodi miraculis indigebant. etenim cùm Sennacherim multa illa millia in Iudæa confeciſſet, hoc miraculo gentes omnium Deum agnouere. quapropter beatus quoque Dauid exclamat; Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius. & his item gẽtibus interfectis omnes cognita auctoris omnium rerum Dei poteſtate linguam ad eum hymnis celebrãdum excitarunt. iccirco vt cognoſcant me inquit omnes gentes cùm ſanctificatus ego fuero in te; hoc eſt, cùm mea gloria celebrabitur perſpicua facta mea poteſtate.

Pſal. 75.

Hæc dicit Adonai Dominus, Gog tu es de quo locutus ſum ante dies priores per manum ſeruorum meorum prophetarum Iſrael, qui prophetarunt in diebus illis, & annis vt adducerem te ſuper eos.

Vulg. *Hæc dicit Dominus Deus. Tu ergo ille es de quo locutus ſum in diebus antiquis in manu ſeruorum meorum prophetarum Iſrael, qui prophetauerunt in diebus illorum temporum, vt adducerem te ſuper eos.*

Et Ioel, & Oſee, & Michæas, & alij prophetæ de his gentibus vaticinati ſunt. nam Oſee dicit, Et diſponam ipſis teſtamentum in die illa, cum beſtijs agri, & cum volatilibus cœli, & cum reptilibus terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & habitare faciam te in ſpe. Et Ioel: Ecce ego, inquit, in diebus illis, & in tempore illo, quãdo conuertam captiuitatem Iuda & Hieruſalem, & congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi pro populo meo, & hæreditate mea Iſrael. Michæas vero ita ait: Dole & viriliter age filia Sion, quaſi patiens, quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in campo, & venies vſq; ad Babylonem: inde liberabit te Dominus Deus tuus de manu inimicorum tuorum, & nunc congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ, dicentes, exultabimus & intuebuntur oculi noſtri in Sion, & ipſi non cognouerunt cogitationem Domini, & non intellexerunt conſilium eius, quia congregauit eos, vt manipulos areæ, ſurge & tritura eos, filia Sion, quia cornua tua ponam ferrea, & vngulas tuas ponam æreas, & deduces in ipſis gentes, & minues populos multos, & conſecrabis domino multitudinẽ ipſorum, & robur eorum Domino totius terræ. Et Zacharias item: Hoc verbum Domini inquit ad Zorobabel dicens, non in poteſtate magna, neq; in robore, ſed in ſpiritu meo dicit Dominus omnipotens, quis es tu mons magnus ante faciem Zorobabel, vt corrigas? ex quibus perſpicuum eſt poſt reditum, gentes cum exercitu profectas, quæ diuina manu euerſæ ſunt.

Oſee 2. Ioel 3. Mich. 4. Zach. 4.

Et erit in die illa, in die qua venerit Gog ſuper terram Iſrael, dicit Adonai Dominus, aſcẽdet furor meus in ira mea, & zelus meus in igne iracundiæ meæ, locutus ſum vobis vere, in die illa erit commotio magna in terra Iſrael.

Et erit in die illa in die aduentus Gog, ſuper terram Iſrael ait Dominus Deus, aſcendet indignatio mea in furore meo, & in zelo meo, in igne iræ meæ locutus ſum, quia in die illa erit commotio magna ſuper terram Iſrael. Vulg.

Commotionem vocat rei magnitudinem, ſicut enim cõmotionis omnes metuentes ſenſum percipimus, ita etiam miraculorũ ingentium cognitionẽ. neq; à ratione abhorret commotionem factam eſſe, cùm impijs & immanibus inferretur ſupplicium, furorem vero, & iram, & zelum, & ignem iracundiæ quatenus Deo conueniunt intelligemus, humano enim more ea poſuit ſupplicia declarans. ait autem fore

præ metu eorũ, quæ facta fuerint, vt non homines modo, ſed etiam piſces, & volucres, & ſerpentes, & beſtiæ commoueantur, & montes abrumpãtur, valles impleantur, & muri diruantur. ex quibus perſpicuum eſt commotionem reuera ab eo commotionem vocatam. non enim ſolum rationẽ præditis, ſed etiam rationis expertibus terrorem incutit commotio, montesq; abrumpit, ita vt à partibus illis quæ abſciſſæ ſunt, valles obturentur. muros item diruit, & vrbes in puluerem redigit. & prorſus huiuſce rei magiſtra eſt experientia.

Et conuocabo aduerſus eum metum gladij in omnes montes meos dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Et conuocabo aduerſus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Dominus Deus.*

Commotione, inquit, præeunte terrorem ipſis injiciam, & hoſtium metum, ita vt fugæ ſe committentes alius alium ignorent, ſeque mutua cæde conficiant. hoc enim declarauit, cùm dixit.

Gladius hominis in fratrem ſuum erit, & iudicabo ipſum in morte & ſanguine.

Vulg. *Gladius vniuſcuiuſq; in fratrem ſuum dirigetur, & iudicabo eum peſte & ſanguine.*

Non ſolum autem ipſi mutuo occidentur, ſed ego etiam ſuperne cum ipſis præliabor.

In pluuia inundante & lapidibus grandinis, & igne & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper omnes qui cum ipſo erunt, & magnificabor, & glorificabor, & ſanctificabor, & cognoſcar coram gentibus multis, & cognoſcent quia ego ſum Dominus.

Vulg. *Et imbre vehementi, & lapidibus immenſis, ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum eius, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo, & magnificabor, & ſanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & ſcient quia ego Dominus.*

His enim exitio datis, qui tunc ignorabant me, meam poteſtatem agnoſcent, meumq; dominium adorabunt. Deinde rurſus prophetæ præcipit vt de eo prophetet, & de ijs gentibus, quæ cum eo erant, ſe videlicet permittente eas ab extremo aquilone venturas, vt meritas feritatis pœnas perſoluant. adijcitq; futuram ipſorum imbecillitatem.

Cap. 39. *Excutiam enim arcum tuum, inquit, de manu tua ſiniſtra, & ſagittas tuas de manu tua dextra, & deijciam ſuper te montes Iſrael, & cades tu, & omnes qui circa te erunt, & multæ gentes tecum.*

Vulg. *Et percutiam arcum tuum in manu ſiniſtra tua, & ſagittas tuas de manu dextra tua deijciam, ſuper montes Iſrael cades tu & omnia agmina tua, & populi tui, qui ſunt tecum.*

Tuas inquit vires deſtruam ita vt arma quę manibus geſtaueris, excidant: ad hæc adijcit, volucribus cœli & cruda vorantibus feris ad deuorandum eum traditum iri. & illud,

Mittam ignem ſuper Gog, & habitabuntur inſulæ in pace & cognoſcent quia nomen meum Dominus.

Vulg. *Et immittam ignem in Magog, & in his, qui habitant in inſulis confidenter, & ſcient quia ego Dominus.*

Declarat, poſtquam Gog tali exitio funditus perierit fore vt non ſolum, qui continentem incolant, ſed etiam inſulani, bono animo ſint, & confidant, veriti ſiquidem fuerant audito illius cum exercitu aduentu.

Et nomen meum, inquit, ſanctum cognoſcetur in medio Iſrael, & non profanabitur nomen meum ſanctum amplius.

Et nomen ſanctum meum notum faciam in medio populi mei Iſrael, & non polluam nomen ſanctum meum amplius. Vulg.

Cauſamque docet.

Et cognoſcent gentes, quia ego ſum Dominus ſanctus in medio Iſrael.

Et ſcient gentes quia ego Dominus ſanctus Iſrael. Vulg.

Cùm enim gentes meæ prouidentiæ vires didicerint, & quemadmodum pro eo populo, qui meus nuncupatur propugno, non amplius meam imbecillitatem accuſabunt, neque exiſtimabunt propter meam impotentiã captum populum meum in priſtinam ſeruitutem redactum fuiſſe. deinde eorum quæ dicta ſunt ſtabilitatem oſtendit.

Ecce venit, & cognoſces quia erit, dicit Adonai Dominus.

Ecce venit & factum eſt ait Dominus Deus. Vulg.

Exiſtimato hæc inquit accidiſſe, & quaſi de ijs quæ euenerint, minime dubiam habeas fidem. nam quæ à me prædicta ſunt, ea prorſus fient.

Hæc eſt dies, de qua locutus ſum.

De hac inquit die ſæpe prædixi; vocatque diem tempus ſupplicij Gog. deinde docet, vt omnis Iſrael pro lignis, illorum armis vtentur, haſtis, & arcubus, & ſagittis, ſcutis & peltis & baculis, neq; opus habebunt ligna cædere, ſed arma antedicta ſeptem annis ad vſum illis ſuppetent. atque per hæc eorum frequentiam declarat, prædicitque futurum Gog monumentum.

In die illa dabo Gog, locum nominatum, monumentum Iſrael, ſepulchrum aduenientium ab oriente maris.

Et erit in die illa dabo Gog locum nominatum ſepulchrum in Iſrael, vallem viatorum ad orientem maris. Vulg.

Vbi ſepelierunt, inquit, eos qui ab orientis partibus in ipſos inuaſere, illic etiam hunc ſepelient. & per hoc in mentem eis reuocat cædem Aſſyriorum quæ regnante Sennacherim facta eſt, quia vt tempore ipſius opem ſenſere, ita deinceps eiuſdem prouidentiam conſequentur.

Propter multitudinem autem mortuorum, inquit, ædificabunt circuitum oris vallis, & ſepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, & vocabitur vallis ſepulchrum Gog.

Quæ obſtupeſcere faciet prætereuntes & ſepelient ibi Gog & omnem multitudinem eius, & vocabitur vallis multitudinis Gog. Vulg

Tanta enim erit inquit interfectorum copia, vt nulla foſſa manu facta eos excipiat, ſed altiſſima vallis ipſis fiat ſepulchrum vt trinque circumædificata & ſuperne aggeribus obruta. ſeptemq; menſium inquit in hanc ſepulturam tempus conſumetur, diemq; illius exitij, quo funditus peribit, inſignem facient.

Erit enim ipsis, inquit, in nomen dies in qua glorificabor, dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Et erit nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus.*

Sed & viros, inquit, secernent, vt circueant terram, & sepulturæ mandent eos qui inter fugiendum occubuerint.

Et quærent omnis pertransiens terram, & prætereiens, & videns os hominis ædificabit iuxta illud sepulchrum, quoad sepeliant ipsum sepelientes, in valle sepulchri Gog.

Vulg. *Et circuibunt peragrantes terram, cumq; viderint os hominis statuent iuxta illud titulum, donec sepeliant illud pollinctores, in valle multitudinis Gog.*

Multum inquit temporis circuibunt insepultos sepulturæ mandantes, & sicubi viatores aliquod os inuenerint, lapidib⁹ apud eum congestis indicabunt ijs, quibus sepeliendi munus cõmissum fuerit, vt etiam illa cogant, eisque iusta faciant.

Nomen autem loci vocabitur, ruina, & sepulchrũ, & expiabitur terra.

Vulg *Nomen autem ciuitatis amona, & mundabunt terram.*

His ita prædictis auibus & bestijs præcipit, vt ad conuiuium quoddã & epulas accedant, vtpote multorum atq; adeo infinitorum cadauerum. Nõ autem vt ratione præditis ipsis hoc imperat, sed vt rationis participibus hæc se permittente fieri persuadeat. illud autem, comedite carnes vitulorum, & arietum, & agnorum, & hircorum, & taurorum impinguatorum omnium, per translationem dixit, regibus ipsorum, & principibus atq; optimatibus, vitulorum & arietum & hircorum & taurorum nomine designatis. & per agnos subiectos populos indicauit, ac sacrificium suum vocauit illorum cædem sua voluntate factam.

Et saturabimi, inquit, super mensam meam.

Hoc est cibo à me vobis allato. atq; ostendens quisnam sit hic cibus, adiecit.

Equum & ascensorem, & gigantem, & omnem virum bellatorem dicit Adonai Dominus.

Vulg. *De equo, & equite forti, & de vniuersis viris bellatoribus ait Dominus Deus.*

His interpretatus est, arietes, & tauros, & hircos.

Et dabo gloriam meam in vobis, & videbunt omnes gentes iudicium meum, quod feci, & manum meam quam induxi super eos.

Vulg. *Et ponam gloriam meam in gentibus, & videbunt omnes gentes iudicium meum, quod fecerim, & manum meam quam posuerim super eos.*

Facta, inquit, hac cæde, & tali vobis exhibito conuiuio, conspicient omnes gentes & meę prouidentiæ vires, & meum iustum iudicium. quin etiã domus, inquit, Israel rebus ipsis percipient, esse me Dominum ipsorum, & herum. illud vero, ab hac die & vltra; pristinam accusãt insciti am.

Et cognoscent omnes gentes, quia propter peccata sua in seruitutem redacti sunt domus Israel, proijs quæ in me deliquerunt, & auersa est facies mea ab eis, & tradidi eos, in manus inimicorum suorum, & ceciderunt omnes gladio, secundum immunditias ipsorum & secundum iniquitates ipsorum feci eis, & auerti faciem meam ab eis.

Et scient gentes quoniam in iniquitate sua capta Vulg. sit domus Israel, eo quod dereliquerint me, & abscondam faciem meam ab eis, & tradiderim eos in manus hostium, & ceciderint in gladio vniuersi iuxta immunditiam eorum, & scelus fecieis, & abscondi faciem meam ab illis.

Conspicientes, inquit, gentes illatam Gog perniciem, cognoscent Babylonijs quoque idem me supplicium inferre potuisse: sed vt ab Israel impietatis ac scelerum pœnas exigerem nulla eos ope dignos censentem concessisse vt in seruitutem redigerentur. Hoc autem nos item aperte docet, post reditum istas gentes in eos inuasisse. cognoscent enim omnes gentes, inquit, vt propter peccata sua in seruitutẽ redacti sunt omnis domus Israel, omnes enim qui conspexerint frequentem illorum cædem, recte cogitantes intelligent, vt pœnas peccatorum luerent, eos illam sustinuisse captiuitatem. quæ quidem testantur etiam ea quæ sequuntur.

Propterea hæc dicit Adonai Dominus, nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor domus Israel, & zelabor propter nomen sanctum meum, & capient ignominiam suam & omnes iniustitias suas quas iniuste egerunt in me, cùm habitauerint ipsi in terra sua in pace. & non erit exterrens cùm reduxero ego eos de gentibus, & eduxero eos de regionibus ipsorum.

Propterea hæc dicit Dominus Deus, nunc reducam Vulg. *captiuitatem Iacob, & miserebor omnis domus Israel, & æstuabam zelum pro nomine sancto meo, & portabunt confusionem suam, & omnem præuaricationem, qua præuaricati sunt in me, cùm habitauerint in terra sua confidenter neminem formidantes. & reduxero eos à populis et congregauero de terris inimicorum suorum.*

Illud, capient ignominiam suam, & omnes iniustitias suas quas iniuste egerunt in me, pro animo secũ reputabunt, propter eas, quas sustinuerint calamitates, earundem sibimet se auctores fuisse, & ignominiæ causam iniustitiam. hæc autem cogitabunt, inquit, in patriam terram reuersi, atque ab his grauibus hostibus liberati. Tunc enim

Et sanctificabor in ipsis coram gentibus.

Et sanctificatus fuero in eis in oculis gentium plu- Vulg. *rium.*

Hoc est, perspicua facta mea potentia ab omnibus adorabor. propter eam prouidentiam, quam erga eos adhibuerim.

Et cognoscent, quia ego sum Dominus Deus ipsorum, cum apparuerim ego ipsis in gentibus.

Et scient, quia ego Dominus eorum, eo quod trans- Vulg. *tulerim eos in nationes.*

Mea enim prouidentia à Babylonicrum dominio liberati, etiam Scythicarum gentium interitum conspicabuntur.

Et congregabo eos in terram ipsorum, & non dereliquerim amplius ex ipsis ibi.

Et congregauerim eos super terram suam, & non Vulg. *dereliquerim quemquam ex eis ibi.*

Hoc etiam quantum in diuina prouidentia fuit, effectũ est: quod si diuinis legibus repugnare consueti redire noluerunt, at plures certe patriam terram externæ antepositerunt.

Et non auertam amplius faciem meam ab eis, eo quod effudi furorem meum super domum Israel, dicit Adonai Dominus.

Vulg. *Et non abscondam vltra faciem meam, ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel ait Dominus Deus.*

Hoc etiam sequitur hominum voluntatem, in nobis est enim situm, bonas pollicitationes ad exitum perducere. ita nobis quoq; regnum cœlorum Dominus promisit, sed illud consequi minime poterimus, si nos eo indignos in hac rep. degentes præbuerimus. at si studiose, omniq; alacritate diuinas leges obseruauerimus, omnibus promissis bonis perfruemur. ita Iudæis pollicitus fuerat, non auersurum se faciem ab eis, parentibus videlicet & credentibus, diuinasq; leges obseruantibus. Atq; hęc ita se habere, testis est historia. cùm enim de Aegypto populũ eduxisset, in promissam eos terram pollicitus est se introducturum: at vbi diuinis decretis aduersantes impie viuere perseuerarunt, in deserto omnes eos occidit, duobus tantum ex ijs, qui pollicitationes excepẽrãt, seruato promisso. Hic igitur itidẽ, qui crediderę & salutare præconium exceperunt, firmam habent pollicitationem, non enim auertit faciem suam ab eis, qui vero ea committũt, quæ diuinæ voluntati repugnant, ab eius procul absunt aspectu, neque vllum eius prouidentiæ fructum percipiunt, ambulantes se-
Esa.50. cundum Esaiam lumine ignis sui, & flamma, quam succenderunt; & ibunt secundum diui-
Psal.50. num Dauid in adinuentionibus suis: hæc quidem nos ita intelligere à diuina scriptura docti sumus. ego vero admiror non solum Iudęorum insciti am, sed etiam quorundam, qui Christianum nomen obtinẽt, sed Iudaicas fabulas attendunt, & Gog, atq; Magog inuasionem non factam asserunt, sed futuram expectant. quos intellexisse oportuit primũ huius prophetiam cum reuocatione è Babylone cõiunctam fuisse, deinde per hæc dixisse gentes Dei potentiã cognituras. qua enim doctrina nunc dicant ipsi gentes indigent ad diuinã potentiam cognoscendã, quę credere in nomen patris & filij & spiritus sancti doctæ sunt, celebrare autem & adorare diuinam didicere naturam, & ab idolorum errore liberati sunt. quam vero huiusce modi doctrinam Gog interitus afferre potuit, qualem sanctorum Apostolorum continet præconium, hoc enim quę ad trinitatem, & vnitatem pertinẽt, omnes homines edocet, & in vna natura tres proprietates nos contemplari, & ad hęc mortuorum resurrectionem, & iudicium, & præmium tum bonorum, tum malorum, cœlorum regnum, supplicium in gehenna, virtutis disciplinas, philosophię documenta, & alia quæcumq; diuinum continet Euangelium, & sacra apostolorum volumina. Gog autem interitus gentes duntaxat edocuit, maxima potentia præditum Iudæorum Deum, & non propter ipsius imbecillitatem, sed propter propriã ipsorum iniquitatem in Babyloniorum eos potestatem redactos. Si igitur nondum ea quę spectant ad Gog, accidere; verum nouissimis diebus euenient, & per illũ discent gentes auctorem omnium rerũ Deum colere, maiora sunt ea quæ ad Gog attinent, salutari cruce, & morte illa, quæ morte destruxit, & diuinis apostolis, qui cognitionis Dei lumine orbem terrarum illustrarunt, hæc enim omnia non potuerunt gentes auctorem omnium rerum Deum docere, sed solus Gog interitus perspicuum ipsum omnibus efficiet. ita aperte Iudæis fauent qui hæc fabulantur: nos aũt diuina scriptura adducti attulimus modo dictam interpretationem, qua docuimus & istum venisse, & ea quæ ad ipsum pertinebant, ad exitũ perducta. & tunc quidẽ gentes didicere non propter diuinam impotentiam seruitutem sustinuisse Iudæos, sed propter sua impia facinora. In præsenti vero per dominicã mortem & resurrectionẽ cognitionis Dei radios gẽtes excepere; & à patria impietate solutæ ac liberæ adorare didicimus patrem, & filiũ, & spiritum sanctum: ipsum decet gloria in sæcula. Amen.

SECTIO XVI.

Et factum est in vigesimo & quinto captiuitatis nostræ anno, in quinto mense, decima mensis, in quartodecimo anno postquam capta est vrbs.

In vigesimo quinto anno transmigrationis nostræ Vulg. *in exordio anni decima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est ciuitas.*

Hinc etiam perspicuum est prophetam Iechoniæ regis captiuitatis socium fuisse. post quem Sedecias vndecim regnauit annos, minus tamen mensibus paucis, quippe cùm vndecimo Sedeciæ regis anno capta sit vrbs. Iure igitur dixit, annũ quo capta fuit vrbs quartum decimum suæ captiuitatis quintum & vigesimum esse.

In die hac facta est super me manus Domini, & duxit me illuc in visione Dei, adduxit autẽ me in terram Israel, & posuit me super montem excelsum valde, & in eo quasi ædificatio ciuitatis è regione.

In ipsa hac die facta est super me manus Domini & Vulg. *adduxit me illuc in visionibus Dei, adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium ciuitatis ex gentis ad austrum.*

Vaticinatus ipsis auctor omnium rerũ Deus reditum à captiuitate, ostensaq; per aridorum illorum ossium resurrectionem sua potentia, prædicit item vrbis ac templi ædificationem; neq; verbis tãtum vsus est, sed etiam talem indicat visionem prophetę diuini spiritus efficacia mẽtis illius acie illustrata. Ne vero singula interpretantes huius libri legendi studiosos orationis longitudine defatigemus, eorum quæ in spiritu diuino prophetæ ostensa sunt, summatim paraphrasim quandam facere instituimus. Ait igitur in visione Dei, hoc est, spiritus, non corporis visione, suam mentem in terram Israel abductam fuisse, vidisseq; in monte quodam excelso ędificium, & quendam

dam ibi ſtantem humana quidem forma præditum,ſed colore ſplẽdidiſſimi, atq; pulcherrimi æris, calamumq́; & funiculum ad ædificandi vſum confectum afferentem , ſibiq́ue præcipientem , vt quæ oſtenderentur conſpiceret & quæ dicerentur,audiret.ea enim gratia ſe veniſſe aiebat, vt & oſtenderet & doceret, vt etiam tu inquit hæc renuncies domui Iſrael . deinde metiens calamo oſtendit mihi omnes ædificij menſuras, ac primum portarũ menſuras, & eorum quæ limina vocantur , & ſuperliminarium & poſtium, Aelam enim ſingulari numero poſtem vocat, Aelamoth vero numero multitudinis poſtes, & Thee rurſus, & limen,& ſuperliminare,Theim vero eadem numero multitudinis.ita enim comperi apud Syrum horum interpretationẽ. aſſerit autem vidiſſe ſe non ſolum exteriores, ſed etiam interiores portas, & rurſus aulas interiectas, atq; ex illis interiores,alię enim ſacerdotibus attributæ fuerant,ad alias omnibus Iſraelitis aditus patebat, & vnum circum ſeptum habebat Dei templũ , maximum & celſiſimum, & intus poſt illud alijs muris id omne quod ſub diuo erat,definitum fuerat, & hæc quidem omni populo fuerãt attributa ; interiora vero, & quæ prope ipſum templũ ſacerdotibus dedicata. ait igitur in interiore atrio ſe vidiſſe paſtophoria,locaq́; columnis ſulta triginta : paſtophoria vero Syrus exedras appellauit.& hęc item ſacerdotibus dedicata fuerant , vt idem propheta docet. diuino autem Eſaiæ: Ingredere,inquit, in paſtophorium ad Sommã ſcribam,dicitq́; centum cubitorum latitudinem exterioribus aulis aſsignatam fuiſſe illi quæ ad aquilonem , & illi quæ reſpicit ad meridiem,itidemq́; ei quæ ad orientem ſolem: interiorum vero aularum longitudinem cubitorum quinquaginta, latitudinem cubitorũ viginticuinque . aſſerit item portas ſibi ſimiles in omnibus fuiſſe , & ſecundum menſuras , & ſecundum palmarum ſculpturas. & ab vtraq; parte ianuæ piſomata ſiue cymatica Aeleu appellat,in quibus inſculptas fuiſſe dixit palmarum imagines. ait item conſpexiſſe ſe menſas ab vtraque parte portarum poſitas, in quibus poſitas victimas ſacerdotes iugulabant,& holocauſtomata,& quæ pro peccato & ignorantia offerebantur , & prope fuiſſe dixit riuum quendam ſanguinẽ victimarum excipientem, & in quendam locum prorſus remotum deferentem. Habebant autẽ menſæ, inquit, etiam tecta ſuperne operientia,pluuiaq́; & ſolis impetum propulſantia. deinde narrat, duas ſe exedras conſpexiſſe,alteram ad aquilonem,alteram reſpicientem ad meridiem , vtramque in interioribus aulis ædificatam ; & quæ ad auſtrũ reſpiceret , eam fuiſſe dixit ſacerdotibus attributam ſacrum Dei templum cuſtodiẽtibus: quæ vero ad aquilonem, ijs, qui exterius altare cuſtodirẽt,& tũ hos,tum illos à Sadoch oriundos dixit,antiquitus enim Abiathar genus ſacerdotio abdicauit auctor omnium rerum Deus ſecundum latam contra Eliu principem ſacerdotum ſententiã ; interiorẽ quoq; aulam,quæ reſpiceret ad orientem ſolem, ait à veſtibulo Dei templi vſq; ad portam centum habuiſſe cubitos longitudinis,totidemq́; latitudinis: è regione vero templi altare,& templi veſtibulum, viginti cubitorum lõgitudinem, quatuordecim latitudinem , portamq́; ipſius ſimiliter quatuordecim latitudinem; & ab vtraq; parte ipſius latera vel poſtes vſq; ad angulum ex tribus cubitis vtrumq;.ita enim viginti cubitorũ menſura perficitur ; ianua quatuordecim excipiente,& anconibus ab vtraq; parte , hos enim epomidas vocauit, alios ſex; ternos hinc, ternos illinc: ipſius quoq; templi portam habere dixit latitudinem cubitorum decem,& ab vtraq; parte anconas quinque , vt rurſus viginti cubiti abſoluerentur . & dimenſus eſt,inquit,&ipſum templũ,& oſtendit mihi quadraginta cubitorum longitudinem , ac viginti latitudinem æqualem veſtibuli menſuræ.& vidi inquit alteram quoque portam illa interiorem,cuius latitudo erant cubiti ſex, & ab vtraque parte ancones cubitorum ſeptem. ſex igitur cubiti quatuordecim additi,viginti perficiunt. conſpexiſſe item affirmat ſe portas ſeparantes à ſanctis ſancta ſanctorum,quarum latitudinem dixit æqualem fuiſſe templi menſuræ.hoc eſt cubitorũ viginti, altitudinẽ vero cubitorum quadraginta. cùm vero quæſierim & apud Syrum & apud Hebræum menſuras,reperi altitudinẽ menſura æqualem latitudini.cõſentiunt enim vterq; & Syrus & Hebræus,qui latitudinem & altitudinem viginti cubitorum dixere.cõmemorat quoq; duplex ſe in circuitu templi ædificium conſpexiſſe, & alios muros extra tectum cõſtructos , & inter duos muros vndique porticum & aditum, atq; huiuſce ædificij cauſam affert. ne quis inquit templi parietibus appropinquaret.& hũc ipſum anguſtum ambitum dixit in plana & cœnacula diuiſum fuiſſe,ac feneſtras extrinſecus anguſtas,intrinſecus latiores habere,quas obliquas appellare conſueuimus : & alias inquit duas exedras ab vtraq; parte Dei templi conſpexi ; alteram ad aquilonem reſpicientẽ,alteram aũt ad auſtrum:hoc enim vocauit orationem,ſiquidẽ eas partes Hieruſalem , quæ magis vergunt ad aquilonẽ incolentibus Iudæis mos eſt,cùm precantur ad meridiẽ reſpicere, ſecundum vrbis ſitum.aitq́; inter Dei templũ & eam quæ vocatur exedra quinque cubitos definiri , & à pariete occidentis vſq; ad ipſam exedrã ſeptuaginta cubitos intereſſe, & longitudinẽ cubitorũ nonaginta. medium aũt Dei templum,inquit,tabulis totum contectũ , neque parietes tantum , ſed etiam pauimẽtum & tectum,habebat autem feneſtras quoque reticulatas, hoc eſt perforatas retibus ſimiles. Et ſculpturæ in parietibus & in liminibus Cherubim & palmarum imagines continebant,& vnumquodque Cherubim duas facies habebat,alteram leonis, hominis alteram,& altera ad hanc altera ad illam palmam reſpiciebat, duasq́; facies pro quatuor inſculptas contemplatus eſt:quandoquidẽ fieri nõ poterat vt accurate in tabulis quatuor inſculperẽtur.addit etiam

etiam ſe contemplatum altare ante ſancta,cuius altitudo tres cubiti,longitudo duo , & latitudo totidem,hoc eſt quadratũ iſopleuron, id eſt,æqualibus conſtans lateribus , & ab eo, qui hæc mihi oſtendebat,edoctus fui,hanc eſſe menſam coram Domino , & ſcire oportet menſam , quæ panes propoſitionis exciperet, altare eũ appellaſſe, cùm magnus Moyſes menſam ipſam duntaxat nominarit.antè igitur noſtris aperitur ianua per prophetiam. Erat aũt ianua inquit ſanctorũ,non duorum , ſed quatuor,& hæc eaſdem ſculpturas habebant.adijcit etiam alias exedras in exteriore aula ſe vidiſſe poſitas,& ante exedras porticum decem cubitorum latitudine , centum longitudine : lumen autem porticus vocat , quod apud nos luminare nuncupatur . & hæc dixit dedicata ſacerdotibus fuiſſe ad veſcẽdum ſanctificato cibo, præcepiſſeq́; eum,qui ſibi hæc oſtenderet,vt nemo cum ſacerdotib⁹ illuc introiret, neq; item ſacerdotes ipſi ſacerdotali veſte induti, & diuini cultus munus obeuntes in exteriorem egrederentur aulam. neq; enim fas eſt aliquem è populo eos veſte ſacerdotali indutos cõtingere. quare opus eſt in illis domibus dedicatam diuino cultui veſtem exuere,& alteram indutos ad populum prodire. oſtendit item mihi circuitum, quem mẽſus eſt,& cùm menſus eſſet docuit vnamquamq; partem , orientis,occidẽtis,aquilonis & auſtri,quingentos cubitos habuiſſe , ita vt circuitus quadruplicatus in bis mille cubitos cogeretur.

Cap. 43. *Et adduxit me inquit ad portam quæ reſpiciebat ad orientem, & eduxit me , & ecce gloria Dei Iſrael veniebat per viam ad orientem, & vox caſtrorum quaſi vox geminantium multorum.*

Apud Hebræum & apud Syrum comperi,vt vox aquarum multarum.

Et terra ſplendebat quaſi fulgur , à gloria eius per circuitum, & viſio quam vidi, ſecundum ſpeciẽ quam videram, quando ingrediebar vt vngerem ciuitatem.

Vulg. *Quando venit vt diſperderet ciuitatem.*

Rurſus hic etiam & apud Syrum & apud Hebræum comperi, quando ingreſsi ſunt vt perderent ciuitatem. declarat autem ſecundam viſionem , qua contemplatus eſt & eos qui afferebant ſecures & ciuitatem cædebãt, & illum qui carbones per omnem vrbem diſſipauit. quando etiam ſignum illud impoſitum vidit ijs, qui populi ſcelera deplorabant. & veriſimile eſt Septuaginta ſenſum attendentes vnctionem vocaſſe frontium annotationem eorum qui liberati fuerant à cædentium pœnis.

Et viſio currus, ſimilis erat viſioni, quam vidi ſuper fluuium Chobar.

Vulg. *Et ſpecies ſecundum aſpectum quem videram iuxta fluuium Chobar.*

Statim autem conſpicatus

Cecidi, inquit, & gloria domini ingreſſa eſt in domum per viam portæ reſpicientis ad orientem.

Vulg. *Et cecidi ſuper faciem meam , & maieſtas domini ingreſſa eſt ad templum per viam portæ quæ reſpiciebat ad orientem.*

Neq; dixit Dominum ingreſſum eſſe: diuina enim natura eiuſmodi eſt,quæ circumſcribi nequit: ſed Domini gloriam,id eſt,conſpectam viſionem.

Et aſsumpſit me ſpiritus, & introduxit me in aulam interiorem, & ecce plena gloriæ domus Domini, & ſtetit & ecce vox ex domo loquentis ad me.

Et eleuauit me ſpiritus, & introduxit me in atrium Vulg. *interius , & ecce repleta erat gloria Domini domus, & audiui loquentem ad me de domo.*

Cùm enim eo quoq; tempore quo tabernaculum beatus fixit Moyſes , gloria Domini ipſum repleuerit, & quando Salomon abſolutа templi ædificatione encæniorum celebritatem peregit , rurſus eadem Domini gloria domum impleuerit,neceſſario etiam hac ędificatione oſtenſa, & Dominus apparet, & propria gloria implet domum oſtendens fore, vt non ſolum ædificetur,ſed etiam diuina vi cõpleatur.

Et vir ſtetit adhærens mihi.

Et vir ſtabat iuxta me. Vulg.

Oſtẽdit angelum fuiſſe qui ædificationem menſus eſt, & hæc oſtendit,& veriſimile eſt ipſum ſanctum Michaelem eſſe,cui populi cura commiſſa fuerat.

Et dixit ad me:(non angelus ſed Dominus) Vidiſti fili hominis locum throni mei, & locum veſtigij pedum meorum.

Fili hominis locus ſolij mei, & locus veſtigiorum pe- Vulg. *dum meorum.*

Ita etiam beatus Dauid,ſcabellum Dei, diuinum templum nominat. adorate enim ſcabellum,inquit,pedum eius quoniam ſanctum eſt. & locum throni hũc appellauit, tanquam in quo ipſe requieſcat.his ſubijcit. Pſal.98.

Vbi habitabit nomen meum in medio domus Iſrael in ſæculum.

Vbi habito in medio filiorum Iſrael in æternum. Vulg.

Non dixit habitauit,ſed habitabit: habitabit autem in perpetuum in medio ſanctorum, & eorum qui vere Iſrael appellantur, quiq́ue videre ipſum poſſunt quatenus homini videre licet,non figura,ſed reuera,illa vero ſupercœleſtium erant figura : vide enim facies, inquit, omnia ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte. mendacij igitur expers eſt promiſsio quam Dominus Chriſtus ſacris Apoſtolis confirmãs dixit,multæ manſiones apud patrem meum,ſi quo minus dixiſſem vobis: quia ibo & parabo vobis locum: iterum veniam, & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego & vos ſitis. in figura igitur nõ habitauit neq; habitabit Deus in perpetuum, condemnauit enim ipſos, cùm dixit, ecce relinquetur domus veſtra deſerta. oportet igitur à figuris ad veritatem aſcendere & illam Dei habitationem expectare:& quæ ſequũtur, modo dictæ interpretationi conſentiunt. Exod.26. Ioan.14.

Et non profanabunt , inquit , amplius hi domus Iſrael,nomen meum ſanctum ipſi , & duces ipſorum in fornicatione ſua & in ruinis ducum ſuorum in medio eorum.

Et non polluent vltra domus Iſrael nomen ſanctum Vulg. *meum ipſi , & reges eorum in fornicationibus ſuis , & in ruinis regum ſuorum,& in excelſis.*

Hoc

Hoc autem si quis de Israel simpliciter accipiet falsum comperiet, quos etiam post reditum multæ impietatis & Esdras accusat & Macchabæorum historia, & non solum alios Israelitas, sed etiam sacerdotes, & principes sacerdotum. rabies vero contra dominum cuinam impietatis istius exuperandæ locum relinquit? neq; hæc igitur Israel tantum conuenit, sed ijs, qui pura mentis acie præditi sunt, ac videre Deum possunt, quiq; spiritalem cultum complectuntur.

Cùm ponerent ipsi vestibulum meum, inquit, in vestibulis suis, & limina mea hærentia liminibus suis, & dederunt parietem meum prope me, & ipsos, & profanarunt nomen meum sanctum in iniquitatibus suis, quas faciebant.

Vulg. *Qui fabricati sunt limen suum iuxta limen meũ, & postes suos iuxta postes meos, & murus erat inter me, & eos, et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt.*

His omnibus docet ne ipsis quidé sacrum Dei templum attributum fuisse, vt omnia in eo facerent, quæ domi facere consueuerant. quare

Et consumpsi eos, inquit, in ira mea, & in cæde.

Vulg. *Propter quod consumpsi eos in ira mea.*

Pœnas, inquit, ab ipsis scelerum exegi, eosq; occidi. Deinde admonet vt ipsi relicta pristina via ab impietate deficiant, & ipsi inquam & duces ipsorum, ac pollicetur si hęc fiant se in medio ipsorum in perpetuum habitaturum, & hæc promissa consecuti essent, si Dominum, qui ad ipsos venit, excepissent; sed quia cùm vidissent ipsum dixerunt inter se,

Matth. 21. hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius; illos quidem de vinea deiectos in orbem terrarum dissipauit, vineam vero tradidit alijs agricolis, quibus cum in perpetuum habitat in tempore ab ipsis fructum percipiens. Deinde præcipit prophetæ vt populo ostendat templi ædificium, vt propter beneficij magnitudinem, & spem restitutionis in pristinum statum conuersi delinquere desinant, & ab impietate deficiant. non solum autem leuiter adumbrare, & describere templi ædificationem iussus est, sed etiam illius cæremonias & consuetudines ostendere, vt ipsorum obseruatione Dominum colant. asserit item contemplatum esse se, & thymiamatum altare, cuius altitudo duorum cubitorum, longitudo vnius, & latitudo eiusdem mensuræ. & duo se altaria conspexisse ait, non æqualis mensuræ, sed alterum maius, alterum minus. necesse est inquirere, curnam cùm beatus Moyses vnum altare secundum diuinum præceptum fecerit, hic propheta duo contemplet. arbitror autem id quod breue est maioris figuram, figura enim erat antiquum noui testamẽti, & altare illud nostri altaris, Christus autem propitiatio nostra est, sicut ait di-

Rom. 3. uus Apostolus, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ. ait item inter duo altaria cubitos quatuor esse diuinis euangelijs numero æquales: inter legem enim, & sperata bona euangeliorum gratia data est.

Et Ariel, inquit, cubitorum duodecim longitudine, & latitudine totidem.

Ariel vero Hebræorum lingua montẽ Dei significat, vel secundum aliam interpretationem lumen Dei. vocat autem, vt ego arbitror, sic altaris basim, atque hic numerus cubitorum cum sacris Apostolis consentit, qui bases & crepidines diuinæ gratiæ fuerunt, & Ecclesiæ fundamenta, & crepido. tu enim es Petrus Matth. 16. inquit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam dixit Dominus, & rursus: vos estis Matth. 5. lux mundi. & ipsum altare duobus cubitis asserit maius esse Ariel & longitudine, & latitudine, neq; enim sola diuinitate, sed etiam assumpta humanitate infinito interuallo maior est seruis dominus. Deinde prophetæ imperat auctor omnium rerum Deus, vt sacrificiorum leges edoceat sacerdotes, & quemadmodum oportet pro peccato vitulum & afferre, & sacrificare, & vbi oporteat desistere, & quemadmodum item altaris cornua circum aspergẽda sint, & altaris anguli, deinde pro peccato hœdi ab omni macula liberi offerendi. & rursus eodem modo sanguine altare perfundendum, & ita inquit cùm hæc facta fuerint, & absoluta propitiatio pro peccato afferent vitulum & ouem, ipsos quoq; omnis maculę expertes, & cum salibus sacrificium peragent, sales autem indicium sunt rationis, & iudicij, & pię opinionis; neq; enim simpliciter, aut moribus inseruientes hęc facient, sed quadam cum ratione, & consilio, quod recte agere instituerit, & facient inquit septem dies huiusce modi sacrificia; à die vero octaua, & vltra talia sacrificia, ne singula percurram.

Ostendit item mihi portam quoq; ad orien- Cap. 44. tem conuersam clausam, præcepitq; hanc continenter claudi, & attribui ipsi auctori omnium rerum domino, non quod porta indigeret, cùm ingredi vellet, qui vbiq; interest, & omnibus adest. quomodo enim hac clausa ingressus esset, si per portas ingredi consueuisset? verum imbecillioribus auribus sese accommodans hæc designat, & par est per hæc nobis virginalem aluum innui, per quam neq; ingressus est, neq; egressus aliquis alius, quam solus ipse Dominus. præcepit item apud hanc ipsam portam ducem quoque, hoc est, principem sacerdotum cibo vesci, & per vestibulum transire, & accedentem, & abeuntem: hoc enim vocauit Aelam. Ita his narratis & ostensis rursus intuetur Domini gloriam in porta ad aquilonem sita, & dicere iubetur exacerbanti populo vel litigioso & contentioso, ita enim & alij interpretati sunt, vt contenti sint pristinis facinoribus, quæ patrare ausi sunt alienigenas & incircumcisos in sacrum Dei templum introducentes, & quod maximum criminum est, quia non solum carnem incircumcisam habebant, sed etiam amplius carne mentem ipsam; ita vt perspicuum fit cordis circumcisionem iustitiæ perfectionem esse, carnis vero circumcisionem eius circumcisionis, quæ mentis est, argumentum esse & signum. præci-

pit

pit igitur auctor omnium rerum Deus, eos, qui animo incircumcisi erant, & corpore alienigenas, & externos procul à diuinis septis morari: Leuitas autem qui scelerum populi participes fuere, & idolorũ cultum amplexi à proprio ordine defecerunt, neque genitorum officio fungi, neque holocaustum iugulare, aut sacrificium pro peccato, neque insuper sacris appropinquare, sed suæ impietatis fructũ ignominiã percipere: genus vero Sadoc, quod patriam pietatem seruauit, dũtaxat ministrare, & custodire, & alia omnia sacerdotum munera obire, & decet ipsos inquit vestibus è lanis cõtextis nequaquam vti, sed linea tantum vestimenta indui ministrandi tempore, & cidarim vnusquisq; capiti imponat, & subligaria intus præcingat, atque exeuntes ad populum, vestes cultui dedicatas exuant, & alias induti portas egrediantur, neque enim fas est à sacerdotio alienum sacerdotalibus vestibus appropinquare, & capita item non radent, quod facere consueuerant idolorum sacerdotes, & comas suas non nudabunt: Hebræus vero & Syrus non nutrient dixere. neque enim radi ipsos, inquit, oportet, neq; comas nutrire, sed tõsuræ mediocritatem obseruare. hoc enim significauit cùm dixit; cooperientes cooperiẽt capita sua. oportet item ipsos eo tempore, quo sacerdotio fungendum est à vini potu abstinere: ac si velint vxorem ducere neque viduam, neque repudiatam mulierem accipere sed virginem. quod si etiam aliqua fuerit sacerdotis vxor vidua relicta, & voluerit aliquis eam ducere, ne tales quidem nuptiæ à lege interdicentur, inuiolatum siquidem manet sacerdotij genus eius quæ sacerdoti copulata sacerdoti rursus coniũgatur, quos rursus oportet etiam populum erudire, & communium sacrorumque discrimen docere, ipsi etiam causas ad cædes pertinentes iudicent, & alias lites dissoluant, semper id quod iustum est præferentes, & celebritates secundum legem peragant, & sabbata quiete, & alijs rebus honorent, & ad animam hominis nõ ingredientur, vt pollluantur, hoc est ad cadauer, sic enim & Hebræus & Syrus dixit, sed ad solum patrem, & matrem, inquit, filium, & filiam, fratrem, & sororem nondum nuptam. Deinde præcipit quo modo immundus emundandus sit, vt ita possit ad obeundum munus accedere, non quia reuera execrandum esset mortuos inspicere; si enim vere hoc læsisset, lęsisset etiã mortui patris, aut matris, aut fratris spectaculum; sed per hæc ostendere vult maiore obseruantia dignum apud Iudæos, qui parua extollere didicerant, esse sacerdotem. Deinde præcipit sacerdotem quoque pro seipso oblaturum in sancta ingredi, neq; partem accipere cum filijs Israel in distributione terræ: ego enim hereditas, inquit, ipsorum, & possessio eorum, mihi enim oblata primogenita, & primitias ipsis ad fruendum dedi, & partes à sacrificijs ablatas rursus eis attribui: ego enim nullius indigeo.

Cap. 45. Iubet item terram quandam in suburbanis definiri sacerdotibus, ab oriente sole ad occasum decem millia cubitorum, & ab aquilone ad meridiem viginti quinque millia, vt habentes ipsi decimas & primitias, & primogenita, & sacrificiorum separatas partes, & à terra consolationem, id quod iustum est amplectantur, nec amplius concupiscant, neq; populo nocerent eo fruentes, quo contenti esse queãt. iccirco subiecit.

Sufficiat vobis duces Israel, iniustitiam & miseriam proijcite, & iudicium & iustitiam facite, & auferte oppressionem à populo dicit Adonai dominus.

Sufficiat vobis principes Israel, iniquitatem & Vulg. *rapinas intermittite, & iudicium & iustitiam facite, separate consinia vestra à populo meo ait Dominus Deus.*

Deinde de stateris & ponderibus & mensuris præcipit, quæ æqualitate, & iustitia ait obseruanda; iubetq; introitus & exitus vnam esse mensuram, nosque docet eorum continere gomor decem, & vnumquodque chœnicas decem, vt sit corus chœnices centum, & ephi habere eandem mensuram, quam chœnix, & minam præcipit quinquaginta siclos continere, & vnumquemq; siclum obolos viginti. & decem olei cotylas item gomor vocat, quam decimam esse dixerat cori partem. iubet etiam primitias oblatas frumenti & hordei, sextam gomor partem cõtinere, quæ apud nos semimedimnus nuncupatur. cùm enim corus triginta sit medimnorum, gomor vero decima pars cori, necesse est gomor trium esse medimnorum: trium autem medimnorũ sexta pars semimedimnus est. iussit item de decem cotylis vnam cotylam offerri, & ouium itidem decimas. Hæc autem omnia dabit, inquit, populus principi ad sacrificiorum vsum, vt in neomenijs & celebritatibus, & sabbatis ab ipso sacrum munus obeatur, & pro populo Deus placetur. præterea docet, quænam facere conueniat neomenia decimi mensis, quæ quarta decima, & quæ rursus septimo mense: oblatam autem siliginem sacrificium vocat. sacrificium enim coctionem, inquit, vitulo, & coctionem arieti facies, & olei hyn & coctioni hin: verum apud Syrum heminam comperi.

Iubet quoque portam, quæ respicit ad ori- Cap. 46. entem, sex hebdomadis diebus claudi, sabbato per totum diem apertam patere: & sacerdotibus, inquit, pro principe sacerdotum sacrificia offerentibus, ipse super hac porta stabit, & cùm sacrificium offeretur, stans in vestibulo adorabit, & ita egredietur, & omnis populus ante hanc portam stans Deo cultum adhibebit. in sabbatis & neomenijs, & holocaustoma sabbatorum offeret princeps sacerdotum; ipsum enim ducẽ vocat. recensetetiã sacerdotũ numerũ, & similiter, quæ neomenijs offerẽda sint, docet. Mannaa vero similaginis sacrificiũ nuncupat; ita enim Syrus quoque interpretatus est. præcipitque eos qui ingressi fuerint ad adorandum Deum, in exteriorem aulam, si à porta quæ est ad aquilonem ingrediantur, per eam quæ est ad meridiem exire: quod si hanc ingressi fuerint, per alteram exire vt or-

dine ingreſsi & egreſsi ſine vlla perturbatione Deum adorent. & ſacerdotum princeps ijs quæ fiant interſit, vt maiore verecũdia cultus adhibeatur, & omni populo ſabbatis, & alijs celebritatibus portam aperiri iuſsit quæ eſt ad orientem, principi vero ſacerdotum voluntarium ſacrificium offerre Deo volenti, quacunque die voluerit ſacrificium peragere, liceat, inquit, portam aperire. ſimile enim erit, inquit, oblatum ab ipſo ſacrificium ſabbatorum ſacrificio. & ex definita ipſi terra, ſi cui filiorum tradere voluerit, ipſius perpetuum ius, qui accipit, obtineat: quod ſi ſeruo data fuerit, illius dominio potiatur vſq; ad remiſſionis annum: & anno illo, qui hebdomadicus appellatur, principi ſacerdotum reddet hæreditatem; ſoli enim ſacerdotali generi hæc hæreditas dedicata eſt. non enim decet paterna hæreditate priuatis filijs & ſpoliatis ad iniurias populi procedere, alia rurſus ſacerdotibus pro compenſatione definita terra. ſit igitur definitæ ſacerdotibus terræ hæres genus. & oſtendit, inquit, mihi alium locum ſitum ad occaſum, & aquilonis exedris propinquũ, quem dixit ad coquendum ſacerdotibus definiri, vt pro ignorantia & peccato ibi coquant, & mannaa illic coquant. neque enim fas eſt, quæ ſemel definita ſunt & ſanctificata, ea communia facere extra ferendo. & vidi alias aulas illa breuiores, circum maximam aulam ſitas: & vnaquæque habebat longitudine cubitos triginta, latitudine quadraginta, apud quas ædificatæ domus erãt, quas exedras vocauit, in quibus populi ſacrificia coqui præcepit.

Et inde me rurſus aſſumens introduxit ad veſtibula domus, & ecce aqua egrediebatur de ſubdio domus, ad orientẽ, quia facies domus reſpiciebat ad orientem, & aqua deſcendebat ab angulo domus dextro ab auſtro ad altare.

Vulg. *Et conuertit me ad portã domus, & ecce aquæ quæ egrediebantur ſubter limen domus ad orientẽ: facies enim domus reſpiciebat ad orientẽ, aquæ autẽ deſcendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.*

Ita ea quæ ad ſacrificia pertinent edoctus, cùm didicerit offerenda eſſe ſacrificia pro peccato ſecundum figuram docetur animarum veram expiationem ex aqua & ſpiritu fieri, videt autem hanc aquam à portis domus exeuntem & per altare tranſeuntem per partes magis aquilonares ad orientem procedere, ex Iudæis enim ſalus gentibus, & Chriſtus ex Dauid ſecundum carnem ex virginali vtero veluti à quibuſdam diuinis veſtibulis apparens, per aquam & ſpiritum regenerationem orbi terrarum eſt impertitus. Hæc item beatus Eſaias vaticinatur cùm dixit: Erit in die illa, ſicut fluuius qui fertur glorioſus in terra ſitienti. & beatus Zacharias prædicta ſalutari paſſione & ea quę accidit obſcuritas; non dies enim, inquit, & non nox, & dies illa nota domino. neq; enim plena dies, inquit, neque plena nox, media enim die tenebræ acciderunt. ſubiecit, in die illa egrediatur aqua viua de Hieruſalem dimidiũ eius in mare nouiſsimum, & dimidium eius in mare primum, & per hæc declarat ortum & occaſum, quibus totus terrarum orbis intelligitur. memorat etiã ſcaturiendi tẽpus; in æſtate, inquit, & in vere fiet. hoc etiam Samaritanæ dixit Dominus: qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, nõ ſitiet in æternum, ſed erit aqua, quã ego dabo ei fons aquæ viuentis ſalientis in vitam æternam. & alio loco, ſi quis ſitit veniat ad me & bibat, qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. hanc aquã diuinus Ezechiel vidit, profluentem à veſtibulis domus; per legẽ enim & prophetas fuere prædicta noſtra bona; & tranſeuntem per altare, quia per Iudæos dũtaxat tranſijt: qui vbi non credẽtes fidei fructus reddere noluerũt, tranſijt ad gentes, & maximum atq; pulcherrimum eccleſiarum irrigat paradiſum. Ait deinde ſe conſpexiſſe quendã, qui menſus eſt mille menſura, & tranſijt vſq; ad talos, & rurſus eandẽ dimenſum eſſe quantitatẽ, & pertranſijſſe vſq; ad genua: & tertio adhibita eadẽ mẽſura, tranſijſſe vſque ad lumbos. at vbi quartum impleuit numerum, torrens, inquit, factus eſt maximus, quem pertranſire non potuit, quia ebulliens aqua vt impetus torrentis, quẽ non pertranſibit quis. Docuitque nos per hæc fore vt initio euangelicum præconium paucos ad ſalutem adducat, deinde eos duplicet ac triplicet, ac poſtea totum impleat orbem terrarum, ſecundum prophetiam illam: Replebitur vniuerſa terra cognitione Domini, ſicut aqua multa operiens maria. & ſcire operæpretium eſt, quater illum dimẽſum fuiſſe, & diuinis euangelijs æqualem numero menſuram adhibuiſſe. exiſtimo vero quartam menſuram diuini Ioannis euãgelium indicare, quod theologiam continet inacceſſam, & ad quam hominibus aſpirare minime liceat: quæ enim mens vltra illud, In principio, poterit penetrare? & quæ ad illud, erat, tranſcendere? quare ebullientem aquam, quaſi torrentis fluctum, quem nemo pertrãſire queat, dixit, exijſſe. & ſtatim, inquit, atque è veſtigio oſtendit mihi apud ripam aquæ arbores omnis generis producentes fructus, & in vtraque ripa hæ arbores erãt, neque enim fidem tantum in Deum, ſed etiam actionem ſecundum Deum hæc aqua, vt homines producerent, effecit. & dixit inquit ad me: aqua fluminis quę egreditur in Galilęam ad orientem, & deſcendit ad incultam, ac venit vſque ad mare ad aquam oſtij maris. & hæc licet in hiſtoria nobis accurate inuenire: nam primo in Galilæam ſalutare præconium cucurrit, inde ad incultam & à pierate vacuam gentium regionem, peruenit etiam ad mare, barbarorum genera inundans. ſubijcitque ſe aquas ſanaturum. efficiet enim vt Græcæ & fabuloſæ doctrinæ diuino præconio miniſtrent, & morboſæ aquę illę per has aquas ſanctificatæ ſalutem ſuppeditent.

Et erit omnis anima animalium bullientium, ſuper omnia ad quæ aduenerit fluuius, viuet.

Et omnis anima viuens quæ ſerpit, quocunque venerit torrens viuet. Vulg.

Omnis

Omnis enim, quicunque ſalutaribus aquis fruetur, ſalutem conſequetur. & aſſerit plenam piſcium hanc aquam futuram, & piſcatores multos habituram, multi enim per has aquas ad ſalutẽ quaſi expiſcatione capientur, & multi erunt, quibus huius venandæ prædæ munus committetur. illud vero Engaddi, vſque ad illud Enaglim, ſignificat à tentationibus & afflictionibus lætitiam, Engaddi enim, oculum tentationis deſignat, Enaglim vero, oculũ vituli ad ſacrificium oblati, & peccatum ſoluentis, vel ſub iugum tracti, cui colendæ terræ munus imponatur. exſiccatio autem ſagenarum, non ſolum frequentiam, ſed etiam ſtudium & curam ſignificat: non enim deſiſtent piſcari, inquit, ſed ibi requieſcent, requietem enim ſagenarum exſiccationem vocauit. quandoquidem ceſſantes expiſcari piſcatores ſagenas explicare & exſiccare conſueuerunt. per ſe, inquit, erit, hoc eſt, ab impietate remota anima, quæ ſaluatur, & copiam piſcium aſſerit nõ fluuio ſimilem fuiſſe ſed maximo mari: neque enim priſtino populo æqualis numero nouus populus, ſed gentium mari comparatus & orbem terrarum complens. his ſubijcit.

Et in exitu eius, & in cõuerſione eius, & in elatione eius, lacunæ eius nõ ſanabuntur, in ſales tradentur.

Vulg. *In littoribus autem eius & in paluſtribus nõ ſanabuntur, quia in ſalinas dabuntur.*

Et hoc in præſenti videmus accidiſſe, qui in multitudinem aucti, in ſegnitiem lapſi ſumus, & conſentanea Dominus quoque prædixit: cùm enim abundauerit, inquit, iniquitas, refrigeſcet caritas multorum. Eos igitur qui in ſuperficie verſantur, & prædicatione duntaxat indutos, quales noſtrum plurimi, lacunas vocat. etenim lacunæ nõ profundam, ſed in ſuperficie continent aquam. eos igitur qui ita affecti ſunt aſſerit minime conſequi remedium, quin etiam iſti, inquit, reliquis non inutiles, caſtigati enim vtilitatis alijs cauſa erunt. quamobrem in ſales dabuntur dixit: inſtruere enim nos quodammodo & vtilitatis imperitos conſueuit, non ſolum oratio docens, ſed etiam illatum pro peccato ſupplicium. ita ijs prædictis, quæ ad ſegnes attinent, rurſus ſtudioſorum, ſanctorumque fructus commemorat, & nihil apud ipſos infructuoſum, ſed omnia eiuſmodi quæ comedi poſſint.

Matth. 24.

Et præter fructum, inquit, etiam foliũ eius non defluet, neque inueteraſcet ſuper ea, neq; deficiet fructus eius: nouitatis ipſius in menſes eius primitiua afferet, quia aquæ eorũ de ſanctis hæ egrediuntur, & erit fructus earũ in cibum, & germinatio earũ ad ſanitatem.

Vulg. *Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per ſingulos menſes afferet primitiua, quia aquæ eius de ſanctuario egredientur, & erunt fructus eius in cibum & folia eius ad medicinam.*

Hæ, inquit, arbores omnes ad eſum vtilem producent fructum, atque hunc in perpetuum. non enim ſemel in anno aut menſe, neque in celebritatibus tantum pie viuunt ſancti, ſed continenter diuinas leges obſeruant: quin etiam folia, inquit, non defluent ab ipſis. habent enim virtutis exercitationi conſequentem animi tranquillitatem; & fructus ipſarũ totus in cibum. admirari enim conſueuimus, virtutis athletas, & germinatio earum ad ſanitatem. reputantes enim quantum ſit bonũ ſecundum Deum vita, hinc vtilitatẽ percipimus: & ſanitatem, quæ eſt ſecundum Deum, cõſequimur. deinceps edocetur propheta, quinam ſint fines Iſrael: ab aquilone ait viã eſſe Emath per fines Damaſci, Emath autem Athiphaniam vocant, & quidã Emiſan, etenim diuina ſcriptura duas nouit eiuſdem nominis, quæ dicit, ad Emath magnam, & ab ortu ait Iordanẽ finem, & Phæniconem ad orientem. à meridie vero vſque ad aquas contradictionis, ſic enim Mariboth Syrus interpretatus eſt, Cades, ab occaſu vero mare finem eſſe. & hanc præcepit non ſolum ijs qui ab Iſrael genus ducerent, diſtribui, ſed etiam proſelytis inter eos incolentibus: qui filios, inquit, in vobis genuerint, & in vnaquaque tribu incolẽtes proſelyti cum eadem tribu hæreditatem capiant.

Deinde præcipit vt primam capiat tribus Dan, ab aquilone, altera m Aſer, tertiam Nephthalim, quartã Manaſſe, quintam Ephraim, ſextam Ruben, ſeptimam Iuda, tum eam quæ ſacerdotibus attributa eſt, quinque & viginti millium latitudinem, decem millium longitudinem: iubetq; huius hæreditatem circum ipſam vrbem poni. Erit enim ſanctificatio mea, inquit, in medio ipſorum ſacerdotibus ſanctuarium filijs Sadoch, cuſtodientibus cuſtodias domus. Præterea quingentos rurſus templi cubitos diuidit per vrbem: cùm vero ædificabitur vrbs, inquit, huius terræ fructus attribuantur ædificantibus, deinde poſt hanc hæreditatem, capere iubet Beniamin, & poſt illum Symeon, tum Iſachar, deinde Zabulon, poſtremo Gad. ait enim portas fore vrbi duodecim, in vnaquaque parte tres, omnemque circuitum decem & octo millium cubitorum dixit. Cap. 48.

Nomen autem vrbis ex qua die, inquit, facta fuerit, erit nomen eius:

Et nomen ciuitatis ex illa die dominus ibidem. Vulg.

Non quod alterum poſt ædificationem nomen inuenerit, Hieruſalem enim etiam poſt Zorobabel vocata fuit, ſed inſignem eam denuo futuram per hæc indicauit: conſueuit ſiquidem diuina ſcriptura nomen ipſam gloriam nominare. ſicut deniq; idem propheta ad Hieruſalẽ ex perſona Dei, dixit, & fuit tibi nomen. hæc vrbis ædificatio poſt reditũ è Babylone à Zorobabel primo facta eſt, longo tempore conſtructo templo propter finitimorum bellum, mœnia vero erexit Neemias poſt abſolutam templi ædificationem interiectis annis octoginta. & Maccabęis item florentibus multa cum felicitate renouatum eſt, & poſt illos rurſus Herodes illud nobilius effecit. at fabuloſis orationibus gaudens Apolinarius, & à vetulis fabellas enarrantibus nihil differens, aliam quoq; nobis pollicetur Hieruſalem ædificationem, & ſecundum Iudæorum legem cultum, & præter legis obſeruationẽ in dominũ fidem. Deinde rurſus eccleſias mutuo ſibi

aduersantes: quę ex gentibus constet, extra legem viuentem, quæ ex Iudæis secundum legem suam remp. administrantem, neq; cognouit sapientissimus, diuinarum sententiarum veritatem. nam de Iudæis dixit: malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Et item, ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me, veniet alius in proprio nomine & illum accipietis. de templo vero, ait: primum, non relinquetur hic lapis super lapidem qui nõ destruatur. deinde: ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Et Esaias quoq; exclamat, impiorum ciuitas in æternum non ędificabitur; & domus Israel cecidit, non amplius resurget. non audiuit item, vt par est, Pauli doctrinam, quam Galatis protulit, cùm dixit: qui in lege iustificamini à gratia excidistis. & rursus: propter quod ex operib. legis nõ iustificabitur omnis caro, sed per fidẽ Iesu Christi. lex enim iram operatur. vbi enim non est lex nec præuaricatio. itemq; : nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. & alio loco: iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christũ. & Petro qui legis obseruationem simulauerat, propter discipulorum imbecillitatẽ, coram omnibus dixit: si tu cùm Iudæus sis gentiliter viuis, & nõ Iudaice, quo modo gẽtes cogis iudaizare? deinde subijcit: nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. scientes aũt quod non iustificatur homo ex operibus legis, sed per auditũ fidei, & nos in Iesum Christum credidimus, vt ex fide iustificemur. ita Galatas qui sustinuerant post fidem circumcidi insensatos vocat, & ad Philippenses scribens, accusansq; quod hæc docerent, canes appellat, cùm dicit: videte canes, videte malos operarios, videte concisionem; nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & non in carne fiduciã habẽtes. & ne quis ipsum opinaretur spiritalibus inniti, tanquam eorum quæ carnis sunt expertem, merito subiecit; quanquã & ego habeam fiduciam in carne, & si quis alius videtur confidere in carne ego magis. narratq; ea quibus Iudæi gloriabantur: octaua die, inquit, secundum legem circumcisus sum, & quia accidit vt proselytarum filij secundum hunc dierum numerum circumciderentur, necessario adiecit, ex semine Israel. neque contentus patriarchæ appellatione, tribus quoq; nomen memorat, nobilitate mostrẽdens, de tribu Beniamin; à Rachel enim dilecta sum, inquit, oriundus. non enim solum ex ijs non sum, qui sunt semiserui, sed etiam liberis excello, tanquam ex ea quę prius desponsa fuit, & valde dilecta propagatus, & hinc ad antiquiorem stirpem progreditur, Hebræus ex Hebræis, Hebræi enim ab Heber appellati sunt. quin etiam honestissimę sectæ, inquit, fui, secundum enim legem Pharisæus, neq; solum nomen pietatis obtinui, sed etiam re ornari alacri animo studebam, secundum zelũ enim persequens inquit ecclesiam. Ita omnibus pro quibus gloriandum videretur, enarratis, adiecit: sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, & arbitror omnia stercora esse, vt Christum lucrifaciam. sed quæ beatus Paulus detrimentum & stercora appellauit, cum spiritalibus collata: hæc sapientissimus Apolinarius ab Helia Iudæis prędicatum iri, & ab ipso Christo Domino confirmanda fore dixit. qua de causa autem dicat ille ijs, qui è Iudæis erũt, reipub. administrationem dabit secundum legem, quasi fides salutem dare nequeat? & cur hanc nobis omnibus gentibus tradidit, vt ipsis perfectam præbeat salutem? quod si vt fide idonea ad salutem afferendam, & conciliandum nobis regnum cœlorum, legis obseruationem abrogauit, qua de causa legem, quæ saluum facere nequit, rursus Iudæis constituet? nam plurima ipsius legis nullam afferre obseruantibus iustitiam ipse Deus per hunc prophetam nos docuit: dedi enim ipsis inquit præcepta non bona, & iustificationes in quibus non viuent. quo modo igitur non bona, quæque vitam præbere nequeant, Iudæis rursus imponet, cùm eos saluare velit & non perdere? & alia quoque ratione facile est hæc expectantis amentiam cognoscere. si enim res Iudæorũ nostrarum figura rerum fuere, quod ipse confitetur, neque repugnat, vbi nam anniculo agno opus est, post immaculati agni, qui sustulit peccatum mundi, sacrificium? & quæ azymorum vtilitas post supercœlestem panem? vel paschatis typici post spiritale? sed neque diuum Apostolum audit, dicentem: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis: etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. neque Dominum suos discipulos docentem, cùm dicit: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationẽ. & hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, hoc facite in meam commemorationem. & alibi cùm dixisset Iudæis: patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt, adiecit: Hic est panis vitæ, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur. & vt alia quæ infinita sunt, & innumerabilia omittam, etiam num in Hierosolymis & crucis templum, & resurrectio, & in cœlum assumptio, & templum in Syon & sacra Bethleem, & alia infinita orationis loca existunt. Instaurato igitur Iudæorum templo, destruentur ista, vel eodem in honore habebuntur, & in pristino honore perseuerantia à Iudæis colentur, vel ignominia afficientur. si igitur ignominia afficient, & in pristina insania permanebunt, nullam percipient vtilitatem ex magni Heliæ prædicationibus: quod si in honore habebunt, quæ orationis loca, magis quam crucis locum, vel resurrectionis, vel eum qui instaurandus est, colent? nam

Matth. 21.
Ioan. 5.
Matth. 24.
Matth. 23.
Esa. 25.
Esa. 24.
Gal. 5.
Gal. 2.
Rom. 4.
Rom. 8.
Rom. 5.
Gal. 2.
Philip. 3.
1. Cor. 5.
Ioan. 6.

nam si illis amplius, quasi non perfecta cognitione prædicti hoc facient. quod si hæc antepo fuerint superuacanea erit illorum ædificatio, si vero æqualem honorem tribuent & istis & illi, offerent quidem ibi sacrificia, sed hic sacris mysterijs fruentur. & quo modo fieri potest, vt vna cum ijs, qui è gentibus credidere, diuinis ipsi mysterijs fruantur, cùm lex commercium cum gentibus ipsorum prohibeat? relinquitur igitur, vt eodem in templo & euangelica & legalia eodem tempore absoluantur, ac rursus necesse est & pugnam & contentionem intercedere: nobis quidem secũdum leges nostras degentibus, illis vero cultum secundum legem præferentibus. & quo modo verus est Paulus cùm dicit: Christus est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitiam in carne ipsius, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat, hoc est gentilem & Iudaicum in vnum nouum hominem, & reconciliet ambos in vno spiritu cum patre? ac rursus, non est Iudæus neque Græcus. & alio loco, vbi non est Iudæus, neque Græcus, circumcisio & præputium, sed omnia & in omnibus Christus? næ, inquit, sapientissimus, & Apostolis prædicantibus, qui in Hierosolymis præconio credidere Iudæi, cultum secundum legem obseruabant, alijs ecclesijs extra legis cultum degentibus. neque intelligit sacros Apostolos illorum sese accommodantes imbecillitati, hoc eo tempore fieri permisisse, sed ipsos libere legem non obseruasse, quam violare haudquaquã sustinuissent, si legis obseruationem necessariã cognouissent: verùm ipsi cùm optime nossent superuacaneam esse secundum legem reipub. administrationem, euangelicam vitam transegere, ijs vero qui imbecillius affecti erant legis obseruationem concedebant, paulatim eos ad perfectiora ducentes. ita Timotheum beatus Paulus circumcisum euangelicæ reipub. magistrum delegit. verum fortasse nos etiam Apolinarij negationis participes facti sumus conati non falsam solum sed etiam iniucũdam illius fabulationem redarguere, contra quem beatus Paulus merito dixerit: vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Hic igitur orationi fine imposito, hunc librũ lecturos hortabimur, vt si quid inuenerint in ijs, quæ interpretati sumus studio dignum, omnium celebrent Dominum, qui pro communi hominum beneficio occultorum tribuit reuelationem: quod si minus ipsa spe lucrum, neq; laboribus equalem fructum offenderint, naturæ imbecillitati veniam tribuant, animi tamen alacritatem complectantur, & labores precibus compensent, remissionem peccatorum nobis ab omnium saluatore deprecantes, cum quo patri gloria cum Sancto spiritu nunc & semper & in infinita sæcula sæculorũ. Amẽ.

Ephes. 2.
Gal. 5.

FINIS.

BEATI THEODORETI
CYRI, VRBIS EPISCOPI, IN VISIONES DANIELIS PROPHETAE COMMENTARIVS,
IOANNE BAPTISTA GABIO INTERPRETE.

PRAEFATIO.

SI facile omnibus esset diuinorum prophetarum oracula explicare, & ab ijs quæ litterarum superficie continentur, in profundum penetrare, ibiq; abstrusam sententiæ margaritam venari: fortasse non iniuria superuacaneum censeri potuisset, litterarum monimentis eorum prodere interpretationem, nullo quippe negotio propheticam mentẽ cunctis ipsa lectione percipientibus. verum quando omnes, etsi viam sortiti naturam sumus: non tamen omnibus cognoscendi par concessa est facultas: Vnicuiq; enim datur, inquit, manifestatio spiritus ad vtilitatẽ, & alij quidem per spiritũ datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secũdum eundẽ spiritum, alteri fides in eodem spiritu, & quæ deinceps sequuntur, omnia pari diuisionis ratione distribuuntur; nihil me, quod à ratione abhorreat, arbitror facturũ, si diuinarum rerum rudibus earundẽ doctrinam his scriptis impertiar; siquidem

1. ad Cor. 12.

dem mihi à puero in illis educato plures etiam pij scriptores mediocrem quandam cognitionem contulere: etenim diuina lex præcipit, vt, quæ à parentibus didicimus, ea filios nostros edoceamus. Docebis ea, inquit, filios tuos & nepotes. quare magnus ille quoque doctor Dauid, Attendite, inquit, populе meus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. deinde, vnde hæc didicerit, ostendit: Quanta audiuimus, inquit, & cognouimus ea, & patres nostri narrauerunt nobis, non sunt occultata à filijs eorum in generatione altera, docens & cognitionis causam, Legem posuit, inquit, in Israel, quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera, filij, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis. vtilitatem itidem, quæ ab hac doctrina proficiscitur demonstrans subijcit, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant. hanc itaque doctrinam à parentibus acceptam quasi iusto ære alieno obstricti ijs, qui nobis natu minores sunt, ac posteris debemus, grato & animo par est persoluere. neque solum nos diuina lex excitat, verum etiam plerique illustres viri nobis familiaritate coniuncti ardentiore studio contendentes, vt hoc certamen audacter iniremus, impulerunt. Age itaque beatissimi Danielis prophetiam quàm maxime licet ignaris perspicuam faciamus, & fortasse ne ijs quidem, qui consecuti sunt, vt intelligerent, labor hic noster erit inutilis. nam vel plura comperient, quàm opinati sint, vel sua in nostris deprehendentes, quod à se quasi venatione indagatum & inuentum fuerit, communi consensione stabilient. consueuit enim quodam modo plurium consensus intellecta corroborare. hunc autem prophetam in præsenti conamur interpretari, non quasi alios, quod Deus prohibeat, contemnentes, omnes enim nouimus esse diuini spiritus instrumenta, sed primum quia ipsius interpretationem à nobis familiares efflagitarunt, æquumque censuimus beneficium ijs, qui petierunt, non denegare. deinde Iudæorum amentia, atque adeo impudentia factum est, vt aljs in præsenti omissis, huius prædictiones enudare, atque aperire operæ pretium ducamus: eò siquidem impudentiæ processere, vt vel à prophetarum choro ipsum segregent, propheticoque cognomento defraudent. Impudès quidem certe hoc ipsorum est commentum, non tamen ab eorum proposito fine abhorrens, cùm enim multo apertius, quàm alij omnes, magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi prædixerit aduentum, neque solum ea, quæ facturus esset, antè commemorarit, sed etiam tempus præsignificarit, numerumque ascripserit annorum, qui vsque ad illius aduentū intercessere, aperte collectis ijs omnibus calamitatibus, quæ mox post admissum perfidiæ scelus in eos essent inuasuræ, merito, vtpote Deo infesti, & veritatis hostes audent impudenter asserere non esse prophetam, qui hæc, & infinita alia ediderit oracula, satis idoneum rati ad hoc mendacium confirmandum suam esse sententiam. nil mirum est autem, si qui in vnigenitum tanta rabie insanierunt, bene de suo Domino sentientes ministros calumnijs infectantur, prioribus enim posteriora consequuntur. quare ipse quoque Dominus ait, Si me persecuti sunt, & vos persequentur. ac rursus, Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? vt autem ipsorum impudentiam abunde admodum redarguamus, ita eos interrogemus, quidnam prophetæ proprium asseritis? atqui fortasse respondebunt, futura præscire, eademque prædicere. inspiciamus itaque num hæc & prænouerit, & prædixerit beatus Daniel, & quæ de Domino Christo locutus est interim silentio contineamus, alias vero ipsius prædictiones in medium proferamus. Comperimus igitur de Babyloniorum, de Persarum ac Macedonum, de Romanorum regno ipsum complura prædixisse. quænam videlicet Babylonio regi euentura essent, & quemadmodum Persæ illius regnum occupaturi, deinde vt ijs euersis Macedo ipse quàm celerrime è vita decessu-

Deut. 4. Psal. 77.

Ioan. 15. Matth. 10.

rus, quatuor vero pro vno, regno quasi hæreditate potituri, nec non vt ex vno ipsorum quidam oriundus infinita damna Iudæis illaturus, qui diuina impetrata ope ab illius tandem feritate vindicarentur. Tum inde digressus prædicit Romanorum potentiam, qui regnis omnibus debellatis ab omnibus essent exacturi tributa. nam quid ea commemorem, quæ de Aegyptiorum ac Syrorum regibus vaticinatus est? quantas sibi illi mutuo clades illaturi, & pacis postmodum fœdera, & connubiorum iura, ac necessitudinis, tum rursus post factam reconciliationem bella, neque ea per præconem indicta? qui igitur hæc omnia & prænouit, & prædixit, eorumque memoriam litteris commendatam reliquit, quo modo non impium ac nefarium sit, si quis hunc à prophetarum exterminet cœtu? si enim hæc à propheta sunt aliena, quænam erunt propria prophetiæ? quòd si, propterea quòd propriæ orationi non ascribat, hæc dicit Dominus: idcirco è prophetarum choro exemptum volunt, nobis dicant, quid tale dixerit Abraam patriarcha, qui ab omnium rerum auctore Deo propheta nuncupatus est: de Abraam enim dictum est, Et nunc redde vxorem viro, quia propheta est, & orabit pro te, & saluaberis tu, & omnis domus tua. beatus item Dauid de ipso, & filio, ac nepote ait: Et corripuit pro eis Deus reges dicens, nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari. maximus quoque propheta Samuel, ille à puero ædituus, non quemadmodum alij prophetæ habet prophetiæ visionem, sed ipse etiam vel per somnia, vel per quædam sibi interdiu diuinitus reuelata, prænoscendi, intelligendi, & prædicendi munere donatus est. cum illis igitur palam contendite, eaque & è prophetarum cœtu aperte eijcite. quòd si in illos debacchari veremini, in hunc quoque cauete ne calumniam inferatis. propheta est enim, & propheta, qui summo studio & cupiditate futurorum cognitionem est adeptus: sudore, & laboribus, ieiunio, & afflictione futura perdoctus, quique non ea modo, quæ solis Iudæis euentura essent, sed etiam quemadmodum res communes in toto orbe terrarum administrandæ forent & prænouit, & præsignificauit. considerate itaq; num admodū iniustum sit, Abdiam, qui mala in Iudæos inuasura duntaxat prædixerit, & Ionam, atque Naum de vna tantum ciuitate Ninive vaticinatos, ascribere in numerum prophetarum, at beatum Danielē, qui non de vna ciuitate, aut de exigua natione, sed de maximis regnis Chaldaico, Persico, Macedonico, Romano, & de ijs, quæ ab ipsis sigillatim gesta sunt, prænuntiarit, prophetico cognomine defraudare, & à diuini spiritus beneficio alienum asserere. atqui oportebat vos vel iniquissimos iudices pudore aliquo perfundi ob Nabuchodonosor impium illum, agrestem, barbarū, diuinis mysterijs minimè initiatum, qui de Daniele exclamans ita loquitur, quia spiritus Dei sanctus est in ipso. etenim reuera diuini spiritus munus erat, & somnium illud, quod cùm alius conspexisset, oblitus fuerat, enarrare, & eiusdem accuratam ac veram interpretationem afferre. vos vero ne hac quidem re adduci potestis, vt in prophetam desinatis insanire: sed per prophetam prophetæ domino repugnatis: at propheta ipse nihil vestris machinis lædetur, quem prophetam diuina volumina demonstrant: cuiusque præcognitio prædictionis confirmatur euentu. verum enimuero nos nunc res ipsas cernentes, antiqua illa intelligimus oracula, & ab ipsis rebus ducti facile comprehendimus ipsum rerum euentum. vos autem propriam insaniam etiam per hæc declaratis. & nos nunc summatim vestram impudentiam redarguimus: at singularum rerum interpretatio amentiam vestram euidentius confutabit. Age itaque, cùm & pro nobis idonea defensione vsi simus, & Iudæos abunde accusauerimus: primum prophetiæ declaremus argumentum, deinde verborum interpretationem aggrediamur. Post Iosiam, fuit hic pius rex, Iudææ regno potitus est eius filius Ioachaz menses tres totos ac dies paucos. duplex huic nomen fuit. in libris enim Regum, & Paralipomenon Ioachaz appellatur, sed

Dan. 4.

4 Reg. 23. 2. Para. 36.

beatus Hieremias propheta ipſum Selim vocat: hũc bello captum Aegypti rex Pharao Echao in Aegyptũ captiuum abduxit, & in eius locum Eliacim fratrem eius regem ſuffecit, & Ioacim nuncupauit. regnauit hic annos vndecim, menſes paucos inſuper. regni cuius anno tertio Nabuchodonoſor Babyloniorũ rex cũ exercitu profectus haud paucos ex ijs, qui generis nobilitate præſtarent, bello cepit, & nonnulla ſacra vaſa diuinis tantum vſibus dedicata corripuit, impoſitoq; ipſi Ioacim tributo Babylona ſe recepit. deinde cùm ille imperatum tributum nollet perſoluere, rurſus ad Hieroſolyma adduxit exercitum, captaq; vrbe, & Ioacim interfecto, pro eo regem creat illius filium, à Iudæis itidem Ioacim vocatum, ſed mutato nomine rurſus Eliacim nuncupatum. atque hunc beatus Hieremias propheta Iechoniam nominat.

Hier. 22. Viuo ego, inquit, dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioacim regis Iuda ſigillum in manu dextera mea, inde euellam te, & tradam te in manus quærentium animam tuam, quorum tu formidas faciem, in manus Chaldæorum.

Vulg. La. Viuo ego dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioacim regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum, & dabo te in manum quærentium animã tuam, & in manu quorum tu formidas faciẽ, & in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis, & in manu Chaldæorũ.

Cumque hic regnum menſes tres, dies præterea paucos adminiſtraſſet, tunc rurſus Nabuchodonoſor Babyloniorum rex miſſo duce cum exercitu ipſum captiuum Babylona perducendum curauit, & Sedeciæ, eius patruo, regnum tradidit. qui cùm annos vndecim regnaſſet, ac poſtea non perſoluiſſet impoſitum ſibi tributum, cum maximis copijs Babyloniorum rex ad Hieroſolyma proficiſcitur, quæ deinde obſidione oppugnans, auxilio famis ad id ſibi opitulantis vſus, admotiſque machinis muros demolitur, & plurimis occiſis reliquos in ſeruitutem redactos captiuos abducit, igne & vrbe & templo ſuccenſis. Verum auctor omnium Deus, qui hæc Iudæos propter eorum multa ſcelera pati permiſit, ne penitus quidem eos puniens propria tutela deſtituit, ſed ijs, qui in Iudæa erant, quaſi puerorum magiſtros tradidit Vriam Samæi, & Hieremiam Chalcij virum ſacerdotio & prophetia clariſſimum: ijs vero, qui in prima captiuitate bello capti abducti fuere Babylonem, vna cum beato Daniele miſit Ezechielem, Ananiam, Azariam, & Miſaelem, vt habentes legitimæ reipublicæ perfectos in doctrina magiſtros, haud multum ex barbarorũ commercio perciperent detrimenti, ſed exempla haberent quæ patriæ ipſos virtutis ac philoſophiæ commonefacerent: tantam rerum omnium auctor Deus adhibet regendis peccatoribus prouidentiam, vt qui ex animo illi ſeruientes eum ſibi in omni vita colendum præ cæteris rebus ſtudioſe propoſuere eos vtilitatis ipſorum cauſa captiuos abduci permiſerit, ac difficilem perferre ſeruitutem, & in multa pericula incidentes per fluctus ac tempeſtates vitam traducere. ita enim per Oſeam prophetam loquitur. Quia propter vos occidi prophetas in verbis oris mei: ita etiam ille qui orbi terrarum ſalutem ſubminiſtrauit, ſanctos permiſit apoſtolos ea pati, quæ literis commendata ſunt. eadem prouidentia Iudæos excipiens, eos qui cum beato Daniele erant, voluit in Babylonem cum ipſis peruenire. qui cùm & iuuenis eſſet, & forma floreret, cum pijs illis adoleſcentibus in regia educatus, & à puero in ſe vigentem diuinam gratiam adeptus, omnique ſapientiæ genere & cognitionis imbutus, multam apud principem loquendi nactus eſt libertatem, & quaſi præconio commendata religione illi quoque vtilitatis auctor fuit, neque illi ſoli, ſed omnibus etiam illius imperio ſubiectis. quæ enim ab huius doctrina didicit ille, ea tranſmittẽda ad eos curauit, qui in ſua ditione erant, impoſita lege, quæ palam iuberet, vt omnes ſibi ſubiecti Deum, quem ipſe Daniel prædicauerat,

Oſe. 6.

uerat, adorarent. Qua tempeſtate igitur Babylonem admirabilis iſte propheta, & qua de cauſa abductus fuerit, & quot bonorum non ijs modo, quibus erat cognatione coniunctus, ſed etiam barbaris fuerit auctor, breuiter diſſeruimus. ipſius vero prophetiæ vim ea interpretatione, quam ad ſingula adhibebimus, accuratius exponemus: diuina itaque implorata nobiſcum cooperante gratia, eam declarare exordiamur.

ORATIO PRIMA.

Anno tertio regni Ioacim regis Iuda venit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Hieruſalem, & obſedit eam.

Neceſſario ante alia omnia, & de rege, qui tunc regnabat mentionem fecit: & tempus eos edocuit; vt primæ captiuitatis tempus à nobis poſsit aperte cognoſci. Anno enim tertio regni Ioacim, qui Eliacim quoque dictus eſt, qui poſt Ioachaz regnauit, pater autem ipſius Ioachaz fuit is, qui Ioacim & Iechonias appellabatur; primo capta fuere Hieroſolyma; atq; hinc quòd regum, qui tũc erant, & temporum meminerit, propheticus character indicatur. ita enim alios quoq; prophetas feciſſe comperimus. Viſio, inquit, quam vidit Eſaias filius Amos in diebus Oziæ, & Ioatham, & Achaz, & Ezeciæ, qui regnauerunt in Iudæa. & factum eſt verbum Domini ad Hieremiam in diebus Ioſiæ filij Amos regis Iuda anno tertio decimo in regno eius. & Ezeciel, & alij omnes prophetæ vt plurimum hoc prophetiæ proœmio vſi ſunt. Et hoc igitur ad conuincendam Iudæorum iniquitatem, & prophetam reuera prophetam oſtendendum ſatis eſt.

Eſa. 1. Hier. 1.

Et tradidit Dominus in manu eius Ioacim regem Iuda, & de parte vaſorum domus Dei.

Vulg. La. *Et tradidit Dominus in manu eius Ioacim regem Iudæ, & partem vaſorum domus Dei.*

Hoc quoque gratiam illius ſpiritalem declarat. neque enim omnium eſt diuinam procurationem nouiſſe. hic autem diuino ſpiritu donatus & aperte nouit, & alios docet auctoris omnium rerum Dei permiſſu propter populi & regis ſcelera, ingentemq; impietatem, tum vrbem captam, tum ſacrorum vaſorum partem in hoſtium poteſtatem conceſsiſſe. & admodũ neceſſario adiecit: Dedit Dominus in manu eius regem Iuda, ne quis ſuſpicaretur proprijs viribus vſum Nabuchodonoſor vrbem Deo dicatam ſuperaſſe; omneſq; plane intelligant, propterea quod Deus eam ante tradiderit, & eam gratiam, quæ ciuitatem pridem cuſtodiebat, ademerit, idcirco ſubiectam hoſtibus fuiſſe. hoc item per Eſaiam prophetam declarans auctor omnium rerum Deus ita ait.

Eſa. 10. *Nunquid gloriabitur ſecuris ſine eo, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra ſine eo à quo trahitur?*

Vulg. La. *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur?*

Et his quidem nos admonet, ſe hominibus inferre ſupplicia, & inſtrumentis ad hoc idoneis vti. Et aſportauit, inquit, ea in terram Sennaar, in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui. Dixerit fortaſſe aliquis, curnam, cùm homines peccarint, ſancta vaſa Deo dedicata impijs hominibus tradita ſunt? verum hæc aiunt ij, quibus eſt diuinæ prouidentiæ incognita ratio. animalis enim homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi, ſpiritualis autem ſecundum diuum Apoſtolum iudicat omnia, & exploratum habet à diuina prouidentia nihil fruſtra adminiſtrari, à diuino autem ſpiritu illuſtratus etiam cauſas perdiſcit. quemadmodum tandem & id quod nunc quæritur, ab eo comprehendi poteſt, qui ſecundum ſpiritum inſtituit intelligere. hinc enim non Iudæis tantum, ſed ipſis etiam barbaris allata eſt vtilitas. primum enim docti ſunt Iudæi eiuſmodi eſſe diuinam naturam, quæ nulla re prorſus indigeat, neque enim vt indigens omnium rerum auctor Deus accipit ea, quæ ſibi ab hominibus offeruntur, ſed vt illos gratos eſſe doceat, ei ſ ſue ſui colendi, & gratiæ, quam poſſint referendæ, offerat occaſionem. qua enim alia ratione potuiſſemus pro beneficijs acceptis benemeritum de nobis Deum pro viribus remunerari, niſi hæc exigua, & tenuia ab offerentibus accepiſſet? volens itaque Iudæis perſuadere, non vt proprios vſus expleret, ſed vt illorum ſe imbecillitati accommodaret, accepiſſe ſe oblata ab illis ſacrificia, merito illos auerſatus, & ipſos & vaſa ab illis dedicata, quibus eum colere conſueuerant, vna capi voluit. nam qui ratione præditos homines ſupplicio affecerat, cur inanimis vaſis peperciſſet? His autem rebus docet eos à Babylonijs, barbaris, impijs nihil differre, æque enim atque illi impie agunt. illi enim neque accepta lege, neque conceſsis ſibi, quibus ducibus vterentur prophetis, in ignoratione degebant. Iudæi vero ab innumerabilibus tum priſcis, tum recentibus prophetis illuſtrati, & infinitorum ſpectatores ipſi miraculorum rerum omnium auctorem Deum contemnebant, & inanima ſimulachra colere perſeuerabant: tradidit itaque barbaris vaſa, tantum non rebus ipſis ita eos obiurgans, nullum inter vos barbarosq; diſcrimen eſt, æque enim & vos ſceleribus ea polluitis, & tantundem eſt & vos, & Babylonios ea poſsidere. Impietas enim & vobis & illis dominatur. Ad conuincendos Iudæos, & erudiendos, & haud mediocrem illis vtilitatem afferendam ſatis hoc erat. Babylonij autem dum in honore habuerunt, vt conſueuerant, vaſa, neque ad humanos vſus ea adhibuere, dijs quos ipſi colebant dedicata, nihil prorſus malorum experti ſunt, at vbi Baltaſar rex illis in conuiuio vti auſus eſt, ſtatim punitus debitas pœnas luit, ſuoque ſup-

1. ad Cor. 2.

ſupplicio omnes docuit,quanta illorum eſſet vaſorum vis; Deumque ipſum non inuitum ſuis rebus priuatum fuiſſe, ſed volentem propter ingentia populi ſcelera ea tradidiſſe.Hoc
1. Reg. 4. itidem de arca olim fecit, nam poſtquam Ophni, & Phinees Heli ſacerdotis filij, & impij & deteſtabiles ea ſecum aſſumpta ad ſuppetias cognatis ferendas exiere, redarguit ipſorum impietatem Deus, nullaque eos prouidentia dignatus digna cæde interficiendos curat,arcam vero alienigenis tradit,Iſraelem rurſus erudiens & commonefaciens,ea ſibi arca nihil opus eſſe, ſed ipſorum cauſa illam conſtruxiſſe. & ſuperuacaneum ipſis quoque illius vſum ſine metu diuinam violantibus legem, & impie viuere inſtituentibns. ne vero ſuperbia elati alienigenæ gloriarentur, quaſi ipſi Deum viciſſent, quando pro Deo Iudæorum arcam habebant, de ſuis idolis, quæ ipſi conſtruxerant, coniecturam facientes, néue propterea ingens illi detrimentum acciperent,vt qui Iudæorum Deum quaſi captiuum cepiſſent,& veluti quoddam victorię trophęum ſuis dijs conſecraſſent,id efficit vt Dagon idolum, quod ipſi colebant, ante arcam cadens conteratur: & adorationis ſpeciem præ ſe ferens rebus ipſis victum ſe fateatur,& incolentis ibi dæmonis oſtendat ſeruitutem: idque non ſemel, ſed iterum, ac ſæpius. diuerſas etiam plagas illis infligit,donec arcam redidere,& munera ſupplicium teſtantia dedicarunt.duplex itaque & eo tempore,& regnante Nabuchodonoſor percepta eſt vtilitas. neque enim Iudæis tantum, ſed barbaris etiam profuit,quod ad breue tempus à Deo permiſſum eſt.

Et ait rex Aſphenez principi eunuchorum ſuorum, vt introduceret de filijs captiuitatis Iſrael,& de ſemine regni,& de Parthemim iuuenes,in quibus nulla eſſet macula,pulchros aſpectu,& intelligentes in omni ſapientia,& ſcientes ſcientiam,& doctrinam, & intelligentes prudentiam,& quibus eßet robur,vt ſtarēt in domo regis,vt docereteos literas,& linguam Chaldæorum.

Vulg.La. *Et ait rex Aſphenez præpoſito eunuchorum, vt introduceret de filijs Iſrael,& de ſemine regio,& tyrannorū,pueros,in quibus nulla eßet macula,decoros forma & eruditos omni ſapientia,cautos ſcientia & doctos diſciplina, & qui poßent ſtare in palatio regis,vt docereteos literas,& linguam Chaldæorum.*

2. ad Cor. 1. Auctor igitur omnium rerum Deus ſtulta mundi elegit,& infirma,& contemptibilia,vt his ſapientes, potentesque confundat. homines autem corporum pulchritudinem & magnitudinem,ac robur requirunt,neque eam ſapientiam qua diuina cognoſcantur, ſed artificioſam & faſtu elatam eloquentiam: licet itaque hinc etiam percipere, quanto humana diuinis diſtent interuallo; hoc item regis ſuperbiam declarat,quòd nō ſolum alios captiuos ſibi miniſtros aſciſcere voluit; ſed etiam eos, qui è regio genere eſſent oriundi. attamen hic perficitur id,quod Eſaias Ezeciæ regi prædixerat.

Eſa. 39. *Audi,inquit,verbum Domini exercituum,quod locutus eſt ad me,Ecce dies veniunt,& auferentur omnia,quæ in domo tua ſunt,& quæcunque congregauerunt patres tui vſque in diem hanc,in Babylonem venient,& nihil relinquēt dixit Deus,quia & de filijs tuis,quos genueris,tollent, & facient ſpadones in domo regis Babyloniorum.*

Ecce dies venient & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt,& quæ theſaurizauerunt patres tui vſque ad hanc diem in Babylonē, non relinquetur quidquam,dicit Dominus,et de filijs tuis,qui exibunt de te, quos genueris,tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Vulg.La.

Huius nos prophetię admonens beatus Daniel,regem ait mandaſſe,vt introducerētur de captiuis filijs Iſrael, & regia ſtirpe ortis, & de Parthemim,Parthemim autem, virgines, Hebræorum lingua vocauit: at Symmachus Parthemim interpretatus eſt,electos.

Et conſtituit eis rex quotidianum cibum de menſa regis,& de vino,vnde bibebat ipſe, & vt nutrirentur tres annos, & poſtea aſtarent ipſi in conſpectu regis: & fuerunt in eis de filijs Iuda,Daniel,& Ananias, & Azarias,& Miſael.

Et conſtituit eis rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis,& de vino vnde bibebat ipſe, vt enutriti tribus annis poſtea aſtarent in conſpectu regis. fuerunt ergo inter eos de filijs Iudæ Daniel, Ananias, Miſael & Azarias. Vulg.La.

Hic igitur nos regis edocet munificentiam, qui non, vt bello captis, vilia quædam, & qualia ſeruos decent,præbuit alimenta,ſed eos regia menſa frui iuſsit:ac paulo pòſt ſuam & ſociorum continentiam,philoſophiamq; declarat,non gloriæ cupiditate id faciens, ſed vtilitatem perſequentibus vtilitatis doctrina propoſita.licet autem mētis illius intuerimo deſtiam.cùm enim ſupra dixerit imperaſſe regem, vt eligerentur è ſtirpe rege iuuenes forma conſpicui, & magnitudine decori, & hic perſonarum nomina poſuerit,tribus Iuda ſimpliciter mentionem fecit,& regiam cognationem occultauit.

Et impoſuit eis princeps eunuchorum nomina,Danieli Baltaſar, & Ananiæ Sidrach,et Miſaeli Miſach, & Azariæ Abdenago.

Et impoſuit eis præpoſitus eunuchorum nomina, Danieli Baltaſar,& Ananiæ Sidrach,& Miſaeli Miſach,& Azariæ Abdenago. Vulg.La.

Et hoc dominij ius apud quoſdā eſt in more, qui ſeruos ementes eorum mutant nomina, vt nominis mutatione ſeruitutem agnoſcant.quod hic quoque ab eunuchorum principe factum eſt; nam demptis Hebraicis nominibus, Chaldaica illis impoſuit, ſiquidem & rex iuſſerat,vt Chaldæorum linguam iuuenes illi perciperent.

Et poſuit Daniel in corde ſuo ne polluereturin menſa regis,& in vino potus eius,et rogauit principem eunuchorum ne contaminaretur.

Propoſuit autem Daniel in corde ſuo ne polluereturde menſa regis,neq; de vino potus eius, & rogauit eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur, Vulg.La.

Pij enim homines Deum, qui in omnibus eſt,non in loco quærunt, ſed quocunque peruenerint,

uenerint, eodem illum cultu venerantur, & cùm aduerſis rebus affliguntur, ſuum itidem colunt opificem. Ingens atque eximium licet hoc loco nobis reperire miraculū:pueri enim apud Iudęos educati doctique Deum in certo loco colendum, deinde externam regionem incolentes,ac ſeruire compulſi iuuenili admodum ætate,& alienis legibus viuere coacti patriam pietatem retinere accurate ſtudent. & quia videbant Babylonios idolorū imploratione opſonia inquinantes, vinū libationibus polluentes,neglecta certa ſalute, & conculcata regij cōuiuij omnium ciborum genere referti voluptate,eunuchorum præfecto ſupplicant,vt ſibi regios cibos recuſantibus, illorū expertibus eſſe concedat.

Et dedit Deus Danielem in miſericordiam & miſerationem in conſpectu principis eunuchorum.

Vulg.La. *Dedit autem Deus Danieli gratiam,& miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum.*

Sequitur enim voluntates diuina cura, & ſimulatque diuina perſequi inſtituerunt, ſtatim diuino fruūtur auxilio. Hoc item Ioſeph
Gen. 39. vſu veniſſe comperimus. Fuit,inquit, Dominus cum Ioſeph,& voti compos fuit,& effudit illi miſericordiam,& dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris. Hinc itaque docemur,eorum, qui in ipſum crediderunt, neminem vnquam aliquo pacto à Deo neglectum
Eccl. 2. & derelictum fuiſſe.quare alius quoq; prophęta exclamat; Interrogate generationes, quæ fuerunt ante vos; quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt?

Et dixit princeps eunuchorum Danieli, Timeo ego Dominum meum,regem,qui conſtituit cibum, & potum veſtrum,ne quando videat vultus veſtros triſtes præ pueris coætis veſtris,& condemnetis caput meum regi.

Vulg.La. *Et ait princeps eunuchorum ad Danielem, Timeo ego Dominum meū regem, qui conſtituit vobis cibum & potū, qui ſi viderit vultus veſtros macilētiores præ ceteris adoleſcētibus coætis veſtris,condemnabitis caput meum regi.*

Haud bonus certe principis eunuchorum metus erat, homo enim erat, qui ſpiritualem gratiam haudquaquam ſenſu ſuo guſtarat, & humano more humana conſiderans,opinatus ſolo ſumptuoſorum ciborum alimēto corpora nutriri atque floreſcere,veritus eſt,ne cùm illi opiparè alerentur, hi parcè & continenter victitarent,in eorum vultu diſcrimen aliquod appareret, & extremum ſubire ſupplicium à rege, qui contrà iuſſerat, cogeretur. ſed vbi hunc metuere animaduertit beatus Daniel, transfert ad Amelaſar deprecationem, quem conſtituit princeps eunuchorum curatorem ipſius, & Ananiæ, & Azariæ, & Miſaelis; & ait.

Tenta,obſecro,ſeruos tuos dies decem,& dent nobis de ſeminibus terræ,& comedemus,& aquam bibemus, & appareant coram te vultus noſtri, & vultus puerorum comedentium menſam regis:& ſicut videris facito cum ſeruis tuis.

Vulg.La. *Tenta nos obſecro ſeruos tuos diebus decem,& dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum,& contemplare vultus noſtros,& vultus puerorum, qui veſcuntur cibo regio,& ſicut videris facies cum ſeruis tuis.*

Fide in Deum validius nihil eſt; quod cùm multis alijs ex locis percipi poteſt, tum præcipue ex his diuini Danielis verbis. nam quòd crediderit,& confiſus fuerit fore, vt ope diuina ſubleuaretur,& non comedens comedentibus,ac delicatè viuentibus,& regio luxu potitis,magis decorus,& longe pulchrior, atque adeo maior videretur, id vero quid pietatis cuiquam reliquum fecit? rectè autem perſuaſioni preces commiſcuit.Tenta, inquit, ſeruos tuos decem dies, & dent nobis de ſeminibus, & comedemus, & aquam bibemus: & eſto tu vultuum iudex.quòd ſi inueneris ab huiuſmodi alimento corporibus noſtris detrimenti aliquid acciditſſe,quodcunque tibi viſum fuerit,iubebis, nos minime repugnabimus; tantam habuit à puero diuinus hic vir & diuinarum legum curam, & erga latorē legis fidem: & hic quidem hæc dixit. Amalaſar precibus conſenſit.

Et audiuit,inquit,eum in verbo hoc,& tētauit eos dies decem;& poſt finem decem dierum viſi ſunt vultus eorum boni,& ipſi fortes carnibus,præ pueris comedentibus menſam regis.

Qui audito ſermone huiuſcemodi tētauit eos diebus decem.poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris qui veſcebantur cibo regio. Vulg.La.

Aſſecutus eſt enim, quæ voluit diuinus iſte propheta,& pollicitationes ſuas ei, cui ipſorū cura commiſſa fuerat,veras oſtendit.diuina enim gratia potiti longe præſtantiores viſi ſunt ijs, qui regia menſa fruerentur.

Et Amelaſar auferebat cœnam eorum & vinum poculi ipſorum,dabatq; eis ſemina.

Porro Malaſar tollebat cibaria, & vinū potus eorum,dabatq; eis legumina. Vulg.La.

Et duplicem quæſtum tulit: primum enim didicit poſſe aliquem vel ieiunio corporis robur,& decorem ſibi cōparare,deinde alimenta,quę illis præbebantur ipſe accipiens,promptius eis cōcupita ſemina ſuppeditabat.Poſtea, quia Daniel de ſe ſolo diſſeruit, ſocios quoque pietatis in medium vocat,& ait.

Et pueris his quatuor dedit Deus intellectum, & prudentiam in omni litteratura & ſapientia.

Non enim Chaldæorum, inquit, inſtitutio intelligentes eos fecit,& omni ſapientia imbuit,verum diuina gratia,intelligentia,& ſapientia, atque adeo omni ſcientia impertiti, præſtantiores omnibus viſi ſunt.

Et Daniel, inquit, intellexit in omni viſione, & ſomnijs.

Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam in omni libro,& ſapientia, Danieli autem intelligentiam omnium viſionum,& ſomniorum. Vulg.La.

A puero enim quæ ſibi diuinitus reuelabātur,videbat non in ſomnis tantum, ſed etiam vigilans; & poterat, quæ alijs oſtenderentur, interpretari:hoc enim declarat illud verbum, intellexit.Hinc etiam docemur auctorem omnium rerum Deum nullam ætatis rationem habere,

habere,sed pietatem tantum,ac religionis studium requirere,qua in iuuene comperta, multis eum natu maioribus anteponit. quod erga Ioseph ipsum fecisse comperimus,nec non erga Samuelem prophetam. nam puero admodũ iuueni apparuit,& iussit seni supplicia prædicere, vt ea re & senio confectum accusaret, & gratiam in adolescentulo vigentem ostenderet. 1. Reg.3.

Et post finem dierum,quos dixit rex,vt introducerẽtur ipsi,introduxit eos princeps eunuchorum in conspectum Nabuchodonosor, & locutus est cum eis rex, & non inuenti sunt ex omnibus ipsis similes Danieli, Ananiæ, Azariæ,& Misaeli,& steterunt in conspectu regis,& in omni verbo sapientiæ,& scientiæ,quæcunque quæsiuit ab eis rex,inuenit eos decuplo præstantiores,super omnes incantatores & magos,qui erant in regno eius.

Vulg.La. *Completis itaque diebus, post quos dixerat rex vt introducerẽtur, introduxit eos præpositus eunuchorũ in conspectu Nabuchodonosor,cumq; ijs locutus fuisset rex, non sunt inuenti tales de vniuersis vt Daniel, Ananias, Misael, & Azarias,& steterunt in conspectu regis,& omne verbum sapientiæ & intellectus, quod scisciatus est ab eis rex inuenit in eis decuplum, super cunctos ariolos & magos,qui erant in vniuerso regno eius.*

Verum Amelasar nouit ciborũ discrimen, & prorsus didicit diuinæ gratiæ vim, rex vero fortasse nihil horum nouerat. quî enim cognoscere potuit, cùm æque cibos ipse suppeditaret, & illi ab Amalasar consumerentur? verumtamẽ ipse quoque haud mediocrẽ percepit vtilitatem,cùm comperisset ipsos omnibus ijs,qui ex alijs nationibus iusti fuerãt,pulchritudine & magnitudine corporis præstantiores,sapientia vero &prudẽtia animi,ac verborum eloquentia,& omni sciẽtia, quæ ratione continetur, peritiores. neque simpliciter facta collatione,sed adhibitis quibusdam interrogationibus experientiam cepit veritatis magistram, ipsosq; inuenit haud simpliciter, sed decem partibus meliores, & tum didicit esse Iudæos alijs omnibus nationibus sapientiores.his dictis subiecit.

Et fuit Daniel vsque ad annum vnum Cyri regis.

Vulg.La. *Fuit autem Daniel vsque ad annum primum Cyri regis.*

Non sine causa hoc adiecit, sed quia voluit omnis prophetiæ tempus indicare. & iccirco nos & prophetiæ principium edocuit,& finem ipsius addidit,vt regum,qui interceſſere, annos recensentes,omne prophetiæ tempus ediscamus,ad hæc nobis ostẽdit,vt captiuos à Cyro dimissos conspexit,& præsentem vitam tribulium suorum libertate,quã ipse vidit, consolatus est:ipso enim sui regni anno primo Iudæos, quicunque vellent, in Iudæam reuerti iussit Cyrus, sacrumq; templum instaurauit, prædictionem Esaiæ prophetæ ab ipso beato Daniele perdoctus:ille enim aperte exclamabat his verbis:

Esa.44. *Dicens Hierusalem ædificaberis, & ciuitatibus Iudææ habitabimini,dicens Cyro vt sapiat, & omnes vo-*
Esa.45. *luntates meas faciat:Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram,vt subijciam ante ipsum gentes, & ciuitates non claudentur, ego enim præibo ante faciem tuam, & montes complanabo, portas æreas conteram,& vectes ferreos confringam, thesauros tenebrosos, absconditos visibiles aperiam tibi.*

Vulg.La. *Qui dico Hierusalem habitaberis, & ciuitatibus Iudæ ædificabimini, qui dico Cyro pastor meus, & omnem voluntatem meam complebis. hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam & aperiam corã eo ianuas, & portæ non claudentur,ego anteibo & gloriosos terræ humiliabo,portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos,& arcana secretorum.*

His perceptis Cyrus volentibus Iudæis reditum in patriam gratificatus est:& liber item Paralipomenon hoc tempus nos edocet.

Anno enim primo, inquit, Cyri regis Persarũ post- 2. Para.36.
quam impleta est verbum Domini per os Hieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum,& iussit Cyrus prædicari in omni regno suo in sermonibus scripturæ dicens.Hæc dicit Cyrus rex Persarum.Omnia regna terræ dedit mihi Dominus cœli,& ipse præcepit mihi,vt ædificarem ei domũ in Hierusalem, quæ est in Iudæa; quis in vobis ex omni populo eius, Dominus Deus sit cum eo,& ascendat.

Vulg.La. *Anno autem primo Cyri regis Persarum ad explen dum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ,suscitauit Dominus spiritũ Cyri regis Persarum qui iussit prædicari in vniuerso regno suo etiam per scripturam dicens.hæc dicit Cyrus rex Persarum, omnia regna terræ dedit mihi dominus Deus cœli,& ipse præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Hierusalem,quæ est in Iudæa,quis ex vobis est in omni populo eius,sit dominus Deus eius cum eo,& ascendat.*

Hac de causa beatus etiam Daniel prophetiæ tempus tradens Iudæorum voluminibus ascripsit.fuit Daniel vsque ad annum vnũ Cyri regis. nos vero hic iusso auditore quiescere, bonum celebrabimus Dominum percutientem & sanantem, flagro cædentem, & medentem,pœna & clementia vtentem. ipsi gloria in sæcula sæculorum Amen.

ORATIO II.

In anno secũdo Nabuchodonosor somniauit Nabuchodonosor somnium, & stupefactus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.

Vulg.La. *In anno secũdo regni Nabuchodonosor,vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnium fugit ab eo.*

Hinc intelligimus ipsum statim, simulatque regnare cœpisset,in Iudæam cum exercitu profectum, anno tertio regni Ioacim: cui cum tributum imperasset captiuis abductis in Assyriorum regionem discessit. Hieremias item propheta testatur hoc tempus, cùm ita dicit.

Hier.25. *Verbum,quod factum est ad Hieremiã prophetam super omnem populum Iuda in anno quarto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis.*

Vulg.La. *Verbum quod factum est ad Hieremiam de omni populo Iudæ in anno quarto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda,ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis.*

Hic itaque comperimus tertio exacto anno regni Ioacim, regem Nabuchodonosor cõtra Iudæos exercitum duxisse. anni vero quarti initio Hieremias propheta populum commonefaciens hunc esse asseruit annum primum Nabuchodonosor regis. Beatus quoq; Daniel,commemorata prima captiuitate, qua capti sunt Iudæi anno tertio regni Ioacim regis Iuda, subiecit nunc, In anno secundo regni Nabuchodonosor somniauit somnium:& hęc addidit,non sine causa,sed vt etiã tempus vere perciperemus. idcirco diuini quoque prophetæ regum mentione facta annorum numerum describunt.

In anno itaq; secundo regni Nabuchodonosor somniauit somniũ & stupefactus est spiritus eius, & somnium fugit ab eo,& dixit rex,vt conuocarentur incantatores,& magi, & malefici, & Chaldæi, vt annuntiarent regi somnium eius.

Vulg.La. *Præcepit autem rex vt conuocarentur arioli, & magi,& malefici,& Chaldæi,vt indicarent regi somnia sua.*

Diuina igitur prouidentia ijs, qui mentis compotes sunt,perspicua:qui cùm vellet ab amico suo propheta somnium illius patefieri, vt inde bonas ac salubres acciperet admonitiones, somnio ipsum deterret, somnijq; admit recordationem. verum quemadmodum auctoris omnium rerum Dei prouidẽtia perspicua fuit, ita pijs omnibus cognita est etiam regis insania. quo modo enim non extremæ dementiæ est ex alijs quærere somnij recordationem? verumtamen

Vocati,inquit,venerunt & steterunt coram rege, & dixit eis rex. somniaui somnium,& stupefactus est spiritus meus,vt scirem somnium.& locuti sunt Chaldæi regi Syriace,et dixerunt regi.rex in sæculum viue: tu dic somnium seruis tuis, & coniecturam eius annuntiabimus.

Vulg.La. *Qui cum venissent steterunt coram rege & dixit ad eos rex. vidi somnium, & mente confusus ignoro quid viderim. respondentq; Chaldæi regi Syriacè, rex in sempiternum viue,dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.*

Et quod petierunt, id reuera rei consentaneum erat,sed eorum promissum arrogãs:neque enim humani ingenij erat quæ diuinitus reuelata fuerant absq; auxilio supernæ virtutis interpretari. & Syriacè locuti sunt Chaldæi,vt qui,cùm ex diuersis nationibus coacti essent,ac propriam singuli linguam haberẽt, communiter tamen Syrorum lingua vterentur, studentes ostendere se conuenienter respondere. verum ne sic quidem superbo regi persuaserunt, ea ne ab hominibus requireret, quæ essent præter naturam.

Respondit enim statim rex,& dixit Chaldæis, Sermo recessit à me:si igitur non indicaueritis mihi somnium,& coniecturam eius, in interitum eritis, & domus vestræ diripientur: si autem somnium & coniecturam eius indicaueritis mihi, dona & munera, & honorem multum accipietis à me,verumtamen somnium & coniecturam eius annuntiate mihi.

Et respondens rex ait Chaldæis, Sermo recessit à Vulg.La.
me, nisi indicaueritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur; si autem somnium,& coniecturam eius narraueritis, præmia & dona & honorem multum accipietis à me. somnium igitur,& interpretationem eius indicate mihi.

Hæc autem non solum ipsius temeritatem ac feritatem,sed etiam summã stultitiam indicant: extremæ enim dementiæ est opinari vel comminatione malorum, vel bonorum pollicitatione, maiorem in Chaldæis cognitionem ingeneratum iri.statim itaque illi ipsi dixerunt.dic somnium tuum seruis tuis,& coniecturam eius renuntiabimus; seruitutem enim fatemur, aiunt, verum etiam humani ingenij vires nouimus,& poterimus, si percipiamus,interpretari somnium,at ipsum commemorare,quod tibi ostensum est,ac deinde à te obliuioni traditum,nequaquã possumus. Sed nihilominus vanus ille instabat quærere somnij repetitionem. respondit enim rex, inquit, & dixit.

In veritate scio,quòd tempus vos redimitis,quia videtis, quod discessit à me verbum. Si igitur somnium non renuntiaueritis mihi,vna est sententia de vobis,et scio quòd verbum mendax, & corruptum composuistis, vt dicatis coram me, donec tẽpus prætereat.somnium meum dicite mihi,& sciam quia et coniecturam eius renuntiabitis mihi.

Respondit̃q; rex & ait, certe noui quòd tempus re- Vulg.La.
dimitis,sciẽtes quid recesserit à me sermo.si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia,quòd interpretationem quoque fallacem,& deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. somnium itaque dicite mihi, vt sciam quòd interpretationem quoque eius veram loquamini.

Horum verborum procax quidem & insana est efflagatio, sed accusatio admodũ vera, vultis enim somniũ,inquit,percipere,vt communiter falsam quandam interpretationem commenti me vsitato more decipiatis, auxilio vobis temporis lõgitudinem accersentes, ac tempus euentus expectantes. His auditis Chaldęi,qui,vt par erat,maiorem apud ipsum cæteris obtinebant loquendi libertatem, in reliquum definite cum eo disserunt, ac prorsus negant somnium commemorari posse.

Non est enim,dixerunt,homo super terram,qui possit indicare regi,quia rex magnus & princeps verbum tale non interrogat omnem magum & Chaldæum, quia sermo quem rex interrogat grauis, & alius non est qui renuntiet eum coram rege,nisi dij,quorum non est habitatio cum omni carne.

Non est homo super terram qui sermonem tuũ rex Vulg.La.
possit implere,sed neque regum quisquam magnus,& potens verbum huiusce modi scisciatur ab omni ariolo,& mago,& Chaldæo, sermo enim quem tu quæris rex grauis est,nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis, exceptis dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio.

Quare, non licet ita fieri, quemadmodum

petis, humana aiunt à nobis requirito, nõ ea quæ sint supra naturã, omnium siquidẽ maxime regibus cõuenit iuste regnum administrare, & ea quæ fieri possint à subiectis requirere. quæ vero nunc postulas, haud iuste postulas, neque enim hominum, qui carne circundati sint, huiuscemodi est cognitio, sed naturæ illius, quæ corporis expers cùm sit, omnia perfecte cognoscit. Hæc igitur à Chaldæis fuere dicta, & ipsius Danielis præparabatur declaratio: Cùm enim dixissent illi non esse hominum sed Deorum hęc cognoscere, diuinus Daniel regem somnij admonet, & accurate admodum atque aperte illud interpretatur, docetque regem, talem cognitionem non esse hominum qui in terris incedant, quin etiam neque Deorum, qui non sint, sed Dei illius qui condidit vniuersa; verum vnumquodque horum suo loco conuenienter interpretabimur.

Tunc, inquit, rex in furore multo, & ira dixit, perdere omnes sapientes Babylonis, & sententia egressa est, & sapientes interficiebantur, & quæsierunt Danielem, & amicos eius vt interficerent.

Vulg.La. *Quo audito rex in furore & in ira magna præcepit vt perirent omnes sapientes Babylonis, & egressa sententia sapientes interficiebantur, quærebanturq; Daniel & socij eius, vt perirent.*

Tyrannicus, & non regius conatus, apertissime iniustus, expersque iustitiæ, siquidem arrogantia & superbia facultatem nacta subiectis Iudæis perniciem machinatur. Cæterum sanctissimus Daniel iniustam hanc cædẽ conspicatus, de Arioch, cui crudelissima ista nex commissa fuerat, percontatur his verbis.

Princeps regis, quæ de causa impudens hæc sententia egressa est à facie regis?

Vulg.La. *Et interrogauit eum, qui à rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia à facie regis esset egressa?*

Ignorabat enim, vt videtur, vtpote qui in cœtum sapientum Babylonis non aduocatus fuisset. nondum enim tres anni illi præterierant, quibus eos regio cibo nutritos, constituto postmodum tempore ad se iusserat Babylonium rex introduci. quòd si antea narrauit eos ingressos fuisse, & alijs prælatos, vt qui præstantiores visi sint, nemo miretur. cùm enim vellet narrationem illã absoluere, omnia quæ tunc accidere, aperte docuit, deinde rursus ad ea narranda redit, quę interiecto tempore gesta sunt. nondum enim illos apud regem obtinuisse libertatem loquendi, quando Babylonis sapientes coegit, iniustæ cædis ignoratio testatur. hanc enim causam ignorans Arioch interrogabat. & vbi didicit, audacter cum rege collocutus, ab ipso petit exiguum sibi tem poris spatium dari ad somnium inquirẽdum, illiusque interpretationem indagandam. tum docet nos qua ratione ea inuenerit, non gloriæ cupiditate, sed vt ad simile studium nos prouocet.

Ingressus est, inquit, Daniel in domum suam, & Ananiæ & Azariæ, & Misaeli amicis suis indicauit verbum, & quærebãt miserationes à Deo cœli, super mysterio hoc, vt non perirent Daniel, & amici eius cum reliquis sapientibus Babylonis.

Et ingressus est domum suam, Ananiaq;, et Misaeli Vulg.La. *& Azariæ, socijs suis, indicauit negotiũ, vt quærerent misericordiam à facie Dei cœli, super sacramento isto, & non perirent Daniel, & socij eius, cum cæteris sapientibus Babylonis.*

Inter veritatem ac mendacium reuera multum interest, nam mendacij opifices à diuina societate deserti, folisq; humanis rationibus à pietate vacuis innitentes omnia tũ dicunt, tũ faciunt, vt homines seducant, at veritatis alumni absq; superno auxilio nihil neque dicere, neque facere sustinent, sed petitiones suas ad eam, quę omnia intuetur, prouidentiam referentes, immobiles permanent, nusquam exagitati, neque huc atque illuc circumlati, immo ab humanarum commentationum tempestate incolumes, quod diuinus Daniel testatur, qui cùm ad inquirẽdum somnium exiguum sibi tempus dari petijsset, non incassum illud in ratiocinando, sed in precibus ac supplicationibus cõsumpsit, haud se solo fretus, sed similibus quoque sui æqualibus ad communiter supplicandum ascitis. neq; eum spes fefellit.

Tunc inquit Danieli in visione noctis mysteriũ reuelatum est, & benedixit Daniel Deum cœli & dixit, sit nomen Domini Dei benedictum à sæculo & vsque in sæculum, quia sapientia & intellectus eius est, & ipse mutat tẽpora & annos, constituit reges, & transfert, dans sapientiam sapientibus, & prudentiam scientibus intellectum, ipse reuelat profunda & abscondita, cognoscens ea quæ in tenebris sunt, & lumen cum eo est.

Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reue- Vulg.La. *latum est, & benedixit Daniel Deum cœli, & locutus ait, sit nomen Domini benedictum à sæculo & vsque in sæculum, quia sapientia, & fortitudo eius sunt, & ipse mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit, dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam, ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux cum eo est.*

In omnibus propriam grati animi præ se fert probitatem, hymnumque connectit non simpliciter, sed illius connectendi argumentum nactus somnij ipsius inuentionem. Decet enim, inquit, perpetuũ ac sempiternum Deum continenter celebrare sapientiæ & intelligentiæ fontem, recte & probe omnia moderantem, rerumque mutationibus arguentem humanæ tranquillitatis inconstantiam, omnibusque suam aperte potentiam indicantem, quippe reges creans rursus ipsos regno facile abdicat, tribuensque potestatem, eandẽ, cùm vult, adimit: sapientiamq; ac prudentiam ipse suppeditat, quam tamẽ haud temere impertitur, sed ijs qui illius cognoscendi studio tenentur, reuelatq;, quibus ei visum est, ea, quæ nusquam apparent, sed veluti quodam profundo occultantur, cùm nondum facta sint, & lumen cùm sit, quod mente percipitur, lucem habitans inaccesibilem, quę in tenebris geruntur, omnia perfecte cognoscit.

Quare

Quare tibi Deus patrum meorum confiteor, & laudo quia sapientiam & virtutem dedisti mihi, & nunc indicasti mihi, quæ rogauimus à te, quia visionem regis notam fecisti mihi, vt indicarem regi hæc.

Vulg.La. *Tibi Deus patrum nostrorum confiteor, teq; laudo quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi, & dedisti mihi, & nunc ostendisti mihi quæ rogauimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.*

Tales piorum animæ, Deum agnoscentes illum esse, qui ad necessarios vsus opportuna subministrat, & ad eius portus confugientes, ac post suppeditata bona haud sustinentes beneficiorum memoriam obliuione delere, verum laudes de se bene merito Deo reddẽtes. operæpretium est autem diuini huius viri notare modestiam: nam & precibus petens, socios obsecrationis sibi similes ascisuit, & pro ijs, quæ consecutus erat, laudem contexens, rursus eorum mentionem fecit: neque enim dixit indicasti mihi, quæ petij re, sed quæ rogauimus à te. ita absoluta diuina laude.

Et statim venit, inquit, Daniel ad Arioch, quẽ constituit rex, vt perderet sapientes Babylonis, & dixit ei, Sapientes Babylonis ne perdas, introduc autem me in conspectu regis, & coniecturam visionis annuntiabo regi.

Vulg.La. *Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex vt perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est. Sapientes Babylonis ne perdas, introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo.*

Hæc quoque misericordia prophetam decet. neque enim tulit solus cum amicis ab iniusta cæde liberari, sed etiam Chaldæis incolumitatem molitur, hoc miraculo confidens eos ab impietate ad omnium rerũ auctorem Deum se abducturum.

His auditis, Arioch cũ festinatione introduxit Danielem in conspectu regis, & dixit ei, inueni virum de filijs captiuitatis Iudææ, qui coniecturam regi annuntiabit.

Vulg.La. *Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem & dixit ei, inueni hominem de filijs transmigrationis Iudæ, qui solutionem regi annuntiet.*

Rursus hinc nobis perspicuum factum est, à rege nondum de Danielis virtute factum fuisse periculum. neque enim si cognitus ille fuisset, haud definite dixisset Arioch, inueni virum de filijs captiuitatis Iudææ qui coniecturam regi annuntiabit.

Rex autem admodum lætus dixit Danieli, cuius nomen Baltasar, an potes renuntiare somnium quod vidi, & coniecturam eius?

Vulg.La. *Respondit rex & dixit Danieli cuius nomen erat Baltasar, putasne vere potes indicare mihi somnium quod vidi, & interpretationem eius?*

Hoc quoque animaduertendum est, vt se ipsum non semper Baltasar appellat, sed quando cum rege, qui sibi nomẽ illud imposuerat, colloquitur. verumtamẽ interrogatus an posset & somnium & interpretationem renuntiare regi, ita respondit.

Mysterium quod rex interrogat, non est sapientum, magorum, incantatorum, aruspicum annuntiare regi, sed est Deus in cœlo reuelans mysteria.

Vulg.La. *Et respondens Daniel coram rege ait. Mysterium quod rex interrogat sapientes, magi, & arioli, & aruspices nequeunt indicare regi, sed est Deus in cœlo reuelans mysteria.*

Admirabiliter doctrinę fecit initium: eiecto enim insipientium illorum choro, eorumque detecta imbecillitate, Deũ esse asseruit arcana reuelandi magistrum, & adiecit, in cœlo, ijs dijs, qui deorsum versantes colerentur, eiectis, & singulari quidem nomine deorum, qui nõ sunt, expellit multitudinem, eo vero, quòd in cœlo degere ipsum dixit, eos qui deorsum viderentur, non esse Deos ostendit; sed fraudem ab humano artificio profectam.

Hic Deus indicauit Nabuchodonosor, quæ oportet fieri in nouissimis diebus.

Qui indicabit tibi rex Nabuchodonosor quæ ventu- Vulg.La. *ra sunt in nouissimis temporibus.*

Ita exorsus rursus benigne appellando sibi ad audiendum regis beneuolentiam concilIat, rex, inquit, in sæcula viue. nam, quia somnium dicturus est, & interpretationẽ allaturus, ipsique regni euersionẽ prædicturus ita præfatur, cupio ego animo meo in perpetuum viuere te, ne itaque mihi adscripseris, quod tibi per somnium declaratur. tum ait.

Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo ascenderunt, hoc est, rex, pro ijs, quæ nocte vidisti, hæc sunt, cogitationes tuæ in cubili tuo ascenderunt, quæ oportet fieri post hæc.

Somnium tuum & visiones capitis tui in cubili tuo, Vulg.La. *huiuscemodi sunt: tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc, & qui reuelat mysteria ostendit tibi quæ uentura sunt.*

Cogitabas, inquit, in lecto cubans an semper victurus esses, an vero humanę naturę lege moriturus, cupiebasq; ea, quæ nondum accidere, cognoscere. & is qui arcana reuelat, indicauit tibi, quæ oporteat euenire. vbique autem vnum Deum prædicat, vt multitudinis deorum excludat errorẽ; deinde mentis quoque suæ modestiam præ se ferens ait.

Et mihi non in sapientia, quæ est in me præter omnes viuentes, mysterium, hoc reuelatum est, sed ideo vt cõiecturam regi indicarem, & vt cognoscas cogitationes cordis tui.

Mihi quoque non in sapientia quæ est in me plus- Vulg.La. *quam in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est, sed vt interpretatio regi manifestaretur, & cogitationes mentis tuæ scires.*

Assecutus, inquit, sum, vt hoc mihi reuelaretur, non quia sim sapientior omnibus hominibus, sed vt tu cognoscas, quæ discere concupisti, meque vt proprio famulo huius cognitionis Deus vsus est ministro. exorditur itaque narrare, ac primum ipsum affert somnium.

Tu rex videbas, & ecce imago vna, multa, imago illa magna & facies eius eleuata stans à facie tua, & visio eius terribilis, imago cuius caput auri puri, manus, & pectus, & brachia eius argentea, venter & femoraærea, & tibiæ ferreæ, pedes pars quædam ferrea, & pars quædam fictilis.

Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis, Vulg.La. *statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te & intuitus eius erat terribilis. huius statuæ caput*

ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.

Quadruplicem materiam per prædicta ſignificauit, aurum, argentum, æs, ferrum, nam teſtam haud per ſe, ſed ferro cõmiſtam dixit, atque per hæc maxima, latiſsimeque patentia regna declarat, quæ cùm ſibi deinceps ſucceſſiſſent, maximam orbis terrarum partem obtinuere. alia enim regna viguiſſe, & in præſenti vigere perſpicuum eſt, non tamen omnibus, aut pluribus, ſed vni aut duabus ſolum nationibus imperantia licet videre. primum itaque omnium fuiſſe Aſſyriorum aſſerit imperium, quod idem eſt, ac Babyloniorũ, Aſſyrij enim & hi, & illi, ſed alias in Nino, quę apud Hebręos Nineue vocatur, alias in Babylone regiam obtinuere, & vnum horum atque illorum regnum eſſe etiam ipſe propheta teſtatur, qui ſomnium interpretans ait, caput aureum tu es
Hier. 25. rex. & beatus item Hieremias propheta, calix, inquit, aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes, ideo commotæ ſunt, & ſubito cecidit Babylon, & contrita eſt; quòd ſi aliud ab hoc fuiſſet Aſſyriorum regnum ipſo antiquius, quænam materia vocari poſſet? teſtatur item
Gen. 10. ſanctiſsimus Moyſes hæc ita ſe habere. qui cùm in creatione mundi de Nembroth dixiſſet, fuiſſe illum gigantem venatorem coram Domino, ſubiecit, & fuit principium regni eius Babylon, Orech, & Chalane. externi quoque ſcriptores Babylonios Aſſyrios appellãt, & vſque adhuc Aſſyriam ipſam Perſæ nominant. igitur prima materia, quæ aurum eſt, Aſſyriorum & Babyloniorũ ſignificat regnum; ipſumque caput appellat, vtpote quod primum fuerit, altera autem, id eſt argẽtum, Perſarum regnum eſt & Medorum, Cyrus enim vtrinque profectus, & materno genere à Medis, paterno à Perſis oriundus Aſſyriorum ſiue Babyloniorum regnum euerſum tranſtulit ad Perſas. pectuſq; ipſum vocauit & brachia, vt oſtendat cum duabus gentibus cognationem. per dexteram enim paternum, per ſiniſtram maternum ſignificat genus, quarũ coniunctio pectori commiſſa eſt cor ipſum rationum penu continenti, ratione autem commercia quoque nuptialia perficiuntur. æs vero Macedonicum regnum nuncupauit, quod poſt deletum Perſicum omnibus quoque ſimiliter imperauit: ventremque ipſi ac femora attribuit, per ventrem Alexandri ſolum principatum ſignificans, per femora eam, quæ poſt ipſius obitum facta eſt regni diuiſio; ferrum autem Romanum appellauit regnum, quod Macedonicum excepit, ipſique tibias aſſignauit, vtpote quæ ad finem totius corporis ſitæ totum etiam corpus ferre valeant, pedumque baſes & ipſas ferreas, ſed teſtæ commiſtas; & hac re non aliud innuit regnum, ſed ipſum ſe ipſo imbecillius futurum, & teſtæ imbecillitati commiſtum; & materiæ differentiam apposuit, non vt honoris, ſed vt virium diſcrimen oſtenderet, auro enim denſius eſt argentum, argento æs ſolidius, at ferrum etiam ipſo ære multis partibus robuſtius. differentia itaque non in honore, ſed in viribus, potentiaque conſiſtit. illud autem neceſſario quærendum eſt, qua de cauſa in imagine multiplicis huiuſce materiæ vidit compoſitionem. nihil enim temere neque fruſtra ab auctore omnium rerum Deo reuelatur. imago figuras, ſed non res habet. talis eſt & præſens vita, quæ nihil habet perpetuum, neque ſtabile. quare
1. ad Cor. 7. beatus quoque Paulus exclamabat, quia præterit figura huius mundi: & alio loco præcipiens, nolite, inquit, conformari huic ſæ-
ad Rom. 12. culo. & beatus Dauid humanæ tranquillitatis arguens vanitatem, verumtamen, inquit,
Pſal. 38. vniuerſa vanitas omnis homo viuens. verumtamen in imagine pertranſit homo, theſaurizat & ignorat, cui congregabit ea. quando itaque præſens etiam vita celerrimas habet mutationes, mortalia enim omnia quæ videntur, ad exiguum tempus permanentia fluxa ſunt, & caduca, & imago rerum vim haud continet, ſed ſolas regum ac principum, illisque ſubiectorum figuras oſtendit. ad hæc ipſa quoque figura facillime diſſolui poteſt, merito rerum omniũ auctor Deus, qui ſuperbum regem illum docere voluit, quanta ſit humani ſupercilij vanitas, & quàm facillimam habeant res humanæ mutationem, erudire, imaginem ipſi in ſomnis proponit, eiusque partes multiplici materia diſtinguit, crebras regum edocens alius poſt alium ſucceſsiones, omnibusque perſuadens ſe ſolum perpetuo imperio potiri, regnumque & principio & fine carens, & omnino ſempiternũ obtinere. his beatus Daniel ſubijciens reliqua ſomnij proſequitur.

Videbas donec abſciſſus eſt lapis à monte ſine manibus. & percuſſit imaginem ſuper pedes ferreos, & fictiles, & cõminuit eos in finem, tunc comminuta ſunt omnino, ferrum, teſta, æs, argentum, aurum, & facta ſunt quaſi puluis ab area æſtiua, & extulit ea multitudo venti, & omnis locus non eſt inuentus in illis, & lapis qui percuſſit imaginem factus eſt in montem magnum, & impleuit omnem terram.

Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine Vulg. La.
manibus & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, et fictilibus, & comminuit eos, tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurũ, & redacta quaſi in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nullusq; locus inuentus eſt eis, lapis autem qui percuſserat ſtatuam factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.

Talis eſt ſomnij finis. Decet autẽ nos ab extremis interpretationem exordiri. quæremus itaque prius, quiſnam ſit hic, qui lapis appellatur, & qui prius paruus viſus, mox maximus euaſit, & orbem terrarum contexit. igitur audiamus ipſum Deum per Eſaiam prophetam dicentem.

Ecce pono in Sion lapidem pretioſum, ſummo an- Eſa. 28.
gularem, pretioſum electum, in fundamenta eius, & omnis qui credit in ipſum non confundetur.

Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, la- Vulg. La.
pidem

pidem probatum angularem pretioſum in fundamento fundatum, qui crediderit non feſtinet.

Audiamus item beatum Dauid prædicentem & clamantem, lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus eſt in caput angu-
Pſal. 117. li. & hoc teſtimonium etiam ipſe Dominus
Matth. 21. Chriſtus in ſacris euangelijs protulit Iudæis. non legiſtis inquit lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in
Act. 4. oculis noſtris. & beatus item Petrus apud Iudæos concionem habens adducta in medium Domini prophetia, hic eſt, inquit, lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus
Ad Eph. 2. eſt in caput anguli. & beatus quoque Paulus, ſuperædificati, inquit, ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo an-
1. ad Cor. 3. gulari lapide Chriſto Ieſu. & alibi, fundamentum, inquit, aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.
1. ad Cor. 10. ac rurſus, bibebant, inquit, de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Docemur igitur tum à veteri tum à nouo teſtamento Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ appellatum fuiſſe lapidem. hic enim excíſus eſt à mõte ſine manibus, natus de virgine abſque nuptiali commercio: conſueuitque ſæpe
Eſa. 51. ortum præter naturam lapidis exciſionem diuina ſcriptura nuncupare. Iudęis enim in memoriam redigens Eſaias eam filij procreationem, quæ præter naturam Abraam conceſſa fuit, inſpicite, aiebat, in ſolidam petrã, ex qua exciſi eſtis. igitur mons quidem Dauidica tribus eſt, lapis autem Chriſtus, qui, quantum ad humanitatem attinet, non ſecundum naturæ legem exciſus eſt. hic autem cùm paruus olim videretur, propter eam, quam induerat naturam, confeſtim maximum ſe montem oſtẽdit, qui vniuerſum compleuit orbem terrarum.
Eſa. 11. *Repleta eſt enim vniuerſa terra ſcientia Domini,*
Vulg. La. *ſicut aqua multa operiet maria.*

Quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientis.

Hic percutiet imãginem ſuper pedes fictiles ac ferreos, hoc eſt, nouiſsimo quoque regno finem imponet, ipſumque demolietur, ac delebit. neque enim aliud ipſum excipiet regnum, verum ipſe ſuum nudabit, & omnibus patefaciet: illorumque omnium regnorum ipſam quoque memoriam pulueris inſtar delebit, qui in area partus à vento diſſipatur. ita omni ſomnio regi indicato, ſubiecit.

Hoc eſt ſomnium, & coniecturam eius dicemus coram rege.

Vulg. La. *Hoc eſt ſomnium, interpretationem quoque eius dicemus coram tibi rex.*

Tu rex regum. non adulans hoc dixit, ſed conſuetæ vſus eſt appellatione, etenim in omnes qui tunc gentibus imperabant, regesque appellabantur, imperiũ obtinebat. tu, inquit, rex regum, cuius Deus cœli regnum forte, ac validum & glorioſum dedit in omni loco: nõ enim humanis viribus omnibus ſuperior euaſiſti, ſed quia Deus ſupercœleſte regnum obtinens, iſtam tibi conceſsit poteſtatem, vt omnibus hominibus qui vſquam gentium degũt imperares, eorumque rex eſſes. beſtiasque agri, & volatilia cœli dedit in manu tua, & conſtituit te Dominum omnium: & beſtias vocat magis ferino more viuentes barbaros, volatilia autem prudentia prẽditos, & alijs hominibus præſtantiores, & ad excelſa ſe cogitatione erigentes: horum, inquit, omnium te regem declarauit. Tu itaque es caput aureum, hoc eſt tuum regnum, neque enim de perſona, ſed de ipſo regno loquitur, ſiquidem poſt obitum ipſius Euilad Marodach Babyloniorum regno potitus eſt, cui Baltaſar ſucceſsit. quòd ſi de ipſa perſona locutus dixit, tu es caput aureum, quo modo illud intelligemus, poſt te ſurget regnum aliud, minus te? neque enim filiorum ipſius regnum indicat, ſed Perſicum. caput igitur aureum, non ipſe Nabuchodonoſor eſt, ſed omne Aſſyriorum ſiue Babyloniorum regnum. & poſt te ſurget regnum aliud minus te, Perſicum ſcilicet, quod minus vocat, non vt imbecillius, ſed vt ſecundum: & tertium regnum quod eſt æs, quod dominabitur omni terræ.

Tu rex regum es, & Deus cœli regnum & fortitu- Vulg. La.
dinem & imperium & gloriam dedit tibi & omnia in quibus habitant filij hominum & beſtiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit, tu es ergo caput aureum, & poſt te conſurget regnum aliud minus te, argenteum, & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuerſæ terræ.

Macedonicum intelligit: Alexãder autem Philippi dominatus eſt omni terræ, duodecim regni ſui annis omnibus hominibus in ſuam ditionem redactis.

Et regnum quartum erit ſorte, quaſi ferrũ. quem-
admodum enim ferrum comminuit & domat omnia, ita comminuet omnia & domabit.

Et regnum quartum erit velut ferrum. quo modo Vulg. La.
ferrum comminuit & domat omnia, ſic comminuet & conteret omnia hæc.

De Romano regno loquitur, quod robuſtiſsimũ fuit, omnesque nationes, vt ita dixerim, ſuperauit, & ab omnibus tributũ ac vectigal exegit. illud enim, comminuet, idcirco aſcripſit, vt hoc ſignificaret, & illud domabit, vt indicaret, obedientiam, & ordinem, ac legitimam reipub. adminiſtrationem.

Et quia vidiſti pedes & digitos partem quandã fer-
ream, partem autem quandam fictilem, regnum aliud diuiſum erit, & à radice ferri erit in eo, quemadmodum vidiſti ferrum commiſtum teſtæ luteæ.

Porro quia vidiſti pedum & digitorum partem te- Vulg. La.
ſteam figuli, & partem ferream, regnum diuiſum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, ſecundum quod vidiſti ferrum miſtum teſtæ ex luto, & digitos pedum ex parte ferreos & ex parte ſictiles, ex parte regnum erit ſolidum & ex parte contritum.

Aliud, non ſecundũ genus dixit, ſed ſecundum virium qualitatem: ſi enim ſecundum genus aliud dixiſſet, quintum ipſum appellaſſet, ſicut item tertium & quartum antea dixit. quia vero nouerat regni ferrei extrema imbecilliora fore, adiecit, aliud, propter imbecil-

litatem,idque iure optimo, ſupra enim longe robuſtiſsimum ipſum oſtendit. talia enim ipſius initia fuere; verumtamen ne extremas quidem ipſius partes prorſus imbecilles aſſerit futuras.

A radice enim ferri, inquit, erit in eo, quē admodum vidisti ferrum commistum testæ luteæ, commisti erūt in semine hominum, & digiti pedum pars quidē quædam ferri, pars autem quædam testæ.

Vulg. La. *Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, cōmiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.*

Ne hoc quidem noſtræ indiget interpretationis, ipſe enim propheta interpretans, pars quædam, inquit, regni, erit fortis, & ab ea erit contritum. His adijcit. & quia vidiſti ferrum commiſtum teſtæ luteæ, commiſti erunt in ſemine hominum. & hoc maxime indicat non aliud regnum hoc eſſe à regno ferreo, ſed idem imbecillius affectum, & partem quādam ipſius robuſtam, partem imbecillem, attamen ius cognationis imbecillem partem cum robuſta coniunget. illud enim, commiſti erunt in ſemine hominum, hoc ſignificat, cōſortio inquit quædam erit, & ius connubij inter hos & illos. verumtamen diſcordia cognationis iura peruertet. non enim erunt adhærentes, inquit, hic cum hoc, ſicuti ferrum non miſcetur teſtæ. nos igitur in hanc ſententiam diuini Danielis interpretationem intelleximus. decet etiam quorundam eorum, qui ante nos interpretati ſunt, opiniones in medium addu cere, ita enim euidentius veritas patefiet. quidam itaque ſcriptores quartum regnum, hoc eſt ferrum, dixerunt, Alexandrum Macedonem eſſe, pedesque ac pedum digitos ex ferro & teſta cōpoſitos Macedonas, qui poſt ipſum regnarunt, Ptolemæos, & Seleucos, & Antiochos, & Demetrios, quorum alij imbecillius, alij admodum viriliter imperio potiti ſunt. oportebat autem ipſos animaduertere, primū, ipſum dixiſſe, caput aureum eſſe Nabuchodonoſor, hoc eſt Babyloniorum, ſiue Aſſyriorum regnum: quod eodem tempore à Perſarum & Medorum regno exceptum eſt; Cyrus enim ab vtraque gente oriundus erat, & his atque illis imperans Babyloniorum euerſo regno Perſis dominatus eſt, regnum vero Perſarum, quod ſecundum fuit, Alexander Macedo demolitur, quem etiam beatus Daniel dominatū eſſe dixit vniuerſæ terræ. hoc regnum tertium vocauit cui nullū aliud præterquam Romanorum ſucceſſit. oportebat itaque ipſos primum ex numero, & rebus præterea declaratis intelligere, atque percipere, tertium eſſe Macedonum regnum, hoc eſt, æs, quartum vero Romanorum, hoc eſt ferrum. quod ſi omnino ipſis illa eſſe obſcuriora viſa ſunt, at certe ab euentu oportebat omnē ab ipſis prædictione diſcerni. nam ſimulatque oſtendit ferrei regni imbecillem & fictilem finē, ſtatim ſubiecit, & in diebus regū illorum, hoc eſt fictilis & ferrei, qui commercium, mutuamque cognationem complexi, ne propter cognationem quidem concordes fuere,

Suſcitabit Deus cœli regnum, quod in ſæcula non corrumpetur, & regnū eius populo alteri nō relinquetur, comminuet, & ventilabit omnia regna, & ipſum ſtabit in æternum quemadmodum vidisti, quia exciſus eſt de mōte lapis ſine manibus, & comminuit teſtam, & ferrum, æs, argentum, aurum.

In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus Vulg. La. *cœli regnum quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.*

Hæc aperte oſtendunt præſentium quidem rerum finem, regnum vero cœlorum ſine carens. cùm enim ferreum regnum imbecilliter affectum fuerit, ac teſtæ commiſtum, tunc apparebit lapis ſine manibus exciſus, & comminuet teſtam, ferrum, & æs, argentum, aurum, & ad nihilum ea prorſus rediget: regnumque ſempiternum ſucceſsionis ac finis expers ijs, qui digni eo fuerint, præbebit; in æternum enim, inquit, non corrumpetur, & populo alteri non relinquetur, & comminuet, & domabit omnia regna, & ipſum ſtabit in æternū. quòd ſi quis repugnet, atq; hęc ita ſe habere nolit, oſtendat ille ex humanis rebus quidnam ſit ęternum, & quodnam hominum regnum ſit ſine cariturum. ſtultum enim eſt, atque admodum demens ſæculi præſentis expectare finē, & regnum aliquod in præſenti vita finis expers futurum aſſerere. ſi vero aliquibus quoque videtur per hæc verba regnum illud ſignificari, quod dignis impartiturus Deus eſt, non igitur Macedonicum regnum appellauit ferrum, neque enim illo vigente præſenti vitę impoſitus eſt finis. ſed Romanum euerſo Macedonico orbis terrarum clauos tenet. quòd ſi contendant priſtinum Domini aduentum his verbis ſignificari, oſtendāt Romanorum imperium, ſimulatque Saluator noſter apparuit, perijſſe. omnia enim contrà reperiuntur, viguiſſe ipſum, at non perijſſe cum Saluatoris ortu: ſiquidem Auguſto regnante Dominus in lucem editus eſt. ſecundus quidem ille regnauit, omnes autem, vt ita dixerim, homines ſuæ ditioni ſubiunxit, omnemque terrarum orbem, vt euangelia teſtantur, deſcripſit, tributumque imperauit. Regnum igitur Romanorum, quod illo obtinente viguit, vſque adhuc permāſit. igitur ſi Domini priſtinus ortus Romanorum haud euertit imperium, relinquitur ſane, vt ſecundum illius intelligamus aduentum. nam lapis qui prius exciſus eſt ſine manibus, quique euaſit in montem magnum, & orbem terrarum cooperuit, hic in ſecundo aduētu percutiet imaginem ſuper pedes fictiles, hoc eſt in ipſo fine ferrei regni, quod iam factum fuerit imbecille, aduenier, & omnia regna demolitus cuidam tradet obliuioni, ſempiternumque ſuum regnum dignis communicabit. hæc ita interpretatus Daniel neceſſariò ſubiecit,

Luc. 2.

Deus magnus indicauit regi, quæ oportet fieri poſt hæc, & verum ſomnium & fidelis coniectura eius.

Deus magnus oſtendit regi, quæ vēturа ſunt poſtea, Vulg. La. *& verum eſt ſomnium, & fidelis interpretatio eius.*

Operæ

Operæ pretium eſt admirari auctoris omnium rerum Dei erga omnes homines curam. neque enim impie viuentes propria deſtituit prouidentia, ſed ipſos etiam omni diligentia dignatur, ſicut denique barbarum iſtum agreſtem & impium haud reliquit, neque neglexit, ſed primū per ea, quæ ipſi reuelauit, præſentis ei vitæ felicitatem fluxam oſtendit, & caducam, regnumq; ipſius celerrimæ mutationi obnoxium, ac nihil, quod ad humanam tranquillitatem pertineat, ſtabile, quæ inſtar florum ſiue liliorum areſcit, & extinguitur. atque hæc idonea erant ad illius arrogans & ſuperbia inflatum ſupercilium ſedandum, eique perſuadendum vt humana cogitaret, vitæque & regni finem expectaret. primum igitur per hæc ipſius curam habet. deinde ſomnij obliuione magorum, & Chaldæorum arguit mendacium, ſuorumq; miniſtrorum oſtendit veritatem. & per eorum, à quibus colitur, ſapientiam, diuinam ſuam virtutem declarat, & ad ſe adorandum attrahit, immo potius eos, qui ab omnibus id requirunt, vt adorentur, eò redigit, vt ſanctos ſuos famulos adorent: idque nos edocet hiſtoria.

Tunc ergo rex Nabuchodonoſor inquit, cecidit in faciem, & Danielem adorauit, & Mannaa & bonum odorem dixit libare ei.

Vulg. La. *Tunc rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adorauit, & hoſtias & incenſum præcepit vt ſacrificarent ei.*

Conſidera autem quanti ſit, arrogantem illum, inſaniæ morbo correptum, qui etiam Deum eſſe ſe exiſtimauerat: cui per aliū prophetam Deus dixit, tu autem es homo, & nō Deus, qui omnes homines in ſuam ditionem redegerat, eò adductum eſſe, vt captiuum adoret, Iudæum, in mancipiorum ordinem redactum, ſibiq; perſuadeat per ipſum ipſius Deum adorare. hac enim de cauſa, Mannaa, & bonum odorem libare ei, hoc eſt thus, & ſuffimentum ei offerri mandauit, atq; per hæc innuit hiſtoria, hoc illum præcepiſſe, vt ſacerēt, ijs, qui ſacerdotes haberentur, qui enim adorauerat, prorſus etiam odorē attuliſſet, ſi modo ſacerdotis officio fungi conſueuiſſet. quia verò alijs hoc omnino conueniebat, ipſe non aggrediebatur ea facere quæ minus decerent, verum ijs, qui facere conſueuerant, id præcipit vt faciant, & ne fruſtra videretur hominem adorare, Danieli dicit,

Exod. 22.

In veritate Deus veſter ipſe eſt Deus deorum, & Dominus regum, & reuelans myſteria, quia potuiſti reuelare myſterium hoc.

Vulg. La. *Loquens ergo rex ait Danieli, vere Deus veſter Deus deorum eſt, & Dominus regum, quoniam tu potuiſti aperire hoc ſacramentum.*

Tantū & ex ſomnio, & ex ſomnij obliuione ei attulit vtilitatis omnium rerum moderator; primum enim ſuā agnouit humilitatem, deinde eorum deorum, quos colebat, didicit imbecillitatem, ad hæc doctus eſt, quanta ſit, Dei illius qui vere eſt, virtus. idcirco exclamat, In veritate Deus veſter ipſe eſt Deus deorum, & Dominus regum, & reuelans myſteria. Deum autem deorum appellat non ſecundum diuinæ ſcripturę ſententiam, nam diuina ſcriptura ſacerdotij dignitate honeſtatos deos vocat. dijs, inquit, non detrahes, & principi populi tui non maledices: iſte autem Deos appellauit idola, nondum enim potuerat ipſorum imbecillitatem penitus intelligere, diſcrimen tamen didicit, quare etiam Deum deorum, omnium rerum auctorem Deum & Dominum regum vocat. hæc ita confeſſus

Magnificauit Danielem, & dona multa dedit ei, & conſtituit eum ſuper omnem regionem Babylonis, & principem ſatraparum, & ſuper omnes ſapientes Babylonis.

Tunc rex Danielem in ſublime extulit, & munera Vulg. La. *multa & magna dedit ei, & conſtituit eum principem ſuper omnes prouincias Babylonis, & præfectum & magiſtrum ſuper cunctos ſapientes Babylonis.*

Hoc item diuinæ curæ proprium eſt; maximam ſubiectis populis principis pietas affert vtilitatem, quod etiam erga Ioſeph Dominus fecit. de quo breui veluti compendio narrans, quæ ipſi videlicet acciderunt, beatus Dauid, & diuinam celebrans prouidentiam, miſit, inquit, ante eos virum, in ſeruū venundatus eſt Ioſeph; deinde commemoratis, quę ei euenere, calamitatibus, & carceris ac vinculorum mentione facta, ſubiecit: Miſit rex, & ſoluit eum princeps populorum, & dimiſit eum, & conſtituit eum dominum domus ſuæ & principem omnis poſſeſsionis ſuæ, vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. ita etiam hic fecit omnium rerum moderator. Cùm enim principem ſatraparum, & ſapiētum Babylonis beatiſsimum Danielem conſtituiſſet exemplar ipſum pietatis, omniſq; alius virtutis propoſuit, ſed tamen hoc honore ſolus perfrui nō ſuſtinuit propheta, verum precum ſocios, honoris etiam ſibi ſocios aſciuit.

Pſal. 104.

Poſtulauit enim à rege inquit, & cōſtituit ſuper omnia opera regionis Babylonis, Sydrach, Miſach, & Abdenago, & Danielem at in aula regis.

Daniel autem poſtulauit à rege, & conſtituit ſu- Vulg. La. *per opera prouinciæ Babylonis Sydrach, Miſach, & Abdenago, ipſe autem Daniel erat in foribus regis.*

Hæc etiam accidunt ſecundum Apoſtoli doctrinam: nunc enim, inquit, manet, fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem omnium charitas: etenim diuinus etiam hic propheta dilexit Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & ex totis viribus, cūq; feruenter amaſſet, ſyncere credidit, & cùm ſyncere credidiſſet, ſperauit ab ipſo auxilium ſe conſecuturum, & quæ ſperauerat conſecutus oſtendit erga proximum dilectionem, & participes eorum, quæ acceperat, fecit tribules ſuos. quæcunque autem antè ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & cōſolationem ſcripturarum ſpem habeamus in Chriſto Ieſu, cum quo patri gloria cum ſancto ſpiritu in ſæcula Amen.

ORATIO III.

Anno decimo octauo Nabuchodonosor rex fecit imaginem auream, & statuit eam in campo Deira, in regione Babylonis.

Vulg La. *Nabuchodonosor rex fecit statuã auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, & statuit eam in campo Dura prouinciæ Babylonis.*

Bonus noster Dominus, & amator hominũ, vtpote effector & opifex, vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis peruenire, & non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur ipse & viuat, idcirco omnia pro nostra salute molitur. qui verò stultitia laborant, & insanabili arrogantiæ morbo inseruiunt, nullam ex diuinis remedijs vtilitatẽ percipiunt, sed quibusdam ægrotis similes sunt, qui auersantur adhibitam sibi ab arte medica curationem, sed incontinentia magna atq; intemperantia morbum sibi incumbentẽ quotidie magis augent. Talis fuit superbus iste rex, qui cùm auctor omnium rerum Deus immensa erga illum clementia vsus esset, & post infinita scelera impiaque facinora remedium ei adhibuisset, indicassetq; & præsentis tranquillitatis fragilitatẽ & vanitatem & virtutis præstantiam & splendorem, dum ei bello captos ac seruitutis iugum ferre coactos, nitidos ostendit, statim quidẽ admiratus est prophetæ sapientiam, & huius Deum, auctorem omnium rerum Deum esse confessus est, sed breui interiecto tempore ad ingenium suum Prouer. 26. 2. Petr. 2. redijt, quemadmodum canis ad proprium vomitum, vt inquit diuina scriptura. & construit imaginem auream altitudine habentem cubitos sexaginta; latitudine cubitos sex, quam cùm in æqualiter plano campo statuisset, vt æqualiter omnes superaret, & ab omnibus eque cerneretur, ab omnibus sibi subiectis eam iubet adorari. non simplex autem hic superbiæ modus fuit, sed Deo aperte repugnans, & Deo infestus. nam quia Deus in somnis maximam illi ostẽderat imaginem è quadruplici materia confectam, per quam ipsi quatuor regnorum successiones declarauit, propriũ fastum, quasi castra, Deo opponens, ipse quoque statuam construit, tantam ipsi magnitudinem tribuens, quantam potuit ars humana præbere. non autem ipsam etiam ex auro, argento, ære, ferro ædificat, sed ex vna auri materia conficiendam curat: ratus infelix iste falsas ostensurum se Dei prædictiones. & quia beatus Daniel somnium interpretans, ipsum esse aureum caput dixit, hoc est, Babyloniorum, siue Assyriorum regnum, alias vero imaginis partes, ex alia multiplici materia, quæ caput excepit, ipse omnem ex auro imaginẽ molitur.

Et coegit inquit, omnes satrapas, & consules & præfectos, & toparchas, ducesq;, & tyrannos, & qui in magistratibus essent, & omnes principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem imaginis, quam statuit Nabuchodonosor rex.

Vulg. La. *Itaq; Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus & iudices, duces & tyrannos, & præfectos, omnesq; principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex.*

Horum etiam vnumquodque summam superbiam declarat, non enim quoslibet promiscue ex ijs, qui sibi subiecti erant, ad imaginis solennitatem accersiuit, sed toparchas, & præfectos, quibus præfecturarum imperium commissum esset, & si quod aliud magistratus genus apud illos habebatur. & statim quidem simplex quædam conuocatio existimabatur, mox verò per conuocationem illam tyrannicum imperium deprehensum est. vbi enim conuenerunt omnes,

Præco, inquit, clamabat in fortitudine; hoc est maxima voce, vobis dicitur, gentes, populi, tribus, linguæ, quacunque hora audieritis vocem tubæ, fistulæq; & citharæ, sambucæq; & psalterij, & symphoniæ, & omnis generis musicorũ, cadentes adorate imaginem auream, quam statuit Nabuchodonosor rex, & quicunq; non prostratus adorauerit, eadem hora inijcietur in fornacem ignis ardentem.

Vulg. La. *Et præco clamabat valenter, vobis dicitur populis tirbubus & linguis, in hora qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ & citharæ, sambucæ, & psalterij & symphoniæ & vniuersi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex. si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.*

Ita vsurpauit infelix, vt opinatus est, diuinum honorem, neq; satis ipsi fuit, à subiectis sibi populis adorari, quin etiam eodem adorationis cultu imaginem coli lege sanciuit. & omnes materia, & arte & magnitudine statuæ perterrefacit, delinit autem atq; demulcet omnis generis musicorum instrumentorum sono, eos verò qui neq; magnitudine statuæ obstupescerent, neq; musicorũ instrumentorum cantu ac voluptate demulcerentur, fornacis minis deterret; & in alijs omnibus minimè à proposito fine excidit. videbat enim omnes imperata facientes, qui & metu & voluptate seruire cõsueuerant, soli autẽ beatissimi adolescentes illi patria nobilitate incorrupta in ipsa etiam seruitute retenta, Ananias, Azarias, & Misael renuerunt adorare. non latuere autem impios Chaldæos, qui omnes impietatis participes habere studebant. statim itaque ad regem adeunt, eumq; legis constitutæ admonent, quæ aperte iubebat, vt omnes regi subiecti statuam adorarent, & hoc facere recusantibus fornacem minabatur: accusantq; sacros viros illos his verbis.

Sunt viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sydrach, Misach, & Abdenago, viri illi non obedierunt decreto tuo rex.

Vulg. La. *Sunt ergo viri Iudæi quos constituisti super opera regionis Babyloniæ, Sydrach, Misach, & Abdenago, viri isti contempserunt rex decretum tuum.*

His, & propriam inuidiam declarant, & regis accendunt iram, per hæc innuentes ac tantum nõ dicentes, vide quosnam nobis prætuleris, quibus Babyloniorum commiseris imperium, qui honoris sibi habiti præstantiam animo æstimare noluerunt, neque se ei gratos præbere, à quo sunt hoc honore affecti, immo honoris

honoris excellentiam occasionem ignominiæ fecerunt, tuis aperte legibus contradicentes, tuaq; decreta exequi recusantes. neq; hinc solum conspici potest tyrannicus, & ingratus illorum animus, sed alijs etiam ex rebus, quia nihil eorum præstant, quæ subiectis conueniunt. quos enim tu deos existimas, non existimant illi, neq; conuenienti cultu dijs, qui à te adorantur, eos ipsi colunt. & statuam, ad quam adorandam omnes conuenere, ipsi adorare aperte recusarunt. quibus auditis mẽte captus ille rex, & eorũ quæ Danieli dixerat oblitus, vere Deus vester iste, est Deus deorum, & Dominus regum, adducit homines in medium, interrogatque an reuera participes esse deorum cultus nolint, & statuam recusent adorare. deinde præcipit & consulit vt id faciant ignis eos minis deterrens.

Si enim non adoraueritis, inquit, eadem hora inijcemini in fornacem ignis ardentem.

Vulg. La. *Quod si non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis.*

Tum nefarium illud & ferinum atque impium audet maledictum proferre. & quis est Deus qui eripiet vos de manibus meis? tam cito, quem confessus fuerat, & Deum deorum vocauerat, ei detraxit, ipsumq; homine imbecilliorem opinatus est esse, quem Dominum regum appellarat, & eum vincere se infelix iuuenilit er gloriatus est, à maioribus autem suis tales illi audaces conatus. etenim Sennacherim ille, qui maximas contra Hierusalem copias adduxit, per nũcios talia locutus est Ezeciæ. ne te decipiat Deus tuus, in quo tu confisus es, quia eruet Hierusalem de manibus meis. nunquid eruerunt dij gentium vnusquisq; terram suam de manu mea, vbi Deus Emath, & vbi Deus Arphad, & vbi Deus vrbis Seppharim? nunquid potuerunt eruere Samariam de manu mea, quia eruet Dominus Hierusalem de manu mea? verum statim atq; cuestigio maledicti præmia tulit, & multa illa millia ab vno angelo interfecta sunt. & ipse cùm se fugæ cõmisisset, seq; in patriam recepisset, ab ijs, quos genuerat, interfectus est: nam quia linguam contra opificem suum haud continuit, ab hominibus, quos procreauerat, occiditur. verum ne hoc quidem exemplum Nabuchodonosoris linguam compescuit. neq; somnium illud, quod regum successiones ostẽdit, continentem esse docuit; sed contra eum, qui se ferat, furore insanire perseuerabat, contra quem Deus instruit velut i in acie non angelũ, quod ergà illũ Sennacherim fecerat, sed tres adolescẽtes, captiuos, externam regionem incolere coactos, qui seruitutis iugo premebãtur, iuuenilem ducentes ætatem, in ipso velut ætatis vere. Hi enim simulatque audierunt rabiem illam, & insanum maledictum, iracundia & indignatione perciti, ita regi responderunt.

Esa. 37. 4. Reg. 18.

Nõ necesse habemus nos de verbo isto respõdere tibi.

Vulg. La. *Non oportet nos de hac re respondere tibi.*

Superuacanea, aiunt, ista tua est percontatio, quam adhibes nobis. quæ enim sentiebamus, etiam nunc sentimus, nihilque propter tuas minas immutabimur.

Est enim Deus noster in cœlis, cui nos seruimus, potens eripere nos de fornace ignis ardente, & ex manibus tuis rex eruet nos.

Ecce enim Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô rex liberare. Vulg. La.

Quis non iure admiratus obstupescat horum beatorum iuuenum fortitudinem, sapientiam, pietatem, erga leges iustitiam, omnibus in rebus continentiam? quòd enim minime veriti sunt tantum illum tyrannum, qui cum omnibus, vt ita dixerim, hominibus sese illis opposuerat, neq; maximam illam pyram, non minacibus tantum verbis ad terrorẽ propositam, sed reuera conspectam; hoc adamante robustioré illorum fortitudinem testatur: quòd verò diuinas leges præsenti vitæ anteposuerint, id cuinam iustitiæ quidquam reliquum facit? ipsorum autem continentiam id maximè commendat, quòd neq; audacib. erga regem verbis vsi sunt, neq; metu rursus genas dedecorarunt; sed prudentiam & sapientiã impijs & nefarijs oppositã maledictis pietas ostendit. ille enim dicebat, quis Deus, qui eruet vos de manibus meis? at ipsi, est, clamabant, Deus noster in cœlis, cui nos seruimus, potens eripere nos de fornace ignis ardẽte, & ex manibus tuis rex eruet nos. ne existimato enim Deum nostrum dijs tuis similem esse, illos quippe meritò contẽnis, qui ab arte & materia hoc habent vt sint, Deus autem noster cœli & terræ, omniumq; opifex talem habet virtutem, qualem nobis ostendunt ea omnia quæ cernuntur, illam enim, quæ his omnibus superior est, haud facile possunt intueri, qui non sunt diuinis initiati mysterijs. hunc venerantes ab ipso opem & auxilium expectamus; idoneus est enim ad nos è tuis manibus eripiendos, & à fornace ignis quã molitus es. Quæ autem postea dicta sunt, nullam fortitudinis ac religionis exuperantiam reliquam faciunt. Cùm enim dixissent,

Est Deus noster in cœlis cui nos seruimus potens eripere nos de fornace ignis ardente, & ex manibus tuis rex eruet nos, statim adiecerunt. quod si noluerit notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus, & imaginem auream, quam statuisti, non adoramus.

Non enim pro mercede nostra Domino seruimus, sed beneuolentia & amore stimulati omnibus æque Dei nostri præferimus cultum, quare ne ab his malis quidem temere liberari petimus, sed Domini gubernationem ac prouidentiam amamus, & illius, quod futurum est ignari, gubernatori, quocunque ei libuerit, nauem dirigendam committimus. pro certo enim compertum nobis est, posse illum nos à malis, quæ minatus es, eripere: vtrum verò id facere velit ignoramus, sed cùm sapiens sit, ei rerum nostrarum moderationem committimus, & iudicij sententiam, nobis eam conferre credentes, accipimus. siue igitur nos liberabit, siue nolet, imaginem tuam, deosque tuos adorare re-

re recusamus, cum talibus tibi animis certamen est, quæcunque volueris ratione contende, neq; honoribus delinies, neque minis deterrebis, omnium enim nobis Deus noster & amabilissimus est, & maxime formidabilis. Quid hisce verbis sublimius? his Apostolicum dictum illud conuenit accommodare. Rom.8. quid enim oremus sicut oportet, nescimus; sed ferox & insanissimus tyrannus furore plenus, ita vt vultu etiam præ se ferret animi perturbationem, amplius accendi fornacem præcepit, compedibusq; vinciri sanctos viros imperauit, & vt nulla interponeretur pœnæ mora, dum vestis & calciamenta detraherentur, vna cum ipsis in pyram eos conijci iussit. Sarabara autem sunt Persicorum indumentorum genera, Tiaræ autem capitum tegumenta, Tibialia vero ea dicit, quæ anaxyrides vocantur, id est braccæ seu femoralia, vel coriaceas extrinsecus, vel ex corio confecta calciamenta, vel extrinsecus ex corio. ita deuincti sancti viri in ignem coniecti sunt, & ille quidé celeritatis ac breuitatis causa ipsos ita comburi præcepit: diuina vero gratia aliud hinc moliebatur mysterium. nam circumiecta ipsis ferrea vincula vsitato more ignis natura dissoluit, indumenta autem, quæ admodum facilia ad comburendum essent, integra & illæsa conseruauit, & sanctorum virorum accusatores, & impij imperij ministros, qui foris astabant, flamma cõsumpsit, ipsisq; sanctis appropinquare non potuit, verum ijs, qui intus erant terga præbens, contra proprios adoratores procedebat, quasi pœnas ab ipsis pro Domini cultoribus exigens: tanta autem intus pietatis præcones securitate, Deum colentes fruebantur, vt per ignitos carbones, quasi per quasdam rosas incederent.

Deambulabant, inquit, in medio flammæ, laudantes Deum & benedicentes Dominum.

Vulg. La. *Et ambulabant in medio flammæ laudãtes Deum, & benedicentes Domino.*

Hæc item præstantissimæ illorum philosophiæ apertam significationem habent, neque enim petebant, inquit, à molestijs liberari, sed laudibus eum celebrabant, qui ita res suas moderatus, eosq; hac pulchra confessione dignatus fuerat. licet autem videre recentibus prisca similia. etenim beati Apostoli Petrus & Ioannes à Pharisæorum conspiratione flagris cæsi, exierunt gaudentes quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, & beatissimus Paulus cũ Sila, post plagas illas in Philippis sibi à magistratibus inflictas in carcere degẽtes, & compedibus deuincti circiter mediam noctem, orantes, ait, laudabant Deum. Act. 5. Acto. 16. ita etiam beati, de quibus loquor, adolescentes in fornace tripudiãtes diuinum hymnum contexere perseuerabant, & primum Azarias os commune effectus, & à flammæ fluctibus circumsperſus aperiẽs inquit os suum in medio ignis dixit,

Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & glorificatum nomen tuum in sæcula.

Quis pro dignitate procemij huius sapientiam poterit admirari? neq; enim in felicitate aut tranquillitate constitutus, neq; in prospero vitæ cursu, sed in fornace, & in eiusce-modi fornace, auctorem omnium rerum celebrat Deum, & mentis præsefert modestiam, cùm etiam patrum prædicat virtutem, laudamus enim te Domine nos, quib. patres illi fuere, quorum Deus vocari voluisti. tu enim dixisti famulo tuo Moysi, ego Deus Abraam, & Deus Isaach, & Deus Iacob, hoc tuum nomẽ laudabile est & gloriosum nõ in aliquo desinito, præscriptoq; tẽpore, sed in omnia sæcula.

Quia iustus es in omnibus quæ fecisti nobis.

Laudamus autem inquit te, iustum tuũ iudicium agnoscentes. recta enim & iusta de nobis lata sententia, in seruitutem nos redigi, & procul à patria captiuos abduci præcepisti.

Et vniuersa, inquit, opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera, & iudicia veritatis fecisti; iuxta omnia quæ induxisti nobis, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Hierusalem, quia in veritate & iudicio induxisti hæc omnia super nos.

Iudicia enim vera fecisti iuxta omnia quæ induxisti super nos. Vulg. La.

Eandem sententiam habent omnia quę dicta sunt, varie tamen ea protulit iustũ Dei celebrans iudiciũ, & nullum ingrati animi vitio locum relinquens, idcirco cùm de Hierusalem mentionẽ fecisset, & sanctã ipsam appellasset, ac patrum illorum electorum ciuitatem nuncupasset, statim pœnarum causam adiecit.

Hæc omnia, inquit, induxisti super nos propter peccata nostra, peccauimus enim, & inique egimus recedentes à te.

Non enim temere, inquit, & quam cõsecraueras vrbem, & nos bello captos hostibus captiuos tradidisti, sed quia peccauimus & inique egimus recedẽtes à te. multamq; emphasim habet illud à te, quasi pro, à te factore, & opifice bono hero, nutritore, & custode, qui ab Aegyptiorũ seruitute nos liberasti, qui mare secuisti, qui petram aridam fontes educẽs alluisti, aliaq; omnia bona literis prodita nobis suppeditasti. peccauimus itaq; recedẽtes à te, & deliquimus in omnibus, neq; enim hoc vel illud violauimus, sed omnia.

Præcepta tua, & mandata legis tuæ non audiuimus, nec obseruauimus ea, nec fecimus sicut præceperas nobis, vt bene nobis esset.

Et hinc rursus pietatis ac sapientię præstantiam ostendit, legum enim & mandatorũ obseruatio, inquit, tibi latori legis nihil præbebat, nobis autem bonorum abundantiam conciliabat, hac igitur de causa & leges illas posuerас, vt nobis subministrares causam salutis. postquam itaq; tua iussa violauimus,

Omnia quæcũq; induxisti super nos, & omnia quæcunq; fecisti nobis, in vero iudicio fecisti.

Dignum est enim peccato suppliciũ. quod deinde ostendens subijcit.

Et tradidisti nos in manus inimicorum, iniquorum, inimicissimorum, præuaricatorum, & regi iniusto, & pessimo vltra omnem terram tradidisti nos.

Et tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum, præuaricatorumq;, & regi Vulg. La.

& regi iniusto & pessimo vltra omnem terram.

Nam quia te non coluimus regem nostrum, verum bonitatem tuam contempsimus, merito nos crudelissimo, & infestissimo, & omnis iuris prorsus ignaro seruire coegisti regi, cui sunt etiam subiecti populi eidem regiæ improbitati consentientes. & quamuis in tot malis versẽmur, attamen omnem loquẽdi libertatem amisimus, & præ pudore tibi supplicare prohibemur. hoc enim significat cùm ait.

Et nunc non possumus aperire os, confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & ijs qui colunt te.

Obturat, inquit, nobis os multitudo scelerum, sed tamen, quamuis opprobrijs obnoxij, & ridiculi atque eiusmodi facti sumus, vt nos admodum hostes irrideant: nos qui serui tui vocamur, tibi supplicamus, vt propter illud nomen tuum, quod nos tuetur, quo te Dominum agnoscimus, aduersarijs ostendas potentiam tuam, & ne prorsus nos tua prouidentia desti tuas.

Ne tradas, inquit, nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis.

Audemus autem, inquit, hæc dicere, cùm multa tuæ bonitatis pignora habeamus, primum ipsum tuum nomen, quo te Dominum vocamus, deinde immensam misericordiam, qua vniuersa moderaris, ad hæc pacta illa, quę cum patribus nostris pepigisti, quibus pollicitus es illorum genus illustre & gloriosum te effecturum. tum etiam patrum nomina commemorat, vt memoria iustorum bonum Dominum prouocet ad misericordiam.

Propter Abraam, inquit, dilectum à te: & propter Isaach seruum tuum, & Israel sanctum tuum, quibus locutus es dicens, multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & sicut arenam iuxta labium maris.

Vulg. La. *Propter Abraam dilectum tuum & Isaach seruum tuum, & Israel sanctum tuum, quibus locutus es pollicens quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris.*

Hæc, inquit, illis pollicitus es Domine quos amasti, & celebres fecisti, vt arenæ, quod ad numerum attinet, eorum genus compararetur, stellis verò, vt æquè splendidum, & excelsum esset, & illustre deinde, res cum pollicitationibus confert. quia Domine, inquit, imminuti sumus vltra omnes gentes, sumusq; humiles in vniuersa terra hodie. & ne pol licitationes mendacij argueret, statim adiecit causam, propter peccata nostra, non enim tu, inquit, Domine mentitus es, quæ pollicitus fuisti, sed nos fœdera violauimus, & cùm multi essemus secundum pollicitationem, & innumerabiles, propter peccata nostra ad paucitatem redacti sumus. hoc enim innuit, cùm dixit, imminuti sumus. non enim dixit parui sumus, & pauci vltra omnes gentes, sed imminuti sumus. fuimus quidem innumerabiles secundum tuam pollicitationem, sed violatis mandatis tuis pauci pro multis facti sumus. deinde ostendit Deo calamitatem, qua detinebantur, non quasi ignarum docens, sed calamitatum commemoratione ad clementiam eum prouocans, & non est, inquit, in tempore hoc, princeps, & propheta, & dux: priuati enim sumus, inquit, regno, prophetia, sacerdotio, diuinis tuis, magnisq; muneribus, quibus conti nenter gubernabamur, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum: causamque ostendens, cur sacrificare non liceat, consequens adiecit,

Neque locus, vt primitias offeramus coram te, & inueniamus misericordiam.

Neque locus primitiarum coram te, vt inuenire Vulg.La. *possimus misericordiam tuam.*

Tua enim lex sacrificiorum ministerium vno tantum loco circumscripsit, & aperta legis violatio est, alibi tibi sacrificare. Hæc audire nolũt Iudæi, sed oculis c onniuentes, obstructisque auribus omnia audent violata lege perficere. at hi sancti adolescentes finem legis callentes, non esse dicebant locum, vt primitias offerre possent coram ipso, & misericordiam inuenire. & quando hoc, inquit, assequi non possumus, cùm à sacra illa ciuitate procul absimus, modum quendã inuenimus tui colendi Domine.

In anima enim contrita, & spiritu humilitatis supplicationem tibi offerentes deprecamur, vt ipsam suscipias, sicut in holocaustis arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium. sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt perficiatur post te, quoniam non est confusio confidentibus in te.

Cùm enim tua lex, inquit, consueta sacrificia tibi offerri, vbique non permittat, pro arietibus, & tauris, & agnis innumerabilibus, contritum tibi & humiliatum cor offerimus, & supplices petimus, vt hæc tibi sint omni sacrificio gratiora, siquidem consueuisti in te confisos ab omni ignominia vindicare. hæc autem haud ita simpliciter dixit sanctus hic vir, sed à propheta Dauid eruditus, qui in quinquagesimo psalmo, quia si voluisses, inquit, sacrificium dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. & rursus ex persona Dei, Nunquid manducabo carnes taurorum, Psal. 49. aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & inuocabis me in die tribulationis tuæ, & eruam te, & glorificabis me. ac paulo pòst, sacrificium laudis honorificabit me. & illic iter, quo ostendam illi salutare meũ. hæc edoctus diuinus hic vir contritum cor pro omni sacrificio suscipi supplicauit. tum adijcit,

Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam, ne confundas nos.

Multitudo enim calamitatum ex alijs, alios nos fecit, & qui mandata tua violauimus, vt toto corde & timeremus, & quæreremus te effecit. faciem autem Dei hoc loco, beneuolẽtiam vocauit & libertatis recuperationẽ. qua potiti & sacrum templum poterant videre, & quæ ibi peragebantur sacrificia, per quæ corporis expertem Deum, quiq; oculis cerni non potest, videre se cogitabãt. quando itaq; tantum

tum nos hoc ſupplicio immutaſti, ne confundas nos, ſed fac nobiſcum iuxta manſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ, & erue nos ſecundum mirabilia tua, & da gloriam nomini tuo. Propter hæc nos, inquit, tua miſericordia & clementia dignare, miſereri enim tua natura conſueuiſti, & longanimitate erga omnes homines vti, comitemq; voluntatis habes poteſtatem. idque teſtantur ea quę à te continenter fiunt miracula. quę enim in nos facta ſunt, cauſa erunt, vt nomen tuum celebretur, non à nobis tantum, qui ſaluemur in columes, ſed etiam ab ijs, qui noſtram conſpexerint ſalutem.

Da itaque gloriam nomini tuo Domine, & confundantur omnes qui oſtendunt ſeruis tuis mala, & confundantur ab omni potentia, & robur eorum conteratur, & ſciant quia tu es Dominus Deus ſolus & gloriоſus ſuper omnem orbem terrarum.

Hac enim erga nos à te adhibita clementia, aduerſariorum infringetur audacia, ipſorumq; rabies extinguetur, ſuperbaque eorum cogitatio conteretur, cognoſcentq; te ſolum Dominum ac Deum eſſe ab vniuerſo terrarum orbe dignum celebrari, & qui nunc multos adorant deos, ſuorum deorum cognita imbecillitate, tuam adorabunt potentiam. illi igitur intus in fornace choros ducebant, regis autem miniſtri, & ſanctorum accuſatores haud deſinebant flammæ materiam ſubminiſtrare, & vitiũ ſarmenta, ac ſtupã, naphtamque, id autem genus eſt, quod in ea regione natum, idoneum eſt ad accẽdendum ignem, tantumque pyræ ſuppeditabatur alimentum, vt ad quadraginta nouem cubitos diffuſus ſit ignis, & Chaldæorum complures, qui proximi aderant, combuſſerit. & illi qui foris erant, flammam incendebant, ſed ſanctus angelus flammam diſſipabat, & mediam fornacis partem ignitis carbonibus nudans auram quandam frigidam ac mediocriter humidam, quæque ſanctis multam afferret voluptatẽ, non ignem qui dolorem eis pareret, & cruciatum, parabat, atque hanc in ſanctorum corpora immittebat.

Fecit enim, inquit, medium fornacis quaſi ſpiritus roris ſibilans, & non tetigit eos omnino ignis, neq; contriſtauit eos, neq; moleſtiam exhibuit ipſis.

Vulg. La. *Et fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contriſtauit, nec quicquam moleſtiæ intulit.*

Verum nemo hæc contemplans ſanctorum certamen extenuet, ſed ſacra illa verba reminiſcatur; eſt Deus in cœlis, cui nos ſeruimus, potens eripere nos de fornace ardenti, & ex manibus tuis rex eruet nos, & ſi minus, notum tibi ſit rex, quia dijs tuis non ſeruimus, & imaginem auream, quam ſtatuiſti, non adoramus. Quamobrem ſancti adoleſcentes illi, flammam illam contempſerunt, non ad hunc euentum reſpicientes, ſed mortẽ expectantes. præfectus autẽ certaminis perinde ac voluit, præmia diſtribuit: ac ſceleratos illos ignominia afficiendos, hos vero illuſtres reddendos curauit. hac itaq; ſalute potiti beati, & beatiſſimi illi, ſæpe, & non vni tantum vt Deum laudibus celebraret, permiſerunt,

Sed quaſi ex vno ore laudabant, & glorificabant Deum, & benedicebant in fornace.

Optimam ſuam ſymphoniam, & admirabilem hymnorum cantum ei concentui, qui ſtatuæ adhibebatur, opponentes, ſimulq; oſtendentes, quanto non adoraſſe præſtantius: & ita hymnum exordiuntur.

Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis & ſuperexaltatus in ſæcula, & benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum, & ſuperlaudabile, & ſuperexaltatum in ſæcula.

Vulg. La. *Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & laudabilis & glorioſus & ſuperexaltatus in ſæcula, & benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum, & laudabile & ſuperexaltatum in omnibus ſæculis.*

Amoris ardentiſsimi, maximeq; inexplebilis hæc verba ſunt; quo vulnerati nomina quærunt, quibus poſsint illius, quem celebrãt, declarare dignitatem, quibus non inuentis, ſuperlatiuis ea præpoſitionibus contexunt, ſuperexaltatum vocantes, & ſuperlaudabilem, neq; ipſum ſolum, ſed etiam nomen gloriæ ipſius, & rectè vbiq; Dominũ ac Deum patrum ſuorum appellant, ſeipſos indignos hac appellatione confitentes.

Benedictus es in templo ſanctæ gloriæ tuæ, & ſuperlaudabilis & ſuperglorioſus in ſæcula.

Vulg. La. *Benedictus es in templo ſanctо gloriæ tuæ, & ſuperlaudabilis & ſuperglorioſus in ſæcula.*

Indelebilem ſancti templi memoriam retinent, & perfecti legis obſeruatores, ſecundum legis præceptum deprecantur. quod autem dicunt, hoc ſignificat, ad illud templum reſpicientes, vbi tua gloria apparere conſueuerat, hunc tibi hymnum afferimus. nam & ſi millies combuſtum eſſet, tuæ tamen ſanctitatis eſt particeps. & ne quis opinaretur ipſos loco circumſcribere corporis expertem Deum, quique definiri non poteſt, neceſſario ſubijciunt.

Benedictus es in throno regni tui, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Vulg. La. *Benedictus es in throno regni tui, & ſuperlaudabilis, & ſuperglorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.*

Deinde oſtendentes quemnam thronum vocent, ſtatim addunt.

Benedictus es qui intueris abyſſos, ſedens ſuper Cherubim, & ſuperlaudabilis & ſuperexaltatus in ſæcula.

Vulg. La. *Benedictus es qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim, & laudabilis & ſuperexaltatus in ſæcula.*

Et quia templum illud etiam ipſorum Cherubim in ſanctis ſanctorum habebat imagines, ne vllum hinc auditoribus detrimentum acciderat, qui Deum circumſcriptum eſſe exiſtimarent, ipſi auditori remedium afferentes occurrunt his verbis.

Benedictus es in firmamento cœli, & ſuperlaudabilis, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Vulg. La. *Benedictus es in firmamento cœli, & laudabilis, & glorioſus in ſæcula.*

Vbique enim & omnia comples aiunt, & omnem contines creaturam; ita eo celebrato, omnem

omnem genitam naturam non ſolum rationalem, ſed etiam rationis & animæ expertem ad laudis & cantus communicationem inuitant.

Benedicite enim inquiunt, omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in omnia ſæcula.

Vulg. La. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.*

Neq; omnia communiter inuitaſſe duntaxat contenti ſunt, ſed etiam ſigillatim vnumquodq; conuocant, neq; ea duntaxat quę oculis cernuntur, ſed naturam etiam illam quæ ſub oculorum ſenſum minime cadit.

Benedicite enim, inquiunt, angeli Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Et ne ſingula interpretãs infinita orationis vtar longitudine, ad hanc choræam, & cãtum inuitant & cœlum, & aquas illas, quæ ſuper cœlos ſunt, & quæ diuinum thronum circumeunt, virtutes, vocant item ſolem, & lunam, & alia ſidera, neque ſolum quæ in cœlo ſunt, ſed etiam quæ in aere gignuntur, imbrem & rorem, & ſpiritus, tum frigus & æſtum, deinde naturam ſimul, & efficaciam, ignem & æſtum, & ignis naturæ nomen eſt, æſtus autem non item natura, ſed ignis efficacitas. vocant etiam rorem & niuem, & glaciem & frigus & pruinas & niues & fulgura & nubes, quæ cognatione quadam naturę coniuncta ſunt. tum noctes & dies, atq; horum efficientia lucem ac tenebras. hæc enim tum nomina, tum res exiſtunt.

Geneſ. 1. Vocauit enim inquit Deus lucem diem, & tenebras appellauit noctem, nam etſi tenebræ vmbra ſunt, & non ſubſtantia, attamen res eſt, quæ accidit, quæq; noctis eſt efficiens. & quia roris & niuis mentionem fecerunt, neceſſario eorum fontes oſtendunt; Benedicite enim, dicebant, fulgura & nubes. & nubes illæ ſunt

Pſal. 134. quæ pariunt, fulgura quæ parientium dolores præmonſtrant; Fulgura propheta inquit in pluuiam fecit. His commemoratis quæ in cœlo degunt, & in aere fiunt, iuſsisque ſingulis Deum celebrare, ad communem matrem orationem conuertentes, eam quoq; ad celebrandum inuitant, & aiunt.

Benedicat terra Dominum, laudet, & ſuperexalter eum in ſæcula.

Deinde ſigillatim partes illius.

Benedicite montes & colles Domino.

Tum eiuſdem partus.

Benedicite vniuerſa germinãtia in terra Domino.

Et quia partis inferioris maria ſunt & flumina, neceſſario etiam horum mentionem fecerunt: meminerunt item eorum, quæ in aquis nutriuntur.

Benedicite enim, aiunt, cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino.

Tum volucres vocant, & beſtias, & pecora, & omnium vltimum humanam naturam ſeruato mundi creationis ordine. etenim beatus Moyſes primum natas diuino verbo arbores conſcripſit, deinde producta natantium genera, & præter hæc, atque adeo cum his in aere volantium auium naturam, poſtea beſtias, & pecora, poſtremo hominem. inuitato autẽ humano genere ad hymnum concinendum, rurſus ſigillatim homines rerum omnium effectorem celebrare præcipiunt, & principes aliorum omnium filios Iſrael ad id faciendum hortantur, quos etiam multifariam diuidunt, ac primo loco ponunt ſacerdotes, quippe quibus diuinum commiſſum fuerit miniſterium. deinde ne exiſtimarentur ſolis ſacerdotibus hoc celebrandi hymni munus præſcribere, ſubijciunt,

Benedicite ſerui Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in omnia ſæcula.

Tantum non adijcientes poſſe etiam beneuolo animo Domino ſeruire, quicunque non ſit ſacerdotio decoratus. reſurrectionẽ quoq; ſuo præconio commendant.

Benedicite enim, aiunt, ſpiritus & animæ iuſtorum Domino.

Id eſt ſpirituales animæ iuſtorum, humanis perturbationibus ſuperiores effectæ, quæ ſpiritus gratiam accepere: tum eos quoque, qui virtutis quodam genere præditi ſunt.

Benedicite, inquiunt, ſancti & humiles corde Domino.

Poſſunt enim iniuſtitiæ expertes, aiunt, & de ſe humiliter ſentientes, & placere Deo, & conuenientem illi hymnum afferre. atq; hæc omnia non nugatoria oratione commemorarunt, ſed primum erga Dominum amorem inflammãtes, ac ſeipſos eorum beneficiorum, quæ verbis exprimi nequeunt, & illius opificij, quod hominum cauſa ab initio molitus eſt Deus, admonentes. his enim verbis hæc videntur innuere: idcirco laudamus, & ſuperextollimus te, quòd per angelos nobis confers beneficia, quòd cœlum propter nos condidiſti, & ſole diem illuſtras, & luna noctis mitigas obſcuritatem, & temporis nos edoces menſuram, celebramus te, quia auctor fuiſti, vt cœlum nobis veluti pratum ſtellas produceret, & floribus, qui nunquam marceſcunt, oculos noſtros depaſcis, quorum etiam curſu cognoſcendam nobis præbes noctis menſuram, & quis vnquam te digne celebrarit? cùm videat tempeſtatum mutationes, cõuerſionum viciſſitudines, æſtum opportunè æſtatis tempore adhibitum; tum ventorum refrigerantes auras, frigus hyeme, & pluuiam procreari, & vnumquodq; decore & ordine procedens, fulgura pluuiam indicantia, nubes pluuias parientes, montium & plana loca ſegetibus ornata ac nemoribus & ſiluis, fontes ſcatentes, & plantas irrigantes, fluuios indefinenter fluentes, neq; ſui curſus vllam quietem admittẽtes, mare in medio poſitum amicitiæ auctorem atque concordiæ, communemq; locum & horum & illorum commercia capientem. & ne ſingula proſequar, primum horum omnium meminere beati, vt ſuam præ ſe ferrent animi æquitatem, idque ſtudentes, vt flagrantius ob beneficiorum memoriam hymnum perficerent, deinde vero quòd etiam Chaldæos foris audientes docere conabantur, quæ ab ipſis colerentur elementa, ea auctoris omnium rerum Dei eſſe opificia, idcirco ignis & aquarum, ſoliſq;

& lunæ,cœli & terræ euidenter mentionem faciũt,cùm persuadere velint ignaris,vt ea quæ sub oculorum sensum cadũt, desinant adorare,verùm illorũ Dominum agnoscant, & congruẽtem ipsi tribuant cultum. par erat enim eos magnum illud miraculum conspicatos, & ignem profligatum cernentes, suumque & regis sui dedecus,captiuorumque adolescentum illorum incolumitatem, & loquendi libertatem, per hunc hymni cantum pietatis percipere doctrinam.cumque illi ita cecinissent,postremo subijciunt.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, laudate,& superexaltate eum in sæcula.

Ita seipsos vltimos eorum omnium, quæ creata sunt, existimabant, & omnium hominum abiectissimos. Talis etiam beatus Paulus fuit,qui, mihi enim, inquit, omnium sanctorum minimo data est gratia hæc. & alio loco, Christus, inquit, venit in mundum peccatores saluos facere,quorum primus ego sum. & peccatorum quidem primum seipsum nominat,sanctorum verò vltimum vocat.sic etiam beati hi adolescentes seipsos vltimos hortantur ad celebrandum Dominum, & laudibus extollendũ in sæcula. tum miraculum narrãt.

Ad Ephes. 3.

1, ad Tim. 1.

Quia eruit nos de inferno,& saluos fecit de manu mortis.

Humanis enim suffragijs omnis spes nobis interdicta fuit.

Et liberauit nos de medio ardentis flammæ, & de medio ignis eruit nos,confitemini itaq; Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

Quid enim probius? quid benignius eo, qui in rebus nostris tantam adhibuit misericordiam? cumque talem præ se tulerint virtutem, misericordia se salutem consecutos fatentur. deinde quia filios Israel tantum supra memorauerant,eos quoque qui inter gentes piè viuerẽt, diuini cultus studiosos vocãt.

Benedicite omnes qui colitis Dominum, Deo deorum,laudate & confitemini,quia in omnia sæcula misericordia eius,& in sæculum sæculorum.

Benedicite omnes religiosi Domino Deo deorum,
Vulg. La. *laudate & confitemini ei,quia in omnia sæcula misericordia eius.*

Et infinitam illius bonitatem ostendere summe contendentes,& in ea re victi, sæpe sæculorum nomen repetunt. Talis hic fuit sanctorum hymnus, qui cùm agrestem & immitem perculisset regem, obstupefactus è throno regio surrexit,atque vltro currere festinauit, & pro tribus quatuor in fornace tripudiantes conspexit.

Et ait optimatibus suis,nõne viros tres iniecimus in medium ignis compeditos? & ecce ego conspicio viros quatuor solutos,& deambulantes in medio ignis, & corruptio non est in ipsis,& visio quarti,similitudo filio Dei.

Et ait optimatibus suis nõne tres viros misimus in
Vulg. La. *medium ignis compeditos? qui respondentes regi dixerunt,vere rex. respõdit rex & ait, ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulãtes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est,& species quarti similis filio Dei.*

O ineffabilem animi lenitatem. Iure exclamabant sancti adolescentes,quia in omnia sæcula misericordia eius & in sæculum sæculorum.Ecce enim istum quoque qui tanto fastu elatus tantam adhibuerat crudelitatem, quique diuinum cultũ sibi vsurpare summa ope nixus fuerat, & Dei cultores crudeliter atque atrociter punire conatus,ad pietatem perducit,eique virtutem suam,qua mirabilia efficit, ostendit,& missum auxilio sanctis angelum illi conspicuum facit. ac numero primũ ipsum obstupefacit,pro tribus quatuor ostẽsis,deinde solutis vinculis, solutos enim pro vinctis inspiciebat, tũ incolumitate, corruptio enim inquit non est in ipsis, ex quo perculsus fastu sedato accedit.

Et ait,Sydrach,Misach,& Abdenago,serui Dei altissimi,exite,& accedite,& egressi sunt Sydrach,Misach,& Abdenago de medio ignis.

Et ait Sydrach,Misach,& Abdenago,serui Dei ex- Vulg. La.
celsi egredimini, & venite, statimq; egressi sunt Sydrach, Misach, & Abdenago de medio ignis.

Didicit miser, qui dixerat, quis est Deus, qui eruat vos de manibus meis? esse Deum ineffabilis potestatis,igni imperantem,vt cõtrariam sanctis ostẽderet qualitatem. quẽ Deum ille appellabat,Deum esse cognouit & celsissimum Deum.Egressis autem sanctis admirantur omnes satrapæ,& toparchæ,& prefecti,sanctorum corpora incorrupta & illæsa conseruata contemplantes,ipsosq; capillos,qui nihil ex illa flamma sensissent,neq; capillos tãtum, sed ipsam etiam vestem, & calciamenta, quæ permanserant inuiolata, atque adeò vt ipsius quoq; ignis carerent odore. deinde his conspectis Nabuchodonosor Deum laudat.

Et ait, Benedictus Dominus Deus Sydrach, Misach,& Abdenago,qui misit angelum suum,& liberauit seruos suos,qui confisi sunt in eo, & verbum regis mutauerunt,& tradiderunt corpora sua,vt ne seruirent,neq; adorarent omnem Deum alium, sed Deum ipsorum.

Et erumpens Nabuchodonosor ait, Benedictus De- Vulg. La.
us eorum, Sydrach videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit angelum suum,& eruit seruos suos qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua,ne seruirent, & ne adorarẽt omnem Deum excepto Deo suo.

Semper experientia miser Dei percipiens virtutem obliuioni tradit miracula.Hoc erga sanctissimum Danielem item fecit. surgens enim illum adorauit, eiq; thus & odorata sacrificia offerri præcepit. & nunc similiter facit,conspecta horum sanctorum salute,Deum laudat, & viros admiratur, quòd regis verbũ mutarint, & iniquæ vitæ piam mortem anteposuerint.

Et nunc, inquit, ecce ego pono decretum, vt omnis populus,tribus,lingua, quæ dixerit blasphemiam contra Deum Sydrach, Misach,& Abdenago, pereat, & domus ipsorum diripiantur,quia nõ est alius, qui possit liberare sic.

A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis po- Vulg. La.
pulus,tribus,& lingua,quæcunque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sydrach,Misach,& Abdenago,dis-

pereat,& domus eius vastetur,neq; enim est alius Deus,qui possit ita saluare.

Et hoc nomen experientia didicit, cùm enim multorum qui dij vocabantur,templa euertisset,& penetralia prædatus esset, arasque demolitus, eos quoq; qui ipsorum sacris initiati fuerant,occidisset,nullius diuinæ efficaciæ accepit experientiam: cùm verò furore insanijsset contra eos,qui se Deo dicarant,sensit & infinitam Dei virtutem,& ineffabilem illius longanimitatem, qui suos famulos integros & illæsos conseruauit,& ab ipso interim nullas insaniæ pœnas exegit, sed in impietate degere perseuerantem, paulo pòst mediocriter puniuit, tum pœnitentem sua clementia dignatus est.

Tunc tamen rex inquit rerum moderationem com misit Sydrach,Misach,& Abdenago in regione Babylonis,& auxit ipsos honoribus, voluitq; præesse omnibus Iudæis,qui erant in regno eius.

Vulg. La. *Tunc rex promouit Sydrach, Misach, & Abdenago in prouincia Babylonis.*

Tanta sui colendi studiosos prouidentia Dominus gubernat; & meritò exclamabant hi sancti adolescentes, quia nõ est cõfusio ijs, qui in te confisi sunt. etiam nos itaq; tantam adepti spem,omni creaturæ simul opificem & gubernatorem præferamus.sintq; nobis beati hi adolescentes vtilitatis exemplum, pietatis exemplar, duces ad Deum & ad ea, quæ à Deo, ijs qui digni sunt,suppeditantur, quæ vtinam omnes nos consequamur gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria cum sancto spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum Amen.

ORATIO IIII.

Nabuchodonosor rex omnibus populis,tribubus,linguis habitantibus in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur.

Vulg. La. *Nabuchodonosor rex omnibus populis,gentibus,& linguis,qui habitant in vniuersa terra,pax vobis multiplicetur.*

Operæpretium existimo prius huiusce epistolæ argumentum & causam percurrere, deinde eam interpretari.Nabuchodonosor qui tota Asia potitus Aegyptum quoque in suam ditionem redegerat,& Aethiopas ad Aegyptum incolentes sibi subegerat,crudelem admodum se,& sæuũ subiectis sibi populis præbuit, atq; eò superbiæ processit, vt existimaret se non sõlum ijs,qui dij vocarẽtur, sed etiam eo,qui verè Deus est,maiorem,atq; potentiorem. & istum ipsius maxime inexplebilem fastum non solum docet admirabilis Daniel, sed etiam sanctissimus Esaias propheta,immo verò ipse omnium rerũ auctor Deus per pro-
Esa. 10. phetam ita loquens,Væ Assyrijs,virga furoris mei, & iræ meæ est in manibus eorum, iram meam in gentem iniquam mittam, & in meo populo cõstituam, vt faciat spolia & prædam, & conculcet ciuitates, & ponat eas in pluerem:quod autem dicit,id significat. luctuosis calamitatibus digni sunt Assyrij,cùm sint infinitorum molitores malorũ,attamen ijs vtar ad peccatores puniendos ministris, ac veluti virgam quandã ad pœnas infligẽdas idoneam, eos delinquentibus adhibebo, neq; alijs tantum hominibus, sed etiam populo, qui meus appellatur:adhibebo autem propter magnam ipsius impietatem,& iniqua facinora.& vrbes ipsorũ per eosdem euertendas curabo, & efficiam, vt ea quæ fuerint in vrbibus spolia, ipsi potiantur.ego igitur veluti quodam carnifice Assyrio vtẽs,per ipsum à peccantibus exigam supplicia.Ipse autem inquit non sic cogitauit, Esa. 10.
& animo non sic ratiocinatus est,sed discedet mens eius, & vt disperdat gentes non paucas, & si dixerint ei tu solus es princeps, & dices, non cepi regionẽ quæ est supra Babylonem, & Chalanem, vbi turris ædificata est: & cepi Arabiam & Damascum, & Samariam, quemadmodum has,etiam omnes regiones capiam: per hæc igitur ipsius arrogantiam declarauit. deinde prædicit ea mala, quæ Hierusalem inuasura sint, & ostendit etiam pœnarum causas.vlulate enim,inquit,sculptilia in Hierusalem&in Samaria,quemadmodũ enim feci Samariæ & manufactis eius,sic faciam & Hierusalem, & simulachris eius. didicimus autem Hierusalem haud fuisse superatam à Sennacherim Assyriorum rege,sed Nabuchodonosor translata in Babylonem regia, regiaq; illa vrbe declarata, post excidium Niniue in Iudæam cum exercitu profectum euersa Hierusalem plurimos incolarũ interfecisse, reliquos in seruitutem redactos captiuos abduxisse.ita vt hinc quoque perspicuum sit,diuinam scripturam vnum nouisse Babyloniorum & Assyriorum regnum,quod exijs etiam, quæ subijciuntur, facile est intelligere. Erit enim inquit cùm consummauerit Dominus faciens omnia in monte Sion & Hierusalem, inducet Dominus super mentem magnam principem Assyriorum,& super altitudinem gloriæ oculorum eius. Vltus est Hierusalem Deus non per Sennacherim, qui Assyriorum regno potitus est, sed per Nabuchodonosor. ille enim non modo non expugnauit vrbem, sed omni exercitu amisso solus fugit,& domi à filijs interfectus est, Nabuchodonosor autem & vrbem diruit,& Dei templum combusit,& populum bello captum abduxit. docet itaq; nos diuina scriptura,vt,postquam impleuerit Dominus omnia faciens in monte Sion,& in Hierusalem, quæ comminatus est dicens, vlulate sculptilia in Hierusalem,quemadmodũ enim feci Samariæ,& simulachris eius,ita faciã Hierusalẽ & manufactis eius, inducet super mentem magnam principem Assyriorum. neque dicit Babyloniorum, sed Assyriorum, vnum est enim horum, atq; illorum regnum;& mentem magnam vocat, propter superba & arrogantia consilia. quare etiam meritò adijcit,& super altitudinem gloriæ oculorum eius: neque temere dixit gloriæ oculorum eius, hoc est, quia homo cùm sit, celsissimum & maximum esse se cogitat: dixit enim,in fortitudine faciã,& sapiẽtia intellectus,auferã montes gen-

tium, & fortitudinem ipſorum prædabor, & concutiam vrbes habitatas, & orbem terrarũ totum comprehendã manu mea, ſicut nidum, & ſicut oua derelicta tollã, & non erit qui effugiat me, aut contradicat mihi. ita patefacta cogitatione Aſſyriorũ, ſuperbiam & vana cõſilia reprehendit, ac docet, nihil eorum quæ facta ſunt, ab ipſis fieri potuiſſe, niſi Deus conceſſiſſet, qui voluit pœnas impietatis exigi ab ijs, quibus hæc accidere. quare iure ſubijcit, nunquid gloriabitur ſecuris ſine incidẽte cũ ea, aut exaltabitur ſerra ſine trahente eam? ſimiliter ſi quis extulerit virgam vel lignum. Quemadmodum inquit fieri non poteſt, vt ſponte ſecuris, vel ſerra, aut virga moueatur, tunc enim vnumquodq; horũ operatur, cùm aliquis admota manu ea voluerit commouere, ſic etiam tu mea prouidentia feciſti, quæcunque feciſti, propter eorum ſcelera, qui hæc paſsi ſunt: ne itaque exiſtimes propria ſapientia, & virtute hæc tibi proſpere ſucceſsiſſe. quòd ſi hæc nolis modeſte intelligere, & arrogans ſupercilium comprimere, experientia diſces hæc ita ſe habere, mittet enim dominus Sabaoth in tuum honorem ignominiam, & in tuam gloriam ignem ardẽtem incendet. & alio loco rurſus, hęc dicit Deus prophe
Eſa. 14. tæ. & ſumes planctum hunc ſuper regem Babylonis, & dices in die illa, quo modo ceſſauit exactor? ceſſauit feſtinator? contriuit Deus iugum peccatorum, iugum principum, percutiens gentẽ furore, plaga inſanabili: deinde oſtendit orbis terrarum inſipientiam, omnis terra inquit cum lætitia, & ligna Libani lætabuntur ſuper te, & cedrus Libani, ex quo dormiſti, non aſcendit qui excidat nos. hæc per tranſlationem loquitur, & cedros Libani appellat vel Iſrael illuſtrem & glorioſum, vel dignitate claros, quibus regnũ commiſſum eſt: ac paulo pòſt increpans ipſius faſtũ, admonẽsque vt arrogantiam cõprimat, Quomodo, inquit, cecidit de cœlo Lucifer mane exoriens contritus eſt in terram, qui mittebat ad omnes gentes, tu autem dixiſti in cogitatione tua in cœlum aſcendã, & ſuper aſtra ponam thronum meum, ſedebo in monte ſublimi, ſuper montes excelſos ad aquilonem, aſcendam ſuper nubes, & ero ſimilis altiſsimo; tum humanæ tranquillitatis fragilitatem oſtendit. tu autẽ, inquit, qui hæc cogitare auſus es, in infernum deſcendes, & in fundamenta terræ, qui viderint te admirabuntur ſuper te, & dicent: iſte homo, qui concitabat terram, qui concutiebat reges, qui poſuit totam terram deſertam, & vrbes ipſius deſtruxit, eos qui in captiuitate erant non eſt miſeratus, omnes reges gentium dormierunt in honore, homo in domo ſua, tu autem proijcieris in mõtibus, ſicut mortuus abominabilis, cum multis mortuis percuſsis gladio deſcendẽtibus in infernũ. & ne omnibus de ipſo prædictionibus adductis moleſtia afficiam, & eos, qui nunc audiunt, & eos qui in poſterum hæc lecturi ſunt, ad illa relegatis, quicunq; velint eius ſuperbiam crudelitatemq; cognoſcere, ad propoſitum reuertar. Hunc itaq; auctor omniũ rerum Deus ad pietatẽ ducere volens, multa ei ſæpe ſalutaria adhibuit remedia: & primũ anno ſecundo regni in ſomnis ei ſtatuã illam oſtendit, deindè obliuione ſomnij effecit, vt propheta indigeret, tum per interpretationẽ regũ ſucceſsiones accurate docuit, humanę felicitatis oſtendens breuitatẽ & fragilitatem, ac ſtatim ille vtilitatem percepit, & immenſum cultũ obtulit Danieli, cui quaſi Deo, thus & libamina præcepit offerri. ſed rurſus haud multo interiecto tẽpore imaginem illã erexit, quam omnes ſibi ſubiectos coegit adorare, atq; eos qui pietatẽ antepoſuerant, in pyram inexplebiliter enutritam coniecit. ſed rurſus bonus Dominus adhibita longanimitate pœnas ab ipſo ſuperbię & crudelitatis non exegit, verùm diuinam ſuã virtutem oſtendit, amicis ſuis famulis abilla flãma liberatis. ac denuo parua inde percepta vtilitate laudat auctorem omnium rerũ Deum, extremumq; ſupplicium minatur ijs, qui maledictũ aliquod in ipſum conijciãt. ſed ſtatim, atque adeo ipſo anno rurſus, obliuioni tradito hoc maximo edito miraculo, cũ exercitu ad Hieroſolyma proficiſcitur, & vrbis mœnia demolitur, incenditq; ſanctũ templum, audetq; in eius adyta penetrare. prædatuſq; omnia munera, in Babylonem ea cũ captiuis abduxit. hoc autem de quo loquimur tẽpore profectum illũ eſſe cum exercitu, beatus etiam nos edocet Hieremias, cùm ita dicit. Verbum quod factũ eſt ad Hieremiam à Hiere. 32.
Domino in anno decimo Sedeciæ regis Iuda, hic annus octauus & decimus Nabuchodonoſor regis Babylonis, & exercitus regis Babylonis obſedit Hieruſalẽ. & ſtatuæ hiſtoriam ſcribens beatus Daniel hoc tempus aſcripſit. Anno octauo decimo Nabuchodonoſor rex fecit ſtatuam auream, ita vt perſpicuũ ſit annũ initio illũ poſtulaſſe, vt ſtatua coleretur, deinde premiſſo exercitu ipſum etiam ſecutũ eſſe, atq; Hieruſalem expugnaſſe vndecimo anno Sedeciæ regni, decimo autem nono, quo ipſe regnabat. quando itaq; nullam omnino miſer percepit vtilitatẽ, indignatus auctor omnium rerum Deus, deterret ipſum ſomnio prius, deinde per Danielem, quæ ſomniũ ſignificabat, ei patefecit. & ne ſic quidem ſtatim infert ſupplicium, ſed conſiliũ ei affert, admonetq; per Danielem, annumque totum longanimitate tolerat, expectans eius pœnitentiam. vbi verò nullum remedium ex illius lenitate ac longa patientia decerpere voluit, quæ minatus fuerat infert, ac punit ipſum non ſimplici pœnarum genere, ſed ſuperbam mentem illiam, quę ea ſomniauerat, quæ ſunt ſupra naturam, dementia percutit, & inſania, deinde ferinum effectum curat expellendum, ita vt deſerta diuturno tempore loca incoleret. tum illud quoque molitur, vt malorum, quibus premebatur, ſenſum acciperet, neque enim fieri poterat, vt is documentum, quod ſibi vſui eſſet, perciperet, ſi ita affectus fuiſſet, vt omnino omnis doloris ſenſu careret. ita ſublatis oculis ille celerrimas vitæ mutationes agnoſcit, lamentatur

mentatur autem & luget propriam ſtultitiam, confiteturque Dei regnum ſucceſsione carens in omnia ſæcula permanere. Hæc experientia doctus rurſus propter ineffabilem Dei clementiam in ſuum regnum redijt, ſeque omnibus hominibus iniuriam facere ratus, ſi diuinam prouidentiam occultaret, per epiſtolam omnibus ſibi in orbe terrarum ſubiectis & priſtinam felicitatem narrat, & calamitatem, quæ ſibi acciderat, tum reſipiſcentiam, qua dominum placauit. Hoc eſt igitur epiſtolæ argumentum, quod idcirco pluribus expoſui, quòd & huius ſuperbiam ſcripturæ teſtimonijs oſtendere, & Dei omnium rerum auctoris erga omnes curam indicare volui: Age itaq;, ad ſigillatim hæc interpretanda aggrediamur.

Nabuchodonoſor rex omnibus populis, tribubus, linguis habitantibus in vniuerſa terra, pax vobis multiplicetur.

Vulg. La. *Nabuchodonoſor rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuerſa terra, pax vobis multiplicetur.*

Decet his verbis accommodare illud pro-
Pſal. 118. phetæ dictum, Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. iſte quoque experientia doctus reſipiſcere, pietatis magiſter euaſit, & mala quæ ſibi acciderunt, omnibus hominibus, vt remedia, proponit, neque ſibi tantum ſubiectis, ſed ijs etiam, qui extra ſuum regnum degebant. recte autem & congruenter hac ſalutatione vſus eſt, pax vobis multiplicetur, hoc eſt, ſitis eorum expertes malorum, quæ ego expertus ſum, & pace perpetua fruentes degite. tum ſubijcit.

Signa & prodigia quæ fecit mecum Deus altiſſimus, placuit in conſpectu meo annuntiare vobis.

Vulg. La. *Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus, placuit ergo mihi prædicare ſigna eius.*

Diuinorum, inquit, miraculorum ſpectator ipſe factus, æquum cenſui vos omnes participes & ſocios mihi ipſorum contemplationis aſciſcendos, neque enim vulgaria ſunt, ſed

Magna & fortia, & quàm magna & fortia regnũ eius, regnum æternum, & poteſtas eius in generationem & generationem.

Vulg. La. *Quia magna ſunt, & mirabilia eius, quia fortia, & regnum eius, quia regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione, & generationem.*

Humana enim, qualiacunque fuerint, finem habent, & celerem finem, ſolum autem perpetuum, & quod commoueri nequit, eſt regnum Dei. cumque ita rerum cauſam prius edocuerit, ipſius epiſtolæ facit initium ita narrans.

Ego Nabuchodonoſor abundans eram in domo mea, & florens in throno meo, & pinguis in populo meo.

Vulg La. *Ego Nabuchodonoſor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo.*

Non ſine cauſa ſuum nomen poſuit, ſed vt nomen ipſum verbis quaſi teſtimonium auctoritatem faceret. cùm enim illuſtriſsimus eſſet, quippe omnium, qui in Aſia erant, & Aegypto, & Aethiopia, imperium adeptus, nomen ſuum præpoſuit, quod idoneum eorum quæ dicerentur, eſſet teſtimonium, dixit autem; in ſumma felicitate degens infinitis bonis circumfluebam, quibus fruens

Somnium, inquit, vidi, & perterruit me, & admiratus ſum ſuper omnibus his, & turbatus ſum in cubili meo, & viſiones capitis mei conturbauerunt me.

Somnium vidi quod perterruit me, & cogitatio- Vulg. La.
nes meæ in ſtrato meo, & viſiones capitis mei conturbauerunt me.

In tanta enim felicitate ſomnium vidi mihi moleſtum, ac vehementer perterritus ſum ea ſpecie, quæ mihi in ſomnis oblata eſt, ſed multo magis perturbabar, quòd quæ per ſomnium ſignificarentur non poſſem intelligere, quare hæc interpretandi peritos accerſiui.

Et ingrediebantur incantatores, magi, Gazareni, Chaldæi, & ſomnium dixi ego in conſpectu eorum, & coniecturam eius non indicarunt mihi donec alius ingreſſus eſt in conſpectu meo Daniel, cui nomen Baltaſar ſecundum nomen Dei mei, qui ſpiritum Dei ſancti habet in ſeipſo.

Tunc ingrediebantur arrioli, magi, Chaldæi, & a- Vulg. La.
ruſpices, & ſomnium narraui in conſpectu eorum, & ſolutionem eius non indicarunt mihi, donec collega ingreſſus eſt in conſpectu meo Daniel, cui nomen Baltaſar ſecundum nomen Dei mei, qui habet ſpiritum deorum ſanctorum in ſemetipſo.

Non ſimpliciter hæc poſuit, ſed comparate, vt ipſa comparatione omnibus prophetæ ſapientiam declararet, quare gentes quoque ſapientum Babylonis connumerat, vt oſtendat illos quidem nihil omnino ſcire, hunc vero diuino ſpiritu illuminatum; ipſumque vocat nõ eo tantum nomine, quod illi impoſuerat, ſed addit etiam nomen Hebræum: Daniel, inquit, cui nomen Baltaſar ſecundum nomen Dei mei, ita enim à principio, inquit, admiratus ſum, vt eum nomine illius Dei, qui à me pridem colebatur, appellarim, & cauſam oſtendens, qui ſpiritum, inquit, Dei ſanctum habet in ſeipſo. & hoc quoque ex prophetæ doctrina didicimus. vnde enim alia ex re cognoſcere potuiſſet ſanctiſsimi ſpiritus appellationem, qui adulterinis adeo addictus erat ſimulachris?

Et ſomnium, inquit, coram eo dixi.
Et ſomnium coram ipſo locutus ſum.
Atque ita exorſus dixi. Vulg. La.

Baltaſar princeps incantatorum, quem ego cognoui, quia ſpiritus ſanctus in te, & omne myſterium non eſt impoſsibile tibi, audi viſionem ſomnij, quod vidi, & coniecturam eius dic mihi, & viſiones capitis mei in cubili meo.

Baltaſar princeps ariolorum, quoniã ego ſcio, quòd Vulg. La.
ſpiritum ſanctorum deorum habeas in te, & omne ſacramentũ non eſt impoſsibile tibi, viſiones ſomniorum meorum, quas vidi, & ſolutionem eorum narra: viſio capitis mei in cubili meo.

Pleroſque hominum proſperi ſucceſſus faciunt eorum, qui de ſe bene meriti ſunt, obli-

uiſci, neceſsitates verò quibus premuntur, eos illis in memoriam reuocant, qui beneficia contulerunt, & cùm aliquis proſpera corporis vtitur valetudine, medicæ artis minime recordatur, cùm vero in morbum inciderit, memoria repetit, ſe cùm prius etiam eodem morbo laboraret, alicuius medici ope refectum, eſſe ſe ſalutis potitum. ita etiam Nabuchodonoſor, quando ſanctos illos in pyram conijciebat, beneficij, quod à Daniele acceperat, non meminit, ſed vbi ſomnium vidit, & animo perturbatus eſt, Danielis ſapientiam in memoriam reuocauit, ſimulque priſtini ſomnij narrationẽ, atq; interpretationem, quamobrem etiam ſpiritum Dei habere illum aſſerit, & ad omne myſterium interpretandum idoneum, eumq; hortatur, vt hoc quoq; ſomnium ſibi incognitum & obſcurum declaret, tum ſomnium ita recenſet.

Contemplabar arborem in medio terræ, & altitudo eius peruenit vſque ad cœlum, & latitudo eius ad fines terræ.

Vulg.La. *Videbam & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, aſpectus illius erat vſq; ad terminos vniuerſæ terræ.*

Per arborem, ipſum ſignificari dixit beatus Daniel, altitudinem verò ait vſque ad cœlum peruenisſe, non arboris naturam ſignificans, ſed cogitationes, & quæ ille ſibi animo fingebat. quare etiam Eſaias dicebat, Inducet Deus ſuper mentem magnam regem Aſſyriorum, & ſuper altitudinẽ gloriæ oculorum eius. mentem autem magnam ipſum appellauit, vt eum, qui ſibi magna cogitatione finxiſſet, ac ſomniaſſet. quæ paulo pòſt enarrauit, tu enim dixiſti, ſupra aſtra ponam thronum meum, & ero ſimilis altiſſimo, idcirco proceritatem arboris videt vſque ad cœlum peruenisſe, quia verò etiam toto terrarum orbe, vt ita dixerim, potitus eſt, videt arboris cumulum, id eſt latitudinis molem hinc vſque ad ipſos fines terræ propagari.

Folia eius pulchra, inquit, & fructus eius multus.

Vulg.La. *Folia eius pulcherrima & fructus eius nimius.*

Foliaautem vocat decus illud, quod conſpiciebatur, in veſte & throno, & regijs, & ſcutatis, haſtatis, ſatellitibus ac ſtipatoribus corporis. fructum verò, tributum, quod vndique ei afferebatur, idcirco multum fructum, non autem pulchrum dixit. neque enim iuſte impoſitum erat.

Et cibus omnium in eo.

Vulg.La. *Et eſca vniuerſorum in ea.*

Siquidem & agricolæ ipſius procuratione pace fruentes è terra fructus percipiebant, & milites ab ipſo commeatus accipientes in armis vitam degebant.

Subter eam, inquit, habitabant beſtiæ agreſtes, & in ramis eius habitabant volucres cœli, ex ipſa nutriebatur omnis caro.

Vulg.La. *Subter eam habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cœli, & ex ea veſcebatur omnis caro,*

Nam & ferino more viuentes barbari, & ratione magis vtentes, ac mitiores, & acuto ingenio homines, & alta mẽte præditi, ſub ipſius imperio ac poteſtate vitam traducebant.

Videbam itaque, inquit, in viſione noctis in cubili meo, & ecce Ir, & ſanctus de cœlo deſcendit.

Videbam in viſione capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit. Vulg.La.

Ir vocat vigilantem, ſic enim græca lingua interpretatur, & vigilantem vocat angelum, vt ſignificet corporis experte, qui enim corpore indutus eſt, ſomno obnoxius eſt, qui verò ſomno præſtantior eſt, is eſt liber à corpore. vidi itaq; angelum, cuius natura corporis expers erat, inquit, qui de cœlo deſcendit.

Et clamauit in fortitudine, & ita dixit: excidite arborem, & euellite ramos eius, & excutite folia eius, & diſpergite fructum eius.

Clamauit fortiter, & ſic ait: ſuccidite arborem, Vulg.La. *præcidite ramos eius, & excutite folia eius, & diſpergite fructus eius.*

Et videt angelum qui de cœlo deſcendit, vt diſcat omnium rerum auctorẽ dominum, ipſum eſſe qui contra ſe ſententiam tulit; docetur autem, quis ei regnum tradiderit, amittens regnum. videt enim arborem exciſam, & ramos ſeparatos, hoc eſt, principes, & præfectos, & ſatrapas, & eos, quibus aliquis alius magiſtratus mandatus fuerat, folia autem excuſſa, quam ſibi gloriam cõparauerat, foliorum inſtar fluentem, & tabeſcentem, fructum verò diſperſum, quia cùm rex in illã calamitatem incidiſſet, miniſtri, qui tributum exigebant, ad ſeipſos in reliquum ſine vllo metu lucrum conuertebant.

Commouentur, inquit, beſtiæ ſubter eam, & aues de ramis eius.

Fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de Vulg.La. *ramis eius.*

Qui enim præter voluntatem ei ſeruire coacti fuerant, inuenta occaſione regis mutatione, ab eius imperio deſciuerunt.

Et in vinculo, inquit, ferreo, & æreo, & in herba quæ foris eſt, & in rore cœli pernoctabit.

Et alligetur vinculo ferreo, & æreo, in herbis quæ Vulg.La. *foris ſunt, & rore cœli tingatur.*

Vt is enim qui demẽtiæ, & inſaniæ, ac phreneticomorbo correptus erat, & Corybantum more furore agitatus, contra omnes rabie inſaniebat, neceſſarijs vinculis conſtrictus fuerat, quę tamen haud idonea erant vt ipſum intus detinerent, ſed vagabundus deſertis in locis morabatur, ſub diuo infelix iumentorum inſtar depaſcens herbam. hoc enim ſignificat, cùm dixit,

Et cum beſtijs pars eius, in herba terræ cor eius, ab hominibus commutabitur, & cor beſtiæ dabitur ei, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper ipſum.

Et cum feris pars eius in herba terræ, cor eius ab Vulg.La. *humano commutetur, & cor feræ detur ei, & ſeptem tempora mutentur ſuper eum.*

Hoc itidem Dei longanimitatem declarat, breui enim tempore ſupplicium definit, expectans eam pœnitentiam, quam ſit paritura diſciplina. deinde oſtendit, quæ dicta ſunt ſine controuerſia futura,

Per

Per decretum, inquit, vigilis ſermo, & verbum ſanctorum interrogatio.

Vulg.La. *In ſententia vigilum decretũ eſt, & ſermo ſanctorum, & petitio.*

Mendacio, inquit, verbum caret, angelus enim ſanctus eſt, qui illud dixit, vigilans, corpore carens, dicta autem ſunt hæc, inquit, & fiũt non temere, ſed

Vt cognoſcant viuentes, quia Dominus eſt altiſſimus regni hominum, & cuicunque viſum fuerit, dabit ipſum, & contemptum hominum exurgere faciet ſuper ipſum.

Vulg.La. *Donec cognoſcant viuentes, quoniam dominatur excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituerit ſuper eum.*

Hæc inquit angelus dixit, idcirco euentura ea, quæ ad arborem pertinent, vt hinc diſcant omnes, vnum eſſe Deum, Dominum, ac regem, qui in terris reges conſtituit, & regnum cui voluerit, committit. oſtendens enim ſuam poteſtatem, etiam tenuiſsimum interdum, & qui nullius pretij cenſetur, regem declarat, & eos, qui maximis vtantur honoribus eò redigit, vt illi dicto ſint obedientes. ita abſoluta ſomnij narratione, Danielem ſic alloquitur.

Hoc ſomnium vidi ego Nabuchodonoſor rex, & tu Baltaſar coniecturam dic aperte, vere, & accurate, quia omnes ſapientes regni mei non poſſunt coniecturam ipſius declarare mihi, tu autem potes.

Vulg.La. *Hoc ſomnium vidi ego Nabuchodonoſor rex, tuergo Baltaſar interpretationem narra feſtinus, quia omnes ſapientes regni mei non queunt ſolutionem edicere mihi, tu autem potes.*

Cauſamque oſtendens,

Quia ſpiritus, inquit, ſanctus Dei in te.

Vulg.La. *Quia ſpiritus deorum ſanctorum in te eſt.*

Illi enim humanis rationibus innituntur, tu autem à Deo occulta & arcana diſcis.

Tunc Daniel, cuius nomen Baltaſar, obſtupefactus eſt, quaſi horam vnam, & cogitationes ipſius conturbabant eum.

Vulg.La. *Tunc Daniel, cuius nomẽ Baltaſar, cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare, quaſi hora vna, & cogitationes eius conturbabant eum.*

Oſtendenda enim erat humana imbecillitas, & tunc gratia inſpirans aperienda.

Reſpondit itaque rex, & dixit, Baltaſar, ſomnium hoc, & coniectura eius, ne conturbet te.

Vulg.La. *Reſpondens autem rex ait, Baltaſar, ſomnium & interpretatio eius non conturbent te.*

Vidit enim ipſum perturbatum, & neceſſario conſolans demulcet, cupiens id, quod ignorat, cognoſcere, atque ita cum eo loquitur: ne valde feſtines, ſed paulatim inuentis ijs, quæ per ſomniũ ſignificantur, ea mihi perſpicua facito.

Reſpondit itaq; Baltaſar, & dixit, Domine mi rex, ſomnium hoc ijs, qui te oderunt, & coniectura eius inimicis tuis.

Vulg.La. *Reſpondit Baltaſar & dixit, Domine mi, ſomnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit.*

Sapientiſsime ac prudentiſsime ei moleſta deprecatur, hoc proœmium exorſus, veritatem tamen declarat.

Arbor, inquit, magnificata, & corroborata, cuius altitudo peruenit in cœlum, & latitudo eius in omnem terram, & folia eius florentia, & fructus ipſius multus, & cibus omnibus in ea, ſubter eã habitabant beſtiæ agreſtes, & in ramis eius habitabant aues cœli, tu es rex.

Arborem quam vidiſti ſublimem, atque robuſtam, Vulg.La. *cuius altitudo pertingit ad cœlum, & aſpectus illius in omnem terram, & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & eſca omnium in ea, ſubter eã habitantes beſtiæ agri, & in ramis eius commorantes aues cœli, tu es rex.*

Operæ pretium eſt Danielis admirari ſapientiam; neque enim ſimpliciter dixit, arbor magna, ſed magnificata & corroborata, hoc eſt nõ ab initio fuiſti magnus, ſed paulatim factus es, & potentiam non ab ortu adeptus es, ſed ſenſim eam tibi comparaſti; quare rurſus ſubijcit.

Quia magnificatus es, & inualuiſti, & magnitudo tua magnificata eſt, & peruenit ad cœlum, & dominatio tua in fines terræ.

Qui magnificatus es, & inualuiſti, & magnitudo Vulg.La. *tua creuit, & peruenit vſque ad cœlum, & poteſtas tua in terminos vniuerſæ terræ.*

Et hæc apte admodum & opportune cœlo & terræ accommodauit: dominationem enim dixit peruenisſe ad fines terræ, hoc eſt, poteſtatem, ad cœlum verò nõ item dominationem, ſed magnitudinem, hoc eſt cogitationis phantaſiam.

Et quia vidit, inquit, rex vigilem, & ſanctum deſcendentem de cœlo, & dixit, euellite arborem & corrumpite ipſam, verumtamen germen radicum eius in terra ſinite, & in vinculo ferreo, & æreo, & in herba quæ foris eſt, & in rore cœli pernoctabit, & cum beſtijs agreſtibus pars eius, donec ſeptem tempora immutentur ſuper eam, & hoc coniectura eius rex.

Quod autem vidit rex vigilem, & ſanctum deſcen- Vulg.La. *dere de cœlo, & dicere, ſuccidite arborem, & diſſipate illam, attamen germen radicum eius in terra dimittite, & vinciatur ferro, & ære, in herbis foris, & rore cœli conſpergatur, & cum feris ſit pabulum eius, donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum, hæc eſt interpretatio altiſſimi, quæ peruenit ſuper dominum meum regem.*

Et fidem orationi faciens, neceſſario ſubiecit, & decretum altiſſimi eſt, quod peruenit ſuper dominum meum regem. Hinc plane diſcere licet Apoſtolicæ doctrinę vtilitatem, Omnis enim anima, inquit, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, etenim beatus quoque Daniel dominum ipſum impium regem vocat, & legi poteſtatis obediens cõgruis vſus eſt applellationibus, ac moleſtam eſſe ſomnij veritatem oſtendit. Rom. 13.

Expellent enim te, inquit, ab hominibus, & cum beſtijs agreſtibus erit habitatio tua, & fœno vt bouem edent te, & à rore cœli corpus tuum inficietur, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te.

Eijcient te ab hominibus, & cum beſtijs, feriſq; e- Vulg.La. *rit habitatio tua, & fœnũ vt bos comedes, & rore cœli infunderis. ſeptẽ quoq; tempora mutabuntur ſuper te.*

Septem autem tempora alij ſeptem annos dixerunt, alij tres cum dimidio, neque enim in quatuor conuerſiones diuina ſcriptura annũ diuidit, ſed in duas maxime generales partes, hyemem, & æſtatem. ſeptem igitur huiuſcemodi partes tres annos cum dimidio perficiunt, ac tantum temporis, inquit, in calamitate deges.

Donec cognoſcas, quia dominetur altiſſimus regno hominum, & cui viſum fuerit dabit ipſum.

Vulg. La. *Donec ſcias, quòd dominetur excelſus ſuper regnũ hominum, & cuicunque voluerit, det illud.*

Quando enim ſomnias, inquit, te Deum eſſe, immo vero etiam ſuperiorem Deo, adimet tibi Deus etiam humanam cogitationem, effi cietque vt ſimilis euadas beſtijs feris vt experientia percipias, quid homo, quid Deus, & quid humana felicitas, & quid regnum diuinum: & fieri non poſſe, vt quis illud cõſequatur inuito Deo.

Et quia dixit, inquit, ſinite plantam radicum arboris, regnum tuum tibi manet, ex quo cognoueris regnum cœleſte.

Vulg. La. *Quod autem præcepit vt relinqueretur germen radicum eius, id eſt, arboris regnum tuum tibi manebit, poſtquam cognoueris poteſtatem eſſe cœleſtem.*

Cùm enim regno ſpoliatus, fueris illa omnia perpeſſus, agnoſces regni largitorem, quo agnito priſtinam poteſtatem recuperabis, vt & ademptione, & redditione plane percipias, quis omnium ſit rerum gubernator, quis ſapienter omnia regat, & moderetur. ita prædictis futuris admonitionem & conſiliũ optimum affert, remediumque adhibet vulneri conſentaneum.

Idcirco rex, inquit, conſilium meum placeat tibi, et peccata tua in eleemoſynis redime, & iniuſtitias tuas in miſerationibus pauperum.

Vulg. La. *Quamobrem rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.*

His autem inexplebilẽ illius crudelitatem declarat, quam in ſibi ſubiectis exercuerat: Vis inquit clementiæ fructum percipere? hanc eandem erga eos oſtendito, qui vnam tecũ ſortiti ſunt naturam, ita enim iudici perſuadere poteris, vt minas extinguat, neque ſinat eas ad exitum perduci.

Forſitan enim, inquit, erit longanimitas delictis tuis.

Vulg. La. *Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.*

Propheta igitur hanc ſententiam expoſuit, ille vero cùm ſe durum & inexorabilem præbuiſſet, ſcelerum præmia tulit, & quæ audiuerat triſtia, hæc oculis conſpicatus eſt. deinde tempus etiam indicat diuinæ longanimitatis, nam cùm duodecim menſes effluxiſſent, prædictæ minæ certo rerum comprobatæ ſunt euentu, & cùm tantum temporis ei ad reſipiſcẽdum datum fuiſſet, male definitum pœnitentiæ tempus conſumpſit, ad quẽ beatus Pau-

Rom. 2. lus merito dixerit, An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contẽnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram, in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundũ opera eius, ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam, ijs vero qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. hæc enim etiam Nabuchodonoſor euenere, qui Dei longanimitate non opportune vſus eſt. cuius rei teſtis eſt ipſe, qui ita narrat.

Et poſt duodecim menſes in templo regni eius in Babylone deambulabat, & ſuper mœnia ciuitatis cum omni gloria ſua, & ſuper turres eius incedebat, & reſpondit rex & dixit, Nónne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in potentia fortitudinis meæ, in honorem gloriæ meæ?

Poſt finem menſium duodecim in aula Babylonis Vulg. La. *deambulabat, reſpondítque rex & ait, Nónne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in roborefortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?*

Intuere mentis faſtum, inſpice arrogantiæ exuperantiam, ego enim ipſam, inquit, regiam vrbem feci, regia in ipſa cõſtituta in honorem gloriæ meæ, & hæc feci potentia maxima præditus, omniumque potitus: verum hæc glorians & fremens locutus eſt, at Dominus Deus ſtatim ſupplicium intulit.

Cùm enim ſermo, inquit, adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo facta eſt.

Cúmque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœ- Vulg. La. *lo ruit.*

Nam, quia in cœlum aſcendere ſe ſomniauit, illinc ſententiam de ſe latam ſentit, & quia non ſatis ei fuere ædes regiæ in terris deorſum, ſed ſimul etiã ſuperiores dementer appetijt, ijs etiam priuatur, quas deorſum obtinebat, & qui cœlũ rapere voluerat, è terra quoque expellitur. vox itaque de cœlo venit.

Tibi, tibi dicitur Nabuchodonoſor rex.

Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex. Vulg. La.

Pronominis duplicatio non temere apponitur, ſed ad euidentiorem illius reprehenſionem, cui hæc dicuntur, ipſumque adhuc regem vocat, & præſentem adhuc gloriam, & haud multo pòſt futuram ignominiam oſtendens.

Regnum tuum, inquit, tranſiit à te, & ab hominibus te expellent, & cũ beſtijs agreſtibus habitatio tua, & fœno quaſi bouem, cibabunt te, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec cognoſcas quia dominatur altiſſimus regno hominum, & cui viſum fuerit, dabit ipſum.

Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus eiçi- Vulg. La. *ent te, & cum beſtijs et feris erit habitatio tua, fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud.*

Deinde oſtendens ſupplicij celeritatem, & orationem ilico conſecutam rem eſſe,

Eadem, inquit, hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ab hominibus expulſus eſt.

Eadem

Vulg. La. *Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abiectus eſt.*

Expulſus primum eſt propter ipſum morbum, furore enim, & rabie correptus infinita mala perpetraſſet, ſi modo ei facultas data fuiſſet. deinde etiam propter odium, quod in illum omnes habentes, cùm valebat, occultare conabantur. cùm vero in calamitatem incidiſſet, omnes ei inſultabant, ob crudelitatem ipſum abominati.

Et fœnum, inquit, vt bos comedit.

Proprium eſt enim deſipientiũ, non ſolum dicere ac facere ea, quæ ratione & ordine careant, ſed omnia etiam, in quæcunque inciderint, comedere. quod cerni etiam nũc poteſt in ijs, quià dæmonibus vexantur, talia enim & faciunt & patiũtur. neque ſolum vt bos comedit fœnum, verum

Etiam à rore cœli corpus eius infectum eſt.

Vulg. La. *Et rore cœli corpus eius infectum eſt.*

Sub diuo enim defatigatus, nudoq; corpore cum gelu & æſtu conflictans, neceſſario alium colorem accepit.

Donec capilli eius quaſi leonum magnificati ſunt, & vngues eius, quaſi auium.

Vulg. La. *Donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius, quaſi vngues auium.*

Non detonſus enim vſitato more, neq; reſectis vnguium excrementis, neceſſario tamdiu eiuſcemodi habuit & capillos & vngues. his autem omnibus ſignificabat neglectum ipſum, & nullæ curæ alicui fuiſſe, diuina enim prouidẽtia deſtitutus, ne propinquorum quidem cura potitus eſt, cùm præſertim ipſi adeſſent vxor, liberi, & cognati, ſed inſtar feræ inculta loca peragrabat, beſtiarum cibum ventri indulgens, nam quia homo cùm eſſet, & in

Pſal. 84. honore maximo, non intellexit, ſed comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, & in ſibi ſubiectos ferina mente & animo fuerat, merito etiam ferina & agreſti vita iuſtiſſime damnatus fuit, verum clemẽs Dominus remiſſo ſupplicio, vt benignus, quique experientia docuerat, ſe eſſe omnium Dominum, rurſus ipſum reduxit, ac priſtinum ei regnum commiſit.

Poſt finem enim dierum, inquit, ego Nabuchodonoſor oculos meos in cœlum ſuſtuli.

Vulg. La. *Igitur poſt finem dierum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui.*

Non ſine cauſa adiecit, ego, ſed vt omnes homines doceret, quaſi ita dicat, ille ego, qui tanta olim arrogantia dixeram, quis eſt Deus, qui eruat vos de manibus meis? qui ſomniaueram fore, vt in cœlum aſcenderem, & ſuper aſtra ponerem thronum meum, experientia doctus didici, quid deceat, meo ſupplicio ſapere didici, meam ſeruitutem agnoui, idcirco etiam in cœlum oculos meos ſuſtuli. quod ſimul ac feci,

Et mens mea ad me reuerſa eſt.

Et ſenſus meus redditus eſt mihi.

Vulg. La. Id eſt, ab inſania liberatus fui, ſtatimque ratione conualui, & mentem recepi.

Et altiſſimo benedixi, & viuentem in ſæcula laudaui, & glorificaui, quia poteſtas eius poteſtas æterna, & regnum eius in generationem, & generationem.

Et altiſſimo benedixi, & viuentem in ſempiternum Vulg. La. *laudaui, & glorificaui, quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnum eius in generatione, & generationem.*

Cùm enim experientia didicerit, quid homo, quid Deus, altiſſimum & viuentem appellat, & regem ſempiternum vocat, propriamq; tenuitatem agnoſcit, quare

Et omnes, inquit, habitantes terram, in nihilum reputati ſunt.

Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum Vulg. La. *reputati ſunt.*

Nam vſque ad præſens tempus exiſtimaueram meipſum maximum & altiſimum eſſe, nunc autem aperte cognoui omnẽ hominum naturam, ſi Deo cõpararetur, nihil eſſe. cumque quæſiſſet tenuitatis nomen, ac nullum dignum inueniſſet, illud, nihil, poſuit. quod lubricæ & fluxæ naturæ idoneam habet declarationem. & Deum quidem, & altiſsimum, & Dominum, & viuentem, & regẽ ſempiternum vocauit, omnes vero homines nihil appellauit. ita etiam beatus Eſaias diuinam ſimulachris comparans naturam, humanum genus in medium protulit.

Eſa. 40. *Si enim omnes gentes, inquit, ſicut ſtilla à ſitula, & ſicut momentum ſtateræ reputatæ ſum, & quaſi ſaburra reputabuntur, libanus autem non idoneus ad comburendum, & omnia quadrupedia non ſufficient ad holocauſtum, & omnes gentes in nihil ſunt, & in nihilum reputatæ ſunt ei; cui aſſimilabitis Dominum, & cui imagini aſſimilabitis eum?*

Ecce gentes, quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentũ Vulg. La. *ſtateræ reputatæ ſunt, ecce inſulæ quaſi puluis exiguus, & libanus non ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia eius non ſufficient ad holocauſtum, omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilũ & inane reputatæ ſunt ei. cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?*

Tantum vtilitatis ex calamitatibus percepit Nabuchodonoſor, vt prophetæ inſtar de Deo & ſentiat, & loquatur.

Omnes inquit habitantes terram quaſi nihil reputati ſunt, & ſecundum voluntatem ſuam facit, in virtute cœli, & in habitatione terræ.

Et omnes habitatores terræ apud eum in nihi- Vulg. La. *lum reputati ſunt, iuxta enim voluntatem ſuam facit, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ.*

Atque hæc etiam alius prophetæ doctrina eſt, etenim beatus Dauid, omnia, inquit, quæ- Pſal. 134. cunque voluit Dominus, fecit, in cœlo, & in terra, hoc etiam iſte prædicat, quæ enim vult, inquit, & in virtute cœli, & in habitatione terræ moderatur, ac dominatur nõ modo terræ, ſed etiam cœlis ipſis. deinde oſtendens poteſtatem eius inexpugnabilem.

Et non eſt, inquit, qui reſiſtat manui eius, & dicat ei, quid feciſti?

Et non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei quare Vulg. La. *feciſti?*

Neceſſe eſt enim quæ ab eo fiunt, ſiue iucunda

cunda ſint,ſiue moleſta,ijs eſſe contentũ,cùm temerarium ſit aduerſari,& ea culpare,quę ab ipſo ſapienter adminiſtrarentur. hæc, inquit, cùm cognouiſſem,& confeſſus eſſem,& gloriam altiſſimo tribuiſſem,ad meipſum redij,& priſtinum recepi cum pietate regnum.

Eo enim tempore mens mea reuerſa eſt ad me, & ad honorem regni mei veni, & forma mei rediit ad me.

Vulg.La. *Inipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me,& ad honorem regni mei, decoremq; perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me.*

Squalens enim ſitu,vt par erat,& ſordeſcẽs, detonſus,abiectiſque vnguium excrementis, ſordibusque ablutis,diuinę gratię compos factus,agnouit ſe illum eſſe hominem,qui prius maximum adminiſtrabat regnum.

Et tyranni mei, inquit, & optimates, quærebant me.

Vulg.La. *Et optimates mei, & magiſtratus mei requiſierunt.*

Etenim illi abiecto odio, beneuolo animo erga me affecti ſunt, mihique reconciliati.

Et in regnum meum confortatus ſum, & magnitudo amplior addita eſt mihi.

Vulg.La. *Et in regno meo reſtitutus ſum, & magnificentia mea amplior addita eſt mihi.*

Et hoc item pietatis plenum eſt verbum. neque enim dixit magnitudinem ampliorem adeptus ſum, ſed addita eſt mihi, & largitoré ſignificans, & bonorum commendans auctorem.

Nunc igitur,inquit,ego Nabuchodonoſor,laudo & extollo & glorifico regem cœli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & omnes incedentes in ſuperbia,poteſt humiles facere.

Vulg.La. *Nunc igitur ego Nabuchodonoſor laudo,& magnifico, & glorifico regem cœli,quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.*

Expertus enim moleſta, deinde ab ipſis liberatus,laudo & celebro eum, qui hæc & illa mihi vtiliter intulit, & ſapientiſſime; ac noui ipſum cœli regem,& omnium Dominum, veritate & iuſtitia omnia moderantem, quique ſuperbia elatos poteſt ad humilitatẽ redigere. Cùm itaque didicerimus,quantum ſuperbia & faſtus hominibus afferat detrimẽti, eoſque qui his vitijs gaudeant, haud bonos fructus colligere, parentem bonorum humilitatem adipiſcamur. hanc enim Dominus quoq; poſſeſſionem beatam cenſet, quaſi eam quæ

Matth.5. prouentum habeat regnum cœlorum. Beati enim pauperes ſpiritu, inquit,quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum,& ſeipſum exemplar ijs,

Matth.11. qui iuuari voluerint proponens, diſcite à me inquit,quia mitis ſum & humilis corde. & oſtendens qualis & quantus horũ ſit fructus,ſtatim ſubiecit,& inuenietis requiẽ animabus veſtris; quòd ſi omnium effector & Dominus humilem ſeipſum vocat,ac rebus ipſis oſtendit, quo alio loco conſilij indiget homo,puluis,lutum,vel gleba,vel cinis,vel vanitas,flos, fœnum, hæc enim omnia à diuina ſcriptura appellatur: erubeſcamus itaque Domini modeſtiam,qui cùm dives eſſet,propter nos mendicus factus, eſt, vt nos illius egeſtate diuites eſſemus,& mortalem naturam agnoſcamus, & præſentis tranquillitatis breuitatem contemplantes,nihil arrogans,aut ſuperbum propter præſentem rerum ſtatum cogitemus,quin potius ipſarum caducam breuitatem & inconſtantiam rideamus, & bona illa conſequi expetamus,quæ ita cõparata natura ſunt, vt perpetua ſint atque ſtabilia,quibus frui nobis omnibus liceat,gratia & clementia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria cũ ſancto ſpiritu nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum Amen.

ORATIO V.

Nabuchodonoſor, Euilad Marodach, Baltaſar.

Baltaſar rex fecit cœnam magnam optimatibus ſuis.

Baltaſar rex fecit grande conuiuium optimatibus Vulg.La.
ſuis mille.

Hic filius eſt quidem Nabuchodonoſor, nõ ſtatim autem ipſi ſucceſsit, Euilad Marodach enim frater ipſius maior natu regnauit, 4.Reg.25.
idq; nos docet regum hiſtoria, & beatus Hieremias propheta,qui ita narrat.

Et factum eſt in trigeſimo & ſeptimo anno tranſmigrati Ioacim regis Iuda, in duodecimo menſe, in Hier.52.
quarta & vigeſima menſis, accepit Euilad Marodach rex Babylonis in anno quo regnauit,caput Ioacim regis Iuda,& eduxit ipſum de domo, vbi cuſtodiebatur, & locutus eſt ei bona,& dedit ei thronum regum,qui cum eo erant in Babylone,& mutauit veſtem carceris eius,& comedebat ſemper panem ante faciem illius omnes dies,quos vixit.

Et factum eſt in triceſimo ſeptimo anno tranſmi- Vulg.La.
grationis Ioacim regis duodecimo mẽſe viceſima quinta menſis,eleuauit Euil Merodach,rex Babylonis ipſo anno regni ſui, caput Ioacim regis Iudæ, & eduxit eum de domo carceris, & locutus eſt cum eo bona, & poſuit thronum eius ſuper thronos regum, qui erant poſt ſe in Babylone, & mutauit veſtimenta carceris eius,& comedebat panem corã eo ſemper cunctis diebus vitæ ſuæ.

Hic autem Ioacim ille eſt, qui item Iechonias dictus fuit, nam Ioacim huius patrẽ, qui & Eliacim nominatus eſt,cuius tẽpeſtate beatus Daniel in ſeruitutem redactus eſt, in Hieruſalem interfectum proiecit extra murum, vt diuina docet ſcriptura. poſt Nabuchodonoſor itaque Euilad Marodach regnat, poſt quem Baltaſar. huius autem memoriam reliquit ſanctiſsimus Daniel, quãdoquidem non ſimpliciter hiſtoriam,ſed prophetiam conſcribit: quamobrem ne omnia quidem quę à Nabuchodonoſor geſta ſunt,conſcripſit, ſed illa dũtaxat,quorum neceſſaria vtilitatis ergo erat memoria, quando itaque maximum etiam in Baltaſar oſtendit Deus miraculũ,quodque idoneum eſſet ad ingenerandũ timorem cum pietate non ſolum ijs, qui tunc viuebant, ſed etiam poſteris, ducendumque ad veram pietatem,

tatem,non exiſtimauit æquum eſſe tantum beneficium ſilentio occultare,ſed opinatus eſt ſe religioſe facturum,ſi litteris ipſum proderet, & omnibus doctrinæ monimẽtum relinqueret. quare

Baltaſar,inquit, rex fecit cœnam magnã optima-
Vulg.La. *tibus ſuis mille, & coram mille vinum.*

Baltaſar rex fecit grande conuiuium optimatibus ſuis mille, & vnuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem.

Hoc eſt,vinum mille ſufficiens, ad tantum numerum paratum.

Bibens autem,inquit, Baltaſar dixit in guſtu vini, vt afferrentur vaſa aurea,& argẽtea, quæ aſportauit pater eius Nabuchodonoſor de templo,quod eſt in Hieruſalem, & bibebant in eis,rex, & optimates eius, & concubinæ eius,& pellices eius.

Vulg.La. *Præcepit ergo iam temulentus,vt afferrentur vaſa aurea,& argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo, quod fuerat in Hieruſalem, vt biberent in eis rex,& optimates eius,vxores,& concubinæ illius.*

His autem docet nos propheta non ſolum impietatis exuperantiam, ſed etiam damnum ab intẽperantia vini profectum: Bibens enim rex,inquit,dixit in guſtu vini vt afferrentur vaſa aurea & argentea, obruit enim rationem ebrietas, & incontinentia peperit inſaniam: & dedicata diuino cultui vaſa Nabuchodonoſor pater ipſius à Deo tradita ſibi,cepit, ſed in honore habuit,vt conſueuit,& ab humanis vſibus ea vindicauit. His iſte vt communibus & profanis auſus eſt vti, neque ſolum dixit, ſed etiam re verba executus eſt.

Allata enim ſunt vaſa, inquit, aurea & argentea, quæ aſportauit Nabuchodonoſor de templo Dei, quod eſt in Hieruſalem.

Vulg.La. *Tunc allata ſunt vaſa aurea, quæ aſportauerat de templo,quod fuerat in Hieruſalem.*

Recte autem inſolentię oſtendit exuperantiam, cùm præter templum, Dei quoque meminerit; templique oſtendens nobilitatem, ipſius Hieruſalem nomẽ apposuit; hæc enim vaſa,inquit,non aliquibus ex ijs, qui ſolum videntur,& ſolum nomen habent deorum,ſed ipſi,qui præeſt omnibus,Deo, dicata erant,qui Hieruſalem elegit,& templũ quod in ipſa eſt, ſua gloria cõpleuit,verum hęc,quæ nefas erat attingere,& auctori omnium rerum Deo conſecrata, non tanquã indigenti, ſed tanquã eorum qui dedicarent, gratum animum approbanti, impius rex in medium afferri iuſsit,& in ipſis bibebat,neq; ſolum ipſe, ſed etiam optimates illius,& pellices bibebant vinum.

Vulg.La. *Et biberunt in eis rex, & optimates eius, vxores & concubinæ illius bibebant vinum.*

Hoc eſt ebrietatis inſtrumenta, fecit diuini miniſterij inſtrumenta,præcepitque vt quæ ſuam explebant laſciuiam,per hæc vino frueretur. deinde extremam oſtendens impietatem propheta ſubiecit.

Et laudarunt deos aureos, & argenteos, & æreos,
Vulg.La. *& ferreos,& ligneos,& lapideos.*

Et laudabant deos ſuos aureos,& argenteos, æreos,ferreos,ligneosq;, & lapideos.

Crapulans enim improbiſsimus, & diuinis vaſis deliciarum & voluptatis cauſa vtens, omnium rerum Dominum obliuiſcebatur, laudibus vero eos,qui non eſſent dij,celebrabat, ex inanima materia confectos, quique ab arte non eam vim acceperant, qua efficere aliquid poſſent, ſed ſolam formam efficacitatis expertem. verum non tulit omnium rerum moderator, ſua longanimitate, & eos homines,qui tunc viuebant,& poſteros ea re lędi,ſed ſtatim ſuam potentiam oſtendit.

In ipſa enim hora, inquit, exijt articulus manuum hominis & ſcripſit contra lapidem, in tectorio parietis domus regis, & rex contemplabatur articulos manus ſcribentis.

In eadem hora apparuerunt digiti,quaſi manus ho- Vulg.La.
minis ſcribentis contra candelabrum, in ſuperficie parietis aulæ regiæ, & rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis.

Quãdo enim ab omni efficacitate vacua laudauit ſimulacra, & omnium Deum contempſit,docet ipſum omnium rerum opifex,ſuam naturam eiuſmodi eſſe, quæ cerni nequeat, & corpore carentem,ſolos enim digitos ipſi ſcribentes oſtendebat, eruditens item ne ſic quidem hos ab illo conſpici potuiſſe, niſi ipſe huius rei præbuiſſet occalionem. maximam item conuiuię hinc percipiebant vtilitatem,qui docebantur Dei poteſtatem, præterquam quòd intelligebant eum corporis expertem, & oculis cerni minime poſſe, deorum vero, quos ipſi laudauerant, imbecillitatem, & eiuſmodi naturam,quæ nihil omnino poſſet,cùm ex ſola inanima materia conſtarent. hoc autem miraculo ingentem metum omnibus incuſſum fuiſſe,teſtatus eſt propheta,qui ita dixit.

Tunc regis forma immutata eſt, & cogitationes eius conturbabant ipſum,& compages lumborum illius diſſoluebantur, & genua eius collidebantur.

Tunc facies regis commutata eſt, & cogitationes Vulg.La.
eius conturbabant eum,& compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur.

Quòd ſi digitorum ſcribentium ſpecies ita perterruit eum, qui maximum adminiſtrabat regnum, vt etiam articulorum compages præ metu diſſoluerentur, & artus tremore occupati concuterentur: quid non ſuſtinuiſſet Deo infeſtus, ſi preſteras, id eſt fulminis genus, aut fulmina conſpexiſſet, aut angelos torue intuentes, & nouo figuræ habitu deterrentes, quorum conſpectum ne magnus quidem Daniel abſque metu ferre potuit? ſuperbit terra & cinis. tanto itaq; ter- Eccleſiaſt.
rore perculſus.

Exclamauit voce magna, vt introducerentur magi, Chaldæi, Gazareni.

Exclamauit itaque rex fortiter, vt introducerent Vulg.La.
magos, Chaldæos,& aruſpices.

Metus enim vocẽ excutiebat, & animi perturbatio ſtimulabat, vt ſententiam intelligeret, tum præmium ſcripturam legenti, eiuſq; interpretationem afferenti proponit, veſtem regiam,& auream torquem,& vt tertiũ locum poſt regem obtineret.

Et pro-

Et proloquens rex ait ſapientibus Babylonis, quicunque legerit ſcripturam hanc, & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, & torquem aureum habebit in collo, & tertius in regno meo erit.

Sed magorum & Chaldęorum conuinceba tur impietas, qui rationem inuenire nõ poterant, qua diuinas litteras legerent, præſertim tanto propoſito præmio, quod ipſos valde incitabat.

Rex autem Baltaſar perturbatus eſt, & forma eius immutata eſt ſuper eum, & optimates ipſius conturbabantur.

Vulg. La. *Vnde rex Baltaſar ſatis conturbatus eſt, & vultus illius immutatus eſt, ſed & optimates eius turbabantur.*

Hinc perſpicuum eſt, dominum, cui curæ erat aliorum vtilitas, non ſtatim regi vitam ademiſſe, qui primum ſcribentis digitos oſtendit: quare cùm ipſum regem perculiſſet, terroremq; ei iniecíſſet, effecit, vt Chaldæorum ſapientes accerſerentur, quorum mendacium coarguit, & imbecillitaiem, eoque redegit, vt ſapientia Danielis opus haberet, cuius lingua & ipſum reprehenderet, & alijs benefaceret, & his ita geſtis tunc impio regi ſupplicium inferret. perturbato itaque & rege, & conuiuis,

Regina contra ſermones regis, & optimatum eius, in domum conuiuij ingreſſa eſt.

Vulg. La. *Regina autem pro re, quæ acciderat regi, & optimatibus eius, domum conuiuij ingreſſa eſt.*

Hoc eſt, conſultantibus ipſis, quidnam facto opus eſſet, & alijs alia afferẽtibus, quæ metus cogebat, regina ingreſſa eſt: videtur autem hæc mihi mater ipſius eſſe; vxores enim cum pellicibus conuiuij participes erant, bibebant enim in vaſis aureis, & argẽteis ipſe, & optimates eius, & concubinę ipſius: hoc eſt vxores eius, & pellices eius, quæ non legitimè, ſed laſciuiæ cauſa cum illo conſueuerant; ipſa autem poſt perturbationem ingreſſa eſt, & veriſimile erat eam, vt ſenio confectam neque ebrietati, neq; luſibus, aut ſaltationibus cum alijs tunc indulſiſſe.

Et reſpondit, inquit, regina & dixit, rex in ſæcula viue.

Vulg. La. *Et proloquens ait, rex in æternum viue.*

Hæc autem erat præfatio, qua ſubiecti regibus eos tunc ſalutabant, & ad hoc vſque tempus hic mos inualuit: quidam enim imperiti, reges eos, qui nunc ſunt, æternos vocare conſueuerunt, in ſyngraphis quoque commerciorum hoc quidam aſcribunt, ſtultitiæ magis quàm impietatis damnandi. ait itaque regina.

Ne conturbent te cogitationes tuæ, & forma tua non immutetur.

Vulg. La. *Non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.*

Deinde cauſam affert, cur metum abijciat.

Eſt adhuc vir inquit in regno tuo, in quo ſpiritus Dei ſanctus eſt, & in diebus patris tui vigilantia & intelligentia inuenta eſt in eo.

Vulg. La. *Eſt vir in regno tuo, qui ſpiritũ deorum ſanctorum habet in ſe, & in diebus patris tui ſcientia & ſapientia inuentæ ſunt in eo.*

Hic etiam percipere licet, matrẽ illius hanc eſſe, idcirco & ea, quæ pridem geſta fuerant, vt ignarum, docet, & beatum ei Danielem indicat, quem diuino ſpiritu plenum eſſe confitetur, & eiſdem verbis, quibus olim Nabuchodonoſor, vſa eſt: hæc eadem enim ille quoque de Daniele dixit: addiditq́ue, & in diebus patris tui, vigilantia & intelligentia inuẽtæ ſunt in eo, & vigilantiam vocauit animi ſobrietatẽ, intelligentiam vero occultorum cognitionem, & eorum, quæ multos laterent, contemplationem.

Et rex inquit pater tuus Nabuchodonoſor, principem incãtatorum, magorum, Chaldæorum, Gazarenorum conſtituit ipſum.

Et rex Nabuchodonoſor pater tuus, principem ma Vulg. La. *gorum, incantatorum, Chaldæorum, & aruſpicum conſtituit eum, pater, inquam, tuus ò rex.*

Tum etiam cauſam adijcit.

Quia ſpiritus excellens in ipſo.

Quia ſpiritus amplior. Vulg. La.

Hoc eſt excellentem habet ſpiritus gratiam, tum ſpiritualis virtutis ſpecies connumerat.

Et prudentia, inquit, & intelligẽtia conijciens ſomnia, & annuntians occulta, & ſoluens coniunctiones Daniel.

Et prudentia, intelligentiaq́;, et interpretatio ſom- Vulg. La. *niorum, & oſtenſio ſecretorum, ac ſolutio ligatorum inuentæ ſunt in eo, hoc eſt in Daniele.*

Hic enim diuini ſpiritus vas effectus, ſapienter omnia conſulit, & prudẽter omnia loquitur, & ſomniorũ ænigmata declarat, & ea quæ obſcuritate aliqua occulta ſunt, ab obſcuritate vindicat, & veluti ſubligacula quædam & ſigilla, & quaſi ea quæ in penu cuſtodiuntur, à vinculis liberans ſoluit, & aperit, & ad ipſa, quicunque velint, introducit. hoc enim ſignificat, annuntians occulta, & ſoluens coniunctiones Daniel, & hac de cauſa

Rex inquit impoſuit ei nomen Baltaſar.

Cui rex poſuit nomen Baltaſar. Vulg. La.

Vbi enim vidit ipſum diuina virtute illuminatum, Dei ſui nomine appellandum cenſuit.

Nunc igitur vocetur Daniel, & coniecturam eius annuntiabit tibi.

Nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem Vulg. La. *narrabit.*

Neque dicit vocetur Baltaſar: cùm enim experientia docti cognouiſſent prophetæ virtutem, anteponunt Chaldææ Hebręam appellationem. quare, in reliquum ipſum Danielem nominant.

Tunc, inquit, Daniel ingreſſus eſt in conſpectu regis, & dixit rex Danieli, tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudææ?

Igitur introductus eſt Daniel coram rege, ad quẽ Vulg. La. *præfatus rex ait, tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudæa, quem adduxerat pater meus rex de Iudæa?*

Videtur iſte præ multa impietate poſt patris obitum Danielis conſuetudinem fugiſſe, quare ſtatim terrore perculſus magos quidé & Chal-

& Chaldæos vocat, ſed prophetæ memoriam etiam ab animo abiecerat: verum vbi ipſius mater ea commemorauit miracula, quæ patris illius memoria facta fuerant, & accerſitus Daniel ingreſſus eſt, ſtatim ipſum agnouit, neque enim, ſi non agnouiſſet, generis illius mentionem feciſſet, & Iudææ captiuitatem in medium protuliſſet, attamen percontatur, & ait: tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudęæ? cumq́ue ille nondum reſpondiſſet,

Audiui, inquit, de te, quia ſpiritus Dei ſanctus in te, & vigilantia, & intelligentia, & ſapientia excellentior inuenta eſt in te.

Vulg. La. *Audiui de te, quoniam ſpiritum deorum habeas, & ſcientia, intelligentiaq́;, ac ſapientia ampliores inuentæ ſunt in te.*

Illud de hoc quoque dici congruenter poteſt, quod de Iſrael dicebat propheta, cùm occideret eos, tunc quærebant eum: ecce enim iſtum quoque diuinæ ſententię metus coegit, Deum qui vere eſt, pro ijs, qui nõ ſunt dij, Deum appellare, & ſancti ſpiritus gratiam celebrare, & Babylonis quidem ſapientes accuſare, qui diuinam ſcripturam cognoſcere nequiuerint, hortari vero Dei prophetã, vt ea, quæ ignorabat, indicaret. & ipſi itẽ pollicetur, purpuream ſe veſtem largiturum, & torquem, & tertium in regno locum: ſed beatus Daniel irriſis impij regis pollicitationibus, dixit ei,

Pſal. 77.

Dona tua tibi ſint, & munus domus tuæ alteri da, ego autem ſcripturam legam regi, & cõiecturam indicabo tibi rex.

Vulg. La. *Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da, ſcripturam autem legã tibi rex, & interpretationem eius oſtendam tibi, ò rex.*

Apoſtolica reuera prophetarum vox eſt: etenim illos dominus prędones mittens omnibus hominibus ita hortatus eſt, gratis accepiſtis, gratis date, & beatus hic propheta regi dixit, dona tua tibi ſint, & munus domus tuæ alteri da, ego autem ſcripturam legã regi, & coniecturam indicabo tibi rex: neq; enim diuina vendere didici, neque humanam mercedem pro diuinis myſterijs accipere. gratis itaq; accipe eorum, quæ tu ignoras, cognitionem.

Matth. 10.

Deus, inquit, altiſſimus regnum, & magnificentiam, & honorem, & gloriam dedit Nabuchodonoſor patri tuo, & propter magnificentiam, quam dedit ei, omnes populi, & tribus, & linguæ tremebant eum, & metuebant à facie eius.

Ne exiſtimaueris, inquit, proprijs viribus parẽtem tuum omnem terrarum orbem ſubegiſſe, & infinita nationum genera diuerſis linguis vtentia ſub vnum redegiſſe imperium: nam omnium rerum dominus, qui omnia fecit ſapienter omnia moderans, hoc ei regnum dedit, & propterea quòd ita à Deo definitum & decretum erat, parẽtis tui metus ſubiectos illi populos occupabat.

Et quos volebat ipſe extollebat, & quos volebat ipſe humiles faciebat.

Vulg. La. *Quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat.*

Tantam, inquit, à Deo poteſtatem accepit, vt poſſet & eos, qui in altiſſimo gradu poſiti erant, humiles reddere, & eos, qui admodum obſcuri eſſent & viles, illuſtres efficere.

Et quando elatum eſt cor eius, & ſpiritus eius corroboratus eſt vt ſuperbiret, deiectus eſt à throno regni ſui.

Quando autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus Vulg. La. *illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui.*

Quemadmodum enim, quos volebat, inquit, ipſe extollebat, & quos volebat, humiles reddebat, non iuſto omnium id ſuffragio faciens, ita omnium rex & Dominus dedit, vt voluit, patri tuo regnum, ſed cùm vidiſſet ipſum animo immodice elatum, ſuperbiaq́ue inflatum, arroganter & inſolenter regnum adminiſtrare, & ipſius ſuperbię morbo laborare, & regijs thronis eum ſpoliauit, & honorem, qui ab omnibus ei habebatur, ademit; neque ſolo regno ſpoliauit, ſed etiam à communibus hominũ cœtibus expulit, & dementia, ac rabie correptum cum onagris ac beſtijs degere coegit: quorum enim feritatẽ imitatus fuerat, eorum vitam excepit. commemoratq́; ipſum herbam more boum comediſſe, nudumq́ue vagatum eſſe, ac ſub diuo miſerũ degentem, priſtinum corporis colorem amiſiſſe, aliumq́ue induiſſe, qualem gelu & æſtus attulerat, & hoc inquit ſuſtinuit,

Donec cognouit, quia Dominus eſt altiſſimus regni hominum, & cui viſum fuerit, tradit illud.

Donec cognoſceret, quòd poteſtatem haberet al- Vulg. La. *tiſſimus in regno hominum, & quemcunque voluerit, ſuſcitabit ſuper illud.*

Verum ille experientia, quid opus facto eſſet, didicit, & ipſis rebus inſtructus eſt, humanis in rebus ſtabile nihil eſſe, omniũ vero Deum ſempiterna potentia perinde ac velit humana gubernare, & quibuſcunq; voluerit regni munus elargiri.

Tu autem, inquit, filius eius Baltaſar, non ſubmiſiſti cor tuum in conſpectu Dei, nõme hæc omnia noſti?

Tu quoque filius eius Baltaſar, non humiliaſti cor Vulg. La. *tuum, cùm ſcires hæc omnia.*

Parentis enim tui malis haud quaquam reſipuiſti, neq; ex ijs, quæ ille perpeſſus eſt, diſcere voluiſti diuinam potentiam.

Contra Dominum cœli exaltatus es.

Sed aduerſum dominatorem cœli eleuatus es. Vulg. La.

Recte docet pręſentes, ne ea, quę videntur, ſed ipſorum opificem, ac Dominum adorent, & ſimul etiam regis reprehendit faſtũ, docetq́ue maximum cœlũ opificem habere Deum, qui oculis cerni nequeat, tu autem, inquit, celſius oſtendiſti cor tuum, nõ cœlo, ſed Deo cœli, omnis creaturæ Domino, neque enim vaſa domus eius, niſi tanto faſtu elatus eſſes, tibi afferri præcepiſſes.

Et tu, & optimates tui, & vxores tuæ, & concubinæ tuæ bibiſtis vinum in ipſis.

Hoc eſt, quia ad vinolentiam & ebrietatem Deo dicatis vaſis vſus es. deinde impietatis exuperantiam oſtendens

Et deos, inquit, aureos, & argenteos, & æreos, & ferreos, ligneoſq́; & lapideos laudaſti.

Et commorans in reprehenſione,ait,

Qui non vident, & non audiunt, & non cognoſcunt.

Vulg.La. *Qui non vident,neque audiunt, neque ſentiunt.*

Atqui potuiſti illorũ imbecillitatem, tum ex materia,tum ex arte, quæ ad illam fingendam incubuit,cognoſcere; & præterea ex partibus omni ſenſu carentibus,ſiquidem cognitione,viſu,& auditu orbatæ ſunt,& ſenſuũ nullam omnino efficaciam habent, verum nuda tantũ ſunt ſimulachra. tu vero ne ita quidem adduci potuiſti, vt quid deceret, intelligeres, immo deos,qui nihil prodeſſe queunt,laudare non deſinis.

Deum vero, in cuius manu ſpiritus tuus, & omnes viæ tuæ,ipſum non gloriſicaſti.

Vulg.La. *Porro Deum ,qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas,non gloriſicaſti.*

Recte autem & ſapientiſsime,cùm comparaſſet idola cum omnium auctore Deo, propter audientium vtilitatem,oſtendiſſetque illa neque videre neque audire, non adiecit de ipſo omnium rerum auctore Deo loquens, illum & videre, & audire, & cognoſcere, ſed, quod omnium maximum eſt, addidit, quia vita tua,& viæ tuæ in manu eius. id enim vita maius eſt,alijs etiam vitam præbere,& rurſus ipſam,quando velit,adimere. oſtendit igitur ſimulachra & vita & omni ſenſu carere; ſed omnium rerum Dominum illum eſſe, qui omnibus vitam ſubminiſtret, eamque & largiatur,& adimat, perinde ac velit gubernantem. attamen hunc inquit talem, ac tantum, cui vitæ necisq; poteſtas eſt, reges eligentem, eoſdemque regno abdicantem,hunc inquam non ſolum celebrare omittis, ſed potius ludibrio habere perſeueras, dedicatis ipſi vaſis inſultans.

Idcirco à facie eius miſſus eſt articulus manus, & ſcripturam hanc ordinauit.

Vulg.La. *Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus,qui ſcripſit hoc,quod exaratum eſt.*

Neque dixit,ipſe ſcripſit,ſed miſſus eſt à facie eius articulus manus': hoc eſt, ſcribi iuſſit: neque eum totum qui ſcripſit oſtendit tibi, verum cùm tuum redarguere faſtũ vellet, ſolis te digitis perculſit, ac tanto metu compleuit: & diſce,inquit, & ipſam ſcripturam,& ſcripturæ interpretationem.

Scriptura igitur eſt hæc.

Vulg.La. *Hæc eſt autem ſcriptura, quæ digeſta eſt.*

Mane,Thecſel,Phares. & coniectura verbi hæc.

Vulg.La. *Mane, Thecſel , Phares. & hæc eſt interpretatio ſermonis.*

Coniecturam,interpretationem vocat.

Mane, menſus eſt Deus regnum tuum, & impleuit illud.

Vulg.La. *Mane,numerauit Deus regnum tuum , & compleuit illud.*

Hoc eſt nouit te regno indignum,& ipſo te ſpoliandum cenſuit.

Thecſel,appenſum eſt in ſtatera, & inuentum eſt poſterius.

Vulg.La. *Appenſus es in ſtatera,& inuẽtus es minus habens.*

Docuit autem per hæc nõ illum ſolum, ſed nos ipſos etiã propheta, nihil eſſe, quod apud eum non ponderetur, quin etiam miſericordiam ac diutinam lenitatem menſura quadam & pondere hominibus adhiberi.quando itaq; tranſgreſſus es,inquit,clementiæ fines,accipe diuinam ſententiam.

Phares, diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.

Illud inquirendum eſt, curnam auctor omnium rerum Deus eruditum Nabuchodonoſor rurſus in regnum reduxerit,iſtum vero ſtatim & regno priuarit & vita? conſiderantes itaque comperimus, primum, quia Nabuchodonoſor alterum impietatis pœnas luiſſe non conſpexerat, idcirco dignum venia iuſto Dei iudicio exiſtimatum; ſed iſte ſummum patris ſupplicium ſuſpicatus,nihil inde percepit vtilitatis: iure itaq; iuſtus iudex illi definito tempore ſupplicium præſcripſit,iſtum autem nulla venia dignum cenſuit; alioqui & omnia futura prouidẽs Deus,& perinde aperte ea cognoſcens,atque iam præterita, præcognita illius pœnitentia, ita quæ ad eum pertinebant, moderatus eſt. iſtius autem præcognoſcens perpetuam impietatem, morte ſedat impietatis incrementum.ſtatimq; auditis Baltaſar ijs, quæ Daniel interpretatus fuerat, iuſsit illum propoſitum præmium accipere, purpureã veſtem,& torquem auream, deinde, cùm illum ita ornaſſet, ſubiectos ſibi populos præconis voce curauit edocendos,ipſum tertium regni principem à ſe declaratum.

Tunc iubente rege indutus eſt Daniel purpura,& circundata eſt torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo, quòd haberet poteſtatem tertius in regno ſuo. Vulg.La.

Verum nihil horum diuinam ſententiam mutauit.

Eadem enim nocte,inquit, interfectus eſt Baltaſar rex Chaldæus.

Chaldæum ipſum hoc loco appellauit,vt oſtenderet Chaldaici regni reliquum finẽ. reuera horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis ſecundum diuum Apoſtolum, horrendum diuitias bonitatis illius, & patientiæ, & longanimitatis contemnere, & non adorare, & colere pro viribus. quis enim durus effectus,vt ait propheta,coram Domino ſtetit?idcirco beatus quoque Dauid præcipit, hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra ſicut in exacerbatione: quod interpretans beatus Paulus hortatur, Videte fratres ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. cõſueuit enim ſæpe peccatum voluptatibus nos demulcens, quemadmodum ſtultum illum regem per ebrietatem, ita cor noſtrum durum reddere, & aduerſarium efficere,vt etiam impietatis morbum faci le excipiat. fugiamus itaque diaboli dolos,ſtabilemque virtutem peccato breui cum voluptate coniuncto anteponamus, vt à ſocietate Baltaſar alieni declarati,Danielis commercio fruamur,in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo patri gloria cum ſancto ſpiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Heb. 10. Ad Roma. 2. Pſal. 94. Ad Heb. 3.

ORATIO VI.

Nabuchodonoſor,Euilad Marodach filius eius,Baltaſar ipſius frater, Darius Medus, ſecundum Ioſephum, filius Aſtyagis, & Cyri auunculus. alij vero ; Cyrus Perſes, Cyaxarem illum Græci vocant.

Et Darius Medus accepit regnum ſexaginta duos natus annos.

Vulg.La. *Et Darius Medus ſucceſsit in regnum annos natus ſexaginta duos.*

Chaldæorum regnum ſecundum diuinam prædictionem ad exitum peruenit ,& ad Medos tranſlatum eſt orbis terrarum imperium, ſic etiam Daniel prædixit,& illud Phares, interpretatus eſt, diuiſum eſt enim regnum tuum,inquit,& datũ eſt Medis,&Perſis,ſed cùm breue tempus Darius Medus regnaſſet,Cyrus exceptum imperium ad Perſas trãſtulit. Ioſephus autem hiſtoricus Darium Aſtyagis filium aſſerit,& Cyri auunculum,verum Græcos ſcriptores aliter ipſum appellaſſe, qui Cyaxarem illum vocauerint,narratque,cùm eodem tempore exercitum ad Babylonem adduxiſſent, Darius & Cyrus, eius ex ſorore nepos, per obſidionem vrbis potitos eſſe,& Baltaſar ab ipſis illa nocte interfectum,qua ſcriptas illas Syllabas in pariete conſpexerat. verum non ita credendum eſt: quæ enim à beato Daniele conſcripta ſunt,ea nos docent in poſtrema parte eorum, quæ de Dario commemorantur, Danielem proſpere permanſiſſe in regno Darij,& in regno Cyri Perſæ: oſtenditq; aliud Darij regnum eſſe,aliud Cyri.quòd ſi vna eorum fuiſſet contra Babylonem cum exercitu profectio, vnum omnino regnum fuiſſet,nunc autem aliud hoc,aliud illud eſſe con

Dan. 13. firmat. & in fine prophetiæ ita Daniel ait: & rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos, & accepit Cyrus Perſes regnum eius. non igitur eodem tempore Darius & Cyrus regnum obtinentes Baltaſar interfecerunt, verum Darius Aſſuero prior, Cyrus poſterior regnauit. neque etiam quæ à Ioſepho dicuntur, cum Græcis hiſtorijs conſentanea ſunt : neque in illis facile licet inuenire, Cyaxarem Aſtyagis filium,eundem eſſe Darium,quem iſte inquit vna cum Cyro contra Babylonem cum exercitu profectum, ita vt omnino Ioſephi oratioà fide abhorreat. ego autem diuina ſcriptura adductus, hũc ipſius Nabuchodonoſor inuenio ex filia nepotem. cùm enim præcepiſſet

Hiere. 27. Deus Hieremiæ, vt ſibi vincula circundaret, eaque mitteret finitimis regibus Idumæorum & Moabitarum, & Amanitarum, Tyriorumque & Sidoniorum, hęc ipſis, vt dicerent, imperauit, Si ſic dixit Dominus Deus Iſrael , ſic dicetis ad dominos veſtros,ego feci terram in fortitudine mea magna,& brachio meo excelſo,& dabo eã cui placuerit in oculis meis , dedi omnem terram regi Nabuchodonoſor regi Babylonis,vt ſeruiat ei, & ſeruient ipſi omnes gentes,& filio eius,& filio filij eius,donec veniat tempus terræ ipſorum. Baltaſar itaque à Daniele filio appellato , inquirendus eſt nepos:quòd ſi quis contradicat,Darium aſſerẽs Medum appellari, diſcat ille noſtræ ſententiæ id nihil obeſſe. etenim Cyrus ex filia nepos Aſtyagis,qui Medus fuit, & Medorum regno potitus eſt, etiam Perſa nuncupatur. ex patria enim cognatione conſueuere homines gentilia imponere cognomenta. veriſimile eſt itaque & Darium à Medo patre eſſe, & à Chaldæa matre, & paterno cognomine vocari. quòd ſi hæc non ita ſe habent, oſtendant, qui velint,Nabuchodonoſor nepotem auitum regnum hereditate obtinuiſſe,& nihil de hac re repugnabimus. veriſimam enim eſſe magni Hieremiæ prædictionem,quicunq; recte ſentit, confitebitur, quòd ſi alicuimagis probetur non eſſe ex filia nepotem ipſius Nabuchodonoſor Darium,ſed pronepotem,propterea quòd propheta dixerit,ſeruient ipſi & filio eius,& filio filij illius,diſcat diuinæ ſcripturæ idioma, quæ cùm conſueuerit genealogiam à maribus tradere, voluerit̃que nepotem dicere,filium filij appellauit, verum filij nõ eſſe filium teſtis eſt beatus Daniel, qui ita loquitur, Darius Medus accepit regnum.vſque ad nepotes autem tranſmiſſurum regnum fuiſſe Nabuchodonoſor,diuus Hieremias prædixit. ex vtraque igitur prophetia percipi rei veritas poteſt : ex ea Hieremię nepotem ipſius Nabuchodonoſor regnum obtenturum , ex ea vero beati Danielis Baltaſar filio Nabuchodonoſor diuina ſententia mortuo , Darium Medum regnum excepiſſe. Hinc conſiderantes & prophetas minime mentiri pro comperto habentes, reperimus hũc paterno genere Medum,materno Chaldęum eſſe,& ipſius Nabuchodonoſor nepotem. Hęc igitur nos ex vtraque prophetia inueſtigata rei veritate inuenimus,qua de re quilibet,quod ei libet, ſentiat, nihil enim ex ambiguitate generis poteſt afferri detrimenti. age itaque reliqua ſigillatim interpretemur.

Regno potitus, inquit, Darius conſtituit ſuper regnum ſuum ſatrapas cẽtum viginti, vt eſſent ipſi in toto regno ſuo, & ſuper eos ordinarios tres, & erat Daniel vnus ex eis, vt redderent illis ſatrapæ rationem, vt nulla moleſtia rex afficeretur.

Placuit Dario, & conſtituit ſuper regnum ſatrapas centum viginti, vt eſſent in toto regno ſuo , & ſuper eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat , vt ſatrapæ illis redderent rationem , & rex non ſuſtineret moleſtiam. Vulg La.

Nihil reuera poteſt obſcurare pietatem,quę vbicunque ſit,proprios emittit radios,ſiue illa in ſeruo, ſiue in captiuo reperiatur, neque quidquam eſt, quod ipſius ſplendori tenebras queat offundere,immo illa proprium ſulgur iaculatur, quod cùm multis alijs ex locis perſpici poteſt, tum vero ex ijs,quę beato Danieli vſui venerunt,qui cùm ſeruus eſſet bello captus, & in externa regione incoleret, interque barbaros verſaretur, regnante Nabucho-

donosor splenduit, & à maxime horribili rege adoratus est: regnante item Baltasar floruit, nec minus illustris fuit Dario tenente sceptra, regumque successiones nihil de eius honore immutarũt, sed illi morte extincti sunt, at Daniel æqualem illis omnibus regnantibus semper splendorem obtinuit: atqui consueuere reges, vel quibus aliquis alius magistratus mandetur, minime confidere ijs, qui priorum regum intimi fuerint: hic autem apud omnes eãdem nactus est loquendi libertatem, æquale honoris præmium consecutus, idemque ei committebatur imperium, sicuti denique regnante Dario vnus fuit ex illis tribus ordinarijs, ordinarios arbitror appellari eos qui nunc vocantur hyparchi, id est præfecti, satrapas autem nationum principes. verum cùm vnus esset beatus Daniel ex ordinarijs,

Superabat, inquit, & ordinarios & satrapas.

Vulg. La. *Igitur Daniel superabat omnes principes & satrapas.*

Nationum principes, contra, id est per comparationem cum illis compositus, iudicatus, & examinatus. deinde causam affert, cur eos vinceret.

Quia spiritus inquit abundans erat in eo.

Vulg. La. *Quia spiritus Dei amplior erat in illo.*

Hoc est, multo maiorem & copiosiorem à Deo gratiam accipiebat: discimus autem ex hoc loco, ijs quibus ad vitam ciuium instituendam magistratus mandatur, etiamsi pietatis expertes fuerint, quoddam tamen sapientiæ munus ad subiectum sibi populum gubernandum diuinitus concedi, idque innuit beatus Daniel, cùm dixit, quia spiritus amplior erat in illo, hoc est gratiam pietati proportione respondentem acceperat. quod cùm conspexisset

Rex, constituit ipsum, inquit, super omni regno suo.

Vulg. La. *Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum.*

Intelligens enim illum esse virum Deo gratum, quiq; superna vi niteretur, omne ipsi regnum administrandum commisit, sed honoris magnitudo inuidiam excitauit.

Ordinarij enim & satrapæ quærebant, inquit, occasionem inuenire contra Danielẽ, ex regno, vel vt quædam exemplaria habent, ex lateribus regni.

Vulg. La. *Vnde principes, & satrapæ quærebant occasionem vt inuenirent Danieli ex latere regni.*

Hoc est, omnia moliebantur cupientes eum inuenire aliquid in regni leges deliquisse, sed à proposito consilio aberrarunt.

Omnem enim occasionem, inquit, & omne delictũ, & peccatum non inuenerunt in eo, quia fidelis erat.

Vulg. La. *Nullamq; causam, & suspicionem reperire potuerunt, eò quod fidelis esset, & omnis culpa, & suspicio nõ inueniretur in eo.*

Et hoc testimonium datũ est beato Danieli non ab ijs tantum qui eum diligebant, sed etiã ab ijs, qui eius vitæ insidiabãtur. pietatẽ enim obseruans erga Deum, multã quoque sibi regum beneuolentiam conciliarat: verum vbi illi infinitas vias persecuti nõ inuenerunt ipsum quidpiam in regni leges commisisse,

Dixerunt, inquit, ordinarij, non inueniemus contra Danielem occasionem nisi in legitimis Dei sui.

Vulg. La. *Dixerunt ergo viri illi non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem nisi forte in lege Dei sui.*

Cũ enim exploratũ haberẽt perfectam illius pietatẽ, ibi improbitatis retia ipsi ponunt.

Et adeuntes ad regẽ ordinarij & satrapæ ita eũ alloquuntur: Dari rex in sæcula viue, consiliũ inierũt omnes in tuo regno præfecti, & toparchæ, consules, & satrapæ, vt cõstituerent statuto regio, & confirmarent decretũ, vt quicunq; petierit petitionẽ ab omni Deo, vel homine, vsq; ad dies triginta, præterquã à te, conijciatur in lacũ leonum. nunc igitur rex cõfirma decretum, & expone scripturã, vt ne immutetur decretum Medorũ & Persarũ, vt nihil cõtra ipsum immutetur. tũc rex Darius præcepit exponi scripturã, & decretũ.

Vulg. La. *Tunc principes & satrapæ surripuerũt regi, & sic locuti sunt ei, Dari rex in æternũ viue, consilium inierũt omnes principes regni tui, magistratus, & satrapæ, senatores & iudices, vt decretũ imperatoriũ exeat, & edictum, vt omnis qui petierit aliquã petitionẽ à quocunq; Deo & homine vsq; ad triginta dies, nisi à te rex, mittatur in lacũ leonum: nunc itaq; rex confirma sententiã, & scribe decretũ. vt nõ immutetur quod statutũ est à Medis & Persis, nec præuaricari cuiquã liceat. porro rex Darius proposuit edictum & statuit.*

Nihil est inuidia sceleratius, quæ & illos impios coegit esse, & impium fecit edictum proponi, quo ijs interdicebatur, qui Deo preces & vota afferre vellẽt: neq; enim solũ seipsos hoc facere prohibent, verũ etiam alios omnes qui sub eius regno degebant: & ne malitiosum scelus conspicuum fieret, adijciunt, neque ab homine aliquid petendum aut accipiendum intra triginta dies, & à solo rege omnibus his diebus vt petatur, denuntiandum. neq; intellexerunt ipsi, quorum mentis aciem præstrinxerat inuidia, non posse omnia regem præbere petentibus, neq; bonam valetudinem, neq; vitam, neq; vt sint filiorum parentes, neq; pluuiarum vim, neq; alia omnia, quæ à solo Deo petentes accipimus. verum amissa mentis sanitate ea regi attribuũt, quę Deo duntaxat cõueniunt, persuadentq; insano regi, vt sanciat & rata faciat, quæ impiè petierant. verum beatus Daniel ne parum quidem impias istas leges curans

Statim in domum suam, inquit, ingressus fenestris apertis in cœnaculis suis, contra Hierusalẽ tribus temporibus diei flectebat se super genua sua, & orabat & confitebatur coram Deo, sicut ante faciebat.

Vulg. La. *Quod cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Hierusalem tribus tẽporibus in die flectebat genua sua & adorabat confitebaturq; coram Deo suo, sicut & ante facere consueuerat.*

Vide autem quot simul hæc oratio innuit, quæ beati Danielis pietatem, ac fortitudinem declarent: primum enim Daniel, inquit, vbi cognouit statutũ decretũ, ingressus est in domum suam, hoc est, cùm didicisset positam legem vehementer etiam contemnens, aperte contraria facere perseuerabat, deinde etiam aliud addidit, quod aperte contraria facere perseuerabat, deinde etiã aliud addidit, quod

aperte illius animi magnitudinem indicat, fenestræ enim, inquit, apertæ: neque enim clam, inquit, precabatur, sed palam, omnibusq; inspectantibus, non ambitionis studio, sed impiam legẽ contemnens. aliud etiam appositũ est, quod hãc ipsius fortitudinem non minus ostendit, in cœnaculis suis, non enim in plano, sed tanquam in quadam specula preces Deo afferebat: omnibus conspicuus, & quòd in edito & excelso loco staret, & quòd fenestras apertas haberet. orabat autem, inquit, contra Hierusalem, quod non solum accusatores prouocans faciebat, sed etiam antiquam legem obseruans. Salomon enim, cùm templum illud ędificasset, & encæniorũ perageret publicum conuentum, supplicauit diuinam gratiam implorans, vt ea templum compleretur, ac præter alia plurima hoc quoq; adiecit: & erit, inquit, si tradideris populum tuum coram ini- 3. Reg. 8. 2. Paral. 6.
micis suis, & captiuum duxerint ipsum captiuantes in terram longinquã, vel prope, & conuerterint corda sua in terra transmigrationis ipsorum, dicẽtes. peccauimus, inique egimus, impie gessimus, & reuersi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, in terra inimicorum suorum, quò traduxisti eos, & orauerint ad te viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis quam elegisti, & domus quã ædificaui nomini tuo, & exaudies de cœlo, de parato habitaculo tuo, & propitius eris peccatis eorum, quæ peccauerunt tibi, & secundum omnes iniquitates eorum, quibus præuaricati sunt in te, & dabis eos in miserationes coram eis, qui eos captiuos habuerint. His instructus beatus Daniel contra Hierusalem conuersus precabatur, neque semel die, sed ter id facere perseuerabat; & figura situs mentis illius ostendit contritionem, suis enim genibus innixus nõ desistebat Deo confiteri. Cùm hæc ita fierent, illi qui effecti erant inuidiæ vasa iniquitatis Danielem accusant, & constitutam recitant legem, & Danielem deferunt, eumque arguunt illam violasse. at rex doluit audita accusatione, & aduocatus pro iudice effectus insontem Danielem ostendere conabatur. hoc enim scriptura innuit, cùm dixit,

Tunc rex, vt verbum audiuit, multum contristatus est super eo, & pro Daniele contendit, vt liberaret eũ.

Vulg. La. *Quod verbum cùm audisset rex, satis cõtristatus est, & pro Daniele posuit cor, vt liberaret eum.*

Sed malitiosi homines illi, & sceleribus innutriti consilium regis agnouerunt, hoc enim significat illud, anteuerterunt precibus viri illi regem, hoc est intellexerunt eum Danieli opitulari, deinde

Dicunt regi, scito rex, quia decretum Medis et Persis est, omne decretum & constitutionem, quam rex constituerit, non oportere immutari.

Vulg. La. *Viri autẽ illi intelligentes regem dixerunt ei, scito rex, quia lex Medorũ atque Persarum est, vt omne decretũ, quod constituerit rex, non liceat immutari.*

Non es, inquiunt, dominus ea, quæ lege sanxisti, vt possis euertere. Medorũ enim & Persarum leges iubent, vt latæ leges à principe rege obseruẽtur. vi coactus rex videlicet & oratione, & multitudine accusatorum beatum Danielem leonibus tradit, & pro eo ita precatur.

Deus cui seruis continue, ipse liberabit te.

Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te. Vulg. La.

Pium verbum, & pristinis minime consentaneum, si enim tantam attestaris esse Dei virtutem, quomodo lege sanxisti, ne quis ipsi triginta dierum spatio supplicaret? sed videtur Darius probus quidem fuisse, & moribus æquus, potiusq; pietatis studiosus, meticulosus tamen & admodum facilis deceptu, neque enim regnum administrãs, quibus dux esse deberet subiectis sibi, ab ijs duceretur, videturque Danielem valde admirari. Deus enim, inquit, cui seruis continue, propter quem etiam meas, inquit, leges aspernatus es, & quem assiduo cultu veneraris, tuam pietatẽ remunerabitur, & à malis te opprimentibus liberandum curabit. deinde etiam diuina virtute fretus, ac suspectas habens accusatorum insidias, lapide obsepit ostium lacus, & annuli effigie imponit sigilla, ne quem illi contra Danielem dolum machinarentur, confidebat enim fore, vt Deus non permitteret sacrosanctum Danielis corpus à leonibus lædi. Hæc itaq; cũ fecisset,

Abijt rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, & cibos non attulerunt ei, & somnus recessit ab eo.

Et abijt rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, cibiq; non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo. Vulg. La.

Vnumquodque horum & humanitatem illius testatur, & metum. quòd enim cibis vesci noluerit, neq; somnum oculis capere, sed vigil permanserit iniusto Danielis supplicio dolens, id est humanitatis; quòd vero ita affectus non restiterit accusatoribus regio imperio ac potestate vsus, & eum qui iniuria puniebatur, non seruarit, id metui est ascribendum. ita autem transacta nocte

Darius rex surrexit mane in luce.

Tunc rex primo diluculo consurgens. Vulg. La.

Hoc est, cùm adhuc tenebræ essent circiter diluculum, ita vt opus haberet lampadibus: illud enim in luce hoc significat.

Et celeritate venit ad lacum leonum, & cùm appropinquaret ipse lacui.

Festinus ad lacum leonum perrexit, appropinquauitq; lacui. Vulg. La.

Hoc est, cùm nõdum ad ipsum peruenisset.

Danielem voce magna exclamauit, responditque rex, & dixit Danieli,

Danielem voce lachrymabili inclamauit, & affatus est eum. Vulg. La.

Cùm enim ad ipsum lacum nondum peruenisset, præ ardenti animi affectione exclamare cogebatur, & Danielem vocare, ac de eo percontari an diuinam opem sensisset, & leonum crudelitatem superasset.

Daniel, enim, inquit, serue Dei viuentis, Deus cui tu seruis continue an potuit liberare te ab ore leonum?

Daniel serue Dei viuẽtis, Deus cui tu seruis semper putásne valuit te liberare à leonibus? Vulg. La.

Vnumquodque eorum quæ dicta sunt, religiosum ostendit regem, qui propter pieta-

tem ex Daniele gaudium perciperet, primùm enim ipsum non suum, sed Dei seruum appellat, deinde Danielis Deum, viuentem nominat, tum pietatem commendans, cui tu, inquit, seruis continue, hoc est, qui ne propter eā quidem vim, qua cogebaris à lege, impeditus es ab hoc cultu; illud vero, an potuit liberare te ab hoc ore leonū, significat, an voluit superiorem te leonibus ostendere? neque enim impotentem Deum vocasset, quem viuētem Deum nuncupauit. His auditis

Daniel respondit dicens, rex in sæcula viue.

Vulg. La. *Et Daniel regi respondens ait, rex in æternū viue.*

Vsitatam præfationē suis sermonibus præponit, videlicet, liceat tibi rex diutissime viuere, etenim in præsenti etiam, vt iam ante diximus, sempiternos reges in commerciorum scripturis, quidā appellare consueuerūt.

Deus meus, inquit, misit angelum suum, & obturauit ora leonum, & non læserunt me, quia & coram ipso rectitudo & iustitia inuenta est in me, & in conspectu autem tuo rex delictum non est inuētum in me.

Vulg. La. *Deus meus misit angelum suū, & conclusit ora leonū, & non nocuerunt mihi, quia corā eo iustitia inuenta est in me, sed & coram te rex delictum non feci.*

Iustus enim cùm sit Deus, & iuste, inquit, omnia moderetur, quia vidit impijs legibus illius à me cultū antelatum fuisse, atq; in tuum regnum nihil vnquam me admisisse, præstantiorem me ostendit, quàm cui possent leones nocere, potiusque leonum imagines, quàm leones mihi obtulit.

Tunc rex, inquit, vehementer gauisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu.

Gauisus enim supra modum, & lætitiæ plenus, quippe cùm & Dei virtutem cognouisset, & illius, quem diligebat, salutem didicisset, statim ipsum è lacu educi iussit. deinde conspicatus ipsum saluum, ac recte valentem, nihilque detrimenti passum ex impetu leonum, Danielis accusatores imperauit leonibus cū filijs & vxoribus proijci.

Et non peruenerunt, inquit, vsque ad pauimentum lacus, donec potiti sunt ipsorum leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.

Vulg. La. *Et non peruenerunt vsq; ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.*

Hoc quoque diuinæ iustitiæ opus est, & sapientiæ, ne dicerēt enim propter expletionem ac satietatem leones à Daniele abstinuisse, & inuidia extenuarent factum miraculum, iniecti eo testimonium perhibuere leonum crudelitati, corripuerunt enim ipsos leones dum deorsum ferrentur, & cùm demissi ad terram nondum peruenissent, ex ipso aere rapientes, alimenta sibi fecerūt. quòd igitur dignas pœnas persoluerint, iustitiam Dei commendant. quòd autem ita facillime consumpti fuerint à feris, Dei sapientiam indicant, omnesque docent non leonum saturitate, sed Danielis erga Deum studio illum præstantiorem effectum esse, quàm cui possent leones nocere. Hæc contemplatus

Darius rex scripsit omnibus populis, tribubus, linguis habitantibus in omni terra.

Tunc Darius rex scripsit vniuersis populis tribubus Vulg. La. *& linguis habitantibus in vniuersa terra.*

Impium ratus tantum occultare miraculum, & non omnes homines socios & participes pietatis accipere. scribit itaque in hanc sententiam.

Pax vobis multiplicetur.

Hoc est, liceat vobis perpetua pace frui: & similis hæc est nostræ salutationi, qui cùm epistolas alicui mittimus, initio scribere consueuimus, in Domino gaudere: deinde narrat id, quod & vtilitatis & lucri plurimum possit afferre.

A facie mea positum est decretum in omni imperio regni mei, vt sint omnes trementes, & timentes à facie Dei Danielis.

A me constitutum est decretum, vt in vniuerso Vulg. La. *imperio, & regno meo, tremiscant & paueant Deum Danielis.*

Volo, inquit, omnes homines, qui sub mea potestate degunt, Deum Danielis adorare, neque temere ac fortuito, sed cum metu, & horrore ei adorationis cultum impendere. causamque subijciens ait,

Quia ipse est Deus viuens, & manens in sæcula.

Ipse enim est Deus viuens, & æternus in sæcula. Vulg. La.

Eiusmodi est enim, qui perpetuus, ac nulli mutationi obnoxius, & semper eodem modo se habet, & in sæcula permanet, his subijcit.

Et regnum eius non corrumpetur, & dominatio eius vsque in finem defendit, & liberat.

Et regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vs- Vulg. La. *que in æternum, ipse liberator est, atque saluator.*

In perpetuum, inquit, permanet, & regnum eiusmodi obtinet, quod corrumpi nequit, ac dominium sine carens, quod quidem liberat, ac redimit omnes, qui in eum crediderunt.

Et signa autem facit in cœlo.

Faciens signa & mirabilia in cœlo, & in terra. Vulg. La.

Licetque contēplari ipsius miracula, & quæ in cœlo, & quæ in terra fiunt, quibus suam ille potentiam ostendit, quam in præsenti quoque nobis declarauit.

Liberauit enim, inquit, Danielem ex ore leonum.

Qui liberauit Danielem de lacu leonum. Vulg. La.

Et fama atque iracundia concitatis feris superiorem effecit. epistola igitur hæc orbem terrarum edocuit, finis autem narrationis id continet, vt

Prospere succesſere Danieli res in regno Darij, & in regno Cyri Persæ.

Porro Daniel perseuerauit, vsque ad regnum Da- Vulg. La. *rij, regnumq; Cyri Persæ.*

Hoc est, in vtroque regno floruit, & omnibus conspicuus & illustris fuit honoribus. nos autem decet percepta pietatis vi, hanc eligere, & omnibus rebus ipsam anteponere, ac nullis periculis territos, nulloque discrimine ab ea desciscere. immo etiamsi omnes homines simul propter ipsam contra nos pugnent, alacriter eorum impetum excipere huiusce vi fretos, ita enim beatorum quoque Apostolorū chorus, à cuncto, vt ita dixerim, orbe terrarum

rum obsessus, inexpugnabilis permansit, atq; hostes sibi dicto obedientes fecit: pari ratione beatus Daniel, cui tot satrapæ, & ordinarij moliebantur insidias, sibi aduersantes, ac veluti bello pugnantes vicit, & cùm inimici iam se victoriam adeptos existimarent, tunc funditus interiere. Talia itaque habentes exempla, synceram erga Deum beneuolētiam conseruemus, vt eius auxilio continenter perfruamur, quod vtinam nos omnes consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria cum sancto spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO VII.

In primo anno Baltasar regis Chaldæorum Daniel somnium vidit, & visio capitis eius, in cubili suo, & somnium scripsit.

Vulg. La. *Anno primo Baltasar regis Babylonis Daniel somnium vidit, visio autem capitis eius in cubili suo, & somnium scribens breui sermone comprehēdit, summatimq; perstringens ait.*

Ad hæc vique verba beatus Daniel magis historico more prophetiam conscripsit, primum enim exorsus, ab initio statim quæ ipsis bello captis accidere, commemorauit, adiicitque, quantæ auctori omnium rerum Deo curæ fuerint, deinde narrauit, quantas Nabuchodonosor & crudelitatis & superbiæ pœnas persoluerit, tum quale supplicium Baltasar ob sacra vasa ludibrio habita luerit, quo diuina plaga interfecto, & ad Medos imperio translato, quæ sibi, & Dario accidere conscripsit, docuitq; quemadmodum ille erga se affectus fuerit, qualesque ipse sustinuerit insidias à præfectis & satrapis, à quibus diuino sit auxilio vindicatus. quibus veluti historice percursis, deinceps exponere incipit eas prædictiones, quas per reuelationes doctus est, ac primum quatuor bestiarum reuelationem ponit: Nabuchodonosor somnio admodum similem, etenim ille in vna imagine quadruplicem vidit materiam, & hic ab vno mari quatuor bestias ascēdentes. verum ne bis eadem repetere cogamur, ad singula interpretanda aggrediamur, vnde hoc apertius ostendetur. In primo anno Baltasar regis Chaldæorum, Daniel somnium vidit, & visiones capitis eius in cubili suo, hoc est, dormiens hanc reuelationem consepxit: cùm sit enim illa etiam, quæ interdiu vidit, conscripturus, merito nos docet & quæ in somnis, & quæ vigilans vidit, & somnium, inquit, scripsit, neq; enim sustinuit sibi diuinitus ostensa occultare, sed ad omnium vtilitatem ea conscripsit.

Et principium verborum ipsius & respondēs dixit.

Hoc est, exorsus est, inquit, narrationem hoc modo.

Ego Daniel videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli impellebant in mare magnum, & quatuor bestiæ magnæ ascendebant de mari differentes inter se.

Vulg. La *Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.*

Nabuchodonosor igitur imaginem videt, qua docetur rerum præsentium vanitatem, & has figuras potius esse, sicut asserit diuus Apostolus, quàm res: nihil enim in ipsis est, quod permaneat aut stabile sit, verum omnia fluūt, & corrumpuntur, & tabescunt: beatus autem Daniel mare cernit, quo præsentis vitæ fluctus edocetur: cùm enim externam regionem videre cogeretur bello captus, necessario discit vitæ procellas ac tempestates, & rex quidem, vt qui propter aurum & argentum, & æs, ac ferrum superbus esset, per eadem accipit regum ænigmata, & regum successiones percipit, admoneturque ne propter regnum celeri ac subitæ mutationi obnoxium extollatur. propheta autem, vtpote qui multiplicem illam materiam contemneret, quatuor bestias videt, quibus comprehendit quatuor illa terribilia regna, quæ omnibus hominibus metum incuterent, finem tandem habitura, vnum autem solum sine fine regnum perpetuò permansurum, quod sanctis parauit sanctorum Deus. mare itaque vitam vocat, vtpote quæ infinitas habeat maximas procellas: ventos autem ipsius impellentes, rerum mutationes. sicut enim austro flante ad arcticam partem fluctus accurrunt, & borea mare concitante rursus vnda ad australem partem impellitur: ita quando Assyrij orbis terrarum gubernacula obtinebant, omnes subiectos populos ad se trahebant, translato autem ad Persas regno, translatus est etiam statim subiectorum ad illos concursus. cumque Macedones sceptra rursus obtinuissent, omnes, omissis illis, quibus prius obediebant, his vsitatum afferebant tributum. at verò vbi Romani omnium gentium imperio potiti sunt, ad occidentem omnes nulla habita Macedonum ratione concurrunt, siquidem & illi inter subiectos populos recensentur: merito itaque rerum mutationes ventis comparauit, qui modo huc, modo illuc maritimos fluctus propellunt: quamobrem quatuor etiam ventorum mentionem fecit, cùm quatuor item fuerint regnorum successiones. docet nos quoq; quo discrimine bestię inter se differrēt.

Prima enim, inquit, quasi leæna, & alæ ipsi vt aquilæ, contemplabar donec euulsæ sunt alæ ipsius, & sublata est à terra, & in pedibus hominis stetit, & cor hominis datum est ei.

Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ, aspicie- Vulg. La. *bam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.*

Assyriorum siue Chaldæorum regnum, hoc enim primum maximā obtinuit partem orbis terrarum, per leænam significauit, hoc enim animal regium est, & alas aquilæ similes fuisse ait, quia hoc item animal volucribus omnibus imperat. quemadmodum itaque imaginis quoque illius Nabuchodonosor dixit, aureum se caput conspexisse: quod interpretans sanctissimus Daniel dixit, caput aureum tu es ò rex, ita & hoc in loco bestiarum

fortiſsimam in primo regno locauit;non maiorem illi vim ineſſe teſtatus, ſed tanquam primam digniorem oſtendens. verumtamen illius alas euulſas vidit,hoc eſt,ab omni ſibi ſubiecto populo deſtitutam,& priſtina poteſtate priuatam. & ſublata eſt, inquit, de terra, hoc eſt,regnare deſijt,& in pedibus,inquit, hominis ſtetit,equalis,ait,ſibi ſubiectis euaſit.& cor hominis datum eſt ei. experientia didicit humana cogitare, neque mentis cogitatione naturæ terminos tranſgredi.nam quia illi, cùm regni gubernacula tenerent, ſuperbiæ & immenſæ arrogantiæ morbo laborabant: & idcirco beatus Eſaias, inducet, inquit, Deus ſuper mẽtem magnam principem Aſſyriorum, iure etiam experientia cognita rerum mutatione,& lubrica ac fluxa felicitate,humana cogitant,& ſe ipſos agnoſcentes humanum cor adepti ſunt.ſic igitur quę ad primam beſtiam pertinent enarrauit. ſubijcit autem

Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo, & in partem vnam ſtetit,& tria latera in ore eius, inter dentes ipſius, & ſic dicebant ei,ſurge comede carnes multas.

Vulg.La *Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit, & tres ordines erant in ore eius,& in dentibus eius,& ſic dicebant ei.ſurge comede carnes plurimas.*

Perſicum hic innuit regnum, quod vrſo ſimile fuiſſe aſſerit, propter ſuppliciorum crudelitatem, immanitatemque, nam barbarorum omnium crudeliſsimi Perſæ in puniendo, vel ipſa coria hominibus detrahentes, & ſingulorum artuum ſectione longas pœnas machinati, amara eos, qui punirentur, morte multabant. Idcirco dicebant ipſi,inquit, ſurge,comede carnes multas, non, vt id faceret concedentes,ſed futura prædicentes, & crudelitatem feritatemque atteſtantes. Tria autem latera, inquit, in ore eius,nam tribus orbis terrarũ partibus imperauit,orienti, aquilonali,& auſtrali.Cyrus enim,qui primus Perſarum regnum obtinuit, omnem orientem vſque ad Helleſpõtum in ſuam ditionem redegit, Cambyſes autem illius filius ſubacta Aegypto Aethiopas quoq; ſibi ſubiecit,Darius verò Hyſtaſpis Scytharum Nomadum potitus eſt, quibus ad incolendum ſorte obtigit pars aquilonalis, & Xerxes Darij conatus eſt Europam cum ea parte,quę ſibi ſubiecta erat, coniungere,ſed nauali pugna victus ab Athenienſibus, turpiter domum redijt, ſenſitque cladem ab inexplebili cupiditate profectam: idcirco tres alæ, inquit, in ore eius, quædam autem exemplaria habent latera.nihil verò refert, ſiue enim hoc, ſiue illud ponatur, docet, quemadmodum ex tribus orbis terrarũ partibus fructus percipit, & vndique accipit tributũ. & recte appoſuit, in ore ipſius,vt oſtenderet tributum, quod ab omnibus ei perſoluebatur.& quia nõ omnino regnum illud deletum fuit, ſed partem quandam prioris imperij obtinuit, non dixit illud ea ſuſtinuiſſe, quæ regnũ ipſo prius perpeſſum fuerat, quod & alis priuatum fuit, & in pedes hominis ſtetit,& cor humanum accepit: ſed in vnam partem ipſam ſtetiſſe dixit. in vnam autem inquit partem ſtetit, hoc eſt, cùm trium orbis terrarum partium potitum eſſet, maxima parte ſpoliatum eſt, vniuſque tantum partis imperium obtinuit,Aſiæ enim ac Libyę pridem imperans, Aegyptum amiſit & Aethiopiam, neque item Palæſtinorum, & Phœnicum, Syrorumque potitur,ademptumque ei eſt Aſię imperium itidem, & Pontus Euxinus ab illius ſceptris deſciuit,& ſolam Perſidem,& Mediam & Aſſyriam obtinet, & paucas quaſdam finitimas nationes.propterea in vnam,inquit, partem ſtetit. His item de ſecunda beſtia enarratis

Poſt ipſam, inquit, aſpiciebam, & ecce alia beſtia quaſi pardalis, & ipſi alæ quatuor volucris ſuper eã, & quatuor capita beſtiæ,& poteſtas data eſt illi.

Poſt hæc aſpiciebam, & ecce alia quaſi pardus, Vulg.La. *& alas habebat quaſi auis, quatuor ſuper ſe, & quatuor capita erant in beſtia, & poteſtas data eſt ei.*

Macedonicum regnum per hæc deſignat, & admodum congruenter Alexandrum pardali comparauit propter celeritatem,& acumen ingenij, & varietatem: quatuor autem alas volucris beſtiæ fuiſſe dixit, quia volucris inſtar Alexander, cùm percurriſſet quatuor orbis terrarum partes,omnes in ſuam poteſtatem redegit, & per quatuor capita eam ſignificauit,quæ poſt Alexandrum facta eſt imperij diuiſio; quatuor enim pro vno conſtituti ſunt reges,& Ptolemęo Lagi Aegypti commiſſa ſunt gubernacula, Seleuco orientis imperium adminiſtrandum creditum eſt,Antigonus potitus eſt Aſiæ, Antipater Macedoniæ, vt quidam auctores ſunt, vt alij verò,Philippus, qui & Aridęus dictus eſt,ipſius Alexandri frater.quatuor igitur capita quatuor poſt Alexandrum innuunt imperia, & quatuor alæ ipſum Alexãdri principatum,qui quatuor orbis terrarum partes ſuperauit:poteſtatem autem datam dixit fuiſſe beſtiæ, quando ea etiam, quæ ſuperiores reges non obtinuerant, obtinuit ipſe.veruntamen illud quoque regnum, quod omnibus ſuperius fuit,finem habuit.

Poſt hanc enim aſpiciebam,inquit,in viſione noctis, & ecce beſtia quarta,terribilis & valde ſtupenda, & dentes eius ferrei,& magni,& vngues eiusærei comedebant, & comminuebant, & reliqua pedibus ſuis conculcabat, & ipſa valde differebat vltra omnes beſtias,quæ erant ante ipſam.

Poſt hæc aſpiciebam in viſione noctis,& ecce beſtia Vulg.La. *quarta terribilis,atq; mirabilis,& fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos comedens atq; comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans, diſſimilis autem erat cæteris beſtijs,quas videram ante eam.*

Quartam beſtiam Romanorum regnũ vocat, neque ipſi nomen ponit, quia ex plurimis nationibus Romanorum ciuitas conflata, orbis terrarum potita eſt,à regibus primum,deinde modo populari ſtatu, modo ab optimatibus adminiſtrata, demum ad priſtinum regnandi genus redijt.terribilemque ipſam beſtiam aſſerit,& valde ſtupendam, quia aliorum omnium regnorum potentiſsimum hoc fuit regnum. & in imagine item, quartam materiam ferrum poſuit,& ſubiecit.quemadmodum

modum itaque ferrum comminuit, & domat omnia, ita omnia comminuet & domabit. & hic ſimiliter, beſtiæ, inquit, dentes ferrei, vt perſpicuum ſit & hic,& illic idem regnum ſignificari.comedebant, inquit,& bibebant,etenim reuera maiora à Romanis ſubiectis populis impoſita ſunt tributa.& reliqua,inquit, pedibus ſuis conculcabat, pedes autem regni exercitum & milites innuunt, à quibus haud mediocres clades incolis & vrbium, & regionum inferuntur, & ipſa valde differebat vltra omnes beſtias,quæ erant ante ipſam, potentius enim atq; illuſtrius Romanorum regnum ſuperioribus omnibus regnis fuit.

Vulg.La. *Et cornua ipſi decem,inquit.*
Et habebat cornua decem.

Significat hoc loco fore vt circiter regni finem decem ſimul exurgant reges, quorum alij potentes erunt,alij admodum imbecilles. hoc enim in imaginis quoque ſomnio docuit, namq; illic digiti pedum decem erãt, quorum pars ferrea, pars erat fictilis. quod beatus Daniel interpretans dixit, partem quidem regni robuſtam fore, partem verò imbecillem. ita vt aperte conſtet eadem vtroque ſomnio ſignificari. cornua ipſi decem ait.

Conſiderabam,inquit, cornua eius, & ecce cornu, illud paruum conſpicuum, aſcendebat in medio ipſorum,& tria ante ipſum eradicata ſunt a facie eius,& ecce oculi,quaſi oculi hominis cornu iſti; & os loquens magna,& bellum faciebat cum ſanctis.

Vulg.La. *Conſiderabam cornu, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum,& tria de cornibus primis euulſa ſunt a facie eius, & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto,& os loquens ingentia.*

Hic Antichriſtum innuit, qui inter decem cornua exoritur, atque ipſum tria cornua radicitus aſſerit euulſiſſe,quo ſignificat illum ex decem qui eodem tempore regnabunt,tres reges euerſum ire. & paruum ipſum cornu vocat,vt à parua Iudęorum tribu natum.conſpicuum autem, vt qui deinde futurus ſit illuſtris.per oculos verò prudentiam, aſtutiamq; deſignauit,qua ille plures decipiet.quin etiam os,inquit,loquens magna, hoc eſt, arrogantia
2. ad Theſ.2. atque ſuperba. idq; aperte beatus Paulus nos docet,cùm ait. ne quis vos ſeducat vllo modo,quoniam niſi venerit diſceſsio primum,& reuelatus fuerit homo peccati,filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus,aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Hoc innuens item beatus Daniel dixit, & os loquens ingentia,& faciebat bellum cum ſanctis.omnia enim molitur,inquit,omnes homines cupiens improbitatis & pœnarum ſocios,& participes accipere.verum hęc faciens haud diutius perſeuerabit, ſed quàm celerrime deſtruetur.

Contemplabar enim, inquit, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, & veſtimentum eius quaſi nix albũ,& capillus capitis eius quaſi lana munda,thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis ardens, fluuius igneus trahebat egrediens ante eũ, mille millia miniſtrabant ei, iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.

Aſpiciebam,donec throni poſiti ſunt, & antiquus Vulg.La. *dierum ſedit,veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda, thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accenſus, fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius,millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei,iudicium ſedit & libri aperti ſunt.*

Illa,inquit, omnia audebat cornu illud magna loquens, & ſuperba, atque arrogantia, & cum ſanctis pugnans donec ſedit iudicium. illud autem nos ſcire par eſt, Deum corporis expertem, ſimplicemque ac nulla forma præditum, quique nullam admittit circumſcriptionẽ,cùm ipſius natura ea ſit, quæ circumſcribi nequeat, perſæpe vtilitatis noſtræ cauſa,perinde ac vult, viſiones figurare; licetque nobis intueri illum alia ſe forma videndum Abraam obtuliſſe,alia Moyſi & alia Eſaiæ. & Ezechieli ſimiliter aliam oſtendit ſpeciem. quando itaque videris reuelationum varietatem,ne multiforme numen opineris. & ipſum audi per Oſeam prophetam dicentem, Ego Oſe.12. viſiones multiplicaui, & in manibus prophetarum aſſimilatus ſum : aſſimilatus ſum dixit,non viſus ſum: quemadmodum enim vult viſiones figurat. ſicut denique beatus etiam Ezechiel contemplatus ex electro & igne com Ezec.1.2. poſitum illum,quem viderat, narrataque viſione ſubiecit, hæc ſimilitudo gloriæ Domini. ac neque ipſum Dominum à ſe conſpectum dixit,neq; ipſam Domini gloriam. Hic itaque beatus Daniel item per antiquum dierum docetur ęternum numen,quod cùm quidam interpretes etiam ſic intellexiſſent, pro antiquo dierum, poſuerunt antiquans dies. contemplare item capillos puros,& veſtimentorum ſplẽdorem, inde vndique inculpatam & ſanctam diuinam naturam, neque ipſam ſolum eiuſmodi, ſed etiam ea quæ de ipſa percipi poſſunt, edoctus. iuſtitiam videlicet, prouidentiam, curam, iudicium. quòd enim vidit cornu ſuperbis vtens verbis, & Dei cultoribus infinitas moliens inſidias, ex vndique coruſcante puritate edocetur non negligente Deo, ſed ob ineffabilem diſpenſationem permittente,hæc illud audere. & ne quis rurſus opinaretur velle quidem Deum vtpote bonum, ſanctis opem ferre, non poſſe autem, videt etiam thronum ex igne conſtructum, & rotas itidem ignea præditas natura, & fluuium ignis thronum trahentes, & mille millia miniſtrantes, & decies centena millia aſſiſtentes. & per hæc quidem diuina poteſtas declaratur, per illa verò incorrupta, nulliſque reprehenſioni obnoxia natura. per antiquitatem autem æternitas, ſapientia, & manſuetudo.his adijcit. iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.hoc eſt,iudicij reliquũ tempus probauit eſſe, & explicauit rerum ab vnoquoque geſtarum memoriam, libros enim appellat vniuſcuiuſque memoriam.quòd ſi quis enim Domini pollicitationem exiſtimat his indicari,quã Apoſtolis pollicitus eſt,Ponẽtur, in- Matth.19. quiẽs,duodecim ſedes,& ſedentes iudicabitis duode-

duodecim tribus Israel, nihil à ratione abhorret, mendacij siquidem expers est veritatis pollicitatio.

Aspiciebam, inquit, tunc à voce sermonum magnorum, quos cornu istud loquebatur, aspiciebam donec interfecta esset bestia illa, & periit, & corpus eius datum est in combustionem ignis.

Vulg. La. *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur, & vidi quoniam interfecta esset bestia, & perijsset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni.*

Nam propter cornu illius insaniam, facto, inquit, iudicio quartum etiam regnum deletum est. & corpus bestię datum est in combustionem ignis, illud nos decet annotare, non simpliciter dixisse tradita est bestia, sed corpus bestię traditum est igni ad cõburendum, cùm enim per bestiam omne regnum significaret, & in regno alij sint pietatis alumni, alij improbitatis ministri, & hos quidem spirituales, illos verò carnales appellare consueuerimus diuinæ scripturæ suasu adducti, iure dixit, non bestiam traditam esse igni ad comburendum, sed bestiæ corpus, hoc est, crassiores, & carnales, & nihil spirituale cogitantes.

Et reliquarum bestiarum translatus est principatus, & beatitudo vitæ data est eis, vsque ad tempus & tempus.

Vulg. La *Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis vsque ad tempus & tempus.*

Aliarum enim bestiarum inquit iam desierat principatus, quamuis multorum annorum circuitum regnando consumpsissent. certum enim vnicuique regnandi tempus definitum fuit. his autem ita gestis, inquit, cùm & alia regna iam prius deleta essent, & ij, qui in quarto regno erant supplicio digni, igni traditi essent

Aspiciebam inquit in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius allatus est, & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum, & omnes populi, tribus, linguæ ipsi seruient, potestas eius potestas æterna, quæ non transibit, & regnum eius non corrumpetur.

Vulg. La. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem & honorem & regnum. & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient, potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.*

Vere in Iudæos opportune ea dici possunt, quæ olim propheta in ipsos dicebat. Facies meretricis facta est tibi, sine pudore facta es ad omnia. quid enim his verbis apertius? euangelice enim reuera potius & apostolice, quàm prophetice & ænigmatice propheta hæc quasi præco diuulgauit. quòd enim in euangelijs Dominus ait, Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli cum angelis suis. & beatus Paulus, Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui resurgẽt incorrupti, & nos qui viuimus, qui relinquimur, rapiemur in nubibus obuiam Domino in aera, & sic semper cũ Domino erimus: hoc aperte nos docuit beatus Daniel, secundum Saluatoris vaticinans aduentum: filiũ quidem hominis vocans aperte propter eam, quam sibi assciuit naturam, venientem autem in nubibus, secundum id, quod ipse pollicitus est, vt ostendat illum potestatem accipientem, & honorem & principatum & regnum ab antiquo dierum, tanquam hominem. hoc enim etiam in secundo Psalmo ex ipsius Domini persona beatus Dauid ait, Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ. hoc item beatus Daniel asserit, omnes enim populi, inquit, tribus & linguæ ipsi seruient, ostendensque regnum fine carituru, potestas eius inquit potestas æterna, quę non pertransibit, & regnum eius non corrumpetur. sic igitur scripta reuelatione adiecit.

Hiere. 3.

Matt. 24, 26.

Ad Thess. 4.

Horruit spiritus meus, ego Daniel in habitu meo & visiones capitis mei conturbabant me.

Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in Vulg. La. *his, & visiones capitis mei conturbauerunt me.*

Et visio enim horribilis erat, inquit, & ignoratio eorũ, quæ innuebantur, mentem meam confundens perturbationis implebat.

Accessi itaque ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo, de omnibus his.

Assistentes ait mille millia, & decies centena millia, per quæ non numerum definitum dixit, sed maiorem quàm vt numerari possit, multitudinem ministrorum & eorũ qui præsto aderant, declarauit. digniores enim non fleterant, qui ministrare etiam iubebantur, reliqui verò, quòd non sine metu starent, seruitutem indicabant. & sicut in humanis iudicijs ex subiectis populis alij astant horribilius iudicium præ se ferentes, alij egrediuntur & ingrediuntur iudicij responsa afferentes, ita in maxime horribili iudicio vidit Daniel decies centena millia astantes, & mille millia eorum, quibus ministrandi munus erat impositum. cùm accessisset itaque interrogans, quænam esset reuelationis interpretatio, didicit à quodam eorum, qui astabant, veritatem.

Dixit enim mihi, hæ bestiæ magnæ quatuor, quatuor regna surgent in terra, quæ auferentur, & accipient regnum sancti altissimi, & obtinebunt illud vsque in sæculum sæculorum.

Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & Vulg. La. *docuit me. Hæ quatuor bestiæ magnæ quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. suscipient autẽ regnum sancti Dei altissimi. & obtinebunt regnum vsq; in sæculum, & in sæculum sæculorum.*

Animaduertendum est diligenter, dixisse ipsum hic quoq; regna quatuor, sicut in imagine quatuor item dixerat, vt ne existimemus fictile regnum à ferreo aliud esse. etenim ibi finem regni ferrei imbecilliorem fore dixit, & hic similiter tria cornua radicitus ex decem euulsa, vt imbecillius affecta. hæc itaque regna

regna inquit delebuntur, & verum ac sempiternum regnum sanctis altissimi tradetur. illud itaque expetens inquit pro nihilo existimato hominum regna in præsenti vita, quæ haud multo pòst habitura sint finem.

Deinde quærebam, inquit, accurate de quarta bestia, quia erat differens vltra omnem bestiam, & terribilis valde, dentes eius ferrei, & vngues ipsiusærei, comedebat & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat.

Vulg. La. *Post hoc volui diligenter discere de quarta bestia, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, & terribilis nimis, dentes & vngues eius ferrei, comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat.*

Notandum est dẽtes ferreos dici, & vngues æreos. Romanorum enim regnum ab omnibus accipit tributum, ideo dentes dixit ferreos. & quia etiam ex Macedonico regno profecti in militiam ascribuntur, & quod sunt vngues bestijs, id regi milites, iure vngues æreos appellauit, quandoquidem tertium quoq; regnum æreum vocauit.

Percontabar enim, inquit, & de cornibus eius decem, quæ erãt in capite illius, & de quarto, quod ascenderat, & excusserat priorum tria: cornu illud cui erant oculi, & os loquens magna, & visio eius maior reliquis.

Vulg. La. *Et de cornibus decem, quæ habebat in capite, & de alio quod ortum fuerat, ante quod ceciderãt tria cornua, & de cornu illo, quod habebat oculos, & os loquẽs grandia, & maius erat cæteris.*

Non est mirandum si suprà paruum dixit cornu, hic vero visionem ipsius maiorẽ reliquis, sed oportet diligenter ijs, quæ dicuntur, animum adhibere, namque, quia nascens cornu vidit, paruum ipsum appellauit, tanquam etiam à parua Iudæorum natione profectum, & interim obscurum obtinens regnum, postquam vero radicitus euulsit tria superiora cornua, merito visionem ipsius reliquis maiorem vocat. addit itaque adhuc interrogans,

Cur nam cornu illud bellum faciebat cum sanctis, & præualuit aduersus eos?

Vulg. La. *Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellũ aduersus sanctos, & præualebat eis.*

Id est depressit, & humiles fecit eos.

Donec venit antiquus dierũ, & iudicium dedit sanctis altissimi, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti.

Vulg. La. *Donec venit antiquus dierum, & iudiciũ dedit sanctis excelsi, & tempus aduenit, & regnum obtinuerũt sancti.*

Supplicaui, inquit, vt discerem, quidnam significet cornu illud fastu elatum, & arrogantia verba proferens, sanctorumque deprimens cœtum, quoad antiquus dierum iustam sententiam ferat, reddatque sanctis regnũ, & cornu illius infringat potentiam.

Et dixit mihi, inquit, sic. bestia quarta regnũ quartũ erit in terra, quod superabit omnia regna, & deuorabit omnẽ terram, & conculcabit, & concidet eam.

Et sic ait. bestia quarta regnum quartũ erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam.

Hæc autem illi per ænigmata discebãt, nos vero ipsa experientia didicimus, qui videmus prædictionis euentum, exactionem tributorum, paupertatem complures opprimentem. & alia quotidie fieri conspicimus.

Et decem cornua ipsius, inquit, decem reges surgẽt.

Porro cornua decem ipsius regni decem reges e- Vulg. La. *runt.*

Notandum est nõ dixisse fore, vt singuli exurgant alius alij deinceps succedentes, sed eodem tempore omnes exurrecturos, atque hęc ita se habere, sequentia testantur.

Et pòst eos enim surget, inquit, rex alius, qui superabit malis omnes superiores, & tres reges humiliabit.

Et alius consurget pòst eos, & ipse potẽtior erit pri- Vulg. La. *oribus, & tres reges humiliabit.*

Quòd si non eodem tempore regnarunt, verum singuli superioribus succedentes alius alij, quo modo iste tres superiores eodem tempore humiliabit? perspicuum igitur ita prædicere, fore, vt decem circa finẽ simul exurgant, & postremus Antichristus exoriatur, regnumque obtinere contendat. quem cum ipsis bellaturum, ac tres ex ipsis euersurum asserit, qui quidem non contentus ea victoria, quam de hominibus reportauerit,

Etiam sermones, inquit, contra altissimum loquetur, & sanctos altissimi debellabit, &, vt quædam habent exemplaria, humiliabit, & cogitabit mutare tempora, & legem.

Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos Vulg. La. *altissimi conteret, & putabit, quòd possit mutare tempora & leges.*

Tanta enim rabie, inquit, & insania cõcitabitur, vt superba verba & maledicta cõtra Deum altissimum conijciat, omneque supplicij genus inferat ijs, qui ipsi Deo grato & beneuolo animo inseruientes sanctitatis participes fuerint. opinabiturque posse se pietatem, quæ tunc vigebit, funditus euertere, optimamque ipsius rempub. commutare. hoc enim innuit, cùm dixit, cogitabit mutare tẽpora & legem, hoc est eam rempub. quæ tunc res administrabit. deinde subijcit.

Et tradetur in manu eius.

Hoc est permittet, diuina prouidẽtia. oftendensque deformitatis malorum illorum tempus, neque enim in finem obliuio erit pau- Psal. 9. peris, patientia pauperum non peribit in finem, cùm dixisset, tradetur in manu eius, adiecit,

Vsque ad tempus & tempora, & dimidium temporis.

Idque apertius in fine prophetię nos edocuit. à tempore enim mutationis continuitatis inquit, & vt data fuerit abominatio desolationis, dies mille ducenti nonaginta. tempus igitur & tempora, & dimidium temporis, tres annos cum dimidio dicit, quibus cornu illud magna loquens imperabit.

Sed iudicium sedit, & principatum eius transmutabunt, vt deleat & perdat vsque in finem.

Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & Vulg. La. *conteratur, & dispereat vsque in finem.*

Hoc item aperte beatus Paulus nos docuit, cùm

cùm enim dixiſſet ea, quæ paulò antè memorauimus, hæc etiam ſubiecit. tantùm, vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat, & tũc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ie-
2. ad Theſ. 2. ſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui, eum, cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs, qui pereunt. quod autẽ dicit, tale eſt, oportet id quod modo detinet è medio tolli, extinguetur enim error, qui detinet, & finis idolorum dolis imponetur, & tunc reuelabitur ille iniquus.
Matth. 24. hoc Dominus quoq; in ſacris euangelijs aſſeruit. prædicabitur enim hoc euangelium, inquit, in omnes fines terræ in teſtimoniũ ipſis. & tunc veniet finis. hoc inde edoctus beatus Paulus Theſſalonicenſes ipſe docet, ac per illos omnes pietatis amatores, quaſi dicat, ne exiſtimetis fore, vt nũc ille veritatis hoſtis appareat. oportet enim prius idolorũ errorem, qui homines detinet, extingui, & corroborari euangelij prædicationẽ, deinde ſic iniquum illum reuelãri. tum ipſius quoq; perniciem oſtendit, quem Dominus, inquit, Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. tum etiam quo pacto apparebit, declarat. cuius eſt, inquit, aduentus ſecũdum operationem ſatanæ. imitabitur enim diabolus Dei & ſaluatoris noſtri humanitatem; & ſicut Dominus per humanam naturam apparens noſtræ ſalutis auctor fuit, ita etiam diabolus ſumpto ſuæ improbitatis idoneo inſtrumento, per ipſum propriam virtutem oſtendet, mendacibus ſignis, & prodigijs, & falſa miraculorum ſpecie otioſos homines ſeducens. ac docens, cur nam hæc fieri permittat auctor omnium rerum Deus, adiecit, eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Hoc idem dominus quoq;
Ioan. 5. Iudæis dixit. Ego veni in nomine patris mei, & non accepiſtis me, veniet alius in nomine ſuo, & illum accipietis. hæc autem docet angelus Danielem, ſermones, ait, contra altiſsimum loquetur, & ſanctos altiſsimi debellabit & cogitabit mutare tempora & legem, & dabitur in manu eius vſque ad tempus & tempora & dimidium temporis. & iudicium ſedit, & principatum eius tranſmutabunt, vt deleat & perdat, vſq; in finem. videte quemadmodum ea, quæ angelus ænigmatice interpretatus eſt, aperte beatus Paulus edocuerit. & Dominus item præſignificans futuras in ſanctos impiorum inuaſiones, Erit,
Matt. 24. dicebat, tribulatio magna, qualis nõ fuit ab initio mundi vſq; modo, neq; fiet, & niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi. deinde cùm ſanctis ſuis diſcipulis conſuluiſſet, & per illos omnibus, cauerent ne ſeducerentur ab ijs, qui dicerent hic vel illic Chriſtũ eſſe: non enim amplius clam & occulte, ſed palam cum gloria apparebit. adiecit: tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maieſtate, & mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabũt electos eius à quatuor ventis à ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum. hæc itidẽ Danieli prædicens angelus, ijs, quæ iam dixerat, adiecit.

Et regnum, & poteſtas, & magnitudo regum, qui ſunt ſubter omne cœlum, data ſunt ſanctis altiſſimi, & regnum eius regnum æternum, & omnes principatus ipſi ſeruient, & obedient. hucuſq; finis verbi.

Regnum autem, & poteſtas & magnitudo regni, Vulg. La.
quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo ſanctorum altiſſimi, cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei, & obedient. hucuſque finis verbi.

Hoc eſt, omnium rerum hniuſce vitę hic eſt finis, vt deficiant omnia terrę regna, tradaturque ſanctis altiſſimi regnum æternum, ac regnantes ei obediãt & amice ſeruiant. eſt enim perenne regnum eius ac fine carens. His auditis, inquit, ego Daniel terrore multo completus ſum, vt ne cogitationes quidem meæ in me quieſcerent, ſed confunderentur, & continenter conturbarentur: & forma mea multum hac de cauſa immutaretur, veruntamen

Oſtenſa mihi myſteria haud paßim diuulgaui, ſed in corde meo ea conjeruabam.

Ego Daniel multum cogitationibus meis contur- Vulg. La.
babar, & facies mea mutata eſt in me, verbũ autem in corde meo conſeruaui.

Beatus igitur Daniel hæc nos docuit, ego autem in præſenti omiſſa Iudæorum accuſatione, vehementer admiror, quoſdam pietatis magiſtros quartam beſtiã vocaſſe regnum Macedonicum: oportuit enim ipſos primum conſiderare tertiam beſtiam quatuor habuiſſe capita, quod aperte indicabat poſt Alexandri obitum quadripartitã regni diuiſionem. deinde animaduertendum erat & quartam beſtiam eodẽ tempore decem habuiſſe cornua. & paruum cornu tria priora cornua radicitus euulſiſſe. & quatuor, at non decem reges Alexandri regnum excepiſſe. & vt alijs omiſsis, ad finem perueniam, illud etiam ſimul inſpiciendum erat, diviſſe prophetam poſt quartæ beſtiæ interitum ſanctis altiſsimi regnum traditum iri. quare etiam iudicium ſedit, ſancti autem altiſsimi non poſt Antiochũ Illuſtrem, id eſt Epiphanem, regnum exceperunt. quòd ſi potentiam quandam adepti ſunt beati Maccabæi, non tamen diutius regnarunt, Iudas enim tres annos præfectus fuit, Ionathan vndeuiginti, Simõ octo, alij verò, vt nc ſingula percurrens prolixiore vtar oratione, cùm parumper regnaſſent, vel morte extincti ſunt, vel calamitatibus affecti & in diſcrimẽ adducti imperio priuati fuere. alioqui, ne omnes quidem iſti ſancti, cùm quidam in illis improbi extiterint, & vt omnes etiam ponamus ſanctos eſſe, his omnibus deletis Herodes totius Iudææ rex declaratus eſt. quomodo itaque verum erit, quod ab angelo dictum eſt, poſt deletum cornu illud, regnum & poteſtatem, & magnitudinem

tudinem regum, qui ſunt ſubter omne cœlum, data eſſe de ſanctis altiſsimi, & regnum eius regnum æternum? nihil enim horũ Maccabæis conuenit. neq; enim illis regnum creditum fuit, ſed cùm ductores exercitus eſſent, vincebant, & celerem finem ſortiti ſunt. relinquitur itaq;, vt quartam beſtiã Romanorum regnũ intelligamus, circiter finem cuius decem eodem tempore conſurgent reges, atque omnis improbitatis opifex & magiſter nouiſſimus apparebit ea faciens ac patiens, quæ docti ſumus, poſt cuius interitum Dei & ſaluatoris noſtri apparebit aduentus; & de omnibus hominibus iudicium fiet; & aperientur libri, id eſt, eorum quæ ab vnoquoque in vita geſta fuerint, recordationes. & igni tradetur beſtiæ corpus, hoc eſt, illi qui adempta animæ poteſtate corpori licentiam conceſſerint, & carnis ſenſui in vita addicti fuerint. reddet autem iuſtus iudex ſanctis regnum, clamans: Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, quod vtinam nos omnes conſequamur gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria cum ſancto ſpiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.

ORATIO VIII.

In anno tertio regni Baltaſar, viſio apparuit mihi, ego Daniel, poſt conſpectum mihi principium.

Vulg. La. *Anno tertio regni Baltaſar regis, viſio apparuit mihi, ego Daniel, poſt id, quod videram in principio.*

Cùm adhuc, inquit, Chaldæorum, ſiue Aſſyriorum vigeret imperium, aliam reuelationem vidi poſt illam priorem, & hanc recẽtiorem tempus declarat, priorẽ enim vidit anno primo Baltaſar regis Chaldæorum, hanc verò anno eiuſdem tertio. neq; temere tempus notat, ſed docens multo antè tempore quàm hęc fierent, à rerum omnium auctore Deo ſe conſecutum eſſe, vt præcognoſceret.

Et vidi inquit in viſione, & factum eſt, cùm viderem ego, & eram in Suſis, caſtro, quod eſt in regione Elam.

Vulg. La. *Vidi in viſione mea, cũ eßem in Suſan caſtro, quod eſt in Elam ciuitate.*

Suſa olim metropolis erat Perſarum. quando itaque Perſici regni diſcit euerſionem, neceſſario in illa vrbe ſibi videtur inſpicere reuelationem, & vidi, inquit, in viſione, hoc eſt non vigilans, neq; interdiu hæc conſpexi, ſed in ſomnis mihi auctor rerum omnium Deus oſtendit.

Et eram, inquit, ſuper Vbal.

Vulg. La. *Vidi autem in viſione eße me ſuper portam Vlai.*

Iuxta portam inquit mihi videbar ſtare, ita enim quidam poſuerunt interpretes.

Et ſuſtuli oculos meos, & ecce aries vnus ſtans ſuper Vbal, & ipſi cornua excelſa, & vnum excelſius altero, & excelſius aſcendebat in extremo.

Vulg. La. *Et leuaui oculos meos & vidi, & ecce aries vnus ſtabat ante paludem habens cornua excelſa, & vnum excelſius altero, atque ſuccreſcens.*

Perſicum regnum arieti ſimile intuetur, tanquam diuitijs ſuis laborans, multarumque facultatum obtinens abundantiam. duo cornua in ariete cõtemplatur. quia primus ipſorum regno potitus eſt Cyrus, & vſque ad filios tantum regnum ipſum tranſmiſit, Cambyſe enim illius filio vita functo paucos menſes Magi regnum obtinuerunt, quod paulo pòſt excepit Darius Hyſtaſpis, vſque ad filios & nepotes * regnum vſq; ad Darium tranſmittit, quo interfecto Alexander Macedo regno potitus eſt. Duo itaq; genera regum per duo cornua ſignificãtur. & ambo quidem intuetur excelſa, excelſius autẽ priore poſterius, ſicut enim iam ante diximus, amplius Dario & Xerxe ſceptra tenentibus regnum fuit. nam Cyrus Pontum Euxinum & Aſiam ſibi ſubegit. Darius etiam Scythas Nomadas cum reliquis ſibi ſubiectis coniunxit. Xerxes Europæ quoq; regni iugum imponere conatus eſt. Idcirco duo cornua in Ariete contemplatur, ſed alterum prius, alterum poſterius, & poſterius excelſius priore.

Et vidi inquit arietem cornu petentem cõtra mare, & boream, & auſtrum.

Poſtea vidi arietem cornibus ventilantem, contra Vulg. La.
occidentem, & contra aquilonem, & contra meridiem.

Omnia enim & ad aquilonẽ, & ad auſtrum ſita ſibi ſubiecta habebat. & itidem ea, quæ ad occidentem vſque ad ipſum mare, & plurimas item inſulas in ſeruitutem redegit. ſtatim itaquẽ cum Xerxe bellum Græciæ inferente & Cyprij, & Rhodij, Samij, & Lesbij, & Chij, & Cyclades omnes inita ſocietate pugnabant, hac de cauſa vidit arietem cornu petentem contra mare, & aquilonem, & auſtrum.

Et omnes, inquit, beſtiæ non ſtabunt in conſpectu eius, & non erat liberans de manu eius, & fecit ſecundum voluntatem ſuam, & magnificatus eſt.

Et omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neque li- Vulg. La.
berare de manu eius, fecitq; ſecundum voluntatem ſuam, & magnificatus eſt.

Beſtias autem rurſus alia regna ſingularia vocat, Syrorum, Cilicum, Arabum, Aegyptiorum, & beſtias ipſa appellat eò, quòd ſubiectis populis terribilia forent. nullum itaque regnum, inquit, reſiſtere poterat regno illi, quod cornu petebat contra auſtrum, & aquilonem, & mare, & nemo hominum poterat ab illo imperio liberum quempiam demonſtrare, ſed quodcunque ei videbatur, illud ad exitũ perducebat

Et ego, inquit, intelligebam.

Hæc, inquit, contemplans mecum ipſe reputabam, quæ per hæc ſignificarentur, ea cupiens inuenire, meque hæc cogitante

Ecce hircus caprarum veniebat à Libyco ſuper faciem totius terræ, & hirco illi cornu erat conſpicuum inter oculos eius.

Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occiden- Vulg. La.
te ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram, porro hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos.

Macedonicum regnũ hoc in loco à ſomnij

ænigmate ſignificatum eſt, quod propter celeritatem, agilitatemque hircum appellauit, ariete enim velocior eſt hircus, & à Libyco ipſum veniſſe dixit, quia cùm Aegyptum prius ſubegiſſet, deinde in Perſarum regionem conceſsit. vicit enim Darium in Cilicia, & inde percurſa Aſſyria, Phœnice, & Palæſtina, & vrbibus partim deditione, partim vi captis, in Aegyptum profectus eſt. deinde illo quoque regno potitus, Perſide occupata maximũ ipſorum euertit regnum. vnum autem cornu conſpicuum, hoc eſt, inſigne & illuſtre, ipſum vocat Alexandrũ, & inter hirci oculos natum aſſerit illud cornu propter ingenium, & prudentiam, & ſagacitatem mentis ipſius Alexandri.

Et venit, inquit, hircus vſque ad arietem habentem cornua, quem vidi ſtantem ſuper Vbal. & cucurrit ad eum in impetu roboris ſui, & vidi ipſum peruenisse vſque ad arietem, & efferatus eſt contra eum, & percuſsit arietem, & contriuit vtraque cornua eius, & non erat robur arieti, vt ſtaret coram ipſo. & proiecit ipſum in terram, & conculcauit ipſum, & non erat eripiens arietem de manu eius.

Vulg.La. *Et venit vſque ad arietem illum cornutum, quem videram ſtantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu ſortitudinis ſuæ, cumq; appropinquaſſet prope arietem efferatus eſt in eum, & percuſsit arietem, & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries reſiſtere ei, cumq; eum miſisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius.*

Primum enim cum illius ducibus congreſſus in Aſiæ regionibus, omne ipſis imperium ademit, deinde cùm Darius in Cilicia ingenti cum exercitu occurriſſet, alterum prælium committitur, & Darius in fugam vertitur, multiſque militibus interfectis captiuas Darij filias Alexander accepit. tum rurſus poſt reuerſionem ex Aegypto ad Babylonem inſtructa acie & ipſum Darium occidit, & Perſicum euertit regnum. & contrita ait vtraq; ipſius fuiſſe cornua, eo quòd Medi etiam Perſæ ſimul nominantur, cum Cyrus, qui primus regnauit, à patre Medo, & à matre Perſa duceret originem. & quia primus ipſorum rex vtriſque his nominibus appellatus eſt, neceſſario illi quoque, qui ſub eius regno erant, Medos & Perſas ipſos nominabant, in vnum enim principatum vtraque regna conuenere. externi quoque ſcriptores & Perſas & Medos eoſdem nuncupant. ita autem inquit contritis arietis cornibus,

Vulg.La. *Hircus caprarum magnificatus eſt, vſq; valde.*
Hircus autem caprarum magnus factus eſt nimis.

Perſico enim ſiue Medo euerſo regno Alexander in omnes imperium adeptus eſt, ſed iſte quoque cùm breue tempus ſuperuixiſſet, fortitus eſt vitę finem, & hoc vidit beatus Daniel, idcirco ait.

Et cùm roboraretur ipſe, contritum eſt cornu illud magnum.

Vulg.La. *Cumq; creuiſſet fractum eſt cornu magnum.*

Poſt victoriam illam maximam, inquit, communem hominum Alexander ſortitus eſt finem.

Et aſcenderunt, inquit, quatuor cornua ſubter illud ad quatuor ventos cœli.

Et orta ſunt quatuor cornua ſubter illud per quatuor ventos cœli. Vulg.La.

Quatuor autem cornua, quatuor illos reges innuunt, qui eodem tempore ſimul Alexandro ſucceſſere. Ptolemæus enim Lagi Aegypti accepit imperium, Seleucus Nicanor Babylonem obtinuit, & reliquas partes vſque ad Syriam pertinentes, Antigonus Aſia potitus eſt, Macedonia Antipater, aut, vt quibuſdam ſcriptoribus videtur, Philippus, qui etiam Aridæus dictus eſt, Alexandri frater. & illud no tandum eſt, conſpexiſſe prophetam tertiã beſtiam quatuor habẽtem capita, & hircum poſt vnum cornu contritum quatuor cornua produxiſſe, vt perſpicuum ſit, eadẽ & per hircum & per tertiam beſtiam ſignificari.

Et ex vno, inquit, cornuum egreſſũ eſt cornu vnum robuſtum.

De vno autem ex eis egreſsum eſt cornu vnum modicum. Vulg.La.

Antiochum dicit Illuſtrem, id eſt Epiphanem, qui Antiochi illius, qui Magnus vocabatur, filius fuit.

Et magnificatum eſt inquit ad auſtrum, & ad orientem, & ad Libycum, & ad virtutem.

Et factum eſt grande contra meridiem, & contra orientem, & contra fortitudinem. Vulg.La.

Potens, inquit, effectus ſuperauit Aegypti regem, & nationes ad orientem ſitas in ſuam redegit poteſtatem. & cum exercitu profectus Iudæis quoq;, inquit, bellũ intulit, & ſanctam Metropolim ſubegit. virtutem enim ipſam appellauit, propter diuinã gratiam, quæ id temporis in templo florebat. idque planius faciens ſubiecit.

Et magnificatum eſt vſq; ad virtutem cœli, & cecidit in terram de virtute, & de ſtellis, & conculcauit eas.

Et magnificatum eſt vſq; ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine, & de ſtellis, & conculcauit eas. Vulg.La.

Hæc nos apertius edocent primus & ſecundus Maccabæorum libri, & Ioſephus hiſtoriographus hæc accurate conſcripſit, & nos item breuiter, quę ad ipſum pertinẽt, enarrabimus. Cùm Iudæi illi, qui ex eo genere nati erant, cuius erat maximus pontificatus, contra principem ſacerdotum eo tẽpore ſeditionem cõcitaſſent, qui hunc principatum appetebant, ad Antiochum profecti ei perſuadent, vt Iudæorum rempub. ad Greca transferat inſtituta, & gymnaſium in vrbe ædificandum curet. quibus rebus geſtis pij homines in luctu erãt, & mœrebant, quòd apertam cernerent legum violationem, at reliqua turba libere abſque vllo metu diuinam legem conculcabat, & in circumciſionis præceptum contumelioſe illudebat. vehementiore autem conflata ſeditione cùm eò peruenisset Antiochus, plurimos pios homines occidit, & auſus eſt in ſacri templi adyta ingredi, quò ingreſſus omnia quæ templi erant prædatus eſt, ſibique theſauris vedicatis, & vſurpatis omnibus muneribus,

neribus, & poculis & phialis & crateribus, aureaque menſa, & aureo thuribulo, & candelabris ex auro confectis, & omnibus omnino diuini miniſterij vaſis, aram inſuper in Dei templo Ioui conſtruxit, omnemque vrbem idolis compleuit, & omnes ſacrificare cogebat, & ipſe etiam ſuem in diuina ara mactauit, ac Iouis Olympij templum nuncupauit. hæc omnia beatus Daniel multo antè docet, videt enim per cornu, ipſum Antiochum, qui magnus factus eſt, vſque ad virtutem cœli, id eſt, inſania contra ipſum rerum omnium auctorem Deum concitatus eſt, cui & populus, & templum dedicatum erat, & cecidit in terram de virtute, & de ſtellis, & conculcauit eas. plurimi enim ex populo violata Dei lege ex ordine cœleſtium exciderunt, & ab iſtius tyrannide conculcati ſunt, qui ſeipſos perdiderunt. ac ſtellas ipſos propter nobilitatem, ſplendoremque pietatis appellauit. innuitq; quod olim Abraæ promiſſum fuit: faciam enim ſemen tuum, inquit, ſicut ſtellas cœli. neque enim contentus fuit, inquit, conculcaſſe plures eorum, qui ſtellæ vocabantur. ſed etiam

Vſque ad principem virtutis magnificatum eſt.

Vulg. La. *Et magnificatum eſt vſque ad fortitudinem cœli.*

Rabie enim & inſania contra ipſum Deum & regem huius exercitus, id eſt, populi ſancti, exarſit, & hæc facere, inquit, perſeuerabat, quoad princeps exercitus liberaret eos è captiuitate, id eſt, quoad opem diuinam conſequerentur. & nos per Archangelum illum, cui munus hoc impoſitum eſt, vt noſter ſit præſes & cuſtos, adipiſceremur ſalutem. deinde apertius quę auſurus foret Antiochus præſignificat,

Et per ipſum, inquit, ſacrificium turbatum eſt peccato.

Neque enim permittebat ſecundum legem offerri ſacrificia, ſed Græco ritu ea perfici cogebat. tum ſubijcit.

Quia etiam factum eſt, & proſpere ei ſucceſſit.

Tunc enim impedimentum nullum fuit, quod eius rabiem coerceret.

Et ſanctum, inquit, deſolabitur, & datum eſt ſuper ſacrificium peccatum, & proiecta eſt in terram iuſtitia, & fecit, & proſpere ſucceſſit.

Vulg.La. *Et ab eo tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius, robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium propter peccata, & proſternetur veritas in terra, & faciet, & proſperabitur.*

Furore enim percitus, & tyrannide vtens polluere auſus eſt altare peracto non legitimo ſacrificio, vacuum autem ab ornatu diuinum templum fecit, iuſtitiæque leges conculcauit iniuſta pijs hominibus illata nece, & interim dum hæc faceret, proſpere ei ſuccedebat. deinde

Audiui quendam ſanctum loquẽtem, & dixit vnus ſanctus phelmoni loquenti. vſquequo viſio ſtabit, & ſacrificium ablatum, & peccatum deſolationis datum, ſanctum, & fortitudo conculcabitur?

Vulg.La. *Et audiui vnum de ſanctis loquentem, & dixit vnus ſanctus alteri neſcio cui loquenti. vſquequo viſio & iuge ſacrificium, & peccatum deſolationis, quæ facta eſt, & ſanctuarium & fortitudo conculcabitur?*

Phelmoni Hebraica lingua Græca voce quendam ſignificat, idque teſtatur Syrorum lingua Hebrææ affinis. ait itaque beatus Daniel, audiui quendam ſanctum de alio ſancto quærentem. & perſpicuum eſt illum vidiſſe angelos inter ſe colloquentes, ac diſcere cupientes, quantum futurum ſit temerariæ impietatis, iniquitatiſque, & deſolationis templi, & minime legitimi, deteſtabiliſque ſacrificij tempus, ac tyrannidis illius, qua populus opprimetur.

Et dixit ei, inquit, vſq; ad veſperam & mane dies duo mille & trecenti, & purgabitur ſanctum.

Et dixit ei, vſq; ad veſperam & mane dies duo mil Vulg.La.
lia trecenti, & mundabitur ſanctuarium.

Veſperam vocauit calamitatum initium, & mane calamitatum finem. quia quæ dolorem afferunt, ea nocti ac tenebris comparantur. à præſenti, inquit, initio calamitatum vſque ad finem malorum tantum temporis intercedit, & computati dies hi ſecundum Hebræorum rationem ſex annorum & ſex menſium numerum perficiunt. tamdiu enim graſſata eſt Iudæorum calamitas.

Et factum eſt, inquit, cùm viderem ego Daniel viſionem, quærebam intelligentiam.

Factum eſt autem, cùm viderem ego Daniel viſio- Vulg.La.
nem & quærerem intelligentiam.

His inquit conſpectis, intelligere, & accurate percipere cupiebam, quæ per hęc ſignificarentur ænigmata.

Et ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi viſio viri.

Ecce ſtetit in conſpectu meo quaſi ſpecies viri. Vulg.La.

Videbar, inquit, mihi videre virum.

Et audiui vocem viri inter Vbal, & vocauit, & dixit, Gabriel fac intelligere illum viſionem.

Et audiui vocem viri inter Vlai, & clamauit, & Vulg.La.
ait, Gabriel fac intelligere iſtum viſionem.

Audiui etiam alium quendam humana vocem tentem, & imperantem ei, qui aſsiſtebat mihi, quem Gabrielem quoque nominauit, vt interpretaretur mihi reuelationis ænigmata. ex ijs, quæ dicta ſunt conijci poteſt, eum, qui iubebat, Dominum fuiſſe.

Et venit, inquit, & ſtetit iuxta ſtationem meam.

Et venit, & ſtetit iuxta vbi ego ſtabam. Vulg.La.

Statim, inquit, iuſſus venit, & prope me ſtetit.

Et cùm veniret ipſe obſtupui, & cado in faciem meam.

Cumq; veniſſet, pauens corrui in faciem meam. Vulg.La.

Idonea hæc ſunt ad conuincendum Eunomij faſtum, qui ipſam ſe cognoſcere Dei eſſentiam arroganter iactitat. ſi enim angelorum contemplationem, eandemq; contemplantis viribus dimenſam tantus propheta non tulit, quid magis impium aut deteſtabilius ijs qui gloriantur diuinam ſe nouiſſe ſubſtantiam? ſed ad propoſitum reuertamur.

Et dixit ad me, intellige fili hominis, adhũc enim in temporis finem.

Et ait ad me, intellige fili hominis, quoniam in tem Vulg.La.
pore finis complebitur viſio.

Ne existimes, inquit, in præsenti his rebus finem impositum iri, siquidem post multos annos fient, expleto enim definito tempore, horum vnumquodque ad exitum perducetur.

Et cum loqueretur ipse mecum, cado in faciem meam super terram & tetigit me, & statuit me super pedes meos. & dixit, ecce ego indico tibi futura in nouissimis iræ filijs populi tui. adhuc enim in temporis finem manent.

Vulg. La. *Cumq; loqueretur ad me collapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo, dixitq; mihi, ego ostendam tibi, quæ futura sunt in nouissimo maledictionis, quoniam habet tempus finem suum.*

Cùm vidisset me, inquit, præ metu collapsum, primum erexit me, deinde consolatur indicans ea se gratia venisse, vt mihi futura cupienti præmonstraret, & qualia propter diuinam iram rursus essent inuasura populũ meum, deinde metum, quo afficiebar, mihi ademptum cupiens, hæc longo pòst tempore futura indicauit. & quæ videram ea mihi singula interpretatus est, ita locutus.

Iste aries, quem vidisti, habens cornua, rex Medorum est, & Persarum.

Vulg. La. *Aries quem vidisti habere cornua rex Medorum est, atque Persarum.*

Nam quia simulatq; Chaldaicum siue Assyrium Darius Medus excepit regnum, etiam Cyrus Persa tunc ad Persas transtulit imperium, qui & Medus erat & Persa, propter generis coniunctionem, necessario Persis Medos præposuit, & ait, arietem esse regem Medorum & Persarum, ambo enim, & postremus Darius pui Arsamenis appellatus fuit, quem Alexander Macedo confecit, vtraque regna administrauit.

Et hircus, inquit, caprarum rex Græcorum, & cornu illud magnum, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus.

Vulg. La. *Porro hircus caprarum rex Græcorũ est, & cornu grãde, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus.*

De Alexandro loquitur.

Quod autem contritum est, & steterunt quatuor cornua subter illud, quatuor reges consurgent de gente eius, & non in robore illius.

Vulg. La. *Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo, quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.*

Nam post illius, inquit, obitum regnum illius in quatuor regna diuidetur, quin etiam etsi quatuor fuerint qui regnent, non poterũt tamen egregia illa facinora, quæ ille faciebat, perficere, verum multo se eius virtute inferiores præstabunt.

Et in extremo, inquit, regni ipsorum, completis peccatis eorum,

Vulg. La. *Et post regnum eorum, cum creuerint iniquitates.*

Quando, inquit, ad summam impietatem peruenerint, & vltra meæ diutinæ lenitatis terminos deliquerint,

Consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & fortè robur eius, & non in robore suo.

Vulg. La. *Consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis.*

Antiochi versutam malitiam per hæc innuit, & præter malitiam, potentiam, quam ille sibi comparauerat, deinde docens eum hæc facturum, Deo videlicet permittente, necessario subiecit, & non in robore eius, & Assyrio ait Deus per Esaiam prophetam, nunquid gloriabitur securis sine incidente in ea? aut exaltabitur serra sine trahente eam? ita & hic, audebit hæc, inquit, Antiochus non vt potens, sed Deo permittente.

Et mirabilia, inquit, corrumpet, & diriget, & faciet, & interficiet fortes, & populum sanctum & iugum vinculi eius diriget.

Et supra quàm credi potest, vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet, & interficiet robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam. Vulg. La.

Id est, nihil ipsi erit impedimento, quin omnia faciat quæcunque voluerit. de talibus beatus Dauid præcipit, cùm ait. noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias, per sæpe enim accidit vt impietati & iniquitati addictis hominibus, quique audeant admodum iniusta, res prospere succedant. Iugum igitur inquit, vinculi eius diriget, hoc est, quæcunque subiectis populis imperabit, ea coget illos perficere. deinde versutam illius malitiam, dolosamque simulationem prædicens, Psal. 36.

Dolus inquit in manu eius, & in corde suo magnificabitur, & dolo interficiet multos.

Et dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos. Vulg. La.

A principio enim Gymnasium in Hierosolymis ædificari præcepit, deinde suillis vesci carnibus, tum etiam coegit sacrificare, ac verbis fallacibus vsus pios homines in fraudem impellere conabatur, ac regia munera pollicitus omnes in legem delinquentes cernere cupiebat. idcirco dolus, inquit, in manu eius, & in corde suo magnificabitur. maximum enim seipsum omnium hominum existimauit esse. & dolo interficiet multos, quoscunq; scilicet in fraudem inducere potuerit.

Et in perditione multorum, inquit, stabit.

Hoc est, quæstione adhibita, exquisitis tormentis vtetur, donec plures viderit propriam salutem amisisse. neque contentus ea contra homines insania,

Etiam in principem, inquit, principum stabit.

Et contra principem principum consurget. Vulg. La.

Hoc est, contra ipsum regem regũ, qui dominantibus dominatur, insaniens, dedicatum illi templum polluere aggressus, & permissam sibi contra Iudæos licentiam ostendens.

Et quasi oua, inquit, manu ipsos conteret.

Et sine manu conteretur. Vulg. La.

Ita facillime omnia hæc, inquit, perficiet, perinde atque si quis oua manu vellet conterere. atque hic ipsorum Iudæorum segnitiem notat, qui neglectis rebus diuinis, ab ipso Deo deserti, & superna fuere prouidentia destituti, his adijcit.

Et

Et visto vespere & mane, quæ dicta est, vera est.

Hoc est, & tempus calamitatibus definitũ sine vlla dubitatione verum est. quia vero multum temporis intercedit,

Et tu signa, inquit, visionem, quia in dies multos erit.

Vulg. La. *Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.*

Hoc est, obscuram adhuc ipsam multis relinque, tibi enim vt cupienti hæc ante res ipsas declaranda curaui.

Et ego, inquit, Daniel dormiui, & obtorpui dies, & surrexi, & faciebam opera regis, & admirabar visionem, & non erat intelligens.

Vulg. La. *Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies, cumq; surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur.*

Cùm enim didicissem ea mala, quæ rursus populum meum essent oppressura, tanto mœrore affectus fui, vt etiam ob eam rem in ægritudinem inciderim; verumtamen ita affectus, quæ à rege mihi commissa fuerãt, administrabam, nemine infirmitatis causam cognoscente, Hic nouerat etiam cum beato Paulo dicere, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego nõ vror? & flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus. & si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. ita affectus & hac erga conseruos beneuolentia præditus perceptis ijs calamitatibus, quæ multis pòst sæculis in ipsos conseruos essent inuasuræ, lamentari ac lugere perseuerabat; præsertim cùm exploratum haberet eorum se malorũ omnino expertem fore, qui è præsenti vita haud multo pòst essent decessurus. hanc eãdem charitatem decet nos item cognatis & conseruis præstare, idemque mutuo sentire, & membrorum mutuam, qua sibi compatiuntur, cognationem imitari: siquidem membra alter alterius vocati sumus, ac digni effecti, qui Christi corpus appellemur. ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen. 1. ad Cor. 11.

ORATIO IX.

In primo anno Darij filij Assueri de semine Medorum, qui regnauit super regno Chaldæorum in anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo domini ad Hieremiam prophetam, vt compleretur desolatio Hierusalem, septuaginta anni.

Vulg. La. *In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum, anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo domini ad Hieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni.*

Hinc quoq; perspicuum est aliud fuisse Darij Assueri, aliud Cyri Persæ regnum, & cum ijs, quæ paulò antè dicta sunt, modo recitata consentiunt, neque enim Darium simpliciter Medum appellauit, sed de semine Medorum, vt planum fieret non vtrinque materno scilicet & paterno genere Medum illum fuisse. regnauit tamen super regnum Chaldæorum, Baltasar post languorem diuina plaga nocte interfecto, & breue admodum tempus Darius iste regnasse mihi videtur. beatus enim Daniel, cùm iam reliquum expletum vidisset captiuitatis terminum, ratiocinatus septuaginta annorum numerum, quem per prophetam Hieremiam prædixit auctor omnium rerum Deus, pro populo cœpit domino supplicare. tempus autem expletum est regnante Cyro Persarum rege, vt beatus Esdras ait, qui statim initio sui voluminis post procemia facta breuiter mentione de Hierosolymorum expugnatione, & de seruitute, in quam patria redacta fuit, & de captiuis in Babylonem abductis, subiecit.

Et fuerunt pueri ei, & filijs eius, quoad regnarent Persæ, vt expleretur sermo Domini per os Hieremiæ, quousque susciperet terra sabbata sua, omne tempus desolationis suæ sabbata celebrabit, vt expleantur anni septuaginta, regnante Cyro Persarũ rege, anno primo, vt perficiatur verbum Domini per os Hieremiæ. 2. Para. 36. 1. Esd. 1.

Si quis euaserat gladium ductus in Babylonem seruiuit regi, & filijs eius, donec imperaret rex Persarũ, & compleretur sermo Domini ex ore Hieremiæ, & celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum vsq; dum complerentur septuaginta anni: anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Hieremiæ. Vulg. La.

Et sanctissimus Hieremias ita ait.

Ecce ego mitto, & assumam gentem aquilonis, Nabuchodonosor regem Babylonis, seruum meum: & adducam eum super terram hanc, & super incolentes eam, & super omnes nationes quæ sunt in circuitu ipsorum, & delebo eos, & dabo eos in desolationem, & in sibilum, & in opprobrium sempiternum, & auferam ab ipsis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, & vocem sponsi, & vocem sponsæ, odorem vnguenti, & lumen lucernæ, & erit omnis ipsius terra in desolationẽ, & seruient in gentibus septuaginta annos. & cùm expleti fuerint septuaginta anni, vindicabo super regem Babylonis, & super gentem illam dicit Dominus iniquitates ipsorum, & super terram Chaldæorum & ponam eos in desolationem sempiternam. Hiere. 25.

Ecce ego mittam & assumam vniuersas cognationes aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & adducã eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem & in sibilum, & in solitudines sempiternas, perdamq; ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molæ, & lumen lucernæ. & erit vniuersa terra hac in solitudinem & in stuporem, & seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. cumq; impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas. Vulg. La.

Beatus igitur Hieremias tunc expletum iri captiuitatis tempus innuit, cùm Chaldaicum regnum euerteretur, quod Esdras facta Cyri mentione apertius declarauit. Comperimus etiam beatissimum Zachariam aliter hoc numerasse tempus, nam post Cyri obitum, & Cambysis eius filij Dario Hystaspis Persarum

imperium adepto, tempus cõmemorans propheta, quarta, inquit, & vigesima vndecimi mensis, hic est mensis sabath, factum est verbum Domini ad Zachariã Barachiæ filij Addo prophetam. & paulo pòst subiecit, & respondit angelus Domini & dixit, Domine omnipotens, vsquequo non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda quas spreuisti? iste septuagesimus est annus. & quidam ex ijs qui incredulitatis morbo laborant, sanctos inter se prophetas dissentire opinantur, qui vero sacris in sermonibus educati sunt, diuina gratia illustrati sanctorum prophetarum inueniunt consensum. Age itaque illo splendore precibus exorato, ignaris eum perspicuum faciamus. Tempus igitur captiuitatis omnes idem nihil discrepantes posuere: & diuus Hieremias, & diuinus Zacharias, & beatus Esdras, in septuagesimo numero omnes consensere, sed non ab eisdem temporibus omnes numerare exorsi hoc tempus alij in Cyrum, alij in Darium hunc ipsum numerum desinere dixerũt. beatus enim Hieremias, & Esdras à primæ captiuitatis initio numerantes, iure vsq; ad Cyrum Persarum regem septuaginta definiunt annos, sed sanctissimus Zacharias à nouissima obsidione, qua funditus interiere, numerans, septuaginta annorum numerum Dario regnante Persarum rege, expleri asseruit, etenim reuera ipso regnante sanctum rursus ædificatum est templum: nam quia ter populus captiuus fuit, primo tempore Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, iterum Iechoniæ filij Ioacim, tertio Sedeciæ fratris Ioacim patrui Iechoniæ: necessario tèr etiam in patriam reditum consequuntur. primo enim dimisit ipsos Cyrus Persa, deinde Darius Hystaspis filius, tum Artaxerxes Xerxis, quo tempore prius Esdram, postea Neeman misit, vt muros Hierusalem iterum construendos curarent. Eorum igitur, qui primo capti fuere, septuaginta annorum numerus Cyro Persa regnante expletur, & templi desolatio hoc eodem tempore finitur, anno secundo Darij Hystaspis. ita vt vtraque prophetia & Hieremiæ, & Zachariæ, & itidem Esdræ scriptura mendacio careat, & vera sit. hoc tempus beatus Daniel intelligens, cùm numerasset, & iam appropinquare comperisset,

Zach.1.

Dedi, inquit, faciem meam ad Dominum Deum, vt quærerem orationem, & deprecationem in ieunijs, & sacco, & cinere.

Vulg.La. *Et posui faciem meam ad dominum Deum meum rogare, & deprecari in ieunijs, sacco, & cinere.*

Non enim, inquit, simpliciter expectabam vt à seruitute vindicaremur, sed domino cognatorum meorum libertatem petens supplicabam. nam & si millies bona polliceatur, & nosmetipsos tali munere præbeamus indignos, diuinæ munificentiæ impedimento sumus. quod etiam per Ezechielem prophetam ait Deus. finem loquar super gentem & regnum vt ædificem & plantem, & erit, si auersa gens illa fecerit mala, non inducam super eam omnia bona, quæ locutus sum, hæc edoctus beatus Daniel, ieiunio & sacco & cinere quasi alis instructas preces Deo offerebat.

Et deprecatus sum, inquit, ad Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi, Domine Deus magne & terribilis, qui custodis testamentum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.

Et oraui Dominum Deum meum, & confessus sum Vulg.La. *& dixi, obsecro Domine Deus magne & terribilis custodiens pactum & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.*

Et magnum atque admirabilem vocat, vt qui magna, & mirabilia posit efficere. ab actionibus enim & efficacia diuini viri diuina imponere nomina consueuere; & custodire ipsum dixit testamentum, & misericordiam diligentibus eum, admonens eorum quæ Abraam, Isaach & Iacob olim promissa sunt. omniq́ue studio orans docet haud simpliciter illum custodire, sed diligentibus eum, & custodientibus mandata eius: si quis enim tua, inquit, mandata violet, seipsum indignum tuis pollicitationibus reddit, hoc item nobis vsu venit.

Peccauimus enim, iniquitatem fecimus, inquit, impie egimus, & declinauimus à mandatis tuis, & à iudicijs tuis.

Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, Vulg.La. *& recessimus, & declinauimus à mandatis tuis, ac iudicijs.*

Cùm admodum conuenienter glorioſa & admirabilia illa nomina Deo imposuisset, contraria & penitus aduersa sibi ipsis imposuit. neque contentus dixisse peccauimus, adiecit insuper iniquitatem fecimus, impie gessimus, ingrati erga tua beneficia fuimus. impie gessimus autem alijs dijs animo, sensuque carentibus ac nulla vi præditis tibi prælatis. deinde ostendens eam curam, qua se Deus continenter tuebatur, & ingentem populi stultitiam, subiecit.

Neque audiuimus seruos tuos prophetas, qui loquebantur nomine tuo ad reges nostros, & patres, & ad omnem populum terræ.

Nõ obediuimus seruis tuis prophetis, qui locuti sunt Vulg.La. *in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omnique populo terræ.*

Neque enim destitit tua nos gratia tueri, & per prophetas colloqui modò cum regibus, & principibus, modò cum sacerdotibus & doctoribus, hos enim patres vocauit, & sæpe etiam cum omni populo. sed quamuis hæc ita fierent, nos tamen contradicere perseuerauimus. ideo iure addidit.

Tibi Domine iustitia, & nobis confusio faciei, sicut dies hæc viro Iuda, & habitantibus Hierusalem, & omni Israel, ijs, qui prope, & ijs qui longe, in omni terra, vbi dispersisti eos illic in præuaricatione eorum, qua præuaricati sunt in te Domine.

Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio fa- Vulg.La. *ciei, sicut est hodie viro Iuda, & habitatoribus Hierusalem, & omni Israel, his qui prope sunt, & his qui procul in vniuersis terris ad quas eiecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te Domine.*

Ea enim, quæ à te facta sunt, inquit, Domine, tuam quasi præconio iustitiam commendant, nos vero propter ingentia nostra scelera, pudore perfusi ingrati animi nostri crimen accusamus. tibi enim ex nostra impietate damni accidit nihil, nos autem seminũ fructus tulimus, & miserabiliter, quia cognatos accusans seipsum quoque cum ijs, qui legem violarant, coniungit.

Nobis inquit confusio faciei, & regibus nostris, & principibus nostris, & patribus nostris, qui peccauimus tibi.

Vulg.La. *Nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccauerunt.*

Vnumquodque horum satis est ad flectendum & inducendum vel crudelissimum ad misericordiam, nedum mitissimum & humanissimum. his enim verbis ostendit, non tenues homines è plebe, neque ignobiles tantum, ignominia affectos, sed etiã reges ipsos & principes, &, quos patres nuncupauit, sacerdotes. iustasq́; pœnas ostendens, addidit, qui peccauimus tibi. verum nos quidem dignos iniquitate nostra tulimus fructus.

Domini autem Dei nostri miserationes & propitiationes.

Vulg.La. *Tibi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio.*

Decet enim te mitem & clementem misericordia & miseratione erga nos commoueri, & commorans in accusandis peccatis, audiuit quippe Deum per alium prophetam dicẽtem,

Esa. 43. Dic tu iniquitates tuas primum vt iustificeris. ascisens sibi populi scelera, ea accusat, diuinam prouocans misericordiam.

Quia recessimus, inquit, & non audiuimus vocem domini Dei nostri, vt ambularemus in legibus eius, quas dedit ante faciem nostram in manu seruorũ suorum prophetarum.

Vulg.La. *Quia recessimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per seruos suos prophetas.*

Illuminati enim à prophetis, inquit, & ducti ijs, quæ facienda erant, aduersari semper perseuerauimus.

Et omnis Israel violarunt legem tuam, & declinauerunt ne audirent vocem tuam.

Vulg.La. *Et omnis Israel præuaricati sunt legem tuam, & declinauerunt, ne audirent vocem tuam.*

Si enim alij violassent, alij perfecti fuissent legum tuarum obseruatores, non vtique hanc sustinuissent calamitatem, cùm vero communis omnium iniquitas hæc ausa fuerit, merito inquit,

Venit super nos maledictio, & iusiurandum scriptum in lege Moysis serui Dei, quia peccauimus ei.

Vulg.La. *Et stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui Dei, quia peccauimus ei.*

Iusiurandum autem vocat, quod Deus iu-

Deut. 32. rauit in Deuteronomio scriptum. leuabo enim in cœlum, inquit, manum meã, & iurabo dextera mea, & dicam, viuo ego in æternum, quia acuam vt fulgur gladium meum, & arripiet iudicium manus mea, & vindicabo, & reddam vltionem hostibus meis, & odientibus me retribuam, inebriabo sagittas meas à sanguine, & gladius meus deuorabit carnes à cruore vulneratorum, & captiuitate, à capite principum gentium. & paulo antè ait, dixi dispergam eos, cessare faciã ex hominibus memoriam eorum. execrationem vero eam dicit, quæ à sex tribubus facta est in monte Ge- Deut. 27. bal: illud itaque iusiurandum, inquit, & execratio, quæ facta est in lege Moysis, in nobis exitum sortita est.

Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos, & super iudices nostros, & quicunque iudicarunt nos vt superinduceret super nos mala magna.

Et statuit sermones suos, quos locutus est super Vulg.La. *nos, & super principes nostros, qui iudicauerunt nos, vt superinduceret in nos malum magnum.*

Et malorum ostendens exuperantiam,

Qualia, inquit, non fuere sub omni cœlo, secundum ea, quæ facta sunt in Hierusalem.

Quale nunquam fuit sub omni cœlo, secundũ quod Vulg.La. *factum est in Hierusalem.*

Neque enim inuenio, inquit, nostrorũ malorum exemplum. deinde docens diuinę prędictionis veritatem,

Sicut scriptum est, inquit, in lege Moysis.

Et supplicia iusta declarans,

Omnia inquit mala hæc venerũt super nos, nec deprecati sumus faciem domini Dei nostri, vt recederemus ab iniquitatibus nostris, & intelligeremus in omni veritate tua domine.

Omne malum hoc venit super nos, & non rogauimus faciem tuam domine Deus noster, vt reuerteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam. Vulg.La.

Neque enim tot ac talibus nobis illatis calamitatibus resipiscere voluimus, & à pristina iniquitate desciscere, legumque obseruatione malis remedium adhibere. Idcirco

Vigilauit, inquit, dominus Deus noster super malitiam nostram, & adduxit eam super nos.

Quasi enim excusso quodam suæ diutinæ lenitatis somno dignas nobis pœnas ijs, quæ administrauimus, inflixit. quia

Sanctus, inquit, Dominus Deus noster, super omnem facturam suam, quam fecit, quia non audiuimus vocem eius.

Iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus su- Vulg.La. *is, quæ fecit, non enim audiuimus vocem eius.*

Ipse enim innocens est, inquit, & nulla ob ea, quę fecit, reprehensione dignus, nos autem impietate & improbitate obstricti supplicium in nos attraximus. ita peracta scelerum accusatione, de reliquo supplicat, & clementiam implorat.

Et nunc domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti, in manu forti, & fecisti tibi ipsi nomen, sicut est dies hæc, peccauimus, iniquè egimus domine in omni misericordia tua, auertatur quæso furor tuus à ciuitate tua Hierusalem, monte sancto tuo.

Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti popu- Vulg.La. *lum tuũ de terra Aegypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc, peccauimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem iustitiam tuam*

auertatur obsecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Hierusalem, & à monte sancto tuo.

Pristina commemorat beneficia, vt grati animi significatione, dum ea se memoria tenere asserit, misericordiam sibi conciliet, & ait; facile est tibi Domine libertatem nobis gratificari, etenim infinitis iam editis miraculis, & pœnis Aegyptijs illatis ab amara illa seruitute in libertatem populum tuum vindicasti: ita, vt ad omnes homines eorum mirabilium quæ effecisti, fama percucurrerit, & potentia tua omnibus declarata sit. & quia nos peccauimus, atque indignos nos ipsos tua clementia præstitimus, supplices petimus vt ciuitatem tuam tua venia dignam censeas, ac montem illum, quem sanctum eò, quòd ibi apparueris, ostendisti. & commorans in precibus pro ipsa ciuitate

Quia in peccatis nostris, inquit, & iniquitatibus nostris, & patrum nostrorum, Hierusalem, & populus tuus in opprobrium factus sunt in omnibus, qui sunt in circuitu nostro.

Vulg. La. *Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrũ nostrorum, Hierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.*

Nam propter scelera nostra, & peccata parentum nostrorum & nos tales euasimus, quibus finitimæ gentes illudant, & celeberrima atque illustris ciuitas deserta est.

Et nunc exaudi Domine Deus noster deprecationẽ serui tui, & preces eius, & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum desertum.

Vulg. La. *Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui, & preces eius, & ostende faciem tuam super sanctuarium, quod desertum est.*

Accipe, inquit, serui tui preces Domine, & inspice quàm desertus sit locus ille, quem tu sanctum fecisti, ipsumq; rursus tua gratia comple. & quia indignus erat populus, qui hęc obtineret, valde opportune subiecit.

Propter te Domine.

Vulg. La. *Propter temetipsum.*

Ea quæ te decent fac, inquit, Domine, & ne scelera nostra tecum reputaueris, sed perennes tuæ clemẽtiæ fontes. & in deprecatione commorans,

Inclina, inquit, Deus meus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatis tuæ.

Et amplius ipsum adhuc ciuitati conciliãs

In qua inuocatum est nomen tuum, inquit.

Vulg. La. *Et ciuitatem, super quam inuocatum est nomen tuum.*

Illud autem, inclina aurẽ tuam, & aperi oculos tuos, idem est, ac si diceret, ne auerseris preces meas, sed amice & benevole audi deprecationem meã. nouit enim ipse quoq; numen corporis expers esse, aliter tamen, cùm homo esset, cum Deo colloqui nesciuit, sed quando quilibet homo oculis videt, auribus audit, hęc eadem corpore carenti Deo attribuit, ita ea vocans, quæ ab illo efficiuntur. his subijcit.

Quia non in iustitijs nostris nos proijcimus miserationem nostram in conspectu tuo, sed in miserationes tuas multas domine.

Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Vulg. La.

Neque enim nos ijs freti, quæ iuste egerimus, inquit, tuam imploramus benignitatem, sed tua misericordia cõfisi audemus tibi supplicare.

Exaudi igitur Domine, propitius esto Domine, attẽde Domine, ne moratus fueris propter te Deus meus.

Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac, Vulg. La. *ne moreris propter temetipsum Deus meus.*

Admirari operę pretium est eorum, quę dicta sunt, ordinẽ. supplicat enim Deo primùm vt audiat deprecationem, & ne preces auersetur, deinde vt, cùm audierit, propitius fiat, & propitius factus benigne attendat, tum ostensa sua beneuolentia, id perfici cõcedat, quod obsecratione petitur. ad hæc addidit, ne moratus fueris; hoc est, ne quod precamur in aliud tempus dilatum velis, sed mox dignos nos censeas, quibus teipsum ostendas. & finis deprecationis dignus est Danielis humilitate. propter te, inquit, Deus meus. neq; enim ego, inquit, dignus sum, qui hanc à te gratiam exorem, sed

Quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem tuam, & super populum tuum.

Cùm ita petijsset, ac tanto studio pro cognatis suis supplicasset, precatusque esset, ne Deus moraretur, statim diuinum accipit responsum.

Adhuc enim me loquente, inquit, & deprecante, et confitente iniquitates meas, & peccata populi Israel, & proijciente misericordiam meam coram Domino meo, & adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem vidi in visione mea, in principio volans.

Cumq; adhuc loquerer, & orarem, & confiterer Vulg. La. *peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte sancto Dei mei, adhuc me loquente in oratione mea, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio citò volans.*

Hac inquit oratione vtens, & communem nostram iniquitatem accusans, nõdum imposito precibus fine, video Gabrielẽ volantem & ad me accurrẽtem, cognoui autem quis esset, quòd iã prius in somnis illum conspexerã, & nomen ipsius tunc didici, cùm audiui Dominum, qui illi ad se accersito ita imperauit: Gabriel fac intelligere illum visionem, & virum ipsum vocauit, ab eo quod viderat impositio illi nomine. etenim in illo somnio, ecce, inquit, stetit in conspectu meo, quasi visio viri, quamobrem hic quoq; ecce ait, vir Gabriẽl, quem vidi in visione mea in principio volans, & volare ipsum dixit, aera celeriter secantem & ad se accurrentem conspicatus. Dan. 8.

Et tetigit me quasi horam sacrificij vespertini.

Tetigit me in tempore sacrificij vespertini. Vulg. La.

Hoc est, circiter tempus vespertini cultus, vel tantum temporis spatiũ, quantum vespertinus occupat cultus.

Et locutus est mecum & dixit, Daniel nunc egressus sum, vt præberem tibi intelligentiam, in principio orationis tuæ egressus est sermo, & ego veni vt renuntiarem

renuntiarem tibi, quia vir desideriorum tu es, & animaduerte in verbo, & intellige in visione.

Vulg. La. *Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque Daniel nunc egressus sum, vt docerem te & intelligeres, ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es, tu autem animaduerte sermonem & intellige visionem.*

Statim, inquit, simulatque deprecari cœpisti, communis dominus admissa obsecrationes, conspectaque tua laudabili cupiditate, misit me, qui futura te edocerem. tu autem diligenter attende, quæ dicuntur. quæ enim dicentur, reconditiora sunt, quàm vt ab homine percipi queant. hoc enim significat, intellige in visione, id est, per ænigmata hæc dicẽtur, & accurata tibi opus est intelligentia, vt hæc ipsa comprehendas. per ænigmata vero interdum diuina & dicuntur & scribuntur, ne omnibus perspicua fiant quæ sanctis reuelantur. sic enim facile contemptui haberentur, si æque ab omnibus cognoscerentur. Virum autem desideriorum ipsum vocat, vel vt eum, qui ieiunio & afflictioni deditus contra corporis cupiditates viriliter decertet, vel vt expetentem cognoscere, & quæ templo sint euentura percipere cupientem: vel quia iucundus est & admodum amabilis tales virtutis splendores emittens. cùm ita sanctus Archangelus ad ea intelligenda, quæ dicenda erant, prophetam excitasset, doctrinam affert.

Septuaginta hebdomades concisæ sunt super populum tuum & super vrbem sanctam tuam, quoad antiquetur præuaricatio, & consummetur peccatum, & ad signandum peccata, & ad delendum iniquitates, & ad propitiandum propter iniustitias, & adducendum iustitiam æternam, & ad signandum visionem, & prophetam, & vngendum sanctum sanctorum.

Vulg. La. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum.*

Ante alia omnia illud est animaduersione dignum, prophetam in deprecatione sua loquentem de populo & de Hierusalem ita vt diceret, populus tuus, & ciuitas tua, & sanctuarium tuum, respondere Deum ac dicere Danieli, septuaginta hebdomades concisæ sunt super populum tuum, & super ciuitatem sanctam tuam, quasi nolentem populum suum vocare eum, qui antiquitus eius populus nuncupatus fuit, neque item ciuitatem, quæ ipsius olim appellata est. Hoc erga magnũ Moysem quoque fecit. quando enim constructo vitulo, diuino illum cultu venerati sunt, dixit ad pro-
Exod. 32. phetam Deus. festina descende celeriter hinc, peccauit enim populus tuus, quos eduxisti de Aegypto. ait itaq; Deus ad ipsum per Archangelum, tua admissa deprecatione concedam vt Hierusalem ædificetur, & populum tuum iubebo reditum in patriam consequi. sed post ipsius Hierusalem ædificationem ad quadringentos nonaginta annos rempub. secundum legem administrantes permanebunt, tantum enim temporis conficiunt septuaginta hebdomades, si singuli dies in singulos annos computentur. & quia septuagenario annorum numero captiuitatem eorum definiuit, septies in se hoc tempore multiplicato, reipublicæ secundum legem administrationem definit. septuaginta hebdomades concisæ sunt, hoc est, probatę sunt, & decretę sunt, ita enim quidam interpretes ediderunt, super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, quoad antiquetur præuaricatio, & consummetur peccatum, id est, quoad augeatur impius ipsorum conatus, & peccatum ad exitum perducatur. peccatum autem consummatum, & præuaricationem antiquatam, siue auctam, & ad summum perductam crucem vocat, quam ausi illi sunt contra dominum parare. nam ante hoc tempus infinita ausi facinora pœnas dederunt, & luerunt supplicia prijs, quæ patrarant, sed rursus impetrata venia clemẽtia dignati sunt, post insaniam vero qua contra dominum conciliatricẽ iustitiã ijs, qui in se crediderunt, gratificatus est, quã etiam vt peterent orãtes hortatus fuerat, quærite, inquiens, regnum Dei, & Matth. 6. iustitiã eius. & idcirco sanctus Gabriel necessario dixit, & ad ducẽdum iustitiã sempiternã. adiecitque, ad signandum visionẽ & prophetam, hoc est, ad imponendum finẽ omnibus prophetijs, finis enim legis Christus ad iustitiã Ad Rom. 10. omni credenti, & ad hoc efficiendum, vt à Iudæorum natione in reliquũ tempus propheticũ munus deficiat, nisi enim apparuisset Dominus

Ioan. 1. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi; merito subiecit, & ad signandum peccata, & ad delendum iniquitates, & ad propitiandum propter iniustitias: deleuit enim iniquitates eorũ qui in se crediderunt, deleto quod cõtra nos erat chirographo, sicuti beatus Paulus asserit. obsignauit autem peccata, cũ reipub. secũdum legem administrationi finem imposuit. & spiritus gratiam elargitus est, qua adiuti, q̃ spiritaliter in ipsius repub. degũt, superãt affectiones. ad hæc addidit, & ad ducendum iustitiam sempiternam. Iustitia autẽ sempiterna propriè ipse Dominus Christus est. de 1. ad Cor. 2. quo beatus Paulus ait, Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. & de euangelio Romanis in epistola Ad Rom. 1. scribens dixit, quia iustitia Dei in eo reuelatur. siquidẽ liberalitate vsus æternę vitę conciliatricẽ iustitiã ijs, qui in se crediderunt, gratificatus est, quã etiam vt peterent orãtes hortatus fuerat, quærite, inquiens, regnum Dei, & Matth. 6. iustitiã eius. & idcirco sanctus Gabriel necessario dixit, & ad ducẽdum iustitiã sempiternã. adiecitque, ad signandum visionẽ & prophetam, hoc est, ad imponendum finẽ omnibus prophetijs, finis enim legis Christus ad iustitiã Ad Rom. 10. omni credenti, & ad hoc efficiendum, vt à Iudæorum natione in reliquũ tempus propheticũ munus deficiat, nisi enim apparuisset Dominus

minus Christus, & ea feciſſet ac paſſus eſſet, quæ prophetæ prędixerunt, non oſtenſa fuiſſet veritas prophetarum. perficit itaque, obſignat, & cõfirmat à prophetis prædicta, omnia faciens ac patiens quæ illi vaticinati fuerant. his rurſus adiecit. & ad vngendum ſanctum ſanctorum. quis autem eſt iſte ſanctus ſanctorum? dicant Iudæi: quòd ſi ignorant, diſcãt à nobis ipſum eſſe Dominum Chriſtum, per

Eſa. 61. Luc. 4. Eſaiam prædicentem. ſpiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me Dominus. cui item Dauid teſtimonium perhibet. quia dilexit iuſtitiam, & odit iniquitatẽ, & propterea vnxit eum Deus oleo lætitiæ præ participibus eius. & beatus quoque Petrus Apoſtolorum princeps teſtis eſt, cùm dicit, Ieſum à

Pſal. 44. *Act. 10.* Nazareth, quo modo vnxit eum Deus ſpiritu ſancto, & virtute, qui pertranſijt benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. docetur itaque beatus Daniel propheta viſum eſſe Deo quadringentorum & nonaginta annorum tempus ipſi Hieruſalem concedendum, quò illa viſitato more diuinis potiatur muneribus, donec nefarium illud, & maxime horribile facinus auſa ſit, crucem inquam contra Saluatorem. qui ſanctus ſanctorum nuncupatus vtpote ſanctitatis fons, vngitur quidem ſecundum humanitatem ſpiritu ſancto, obſignat autẽ & confirmat antiquas prophetias, omnia, quæ ab illis prædicta ſunt, perficiẽs, remiſſionemque peccatorum ijs, qui in ſe credidere, gratificans. deinde docet diuus Archangelus vnde exordiri oporteat ſeptuaginta hebdomadum numerum.

Et cognoſces, inquit, et intelliges ab exitu ſermonis, vt reſpondeatur, & ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ.

Vulg. La. *Scito ergo & animaduerte ab exitu ſermonis vt iterum ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt.*

Quidam opinantur initium ædificationis, quod factum eſt regnante Cyro, principium eſſe numeri hebdomadum, quidam autem à ſexto anno regni Darij Hyſtaſpis numerare incipiunt, tunc enim ædificatio templi decenti fine abſoluta eſt, cui finitimi propter odium erga Iudæos tempore quod interceſsit, impedimento fuere, & Cambyſes Cyri filius ab ipſis deceptus ædificari prohibuit, ſed nihil horum verum eſt. primùm enim plurium annorum numerus, ſi quis hinc numerare velit, reperietur: deinde non licet nobis inuenire ab alio peccata deleta, remiſſa ſcelera, condonatã iuſtitiam ſempiternã, impleta prophetarũ oracula, neq; vnctum fuiſſe ſanctum ſanctorum, niſi de ſolo Chriſto hæc intelligãtur, quòd ſi hæc ita ſe habent & conſentiunt qui ita hebdomadas numerari iubent, ſurſum verſus quadringentos & nonaginta numerent annos. ſi enim ab eo tempore, quo ad Iordanem apparuit, quando prædicare, docere, & miracula facere Saluator & Dominus noſter cœpit, nos numerare exorſi retro pergamus, non ſolum vſque ad Cyrum, ſed nec vſque ad Darium quidem hunc numerum peruenire deprehendemus, verum anno vigeſimo Artaxerxis Xerxis filij regni expletum, quo tempore Neemias huius regis pincerna æmulatione ductus, cùm Deo ſupplicaſſet impetrata ope diuina petit à rege ſupplex, vt muros Hieruſalem ſibi ædificandos permittat, nactusque ſibi beneuolum regem in patriam reuerſus omni animi alacritate, quæ ſacro Dei templo deerant, addenda curat, & vrbis mœnia inſtaurat. qua turribus vndique communita, ei portas imponit, hortatusque ſacerdotes vacuam ab habitatoribus vrbem incolis complet. hoc etiam diuus Archangelus innuens dixit. & cognoſces & intelliges ab exitu ſermonis vt reſpondeatur, & ædificetur Hieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ.

Et reuertetur, & ædificabitur platea & murus, & tempora innouabuntur. Vulg. La.

Et rurſum ædificabitur platea & muri in angustia temporum.

Exorſus enim ab vrbis ædificatione numerare, cùm ipſa ſua recepit mœnia, & habitatorum frequentiam excepit, ita vt præ incolentium multitudine dilatari cogeretur, inuenies vſque ad Chriſtum ducem hebdomadas ſeptẽ, & hebdomadas ſexaginta duas, Chriſtũ autem ducem ipſum rurſus nominauit, quem ſanctum ſanctorum vocauit, ſicut beatus Pe- *Act. 3.* trus ad Iudæos concionem habens dixit, auctorem vero vitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, ſolutis mortis doloribus. dux vero noſter eſt ſecundum humanitatem, *Ad Col. 1.* vt primogenitus omnis creaturæ, nouæ vide- *2. ad Cor. 5.* licet, ſi qua enim, inquit, in Chriſto noua creatura, atque vt primogenitus ex mortuis, vt ſit, ſecundum quod ait Paulus, in omnibus *Ad Col. 1.* ipſe primatum tenens. Hac de cauſa ipſum ſanctus quoque Gabriel Chriſtum ducem appellauit. vſque ad ipſum itaque ab ædificatione Hieruſalem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ. & neſtruſtra hæc nos nugari aliqui opinentur, age etiam ipſorum annorum numerum apponamus. igitur à vigeſimo anno regni Artaxerxis filij Xerxis cùm Neemias ad Hieruſalem profectus extruere cœpit muros vrbis, vſque ad Darium Arſamis, quo interfecto Alexander Macedo Perſarum euertit regnum, anni interſunt quatuordecim amplius centum, & à ſexto Alexandri anno, quo Darius interemptus eſt, vſque ad Caium Iulium Cæſarem primum Imperatorem Romanorum anni omnes regni Macedonum ducenti octoginta duo, & ab imperio Iulij Cæſaris vſque ad quintum decimum Tiberij Cæſaris, quando Ioannes Baptiſta venit ad Iordanem prædicans baptiſmum pœnitentiæ, & exclamans, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, anni intercedũt ſeptuaginta tres. qui ſimul collecti quadringẽtorum ſexaginta nouem numerum conficiũt, & hi

& hi Hebraicos annos faciunt quadringentos octoginta tres, totidemque cõficiunt ſeptem & ſexaginta duæ hebdomades. ſciendum eſt enim, quemadmodum Hebræi ſecundum lunæ curſum numerantes annum, vndecim dies ſupereſſe demonſtrant, quos etiam nos intercalares vocamus, nanque lunę curſus vigiti nouem diebus ac ſex horis conficitur, & ita numerantes trecentorum quinquaginta quatuor dierum efficiunt annum. cùm itaque ſanctus Archangelus cũ beato Daniele viro Hebræo colloquens, ipſumque docens annorum numerum, viſitatum omnino dixerit numerum, neceſſario addendi ſunt anni illi, qui ex intercalaribus colligũtur, quibus additis tres & octoginta ſupra quadringentos reperientur anni. totidemque colligunt ſeptem & ſexaginta duę hebdomades. quas non ſine cauſa diuiſit, ſed vt quarundam rerum præſignificaret mutationes. nam ab ædificatione ipſius Hieruſalem, quæ Neemiæ & Eſdræ memoria facta eſt, vſque ad Hircanum vltimum ex Aſamonibus principem ſacerdotum, quem occidit Herodes, duarum & ſexaginta hebdomadũ numerus expletur, & ab illius interitu vſque ad tempus illud, quo Saluator noſter ad Iordanem accedens apparuit, reliquæ ſeptem perficiuntur hebdomades. atq; hoc ipſo tempore, poſt Hircani cædem, inquam, vſque ad tempus illud, quo Saluator noſter apparuit, contra legem in reliquum ſacerdotum principes creabantur. cùm enim lex iuberet vt principes ſacerdotum in omnem vitam ſacerdotio fungerentur, & poſt obitum ſucceſſores acciperent: Herodes, & poſt illum Romani facto pontificatu maximo venali, auctores erant vt crebræ ſucceſsiones fierent, & quoſdam etiam, qui è ſacerdotali genere minimè erant oriundi, ſacerdotum principes deligebant. Idque docens Ioſephus ſcriptor He-

Ioſeph. 20. 8. bræus ita ait, Herodes autem à Romanis accepto regno, non amplius eos qui ab Aſamone genus ducerent, ij autem erant, qui Maccabæi vocabantur, ſacerdotum principes conſtituit, ſed quoſdam ignobili loco natos, qui tantum ex ſacerdotibus erant. & paulo pòſt rurſus ita ait, & imitatus eſt Herodem in creandis Iudæorum principibus ſacerdotum Archela-

Ioſeph. 18. 3. us eius filius, & poſt hunc, occupato imperio Romani. & alio loco. Valerius autem Gratus Romanorum prefectus cùm ſacerdotio abdicaſſet Ananon, Iſmaelem principem ſacerdotum creandum curat Fabi filium, quo item haud multo pòſt ſacerdotio abdicato Eleazarum Anani principis ſacerdotum filium, ſacerdotum principem declarat, elapſoque anno, cùm eum itidem abdicaſſet, Simoni Camithę filio pontificatum maximum committit, cui non amplius annum eo honore potito Ioſippus, qui etiã Caiaphas dictus eſt, ſucceſsit. hęc

Luc. 3. docens etiam beatus Lucas ait. Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha. duoſque eodem tempore principes ſacerdotum ſecundum legem creatos fuiſſe nunquam accepimus. hæc ſanctus Gabriel prædicens,

Et poſt hebdomadas, inquit, ſexaginta duas exterminabitur vnctio, & iudicium non eſt in eo.

Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & nõ erit eius populus, qui eũ negaturus eſt. Vulg. La.

Vt perſpicuum ſit ſexaginta duas hebdomadas priores poſuiſſe, & poſtea ſeptẽ, in quibus exterminatum iri vnctionem dixit, id eſt, florentem in principibus ſacerdotũ gratiam, & cùm illi etiam qui contra legem creabãtur, ſacerdotum principes appellarentur, merito iudicium, inquit, non eſt in ipſo. etſi enim vnguntur, inquit, at non ſecundum legem vnguntur, verum prẽter legem hoc facere audẽt, & hoc ſuperius quoque planum fecit, ſeptẽ ſe hebdomadas vltimo loco poſuiſſe cùm dixit, vſque ad Chriſtum enim ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ. quas in ſeptem multiplicatas in ſua mente repoſuit, vt intelligamus ſi à Chriſto ſurſum verſus numerare velimus, ſeptem nos prius hebdomadas comperturos, deinde ſexaginta duas. quod apertius exponens, reuertetur, inquit, & ædificabitur platea, & murus, & innouabuntur tempora, hoc eſt, tempus ante ædificationẽ. & poſt hebdomadas, inquit, ſexaginta duas exterminabitur vnctio, & non dixit poſt ſeptem, ſed poſt ſexaginta duas, quas illæ ſeptem ſequuntur, in quibus exterminabitur vnctio, & iudiciũ non eſt in eo, Herode alienigena regnante, qui paterno genere Aſcalonites, materno Idumæus erat, & ijs qui principes ſacerdotum vocabantur non ſecundum legem vnctis, ſed ab alienigenis principibus Herode, Archelao, & Romanis ducibus electis, deinde commemorat excidium, quo & ciuitas opprimenda erat, & hoc ipſum alienigenarum regnũ euertendum, & pontificatus maximus non legitimus auferendus, & ait.

Et vrbem, & ſanctum diſſipabit cum duce venięte.

Et ciuitatem, & ſanctuariũ diſſipabit populus cum duce venturo. Vulg. La.

Hoc eſt, cum principibus venientibus, qui non erunt legitimi, etenim vrbs, inquit, euertetur, & templum ſanctum penitus diſſoluetur. atque hæc patietur ciuitas cum duce veniente, hoc eſt, ducibus venientibus non legitimis, ducem enim venientem externum alienigenarum regnum, & non legitimum pontificatum maximum appellauit. deinde docens fore, vt multo peiora prioribus mala ſuſtinearit, ſubiecit.

Et excidentur ſicut in diluuio.

Hoc eſt, pernicię funditus ſuſtinebunt, qualem olim ſuſtinuerunt homines, cùm omnem terram diluuium contexit, & admonens item futurum vt nunquam reuocentur, aut inſtaurationem vllam conſequantur,

Et vſque ad finem, inquit, belli conciſi deſolationibus.

Et finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Vulg. La.

Funditus enim delebuntur, inquit, bello illo, veluti quodam diluuio oppreſsi, & in perpetuũ his malis ſuccumbent, neque vllam vnquam,

quam,vt ab ipsis vindicentur, veniam consequentur. His de Iudeorum pernicie ita prædictis, reuertitur rursus ad septuaginta hebdomadum numerum,atque eam, quæ sexaginta nouem deerat,addens ait.

Et confirmabit testamentum multis hebdomas vna,& in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium & libamen,& super templum abominatio desolationis,& vsque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem.

Vulg.La. *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.*

Igitur quænam futura sint post sexaginta duas hebdomadas,septē hebdomadibus prædixi,inquit,decet autem percipere,quę alia fient hebdomade.in hac enim nouū testamentum dabitur credentibus,atque omni eos virtute imbuet, & in dimidio huius hebdomadis auferetur sacrificium & libamen,hoc est sacrificiū secundum legem deficiet, oblato immaculati agni, qui tollit peccata mundi,vero sacrificio,quo quidem in reliquum oblato illa terminabuntur.quamobrem statim peracto sacrificio, cùm spiritum Saluator noster emisisset, velū templi sciſſum est à summo vsque deorsum, ea quæ pridem cerni non poterant,omnibus conspicua faciens, & quæ contingi, aut ad quæ adiri non licebat, ad ea aditum aperiens. cùm enim velū separaret à sanctuario sancta sanctorum, in quibus erāt propitiatorium & Cherubim & arca, fractum totum velum, rebus ipsis ostendit quemadmodum ab interioribus partibus,quæ ibi custos assidebat,gratia recesserit,& cōmunia illa facta sint,ad quæ pridem soli principi sacerdotum aditus patebat. quòd si quis etiam tempus percipere cupiat,ex Euāgelio Ioannis cognoscetur. cùm enim annos circiter tres, cum dimidio prædicasset Dominus, sanctosq; suos discipulos doctrina & miraculis confirmasset,tunc passus est, ac post crucem, & mortem, & resurrectionem,& ad cœlos ascēsum, & sanctissimi spiritus aduentum,reliquum hebdomadis tempus sancti Apostoli Hierosolymis prædicantes,& miracula edentes multis hominum millibus ad Euangelicam doctrinam ductis,noui testamenti munus impertiti, vt sanctissimi quoque baptismatis gratiam consequerētur,auctores fuere.deinde cùm Iudęi in sanctum Stephanum impia illa facinora ausi fuissent, per oppida Iudææ populis dissipatis, diui Apostoli breue tēpus Hierosolymis commorati,Samariam,Lyddam,& Ioppem obeuntes omnibus hominibus afferre salutaria decreta festinabant. Quamobrem diuus Archangelus beato Danieli,confirmabit,inquit,testamentum multis hebdomas vna; tempore ante crucem Domini,& quo sancti Apostoli post Saluatoris resurrectionem Hierosolymis docuerunt,simul collecto.tum bifariam diuidit hebdomadem,& ait.& in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium & libamen; oblato enim vero sacrificio, finem habebit vmbra legis.ad hęc ait,super templum abominatio desolationis.propter hoc enim sacrificium, inquit,non solum illud sacrificium deficiet,sed etiam abominatio desolationis super templū dabitur,hoc est,illud olim venerandū, & horribile templum omnino deseretur; signum autem desolationis erunt imagines quædam legibus interdictæ in ipsum illatæ.quod Pilatus fecit, qui noctu in sacrum Dei templum Imperatorum contra diuinam legem intulit imagines.hoc item Dominus in sacris Euangelijs sanctis suis discipulis prædixit. Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, cognoscite quia appropinquauit desolatio eius, tūc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua. hæc autem dicebat vt significaret quàm celerrime appropinquare ipsorum excidium,quo fundi-tus essent perituri. & paulò antè ait, Hierusalem,Hierusalē,quæ occidis prophetas, & lapidas eos,qui ad te missi sunt,quoties volui congregare filios tuos,quemadmodū gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? ideo dico vobis, quia relinquetur domus vestra deserta.hæc prædicens sanctus Gabriel, postquam vaticinatus fuerat fore,vt cultui illi qui secūdum legem adhibebatur finis imponeretur,adiecit,& super templū abominatio desolationis. & ne existimarent Iudæi sacrum templū pristinum decorē & gloriā rursus recuperaturū,necessario subiecit,& vsq; ad consummationē tēporis consummatio dabitur super desolationem,vsq; ad finē enim sęculi,inquit, consummatio desolationis manebit,nulla facta mutatione.quod item beatus Dauid dixit, in ira consummationis & non erunt, & scient quia Deus dominatur Iacob, & finium terræ, cognoscent autem quando viderint signum filij hominis in cœlo,tunc enim plangent omnes tribus, tunc videbunt in quem transfixerunt.quòd si hæc non ita se habent, quia quadringentorum & nonaginta annorum numerus transijt, & insuper anni amplius quadringenti quadraginta, ostendant quibus regnantibus Archangeli oraculum sit euentu comprobatum. Maccabæis? at quadringenti nonaginta anni non intercedunt à Dario vsq; ad ipsos,neq; item à Cyro, qui primus Persarum regnū obtinuit, à Cyro enim ad Antiochum Illustrem, id est Epiphanem, quo regnante Maccabæi iusta indignatione adducti remp. administrandam susceperē, circiter quadringenti & septuaginta duo intersunt anni. præterea quis horum sanctus sanctorum vocatus est,Iudas,an Ionathan,an Simon,an aliquis posterior his? atqui ne Abraam quidem patriarchæ,neque Moyses legislator,neq; Helias maximus prophetarum,sanctus sanctorum appellatus vnquam fuit. Igitur & tempus, & nomina nobis aduētum Domini nostri Iesu Christi aperte præsignificarunt, in quem cùm crediderimus alterū ipsius aduentum expectantes supplicabimus vt in die iudicij ipsius clementiam consequamur, cuius vtinam nos omnes compotes fiamus gratia & benignitate eiusdem Domini nostri Iesu Christi,cum quo patri gloria,cum sancto spiritu in sęcula sęculorum,Amen.

Matt.24. Luc.21. Matth.23. Psal.58. Zach.12. Ioan.19. Matt.27.

ORATIO X.

In anno tertio Cyri regis Persarum verbum reuelatum est Danieli, cuius nomen vocatum est Baltasar.

Vulg.La. *Anno tertio regni Cyri regis Persarum verbum reuelatum est Danieli cognomento Baltasar.*

Quibusdam videtur hîc in tempore erratum esse, & pro anno primo, quia ab initio librum scripsit,tertiū posuisse, idq; ex eo conijciūt,quòd beatus Daniel dixerit statim post initium prophetiæ,& fuit Daniel vsque ad annum vnum Cyri regis, si enim vsq; ad annum duntaxat primum Cyri regni permansit, aiunt,propheta,quomodo tertio anno reuelationem videt? ego autem arbitror, neque eo quod dictum est prius certum ac definitum significari tempus,neque primo anno Cyri regni beati Danielis vitam definiri. neq; enim dixit,vsque ad primum annum Cyri regis,sed vsque ad annum vnum.vult autem,vt mihi videtur,eos qui propheticam scripturam legerint, docere, vt ipse vsq; ad Cyrum Persarum regem permansit,quiex bello captis Iudęis in libertatem vindicatis,iussit volentes in patriam redire, sacrumque Dei templum instaurare. hoc etiam aperte nos docet sanctus Angelus, qui cum Daniele paulo pòst colloquens, & fuit,inquit,in anno primo Cyri steti in fortitudinem & robur,id est,simulatq; Cyrus regno potitus est, omnia moliri perseuerabā,vt populum captiuum à seruitute liberarem,& in fine item libri,accepit,inquit,Cyrus Persa regnum,& erat Daniel cōiuua regis, & gloriosus super omnes amicos eius. ita vt vbique tertij anni numerus ostendatur: anno itaque tertio Cyri regni verbum reuelatum est Danieli,cuius nomen vocatum est Baltasar.

Dan.11. Dan.14.

Et verum verbum, & potentia magna, & intelligentia data est ei in visione.

Vulg.La. *Et verbum verum & fortitudo magna, intellexitque sermonem, intelligentia enim est opus in visione.*

Iure verbum & visionem vocauit, conspexit enim sanctos Angelos, & audiuit eos colloquentes, & futura accurate didicit, asseritque verum esse verbum, vt sine ambiguitate, quæ dicenda sunt,omnes accipiant.

In diebus illis ego Daniel eram lugens tres hebdomadas dierum,panem desiderium non comedi, & caro & vinum non introijt in os meum, & vnguento non vnctus sum vsque ad trium hebdomadum dies.

Vulg.La. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus,panem desiderabilem nō comedi,& caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.*

Necesse est luctus causam, quam prophetia obscurè docet,inquirere.primum enim nulla tristitiæ suberat causa. & rex enim mansuetus & humanus ac diuina in honore habens Danielis amicitiam plurimi faciebat, & cunctus populus ob regis mansuetudinem pace haud mediocri fruebatur,ac potius, si quis velit ad beati Hieremiæ prophetiam, ad Paralipomenon historiam,& ad Esdræ scripturā animum attendere, inueniet Cyrum primo anno regni Iudæis omnibus quicunq; vellent præcepisse,vt in patriam reuersi sanctum Dei templum rursus ædificarent, ita vt propheta vndique animi lætitię causas habuerit.verum enimuero si quis hæc singula diligenter examinarit, hæc eadem comperiet Danieli doloris causas fuisse,cùm enim rex omnibus,quicunque cuperent libertatem ac reditum in patriam concessisset,complures, qui sibi in Babylone domos construxerant, earum quasi vinculo deuincti, neglecto in patriam reditu, externam patriæ regionem prætulerant.soli veræ pietatis amatores, patriarumque legum custodes, postpositis,quas Babylone possidebant, facultatibus, patriam solitudinē vel ipsi regno anteponendam duxere. hoc itaque beato Danieli maximum attulit luctum.videns enim diuinæ pollicitationis veritatem,& regis mansuetudinem,atque clementiam, populique ingenium contumax & effrenatum, animo vehementer angebatur,neque lugere ac lamentari desistebat. & iure aliquis quæsierit, curnam, cùm aliorum causa, qui se segnitiei tradiderant,& reditum in patriam aspernati fuerant, lugeret, ac lamentaretur, ipse in patriam non est reuersus? sed hanc quæstionem facile dissolui posse comperiet, si captiuitatis causam consideret. quemadmodum enim non propter propria peccata permisit illum Deus bello capi,sed populi prospiciens vtilitati, & veluti quendam curatorem & magistrum simul cum ipsis mittens, ita etiam reditus tempore cùm plures in Babylone incolere, ea habitatione contenti, decreuissent, rursus diuinus propheta cum illis degere compellitur, vt ne spirituali cura prorsus destituti, in impietatē penitus labantur. hac de causa cùm rex, qui tunc imperium obtinebat, in honore illū habens,omnique obseruantia colens alijs omnibus anteferret,nullam beatus Daniel inuenit consolationem,sed ipsum valde angit & excruciat populi contumacia, & sanctæ ciuitatis obliuio,quare tres quoque dierum hebdomadas ieiunus permansit. nam,panem desideriorum inquit non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum,neque vnguēto vnctus sum vsque ad trium hebdomadarum dies.nullam enim diligentiam, inquit, omnibus his diebus adhibui curando corpori, non vnguentum extrinsecus, non intrinsecus alimentum, recte autem & admodum congruenter nō carnibus sed pani verbum illud desideriorum apposuit.panis enim necessarius est, & communis omnium cibus, cùm carnibus ditiores vescantur,pane autem prēter ditiores,etiam pauperiores alātur. idcirco panem desideriorum appellauit,vt cibum communem, & omnium alimentorum amabilissimum.

Et in die vigesima & quarta mensis primi in anno tertio ego eram iuxta fluuium magnum, ipse est Tigris.

Vulg. La. *Die autem vicesima, & quarta mensis primi eram iuxta fluuium magnum, qui est Tigris.*

Et mẽsem & ieiunij dies annotare opus est ad Iudæorum iniquitatem coarguendam. di-
Exod. 12. uina enim lege iubente quartadecima primi mẽsis ad vesperã pascha celebrari, beatus Daniel vsque ad vigesimam quartã ieiunus permanebat. quòd si dicant Iudæi panem illũ desideriorum, non comedisse, quòd panes azymos comederet, primum quidem suã per hęc quoq; ostendent inscitiã, panis enim & fermentatus & non fermentatus vocatur. deinde quę subijciuntur, ea aperte os eorũ impudens obturant. caro enim & vinũ, inquit, non introierunt in os meũ. quod si carnes nõ attigit, quomodo celebrauit pascha? pascha enim nihil a-
Exod. 12. liud est quã agnus, masculus, anniculus, absq; macula, ad vesperam sacrificatus, & assus igni. qui itaq; carnes nõ comedit, quomodo pascha celebrabat? non igitur pascha celebrauit, vt obediret legi aperte iubenti, tres peragi celebritates in loco quẽ elegerit dominus Deus. euidenter itaque legem violant Iudæi, cùm has audent in extrema regione celebrare. verum nos ad propositum reuertamur. quarta inquit & vigesima primi mensis in anno tertio ego eram iuxta fluuium magnum, ipse est Tigris. Hinc rursus edocemur non esse erratum in tempore, etenim hic anno tertio, non primo dixit se visionem vidisse.

Et sustinui oculos meos & vidi, & ecce vir vnus indutus Baddim, & lumbi eius præcincti auro Ophaz, et corpus eius quasi Tharsis.

Vulg. La. *Et leuaui oculos meos & vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quasi Chrisolithus.*

Baddim, græca lingua significantur Byssina, ait itaque illius, qui visus est, indumentum se byssinum conspexisse. Zonam vero Ophaz, hoc est auro nitidissimo, & maxime puro, corpus autem, quasi Tharsis, id est, simile erat auro probatissimo è Tharsis allato, etenim illinc Sálomoni rude afferebatur aurum.

Et facies eius velut species fulgoris.

Splendor, inquit, illuminans à facie eius fluebat.

Et oculi eius quasi lampades ignis, & brachia eius & crura, quasi visio æris splẽdentis, & vox sermonum eius quasi vox turbæ.

Vulg. La. *Et oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsq; ad pedes, quasi species æris candentis, & vox sermonum eius, vt vox multitudinis.*

Habebat, inquit, oculos ignem emittentes, & brachia pulcherrimo æri similia, visus tibi esses illum audiens multã turbam colloquentem audire.

Et vidi ego Daniel visionem solus, & viri illi, qui mecum erant, non viderunt visionem, sed ecstasis magna incidit super eos, & fugerunt metu.

Vulg La. *Vidi autem ego Daniel solus visionem, porro viri, qui erant mecum non viderunt, sed terror nimius irruit super eos & fugerunt in absconditis.*

Sed aliquis fortasse dixerit, curnam fugerunt ij, qui visionem non viderunt? at verisimile est hoc ipso maiorem illis metum incussum, nullum enim conspicati, & maximam vocem audientes, merito terrore perculsi aufugerunt, ecstasin autem hic vocat non timiditatem solam, sed cæcitatem illam, quæ græce dicitur ἀοράσια. & similia sunt hæc ijs quæ beato Paulo in itinere acciderunt, cum Dama- Act. 9.
sco appropinquaret. etenim ibi vidit ipse lumen, quod eum circumfulsit, & qui cum eo erant nulla re visa solam vocem audierunt. igitur hic quoque qui cum diuino propheta erant similiter, sed sola audita voce ac nemine viso fugiunt, ipse solus manet.

Ego enim relictus sum, inquit, solus & vidi visionem hanc magnam, & non est relictum in me robur, & gloria mea conuersa est in corruptionem, & non obtinui vires.

Ego autem relictus vidi visionem grandem hanc, Vulg. La.
& non remansit in me fortitudo, sed species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium.

Tantus enim mihi metus incidit ex ea visione, vt membrorum harmonia dissolueretur, & color ille, qui erat in corporis superficie, mutaretur, atque omnibus viribus destituerer.

Et audiui, inquit, vocem sermonũ eius, & cùm audirem ego eram compunctus super faciem meam, & facies super terram.

Et audiui vocem sermonũ eius, & audiens iacebam Vulg. La.
consternatus super faciem meam, & vultus meus hærebat terræ.

Statim enim audita, inquit, maxima illa voce pronus cecidi, & cùm aspicere nequirem horribilem visionem, os meum in terram demisi.

Et ecce manus attingens me, & erexit me super genua mea, & super vestigia pedũ meorum statuit me.

Et ecce manus tetigit, & erexit me super genua Vulg. La.
mea, & super articulos manuum mearum.

Ita, inquit, affectus sentio veluti quandam manum me tangentem, & erigentẽ, & ego genibus, manibusque innixus, dissoluerat enim me metus, resurgere conabar.

Ille autem dixit ad me, Daniel vir desideriorũ intellige in sermonibus his, quos ego loquor ad te, & sta in statione tua, quia nunc missus sum ad te.

Et dixit ad me, Daniel vir desideriorum intellige Vulg. La.
verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo, nunc enim sum missus ad te.

Attende, inquit, diligẽter quę à me dicuntur, & abiecto metu ita audi, quæ dicẽda sunt, vt intelligas; siquidem vt ea te docerem missus ipse sum, quando corporis cupiditates vicisti, ac diuinarum rerum amator effectus, & beneuolentia quadam naturali erga populũ affectus, quæ ei euentura sunt percipere concupisti. vocatque ipsum non Baltasar, sed Danielem. illud enim Chaldæorum, hoc Hebræorum nomen erat. & hoc à pijs impositum, illud ab impijs additum. significat autem Daniel Græcis iudicium Dei, ita vt ipse verum nomen secum ferens rebus ipsis prędicaret eum se esse,

se esse, quem Deus iusto ac recto iudicio prophetica gratia sit dignatus, cuique multis pòst sæculis futura declarauerit.

Cumq; loqueretur ipse ad me sermonem, surrexi tremens.

Vulg. La. *Cumq; dixisset mihi sermonem istum, surrexi tremens.*

Sermo quidem idoneus fuit ad hoc efficiendum vt surgerem, verum metũ ipsum non omnino abieceram.

Et dixit ad me, ne timeas Daniel, quia à prima die, qua dedisti cor tuum, vt intelligeres, & affligeres te coram domino Deo tuo, auditi sunt sermones tui, & ego veni in sermonibus tuis.

Vulg. La. *Et ait ad me, noli metuere Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos.*

Hinc docemur, quantum nobis voluntaria prosit afflictio, etenim beatus Daniel, cùm voluntario seipsum ieiunio afflixisset, & dominum quæsijsset, statim exorauit, & voti sui compos factus est. quod is quoque, qui se ei in visione obtulerat, declarat. à prima enim die, inquit, qua dedisti cor tuum vt intelligeres, & vt affligeres te coram Domino Deo tuo, auditi sunt sermones tui, cuius rei maximũ hoc habes indicium aduentum meum, ego enim veni, inquit, in sermonibus tuis, id est propter sermones tuos, & propter illas, quas adhibuisti preces.

Et princeps, inquit, regni Persarum stetit ex aduerso mei, vnum & viginti dies.

Vulg, La. *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus.*

Prima ipse die, inquit, deprecationis tuæ admissis tuis precibus ad te missus fui. sed omnibus his diebus prohibuit me, ne ad te venirem, Persarum regni princeps.

Et ecce Michael vnus de principibus primis venit ad opitulandum mihi, & ipsum reliqui ibi cum principe regni Persarum.

Vulg. La. *Et ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum.*

Hæc apertius nos docet beatus Moyses, cùm ait,

Quando diuisit altissimus gentes, quando dissemi-
nauit filios Adam, constituit terminos gentium iuxta
numerum angelorum Dei.

Vulg. La. *Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.*

Matth. 18. Et dominus in sacris Euangelijs Apostolis, videte, inquit, ne contemnatis vnum ex his pusillis, quia angeli eorum quotidie vident faciem patris mei, qui in cœlis est. & alia itẽ multa huiuscemodi in diuina scriptura. ex his itaque docemur singulis angelis vniuscuiusque nostrum creditam esse curam, vt custodiant, tueantur, & à praui dæmonis nos liberent insidijs. archangelis vero illud munus impositum, vt gentium sint præfecti. sicuti beatus Moyses docuit, cuius dictis beatus item Daniel consentit, cùm dicit ipse regni Persarum principem, & rursus paulo pòst principem Græcorum, Michaelem quoque principem Israel vocat. His itaque tum ex hoc, tum ex illo loco perspicuis factis, illud quærendum, quanam de causa Persici regni princeps resistere videbatur ei qui pro populo patrocinium susceperat? nam perturbationibus angelorum naturam non esse obnoxiam, quippe sanctitatis plenam, cuiuis perspicuum est. & diuinis eos nutibus obtemperare sine vlla controuersia vsquequaque licet intelligere. Quomodo itaque Israelitarum tutelæ aduersari videbatur Persarum regni princeps? verum enimuero si quis diligenter considerare velit, comperiet eorum, quæ dicta sunt, sensum. nam Persarum princeps, & princeps Græcorum, hoc est ij, quibus eorum custodia, & cura commissa est, necessario, vtpote erga eos beneuolentia affecti, quorum tutelam habebant, cùm cernerent ipsius Israelis iniquitatem, egrè ferebant, siquidem videbant ipsos maioris prouidentiæ fructus ferre. neque enim nouerant in Deo, qui omnia creauit, occultum mysterium. nanque postquam saluator noster homo
factus est, innotuit, sicut dixit beatus Paulus, Ad Eph. 3.
principibus & potestatibus per ecclesiã multiformis sapientia Dei. Hoc itaque mysterium ignorantes, & multam Dei erga Israel prouidentiam cernentes ij, quibus aliarũ nationum credita cura fuerat, indignabantur, quòd aspicerent eos maxime post legem & prophetas tantamque doctrinam & curam, peius affectos ijs, qui à se regerentur, vel pluribus malis oppressos; hoc etiam beato Danieli angelus, qui se ei videndũ obtulit, dicebat, & princeps regni Persarum stetit ex aduerso mei vnum & viginti dies. hoc est, his omnibus diebus ei persuadere studebam, iure eos hac prouidentia dignos censeri, opitulante mihi Michaele, qui vnus erat è primis principibus, & ipsum, inquit, reliqui ibi cum principe regni Persarum.

Et veni vt docerem te quæcunque occurrent popu-
lo tuo in nouissimis diebus, quia ecce visio in dies.

Veni autem, vt docerem te, quæ ventura sunt popu- Vulg. La.
lo tuo in nouissimis diebus, quoniam adhuc visio in
dies.

Cumque ego inquit venissem ad te, vt quæ haud multo pòst tempore euentura sunt populo tuo, antè te edocerẽ, remansit Michael disputans cum principe regni Persarum, neque simplicitet dixit cum principe Persarum, sed cum principe regni Persarum, hoc est, cui etiã in ipsum Persarum regem commissum est imperium.

Cumq; loqueretur ipse mecum secundũ verba hæc,
dedi faciem meam in terram, & compunctus sum.

Cumq; loqueretur mihi huiuscemodi verbis deieci Vulg. La.
vultum meum ad terram, & tacui.

Cùm enim audissem angelorum quoque principes ægrè ferre eam curam, quæ habebatur erga populum, tristitiæ rursus plenus deiecto in terram vultu stabam, nec sursum aspicere poteram.

Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia

mea,& locutus sum,& dixi ad stantem corã me,Domine in visione tua cõuersa sunt interiora mea in me, & ecce non habeo robur, & quo modo poterit domine seruus tuus loqui cum domino meo hoc? & ego imbecillis factus sum, & ex hoc tempore non stabit in me robur,& spiritus non est relictus mihi.

Vulg.La. *Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea,& aperiens os meũ locutus sum,& dixi ad eum, qui stabat contra me,Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium, & quo modo poterit seruus Domini mei, loqui cum Domino meo,nihil enim in me remansit virium, sed & habitus meus intercluditur.*

Cùm vidisset, inquit, me denuo animi anxietate cruciari,ac veluti humana quadam manu labia mea attigisset,dedit mihi colloquendi facultatem,& dixi ei.tuus solus conspectus ipse omnes mihi vires ademit, animumq; confusionis ac perturbationis impleuit; & pristino decore cogitationem nudauit, adeoque imbecillis præ metu effectus sum, vt ne vsitato quidem more posim spiritum ducere:quo modo igitur potero, quæ à te dicantur intelligere,aut congruens reddere responsum?nemo autem existimet, qui ab eo visus est, illum esse Dominum, propterea quòd Daniel ipsum Dominum appellet. sic enim ipse in fine visionis, sublatis, inquit, manibus suis in cœlum, per viuentem dominum iurauit, æquo animo suam confitens seruitutem: Dominum itaque illum vocat, non vt Deum,sed honorem illi debitum tribuens. etenim nos cum illustrioribus viris colloquentes hac appellatione vti consueuimus, quemadmodum
Gen. 18. etiam beatus Abraã angelos vt homines conspicatus,& cum ipsis, vt cum hominibus colloquens, obsecro dixit Domine si vtique inueni gratiam coram te,ne transeas seruum tuum.& beata Rebecca beati Abraam seruo, bibe,inquit, Domine, & camelis tuis hauriam aquam. igitur hoc etiam loco Dominus nõ rerum omnium auctorẽ significat Deum,quod apertius ex fine cognoscemus, interim autem institutum persequamur.

Et addidit,inquit, & tetigit me, quasi visio hominis, & corroborauit me, & dixit mihi, ne timeas vir desideriorum,pax tibi,viriliter age,& esto robustus.

Vulg.La. *Rursum ergo tetigit me,quasi visio hominis, & confortauit me, & dixit, noli timere vir desideriorum, pax tibi,confortare & esto robustus.*

Hoc est,nihil solicitus sis, neq; enim vt detrimenti aliquid tibi afferrem istuc concessi, sed vt ea tibi indicarem, quæ discere concupisti.abiecto itaque metu,virum te, & fortem præbeas. & verbum res est consecuta.

Et cùm loqueretur ipse, inquit, mecum corroboratus sum & dixi, loquatur Dominus meus,quia corroborasti me, & dixit, an nosti cur veni ad te? & nunc reuertor, vt prælier cum principe Persarum.& ego egrediebar, & princeps Græcorum veniebat, verumtamen annuntiabo tibi,quod constitutum est in scriptura veritatis,& non est qui resistat mecum de his, nisi Michael princeps vester.

Vulg.La. *Cumq; loqueretur mecum conualui & dixi,loquere Domine mi quia confortasti me, & ait, nunc quid scis quare venerim ad te? & nunc reuertar vt prælier aduersus principem Persarum.cùm ergo egrederer ap paruit princeps Græcorum veniens, verumtamen annuntiabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis, & nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester.*

Curnam,inquit,vnum aut duo dicam, Persarum principem, & Græcorum? cùm nulla earum virtutum, quæ super cœlos sunt, velit populum vestrum boni alicuius compotem fieri,propter multa videlicet scelera, nisi solus Michael, cui vestra tutela credita est. præliari vero pro differere ac persuadere posuit,cùm ostendere vellet illius iustam contra populum indignationem,& suã erga eundem populum beneuolentiam.est autem verisimile eum qui differebat, sanctum esse Gabrielem, qui iam alias etiam reuelationes ipsi interpretatus est.

Et factum est, inquit, in anno primo Cyri steti in Cap.11.
fortitudinem & robur.

Ego autem ab anno primo Darij Medi stabam vt Vulg.La.
confortaretur & roboraretur.

Statim, inquit, cùm Cyrus regno potitus esset,& terminus captiuitatis expletus, institi, quoad effeci vt populus dimissus in libertatem vindicaretur.

Et nunc renuntio tibi veritatem.

Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Vulg.La.

Vere tibi dico,quæ futura sunt.

Ecce adhuc tres reges surgent in Perside.

Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside. Vulg.La.

Post Cyrum Cambyses regnauit,cuius successores Magi decem mẽses regno potiti sunt, post illos Darius Hystaspis.

Et quartus, inquit, ditescet diuitijs magnis super omnes.

Et quartus ditabitur opibus nimijs super omnes. Vulg.La.

Xerxes hic est,de quo loquitur, Darij filius.

Et postquam ipse obtinuerit diuitias, inuadet in omnia regna Græcorum.

Et cùm inualuerit diuitijs suis cõcitabit omnes ad- Vulg.La.
uersum regnum Græciæ.

Huius etiam, qui nobis sunt externi, historici, scriptores,sophistæ,& oratores meminerunt,qui narrant & illius superbam cum exercitu profectionem,& ridiculũ discessum. nam vsque ad ipsum summatim traditis Persicis rebus & ijs, qui post ipsum regnarunt, vt qui imbecilliores effecti fuerint, omissis, ad Macedonem transtulit orationem.

Et consurget, inquit, rex potens, & Dominus erit dominij multi,et faciet secundum voluntatem suam, & cùm steterit regnum eius,conteretur,& diuidetur in quatuor ventos cœli.

Surget vero rex fortis & dominabitur potestate Vulg.La.
multa,& faciet quod placuerit ei,& cùm steterit,conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cœli.

Alexandro enim,vt iam etiam diximus, omnem, vt ita dixerim, orbem terrarum adepto,deinde communem hominum finem sortito,quadrifariam diuisum est regnum,vt sæpius iã memorauimus, & hic rursus diuus Archangelus ita ait,

Et di-

Et diuidetur in quatuor ventos cœli, & non in nouissima eius, neque secundum dominationem eius qua dominatus est.

Vulg.La. *Et diuidetur in quatuor ventos cœli, sed non in posteros eius, neque secundum potentiam illius, qua dominatus est.*

Quod autem dicit, ita se habet, Alexander cùm duodecim annos integros regnasset, sex vltimis annis & Persarum & Aegyptiorũ demolitus est regnum,omnesque interiectas nationes sub suam ditionem subiunxit. ait itaque, reges, qui post ipsum regnarint, nulla in re similes futuros Alexandro, neque virtute, neq; potestate illa, quam nouissimis annis sibi fuerat adeptus, hoc enim significat, in nouissima eius,neque secundum dominationem ipsius,qua dominatus est.

Quia euelletur regnum eius, & dabitur alijs, præter hos.

Vulg.La. *Lacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his.*

Non solùm enim in hos quatuor,inquit,diuidetur, sed etiam alijs præter hos tradetur. His enim regnantibus Arsaces Persa bello victor adeptus est regnum, & partem quandam Persici imperij recuperauit, ex quo ad hoc vsque tempus Persarum reges Arsacidæ vocantur; cùm superiores non Arsacidæ, sed Chamænides appellarentur : & Romanis itẽ Macedonico diuiso regno maior fuit potentia; qui denique ab his eisdem regibus tributum exegerunt.ita præsignificata diuisione, duorum regum mentionem prætermittit, neque enim rex Asiæ,neque rex Macedoniæ diutius permansit.preterea{que} nihil ab his calamitatis accidit Iudæis. duorum igitur dũtaxat meminit, per quos difficiles calamitates experti fuere Iudæi.& hi sunt,Aegypti rex,& is cui nationum ad orientem incolẽtium commissum fuit imperium,qui in Antiochia, & Babylone obtinuerũt regias. decet autem nos prius eorum,quæ dicenda sunt,argumentum declarare,deinde ea sigillatim interpretari. Hircus ille, quem beatus Daniel vidit, post vnum cornu confractum,quatuor cornua produxit,hos ipsos reges,ex vno ipsorum alterum cornu natum est,quod & Aegyptum maxime debellauit, & in infinitas Iudæorũ nationem calamitates coniecit. & per hoc cornu significatur Antiochus Illustris, id est Epiphanes. & quartam bestiam beatus Daniel vidit decem cornibus præditam, inter cuius cornua ascendebat paruum cornu,quod oculos habebat,& os loquens magna, & præliũ committebat cum sanctis.rursus autem ex his intelligimus in fine Romani regni decem eodem tempore exorituros reges, qui multa sibi vltro citroque damna inferẽt,alter alterius regna mutuo debellantes, quemadmodum Macedones faciebant.cumq; hæc acciderint, ostensurum se virum peccati, filium perditionis, id est Antichristum. Quando itaque similes sunt regni Romanorum fines diuisioni regni Macedonici,quæ tum ab his, tum ab illis facienda sunt, simul edocet beatus Daniel. alia enim ex ijs, quæ dicenda sunt, Macedonibus conueniũt, alia futuris decem cornibus, atque illi, quod inter ipsa productum fuerit.& hęc ita se habere, ex ipsa prophetia discemus. decet itaq; nos omni studio animum adhibere, vt congruenter diuidamus, quæ his, quæue illis conueniant. cuius rei exemplum habemus Euangelicam doctrinã. etenim cùm Dominus de templo quod erat in Hierosolymis Apostolis dixisset, Amen amen dico vobis non relinque- Matth.24.
tur hic lapis super lapidem, qui nõ destruatur. deinde illis interrogantibus, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui? & duplici allata interrogatione, Dominus promiscuũ reddit responsum,simul ea dicens, & quæ Hierosolymis essent euentura,& quę in consummatione sæculi futura. qui vero sunt diuinis initiati mysterijs, hi & his & illis congruentia temporibus facile discernunt. hoc itaque nos etiam hoc in loco adhibita, quam par est, demonstratione, facturi sumus. Cùm docuisset igitur beatum Danielem is,qui cum eo colloquebatur, quadrifariam regnum diuisum iri, duobus omissis Macedoniæ,inquam,& Asiæ, siue Hellesponti regibus,vt qui breue tempus regnassent, ac Iudæos minime offendissent, subijcit,

Et corroboratus est rex Austri, & de principibus eius vnus corroborabitur super ipsum, & dominabitur dominatione multa extra potestatem suam.

Et consortabitur rex Austri, & de principibus eius Vulg.La.
prævalebit super eum,& dominabitur ditione, multa enim dominatio eius.

Ptolemæum Philopatorem dicit, qui non contentus Aegypti regno etiam Phœnicem,& Samariam,Iudæamque sibi asciuit. vnum autem de principibus eius corroboratum Scopam intelligit, cuius etiam Iosephus scriptor Hebræus meminit. qui cùm optimum se ducem præbuisset, multa eorum, quæ extra Ptolemæi regnum erant, in Ptolemæi ditionem redegit. hoc innuens, & dominabitur, inquit, dominatione multa extra potestatem suam. hoc est, potietur multarũ nationum,quæ fuerint extra sibi definitam potestatem.

Et post annos eius commiscebuntur, & filia regis Austri ingredietur ad regem Aquilonis, vt faciat fœdera cum eo.

Et post finem annorum fœderabuntur, filiaq; re- Vulg.La.
gis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam.

Post Ptolemæi Philopatoris obitum regnauit Ptolemæus filius eius Epiphanes appellatus. hoc significat, cùm dicit, post annos eius commiscebuntur, & docens quo modo commiscebuntur,filia inquit regis Austri ingredietur ad regem Aquilonis, vt percutiat fœdera cum ipso: regem vero Aquilonis appellat Antiochum,nõ Epiphanem,sed illum,qui vocatus est Magnus, Antiochi Epiphanis patrem, hic enim fuit illis Ptolemæis æqualis.

Et non obtinebit robur brachij, neque stabit semen eius, & tradetur ipsi, & ferentes eam, & puella & corroborans ipsam in temporibus.

Et non obtinebit fortitudinem brachij, nec stabit Vulg.La.

semen eius,& tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes eius, & qui confortabant eam in temporibus.

Verum nuptiæ quidem fient,inquit, nõ tamen diutius connubium manebit,sed reddetur ei,qui miserit ipsam,per eos,qui ipsam adduxere, vna cum ijs, quæ cum ea fuerint allata; hoc enim significat, & corroborans ipsam in temporibus,id est diuitiæ,quæ matrimonium potens,optatumque efficiunt.

Et surget,inquit,de flore ex radice eius in præparatione ipsius.

Vulg.La. *Et stabit de germine radicum eius plantatio.*

Hoc est,reddetur quidem parenti,sed pariet regem, qui regno illius, qui dederit, aduersabitur.

Et veniet,inquit,ad virtutem.

Et veniet cum exercitu.

Virtutem ipsam Hierusalem vocat, vt quæ diuina gratia fruens diuinam virtutem per ea miracula, quæ pro tempore fiebant, ostenderet. quod nos item tertius Maccabæorum liber edocuit. Ptolemæus enim præter omnem spem deuicto Antiocho magno,ad Hierosolyma peruenit, Deoq; sumptuosa obtulit sacrificia,conatusque ingredi in adyta templi, sacerdotibus,qui supplicantes eũ arcebant,ob-
Macca.3. temperare cùm noluisset, flagellis percutitur, quæ minime cernebantur, interminatus autem Iudæis Alexandriam se recepit,& illa facere aggreditur, quæ historia docet. idque etiam prophetia prædicit, veniet inquit ad virtutem.

Et ingredietur in munitiones regis Aquilonis, & faciet in ipsis,& corroborabitur.

Vulg.La. *Et ingredietur prouinciam regis Aquilonis, & abutetur eis,& obtinebit.*

Munitiones vocat tributum ipsi præbentes ciuitates,quodammodo enim fulciunt,& sustentant regnum quæ afferuntur tributa, quibus militaris alitur exercitus.

Et Deos eorum, cum conflatilibus eorum, omne vas desiderabile ipsorum argenti & auri cum captiuitate introducet in Aegyptum, & ipse stabit super regem Aquilonis.

Vulg.La. *Insuper & Deos eorum,& sculptilia,vasa quoque pretiosa auri & argenti captiua ducet in Aegyptum, ipse præualebit aduersus regem Aquilonis.*

Primo enim & altero prælio Ptolemæi vicerunt, vt docent Historiæ. Iosephus quoque ita asserit.Iudæis enim Antiocho magno Asię regnum obtinente euenit, vt & ipsi multis laboribus premerentur vexata eorum regione, & illi itidem qui Cælen Syriam incolebant, nam bellũ ipso gerente aduersus Ptolemæum Philopatorem & contra filium ipsius Ptolemæum cognomento Epiphanem,vsu venit vt ipsi multa mala sustinerent, & eodem tam victo,quàm victore eadem paterentur. ac paulo pòst; cumque vicisset Ptolemęum Antiochus Iudęam sibi asciscit: vita functo Philopatore filius eius magnum misit exercitum duce Scopa, contra eos qui erant in Cæle Syria, qui & multas eorum cepit vrbes, & nostram gentem, quæ debellata adiuncta est ei. nec multo pòst Antiochus Scopam vicit ad fontes Iordanis cum eo congressus, ac magnã illius exercitus partem occidit. postea vero cùm Antiochus vrbes in Cæle Syria subegisset, quas Scopas occuparat,& Samariam, spõte ad eum se adiunxere Iudæi,receptoque in ciuitate omni eius exercitu, & militibus, & elephantis, abunde commeatum præbuere, & præsidia à Scopa in arce Hierosolymorum relicta obsidenti alacriter opem tulere. & ne alia prosequens vltra modum prorogãs volumen progrediar,ad illa volentem relego.

Et ingredietur, inquit, in regnum regis Austri, & reuertetur ad terram suam, & filij eius cogent turbã exercituum multorum.

Et intrabit in regnum rex Austri,& reuertetur ad terram suam, filij autem eius prouocabuntur,& congregabunt multitudinem exercituum plurimorum. Vulg.La.

Filios autẽ eius eos vocat, quibus militandi munus impositum fuerat,sicuti filios hominum homines, & filios prophetarum prophetas, quod est Hebræorum linguæ idioma.

Et ingredietur veniens,& inundans.

Et veniet properans & inundans. Vulg.La.

Hoc est, impetu latus, & diluuij instar omnia corrumpens.

Et præteribit,& sedebit,& congredietur vsque ad robur eius.

Et reuertetur, & concitabitur & congredietur cum robore eius. Vulg.La.

Hoc est,omnibus viribus inuadet in Aegyptum,& celeritate adhibita castra ponet traslato in eam regionem bello. his subijcit.

Et irritabitur rex Austri,& egredietur,& pugnabit bello cum rege Aquilonis, & statuet turbam multam,& tradetur turba in manu eius, & capient turbam multam,& exaltabitur cor eius,& deijciet multa millia,neque corroborabitur.

Et prouocatus rex Austri egredietur, & pugnabit aduersus regem Aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu eius, & capiet multitudinem,& exaltabitur cor eius, & deijciet multa millia,sed non præualebit. Vulg.La.

Cùm enim rex Austri instructam turbam multam in acie opposuerit, superabit, inquit, Antiochus, ac multitudinem illam sibi subijciet, & quasi victor superbia elatus multa hominum millia conficiet. verumtamen non potietur Aegypto, neque obtinebit Ptolemæi regnum. qua de causa indignatus rursus

Reuertetur,inquit,rex Aquilonis, & adducet turbam multam supra priorem, & in finem temporum ingredietur ingreßus in virtute magna,& in substantia multa.

Conuertetur enim rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multo maiorem, quàm prius,& in fine temporum, annorumq; veniet properans cum exercitu magno,& opibus nimijs. Vulg.La.

Rursus enim maiore,inquit, priore exercitu coacto inuadet Aegyptum, quod faciet circiter regni sui finem, id enim significat, in finem temporũ,& ingredietur ingressus in virtute multa. Hic conduplicatio est Hebraica; voluit enim dixisse, magno comitatu ingredietur,

dietur, est autem idioma tum Hebræorum tum Syrorum, qui consueuerunt dicere: ingrediens ingressus est, & comedens comedebat, & alia omnia huiuscemodi: interpretes itauqe multa adhibita diligentia idiomata quoque Hebræa secuti sunt.

Et in temporibus illis,inquit, multi consurgent aduersus regem Austri.

Ita enim ab Antiocho debellatum Ptolemæum vt imbecillem, in reliquum etiam finitimi contemnent.

Et filij pestilentiarum populi tui, extollẽtur, vt statuant visionem, & debilitabuntur.

Vulg.La. *Filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur vt impleant visionem,& corruent.*

Hic rursus pestilentes filios pestilentiarum appellauit, scelesti enim & improbis moribus deprauati, impiamq; vitam pietati præferentes per hos reges cultum legitimum demoliri conabuntur, neque poterunt, illi enim minus impij Iupæorum nationem coluerunt, & obseruarunt.

Et accedet, inquit, rex Aquilonis, & effundet aggerem & capiet vrbes munitas.

Vulg.La. *Et veniet rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet vrbes munitißimas.*

Hoc est, obsidens aggeribus adhibitis, machinisque admotis.

Et brachia regis Austri non stabunt.

Vulg.La. *Et brachia Austri non sustinebunt.*

Hoc est,omnibus destituetur viribus.

Et consurgent electi eius,neque erit robur ad standum.

Vulg.La. *Et consurgent electi eius ad resistendum,& non erit fortitudo.*

Et coactis optimatibus suis nihil proficiet.

Et faciet adueniens aduersus eum secundum voluntatem suam.

Vulg.La. *Et faciet veniens super eum iuxta placitum suum.*

Facile enim erit in reliquum, inquit, vnicuique eum contemnere, quòd resistere nequeat,& aduersarios ipse superare.

Et stabit in terra Sabir.

Vulg.La. *Et stabit in terra inclyta.*

Quędam exemplaria in terra Sabair habẽt, & quidam eorum, qui Hebræorum vocem in Græciam transtulere, voluntatis terram, terram Sabair vocarunt, significatque promissionis terram, quæ voluntatis erat, & montem Sion quem dilexit,& in quo beneplacitum est
Psal. 77. Deo habitare in eo, & Sabair, virtutum siue
Psal. 67. exercituum interpretantur, siue igitur terra voluntatis,siue terra exercituum Iudęa vocata sit, etenim suprà quoq; exercituum ipsam appellauit. hic etiã Sabair siue Sabir eam nuncupat:accedet,inquit,rex Babylonis ad ipsam quoque.

Et consumetur in manu eius.

Hoc est, prospere ei succedet. sic enim nos item Iosephus docuit in historia, Iudæos Antiocho vltro accepto, magno in honore ab illo habitos fuisse.

Et ponet faciem suam, inquit, vt veniat in robore totius regni eius.

Et ponet faciem suam vt veniat ad tenendum vniuersum regnum eius. Vulg.La.

Conabitur enim omne regis Austri regnũ sibi vindicare.

Et recta,inquit,omnia cum eo faciet.

Et recta faciet cum eo. Vulg.La.

Quæcunque enim diripuerit, ea,inquit,omnia reddet ipsi.

Et filiam mulierum tradet ei, vt corrumpat ipsam, & non permanebit,neque erit illi.

Et filiam fœminarum dabit ei, vt euertat illud, & non stabit,nec illius erit. Vulg.La.

Quod suprà obscurè dixerat, hic apertius declarat, dabit enim ipsi, inquit, vxorem filiam suam,nec multo pòst tempore ipsa reddetur ei,qui dederit,soluto matrimonio. cumq; ita affecerit Aegyptum,

Conuertet faciem suam ad insulas,& capiet multas,et cessare faciet principem opprobrij sui,verum opprobrium eius conuertetur in eum.

Multis enim insulis in suam ditionem redactis illarum principes imperio abdicatos eiusmodi reddidit, qui ludibrio haberentur. verum ne ipse quidem huius rei expers opprobrij. Romani enim illi ad Thermopylas debellato,compressa eius ingenti audacia,mille imposuere talentorum tributum,quod sibi singulis annis eum afferre coegerunt,filiumq; eius Antiochum cognomento Epiphanem acceptum obsidem Romæ custodiebãt. quod nos docet primus liber Maccabæorum. cùm 1.Macca.1. enim scriptor locutus de ijs esset, qui Alexandri regnum excepere, subiecit. & exijt ex eis radix peccatrix Antiochus Illustris, id est, Epiphanes filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses. hoc præsignificans Danieli, is, qui cum eo colloquitur, verum, inquit, opprobrium eius in eum conuertetur. his adijcit.

Et cõuertet faciem suã ad obtinendam terrã suam.

Et conuertet faciem suam ad imperium terræ suæ. Vulg.La.

His in insulis peractis, inquit, in suum regnum reuertetur.

Et infirmabitur, & cadet, & non inuenietur, & surget de radice eius planta regni, & ad præparationem ipsius transferens.

Et impinget,& corruet, et non inuenietur,& stabit in loco eius vilißimus,& indignus decore regio. Vulg.La.

De Antiocho Illustri, id est, Epiphane, loquitur, qui Roma profectus Seleuco fratri suo succesit,nam Antiocho Magno Seleucus cognomento Philopator successerat filius eius, quo mortuo Antiochus Epiphanes accipit regnum, de quo ait, surget de radice eius planta regni, & ad præparationem ipsius trãsferens,hoc est,patris imperium imitãs, & idoneus ad obtinendum sibi ab illo paratum regnum. hoc declarans adiecit.

Et faciens gloriam regni.

Id est, in rebus gerendis se maxime strenuum præbens.

Et in diebus illis conteretur, & non in facie, neque in bellis.

Et in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio. Vulg.La.

Idoneus enim erit, inquit, qui vel solo nomine absq; prælio, ac sine sanguine omnibus terrorem incutiat, eosque sibi subijciat.

Et stabit in præparationem eius.

Vulg.La. *Et stabit in loco eius despectus.*

Tanta, inquit, eius erit virtus, vt etiam sine prelio regnum ad se à parente translatum obtineat.

Et despectus fuit, & non est data super eum gloria regni.

Vulg.La. *Et non tribuetur ei honor regius.*

At qui non erat, inquit, illustris, vt rex, sed vilis quidam videbatur, qui Romæ custodiretur.

Et reuertetur in abundantia, & obtinebit regnum in lapsibus.

Vulg.La. *Et veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.*

Verumtamen, inquit, quamuis valde despectus, cum multa copia veniet, plurimoque exercitu, & dolo sibi opitulante, ac fraude adhibita regnum obtinebit. Hoc etiam in secunda visione beatus Daniel conspexit, audiuitq; sanctum Gabrielem cùm diceret, dolus in manu eius & in corde suo magnificabitur, & occidet multos, & in perditione multorum stabit, & hic similiter, obtinebit enim regnum, inquit, in lapsibus.

Et brachia inundantis inundabuntur à facie eius, & conterentur.

Vulg.La. *Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius & conterentur.*

Hic denuo Aegyptiorum innuit regnum, quia etiam illi multum potentes, & instar diluuij aduersarios corrumpentes, & ad internecionem delentes ab ipso inundabuntur, & conterentur. neque isti soli, sed etiam

Dux testamenti, & à commissionibus erga ipsum faciet dolum.

Vulg.La. *Insuper & dux fœderis, & post amicitias cum eo faciet dolum.*

Hic præsignificat seditionem concitatam contra Oniam principem sacerdotum, à Iesu, qui etiam Iason dictus fuit, & Onia filio Menelai, ex quibus Iason cùm prius ad Antiochum contendisset, fratrem suum pontificatu eiecit, Menelaus verò muneribus & auro Antiocho missis, ad se rursus reuocato pontificatu expulit Iasonem. hinc graues & molestę calamitates Iudæorum nationes inuasere. Hæc antè beatus Daniel doctus audit. Brachia inundantis ab ipso inundabũtur. & loquitur de Ptolemæo Philometore, qui Ptolemæo Epiphani succesit, his subiecit. & dux fœderis. principem sacerdotum intelligi vult pium Iasonis fratrem, præmonetq; fore vt illũ etiam abdicet pontificatu maximo. deinde docet, quo modo & à cõmistionibus erga illum faciet dolũ, vtetur enim ministris, inquit, qui se idem habere glorientur genus, adhibitoq; dolo, in nationem infinita mala patrabit.

Et ascendet, & superabit ipsum modica gente.

Vulg. La. *Et ascendet & superabit in modico populo.*

Deceptis enim Hierosolymorum incolis, quasi pacificus ingressurus, primùm in sacri Dei templi adyta ingredi ausus est, deinde ablato omni impositio ornatu, & vasis diuino cultui dedicatis, egressus est. rursusq; adducto ad vrbem exercitu octuaginta hominum millia occidit. neque his contentus missis ducibus suis innumerabiles cædes faciendas curauit. hæc præsignificans, & superabit, inquit, ipsos modica gente.

Et in abundantia, & in pinguibus regionibus veniet.

Et abundantes & vberes vrbes ingredietur. Vulg. La.

Neq; enim propter inopiam cum paucis, inquit, veniet, sed propter suæ mentis superbiam: est enim ipsi & abundantia, & fructus infinitarum gentium pinguiũ, sibi vectigalia multa suppeditantium.

Et faciet, quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius, prædam, & substantiam, & spolia ipsis dispergет.

Rapinas & prædam, & diuitias eorum dispabit. Vulg.La.

Nam cùm omnes eius patres & maiores Iudæorum nationem in magno honore habuerint, iste contraria omnia faciet, occidens, & rapiens, atque in seruitutem adducens, & militibus eorum bona concedens.

Et super Aegyptum, inquit, cogitabit cogitationes suas, & vsq; ad tempus.

Et contra firmissimas cogitationes inibit, & hoc vs- Vulg.La. *que ad tempus.*

Hoc est, neque diutius hoc obtinebit.

Et excitabitur robur eius, & cor eius contra regem Austri in virtute magna.

Et concitabitur fortitudo eius, & cor eius aduer- Vulg.La. *sus regem Austri in exercitu magno.*

Hanc ipsius in Aegyptum profectionem prima nos Maccabæorum docet historia. ingressus est enim Antiochus, inquit, in Aegyptum, in turba graui, & in curribus, & elephãtis, & equitibus, & in classe magna, & cõstituit bellum aduersus Ptolemæum regem Aegypti, & veritus est Ptolemæus à facie eius, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi, & ceperunt vrbes munitas in terra Aegypti, & ceperunt spolia Aegypti. & hæc cùm antè doceretur beatus Daniel audiuit. 1. Macca. 1.

Et rex Austri prælio cum ipso confliget, in virtute magna & forti valde, & non stabit, quia cogitabunt contra ipsum cogitationes.

Et rex Austri prouocabitur ad bellum multis auxi- Vulg.La. *lijs & fortibus nimis, & non stabunt, quia inibunt aduersus eum consilia.*

Hoc est, multas & varias insidias ei molientur.

Et comedent, inquit, necessaria eius.

Et comedentes panem cum eo. Vulg.La.

Hoc est, consument omnem illius prouentum, & vectigal, quod ipsi pendetur, diripientes ad se conuertent.

Et conterent ipsum, & copias eius dissoluent, & cadent vulnerati multi.

Conterent illum, exercitusq; eius opprimetur, & Vulg.La. *cadent interfecti plurimi.*

Neq; ipsum solum, sed etiam exercitum eius instar diluuij corrumpet, & ingentem cædem patrabit.

Et vtriq;

Et vtrique, inquit, reges corda eorum in improbitatem, & in mensa vna mendacia loquentur, & non dirigetur.

Vulg.La *Duorum quoque regum cor erit, vt male faciant, & ad mensam vnam mendacium loquentur, & non proficient.*

Romani enim sicut nos Iosephus historicus docet, audita eius cum exercitu profectione, per legatos denuntiarunt, vt recederet ab Aegypto. quare percusso fœdere, inquit, pacem fecit, & societatem cum Ptolemęo iniuit. simulatam verò amicitiam docens is, qui cum Daniele colloquebatur; & vtriq; inquit reges corda eorum in improbitatem, & in mensa vna mendacia loquentur, & non dirigetur, hoc est, non erit stabilis pax illa.

Quia adhuc finis erit in tempus.

Vulg.La. *Quia adhuc finis in aliud tempus.*

Hoc est, rursus enim cùm hoc tempus effluxerit, congredientur, & prælio dimicabunt.

Et reuertetur, inquit, in terram suam in substantia multa.

Vulg.La. *Et reuertetur in terram suam cum opibus multis.*

Veruntamen tunc inquit cum multis diuitijs, multarumque facultatum abundantia in suum regnum redibit.

Et cor eius aduersus testamentum sanctum.

Hoc vno in reliquum studio tenebitur, vt legem à Deo Iudæis datam euertat, atq; hæc inita consilia ad exitum perducet.

Et faciet enim, & reuertetur, inquit, in terrã suã.

Hoc quoq; Maccabæorum liber, & Iosephi tradit historia.

Et in tempus suum reuertetur, & veniet in Austro, & non erit sicut prima etiam nouissima.

Vulg.La. *Statuto tẽpore reuertetur, & veniet ad Austrum, & non erit priori simile nouissimum.*

Hoc est, non similiter vincet, sed victus reuertetur. illud autem, in tempus suum, idoneum bello tempus significat.

Et ingredientur ad ipsum ingredientes Citiæ, & humiliabuntur.

Vulg.La. *Et venient super eum Trieres, & Romani, & percutietur.*

Ascitis enim sibi multis Cyprijs, & alijs insulanis, nam Citium ad hoc vsq; tempus oppidum est Cypri, inuadet quidem Aegyptum, sed victus & profligatus redibit.

Et reuertetur, inquit, & indignabitur contra testamentum sanctum.

Vulg.La. *Et reuertetur, & indignabitur contra testamentum sanctuarij.*

Omnem enim iracundiam, inquit, qua propter acceptam cladẽ exarserit, contra sanctum testamentum euomet. factumq; ostendens,

Et faciet inquit iracundiam.

Secundo enim aduentu & multam faciet cædem, & eos, qui effugerint, rediget in seruitutem.

Et reuertetur, & intelliget super derelinquentes testamentum sanctum.

Reuertetur q;, & cogitabit aduersus eos, qui dereliquerunt testamentum sanctuarij.

Omni inquit cura eos complectetur, qui à lege desciuerint, & repudiato Iudaico ritu Græcorum mores & cultus amplexi fuerint.

Et brachia ex eo surgent, & polluent sanctuarium imperij & transferent continuationem, & dabunt in ipsum abominationem desolatam.

Et brachia ex eo stabunt & polluent sanctuarium Vulg.La. *fortitudinis & auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.*

Brachia vocat, vt iam antè diximus, duces ei seruientes, vt, instar brachiorum iussa regis exequentes. mittet itaque aliquos, inquit, qui sanctuarium imperij polluant, hoc est, Deo omnipotenti dedicatum tẽplum, ara, in qua colãtur idola, in ipso erecta: hoc enim vocat abominationem desolatam. hoc etiam nos docet secunda Maccabæorum historia, cùm sic ait. circa hoc tempus secũdam profectionem Antiochus in Aegyptum profectus est. deinde interpositis quibusdam de contentione principum sacerdotum, qui haud legitimi essent, scriptor subiecit. cumq; hęc accidissent regi, pro rebus gestis suspicatus est defecturam Iudæam. vnde reuersus ex Aegypto efferatus animo, armis vrbem cepit, iussitque militibus vt obuios quoscunque nulli parcentes cæderent. tum narrata cæde, quæ in omnem ætatem inuaserat, & quem admodum octuaginta millia cadauerum numerata essent, rursus paulo pòst, inimicam, inquit, erga Iudæos mentem habens Antiochus, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti duorum millium precipiens, omnes, qui erãt in ętate, prorsus interficere. & paulo post iiem. Sed non post multum tempus misit rex senem Athenienſem, qui cogeret Iudæos migrare à patrijs legibus, vt Dei legibus minime gubernarentur: contaminaretque quod erat in Hierusalem templum, & Iouis Olympij nominaret. hæc prędicens is, qui cum beato Daniele colloquebatur, & brachia, inquit ex eo surgent, & polluent sanctuarium imperij, & transferent continuationem; hoc est, cultum qui Deo singulis diebus adhibebatur. & dabunt in ipsum abominationem desolatam; aram, quã Ioui erexit impius rex, in qua etiam porcum immolauit. 2. Macca. 5. 2. Macca. 6.

Et inique agentes in testamentum inducent in lapsibus.

Et impij in testamentum simulabunt fraudu- Vulg.La. *lenter.*

Nam impios & iniquos ita parabunt, vt palam impie agere non vereantur, dolosis verbis vtentes.

Et populus cognoscentes Deum suum, continebunt & facient.

Populus autem sciens Deum suum continebit & Vulg.La. *faciet.*

Eos hic innuit, qui beatum Matthiam sequebantur, qui cùm primus Antiochi decretis restitisset, seque cum filijs in deserta loca recepisset, parua manu illius duces debellauit.

Et intelligentes populi, inquit, intelligent in multa.

Et

Vulg.La *Et docti in populo docebunt plurimos.*

Nam qui opportune vtentur ea scientia, quam sibi Deus suppeditarit, vehementer illius leges aspernabuntur, & mortem pro lege diuina impiæ vitæ anteponent. idque significans subiecit,

Et infirmabuntur in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in direptione dierum ipsorum.

Vulg.La. *Et ruent in gladio, & in flamma & in captiuitate & in rapina dierum.*

Diuersis enim & omnis generis tormentis impius ille pios homines deterrere conatur immaturam ipsis inferens necem, & quasi reliquos ipsorum dies diripiens. deinde quæ à beato Matthia & filijs eius sustinenda & facienda erant prædicit.

Et cùm infirmati fuerint ipsi adiuuabuntur auxilio paruo.

Vulg.La. *Cumq; corruerint subleuabuntur auxilio paruulo.*

Diuinæ siquidem gratiæ fructum percipient, & tunc hostes superabunt, non tamen pace suis diebus fruentur, aut à malis vindicabuntur, idcirco paruum auxilium, interposita inter bella inducias vocauit.

Et applicabuntur, inquit, ad ipsos multi in lapsibus.

Vulg.La. *Et applicabuntur eis plurimi fraudulenter.*

Hoc enim strenuum eorum facinus intuentes ex ijs, qui lapsi fuerint multi, & pietatem repudiarint, pœnitentia adducti ad ipsos accurrent.

Et de intelligentibus, inquit, infirmabuntur multi.

Vulg.La. *Et de eruditis ruent.*

Et eorum, qui pij visi fuerint, in cõtrariam partem vertentur.

Vt igne conflentur, inquit, ipsi, & eligantur, & dealbentur vsq; in temporis finẽ. quia adhuc in tempus.

Vulg.La. *Vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vsque ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus erit.*

Neque hæc, inquit, lædent futuros homines. hinc enim docebuntur non esse fidendũ pristinis prosperis successibus, sed semper esse metuendum, ac tremendum secundum be-
1.ad Cor.10. ati Pauli admonitionem. qui enim se existimat inquit stare, videat ne cadat. nam mutationes temporum, quasi igne conflant, & probant, & discernunt ab eo quod probatum est, adulterinum, immo etiam dealbant veluti lanam, ac probant vtrum naturalem an aduentitium habeat colorem, & vtrum totus per totum corpus à natura insitus color sit, an in sola cutis superficie impositus. hæc quidem in præsenti vita, inquit, singulis accidunt hominibus, at in futuro tempore generalis erit hominum examinatio. His dictis de Antiocho Illustri, id est Epiphane, trãsit deinde ab imagine ad exemplar, exemplar autem Antiochi est Antichristus, & Antichristi imago Antiochus. quemadmodum enim ille impie agere Iudæos cogebat, & contra legem suam rempub. administrare, ita homo peccati, filius perditionis, qui superextollitur, & superexaltatur supra omne quod dicitur Deus, aut
2.ad Thes.2. quod colitur, sicut ait beatus Paulus, ita vt ipse in templũ Dei ingressus sedeat ostendens seipsum, quasi sit Deus in omnibus signis & prodigijs mẽdacibus, ita iste inquam omnia molietur vt pios in fraudem impellat, modo dolosis miraculis decipere ac fallere conatus, modo vi adhibita, & omne supplicij genus pietatis inferens alumnis. quod si quis prophetiæ seriem inquirens, hæc non ita se habere credat, is euangelicam doctrinam mẽte repetat, vbi dominus simul & quæ ad communem, & quæ ad ipsius Hierusalem consummationem pertinent, prædicit. cùm enim dixisset, orate ne fiat fuga vestra in hyeme, neque Matth.24.
sabbato, quod Iudæis solis congruit, statim subiecit, erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neque fiet, & nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi: ostendensque ad Iudæos nihil horum pertinere adiecit. tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, pauciscque de pseudochristis prædictis, ad illa addidit, sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsq; in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis, & alia omnia similiter, ne singula recensẽam. hinc itaq; instructi etiam prophetiam intelligemus, quæ ab Antiocho ad Antichristum, vt ab imagine ad exemplar transiens, quæ ad illum pertinent, ea nos antè docet aperte.

Faciet enim secundum voluntatem suam inquit rex, & exaltabitur & magnificabitur super omnem Deum deorum, & loquetur fastuosa, & dirigetur.

Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & elevabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur. Vulg.La.

Id est, prospere eires succedent, sed non in perpetuum.

Donec enim perfecta fuerit ira.

Donec compleatur iracundia, perpetrata quippe est definitio. Vulg.La.

Quoad, inquit, vehementer diuinam iram inflammarit, ipsamque in se prouocatam attraxerit. Iram autem supplicium vocat, numen enim affectionis est expers.

Quia in consummationem & studium sit.

Etenim iste inquit suum præcognoscens euentum multam adhibebit curam, vt omnes prouocet ad impietatem, multos pœnarum socios & participes cupiens accipere; sequentia autem apertius coarguunt eorum insciti-am, qui hæc de Antiocho dicta fuisse opinentur, ait enim

Et super omnes deos patrum suorum non intelliget.

Et Deum patrum suorum non reputabit. Vulg.La.

Inuenimus autem Antiochum aris, in quibus idola colerentur, & Hierusalem, & omnem Iudæam compleuisse, & in templo Dei Ioui sacrificasse, Iouisq; Olympij nuncupasse templum, quod erat in Hierosolymis, Iouis autem Xenij, id est, hospitalis, alterum quod erat in Garizim. Quo modo igitur qui ita superstitiosus dæmonibus colendis, & idolorum cultui ita addictus sit, super deos patrum

suorum non intelliget? omnia enim contra Antiochus facere perseuerabat, qui patrios deos colens eum, qui à Iudæis adoraretur, inficiabatur esse Deum. nequaquam itaque in Antiochum hæc congruunt, sed in ipsum exemplar Antiochi, cuius imago & typus Antiochus impietate omnes superiores reges vicisse contendit. de Antichristo itaque hoc dicit; super omnes deos patrum suorum non intelliget.

Et super concupiscentiam mulierum, & super omnem Deum non intelliget.

Vulg.La. *Et erit in concupiscentijs fœminarũ, nec quenquam deorum curabit.*

Hoc quoque aperte contrarium est Antiochi institutis. hic enim nõ modo legitimo sibi matrimonio coniunctis vxoribus non erat contẽtus, ex quibus Antiochum Eupatorem, & Alexandrum liberos procreauit, sed etiam cum lasciuis pellicibus coibat. & vnius ex ipsis-
2.Macca.4. secunda Maccabæorum mentionem facit historia. vbi sic scriptor ait. contigit autem Tarsenses & Malleotas seditionem mouere, quòd Antiochidi regis concubinæ dono essent dati. qui itaque eiusce modi lasciuię inseruiebat, vt vrbes tales ac tantas meretrici mulierculæ largiretur, quomodo super concupiscentiam mulierum non intelliget? igitur hinc errare itidem aperte conuincuntur, qui hæc ad Antiochum referre conantur. nos verò ad id, vnde digressi sumus, reuertamur. & super concupiscentiam mulierum, inquit, & super omnem Deum non intelliget.

Quia super omnes magnificabitur.

Vulg.La. *Quia aduersum vniuersa consurget.*

Hoc est, arbitrabitur omnium esse se maximum.

Et Deum Maozim, in loco suo glorificabit, & Deum quem non cognouerunt patres eius glorificabit in argento & in auro, & in lapide pretioso, & concupiscentijs.

Vulg.La. *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt patres eius, colet auro & argento & lapide pretioso, rebusq; pretiosis.*

Cùm enim parentes illius agnita propria natura Deum qui omnibus præest, seipsos nominare non ausi fuerint, iste Deum fortem & potentem, hoc enim significat Maozim, seipsum appellat. illud enim, in loco suo, pro, seipsum, posuit.

Et faciet munitionibus refugiorum cum Deo alieno, quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & subijciet ipsis multos, & terram diuidet in donis.

Vulg.La. *Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem non cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito.*

Eriget enim sibi ipsi templa, inquit, & argento & auro, & lapidibus pretiosis ipsa exornabit, & subijciet ipsis multos, deceptos videlicet donis, vel supplicijs mollitos, sed etiam terram diuidet in donis, subiectis enim sibi populis, qui impietati consenserint, regionem plurimam largietur.

Et in temporis fine confliget cum eo rex Austri, & congregabitur contra eum rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in nauibus multis, & ingredietur in terram in inundationibus, & conteret.

Et in tempore præfinito præliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in classe magna, & ingredietur terras & conteret. Vulg.La.

Sæpe diximus quartæ bestiæ decẽ cornua, quæ eodem tempore apparuerunt, decem reges illos significare, qui circiter finem Romani imperij regnabunt. ex his itaque rursus Austri rex cum ipso dimicabit, qui Aquilonis rex vocatur.

Ab aquilone enim exardescent inquit mala super omnes habitantes terram. Hier.1.

Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ. Vulg.La.

Et Antiochus, qui eius typus erat, Aquilonis rex vocabatur. cum itaq; rex Austri cum ipso congressus fuerit, iste cum exercitu tũ maritimo tum terrestri aduersus eum præliabitur, victoriamq; adipiscetur. atque hos ipsos Ptolemæos in sacris euangelijs prædixit Do- Matth.24.
minus. consurget enim gens in gentem, & regnũ in regnum, & erunt pestilentiæ & fames, & terræ motus per loca, hæc autem omnia initia sunt dolorum. habentes itaq; Domini prędictionem cum hac prophetia consentaneam, proposita intelligemus.

Et pertrãsibit, inquit, et ingredietur in terrã Sabir.

Et pertransiet, & introibit in terram gloriosam. Vulg.La.

Rursus terram Sabir Hierosolyma declarauit.

Et multi infirmabuntur.

Et multi corruent. Vulg.La.

Decepti videlicet, vel magnitudine supplicium molliti.

Et isti saluabuntur de manu eius, Aedom, & Moab & principatus filiorum Ammon.

Hæ autem solæ saluabuntur de manu eius Edom, Vulg.La.
& Moab, & principes filiorum Ammon.

Neque hæc Antiocho conueniunt, etenim cùm hos subegisset, duces ipsis præfecit, ex quibus vnus erat Timotheus dux Ammanitarum. hoc impio duce verisimile est istos effugisse, quippe ne probe quidem & serio pietatem colẽtes: omnibus enim probis prorsus impius bellum facit. quod si etiam secundum moralem sententiã hæc intelligenda sunt nomina, Aedom rufum interpretantur, quare etiam Esau Aedom nuncupatus fuit; vt qui coctionem lenticulæ rubram appetijsset: & sanguis item rubram speciem habet, qui itaque Domini sanguine digni censentur, & pro huius muneris dignitate vitam degunt, florentem in se continent gratiam sanguinis Domini: & Moab, ex patre natus appellatur. sic enim filia Lot maior natu, cùm ex patre concepisset, deinde peperisset, natum vocauit. ita-
que qui filij Dei nuncupantur, qui non ex Ioan.1.
sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, merito Moab nominantur. Amman quoque filiũ generis significat, hoc enim diuina scriptura docet, & beatus Paulus ad Athenienses Act.17.
concio-

concionem habens,genus ergo inquit cum ſimus Dei nõ habemus æſtimare auro & argento aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum eſſe ſimile. necnõ ipſe Deus genus ſuum ſanctos vocauit,vt bibere faciam inquit genus meũ electum, vt enarret virtutes meas. nihil igitur à ratione abhorret, eos qui diuina gratia diuinã cognationem conſecuti ſunt,Amman nominari. ſi igitur moraliter hæc nomina velis intelligere, ita facito. ſi verò ſecundum hiſtoriam,ita vt paulo antè diximus.hos enim contemnet, quaſi maxima eorum parte impietate obſtricta,& paucis illis, qui in ipſis pij fuerint, haud flagranti ſtudio erga res diuinas affectis. Eſa. 43.

Et extendet, inquit, manum ſuam ſuper terram Aegypti,& terra Aegypti non erit in ſalutem, & dominabitur in abſconditis auri & argenti, & in omnibus deſiderabilibus Aegypti,& Libycorum,& Aethiopum,& in munitionibus ipſorum.

Vulg. La. *Et mittet manum ſuam in terras,& terra Aegypti non effugiet,& dominabitur theſaurorum auri & argenti,& in omnibus pretioſis Aegypti, per Libyã quoque & Aethiopiam tranſibit.*

Et hæc item minime conueniunt Antiocho, qui neque Libya, neque Aethiopia, neq; etiam ipſa Aegypto potitus eſt, iuſſus enim à Romanis reuerſus eſt inde: vt hinc tria illa cornua ſignificentur,quę à paruo cornu euerſa ſunt. nanque tres nationes maximas Aegyptum, Aethiopiam,& Libyam,quæ à tribus,vt veriſimile eſt,regibus obtineantur, iſte deſtruet,& in ſuam rediget poteſtatem.

Et auditiones & celeritates perturbabunt eum,ab oriente,& ab aquilone, & veniet in furore multo, vt anathematizet & deleat multos.

Vulg.La. *Et fama turbabit eum ab oriente, & ab aquilone, & veniet in multitudine magna, vt cõterat & interficiat plurimos.*

Ne hoc quidem in Antiochum conuenit, quem non fama ita perturbauit, vt ab Aegypto receſſerit, ſed Romanorum decretum ab occidente non ab oriente miſſum. de hoc vero ait fore, vt capta Aegypto, Libyaque & Aethiopia,& in ſuam ditionem redacta reuertatur, & multo furore percitus veniat, vt deleat & anathematizet multos,& idem dicit vtroq; verbo: delere enim eſt pietate exuere,anathematizare, ab illa alienum declarare.

Et figet,inquit,tentorium ſuum in Apadano, inter maria ſuper montem Sabir ſanctum.

Vulg.La. *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter duo maria ſuper montem inclytum & ſanctum.*

Neque hoc comperimus ab Antiocho factum,alioquin dicant, quiſnam locus iſte, vbi tentorium ſuum fixerit Antiochus, inter duo maria ſitus? verum non poterunt oſtendere. Igitur nihil horũ adhuc peruenit ad exitum. ſed hæc omnia à cõmuni hominum peſte proficiſcentur. Sabir autem rurſus Deo dicatam terram vocat, & Apadanum locum quendam ita nominatum, nec procul ab Hieroſolymis poſitum,vbi exitio perdetur.

Veniet enim vſque ad partem ipſius,inquit, & non erit qui liberet eum.

Et veniet vſque ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei. Vulg.La.

Ille enim qui talia ac tanta auſus fuerit tanta ſuperbia inflatus,repente pœnas luet,à quibus ipſum nemo poterit vindicare. & hoc aperte beatus quoque Paulus aſſerit. quem Dominus interficiet,inquit,verbo oris ſui,& ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. 2. ad Theſ. 2, Eſa. 11.

Et in tempore illo, inquit, conſurget Michael princeps magnus, præfectus filijs populi tui. Cap. 12.

In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui. Vulg. La.

Archangelus enim cui veſtra, inquit, commiſſa eſt tutela,conſurget auxilio ijs, qui tum dimicarint, & hoc altera quoque interpretatione ignaris perſpicuum fiet. nam per Malachiam prophetam ad Iudæos Deus ait. Ecce ego mitto vobis Heliam Tesbiten, antequam veniat dies Domini magnus & illuſtris, qui conuertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ſuum,ne forte veniens percutiam terram funditus. docet nos, quemadmodũ Antichriſto illa audente apparebit magnus Helias, Iudæis domini prædicãs aduentum, & multos conuertet, id enim ſignificat conuertet cor patris ad filium id eſt, Iudæos ad eos,qui crediderint ex gentibus, hos enim patres vocauit,vt cognitione antiquiores. Idcirco non, conuertet cor filij ad patrem, ſed cor patris ad filium, dixit, nam Iudæum qui crediderit, cum Eccleſia copulabit: & quia cognitione quidem Iudęus antiquior,vna verò & horum & illorum natura eſt,merito ſubiecit.& cor hominis ad proximum ſuum, docens vnam vtrorumque naturam, ſed cognitionem Dei Iudæis prius datam fuiſſe. verum quia non credidere, vltimi facti ſunt, at qui crediderint propter magni Heliæ prædicationem,cum gentibus miſſam ſibi ſalutem corripientibus coniuncti in vnam cenſebuntur Eccleſiam. Hoc etiam hic innuit, fore vt hæc faciente Antichriſto,ſanctus Michael Archangelus omnia moliatur, vt Helias aduenies Domini prænuntiet aduentum,quo Iudęi,qui tunc extiterint, ſalutem conſequantur. deinde narrans malorum exuperantiam, quæ impius ille patrabit, Malach. 4.

Et erit,inquit,tempus tribulationis, qualis non fuit ex quo facta eſt gens ſuper terram, & vſque ad tempus illud.

Et veniet tempus quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt vſque ad tempus illud. Vulg.La.

Hoc item Dominus in ſacris Euangelijs dixit:Erit enim tribulatiõ,inquit,qualis nõ fuit ab initio ſæculi,neque fiet,& niſi breuiati fuiſſent dies illi non fieret ſalua omnis caro,ſed propter electos meos breuiabo dies illos.cõſentiunt itaq; prophetica euangelicis oraculis.ad hæc adijcit. Matth.24.

Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro.

Hoc eſt, ſalute digni, Heliæ prædicationi obtemperaturi, quos Deus iam inde à principio præcognoſcit: Dei quippe cognitionem, librum nuncupauit.

Et

Et multi dormientium in terræ puluere excitabuntur,hi in vitam æternam, & hi in opprobrium & dedecus ſempiternum.

Vulg.La. *Et multi de ijs,qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt,alij in vitam æternam,alij in opprobrium vt videant ſemper.*

Dicant, qui hæc Antiocho aptare conãtur, quinam reſurrexerint illo regnante, ex quibus vitam æternam alij conſecuti ſint,alij opprobrium & dedecus ſempiternum percepe-rint?quòd ſi per hos Maccabęos declarari dixerint,qui è ſpelũcis exiere, maiore riſu digni cenſebuntur, ſiquidem inuenientur ijdem & pietatis amatores, & impietatis opifices. cùm prophetia dicat multi dormientium in terræ puluere excitabuntur hi in vitam æternam,& hi in opprobrium & dedecus ſempiternum. quare ſi de Maccabæis hęc dicta accipiãt,eoſdem Maccabæos improbos & probos aſſerẽt, vel aliquos ex ipſis bonos,aliquos malos. ſed ne hoc quidem licet inuenire. pius enim fuit omnis ipſorũ cœtus,neq; item vita æterna ſecundum præſentem vitam ipſis cõuenit, nam omnes interfecti de vita deceſſere. Igitur anilibus fabulis relictis, communem hinc mortuorum reſurrectionem, & iudicium, quod poſt reſurrectionem fiet,diſcamus. alij enim ex ipſis vitam æternam quaſi hæreditate conſequentur, alij verò irriſione digni & opprobrio in perpetuum reddentur. multi autem, pro, omnes dixit. etenim beatus quoq; Apoſtolus multi pro omnes poſuit,cùm dixit,ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei,& donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in multos abundauit. Ad Rom. 5.

Et intelligentes, inquit, fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti.

Vulg.La. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti.*

Et Dominus in ſacris euangelijs ait; tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol. Matth. 13.

Et à iuſtis multis quaſi ſtellæ in ſæcula & vltra.

Vulg.La. *Et qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Probatiſsimi enim & electi ſplẽdori firmamenti & ipſi ſolis lumini ſimiles fient, inferiores vero illis, hos enim ſignificauit per multos, ſtellarum lumen imitabuntur, hunc perpetuo emittentes ſplendorem. ita etiam beatus Paulus piorum ordines diſtinxit. alia enim claritas, inquit, ſolis, alia claritas lunæ,& alia claritas ſtellarum. ſtella enim differt à ſtella in claritate. hæc locutus, qui cum Daniele colloquebatur, ſubiecit. 1. ad Cor. 5.

Et tu Daniel claude ſermones, & obſigna librum, vſq; ad tẽpus conſummationis, donec doceantur multi, & multiplicetur cognitio.

Vulg.La. *Tu autẽ Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum. plurimi pertranſibunt,& multiplex erit ſcientia.*

Impone inquit libro ſigilla obſcuritatis, neque perſpicua omnibus ea facias, donec multiplicetur ſcientia, & impleatur omnis terra cognitione Domini, ſicut aqua multa operiet maria ſecundum prophetiam. His ſignis ablatis diuini ſpiritus gratia poſt noſtri Saluatoris aduentum, obſcura credentibus perſpicua fecit. Eſa. 11.

Et vidi,inquit,ego Daniel,& ecce duo alij ſteterãt, & vnus ex altera parte fluminis,vnus ex altera,& dixerunt viro induto Baddim,qui erat ſuper aquam fluminis,vſquequo finis eorum,quæ dixiſti mirabilium,et expiatio horum?

Vulg.La. *Et vidi ego Daniel,& ecce quaſi duo alij ſtabãt, vnus hinc ſuper ripã fluminis,& alius inde ex altera ripa fluminis,et dixi viro qui erat indutus lineis,qui ſtabat ſuper aquas fluminis, vſquequo finis horum mirabilium?*

Ego enim tacitus, inquit, ſtabam neque interrogare audebam, ſed duo alij ripis vtrinque fluuij aſsiſtentes eum qui byſsina veſte indutus erat,& in aquæ ſuperficie vehebatur, interrogabant,quamdiu durabunt hæc terribilia & horroris plena? & quando ab his erit liberatio?

Et audiui virum indutum Baddim, qui erat ſuper aquam fluminis,& ſuſtulit dexteram ſuam, & ſiniſtram ſuam in cœlum,et iurauit per viuentem in ſæcula, quia in tempus,et tempora et dimidium temporis.

Vulg.La. *Et audiui virum,qui indutus erat lineis, qui ſtabat ſuper aquas fluminis cũ eleuaſſet dexterã ſuam,& ſiniſtram ſuam in cœlum,& iuraſſet per viuẽtem in æternum,quia in tempus et tempora & dimidiũ temporis.*

Hinc plane didicimus, qui tunc loquebatur non ipſum fuiſſe dominum: dominus enim, quoniam neminem habuit alium per quem iuraret maiorem,ſicut ait diuus Apoſtolus,per ſemetipſum iurauit dicẽs.viuo ego dicit Dominus. beatus item Moyſes ipſum hæc dicentem oſtendit. leuabo in cœlum manum meam,& iurabo dextera mea,& dicam viuo ego in æternum. hic autem vnus cùm eſſet ex ijs,qui ei ſubiecti ſunt, & beneuolo animo erga illum affecti,extendit in cœlum ambas manus, & iurauit per viuentem in æternũ. & manum ipſum habere dicit Daniel,quia ita viderat. nouit tamen eſſe expertem corporis angelicam naturam,qui viſiones ad videntium vtilitatem figurant,& ſæpe manſuetiores videntur ſeſe accomodantes,ſæpe etiam terribiliores,quò diligentiores eos reddant,quibus ipſi ſe oſtendunt. Iurauit itaq; per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis.ſignificat autẽ tres annos cum dimidio. Hoc idem de cornu cum ſanctis bellum gerente, quod poſt decem cornua pullulabit circiter Romani regni finem,ſanctus Gabriel dixit. cũ dixiſſet enim, tres reges humiliabit, & ſermones contra altiſsimum loquetur,& ſanctos altiſsimi debellabit; adiecit, & dabitur in manu eius, vſq; ad tempus & tempora,& dimidium temporis.tres autem hi anni cum dimidio: tempus enim annum appellauit,quod ex ijs,quæ ſequuntur, diſcemus apertius: quia in tempus, inquit, & tempora, & dimidium temporis. Ad Heb. 6. Deut. 32. Dan. 7.

Cùm perfecta fuerit diſſipatio populi ſanctificati, cognoſcent ſanctum,& perficientur omnia hæc.

Et cùm completa fuerit diſperſio manus populi ſancti complebuntur vniuerſa hæc. Vulg. La.

Deinde cognoscent sanctum.magnum Heliam hic innuit, nam circa finem illius imperij,cùm apparuerit magnus Helias, secùdum saluatoris nostri prædicans prænuntiabit aduentum.His subijcit beatus Daniel.

Et ego audiui, & non intellexi, & dixi Domine, quid extrema horum?

Vulg.La *Et ego audiui,& non intellexi, & dixi Domine mi, quid erit post hæc?*

Non intelligens, inquit, id quod dictum fuerat de tempore interrogare coactus fui, apertius discere cupiens, desiderabam enim, quæ deinceps consecutura essent, percipere, ille autem

Dixit mihi,veni Daniel,quia clausi & signati sermones vsq; ad temporis finem,quoad eligantur, & dealbentur, & probentur multi, & inique agent iniqui, & nō intelligent omnes impij, intelligentes intelligēt.

Vulg.La. *Et ait,vade Daniel, quia clausi sunt signatiq; sermones,vsque ad præfinitum tempus, eligentur, & dealbabuntur,& quasi ignis probabuntur multi,& impie agent impij, neque intelligent omnes impij, porro docti intelligent.*

Non sine causa,inquit, hæc obscurius dixi, & veluti sigilla verbis obscuritatem imposui, neque enim temere omnibus diuina sunt proponenda, sed intelligentes propter eam cognitionem, quæ sibi diuinitus subministrabitur,intelligent, iniqui verò & impij nihil eorum,quę proposita sunt,poterunt intelligere. vbi autem res euenerint, aperte percipient,

Psal.118. quæ de his prædicta fuerint. tunc etiam separabuntur à iustis, qui operantur iniquitatem:

1. ad Cor. 3. omnia enim incendium probabit.hoc beatus quoque Paulus tradidit. vniuscuiusque enim opus,inquit,manifestum erit,dies enim declarabit,quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. rursus non oportere omnibus temere diuina proponere

Matth.7. Dominus in sacris euangelijs ait. nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. & beatum Danielem sanctum & bene sentientem de suo domino famulum sanctus Angelus docet Antichristi tyrannidis tempus.

A tempore, inquit, mutationis continuitatis,& vt data fuerit abominatio desolationis,dies mille ducenti nonaginta.

Vulg La. *Et a tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium,& posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta.*

Cùm enim dixisset in tempus & tempora & dimidium temporis, nouissetque beatum Danielē haud intellexisse,explicato diei tempore, quod ignorabat,ei perspicuum fecit; aliis verò etiam sic orationem obscuram reliquit. Abominationem autem desolationis ipsum vocat Antichristum, mutationem continuitatis ecclesiastici cultus ordinem ab illius insania & rabie disipatum & abolitum. ad hæc adijcit sanctus Angelus.

Beatus qui expectat & peruenit vsq; ad dies mille trecentos triginta quinque.

Innuit,& declarat fore,vt illo diuina plaga percusso permaneat magnus Helias reliquos quinque & quadraginta prædicans dies. tum appareat dominus veniens in nubibus cœli, qui coronabit eos qui incorruptam perseuerantiæ possessionem seruarint.quod item dominus in sacris euangelijs asserit. qui autē per- Matth.10. seuerauerit vsque in finē, hic saluus erit. Hinc etiam plane discere licet nihil horum in Antiochum conuenire,illo enim regnāte duo mille ducentos dies dixit, Antichristo vero mille ducentos nonaginta grassaturam calamitatem. ita vt etiam temporis differentia, personarum ac rerum differentię testimonium perhibeat.

Et tu,inquit,huc accede,& quiesce.

Tu autem Daniel vade ad præfinitum, & requi- Vulg.La. *esces.*

Tempus enim est,vt vitæ finem sortiaris.

Nam adhuc dies ad absolutionem cōsummationis.

Non enim breue tempus adhuc, inquit, reliquum est præsentis vitæ statui. &hoc loco quoq; nos aperte docuit consummationem, cùm prædicta euenerint.

Et requiesces,& surges in sorte tua in consummationem dierum.

Et requiescs & stabis in sorte tua in finem dierum. Vulg.La.

Nunc enim decet te cōmuni morte obire, resurges autem,neq; simpliciter resurges, sed in sorte tua, hoc est, cum cœtu eorum, qui similibus moribus prędditi fuerint.& ostendens quādo, adiecit in consummationē dierum. sic aperte nos diuus Archāgelus per beatum Danielem docuit resurrectionem. atque ita absoluta reuelatione subiecit propheta.

Et rex Astyages appositus est ad patres suos, Dan. 13. *& accepit Cyrus Persa regnum eius.& erat Daniel conui-* Dan.14. *ua regis & glorioſus ſuper omnes amicos ſuos.*

Et rex Astyages appositus est ad patres suos,et suscepit Cyrus Persjes regnū eius,erat autem Daniel con- Vulg.La. *uiua regis & honoratus super omnes amicos eius.*

Astyages autem fuit Cyri maternus auunculus,quo vita functo, cùm Cyaxares illius filius regnum administrare non potuisset, Cyrus Assyriorum & Chaldęorum demolitus regnum Medorum imperium transtulit ad Persas. & eratinquit conuiua regis & contubernalis, omnibusque illius familiaribus prælatus. hac enim prædituslo quendilibertate, & quæ in ipsum à Deo per Esaiam prophetam prędicta fuerant ostendit, & ei dimittendi populi auctor fuit. nos itaq; ex diuina Danielis propheria hæc didicimus. Iudæos autem iustum est nos lamentari ac lugere,qui extra prophetarum catalogum diuinum hunc prophetam audent constituere,præsertim experientia docti prophetiæ veritatem. veruntamen perspicuum est nostræ tempestatis Iudæos ad alia impia scelera hanc quoque blasphemiam addidisse, saluatoris nostri aduentus manifestum testimonium inficiatione prophetiæ obumbrare conantes. verum nihil amplius ipsis erit hanc negantibus prophetiam: nam & alij prophetæ testantur, & ipsæ res clamant, prædictionibus de ipso sese congruere. Antiquos verò Iudæos beatum Danielem maximum prophetam vocasse testis locuples

est

est Iosephus Hebræus, qui Christianam quidem prædicationem non admisit, veritatem tamen occultare non sustinuit.hic in decimo Iudaicæ antiquitatis libro, cùm multa alia de beato Daniele dixisset,hæc quoque adiecit.omnia,inquit,ipsi incredibiliter,vt vni ex maximis prophetis concessa sunt, omniq́ue vitæ tempore honorem & gloriam & apud reges, & apud populum est assecutus. mortuus autem monimentum habet sempiternum. libri enim,quoscunque ille conscriptos reliquit, apud nos etiamnum leguntur, quibus adducti sumus,vt credamus Danielem cum Deo collocutum fuisse.nō enim futura solum, quemadmodum alij prophetæ, prædicebat, sed etiam tempus, quo illa euentura essent, definiebat. & paulo pòst,ab euentu autem prędictionum,veritatis fidem,& diuinitatis opinionem apud multitudinem consequitur:ac deinceps

Ioseph. 10. 10.

huiuscemodi infinita de ipso commemorat. atq; itidem in duodecimo antiquitatis ita rursus ait. accidit verò vt templi desolatio fieret secundum id, quod Daniel quadringentis & octo annis antè prædixerat : ostendit enim ipsum à Macedonibus euersum iri. & hæc quidem Iosephus vna cum propheta testatur. Iudæi verò omni impudentia laborantes ne suos quidem erubescunt magistros. verum nos adhortor à propheta Dei percepta futurorum cognitione,nosmetipsos ad horribilem diem illam ita comparemus, vt ne in dedecus sempiternum,sed in vitam resurgamus æternam: quam vtinam omnes nos consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cum quo patri gloria cum sancto spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Ioseph. 12.

Deo nostro gloria.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, EXPLANATIONES IN DVODECIM PROPHETAS, QVOS MINORES VOCANT, IVXTA INTERPRETATIONEM SEPTVAGINTA.

PETRO GILLIO ALBIENSI
INTERPRETE.

PROOEMIVM.

QVOD Prophetas explicare aggredimur, nonnulli fortasse superuacaneum quiddam, & redundans nos facere arbitrabuntur: cùm nimirum laborem alij hunc exhauserint. Qui autem permagno diuinam doctrinam æstimant, perfecte, absolutèque ad sacram scripturam instituti sunt, non modò nobis infesti non erunt, neq; similiter, vt illi, accusatorio animo, & querelis pleni, nostrum institutum damnabunt, verum etiam & probabunt, vt par est, & tametsi nihil egregium in nostris conscriptiōnibus inuenient, laudibus ornabunt. Animus promptus, & studij plenus satis est apud æquos iudices ad colligendam laudem. Nam sic seruator & Dominus noster in sacrosanctis Euangelijs de obolis duobus viduam illam laudibus extulit, animi conditioni, nō muneris magnitudini laudem tribuens. In lege cùm diuitibus aurum, argentum, lapides pretiosos in tabernaculi confectionem imperasset: non pauperes hac lege priuauit, sed & partim ex his iussit pelles, partim pilos afferre: ab his verò inopes artificium, & vires pro istis contulerunt, nentes videlicet, & pilos pertexentes. Non prætereamus magnum Mosen non prophetam solum extitisse, sed Iesum quoq; filium Naue, & Samuel, Dauid, Nathan, Gad, Achiam, Eliam, Heliseum, ac alios innumerabiles: tum euangelij non præcones soli fuere Petrus, Iacobus, Ioannes, Andreas, vniuersusq; Apostolorum chorus: neque item Paulus & Barnabas, post hos in euangelium cooptati, in omnes homines permeauerunt: sed etiam Titus, Silas, Timotheus,

Luc.21. Exod. 25. a.

Apollos, illorum magnorum virorum discipuli: neq; in his tantummodo docendi munus apparuit: sed etiam eis in euangelium succedentes suæ gratiæ lumine illustrauit, tum eos, qui deinde illos consecuti sunt, atque vsq; in hanc ætatem in diuinis ecclesijs spiritus sancti fons permanat, diuinitusq; donata perseuerant in hominibus munera. Non alienum igitur quippiã recto & iusto iudicio præditis facere videbimur, si tanquam pilos quosdam nostri ingenij partus in noui tabernaculi substructionem attulerimus, quod Deus fixit, & non homo. Et si quispiam aliorum vestigijs nos insistere dicet, id quod res est, inueniet, lanam in opus nostrum conuenientem nos coegisse. Non enim secus, quàm illæ, quæ ab alijs allatos pilos nebant, & texebant, nos vndiquaque præclara dicta colligentes, vnum ex omnibus Dei benignitate volumẽ contexuimus: atque duodecim prophetarum enucleatè sententiam planam fecimus. Explanationem autem cum veritate congruentem nos inuenisse nihil alienum est: nam lucerna diuino verbo vsi sumus, cuius gratia non restincta est, sed tanquam fons perennis influit in homines: maxima dona non dignis modò suppeditat, sed etiam his, quibus absolutio, perfectióque abest. Ac videmus solem sensu comprehensibilem non veteribus modò, sed etiam eos consecutis, deniq; nobis suos radios edere, pariterq; in omnes terras & maria lucem suam proferre. Eò igitur magis huius opifex, qui hunc sua sola bonitate condidit, ita eorum, qui ad se suspicere student, mentes illustrat. Hac spe nobis ostensa, ac magno accusatorum contemptu, vt semel vestras, qui hortatu ad hunc laborem me excitastis, preces in subsidium implorauerim, propheticam explanationem attentabimus. Atq; modò prius pauca de temporibus, cùm quisque prophetiam docuerit, persecuti fuerimus, singillatim interpretationem attingemus.

DE TEMPORE QVO QVISQVE EX HIS DVODECIM PROPHETIS PROPHETIAM DOCVERIT.

DVODECIM prophetæ, non quia vno tempore vixerint, sub vnum volumen subijciuntur: diuersis enim temporibus futurorum præsignificationes ostenderunt. Osee suam prophetiam edidit temporibus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ regum Iudæ. Amos similiter temporibus Oziæ. Ioel pariter horum coæuus, ac æqualis fuit. Micheas statim post mortem Oziæ prophetiam diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ incepit. Ionas horum temporum etiam æqualis fuit: quanuis prophetia tempus tacuit, volumen tamen Paralipomenon hoc planè docet. Naum post Ionam prophetiæ munus suscepit, id quod prophetiæ argumentũ declarat: nam Ionas cùm vniuersum interitum Nineuitis futurum denunciasset, eos, vt resipiscentiæ remedijs vterentur, comparauit: quæ causa fuit, quare in periculum horribilium, quæ futura prædixerat, non incurrerent. Vbi verò in pristina flagitia iterum prolapsi, summo supplicio digna commiserunt: Naum post hæc eorum funditus perditionem prædicit. Iam verò Abdias ex grauissimis casibus, quos Iudææ prænunciauit, apparet post hos munus prophetiæ recepisse. Sophonias autẽ plane explicat, vt sub Iosia rege diuinam reuelationem assecutus fuerit, quo tẽpore etiam admirandus Hieremias prophetiã exercuit. Habacuc nõ multo pòst prophetiã professus est. Cæterũ Aggæus, Zacharias, & Malachias longè post multos annos extiterunt. Nam nõ modò post Osiam, Ioachim, Iechoniã, & Sedechiam, verum etiam post Babylonicam captiuitatem, postq; Cyrum primum Persarum regem, qui populum Israeliticum redire permisit: ac post Cambysem huius filium Dario Histaspis filio regnante, atque Zorobabel iam tum sanctum templum ædificante prophetiam docuit. Post quos apud Iudæos nemo alius propheta inuenitur. Non itaque quod vno eodemq; tempore fuerint, sub vnum volumen subiunguntur: sed & quia paucis prædictiones ostendissent: & quia non satis ob breuitatem fuisset ex his quisque ad vnius libri confectionem: iure maiores, qui diuinarum rerum diligentes extiterunt, duodecim prophetarum prædictiones cogentes in vnum librum concluserunt. Iam verò tempus est vt per partes attingamus Osee prophetiam, modò antè summatim argumentum explicauerimus.

ARGVMENTVM PROPHETIAE OSEE.

POPVLI sub Roboam filio Salomonis diuisione facta, decem tribubus Hieroboam filius Nabath regnauit: hic cùm metueret, ne festis diebus populum ad templum Hierosolymitanum vocantibus, in Dauidicum regnum redirẽt, ac deficerent, grauissimè impius in Deum esse cœpit: duosq; vitulos aureos confecit: quorum alterum in Dan, alterum 3. Reg. 12. *in Bethel collocari curauit: hinc impietas in decem tribus irrepsit, easq; idolis finitimarum gentium seruire docuit: tumque in extremam iniquitatem prolapsæ, diuina prouidentia spoliatæ fuerunt. Primus eos debellauit Syrorum rex: deinde Phoa Assyriorum rex maximum tributum exegit. Post hunc Theglaphallasar, cùm multas vrbes euertisset, incolarũ alios interfecit, alios in captiuitatem redegit. Post autem Salmanasar, vt ei in regnum successit, eiusmodi edidit in vrbes integras, & quæ non vastatæ fuerant, atque exercitu in obsidionem explicato, vnà cum habitatoribus Samariam cepit, decemq; tribuum reliquias in Assyriorum terram abduxit. Postremus verò rex Assyriorum Sennacherib contra Iudæam bellum cùm mouisset, atq; vrbes quasdam cepisset, Hierusalemq; obsidere tentasset, diuinitus illata plaga exercitum perdidit, ipse integer tum, & saluus euasit, vt præco numinis diuini, ac laudator esse posset: nam cùm domum redijsset, à suis liberis necatus fuit, quoniam & ipse à Deo factus contra suum factorem insaniisset. Hæc itaque beatus Osee, in munus propheticum adscitus, mentis oculis longè prospiciens, prædicere iubetur populo, vt prædictionum metu supplicia fugeret, ac non in malorum periculum subiret. Neque eò Deus pœnas minatur, vt eas, quibus minatur, inferat: sed vt metu perterrefactos ad resipiscentiam reuocet, & cùm nequitia, quam committunt, eos liberauerit, eis salutem afferat: non enim minatus fuisset, si punire vellet. Cùm minationibus agit, ostendit se seruare, non perdere velle. Quocirca beatum Osee mittit, vt decem tribubus, & duabus pariter euentura prædicet, atque sub Sennacherib esse futuram salutem prænunciet: tum etiam vt à Babylonijs pernicies eis sit afferenda, præsignificet. Duas autem tribus vocat Iudam: non enim ex Beniamitide, sed ex Iuda tribu regnum profectum fuerat. Cuius regia Hierosolymis vrbe Iudaica fuit. Hierosolymitani non his solum, sed alijs omnibus præstabant viribus, & multitudine. Quamobrem à potentiori tribu duas nominat. Decem verò tribus appellat Ephraim, quoniam Hieroboam earum primus rex ex hac tribu fuit, & regiam suam in Samaria vrbe constituit, hac rursus tribu florenti etiam excelluerunt, & multitudine & viribus isti. His ita percursis, iam explanatio per partes incipienda est.*

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, ENARRATIONES IN OSEE PROPHETAM.

VERBVM Domini, *quod factũ est ad Osee, filium Beeri, in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ regum Iudæ: et in diebus Hieroboam, filij Ioas, regis Israel.*

Plane nos docuit, vt his & illis rerũ potientibus in munùs propheticum adscitus & cooptatus fuerit. Ob id ipsum non Iuda modo regum mentionem fecit, sed etiam Hieroboam, qui fuit filius Ioas, nepos Ioathan, pronepos verò Iehu, quem diuinus Helisæus ditione, numineq; Dei perunxit, atq; & tempore, & regibus ita explicatis, quibus rerum summam administrantibus & regnantibus propheta electus fuerit, inducit.

4. Reg. 9.

Principium verbi Domini ad Osee.

Hoc est, Nihil ante hoc ipsum mihi præcepit Dominus, sed simulac ad me verborum initium fecit, statim iussit me vxorem fornicationis ducere, & filios fornicationis procreare, & addit causam.

Quia fornicans fornicabitur terra post dominum.

Ad ista adiungit, quemadmodum sine dubitatione imperatum fecerit, atque edit nomen meretricis, & explicat, ex qua nata sit, planamq; facit consuetudinem, & commercium, consuetudinisque fructum, & partus nomen ab eo impositum ostendit, qui etiam matrimonium instituit.

Dixit enim Dominus, voca nomen eius Iezrael.

Eorum audaciam mirari satis nõ queo, qui non verentur dicere, verba hæc esse rebus destituta: & quod ea quidem Deus exequenda iusserit, non tamen propheta receperit, ac non iussa exhauserit: verbaq; prolata fuisse, verum prophetam non exequutum fuisse: quin etiam hæc dicere aggressi, sentiunt multa sæpe eiusmodi deum imperasse. Esaiam quidem soluere de lumbis tunicam sacceam, & pedibus nõ calceatis, reliquoque corpore nudo incedere, itaque prophetiam edere & docere iussit deus. Hieremiæ catenas siue furcas circum collum imponere iussit. Ezechieli sinistro lateri trecentos quinquaginta dies, dextro quadraginta incubare iussit: comedere panem humano stercore opertum, vasa captiuitatis accipere, murumque perfodere, imaginem fugientium depingere, & præsignificare sic Sedechię fugam. Huiusmodi mille alia in sacrosancta scriptura inuenire licet, quorum scopum & propositum si quis ignorauerit, prophetica virtute hęc indigna ducet: qui autem Dei studium & amorem in homines planè sciunt, vtque omnia ad hominum salutem administrat inde, vnde alij contemnunt, Dei laudationum occasiones arripiunt, ac diuinos prophetas omni ex parte domino obedire stupentes admirantur. Vniuersorum Deus posteaquam ad homines ex inueterato & robusto morbo laborantes verba faciens, non verbis persuasit, rebus quibusdam adumbratis futura ostendit, visorumq; admirabilitate ad speculationem & considerationem, eos qui ad peccata obduruerant, & percalluerant, trahit. Esaiam porrò nudum conspicientes ad insolitę nimirum rei spectaculum accurrerunt, illiusmodi causam incessus cognoscere studentes: qui Ezechielem omnia illa facientem viderunt, factorum causam, vt par erat, sciscitabantur. In hunc modum vniuersorum Dominus beatũ Osee ornat, & comparat ad ducendam vxorem impuram, & impudicam, vt hoc genere facti populi impietatem coarguat, & suam tolerantiam incredibilem ostendat. Si verò vniuersorum Deus libidine perdita adulteram suscepit synagogam, & non contaminatus est sanctitatis fons ex impura hac, & execrabili: neque propheta ex illa stupri plena vxore maculam suscepit. non enim appetitioni immoderatæ inseruienti, sed Dei imperijs obtemperanti, cum illa consuetudo intercesit. Scopo autem & proposito bonum & malum iudicari sciendum est: hoc speculo enim matrimonium ab adulterio seiunctum internoscitur. Coitus cum coitu nihil differret, nisi proposito & lege discrimen demonstraretur, his fas nefasque, legitimum & illegitimum dijudicantur. Inuenire quispiam posset hoc idem in cæde, si modo consideret: interficit homicida, interficit & iudex: sed hic legitime & iuste, ille inique & illegitime: & cùm sit vnum, & idem opus, solo tamẽ proposito differt & scopo. Vt verò apertius ex sacra scriptura hoc cognoscamus, hanc considerationem suscipiamus: Cædem fecit Caim, sed ex inuidentia laborans, & dolo malo, & fraude flagrans. Cędem fecit Phinees, sed pro honestate, & pietate propugnationem suscipiens, atq; odio malitiæ inflammatus ab impietate abhorrens. Idem tamen opus, consideratio verò & propositum ex diametro contrariũ. Eodem modo, tametsi furtum è genere eorum est, quę per legem improbantur, à patre tamẽ Iacob benedictionẽ furatus est, & non modo furti nõ actus fuit, verum etiam ab omnib. generationibus exhac re magnam laudem est adeptus. Helias magnus ille ieiunus fuit, & abstinuit, ieiunii fuerunt etiam hi, qui Naboth lapidibus obruerũt: sed ille honestatis studio, ij verò calumniam aucupantes. Saul misericors in Agag fuit, & spoliatus fuit regno, & denudatus, iniqua hæc misericordia, & illegitima. Samuel interfecit Agag, & legi diuinæ satisfecit. Alia innumerabilia istiusmodi inuenire facile est, neque id modo in sacra scriptura, verumetiã in nostris

Hier. 27.
Ezech. 4.
Gen. 4.
Num. 25.
Gen. 27.
3. Reg. 21.
1. Reg. 15.

nostris quotidianis factis. Itaq; mirificus Osee non libidini seruiens, sed nutui diuino & arbitrio parere studens, accepit meretricem: atq; omnibus nuptijs grauior, & laudabilior hæc societas fuit, neque ob id solum, quòd ex Dei nutu & arbitrio facta fuerit, sed quòd Deum expresserit, & designatione quadam retulerit, vt sanctus ille, & in sanctis requiescens sponsum se fecit contaminatæ multitudinis Israelitarum. Osee filium, quem sustulisset, iussit nominari dominus Iezrael.

Quia adhuc modicum, & vlciscar sanguinem Iezrael super domum Iehu: & quiescere faciam regnum domus Israel: & in illa die conteram Israel in valle Iezrael.

Eiusmodi est quod dicit: Iezrael locus est, vbi Naboth scelerate & indigne saxis lapidatione facta necatus fuit: Iehu vero diuino con
4. Reg. 10. silio huius mortis vindex factus est. Cui dominus ob ea, quæ in Iezabel effecisset, vsque ad quartam generationem regnum illius perman surum confirmauit. Vt vero posteri, in obliuionem diuinæ voluntatis adducti, eorum impietatem, qui ante se regnassent, imitari cœperunt: minatur dominus se etiam hoc regnum deleturum, & arcum Israel corrupturum, hoc est, dissoluturũ vires & potentiam in valle Iezrael. Consulto in huius loci mentionem incidit, ad diuinæ benignitatis memoriam reuocare cupiens regem tum regnantem, docet vt per prauum Iehu pœnas de his, qui Naboth confecerant, sumpserit dominus: ita illum ab eo tum regnante, ac eius successoribus animi ingrati in te pœnã repetiturum. Huc accedit, alteram procreationem, quam susceperat Osee à Deo nominatam fuisse.

Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit ei: Voca nomen eius absque misericordia: quia nequaquam addã vltra misereri domui Israel: sed aduersans aduersabor eis: filiorum autem Iuda miserebor, & saluabo eos in domino Deo suo: & non saluabo eos in arcu, neque in gladio, neque in bello, neque in equis, neq; in equitibus.

Esa. 37. Ex his aperte demonstrat, quæ facta fuerunt in Sennacherib, tum non instructa acie Assyrij victi sunt, sed Angelorum robore centum octoginta quinque millia cæsa sunt. huc subiungit:

Et concepit, & peperit filium. Et dixit: Voca nomen eius non populus meus.

Causam exponit, quoniam vos non populus meus, & ego Deus non sum vester: Iam vero ne quis arbitretur eos à Deo repudiari, quòd sint ad numerandum faciles, & admodum pauci, commode appositum: quòd erat numerus filiorum Israel, sicut arena maris, quæ non mensurabitur, neque numerabitur. At ve
Matth. 16. ro nõ multitudine Deus gaudet, sed vbi duo, aut tres congregati sunt in eius nomen, ibi in medio eorum est. Sic Noe omnibus mortalibus antetulit, sic Abraam, sic Mosen. Horum verò posteros innumerabiles non populũ suum vocat propter impietatem. Cæterum Deus misericors illatam negationem reuocauit his verbis:

Et erit in loco, vbi dictum est eis, non populus meus vos, vocabuntur filij Dei viuentis: & congregabuntur filij Iuda, & filij Israel simul: & ponent sibi principatum vnum, & ascendent de terra, quoniam magnus est dies Iezrael.

Per hæc reuocationem ab vrbe Babylone prædixit, & quòd postinde reditum non amplius habebunt reges diuersos, sed in idem, & vnum consentientes, & coacti habebunt regẽ vnum: hoc enim finem inuenit temporibus Zorobabel. Diem vero Iezrael appellauit calamitatem, quam populo Israel intulerunt Assyrij in valle Iezrael. Magnam, inquit, postea in eos pœnam constituam, magnam rursus eis salutem afferam, seruituteq; liberatos in patriam restituam. Deinde eos adhortatur, & consolatur, mutatis rebus se immutaturũ nomina, & vocaturum nõ populum, populum: non dilectam, dilectam. Vos qui salutem estis adepti, & qui Babylone reuertistis, iudicate matrem vestram, hoc est maiores vestros, qui contra me peccauerunt.

Quia hæc non vxor mea: & ego non vir eius. Cap. II.

Repudium factum est ex illa causa. Tale quippiã inuenimus in Esaia, nunc domus Iuda, & habitatores Hierusalẽ iudicate inter me, & vineam meam, quoniam expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas: ac tum inquit: Esa. 5.

Iudicamini cum matre vestra: quia hæc non vxor mea: & ego non vir eius.

Cùm ostendit hoc diuortium non factum fuisse ad eam perdendam, subiungit:

Et auferam fornicationem eius à facie mea, & adulteria eius de medio vberum illius.

Psal. 118. Eiusmodi est à beato Dauid dictum: Bonum mihi, quoniam humiliasti me, vt addiscam iustitias tuas. Hanc autẽ se eruditurum, & fornicatione, & adulterio liberaturũ pollicetur: neq; id leuiter, sed radicitus hoc è medio vberum reuulsurum. Cor autem designat sub vberibus situm, ex quo proficiscuntur cogitata mala, inuidiæ, homicidia, adulteria, & his similia. Maximam opem fert Dei institutio, & disciplina, quæ fornicatione eruditos liberat, docet etiam eruditionis genera.

Vt exspoliem eam nudam, & restituam eam iuxta diem natiuitatis suæ.

Diem natiuitatis vocat in Aegypto viuendi consuetudinem, & versationẽ hanc desertam, & mea prouidentia destitutam constituam, & vt Assyrijs seruiant, quemadmodum seruierunt Aegyptijs, efficiam.

Et siccã terræ, & desertæ similem eam reddam: & occidam eam in siti.

Per sitim nõ aquæ penuriam innuit, sed diuinæ prouidentiæ priuationem.

Et filiorum eius non miserebor, quoniam filij fornicationis sunt, patrum imitati sunt malitiam.

Malitiam hic idolorum cultum vocat. Et vt planius eius perfidiã damnet, inducit eam loquentem.

Vadam post amatores meos.

Hoc est, Idolis seruiam, à quibus omniũ necessariorum abundantia mihi est. Et quoniam bonorum datorẽ ignorauit, merito adiungit:

Propterea ecce ego sepiam viam eius in sudibus: & obstruam vias illius, & semitam suam non inueniet.

Hæc sanè vltio misericordiæ plena est, quę laborat, vt impietatem cessare faciat: quæ vt cognouit malorum experiẽtia idolorum debilitatem, nam implorauit ea in auxilium in tempore tribulationis: & adiumentum ab eis non consecuta, quæret, & non inueniet.

Vadam & reuertar ad virum meũ priorem: quia melius mihi erat tunc, quàm nunc est.

Ecquis Dei erga homines studium & amorem intuens, non iure stupescat? qui cùm Deus sit, factor, & dominus, virum & sponsum se ipsum vocat, non dominum: & quia vxoris erga virum amor, & seruorum erga dominum multus & vehemens esse solet, hunc affectum ac studium inducere cupiens hominibus, seipsum spõsum & virum appellat. Veruntamen crudeliter ingratos, & peruersis animis homines non hæc ad rectum, & gratum animum erga Deum habendum mouent, vnde fit vt de illis dicat,

Et ipsa nesciuit: quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei: hæc autem argentea & aurea fecit ipsi Baal.

Quæ à Deo dona accepit, ea ad Dei hostes detulit: ea re offensus Deus, minationibus agit, se eos frumento & vino esse priuaturum: & ne quis ex infœcunditate terram laborare arbitretur, appositè addidit:

Idcirco reuertar, & sumam frumentum in tempore suo.

Hoc enim est: simul ac primum maturuerit, in messis ac vindemiarum tempore. Minatur etiam se eam adeo veste denudaturum, vt vestimẽtis etiam necessarijs indigeat. Eius vero, inquit, amatores hæc inspicientes non ei adiumento esse poterunt. Cessationem itẽ se illaturum, ne festos dies agere posit: omnemque immoderationis & libidinis opportunitatem restincturum, ficus & vineas corrupturum ore prophetico minatus est. Postquã, inquit, hęc se ab idolis dixit accepisse: me autem ignorauit, horum largitorem, ponam ea in testimonium: à feris enim, ait, & volucribus, & serpentibus perdita, & corrupta, & vestram impietatem coarguent, & testimonium afferent meæ disciplinæ, & correctioni. Hæc autẽ mala perpetietur, quoniam Baalim, id est idolis, cultum meum posteriorẽ duxit: ac ornatu vario, & multiplici instructa, festos idolorum dies egit. Quare inquit:

Ideo ecce ego seducam eam: & ponam illam quasi desertum.

Hoc est, erroribus implicari, vagari, labi, captiuam factam efficiam, hisque omnibus bonis destitutam perficiam, veruntamen consolabor eam in malis.

Loquar, inquit, ad cor eius: & dabo ei possessiones suas inde, & vallem Achor ad aperiendam intelligentiam eius.

Achor apud Syrum Achar inueni: is vero
Iosue 7. est, qui cùm sub Iesu filio Naue furtum fecisset, ac dona Deo cõsecrata furto violasset, Deo pœnas dependit: nam populus eum, lapidatione facta, necauit. Post vero illius necem cùm agnoscerent quãtas turbas legis diuinæ transgressio aduehat, luctu & plangore Deum placabant. Hoc propheta hic indicat: nam vt illi tum ex mente Achar cognouerunt, quàm ingens malum sit legis violatio: sic etiam ex captiuitate hi percipient sensum suorũ delictorum. Hoc explanatius ostendens, apponit:

Et humiliabitur iuxta dies infantiæ suæ: & iuxta dies ascensionis de terra Aegypti: & erit in die illa, ait dominus, vocabit me vir meus: & non vocabit me vltrà Baalim: & auferam nomina Baalim de ore eius: & non recordabitur vltrà nominis eorum.

Non Assyrijs secus, inquit, seruient, atq; Aegyptijs seruierunt: eius infantiam vocat in Aegypto diuersationem, & vitæ exactionem in seruitute. Attamen seruitus eis bono erit, & plane pietatis erit conciliatricula: etenim idola colere obliuiscetur in captiuitate: metum virum, & coniugem nominabit: cuius animi factam mutationem videns,

Disponam eis testamentum in die illa cum bestijs agri, & cum volatilibus cœli, & cum reptilibus terræ.

Docet, vt non de bestijs, & volucribus loquitur, sed de efferatis hominibus in omnia inuolantibus, more volatiliũ, & venenatorum serpentum similibus. Cùm induxit:

Et arcum, & gladium, & bellum conteram de terra.

Deinde pollicetur eis æterna bona:

Et habitare eos faciam in spe.

De hac spe beatus Paulus loquitur: Spe enim, inquit, salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes, nã quod videt quis, quid sperat? si autem, quod non videmus, speramus, per patientiã expectamns. Quòd de hac loquitur, & non de alia, ea quæ sequuntur, testantur:

Et sponsabo te mihi in æternum in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus.

Quòd Iudæorum synagogam non in æternum sponsauit, sed ex Iudæis & gentibus collectam ecclesiam, res ipsę testantur. Illa enim perijt, & proiecta est: hęc cum sponso coniuncta, expectat bona ęterna. Eam sponsauit, non in iustitia modo, & iudicio, sed in misericordia & miserationibus. Iustitia porrò, & iudicio in tyrannum vtens, misericordia & miserationibus in eos, qui tyranno seruire coacti sunt. Iam vero, quoniam cõuenientissimum est misericordiam assequutis aliquo munere remunerari conseruatorẽ misericordiæ auctorem, subiunxit:

Et sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego dominus.

Simul enim vt ad Christianismum adeunt, statim eos solam fidem reposcimus: nam iustitia sunt destituti, & vacui: eam autem suscipiunt per lauacrum regenerationis à Deo saluatore. Fidem possidens, in Dei notionẽ venit. Post præsignificationem æternorũ bonorum prędicit eis corporea dona: etenim cùm essent terreni, & humi defixi, stratique, his magis, quàm illis dabant operam: ex superiore loco adpromittit se suppeditaturum pluuiã, & elaboraturum, vt terra bona producat, cùm ait:

Exaudiam cœlum, cœlum exaudiet terram, & terra exaudiet frumentum, vinum, & oleum, & hæc exaudient Iezrael:

Deinde rursus immiscet spiritualia:

Et seminabo eam mihi super terram.

Hoc est: eam agricolam meam efficiam, & iustitiam seram.

Et miserebor eius, quæ fuit absque misericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu: & ipse dicet, dominus Deus meus es tu.

Hæc typice & adumbrate sub Zorobabel acciderunt: expresse vero, & veritate ipsa, vbi Christus se hominem fecit: cùm sibi ecclesiam despondit in æternum: tum qui in eũ crediderunt, populus fidelis vere extiterunt, ipse vero eorum, qui ex animo crediderunt, vocatus fuit Deus, post bonorum promissa & sponsiones. Rursus Deus prophetam hortatur, vt mulierem adulteram, & in scelcribus versantem diligat, vt iterum per res ostendat imaginem, & effigiem summi erga indignos diuini amoris.

Cap. III. *Sicut diligit dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & amant cocliones cum vinacijs.*

Homines idolis dedicati eiusmodi quædã erant conficere soliti. Propheta vero protinus imperatum perfecit, ac quam mercedem mulieri pollicitus fuerit, exponit: & quas cum ea pactiones confecerit. Et dixi ei, inquit, omnẽ aliam à me societatem fugeret, mihi vni se integram seruaret: ostendit postea imaginis exemplar:

Quia diebus multis sedebunt filij Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine manifestationibus, quæ Græce dicuntur δήλοι.

Nam, inquit, vt hæc cum prioribus amatoribus diuortium faciens, hospitiumq; renuncians, societate prophetæ & hospitio vti voluit: sic vos abducti & abstracti captiui in terram alienam, non à regibus, neque à sacerdotibus curabimini. Cùm non erit altare, quæ sacra obiri, & confici poterunt? neq; per sacerdotes, aut prophetas ostendi, & præsignificari peccantibus solita erunt, vnde quid agendum, non præmonstrabitur, omnique penè eorum curatione vacabo. Cùm videlicet non aperte meam in eos curationem profitebor, atque præ me feram. Idcirco propheta simul cum muliere, in nefarijs facinoribus versante, habitabat quidem, vt dominus iusserat: veruntamen matrimonij consuetudine non vtebatur: ex quo fit quòd dominus non penitus sua prouidentia populum spoliauit, neque tamen planam hanc populo faciebat. δήλωσις, diuinas prædictiones nominauit, & quòd summus sacerdos rationali iudicij πρὸς δήλωσιν, id est, ostentum accipiebat, & veritatem: & quòd per quasdam significationes in illo factas futura prædicebat, vnde magnus Moses sacræ tribui benedicẽs, inquit: Date δήλωσιν τῷ Λευΐ. Vt vero tristia vaticinatus est permiste cũ his implicat & vtilia.

Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent dominum Deum suum, & Dauid regem suum, & stupebunt ad dominum, & super bonis eius in nouissimo die.

Nam cùm decem tribus, quæ à regibus profectis à Dauid defecerãt, proprium regem sibi elegissent, post ex Babylone reuersionem coniunctę, & coactæ, vnum habuerunt ducem Zorobabel, ex Dauidica tribu procreatum, ex quo diuinitus bonorum datorum fructum ceperunt. Hæc omnia priusquam fierent, planè sciens, prophetica voce prænunciat: In nouissimo die, id est, post exactionem, & finem septuaginta annorum captiuitatis. Cùm bona sic præsignificauit, rursus in scelera commissa accusationem instituit: Veritate, inquit, & misericordia priuabimini, Dei notione destituti, multum apud vos viget mendacium, impune cædes fit: aliena expetentes in vestram rem conuertitis: vxoribus alter alterius insidiamini. Itaque quoniam omnis terra vestra his scelcribus redundat, tantam hostium multitudinem immittam in vos, vt funditus pereant, non solum in bonorũ redundantia viuentes, ferarum, & volatilium more, & serpentum in pauperes inuadentes, & veluti quibusdã alis suo robore & potentia vtentes: verumetiam omnes alij, qui vt pisces nauigant in vitæ pelago. Tropice & per figuram reptilia & volatilia potentes prędixit, pisces vero inopes homines appellauit. Cùm id fiet, terra iudicãtibus, & in ius vocantibus destituta erit.

Cap. IIII. *Populus autem meus quasi sacerdos cui contradicitur: & infirmabitur per diem, & infirmabitur propheta tecum.*

Sacerdoti reprobato, & qui ex sua dignitate excidit, similes eritis, mea prouidentia deserti, denudati, ac per multos dies in hanc meam disciplinam trademini, vnà cum vestris prophetis mendacia enunciantibus. Propheram vocat pseudoprophetam à consuetudine, quæ apud eos inualuerat.

Nocti assimilaui matrem tuam.

Docet quam matrem vocat, & assimilatus est populus meus quasi scientiam non habens. Nam cùm in tenebras ignorantiæ seipsos tradidissent, vt ne exiguam quidem lucem lumini ad Dei notionẽ perducentis susciperc vellent, proprie comparantur nocti tali caligine oppressi. Matrem vocat synagogam, populum vero vocat ex hac profectos, hoc etiam apud
Esa. 50. Esaiam inuenimus: Quis est hic liber repudij matris meæ?

Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & quoniam oblita es legis Dei tui, & ego obliuiscar filiorum tuorum.

Explicatius ostendit suam benignitatem & eorum animum ingratum, secundum multitudinem eorũ peccauerunt mihi, id est: ego eos, vt quàm plurimi essent effeci: illi vero in me peccare perseuerauerunt, quare eorum gloriam in ignominiam conuertam.

Peccata populi mei comedent: & in iniquitatibus eorum accipient animas eorum.

Id est, Metent quæ seuerunt, & suorum peccatorum fructum vindemiabunt. Quidam dicunt per hæc designari sacerdotes, qui cùm ex sa-

ex sacrificijs oblatis pro peccatis certam quandam portionem secundum legem acciperẽt, hoc beneficio constricti peruersè, & sceleratè viuentes, accusare nolebant: quamobrem offensus Dominus, ait, Quoniam in sacrificijs pro peccatis oblatis delicatè, dissolutè, & indulgenter versamini, & congruã curationem labentibus non admouetis, horũ delictorum, & iniustitiarum pœnas dabitis, alienis gentibus ad cædem vestrã traditi. Hoc docet manifestius, cùm adiungit:

Et erit sicut populus, sic & sacerdos.

Id est, Similiter vt populus pœnam vestri sceleris sufferetis, quia populi curationẽ cùm recepissetis, in summa inertia vitam traducentes, omnem male habentium curam abiecistis. Quare ait:

Et vlciscar super eum vias eius: & cogitationes illius reddam ei.

Non solum pro iniquis operibus, sed & cogitationibus malis pœnas sumam.

Et comedent, & non implebuntur.

Exaggerata, inquit, in eos inducam mala, quemadmodum panis satietate affectis plura apponuntur esculenta. Rursus eorum iniquitates commemorat, eorum vinolentiam crimi nans, & idolorum cultum, quem vocat fornicationem. Huc accedit ridicula vaticinatio, docens vt profitentibus se vaticinari dederunt operam responsum qualecunque dantibus.

In augurijs, inquit, interrogabant, & in virgis suis annunciabant ei.

Etenim, inquit, nonnulli per auguria & significationes quasdam agenda noscere exquirebant, alij virgis quibusdam fraudis adiutricibus vsi, quę volebant, enunciabant. Hęc per se audebant, quòd sententiam animi sui forni catoriam posiderent. Spiritum fornicationis vocat appetitum, & studium in eiusmodi fornicationem, dilucidiusque docuit, quam fornicationem appellaret, cùm subiunxit:

Et fornicati sunt à Domino.

Ac modum ostendit:

Super verticem montium sacrificabant, & super colles immolabãt sub quercu, & populo, & arbore vmbrosa: quia bonum erat vmbraculum.

Oblectantes enim se arboribus vmbrosis, non harum creatorem venerabantur: at loco Dei conditoris his sacrificia afferebant. Quocirca, inquit, nullã de vobis curationem suscipiam, neque de filijs vestris, neque de sponsis propalam adulteratis ab inuadẽtibus vos, quæ obscure, & occulte apud vos intentata sunt, hoc palam fieri permittam. Hoc enim ostendit, cùm dixit:

Quoniam ipsi cum meretricibus miscebantur: & cum initiatis immolabant: & populus non intelligens adhærebat meretrici.

Fornicationem interdum appellat procliuitatem ad Venerem: interdum impietatem. Initiatos vocat sacris impietatis deuotos, ac dedicatos. Nã vt nos diuinis mysterijs ornatos fideles vocamus, ita Græci τετελεσμένους, id est, initiatos nominauer ũt exactius ad suam impietatem institutos. Ipsis cùm minatus est, rursus eis consolationem adhibet:

Tu autem Israel ne ignores, & Iuda nolite ingredi in Galgala, ne ascendatis in domum ὦν: & ne iuretis viuentem dominum. בֵּית אָוֶן

Τὸ ὦν, est nomen idoli in Bethel, nõ vt quidam opinati sunt, sempiternũ significat, hoc est, existentem, sed Hebraicum est non Græcum nomen. Hoc planè nos docuerunt cùm pleriq; alij linguę Hebraicæ interpretes, tum Aquila & Theodotio, Domum inutilem interpretati sunt. Symmachus domum iniquitatis: quòd vtrunq; in hanc rem conuenit. Nam qui illic præfuerunt, nullum modo quæsitum fecerunt, sed etiam inde magnum damnum, & detrimentum acceperunt iniqui, ingrati erga suum benefactorem effecti. Galgala vrbs est multis dedicata ac deuota idolis, vbi Iesus filius Naue non circuncisos populi cultris lapideis circuncidit: in hac eadem duodecim lapides reposuit, quos ex medio Iordani alueo accipiendos iusserat dominus, vt beneficij accepti essent monumentum: atque per hos lapides posterinoscerẽt, vt siccato alueo, populus vtens flumen transmisisset. Maxime ingrati animi signum est vrbem illam, in qua tanta diuinæ benignitatis monumenta accepissent, impietatis esse factam metropolim. Hoc autem, ne iuretis dominum viuentem, non abs re vetat: sed propterea, quòd qui τῷ ὦν adhæserunt, per hoc idolum iurabant, & vjuẽtem dominum id vocabant. Hoc aliũde licet cognoscere: Si absturleris, inquit, Baalim de ore tuo, & nominaueris, viuat dominus cum veritate. Hoc est, Si idolorum deposueris memoriam, & mihi colendo dederis operam, & viuentem dominum me appellans iuraueris in veritatis honorem, & mendacij detestationem. *Iosue. 5.* *Iosue. 4.*

Quoniam, sicut vacca a stilo percussa, insaniuit Israel: nunc pascet eos dominus sicut agnum in spacioso.

Oestrus siue asilus vulgò tabanus, musca quædam est vaccis infestissima, cuius morsus tanto sensu doloris existit, vt vaccæ, quibus admoti fuerint eius stimuli, non voce bubulci reuocari possint, neque cum reliquis vaccis compascant, sed interdum præcipites agantur. Ijs, inquit, assimilis est Ephraim quæ idolorum colendorum œstrum suscepit. Ephraim decẽ tribus, vt supra diximus, nominat. Eos à me etsi ita abhorrentes, tamen non sine cura pastoritia relinquam, sed per me captiuos factos longe lateque dispergam, vt ab agno errante, & vbera matris requirente nihil differant. Hęc perpetietur Ephraim, quòd vitulos reliquaq; idola tanquam impedimenta offensionis plena, & laqueos sibi proponens Cananæorum impietatẽ sit imitata, superbiaque contra me vtens idolorum obseruantiam mei cultui, & veneration i antetulit.

Dilexerunt ignominiam ex fremitu eius.

Sed ob id ipsum

Turbo spiritus sibilabit in alis eius.

Vt alarum commotione aerem aues cum sono quodam dissecant: hęc ita, veluti alata, in alienam

alienam terram arripietur, tanquam turbine iræ meæ subtrahente eam, illicque commorari cogente, hæc perpetietur ex idolorum altaribus fructus percipiens. Ita vos sacerdotes has minas attendite, omnisque populus, & in aulis principum vitam agentes attentis animis Osee dicta excipite.

Cap. v. *Ad vos enim est iudicium, quia laqueus factus est speculationi, & sicut rete expansum super Itabyrium, quod qui capiunt, venationem confixerunt.*

Omnes vos in iudicium meum adducam, nam omnes mille mala in meos prophetas intendistis, inflixistisque: & in sidias vestras tanquam retia quędam contra eos explicastis: nec aliter, quàm qui in Itabyrio mõte, venationis varietate pleno, venandi instrumenta defigũt: insidiarum machinas molimini, & consuitis in prophetas, vestræ salutis causa à me missos. Speculationem prophetarum, collegium & concilium vocat. Ezechieli dixit: Speculatorem dedi te domui Israel. Eam ob rem dicit, Ephraim & Israel, id est, omni populo correctionem afferam. *Ezech. 3.*

Etenim fornicatus est, & commaculatus, & defecit à meo cultu: & non dederunt cogitationes suas, vt reuerterentur ad dominum Deum suum: quia spiritus fornicationis est in eis, dominum autem non cognouerunt.

Nam cùm rationibus absurdis vterentur, à vera Dei notione aberrauerunt, ac ad idola curanda se dederunt: quo fit, vt pro hac contumelia pœnas Deo persoluturi sint palam videntes qui pietatis fructus.

Hoc enim dixit in faciẽ eius, Israel & Ephraim infirmabuntur in iniquitatibus suis, infirmabitur Iudas cum eis.

Quia decem tribus priores mancipatæ, & in seruitutem adductæ fuerunt, iure prius earum meminit, Israel eas appellãs & Ephraim. Iuda vero accommodate posuit extremum, quoniam post illos seruitutem sustinuit. Pòst docet, vt eodem modo vitulis & ouibus acceptis sacra conficiant: Perquirentes dominum, & non inuenient eum, nam declinauit ab illis. Et causam ostendit, cùm subiunxit

Quia dominum reliquerunt.

Quòd illegitime ex mulieribus externis, quas acceperãt, liberos suscepuerunt: hoc enim explicauit, cùm dixit:

Quia filios alienos genuerunt sibi, nunc deuorabit eos rubigo, & cleros eorum.

Vitium id, quod ex cœli intemperantia terræ frugibus accidit, rubiginem vocat: tropice vero & adumbrate hostes, rubiginis more, omnes corrumpentes. Hoc lucidius interpretatur, cum adiungit:

Clãgite tuba super colles, sonate super excelsa, prædicate in domo ὦν, mente excidit Beniamin, Ephraim in desolatione factus est in diebus correptionis, in tribus Israel ostendit fidelia.

Hæc omnia eis per prophetas præsignificanti mihi fides non habetur: verum habebitur post pericula rerum, iniquitates, & scelera corrigens, prophetæ prædictionem veram ostendam. Scitè ridet, & pulchre ludit idolorũ infirmitatem: Clangite, inquit, in domo ὦν, excitate in auxilium eos, quibus honorem habetis: cessare faciant, quas castigationes vobis infero. Comprehendite editissimos colles, in quibus omni cultu idola curastis, impartiant vobis temporibus necessarijs suũ subsidium. Cęterum probe de Beniamin mentionem fecit, quoniam contingit memoriam Iuda.

Facti sunt principes Iuda, quasi transferentes terminos: super eos effundam impetum meum sicut aquam.

Nam perinde legibus meis impudẽter præuaricantur, ac qui turpiter finitores lapides, agrum ab agro diuidentes, loco mouere ac transferre aggrediuntur. Quamobrem instar torrentis pœnarum aceruos in eos exaggerabo. Cùm Beniamin commemorat, patet quod tribum Iuda complectitur. Rursus cùm Iuda accusat, Beniamin similiter coniungit: nam sub vno regno vixerunt. Eodem modo cùm Ephraim dicit, decem tribus Israelis nominat, cumq; Israel commemorat, hoc idem significat.

Oppressit Ephraim aduersarium suum: conculcauit iudicium, quia cœpit abire post vana.

Quòd idolorum obseruans fuerit, inquit, causa eius iniurię extitit, si quidem notionem mei habuisset, ex meis legibus ad honestũ decorumque institutus fuisset.

Et ego quasi conturbatio Ephraim & quasi stimulus domui Iuda.

Hoc est, Hostium conturbationem in eos inferam, & tanquam stimulo quodã pungam, & stimulum, videlicet vltionem, per hostes eis admouebo.

Et vidit Ephraim infirmitatem suam, & Iudas dolorem suum.

Nam ex periculo malorum causam didicit.

Et abijt Ephraim ad Assyrios.

Nam cùm Syri ei bellum intulissent, Phoa regem Assyriorum in suum subsidium accersiuit.

Et misit legatos ad regem Iarim, & ipse non potuit liberare vos, nec cessare faciet à vobis dolorem.

Cùm rursus Assyrij bellum contra vos suscipient, de auxilio petendo legatos mittetis ab Iarib regem Aegypti, vnde tamen non mittetur vobis subsidio, vt liberari possitis, sed dolorum aceruo cumulabimini. Quod autem Iarib rex esset Aegypti, ex his quæ sequũtur, facile cognoscitur. Erat Ephraim quasi columba insipiens, non habens cor, Aegyptũ inuocabit, & in Assyrios abierunt. Nam cùm à me peti oporteret auxilium, quod satis est ad eum defendendum, & est ei vicinum proximum: huc illuc circumreges externos non cessat concursare, & tamen ea auxilia, quæ petit, nulli erunt ei adiumento.

Quia ego sum, inquit, quasi panther Ephraim, & quasi leo in domo Iuda: & ego rapiam & vadam, & tollam: & non erit, qui eruat.

Nam quis in eis factis se opponere posset, quis eos, qui à me plectuntur, liberabit?

Ibo & reuertar in locum meum, donec dispereant.

Perstitit in comparatione, cùm inquit, vt pan-

panther,& leo eis ero: appoſite adiunxit,Reuertar in locum meum,donec diſpereãt:quoniam mos eſt his feris,cùm quiddã venatę fuerint,in priſtina loca redire,ibiq́ue ſe recreare à labore,quẽ ex venatione ſuſceperint.Ego, inquit, more pantheris & leonis, per hoſtes vbi vobis bellũ intulerim,apud me in reliquũ ero,nullam pro vobis curam ſuſcipiam. Cùm hæc,inquit,fient, meam curationem requirẽt: inter ſeſe adhortabuntur ad ſupplicationes, mihi correctiones inducent faciendas, vt eorum vulneribus commodam medicinam adhibeam.

Cap. VI. *Quia ipſe verberauit,& ſanabit nos: percutiet,& curabit nos.*

Et compendium medicinæ oſtendens ſanabit nos.

Poſt duos dies, in tertio reſurgemus.

Non enim temporis ambitu indiget, ſed multiplicem ſanitatem afferet. Per hæc deſignat,poſt tres dies factam conſeruatoris reſurrectionem quæ publicam reſurrectionẽ conciliauit, omnibusq́ue nobis ſpem immortalitatis dedit ingeneratam ex Dei cognitione. In tertio,inquit, die reſurgemus, & viuemus
1. Cor. 13. coram eo, & cognoſcemus. Poſt inquit reſurrectionem Apoſtolus cognoſcam, ſicut & cognitus ſum: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Tunc, inquit, rerum notionem ſuſcipiemus, nunc perſequemur vt cognoſcamus dominũ. Studioſe, inquit, & promptè requiremus.

Nam quaſi mane paratum inuenietur eum.

Nam vt diluculũm noctis tenebras diſſoluit, ſic ipſe in nos intentata pericula repellet, & ſuæ prouidentiæ radios nobis afferet.

Et veniet nobis quaſi pluuia temporanea,& ſerotina terræ.

Omnium bonorum copiam nobis faciet poſt in melius conuerſionem,& mutationem, tanquam pater quiſpiam liberorum amantiſſimus ad eos verba facit.

Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? miſericordia autem veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.

Ego,inquit,omni miſericordia commoueri in vos cupio: & veſtra pœnitentia ad tempus fit, & parum diu permanet, rori exiguo perſimilis, qui facile à ſole exhauritur,& nebulę quę mane proſpicitur, & à ſolis radijs diſſipatur.Pœnitentia meritur miſericordia, attamen omni cura vos proſequi perſeueraui ſic affectos, vt mortis auctores meorum ſitis prophetarum: nam ad vos inſtituendos eos mittens, eis mortem à vobis conciliaui. Hæc oſtendit,cùm dixit:

Propterea ſuccidi prophetas veſtros, occidi eos in verbo oris mei, & iudicium tuum quaſi lux egredietur.

Nam etſi omnes prophetas tollatis de medio, non tamen prophetiam oſtendere falſam poteritis: nam tanquam lumen quoddam veritatem eius oſtendam.

Quia miſericordiam volo,& non ſacrificium: ſcientiã Dei magis quàm holocauſta: ipſi vero ſunt, ſicut homo prætereuns teſtamentum, ibi enim contempſit me.

Sacrificijs, inquit, quanuis non egeo, ſuſcipio tamen veſtræ mẽtis infirmitati aſſeruiens. Hæc duo expecto, erga me amorem, ergaq́ue proximum dilectionem. Hæc duo prima poſui, cùm leges ponerem: Diliges dominum Exod.20.
Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,& ex tota mente tua,& ex totis viribus tuis: & diliges proximum tuũ ſicut teipſum. Atqui hæc cùm lege ſanxiſſem,vos ſimiles facti eſtis homini, qui frangit pactiones, quas cum quopiam feciſſet.Similiter hi patientiam meam contemnentes, leges eis impoſitas violauerunt.

Contempſit me Galgala ciuitas, quæ operatur vana: et conturbat aquam,& fortitudo tua viri piratæ.

Huius vrbis etiam ſuprà mentionem fecit, vt idolis dedicatæ, & multos ad impietatem prouocantis, & conturbare eos aquam, inquit,quæ nimirum Dei notionem puram ſordibus inficit: piratæ eorum fortitudinẽ comparat, quòd præſtigiarum plenis machinationibus,& fallacijs quibuſdam idola moueri facerent. Etenim vt piraticam facientes,occultè nauticam rem exercentes adoriuntur: ſimiliter idolorum curatores,& cultores nõ aperte valentes iſtorum vim,& efficaciam demonſtrare, tanquam machinis quibuſdam admotis inſipientes inducunt, fallunt. Cùm autem par eſſet, vt Dei ſacerdotes libere reprehenderent,impietatem temere admiſſam ſilentio præteribant,impiorum timẽtes inſaniam.Iuſtis igitur de cauſis eos accuſat,dicens:

Abſconderunt ſacerdotes viam Dominiinterfecerunt Sicema, quia iniquitatem operati ſunt in domo Iſrael:vidi horribilia,ibi fornicationem Ephraim: contaminatus eſt Iſrael,& Iuda dimiſit meſſem ſuam.

Quod propheta ait, eiuſmodi eſt: Leui ſacerdotum primus, Symeone collega, & adiu- Gen.24.
tore vſus,Sicemitarum vrbem funditus deleuit,pœnam ſumens pro ſtupro ſorori illato,de his qui tale facinus in ſe admiſiſſent. Increpat propheta ſacerdotes,quòd ab illis profecti & procreati,illos, inquit,non æmulati eſtis:illi enim ſororem iniuria affectam vlti ſunt, & pro domo paterna vehementer propugnauerunt: vos omnibus ſceleribus vltione dignis diffluentes, ne accuſare quidem in me commiſſa facinora curaſtis. Quin cùm videretis horribilia illa, & metuenda nefaria ſcelera non ab vno admiſſa, ſed ab omni Ephraim & Iuda, perpetuo ſilentio tranſiſtis.Quod vero ſceleratiſsimum eſt,eo tẽpore cùm metendi eſſent, & percipiendi diuinorum promiſſorum fructus, tum meſſem non collectam reliquit, at otio & inertia poſthabita à Iuda

Incipe vindemiam tuam, cùm conuertero captiuitatem populi mei: cùm ſanare vellem Iſrael.

Quoniam,inquit,antequam mala tentaſſes, & periclitatus fuiſſes,iuſtitiæ fructus percipere noluiſti,nunc poſt periclitationem,poſtque à captiuitate reditum legitime viue, fructusque inde prouenientes decerpe, commode dixit: Incipe vindemiare tibi: nam Deo nihil donamus, cùm iuſte viuimus, ſed nobis ipſis inde bona conciliamus.

Cap. VII. *Et reuelabitur iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ,quia operati ſunt mendacium.*

Manifeſta omnibus iniquitas eius fiet ob acceptam vltionem.

Et fur ad eum ingredietur, ſpoliãs latro in via eius.

Poſtquam verum Deum cognoſcere neglexerũt, & idolorum erroribus ſe aſtrinxerunt, hoſtes latronum in modum eos inuadentes, nonnulla incendent, quædam depopulabuntur, alia abigent, bonisq́ue omnibus eos ſpoliabunt.

Vt concinant quaſi canentes in cordibus ſuis.

Hæc cùm fient,lamẽtabuntur aſsiduò,prementur mœrore, neque tamen voce lamenta edent,ſed ſecum taciti in animo fletus,gemitusq́ue facient.

Omnes malitias eorum recordatus ſum: nunc circundederunt eos cogitationes ſuæ, contra faciem meam factæ ſunt.

Diutiſsime, inquit, magno animo perpeſſus ſum,quaſi non viſus videre eorum facinora: nunc aperte ipſa perſpiciens, vltionem de his accipiendam cenſeo. Quare beatus Dauid exclamat: Auerte faciem tuam à peccatis meis. Cogitationes Aquila,& Symmachus excogitationes & ſtudia interpretati ſunt, quòd idem penè ſignificant. Septuaginta primam animi motionem, cogitationes poſuerunt: Aquila & Symmachus ex his profecta ſtudia, & opera.

In malitijs lætificauerunt reges,& in mẽdacijs ſuis principes.

Nam procliues & prompti ad perniciem facti, propter ſuam iniquitatem, & nequitiam, gaudio,& lętitia eos,qui ſe viciſſent,perfuderunt.

Omnes adulterantes quaſi clibanus ardens ad coquendum.

Omnes, inquit, perditi & diſſoluti animi incendio flagrantes,ſimiles ſunt ignito,ac incenſo clibano, prompto ad excipiendum fermentum, paratum ad panis confectionem.

In deuſtionem flammæ.

Id eſt, libidinum ignis hoſtilem flammam in eas inferet.

A commiſtione fermenti, donec fermentaretur totum, dies regum veſtrorum.

Nam vt fermentum commiſtam & dilutam farinam cõuertit in ſuam naturam: ita impietatis fermentum,à Hieroboam primo rege veſtro importatum vobis, & his qui poſt tempus reges veſtri fuerunt, impietatis omnes participes fecit in reliquum tempus regnantes. Accuſat præterea principes vinolentia gaudentes, ex vino flagrantes in iram, atq; munerum corruptelis vtentes, ac malos viros cum ſcelerum autoribus viuentes:hos enim vocat peſtes,nimirum perniciei,& corruptionis autores: Vt peſtis contagio ſi quippiam contigerit,accedẽtes ad ſe, & propinquos corrumpit: ſic in ſceleribus verſantes familiaribus perniciem inferunt: nam eorum punt bonos mores, vſus,ſocietatesq́; malæ. Docet inſuper vt nocte inſidias aſsidue machinantes de die, ignis more, à ſe iniuria affectos perdiderunt. Ceterum illud, Cùm præcipitarentur nocte, omnes interpretes concorditer, Inſidiarẽtur, interpretati ſunt. Verum pro his omnibus malis dabunt pœnas.

Ignis enim deuorabit iudices ſuos: omnes reges eorum ceciderũt:& quod eſt omnium malorum fundamentum,non fuit in eis,qui inuocaret me.

Præterita dixit, futura oſtendens, vt omni ex parte hæc efficientur, nihilq́ue prohibebit prædictionis excurſum. Hoc etiam apud alios prophetas inuenimus proprium. Etenim Eſa- Eſa.53.
ias exclamat: Sicut ouis ad occiſionem ductus fuit. Et,Iudicium ſublatum eius eſt. Vidimus eum,& non habebat ſpeciem,neque formam. Pro eo videbimus, auferetur, ducetur. Item, Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Eſai.9.
Pro eo, naſcetur,& dabitur. Poſtea in ſecundam accuſationem conuertit ſermonem:

Ephraim populis ſuis commiſcebatur.

Id quod manifeſtum & certum delictum erat, quod etiam beatus Dauid damnat: Immiſcuerunt ſe cum gentibus,& didicerunt opera eorum.

Ephraim factus eſt ſubcinericius, qui non reuerſatur.

Malitiæ immoratus eſt,& perſtitit,nullamq́ue mutationem fecit in melius: ſicut panis ſubcinericius in vnam partem incumbens in igne exiſtit, & aduritur.

Comederunt alieni fortitudinem eius,ipſe vero neſciuit.

Sed,inquit,tot malis incumbentibus,ignorat corrigentem Deum.

Et cani efflorũerunt ei,& ipſe ignorauit.

Propterea quòd, inquit, longo tẽpore non inſtitutus fuit ad decorum & honeſtum.

Et humiliabitur contumelia Iſrael in facie eius.

Perſpicietur,inquit,non obſcurè,& cognoſcetur quales impietas parit fructus.

Et non ſunt reuerſi ad dominum Deum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus his: & erat Ephraim quaſi columba inſipiens, non habens cor. Aegyptum inuocauit,& in Aſſyrijs abiuit.

Has à me ſuſtinẽtes correctiones,me nequaquam imploraũerunt, vt impetum malorum in eos inuectorum prohiberem:ſed ad Aſſyrios excurrerunt,cùm à Syrijs bello laceſſerentur, ac rurſus ad Aegyptios, cùm ab Aſſyrijs obſiderentur,columbæ inſipientiã eſſe in ſeipſis demonſtrantes: quemadmodum illa ſuis pullis priuata nõ abſcedit,nec loco mouetur, ſed in eiſdem locis cõmoratur: ſic ij frequentiſsime,cùm interdum ab his,interdum ab illis tollerentur,& in ſeruitutem redigerentur, ad Aſſyrios, & Aegyptios accurrentes, nullum auxilium aſſequuti fuerunt.

Mittam ſuper eos rete meum, vt volatilia cœli detraham illos: corripiam eos in auditu tribulationis eorum.

Primum eos malorum minis & terroribus corripiam, deinde tanquam rete quoddam hoſtium copias immittens, velut aues eos omnes comprehendam: neque tamen interim

ſuæ ſolitæ miſericordiæ immemor eſt, imò præ paterno in filios amore fletum adhibet.

Væ eis, quoniam receſſerunt à me: manifeſti ſunt, quoniam impie egerunt in me.

Poſteaquam miſeros appellauit, vt ingratos & impios factos in ſe, beneficiorum ſuorũ in eos collocatorum memoriam recitat.

Ego vero redemi eos.

Nam Aegyptiaca ſeruitute eos liberaui.

Ipſi vero locuti ſunt contra me mendacium.

Pſal. 77. Eiuſdem rei etiam beatus Dauid eos accuſauit, cùm inducit eos loquentes, quoniã percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: nunquid & panem poterit dare? aut parare menſam populo ſuo?

Et non clamauerunt ad me corde eorum.

Eſa. 29. Eadem per Eſaiam exclamat dicens: Populus hic labijs me orat: corde autem longè abeſt à me. Deinde reprehendit quæ idolorum cauſa perficiebant.

Sed vlulabant in cubilibus ſuis, ſuper tritico, & vino diſſecabantur.

Nam quam promiſſam patribus ſuis terram ſuſceperunt, hanc vocauit cubile, nempe quæ eos à laboribus, quos in deſerto ſumpſerant, refeciſſet: gentilia ſacra confecerunt, & meorum bonorum delitijs diffluentes in idolorum templis appellatas inciſuras ſuis corporibus admouerunt: quamobrem ait, à me corrigentur, quoniam cùm à me accepiſſent potentiam, quam brachium vocat,

Contra me cogitauerunt mala, conuerſi ſunt in nihilum, facti ſunt quaſi arcus non contentus.

Nam quod me reliquiſſent, nullũ auxilium ſuſceperunt, ſed arcui remiſſo, laxato, & non contento ſimiles facti ſunt, qui nullam perniciem hoſtibus inuehit. Quocirca

Principes ipſorum in gladio cadent, propter imperitiam linguæ eorum: ſic eſt ſubſannatio eorum in terra Aegypti.

Cap. VIII. *In gutture eorum quaſi terra inuia, ſicut tuba, ſicut aquila ſuper domum Domini.*

Vt patres ipſorum ſemper refragati ſunt, meamq; poteſtatem aſpernantes, Moſi & Aaron aperte obſtiterũt. quos ad eorum libertatem tuendam miſeram: ſic etiam iſti illorũ immanitatẽ, & inſcitiam imitati, vt terra vaſtata, & inuia efficientur, ſolitudinumq; vaſtitati dabuntur, hoſtium tuba claſsicũ canente, & rege hoſtium inſtar aquilæ in eos inuolante, diuinumq; templum cũ quàm plurimo furore impetente. Quod aũt hoſtium regem vocauerit

Ezech. 17. Aquilam, Ezechielis prophetia idem atteſtatur: Aquila, inquit, grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate venit in clibanum, & cætera. Hæc vero perpetientur

Pro eo, quòd tranſgreſſi ſunt teſtamentum meum, & contra legem meam impie egerunt: quocirca, inquit, propediem me inuocabunt, Deus cognouimus te.

In illorum malorum periclitatione verſantes, tum à me adiumentum requirent. Sed cur hæc perpetiuntur?

Quia Iſrael auerſata eſt bona.

Et cuiuſmodi hęc demonſtrans, ſubiungit.

Inimicum perſecuti ſunt, ex ſemetipſis regnauerunt, & non per me: principes extiterunt, & non indicauerunt mihi.

Etenim cùm mea prouidentia curarentur, omnes hoſtes vincebant: ſed eis tamen iſtud ipſum non perſuadere potui, vt meâ prouidentiam amplecterentur: at regem, Deo inconſulto ſibi fecerunt. Huius vero cauſæ decem tribus accuſat, quæ ſibi Hieroboam regem conſtituerunt, non in conſilium reuocato Deo, an hoc faciendũ eſſet: ſed nemo ex his, qui in aulis verſantur, putet hoc eſſe contra eos, qui illic agunt: non enim ad populum Achiam Si- *3. Reg. 11.*
lonitẽ miſit, ſed ad Hieroboam. Nulla venia digni ſunt ſibi attribuentes regis electionem. Poſtea cùm arguit eos, quòd argentum & aurum, à Deo vniuerſorum acceptum, in idolorum comparationem conſumpſerunt, admonitionem eis adhibet, & eis conſilium affert:

Proijce vitulum tuum Samaria.

Interpoſuit ſequentia:

Concitatus eſt furor meus ſuper eos: vſquequo non potuerunt æmulari in Iſrael.

Subiungit & inducit:

Et hoc artifex fecit, & non eſt deus: quia ſeducens erat vitulus tuus Samaria.

Valde accommodate idolorum infirmitatem riſit, nam materia, & artificio, vt exiſtant, indigent: materiam à terra accipientes, vt lignum, lapidem, aurum, aut argentum, plumbúmue: ſpeciem verò & formam ab arte emendicantes, manu facta ſimulachra animalium faciunt ſibi deos, atq; immoratur in reprehenſione.

Quia corrupta vento ſeminauerunt: & ſubuerſio eorum ſuſcipiet ea: manipulus non habens vires, vt faciat farinam: quod etſi fecerit, alieni comedent eam.

Nullum ait fructum ex idolorum ſeruitute percipi, quorum manipuli, & perceptiones ſimiles ſunt vento corruptis ſpicis, quæ vaginas extrinſecus plenas oſtendunt, frumentum vero intus non habẽt: eiuſmodi eſt idolorum vis, & natura: etenim ſpeciem aut viri, aut mulieris, aut leonis, aut alicuius alius animalis apparentem ab artificio ſuſcipit: robore vero, & efficacia exiſtit vacua. Quocirca, inquit, ſimul cum ſuis obſeruatoribus peribit: nam ſubuerſio ipſorum, inquit, eam ſuſcipiet, atque alieni comedent eam.

Deuoratus eſt Iſrael: nunc factus eſt in nationibus quaſi vas immundũ, quia ipſi aſcenderunt ad Aſſyrios.

Aſſyriorum ſibi auxilia efflagitantes, in ſeruitutem tradentur, nullum Deo ſacrificium conficientes.

Germinauit apud ſemetipſum Ephraim.

Per me cùm excreuiſſet, moreque plantæ germinaſſet, à mei obſeruantia ſeiunxit ſe.

Munera dilexerunt, idcirco tradentur in gentibus.

Non bonis exſaturatus eſt, ſed plus ſemper appetiuit, quare in ſeruitutem redigetur.

Nunc ſuſcipiam eos.

Id eſt, in hoſtium regione.

Et quieſcent parum vt vngant reges & principes.

Itaq; ab alio magis, quàm à me regi volentes, ſub Aſſyriorum ditionem, poteſtatemque ſubiungentur, nec in poſterum ſibi reges eligere poterunt:

Quia multiplicauit Ephraim altaria: in peccatum facta ſunt ei altaria dilecta: ſcribam ei multitudinem.

Iure, ait, ceſſare faciam regnum eius per iniquum, quando per hoc in altarium, quę idolis dedicata ſunt, multitudinem prolapſus eſt, illincque feruenter impietatem hauſit affectus in nefaria altaria. Scribam ei multitudinem, & legitima eius, horum enim altarium multitudinem, atque de his adinuentarum legum, quibus idolorum ſacra obierunt, memoriam funditus ad eorum multiplicem impietatem notandam deſtruam.

Reputata ſunt altaria dilecta.

Hæc, inquit, peruerſa altaria ſummo ſtudio curauerunt: Dei vero altaria, quibus omni cura erat ſeruiendum, & ſummo amore, & ſtudio, tanquam ad alienos quoſdam pertinentia incurata reliquerunt: veruntamen hanc accuſationem non inſtitui, vt ſacrificiorum ab eis indigeam.

Nam ſi immolauerint hoſtias, & comederint carnes, dominus non ſuſcipiet.

Illud verò, comederint carnes, non temere appoſitum eſt. Nam in victimis, quæ non omni ex parte conſumerentur igni, ſoliti erant renunculos, reticula, ſiue fibras iecuſculorum, adipem victimarum ad altare admouere: pectora, & armos dextros ſacerdotibus ad eſum diſtribuere: reliquum quod ex victimis ſupererat, ad arbitrium conſumebatur. Quocirca poſuit, Si immolauerint hoſtias, & comederint carnes, dominus non ſuſcipiet eas: non eget his dominus, ſed animi ſtudium & feruorem exigit. Sacrificia, inquit, Deo ſacrificium laudis.

Nunc recordabitur iniquitates eorum: & vlciſcetur iniuſtitias eorum: & peccata eorum.

His ſimilia ſunt verba Apoſtoli: Ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.

Ipſi in Aegyptum conuerſi ſunt.

Illinc enim ſubſidium petierunt, eodemque periculis, & calamitatibus inſtantibus aufugerũt: inuiti item in Aſſyriorum regionem abducentur, & vitam impure, & iniquè traducent.

Et oblitus eſt Iſrael eum, qui fecit illum: & ædificauerunt delubra: & Iudas multiplicauit vrbes munitas: & emittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit fundamenta eius.

Tum, inquit, condiſcet Iudas vrbibus deſagratis non murorũ robori, ſed mihi confidendum eſſe. Iſrael vero non delubra dæmonibus ſubſtruere, ſed me ex legibus obſeruare.

Noli gaudere Iſrael, et noli lætari ſicut populi: quia fornicatus es à domino Deo tuo.

Neque, inquit, conuenit tibi ſimiliter gaudere atq; alijs gentibus: illę enim nullam doctrinam per prophetas acceperunt: tu aſsidua horum conſuetudine diffluens, nullam vtilitatem ab his reportaſti: ſed bonorum, quę tibi à me ſuppeditantur, dæmonibus decimas obtuliſti. Hoc explicauit cùm dixit,

Dilexiſti munera ſuper omnem aream tritici, aream, & torcular non cognouit eos, et vinum mentitum eſt illis.

Spoliabo vos bonis, quæ vobis ſuppeditare ſolitus ſum.

Non habitauerunt in terra Domini.

Etenim non vt in terra Deo dedicata vixerunt, ſed iniquitatibus plenam vitam egerunt.

Habitauit Ephraim in Aegypto.

Aegyptiorum inſtituta, conſuetudinemque viuendi ambitioſiſsimè æmulata eſt.

Et in Aſſyrijs immundum comedit.

Quando in terra promiſsionis iniquitatem amplexi ſunt, inique in Aſſyriorum regione viuentes.

Non libauerunt Domino vinum nec placuerunt ei.

Spreuerunt Dei cultum, alioqui accuratiſsimam idolis obſeruandis dantes operam.

Sacrificia eorum quaſi panis luctus eorum: omnes qui manducauerint ea, contaminabuntur.

Quemadmodum lugentibus panis appoſitus eos ipſos lugẽtes propter luctum ad dolorem concitat, & ſimul parentantibus non eſt gratus, ob luctus communionem, ac coacti comedere, ſordes quaſdam illinc contrahere ſe arbitrantur: ita ſacrificia eorum abominationis & odij penitus cumulata ſunt.

Quia panes animarum eorũ non introibunt in domum Domini.

Quæ non cum ſyncero affectu offeruntur, iudex iuſtus non ſuſcipit. Cuiuſmodi fuerunt Caim ſacrificia: cuiuſmodi Eſaias clamat, Ne *Eſa. 1.*
offeratis vltra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Et Micheas propheta: Non eſt mihi voluntas in vobis, & ſacrificium non ſuſcipiam ex manibus veſtris. Mox illis memoriam affert malorum, quæ euentura illis eſſent in captiuitate.

Quid facietis in die conuentus, & in die ſolennitatis Domini?

Coacti ſeruire, & ex legibus alienis vitam agere, non poteritis ſecundum legis Moſaicæ traditionem Domino feſtos dies agere. Pòſt docet, vt fugient in Aegyptum, ac nunc in hanc, nunc illam transferentur vrbem, ſimul eorum argentum conſument, fruſtra regi Aegyptiorum dona afferentes.

Spinas in tabernaculis eorum inuenient.

Hoc eſt, Nullum fructum fructuoſum aut vtilem capient. Damnum & calamitatẽ ex fuga in Aegyptum per hæc deſignauit: eiuſmodi eſt illud: Expectaui vt faceret vuas, & fecit *Eſa. 5.*
labruſcas: id eſt, nullum hinc fructum vtilem ſuſcepi: ſed contrà, omnia mala.

Venerunt dies retributionis tuæ, & affligetur Iſrael ſicut propheta inſaniens, homo qui habebat ſpiritum propter multitudinem iniquitatum tuarum, multiplicata eſt amentia tua.

Quum te iniquitatum fructus breui tempore apprehendent, pſeudopropheræ eris ſimilis à ſpiritu inhabitante deſipienti, huc illucq; circumlato, tanta te de mente deductio com-

prehendet: hanc autem insaniam tibi inferet tuarum iniquitatum multitudo.

Speculator Ephraim cum Deo, propheta laqueus tortuosus super omnes vias eius.

Ezech. 3. Meminisse non alienum est eorum quæ Ezechiel testatur: Speculatorem dedi te domui Israel, dixit illi Dominus: tum hic ad omnem populum alloquitur, tanquam quendam speculatorem & prophetam Dei te constituti vicinis gentibus, vt tua prouisione animi, & secundum legem consuetudine tua viuendi illę me cognoscerent: tu contrà penitus fecisti eis, nimirum tortuosus factus es laqueus, tua impietate idolorum obseruantiam auxisti, neque id in alijs vrbibus modò altaria & delubra idolis excitasti, verum etiam dedicato mi hi templo idolorum simulachra conficienda curasti.

Insaniam in domo Dei confinxerunt, corrupti sunt secundum dies collis.

Ex quo tempore collium studio teneri cœperunt, ibique confectiones sacrorum amauerunt, ex morbo animi laboraverunt: sed horũ quàm celerrime pœnas dabunt. Mox reuocat eos ad memoriam virtutis patrum ad æmulationem eorum commouens.

Sicut vuam in deserto inueni Israel: & sicut ficum in arbore ficus temporaneam vidi patres eorum: ipsi autem ingressi sunt ad Beelphegor: & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles sicut dilecti.

Ac siquis deserto loco, plantisque omnino despoliato vuam inuentam, & ficum præcocem, & temporariam in ficu arbore decerpit: perinde ego cùm olim inter homines in peccatis versantes Abræe virtutem vidissem, eã excerpsi, cum eoque pactiones feci, cumque eius filio, & pronepote. Verum qui ab illo manarunt, nõ illorum imitati sunt virtutem: quanuis enim recens & amplum haberent beneficiorum monumentum, à seruitute liberationem, multiplicia Aegyptiorum flagella, peregrinam & inusitatam maris traiectionẽ, aliaque, quibus vsi sunt, Beelphegor tamen cultum meo cultui anteposuerunt, solam confusionem inde assecuti: quamobrem olim dilecti abominabiles facti sunt.

Ephraim quasi auis auolauit.

Eodem modo in alienam terram traducentur: non enim virtutis diligunt gloriam, sed maxime numerosam prolis seriem arbitrãtur esse gloriam. Nam, inquit,

Gloria ipsorum in partu, & in parturitionibus, & conceptu: quia etiam si enutrierint filios suos, sine filijs erunt in hominibus: quia & væ eis est, quia diuisi eos.

Frustra, inquit, animo elato estis ex filiorũ multitudine. nam impetens hostis desertos filijs, & nudos vos efficiet, cùm mea prouidentia & cura orbati fueritis. Huc accedit,

Caro mea ex eis.

Veruntamen non funditus peribitis vsque dum ex vobis susceperò carnem. Hoc planius nos docet diuinus Paulus his verbis: Nunquam angelos apprehendit, sed semen Abraę apprehendit. Item, Abraæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo, qui est Christus. Et alibi, Ex quibus est Christus, secundum carnem, qui est supra omnia Deus. Mille alia inuenire licet in sacra scriptura. Quoniam, inquit, caro mea, quam sumpturus sum, ex vobis est: non prorsus eos deseram, donec eam susceperò, & vocationi obedientes delegero. Hoc etiam per Esaiam prophetam testatur: Quomodo si inueniatur granum in botro & dicatur, ne dissipes illud, quoniã benedictio est: sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum, & educã de Iacob semen, & de Iuda, & hæreditabunt montẽ sanctum meum. Et paulò infrà, Qui dereliquistis dominum, dabo vos in gladium. Sic filiorum sublationem prædicens demonstrat vltionis iustam causam: nam inquit,

Heb. 2.
Gal. 3.
Rom. 9.
Esa. 65.

Ephraim in venationem & captionẽ filios suos præbuit, & eduxit ad interfectionem.

Dum eos semper idolis mancipat, ac applicat, ob id filios ad cædem dabo, atq; viros steriles præstabo: infœcundasque efficiam mulieres. Hoc perspicuum fecit, cùm dixit,

Da eis domine. Quid dabis eis? vuluam sine filijs, & vbera arentia.

Quando donatis rebus male vsi sunt, iniquitatem eorũ infœcunditate cessare faciam. Mox rursus vbi mentionem fecit de Galgala, ac impietate quæ ibi cõmittitur, & de iniquitate principum ipsorum, subiunxit,

Doluit Ephraim radicem suam, arefactus est, fructum nequaquam affert, quia etsi genuerint, interficiam desiderabilia uteri eorum: repellet eos Deus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.

Radicem vocauit regnum quod radicitus Salmanasar euertit, cùm vastitatem intulit Samariæ. Post huius obsessionem non amplius habuerunt regnum decem tribus. Hoc vero cùm ait, erunt vagi in nationibus, perspicue ostendit dispersionem.

Vitis frondosa Israel, fructus abundans in ea. Cap. X.

A multis prophetis hanc appellationem suscepit Esaias cùm exclamat: Vinea domini exercituum domus Israel est. Et Dauid ante illum, Vineã de Aegypto transtuli. Tum Dominus per Hieremiam, Ego autem plantaui te vineam frugiferam. Tum Christus in euangelijs, Homo quidam plantauit vineam, & locauit eã colonis, & ipse peregre fuit multis temporibus. Hoc loco vitem frondosam vocat Israel, & fructum abundantem, non propter eius pietatem, aliásue virtutes, sed propter procreatorum multitudinem, id quod planum fecit, cùm ait,

Esai. 5.
Psal. 79.
Luc. 20.

Secundum multitudinem fructuum suorum multiplicauit altaria.

Multitudine cumulatius aucti passim altaria idolis locauerunt.

Iuxta bona terræ eorum ædificauerunt titulos.

Bonorum meorum, inquit, defensores cippos & titulos idolis excitauerunt.

Diuiserunt corda sua.

Ne erga illa quidem studium & amorẽ seruauerunt, sed nunc hoc, nunc illud idolum coluerunt: at ego in occisionem, & seruitutem eos

eos tradam, eaque funditus delebo. Pòst eos docet, quibus verbis necesse erit eos vti, cùm se ex malo ad bonum transferent, & resipiscent.

Nunc dicent, non est rex nobis, quia non timuimus Dominum: rex autem quid faciet nobis? loquens verba, occasiones mendaces, disponet testamentum.

Nullum, inquit, à rege subsidium assecuti sumus, ac Deo cùm fidere æquum esset, nos omni procuratione sua curanti, hominis fiducia nixi fuimus mendacia loquentis, speciosas occasiones fingentis, nunc cum his, nunc cum illis fœdera fancientis: atqui, inquit, huius nequitiæ dabitis pœnas: nam

Orietur sicut gramen iudicium super desertũ agri.

Quemadmodum in terra inculta, & illaborata abunde exoritur gramen, nullo interpellante ligone, nullo aratro dissecante, ita facile pœna vobis à me constituetur, quam persoluetis.

Apud vitulum domus ὦρ, morabuntur, qui habitãt in Samaria.

Assidebunt, inquit, idolo auxilium ab eo expetentes.

Quia luxit populus eius super eũ, & sicut irrit auerunt illum, gaudebunt super gloria eius, quia translata est ab eo.

Non, inquit, modo vllum eis auxilium non tulit vitulus hic: verumetiam multas lachrymas eis aduehit, cùm ignominia coopertum eum vident.

Ipsum ligantes, tulerunt munera regi Iarim in domo.

Cùm eius vidissent infirmitatem, conflarunt eum, donoque regi Aegyptiorum attulerunt, ab eo contendentes auxilium, nullum tamen inde impetrant.

Ephraim suscipiet confusionẽ, confundetur in consilio suo.

Eius enim consilia ignorationis plena existunt: cùm ad Deum perfugere conueniret, ab idolis, atque hominibus subsidia petit. Deinde docet, vt Samariæ rex instar ligni combustibilis, quod impetu vehementis aquæ restinguitur, delebitur: vtque altaria idolorum impietatis Israeliticæ inuitamenta à fundamentis demolientur, vt etiam altarium loca spinis plena efficientur: tum magnitudinem calamitatum exprimere volens, subdidit:

Et dicent montibus, operite nos: & collibus, cadite super nos.

Tanta, inquit, erit redundãtia malorum in bello, quod vobis ab hostibꝰ inferetur, vt nemo futurus sit, quin malit obrui aut terra discedente, aut repentino montium casu, quàm mala ab hostibus admissa sustinere. Hæc perpetientur, vt propter insanum in idola studium pœnas persoluãt: nam ex eo tempore, quo collibus, eorumque altaribus dare operam studuerunt, me colere destiterunt, verum nõ amplius ad hos commorabuntur. Nam,

Bellum super filios iniquitatis venit: vt corriperet eos ad arbitrium meum: & congregabuntur super illos populi: quando correpti fuerint in duabus iniquitatibus suis.

Harum duarum iniquitatum alteram, vocat, quòd Deum reliquissent: alteram, quòd non existentia, Deo existẽti antetulissent. Hoc idem per Hieremiam planum facit: Duo mala fecit populus meus: me dereliquerũt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Hier. 2.

Ephraim vitula edocta diligere contentionem.

Vitulæ similis est, quæ susceperе iugum recusans aduersus hoc reluctetur.

Ego autem veniam super pulchritudinem colli eius.

Veruntamen eius collum contumax, & superbum domabo, & mansuefaciam:

Et supponam Ephraim.

Nam eo vectabor, & cõmode ferre docebo.

Et reticebo Iudam.

Assyrijs cum nõ prodam, sed Sennacherim vires consumam, quoniam roboratur Iacob, ac vires ei addit: idcirco à me curatur, quia Iacob virtutem ostendit, ac refert. Per hæc designat Ezechiæ virtutem, per quam omnis populus diuinum auxiliũ consequutus fuit: mox in exhortationem conuertit sermonem: quoniam, inquit, patriam virtutem profitens Iudas, euasit hostibus superior.

Seminate vobis in iustitia, & metite fructum vitæ.

Nam vobis, non Deo semina seminantur, & metuntur.

Illuminate vobis lumen scientiæ.

Prius par est alias virtutes cura præceptas animo esse, pòst diuinorum notionem aggrediendam esse.

Quoniam est tempus quærite dominum, donec veniat fruges iustitiæ vobis.

Tale quiddam est Dauid dictum: Præoccupemus faciem eius in cõfessione. Interea dum nos patientia sua patitur, in meliorẽ rationem commutemus nostrum genus viuendi, vt fructus iustitiæ percipiamus. Psal. 96.

Quid reticetis impietates, & iniquitates eius vindemiastis?

Vos, inquit, qui impie commisistis, pœnitentiæ remedijs curari oportebat, & non tacere, sed confiteri mala, quæ in vos admisistis.

Comedisti fructum mẽdacem: quia speraſti in curribus tuis, in multitudine fortitudinis tuæ.

Fructum mendacem vocat vanam spem: nam cùm multitudini, & curribus confidisses, nullam ex his vtilitatem reportasti. Nam

Consurget perditio in populo tuo, & omnia munita tua delebuntur.

Nullam opem tibi ferente multitudine, nullamque tuitionem tui muris præstantibus.

Sicut princeps Salmana de domo Hieroboam in diebus belli matrem super filios alliserunt: sic faciam vobis domus Israel à facie malitiarum vestrarum.

Plerique dicũt hæc dixisse de quodã principe eo tempore hæc committente & perpetiente: Ego vero existimo de Madian principe dicta fuisse hęc, quẽ vt cepisset, interfecit Gedeon. Illius crudelitatem damnat sacra scriptura. Cuius mentionem fecit Dauid, cùm ait: Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana. Itaque ait: Non secus quàm Salmana funditus perijt, quoniam in diebus Psal. 82.

belli matrem ſuper filios allifiſſet, ſic faciã vo
bis domus Iſrael à facie malitiarũ veſtrarum.
Cap. XI. *Mane proiecti ſunt.*

Cùm expectaſſent ab Aegyptijs ſubſidium, quod illis in tenebris degentibus tanquã diluculum futurum erat: tum in captiuitatem correpti fuerunt.

Sicut mane proiectus eſt ex Iſrael.

Quod breui tempore funditus periret, per hæc deſignauit: nam ad breue tempus durat diluculum, mox exoriens ſol diem infert.

Quia paruulus Iſrael.

Propter inſcitiam, inquit, & puerilem ſenſum hanc ſuſtinent vltionem.

Ego eos ex Aegypto reduxi, & ex acerbiſſima illa ſeruitute liberaui, ipſi contrà in me ingrati facti, idolorum cultum magis amauerunt.

Hęc vocat Baalim: me qui colligaui Ephraim, acerrimoque impetu expediui: & paternum in filios ſtudium erga eum oſtendi, omnis generis curationem & medicinam ei adhibui: agnoſcere noluit, etſi ab omni pernicie hominum inuadentium ſæpe eos liberaui, tanquam quodam vinculo amoris ſtudio in eos conſtrictus, quo etiãnum eos curo, & his correctionibus trado: ſimiliter faciens, ac ſi quis puerum peccantem pugno in maxillas inflicto, corrigeret.

Et reſpiciam ad eũ praualens ei: habitauit Ephraim in Aegypto, & Aſſur ipſe rex eius.

Non enim effugient huius dominatum, mil lies licet in Aegyptum fugiant: cauſa malorum illi extitit,

Quia noluit conuerti.

Quamobrem etſi multitudine, & omni genere armorum vtitur, nihil tamen virile edet: at potius ex malis conſilijs capiet fructũ, longiſſimeque à ſuis terris abducetur, poſtea omnia pretioſa aduerſarijs tradam, & continuo deprimam. Cùm hos terrores eis iniecit, atq; denunciauit, rurſus miſericordibus verbis vſus eſt, ſermocinationis varietate vtilitatem eis architectans.

Quid faciam tibi Ephraim?

Quomodo, inquit, ò Ephraim te ipſo vtor?

Protegam te Iſrael? quid faciam tibi?

Ego, inquit, te defendere ſtudeo, verum non me hæc facere ſinunt tua impia ſcelera: Quare

Sicut Adama ponam te, & ſicut Seboim.

Quæ vnà cum Sodoma & Gomorra deflagratæ ſunt: at vix dum contra eos calculum eduxerat, cùm miſericordia adductus ſententiam reuocat,

Conuerſum eſt cor meum in ipſo: ſimul conturbata eſt pœnitudo mea: non faciam iuxta iram furoris mei, non derelinquam, vt deleatur Ephraim.

Parentes imitatur, qui cùm maximo labore filios ab errore reuocare non poſſunt, natura perturbantur. Hæc loquitur, non quaſi hoc nunc velit, nunc rurſus mutata voluntate nolit: ſed ſermonem ad iram, & miſericordiam, ad vltionem, & miſerationem accommodans, & conformans, ex his terrorem affert, ex illis vero exhortationem adhibet. Hanc Dei miſericordiam beatus Dauid etiã celebrat: Quo- *Pſal. 102.*
modo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus timentibus ſe. Eſaias: Nunquid ob- *Eſa. 49.*
liuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui, dixit dominus. Tum hic ait: Conuerſum cor meum in ipſo, ſimul conturbata eſt pœnitudo mea: non faciam iuxta iram furoris mei, non committam vt deleatur Ephraim.

Quoniam Deus ſum, & non homo, in te ſanctus, & non ingrediar ciuitatem.

Non pariter, inquit, atq; homo iraſcor, neque diutiſſime iniuriarum & malorum memoriam retineo: nam Deus ſanctus ſum, omni ex parte terrenis rebus omnib⁹ ſuperior ſum: nec ſimiliter vt homines habitare anguſte coactus ſum, ſed vbiq; adſum, omnibus adſiſto: & tantam à me miſericordiam aſſequentes,

Poſt, inquit, dominum ambulatis.

Sequentes perpetuo, & omne imperatum facientes. Etenim,

Sicut leo rugiet, & formidabunt filij aquarum.

Tanquam leo rugiens vicina, & rugitum exaudientia, animalia perterrefacit: ſic Dei præpotentis, vobis auxiliari volentis, metus perterrebit hoſtes, more piſciũ ne minimum crepitum ferre valentium, in aquas ſe abdentium. Filios aquarum vocauit piſces, in aquis exigentes vitam. Atque in hunc modum hoſtibus diſſipatis,

Euolabunt quaſi auis ex Aegypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorũ: & collocabo eos in domibus ſuis, dicit dominus.

Perinde cùm cęteræ aues, tum maxime columbæ, facile expeditiſſimo volatu vtentes, in ſuos nidos reuertũtur: ita & vos alios hinc, alios illinc facile reuocabit, & ad receptũ ſui ſoli comparabit. Per hæc ſignificat reditum ſub Zorobabel factum, nam alij ex Babylone reuerterunt, ac vrbem Hieruſalẽ ex Cyri Perſæ lege reædificauerunt: alij etiam in Aegypto diuerſantes, confidentia ducti, redierũt.

Circumdedit me in mendacio Ephraim: & in impietate domus Iſrael & Iuda.

Me, inquit, tanta de eis tuendis cura attingit: ipſi vero contrarijs compenſant, falſam & impiam religionem meæ longe anteponentes.

Nunc cognouit eos dominus, & populus ſanctus vocabitur Dei.

Et tamen cùm exiſtatis tales, mihi curæ erit de vobis, & populum optimo maximo Deo conſecratum efficiam.

Ephraim autem peſſimi ſpiritus plenus, perſecutus eſt æſtum tota die. Cap. XII.

Et docet quem æſtum vocet: ſubdit,

Inania & vana multiplicauit, & teſtamentum cum Aſſyrijs pepigit, & oleũ in Aegypto mercabatur.

Peſſimum ſpiritum vocat malam voluntatem: ſtudium vero circa eſtum, non ſolum infructuoſum, ſed & pernicioſum vocat laborem. Cùm enim, inquit, ego tali animi ſenſu erga vos vſus eſſem impie viuentes, colles, & ſacrificiorum multitudinẽ reſtituerunt. Hæc inania & vana vocauit, quę æſtus inſtar omnes eorum

eorum fructus corrumpunt. Ad hæc cùm à mea curatione defeciſſent, modò Aſſyrium ſibi præeſſe rogarunt, modò ab Aegyptijs ſubſidia petierunt. Cęterum olei mercaturam vocat, ne quis putet ab eo mercaturam damnari. Per hoc ex his alterutrũ deſignauit, vel quòd oleum tanquam donum quoddam regi Aegyptiorum attuliſſent, vel quòd aurum afferentes, ab eo oleum reportaſſent, vt eis auxilio foret rogantes.

Et iudicium domino cũ Iuda, vt vlciſcar Iacob iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei.

In iſta ſic à vobis commiſſa iudiciũ dabo. Iudam iniquitatis reum faciam, ac iuſtam de eo ſententiam feram, quòd auitam virtutem non æmulatus fuerit: at impietate progenitorem contumelia, ac ignominia aſperſerit. Pòſt præclare facta Iacob patriarchæ in medium affert, ex collatione virtutis paternæ, apertius horum redarguens iniquitatem.

In vtero ſupplantauit fratrem ſuum, & in labore ſuo prævaluit Deo: & confortatus eſt cum angelo, & potuit.

Gen. 25. In ipſo dolorum partus tempore plantam fratris tenens, in lucem prodijt, præſignificãs, qualis futurus eſſet, & quòd officioſa fraude tanquam primigenius accepturus eſſet benedictionem. Proceſſu temporis vir factus, adeo virtutis exercitatione excelluit, vt Dei de ſe curationem & prouidentiam conciliauerit: atque cùm ſemel fratris timuiſſet aduentum, Deumque rogaſſet, non modo ab eo auxilium obtinuit, verumetiam nocte viſus eſt ipſe ſibi
Gen. 32. luctari cum Deo, atque victoriam reportare. Quò verò metum ex animo eijceret, cogitare cœpit, cùm ſuperare Deum ſibi viſus fuiſſet, num ab homine vinceretur. Eundem & Deum, & angelum vocauit hoc loco propheta, vtrunque etiam nomen beatus Moſes poſuit. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, &
Eſa. 9. Deus fortis, & magni conſilij angelus ab Eſaia vocatus eſt.

Fleuerunt & deprecati ſunt me, in domo ὦμ inuenerunt me: & ibi dictum eſt ad eos.

Hoc alij interpretes Aquila, Symmachus, & Theodotio, vt de Iacob dictum, poſuerunt, Fleuit & deprecatus eſt me, & in Bethel inuenit me. Nam cùm fugeret Iacob fratris inſidias, atque ad auunculum perfugeret, nomine Laban: vbi in Bethel peruenit, ibi diuinã reuelationem aſſecutus eſt, & diuinas promiſsiones ſuſcepit: Ne timeas, ait, Iacob, quoniam ego tecum ſum: & flens, vt parerat, hæc verba
Gen. 28. fecit: Si mihi dominus dederit panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendũ, & reduxerit me proſperè: erit mihi dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei. Cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Cùm rediens perueniſſet ad locum illum, benefactorẽ laudatione proſequens, dixit: In baculo meo tranGen. 32. ſiui Iordanem, & nunc cum duabus turmis regredior. Hoc Aquila & Symmachus ſua interpretatione expoſuerũt, docẽtes in Bethel, quæ, inquit, nunc idolum nuncupatum ὦμ habet, id à Iacob viſum fuiſſe. Septuaginta interpretes, ſingulari numero ad pluralem trãſlato, ſic intelligenda eſſe nos docẽt. Cùm Iacob vnus ex auis veſtris præcipuus in me talis fuiſſet, cura mea eum proſequutus fui. Vos contrariam viam ingreſsi eſtis, ac cùm pœnitere voluiſſetis, non in templum mihi dedicatum adijſtis, ſed apud idolum ὦμ lamentantes, meum petiuiſtis auxilium. Ego etſi tantum veſtris bacchationibus obſeruatus eſſem, vobis tamen me oſtendi, ac in quibus locis me imploraſtis, ad veſtras implorationes reſpondi. Hoc planè nos docet Amos propheta, qui *Amos 7.*
cùm in Bethel, vbi idolum fuit nomine ὦμ, vehementiſsime & multipliciter prophetam docuiſſet, ei Amaſias Bethel ſacerdos, inquit: Gradere, fuge in terram Iuda, in Bethel non adijcies vltra, vt prophetes, quia ſanctificatio regis eſt.

Dominus autem Deus omnipotens erit memoriale eius: miſericordiam & iudicium cuſtodi: & appropinqua Deo tuo ſemper.

Cùm hunc habeas dominum, qui omnibus dominetur: & robore ſit tanto, quod ſatis ſit ad reſiſtendum omnibus, iugem eius ſemper memoriam tene, iuſtitiam amplectere, humanus ſis in proximum, diuinorũ præceptorum veſtigijs perpetuo inſiſte: ſic enim Deo appropinquans, habebis eum promptum tui propugnatorem.

Chanaan in manu eius ſtatera iniquitatis, opprimere per potentiam dilexit: & dixit Ephraim: verumtamen diues effectus ſum: inueni requiem mihi.

Chanaan vocat Ephraim: ita etiam beatus Ezechiel: Cùm eià Domino imperatum eſſet, vt ad Hieruſalẽ verba faceret, ait: Radix tua, & generatio tua, de terra Chanaan: pater tuus Amorræus, & mater tua Chetæa: ab eis, quorũ imitati ſunt impietatem, ſortiti ſunt nomen. Et tu ò Ephraim imitans malitiam Chanaan, iniquam mentis ſtateram habes: iuſtitiam ſemper vili pendis, iniquam potentiam exoptas, in diuitijs elato ſpiritu es, ac plurimum tibi arrogas in earum rationibus perſcribendis ac conficiendis. Hoc etiam tenendum eſt, Dauid ſtateræ iniquæ facere mentionem his verbis: Mendaces filij hominum in ſtateris, *Pſal. 61.*
vt decipiant ipſi de vanitate in id ipſum. Eiuſdem ſequentia conueniunt cum his quæ dicuntur de Ephraim: Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Vnius ſpiritus & illa, quæ ſunt in fine eiuſdem pſalmi: Quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera ſua. Conueniunt enim hoc loco cum ſequentibus.

Labores eius non inuenientur ei propter iniquitates, in quibus peccauit.

Bonis enim diuitiarum ſpoliabitur, iuſtas pœnas pro iniquitate perſoluens.

Ego autem Dominus Deus tuus eduxi te de terra Aegypti: adhuc habitare te faciã in tabernaculis, ſicut in diebus ſolennitatis.

Quoniam Aegyptiaca ſeruitute liberatus, ad obliuionem beneficij te contuliſti, rurſus habitabis tabernacula, ac diuerſator factus in

terra aliena, recordaberis tabernaculorũ quæ feciſti, cùm in diebus feſtis delitijs diffluxeres, & memoriam habitationis in deſerto celebrares. Solennitatem vocat Scenophegiam.

Et locutus ſum ad prophetas, & ego viſiones multiplicaui, & in manibus prophetarum aſſimilatus ſum.

Iure hanc pœnam ſuffers, qui hanc non extimueris, cùm à prophetis prædictionem acceperiſſes, neq; ſententiam animi tui mutare volueris, potiſſimum prædictionibus non verbis modo, ſed etiam rebus ſignificatis: nam tale quippiam fuit Oſee factum, qui modo meretricem, modo alterã ex Dei imperio ſuſcepit, Dei iuſſa exequens, ac populi iniquitatem redarguens. Præterea oſtendit me varijs reuelationibus vſum fuiſſe, non quod meã naturam oſtẽdam, inuiſibilis enim hæc, ſed quòd ad vſum affingam, & conformem ſpeculationem prophetiæ: neque enim omnibus ſimiliter viſus ſum, ſed aliter Danieli, aliter Ezechieli, ſecus Eſaiæ, ſecus Micheæ, Moſi verò, ac Abraæ ante hunc diuerſe me oſtendi.

Si nõ Galaad eſt: ergo falſi erant principes in Galgala immolantes.

Vos harum viſionum prophetarum potientes ex me, in Galaad, & Galgala idolorum vrbibus cum veſtris principibus ſacradæmonibus facitis: cùm non ab his, ſed ex me beneficia acciperetis. Nam ſi ex Galaad, hoc eſt, ex idolis bono aliquo fruebamini: ergo quẽdam locũ habebat fallacia. Cùm autem donis diffluentes in vrbibus Galaad & Galgala immolatis idolis, veſtri animi ingrati voſmetipſi præcones efficimini.

Et altaria eorum quaſi teſtudines ſuper deſertum agri.

E genere ambigentium animalium teſtudo eſt, cùm in aquis degit, ſæpe ex manibus piſcatorum effugit: in terra vero verſans, promptè, & facilè capi poteſt. Ad huius igitur ſimilitudinem nullo labore capientur altaria, quę dæmonibus coædificaſtis, ac ab hoſtibus euertentur. Tum rurſus auitam & paternam virtutem commemorat.

Et receſſit Iacob in campum Syriæ & ſeruiuit Iſrael in vxore: & in vxore cuſtoduit: & in propheta eduxit dominus Iſrael de Aegypto, & in propheta ſeruatus eſt.

Veſter auus maior, matris conſilium ſecutus, domum paternam ſe relinquere facilè paſſus eſt, atq; externam domeſticæ antetulit, mulieriſq; gratia, ne videlicet duceret Chananæan, ſed ex genere Sem, ſeruitutẽ libertati longè antepoſuit, legemq; de vxoribus à patribus rogatam diligẽtiſſime ſeruauit: quamobrem vſq; ad poſteros ſuos à Deo curatione potitus eſt. Genus illius in ſeruitutem Aegyptiorum redactum, per magnum prophetam Moſen liberauit dominus: atq; tametſi in deſerto verſaretur, illæſum Moſis adminiſtratione conſeruauit.

Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus ſuis, & ſanguis eius ſuper eum veniet: & opprobrium illius reſtituet ei dominus ſuus.

Hic vero, inquit, ex illo genus ſuum ducens in iram me commouet, quòd in omni genere vitiorum verſatur: ſed eorum quę ſeuerit, manipulos mittet, atq; ad proportionem eorum, quæ commiſerit, pœnas perſoluet.

Cùm á me ſumpſiſſet leges. Cap. XIII.

Secundum quas vitam exigi oportuerat.

Idolorum iniquitates pro illis ſtudioſe amplexus eſt.

A quibus pro vita mortem ſuſcepit. Iam vero eius impietatem quotidie augebunt, ex auro, & argento fabricantes diuerſorum animalium ſimulacra, manufactis idolis ſeruientes: tanta nimirum inſania in hæc ipſa tenentur: vt plures ſint ſacerdotes, quàm ad victimas beſtiæ, vt auſint dicere,

Immolate homines, vituli enim defecerunt. Idcirco erunt quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus pertrãſiens, ſicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut vapor de locuſtis.

Propter hanc, inquit, impietatem eos hoſtili impetu funditus perdam, vt rorem matutinum, & nubem mane viſam: exoriens ſol illam facile abſumit, hanc vero celerrime diſsipat: vtque areæ puluerem vehemens ventus facillime delet, ac diſsicit, atque vaporem in aere exortum, vt grex locuſtarum interueniẽs diſſoluit, ſic vos hoſtiũ manus perdet, & terram, quæ nunc à vobis habitatur, vaſtabit, ac deſertam reddet.

Ego autem ſum dominus Deus tuus firmans cœlum, & creans terram, cuius manus omnem militiam cœli.

Hoc eſt, non cœlum modò, & terram molitus ſum, ſed etiam perfeci, vt ſtabilia & perpetua maxime permaneant. Is ille etiam ego ſum, qui omnem militiam cœli ſeu viſibilem, ſeu inuiſibilem, ſiue ſuperiores poteſtates, naturaéque ſolo intellectu comprehenſibiles, ſiue aſtrorum multitudinem vnà cum ſole, & luna magnis luminaribus exiſtere feci.

Et non oſtendi ea tibi, vt ambulares poſt ea: & ego eduxi te de terra Aegypti: & Deum præter me non cognoſces: & ſaluator non eſt abſque me.

Cùm vbi liberaſſem te ab Aegypto, leges tibi darem, admonui ne quem alium à me Deum cognoſceres: nam dixi, ne feceris tibi Deum, aut vllius rei ſimilitudinem quę eſt in cœlo, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Exod. 20.

Ego paſcebam te in ſolitudine, in terra inhabitabili ſecundum paſcua ſua: & repleti ſunt in ſaturitate, & eleuata ſunt corda eorum, idcirco oblati ſunt mei.

Non ſolum te dura Aegyptiorum ſeruitute liberaui, ſed etiam in deſertiſsima regione ac inhabitabili paui. Secundũ paſcua ſua: hoc eſt, ſecundum vſus tibi neceſſarios ſuppeditaui manna ex cœlo, ortygometras ex mari, aquam ex petra, non veluti in loco deſerto viuentes neceſſarijs rebus egerunt, ſed ad ſaturitatem expleti ſunt: vnde factũ eſt, vt eorum corda extulerint, & mei obliti ſint. Non diſſimilia de eis beatus Moſes loquitur: Et comedit Iacob, & repletus eſt: & recalcitrauit dilectus incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum: atqui non ſinam Deut. 32.

ſinam eum, inquit, impunitum. Nam

Ero ei quaſi panther, & ſicut pardus in via Aſſyriorum.

Ferociſsimos hoſtes in eum concitabo, qui non aliter, quàm ſolent panther & pardus, eum tractabunt. Cùm ipſe, qui omnia adminiſtrat, hoſtes immittit, tum ſeipſum pantheris, & pardi ſimilem eſſe dicit: atque adiunxit,

Occurram eis ſicut vrſa indigens cibo: & diſrumpam interiora cordis eorum.

Vt vrſa in loci anguſtias compulſa, & quæ effugere non quit, magna rabie in ſe impetentes inuadit, ſic hoſtes nullam veniam impartientes in eos irrumpent, quin ſuum atrocem & immanem animum in eos edent, atque explicabunt. Hæc autem in eos perficiam, volens eorum cor clauſum, non aperire ſe ſtudens, ſed obduratum & inflexibile perſeuerans, recludere: atque ad reſipiſcentiã, ad cognitionemque honeſti deducere.

Et deuorabunt ibi catuli ſyluarum: beſtiæ agri diſrumpent eos.

Variè eadem dixit, vt multitudine horribilium imaginum, ex morbo robuſto & inueterato laborantes perterrefaceret. Mox lamentatur ſecum, & obiurgat atque exprobrat, priorem que inſipientiam iterum commemorat.

Quis auxiliabitur corruptioni Iſrael? vbi eſt rex tuus iſte? & ſaluum te faciat in cunctis vrbibus tuis: iudicet te, de quo dixiſti, da mihi regem & principem.

Quis ſatis digne tuam correptionem ò Iſrael lamentari poſſet, qui nimirum remanſeris ab omni auxilio inops, & nudus, idque dum gubernaris à rege tuo, & ſub hoc viuis? meo enim regno ſpreto hominem habere regem exoptaſti.

Et dedi tibi regem in ira mea, & tabui in furore meo.

Ex importuna efflagitatione iratus, dedi tibi Saul. Patientia rurſus, & tolerantia vſus in locum Saul ſubſtitui Dauid. Hoc enim dicit, cùm ait: Tabui in furore meo: hoc eſt, patientiſsime tuli.

Congregatio iniquitatis Ephraim abſcõditum peccatum eius.

Eſa. 4. Simile eſt iſtud his, quę dicta ſunt ab Eſaia: Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Hoc idem hic loquitur, quòd Ephraim congregat, & coaceruat iniquitatem, atque aſsiduè adauget, malo conſilio vtens hoc ſignificat. Quod ait, Abſconditum peccatum eius: hoc eſt, bene penitus imbutus eſt malitia, & iniquitatibus: at tantis malis eum implicabo, vt ex difficultate dolorum torqueatur, more mulieris parturientis. Deinde veluti per interrogationem ad Iſrael directam,

Iſte eſt filius tuus ſapiens.

Hunc, inquit, Ephraim & ſi iuuenem antetuliſti, & prępoſuiſti Manaſsi natu maiori: verum pro honore illo infamia perfundetur.

Quia nunc ſuſtinebit in contritione filiorum ſuorum.

Non enim vicinis bellum inferentibus obſiſtere poterit. Vt vero triſtia denunciauit, ad bonorum promiſsionem conuertit ſermonem.

De manu inferni liberabo eos, de morte redimam illos.

Deinceps tanquam vitulari contra mortem iubet.

Vbi cauſa tua mors? vbi eſt aculeus tuus inferne?

Hæc typicè, & adumbratè in reditu Iudæorum facta fuerunt. vocat autem per ſimilitudinem diuerſationem in captiuitate infernum, & mortem, quæ ad perfectum & verum finem peruenerunt, poſt conſeruatoris noſtri reſurrectionem: Noſtris enim primitijs reſurgentibus ſpem reſurrectionis omnes ſuſcepimus. Hoc idem licet inuenire in prophetia Ezechielis: etenim illic oſsium reſurrectio duo oſtendit, & reditum Iſrael, qui dixit: Aruerũt oſſa noſtra, & perijt ſpes noſtra, & deſecimus. Tum oſtendit communem omnium hominum reſurrectionem: nam erga Iudæos facta, typus ſunt Dei procurationis in omnes homines. Ezech. 37.

Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, quia ipſe inter fratres diuidet.

Hæc, inquit, conſolatio, & reſurrectionis expectatio Iudæis cùm captiui eſſent, omnibuſq; hominibus olim occultata fuiſſe videtur. Iudęi enim in captiuitatem abducti, & ſeparati à ſua cognatione, ſeparatimque alij ab alijs ſeruire coacti, nullam ſpem reuocationis habebant. Tum etiam omnes homines, cùm mortem viderent funditus perdentem naturam, modoque fratrem à fratre ſeiungentem, modò filijs patres priuantem, reſurrectionis ſpem prorſus abijciebant. Tametſi vera ſint, inquit, dicta, tamen in præſens abſtruſa, & abſcondita ſunt multis.

Adducet vrentem ventum Dominus de deſerto ſuper eos, & ſiccabit venas eius, deſolabit fontes illius: iſte arefaciet terram eius, & omnia vaſa deſiderabilia.

Per hæc occulte oſtendit Cyrum Perſam bellum moturum, & diſſoluturum Aſſyriorum regnum, ſiue Babyloniorum, omnemque regiam cognationem corrupturum, & cauſas tyrannidis ſublaturum. Hæc per tranſlationem & immutationem fontes, & venas appellat. Per hæc autem voluit dicere, quemadmodum diſſoluet, quam per tranſlationem mortem & infernum vocauiſſet: at hæc poſtea fient. Nunc

Delebitur Samaria. Quæ cauſa eſt contra voluntatem Dei facere: cuius incolæ videbunt infantes lactentes ad petras allidi, ac fœtas atque prægnantes ſimul cum fœtu perire. Cap. XIIII.

Sed ne horum periclitationem recipias.

Conuertere ò Iſrael ad Dominum Deum tuum: quoniam in iniquitatibus per multum tempus conſumpſiſti.

Pòſtetiã eos docet, quibus verbis conueniat vti Deum placare ſtudentibus, ac inquit,

Dicite ei, vt non tollatis iniquitatem, ſed aſſumatis bona, & reddemus fructum labiorum noſtrorum: Aſſur non ſaluabit nos: ſuper equum non aſcendemus: neque

neq̃uaquam vltra dicemus, Dei nostri, operibus manuum nostrarum: qui in te est miserebitur pupilli: sanabo habitatores eorum, diligam eos manifeste.

Cùm ita supplicabitis, non capietis iniustitiæ & iniquitatis præmia, quin efficiemini cõpotes omnium bonorum: adiungite etiam illis verbis, saluatorem & benefactorem rogantes, vt quod amplius nulli mortalium cõfidemus, non Assyrijs, non Aegyptijs, non equorum multitudini, neque deos existimabimus idola manufacta. His abs te dictis, dominus qui assiduò tecũ est, miserebitur pupilli: hoc est, tanquam pupillum tutela, & curatione carentem omni prouidentia curabit te, atque omnibus malis prementibus te liberans sanitatem tibi impartiar. Intime verò & candide affectus ero erga te: omnia mala, quæ illata fuerunt ad te corrigendum, cessare faciam: præterea suppeditabo tibi quasi quendam rorem mea dona, vt floreas sicut lilium. Hoc expressit cùm dixit,

Ero quasi ros Israel, florebit vt lilium.

Huius floris sæpenumero sacra scriptura
Esa. 35. meminit. Esaias clamat: Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi li-
Cant. 2. lium. In Cantico autem canticorum de sponsa sponsus ait: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Tum in sacris Euange-
Matt. 6. lijs dominus: Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neq; nent: dico autẽ vobis, quoniã nec Solomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnũ ex istis. Ex omni parte igitur cognoscimus, quòd præter suaueolentiam admirationem etiam concitat lilij splendor. Huic comparatur anima ex sordibus peccatorum expiata, splẽdidissima sto-
Esa. 61. la baptismi ornata, de qua Esaias loquitur: Exultet anima mea in domino, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me: vt, inquit, hoc lilium florebit Israel agnoscens dominum.

Et mittet radices suas quasi Libanus,

Montem autem significat cedris quasi quibusdam sertis redimitum. Pòst futuram multitudinem designat, cùm ait,

Ibunt rami eius.

Appellat etiam pietatis fructum.

Et erit quasi oliua fructifera in domo Iacob: & odor illius quasi Libani.

Tum docet bonorum causam.

Conuertentur, & sedebunt sub vmbra eius.

Hoc est sub vmbra Dei.

Bibent & inebriabuntur frumento: & efflorebit vt vinea, memoriale eius quasi vinum Libani.

Vindicati ab errore idolorum, & meæ prouidentiæ confidentes, omnium bonorum copia redundabunt. Et similiter vt vinum odoratum in Libano cultum, virtutis suauem odorem posidebunt: atque illinc manantem bonam existimationem, quasi fructus percipient.

Ephraim quid ei vltra, & idolis?

Cùm perceperis animo, qui fructus pietatis sit, fuge idolorum errorem: huius gratia te corrigere volens,

Humiliaui, & corroborabo misericordia ductus, & similis iunipero condensatæ ei existam, & fructus à me percipies.

Nam semper virens iuniperus existit, atque non est putrescenti natura: coma redimitur aculeata. His ostendit, quòd omni studio te curabo, ab omniq; pernicie tutum efficiam: ac inuadentes te quasi quibusdam aculeis perterrefaciam: atq; ita totam prophetiam absoluens, saluberrimum omnibus lectoribus finem apposuit.

Quis sapiens, & intelligit hæc? aut intelligens, & cognoscet ea? quia rectæ viæ domini, & iusti ambulabunt in eis: qui autem impij sunt, infirmabuntur in illis.

Hunc eundem finem Dauid, cùm Dei beneficia enarrasset, Psalmo centesimo sexto adscripsit: Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias domini. Sapientia & intellectu opus est ad notionem diuinarum prophetiarum, atq; ad earum impletionem, ac obseruationem: neque enim has intelligere possunt, qui diuini spiritus lucem non susceperint: neque obseruare, qui non assecuti sunt ex alto auxilium. Qui erga Deum studio tenentur, inde subfidium consequentes, rectas vias ingrediuntur, & iuste viuunt: qui autem impiè cõmittunt, & diuersam viam incedunt, impietatis præmia recipiunt. Deus omnes homines seruare studens, largiatur, vt in veritatis cognitionem perueniamus, atque efficiamur non huius, sed illius cohortis: denique vt secundum leges illius vitam traducentes, laudemus & glorificemus eum & corpore, & spiritu, vt ait Apostolus: quoniam ei conuenit omnis gloria, honor, & reuerentia, cum vnigenito eius filio, & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

FINIS PROPH. OSEE.

ARGV-

ARGVMENTVM PROPHETIAE IOEL PROPHETAE.

IOEL diuinus Propheta tametsi tempus, cùm prophetiam suam edidit, non aperte ostendit, ex ipsa tamen prophetia colligitur, eo tempore, quo mirificus Osee extitit, futura prædixisse. Eius prædicta hæc sunt. Assyriorum & Babyloniorum bellũ: captiuitas & seruitus Israel: à captiuitate reuersio: tũ prædicit, quæ post reuersionem ex gẽte Scythica, nuncupata Gog, acciderint: tum in Hierosolyma bellum exercitu instructissimo factum, atq; eis diuinitus illatam funditus perditionem præsignificat. Ad hæc adiunxit dona, quæ post incarnationem Seruatoris nostri Spiritus sanctus hominibus concesserit, ex prædictionibus de Assyrijs & Babylonijs. Tempus huius Prophetiæ cognouimus: hoc in summa est argumentum: reliquum est, vt singillatim explanationem attingamus.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN PROPHETAM IOEL.

VERBVM Domini, quod factum est ad Ioel filium Bathuel.

Quoniam plerique, vt consuetudinis ratio exigit, eodem nomine sunt, patris nomen addidit. Docet autem verba sua non humani esse ingenij, & ratiocinationum humanarum partus, sed instituto, afflatúque diuino futura prænuncians loquitur.

Audite hæc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, si facta sunt talia in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum.

Vos, inquit, qui ad affectam ętatem vixistis, qui vt vsu euenire solet, pleraque ex rerum periculis percepistis, quique de patribus, & auis narrantibus sæpe audistis verba prophetiæ huius exaudientes, vobiscum reputate, an memoria vestra, an patrum vestrorum tale quiddam antea factum fuerit: ac omnes qui in terra promissionis habitatis, diligenter his, quæ dicentur, date operam. Ad hæc adijcit: Cùm hæc experta habueritis, ne committatis vt è memoria vestra dilabantur, sed horum ignaros filios ad hæc instituite, atque illis præcipite, vt hæc quasi per manus filijs suis tradant: &
Psal. 77. generatio, quæ hos consequitur, à superiore generatione horum narrationem accipiat. Eiusmodi Dauid his verbis ait: Cognoscat generatio altera, filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis, atque causam affert, vt ponant in Deo spem suam. Itaque vnam diuini spiritus gratiam sanctos prophetas affiatu diuino concitare ex dictis ostenditur. Atque sic comparatis in auditionem senioribus, & vniuersis narrans reliquas calamitates, ait: Erucam primam venturam esse: quę ab hac incorrupta supererunt, à locusta corruptum iri: quę verò hanc effugerint, bruchum consumpturum: extremam verò rubiginem importatam, nihil prorsus integrum relicturam esse. Quidam hæc tropice, & per transsumptionem de Assyrijs & Babylonijs interpretati sunt, Erucam Theglaphalasar nuncupantes: locustam, Salmanasar: Sennacherib autem bruchum appellauerunt: rubiginem verò Nabuchodonosor, qui postremus bellum intulit, funditusq; vastauit, ac populatus est Iudæam, quique eos, qui mortem effugerant, captiuos abduxit. Ego tamen vera hæc esse censeo, atque vt dicta sunt, sine dubitatione facta esse arbitror: nam beatus Amos etiam meminit locustæ, & bru-
Amos 4. chi, & combustionis, & auruginis: tum ficus, oliueta, & vineas cõmemorat, ab erucis consumpta: tum squallorem, & pluuiæ inopiam. Pars vna, inquit, irrigabitur: & pars super quã non pluero, arefiet. Cuius etiam diuinus Hieremias mentionem facit. Non igitur solum per translationem hæc accipienda sunt, cùm sacri Prophetæ concordissime nos docuerint supradicta, vt narrantur, accidisse, quo plane noscerent, quoniam hostibus inuadentibus traduntur iniquitatis impietatisque pœnas persoluentes: iure etiam de cœlo illatis correptionibus percutiebantur. Ex his edòcti, quod Deus quem nulla religione curant, illos his ipsis vlciscitur. Cæterum cùm tristia & dura prædixit, consolationem affert & consilium.

Etiqi-

Euigilate,qui ebrij estis in vino vestro, & plorate, & plangite omnes,qui bibitis vinum in ebrietate.

Conuertite,inquit, intemperantiam, voluptatemque immoderatam in lamenta, & ploratus. Vinum enim bibere non malum est,sed intemperanter bibere, perniciosum est. Cùm dixit, in vino vestro, aliam ebrietatem designauit,omnem videlicet ad mala animi impetum, procliuitatemque : vniuersamq; iniquitatem ebrietatem appellauit. Vobis autem conuenit plorare & lamentari, quia eo prorsus priuabimini, quod vobis voluptatem & lętitiam conciliat. postea narrat de his,quę pertinent ad locustam,siue Assyrium, vtrumque enim innuit, & designat, cùm ait, gentem ascensuram ad terram meam innumerabilem, viribus & potentia præstantem. Terram verò vocat Israelis terram, quoniam & Israel vocat suum populum.

Dentes eius leonis, & molares eius vt catuli leonis.

Varie eadem dixit, multis nominibus perterrefacere volens. Leonem enim & catulum eundem vocat. Si quis autem diuerse velit intelligere, sensus non corrumpitur : nam locusta exiliores & minores, tanquam quosdam catulos subsequentes habet, hostes etiam simul, cum bellicosis & strenuis minus robustos dicunt. Postea verò explicat, quæ ex his eueniét, cùm vineas corruptas,earumque palmites dealbatos, & ficus denudatos frondibus ostendit, quòd ingruente, & impetente locusta accidere solet. Quòd autem hæc non vt facta, sed futura dicat,ea quæ sequuntur, testantur: cùm ait,

Planget ad me super sponsam accinctam cilicio,super virum suum virgineum.

Non dixit, planxit, sed planget : ostendens vt post periclitationem assiduò lugebunt acerbissimum luctum, vt ab sponsa iuuencula fieri solet, cùm suum sponsum mortuum videt.

Ablatum est sacrificium,& libatio de domo Domini,lugete sacerdotes ministri Domini, quoniam desolati sunt campi : lugeat terra, quoniam afflictum est triticum, aruit vinum, imminutum est oleum, confusi sunt agricolæ: lugete possessiones pro frumento & hordeo, quia periit vindemia de agro, vineæ aruit, & ficus imminutæ sunt : malagranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aresacta sunt : quoniam confuderunt gaudium filij hominum. Accingite vos, & plangite sacerdotes, lamentamini qui ministratis altari, ingredimini,dormite in saccis ministri Dei, quoniam defecit de domo Dei vestri sacrificium, & libatio.

Quòd futura vt præterita dicat, hoc proprium est prophetię: vsus verò est hac ratione, non solum ob translationem verborum de lingua in linguam, sed etiam propter certitudinem: Sic, inquit, vera erunt, vt si facta videremus, tum vt de his præteritis, quæ prædixit futura, sacerdotes lugere hortatur, quoniam sacrificia & libationes defecerunt propter necessariorũ inopiam, & vitia quæ frugibus terræ acciderunt. In confusione agricolæ sunt, cùm nullum fructum ex terra acceperũt. Hoc etiam nunc accidere videmus cùm terra non fructus fert,rubore perfundi soliti sunt agricolæ, solita vectigalia dominis non reddentes: atque ob necessariorum inopiam ex mendicitate,& versura viuere coacti. Latius autem declarat calamitatem, vt ad resipiscẽtiam excitet ex inueterato & robusto morbo laborãtes,atque possessiones lugere iubet, quoniam fructus & hordeum defecerunt, vinea exaruit: denique oliuæ,& ficus alięque arborẽs fructum nullum ferunt,quod omni humore priuatæ sunt. Est autem animaduertendũ, quòd non terram,& possessiones, vt ratione vtentia lugere hortatur: sed vt ratione prędítos ex inanimis rebus excitet, & commoueat : id quod docet, cùm subiungit, Quoniam cõfuderunt gaudium filij hominum. Huius, inquit, infœcunditatis maxima causa est iniquitas hominum, propter quam gaudia cessarunt, mœrores animi importati sunt, & inducti. Quamobrem,inquit,vos sacerdotes vestẽ lugubrem recipite: neque apud altare solum lamentamini, sed etiam dormientes vobis saccum substernite: quoniam tanta necessariorum inopia facta est, vt ne sacrificia quidem obiri, conficique possint.

Sanctificate ieiunium,prædicate curationem, congregate senes omnes habitatores terræ in domum Dei nostri:& clamate ad dominum vehementer.

Non solum,inquit, senes, sed etiam omnes habitantes terram in domum Dei nostri congregati,clamate dicentes.

Heu mihi,heu mihi,heu mihi,in die.

Ex dictis planè docemur vt ieiunium animę male habenti sit medicina salutaris: quare ieiunio subiũxit curationem. Sanctificate, inquit,ieiunium, prædicate curationem. Sanctificate posuit pro segregate. In ieiunium, inquit,vos segregantes,sancte & pure id obite & conficite : ieiunantes verò clamate heu mihi,heu mihi,heu mihi in die,hoc est, per diem malorum expectatum.

Quoniam iuxta est dies Domini, & quasi miseria de miseria veniet:ante oculos vestros alimenta perierunt: de domo Dei nostri lætitia & gaudium.

Mala,inquit, exaggerata & coaceruata videbitis : atque alia alijs cumulata:hoc vocauit miseriam de miseria.

Subsultauerunt vitulæ in præsepibus suis, dissipati sunt thesauri, suffossa sunt torcularia,quia aresactum est triticum. Quid reponemus nobis? fleuerunt armenta boum, quia non erant pascua eis : & greges ouium disperierunt.

Subsultaturas esse vitulas,inquit,non quòd saturitate hoc facturę sint,sed quòd fame corruptæ,humięque straturæ,& abiectæ pedes ad solum allisuræ sint. Thesauri, inquit, & granaria dissipata sunt, nempe quæ dudũ frumentum non susceperunt. Torcularia insuper, inquit, tanquam superuacanea suffossa sunt, tum etiam si quid aliud eiusmodi vsibus accommodatum fuit, quasi superfluęs & inutile remansit neglectum. Cùm nimirum nihil esset,quod his admoueri posset : mugitum ediderunt armenta boum lugentium vocem repræsentantia,

tia,quòd non consueto cibo fruerentur : tum greges omnium similiter vt vitulæ fecerunt. verum, inquit propheta, his ita se habentibus,

Ad te domine clamabo, quoniã ignis cõsumpsit speciosa deserti, & flamma succẽdit omnia ligna agri, & iumẽta campi suspexerunt ad te,quoniã arefactæ sunt missiones aquarũ, & ignis deuorauit speciosa deserti.

Incumbentium enim malorum liberationem abs te solo consequi possumus. Ignis autem significare potest hostes, qui instar ignis omnem regionem illam depopulati fuerant. Tum etiam significare potest locustam, rubiginem,& bruchum : nam hæc non minus suapte natura fruges terræ corrũpere solent. Speciosa deserti vocat ea,quę quondam speciosa, nunc deserta facta sunt propter calamitates, quæ illis inustæ sunt. nam paulo pòstait, sicut paradisus voluptatis terra ante faciem eius,& posteriora illius sicut cãpus solitudinis. Quoniam, inquit, indigni sumus,qui à te misericordiam assequamur, veniam aliquã saltem consequantur iumenta mugientia,& pecora ouilla balatum edentia, quoniam exaruerũt emissiones aquarum. Hoc videlicet,suspexerunt ad te, non vt de ratione vtentibus dixit, sed ad misericordiam allicere volens Dominum, sic vocauit ab inopia factum mugitum.

CAP. II.

Canite tuba in Sion, prædicate in monte sancto meo: conturbẽtur omnes habitatores terræ, quoniam adest dies domini, quoniam iuxta est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & pruinæ.

Vt propheta preces adhibuit, rursus dominus iubet tubas,ex lege institutas, sonare in Sion, atque per præcones congregare omnes in montem Deo consecratum: quoniam, inquit, appropinquat dies vltionis,quem si quis diem caliginis,tenebrarũ, & nebulæ,& turbinis vocaret, non erraret : nam adeo ingentia in eo erunt mala,vt nemo sensum videndi percipiat, sed in tenebris & caligine se viuere suspicetur. Post hæc vltionis genus exprimit.

Sicut mane fundetur super montes populus multus,& fortis,similis ei non fuit à principio,& post eum non erit vsque ad annos generationis generationum: ante eum consumens ignis, & post eum flamma succensa. Sicut paradisus voluptatis terra ante faciem eius,& posteriora illius sicut campus solitudinis.

Per hæc vtrunque designat, & locustam, & hostium exercitum. etenim illa & hi planitiem, & montium vertices multitudine cooperuerunt. Quòd à principio non fuerit aliud simile bellũ,indefinite demonstrauit: quòd vero non erit,cum quadã definitione & termino posuit,cùm ait, Vsque ad annos. Docet vt hostilis impetus omnia vastabit. Tantã, inquit, in terram calamitatẽ inuehet, vt ea quæ conspectu ipso similia erant horto delitiarum, cùm essent à malorum periculo integra,& illibata, post impetum non dissimilia sint agro vastato, & funditus perdito:nã sic funditus peribunt, vt ne fuga quidem salutem vllam sint adepturi. Nam, inquit,

Qui saluetur,nõ erit ei. Sicut equorum aspectus eorum,& sicut equites,sic persequentur: sicut vox quadrigarum super vertices montium exilient : & sicut vox flammæ ignis deuorantis stipulam: & sicut populus multus,& fortis præparatus ad prælium.

Si hæc de Assyrijs & Babylonijs intelligamus, tum ista particula ὡς,non per similitudinem,sed per augmentum,& vehementiam erit accipienda,vt ea quæ à Dauid commemorantur : Quàm bonus Deus Israel : hoc est, valde bonus. Et illud eiusdem: Quàm dilecta taber nacula tua domine:id est,valde dilecta. Sic de hostibus hic dicta interpretantes intelligemus hoc ipsum, videlicet aspectus equorum, quod multis equis, & equitibus vtentur, cum multisq; curribus venient: tanta exercitatione aurigæ præditi, non secus equos in acuminatis summitatibus montium,& locis difficilimis,& lubricissimis moderabũtur,ac in sum ma planitie vsi sunt. Si vero de locusta dicta explanemus hoc ipsum, videlicet, sicut aspectus equorum aspectus eorum intelligemus, experientia ad hoc magistra vtentes. Nam si quis locustæ caput diligenter consideret,persimilem equo inueniet:cùm volat,eam videas nihil equo de celeritate concedere,tum flammæ instar fruges inuadere,& frondes deuorare. Quin etiam & cùm volat, & cùm repit, similis est multitudini ad bellum comparatæ, nam inter se congregatę exercitus speciẽ præbent, ac velut quendam ordinem militarem repræsentant. *Psal. 72.* *Psal. 83.*

A facie eius conterentur populi,sicut adustio ollæ.

Nam eiusmodi hominibus calamitatem infliget,vt eorum facies euasuræ sint similes ollæ igne quodam infusctæ: fames nimirum & inopia hanc corruptionem inferent.

Sicut pugnatores current, & sicut viri bellatores ascendent super muros:& vnusquisque in via sua ambulabit, & non declinabunt à semitis suis, singuli à proximo suo non recedent.

Hæc vt supradicta similiter de hostibus & locustis intelligemus : nam locustas non aliter quàm hostes videre licet in muros ascendere ac iter facere,nec vlla necessitate se distrahi patiuntur, sed tanquam imbutæ conspiratione quadam impetum faciunt.

Aggrauati armis suis ibunt, & in iaculis suis cadent,& non consumentur: vrbem apprehendent, & super muros discurrent, super domos ascendent & per fenestras intrabunt sicut fures.

Locustæ arma habent naturalia, dentes, alas,& serrata mẽbra:hostes vero artificio confecta: atqui, inquit,& hi,& illi assidue armis vtentur, & bellum inferentes, & quibus infertur. Nam ferro accingi in grauissimis bellis,& se frumento & vino instruere soliti sunt, qui impetus hostium appropinquantium metuunt. In iaculis suis cadent,hoc est,vnà cum armis suis extinguentur. Non consumentur,id est,hostibus non satiabuntur : neq; locustæ satietate cibi capiuntur. Post hæc ponit non murorum altitudinem satis esse ad prohibendos hostes ab impetu, sed expedite muros transcendent, atque perinde vt fures fenestris do-

mus ingredientur: id quod non solũ ab hostibus fieri, sed etiã sæpe à locustis vidimus, nam non solum volantes, sed etiam per muros irrepentes fenestris domus ingrediuntur.

A facie eius confundetur terra, & commouebitur cœlũ, sol & luna contenebrabuntur: & stellæ auferẽt lumen suum: & dominus dabit vocem suã à facie fortitudinis suæ: quoniam multa sunt nimis castra eius.

Hæc per has res fieri vero proximum est: nam vocem vocat tonitru, solis & lunæ defectiones sæpe fieri perspeximus, astraque ex squallore quodam obscurari. Cæterum terræ concussione, & commotione, Dei iram ostendit. Possunt hæc alia ratione explicari, qui inimirum in calamitatibus versantur, tanquã in tenebris quibusdam agentes, cœli statum non sentiunt, neque esse terram immobilem suspicantur: non luce diem, non aliquo lumine noctem metiuntur, sed funditus inuersa esse omnia arbitrantur. His adiungit:

Quoniam fortia opera sermonum illius.

Hoc est, nullus Dei sermo rebus destitutus est, sed quod dicit, cõfestim in opus procedit.

Quia magna dies domini: magna & illustris nimis: & quis erit sufficiens ad eam?

Hæc, inquit, mala adeo planè in vos inferet Deus, vt vniuerso orbi terræ manifesta fiant. Diem magnam & illustrem vocauit famam illatarum calamitatum in omnes homines peruagantem, malis, quæ Deus infliget, nemo omniũ resistere poterit. Post has horribiles minas in consolationem & consilium conuertit sermonem,

Conuertimini ad Dominum in toto corde vestro, in ieiunio, in cilicio, in fletu, & in planctu.

Non diuidentes hoc in voluptates, & vota, sed ieiunio & lachrymis vtentes.

Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & conuertimini ad Dominũ nostrum: quia misericors, & miserator est, patiens & multæ misericordiæ: & pœnitens super malis.

Scindite corda vestra &c. hoc est, resipiscentia vtamini, & rebellionem animi, & peruicaciam mitigate: salutaria capite consilia, nequitiæque via relicta, ad Deum compendio perducentem viam ingrediamini: nam misericordiæ & miserationis permulti apud eũ fontes existunt: & quoniam maxime patiens est, non statim minas in executionẽ reuocat. Hoc significauit, cùm dixit: Pœnitens super malis, hoc est, perterrefaciens pœnarum minis, atq; hominum in melius commutatis animis, commutans minas in placabilitatem: neque tamen Deus nunc hoc, nunc illud vult, neque similiter vt nos, eum pœnitere solet eorum, quę facit, sed interea dum minatur, habet apud se misericordiam, quam his, quos peccasse pœnitet, largitur. Cùm rursus bona promittit, non ignorat, qui boni sint, quiúe donis suis indigni: & illis quidem dona, his vero contrà quàm pollicetur concedit. Promissionibus & minis ad vtilitatem hominum vti solitus est, vt has metuentes, illas exoptantes, honestum genus viuendi amplectantur. Pòst autem propheta quadam dubitatione adhibita, clementiam Dei, & misericordiã pollicetur, hoc modo ad scelera confirmatos exterrens.

Quis nouit, si reuertatur, & pœniteat eũ, et dimittat post se benedictionem, sacrificium & libamen domino Deo nostro?

Quoniam minas suspensas reliquit, par est, inquit, nos pristinam curationẽ altaribus admouere, vt solitis bonis nos cumulet: benedictionẽ bonorum vocauit suppeditationem. Cum hac igitur, inquit, spe

Clangite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, prædicate curationem, cõgregate populum, sanctificate ecclesiam, eligite senes, congregate paruulos sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo: inter crepidinẽ & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini.

In ieiunio, & diuino cultu omnẽ populum cogite, vt omnis ecclesia studiose det operam pœnitẽtiæ, maiores natu præsint: omnis ætas, ne infantibus quidem lactentibus exceptis, intersit: atque qui nuper sponsale iugum subierunt, etiam nuptialibus conuiuiis relictis, simul cum cętero populo pœnitẽtiæ lachrymas profundant. Sacerdotum autem collegium apud templi fores, & ante altare lugens, & cum eiulatu deprecans, Deum placare his verbis, quæ consequuntur, studeat.

Parce domine populo tuo: & ne dederis hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eorum gentes: ne dicant in nationibus, vbi est Deus eorum?

Ex his planũ fit, quod in Sennacherib supplicationes fiebant, ob quem rex Ezechias magnum prophetam Esaiam rogauit, vt pro populo legationem ad Deum obiret. Quæ post consequuntur, docent vt terræ fruges diuinitus plagis inuectis perissent. Vbi autẽ eorum pœnitentiam accepit dominus, pollicetur eis se daturum frumentum, vinum, & oleum, eaque se daturum maximo liberalitatis studio: id quod ostendit, cùm subiecit:

Et implebimini ex eis.

Hoc est, ad saturitatem eis fruemini.

Et non dabo vos vltra opprobrium in gentibus.

Conuenientissimũ postulatis donum: nam rogantes dixerant, Ne dederis hæreditatem tuam in opprobrium, & ne dicãt in gentibus, vbi est Deus eorum? Conuenienter eorum precibus respondit: Non permittam vos in miserijs cõstitutos ludibrio & voluptati finitimis vestris, sed vos curabo, & tuebor, vt illi cogniturí sint ex meis in vos benefactis Dei vestri robur, & potentiam.

Et eum, qui ab aquilone est, repellã à vobis, & educam eum in terram, quæ est sine aqua, & dispergã faciẽm eius in mare primum, & posteriora eius in mare nouissimum: & ascendet fœtor eius, & ascẽdet putredo illius, quoniam magnificat a sunt opera eius:

Eum ab aquilone vocat Syrium, quem longo antè tempore Hierosolymis expulit, atque per angelum multos eius interfecit, post hæc in Babyloniorum captiuitatem redegit: Babylonios rursus sub Persarum iugũ subiecit. Maria vocat exercitus, primum quidem Babyloniorum, à quibus regia, quæ erat apud Niniue, dissoluta est: nouissimum vocat Persarum, quã

qui etiam duce Cyro Babylonem ceperunt, atque plurimos sustulerunt, alios captiuos abduxerunt. Fœtorem & putredinẽ vocauit malum odorem, qui post necem fit ex corporibus insepultis, quod accidit in bello abiectis. Igitur, inquit, his à me factis,

Confide terra, gaude atque lætare, quia magnificauit dominus, vt faceret: confidite iumenta cãpi, quoniam germinauerunt campi solitudinis, quia lignũ attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt fortitudinem suam.

Ne omnia explicans præter modum longior sim, etiam iumenta confidere iubet, quoniam pristinæ pluuię futuræ sunt, herbę nascentur, pabulumque abunde erit: tũ vineæ, ficus, cęteræque arbores multiplicibus onerabuntur fructibus. Planum est eũ non alloqui tanquam ratione vtentia, terram & iumenta: at omni ex parte mœstitia afflictis delectationem animi adhibet. Quamobrẽ protinus terra inanimata relicta, & rationis expertibus iumentis ad naturam humanam se conuertit.

Et filij Sion gaudete, atq; lætamini in domino Deo vestro, quoniam dedit vobis escas iustitiæ, & pluit vobis imbrem temporaneum & serotinum sicut à principio: & replebuntur areæ tritico, & redundabũt torcularia vino & oleo.

Vobis vsus suppeditabit necessarios, Imbrem dabit temporaneum, & serotinum: id est, tempestiuum tempore necessario: tanta denique erit fructuum perceptorum redundantia, vt areæ futuræ sint angustiores ad tritica recipienda, torcularia vino & oleo diffluant. Docet præterea planè eos non modo hostile bellum sustinuisse, sed à locusta etiam, ab alijsque vexatos fuisse, cùm statim subiungit,

Et reddam vobis pro annis, in quibus comedit locusta, & bruchus, & rubigo, & eruca fortitudo mea magna, quam misi in vos.

Fortitudinem suam vocauit erucam ille, non quòd hæc habeat magnum robur, qui re-
Psal. 103. spicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant: qui increpat mare, & exsiccatur: qui mille alia maiora facere potest, sed quòd maior pernicies ex hac eis inferebatur, magnam suam fortitudinem vocat.

Et vescemini comedentes, & saturabimini, & laudabitis nomen domini Dei vestri, qui fecit vobiscũ mirabilia, et non confundetur populus meus in æternum.

Nam hic bonorum finis & caput est, non bonis ad satietatẽ repleri, sed potius bonorum largitorem laudare, & grata memoria prosequi, gratis nimirum & his, qui diuinorum beneficiorum memoriã habent, promittit, cùm hoc ait: Non confundetur populus meus in ętternum. Nec quoniam nunc ludæi in confusione sunt, Deus verax in suis promissionibus mentitus est: at ipsi seipsos ostenderunt indignos promissionibus, cùm ingrati in benefactorem sunt effecti, cùm patrem familias Beelzebuc vocauerunt, hæredemque interfecerunt: tum non solum gratiam non retulerunt pro bonis quibus cumulati erant, sed etiam hæreditatem diripere conati sunt.

Et scietis, quia in medio Israel ego sum: & ego dominus Deus vester, & non est amplius præter me, & non confundetur populus meus in æternum.

Experimento percipietis, quemadmodum qui habeo cœlum thronum, terrã scabellum, vobiscum habitare non grauor, vt vos curem, & prouideam: tum cognoscetis vestrorum idolorum infirmitatẽ, & quòd ego solus sum Deus, qui delinquentes corrigere, & misereri pœnitentium possum. In his autem rationibus permanentes, in omni libertate, & bonorum redundantia viuetis, neque gentibus opprobrio eritis. Iam vero vbi reditum prædixit, & à seruitute liberationem, & diuinitus datam libertatem, atque bonorum redundantiam, & fructuum copiã, & ab errore liberationem: tum Dei notionis radios pręsignificans, ostendit multiplicia diuini spiritus dona, quæ post vnigeniti incarnationem, & salutarem passionem, & in cœlum ascensionem Apostolis, & per illos omnibus in omni orbe terrarum credentibus largitus est Deus.

Et erit post hæc.

Hoc est, post reditum, & veritatis cognitionem.

Effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt, & super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo.

Hoc planè in die Pentecostes ad finem peruenit, cùm loquebantur varijs linguis diuini Apostoli, prout spiritus dabat eis loqui: ac post hęc per illos gratia data fuit omnibus credentibus, è quibus in Antiochia prophetæ fuerunt, & Agabus, qui zonam Pauli accepit, & Corinthij, ad quos Paulus scribit, Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quòd vere Deus in vobis est. Quatuor filiæ Philippi etiam prophetiæ gratiam receperunt. Cæterum quid dicemus de diuino Paulo? cùm Mileti Ephesios *Act.* 20.
seniores alloquebatur: Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa. Ad Timo- 2. *Timoth.* 3.
theum vero scribens, ait: Quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi: & reliqua deinceps: Et rursus, Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouis- 2. *Timoth.* 4.
simis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris: & reliqua deinceps. Sed superuacaneum quiddam facio cùm conor prophetię veritatem demonstrare: nam in hanc ætatem hoc donum permansit, & sunt in sanctis viri purũ & clarum mentis sensum videndi habentes, qui multa de futuris & prænoscunt & prædicunt. Cùm ita explicauit dona à diuino spiritu suppeditata post primum conseruatoris nostri aduentum, prædicit etiam ea, quæ futura sunt ante secundum aduentum.

Et dabo prodigia in cœlo, & super terram sangui-

nem,ignem,& vaporem fumi: antequam veniat dies Domini magnus, & illustris.

Sol in tenebras conuertetur,& luna in sanguinem, priusquam veniat dies Domini magnus & illustris. Hæc etiam in sacris Euangelijs Dominus prædixit:Erunt,inquit,signa in cœlo,sole, & luna,& stellis. Diem magnum & illustrem nominat,quoniam in priore aduentu ex paupere muliere in gurgustio natus est, tum simul, atque editus fuit, in præsepi positus est, atque vsque dum miracula edere cœpit,multis ignotus fuit. Veniens autem in nubibus,videbitur mille myriadibus præeuntibus,& mille chiliadibus canentibus, cui omne genu flectetur cœlestium, terrestriũ & inferorum. Iure igitur diem illum magnum, & illustrem appellat. Luc. 21.

Et erit,omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit.

Accommodate hic apponere possumus illud Apostolicũ,Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?aut quomodo credent ei,quẽ non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? apposite propheta ea,quæ consequuntur,subiunxit: Roman. 10.

Quia in monte Sion,& in Hierusalem erit,qui saluatus erit,sicut dixit dominus, & annuntiantes quos dominus vocauit.

Clare hic nobis Apostolos expresit, quibus præceptum fuit, vt omni creaturæ Euangelium annuntiarent,dicentes,appropinquauit regnum cœlorum. In monte Sion & Hierusalem esse inquit,qui saluatus erit, ostendẽs quemadmodum omnis qui credit in eum, qui ibi in crucem actus fuit,& ad supplicia pro nobis datus,salutem assequetur. Post autẽ spiritalium donorum prædictionem, in aliam sententiam transtulit prophetiam, prædicens de Gog,& Magog, de quibus diuinus Ezechiel vaticinatus est,quemadmodum post ex captiuitate reditum maximis copijs bellum in Hierosolyma inferẽt, nimirum vt verisimile est gentibus vicinis Israel eos ad hanc rem solicitantibus. Cùm enim post reditum præclari essent,& illustres, (nam Cyrus primus Persarum rex tum orbi terræ imperans, eos donis,omnique honore prosequutus, reducendos curauerat, atque templum ædificari iusserat) tum in eos inuidia flagrantes vndique magnæ copiæ coactæ sunt,sperantes se vrbem capturos esse. At eos ea spes fefellit, quoniam ad hanc vrbem domino propugnante, & efficiente, vt hostes semetipsos interficerent, funditus perierunt. Huiusmodi dominus per diuinum Ioel præsignificans inquit: 1. Esdr. 1. 2. Paral. 36.

CAP. III.

QVia ecce ego in diebus illis, & in tempore illo quando conuertero captiuitatem Iuda, & Hierusalem,congregabo omnes gentes.

Non in tempore spiritualiũ gratiarum, sed statim post à Babylone reditum.

Congregabo, inquit,*omnes gentes.*

Hoc est,congregari permittam:& primum eorum appetitum & impetũ non prohibebo. Hoc enim dicit congregabo. non enim inuitos duxit, sed volentes venire non prohibuit.

Et deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi pro populo meo, & hereditate mea Israel, qui dispersi sunt in gentibus: & terram meam diuiserunt,& super populum meum miserunt sortes,& posuerunt puerum in prostibulo,& puellas vendebãt pro vino,& bibebant. Quid mihi & vobis Tyrus & Sydon, & omnis Galilæa alienigenarum?

Hinc planum fit, vt finitimos populos huius belli principes alij secuti sunt, hi nimirum captiuitatis tempore terram diuiserunt, cùm non esset amplius dominus neque agricola, & sortes miserũt, diuisiones videlicet agrorum facientes,eos autem qui cædem effugerant,in libidines & delitias vendiderunt, pro quibus pecuniam solutam in suos sumptus conuerterunt. Cæterum disceptabo pro populo posuit,vt doceret se ab eis repetiturum esse pœnas scelerum in populum suum commissorum, quamobrem accusat Tyrum & Galileam alienigenarum. Regio hæc Tyri iram in corde retinens,partes secuta est,qui his malis populum affecerunt, ac sibi vindicans in populum commissa inquit,

Nunquid retributionem vos redditis mihi, aut iram in corde retinetis aduersum me?

Hoc enim Græcè significat μνησικακεῖτε, quẽadmodum Saulus cùm Apostolos persequeretur, desuper dixit, Saule, Saule quid me persequeris? sua supplicia vocabat contra illos attentata: ita hic ad Tyrũ verba faciens, personam populi recepit,atque ad se transtulit in populum commissa. Post vero minatur se quàm mox compensaturum iusta compensatione eorum iniquitatem contra populũ admissam, atq; exponit iniquitatis species, cùm dicit, Act. 9.

Pro eo,quod argentum meum, & aurum meũ tulistis,& electa mea, & optima intulistis in templa vestra: & filios Hierusalem vendidistis filijs Græcorum, vt eijceretis eos de finibus suis, ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos, & reddam retributionem vestram in capita vestra: & vendam filios vestros:& filias vestras in manibus filiorum Iuda.

Accipientes, inquit, argentum & aurũ meum, aliaq; mihi dedicata in idolorum templa transtulistis: eos vero Iudæos qui effugerant Babyloniorum impetum, filijs Græcorum vendidistis,hoc vnum vobis proponentes, vt procul à terra, eis à me data, eos summoueretis: Verum ego, vt hi mea opera vndique coacti,suas vires recuperent, efficiam, vt vos iure vlciscantur,& supercilium vestrũ deprimant, ac abijciant,captiuosque efficiant: atque vt in extremo orbis terrarum seruitutem seruiatis, à Tyro rursus ad gentes Scythicas prophetiam conuertit: iubet prædicare gentibus,excitare pugnatores,delectus facere, & selegere in bellum. hoc enim vocauit sanctificare,quoniam sanctus seipsum à sceleratis rebus separat. Omne quod in aliquid seiunctum est, & selectum,sanctificatũ vocat:sic suprà, Sãctificate, inquit,

inquit,ieiunium: hoc est,separate,selegite. Esaias de Babylonijs verba faciens,inquit: Sanctificati sunt,& ego duco eos: hoc est, ad hoc selecti & separati. Iubet deinde instrumẽta rustica in bellicum vsum transferri, infirmum vt robustum ad bellum instrui, & comparari, & mansueto viuendi generi assuetum protinus immutatum se strenuũ præstare, omnesque ad vallem Iosaphat congregari,ac dicit:

Quia ibi sedebo,vt iudicẽ omnes gentes in circuitu.

Hoc est, circum Hierusalem habitantes Idumæos, Amanitas,Moabitas, Amalecitas, Alienigenas, Tyrios, Sydonios, hi simul cum gentibus Scythicis cõtra Hierusalem bellum intulerunt: deinde per comparationem perditionem deridens vindemiam vocat cædem, falces vero hastas, gladios quibus necati fuerunt, torcular, & torcularia vallem sanguinis illorum plenam: ac causam vltionis afferens, inquit,

Quia repleta sunt mala eorum, fonitus exauditi sunt in valle iudicij, & quia iuxta est dies domini in valle iudicij.

Sonitus iudicij turbatio, quæ editur in cædibus faciendis: Vallem iudicij vocauit Iosaphat vallem,quę tanquã forum iudiciale contra eos sumpsit calculum, tum solem dicit, & lunam,reliquasque stellas lumine priuatum iri. Iure hæc, & vere accident, Deo in eos omnem creaturam commouente. Potest tamen alia ratione intelligi,vita defunctis neque sol, neque luna, neque vlla exstellis lucis radios mittit, tum repentinis malis oppressi in tenebris degentes diem noctem existimant.

Dominus autem de Sion clamabit, & de Hierusalem dabit vocẽ suam:& mouebitur cœlum et terra,et dominus parcet populo suo,et confortabit filios Israel.

His plana fecit illa reuera facta fuisse, nam vocem vocat tonitru, sic enim vocatum in libris Regum inuenimus: Fecit,inquit, dominus voces & pluuiam. Itaq; docet,vt tonitrubus suis strepitum edet,& cõcussionibus conturbabit:plagisq;acerbis illatis funditus perdet. Hæc Deus omnipotens facturus est, misericordia in populũ suũ ductus: vt cùm hac mea prouidentia ornatus fueris, cognoscas,

Quia ego dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo.

His confectis sui admirationem excitabit Hierusalem, quippe quæ mea prouidentia tegatur, & cura mea nitatur: metumque omnibus exteris nationibus injiciet, vt ne viator quidem hac transire audeat, quòd erga illos facta extimescat. Hoc ostendit,cùm dicit,

Et alienigena non transibit per eam amplius.

At prædictiones diuinas non sinunt ad finem peruenire eorum impiè facta, nam Deus leges rogans, & bona promittens cum exceptione verba facit: Si seruaueritis mandata domini Dei vestri,si ingrediamini vias eius, & si velitis,& audiatis me, bona terræ comedetis: sin minus velitis, gladius vos deuorabit.

Et erit in die illa,stillabunt montes dulcedinem: & colles fluent lacte.

Fruges terræ per hæc designat,& iumentorum fœcunditatem,nam pecorum fructus lac existit.

Et omnes emissiones Iudææ fluent aquis: & fons de domo domini egredietur,& irrigabit torrentem funiculorum.

Emissiones aquarum vocat fontes: fontem vero de domo Domini egredientem, spiritus sancti gratiam,de qua suprà prædixit,quę non solum Iudæos,sed etiam omnes gentes irrigauit. Torrentem autem funiculorũ vocat gentes,quæ errore implicauerunt suos finitimos, quæ etiam postquam in dominum crediderunt,nitidas aquas diuini fontis sumpserunt, funiculorumque peccatis se liberauerunt: in quos Esaias exclamat:Væ qui trahitis peccata vestra funiculo longo. His confectis

Aegyptus in perditione erit.

Hoc est, insanum studium circa idola delebitur,quoniam Aegyptijs princeps extitit.

Et Idumæa in campum desolationis.

Fastus, inquit, terrenus vastabitur. Edom rutilus, & terrenus interpretatur: tametsi ad sensum historicum dicta explanari possunt: nam Aegyptum fore in perditione, intelligere possumus, in priuatione regni, quod Cambyses filius Cyri dissoluit,& Idumæa vastationem sustinuit, vt res ipsæ testantur. Hæc, ait, patientur,pœnas persoluentes pro his quæ iniquè commiserunt contra Iudam. Sanguinem iustum,vocauit innocentem,id est, nulla iusta causa eorum cædes temere fecerunt.

Iudæa autem in æternum habitabitur,& Hierusalem in generationes generationum,& requiram sanguinem eorum inultum,q̃ esse non patiar,& dominus habitabit in Sion.

Cùm sim, inquit,iustus,iniuria affectos non relinquam neglectos,sed de his, qui iniuriam intulerunt, pœnas sumam, atq; illos mea prouidentia curabo, in Sion meam apparitionem ostendam. At vero istud, In æternum habitabitur:intelligamus ea ratione, quam suprà explicauimus: neque enim indignis bonorum promissa facere, ac seruare Deum æquum est, cùm sit iustus,& abhorrens ab iniquitate. Itaque Iudæi sibi in gentes dispersionem concilauerunt, cùm in benefactorem insanierunt, nos autem loco illorum in sponsæ ordinẽ vocati,sponsum qui nos tanto amore prosecutus est,tantisque donis cumulauit,assidue diligemus, ne ex æternis ꝓmissionibus excidamus, quarum vtinam compotes fieri omnes possimus, gratia conseruatoris nostri Iesu Christi: cui vna cum patre gloria, simul cum Spiritu sancto nunc, & semper in sæcula sæculorum Amen.

FINIS PROPH. IOEL.

ARGVMENTVM PROPHETIAE AMOS.

Psal. 32. QVI finxit singillatim corda nostra, qui intelligit omnia opera nostra, vt ait diuina scriptura, cognoscens durum Israel, & refractarium cor, non per vnum solum prophetam cum eo disceptat, sed permultis excellentibus viris vtens ministris, & monitiones adhibet, & futura prædicit, multorum conuenientia, prædictiones ostendens non esse falsò ementitas, è quibus vnus est diuinus Amos, qui fuit tempore, cùm admirabiles illi Oseé & Ioel extiterunt: ac de Assyrijs prædixit & Babylonijs, deque inde reditu: de ijs item quæ post reditum acciderunt: atque ita prophetiam de Israel exorsus est, vt perpaucula prius contra finitimas gentes præmonstrauerit. ac nimirum hac præmonstratione maximam Iudæis vtilitatem attulit: nam non eos solos corrigere, & misereri Deum posse ostendit, verum omnes etiam gentes: quippe qui sit omnium factor, & auctor. Docet præterea, quanta procuratione eos tueatur, cùm de his, qui eis iniurias inferre attentant, pœnas sumit. Argumenti hæc est summa. Iam vero ex singularum partium explanatione diuinarum responsionum sensum percipiemus.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN AMOS PROPHETAM.

SERMONES Amos qui facti sunt in Cariathiarim de Thecue, quos vidit pro Hierusalem in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Hieroboam filij Ioas regis Israel, ante duos annos terræmotus.

Propheta nobis planum fecit, vt ex Thecne oppido profectus in Cariathiarim diuinã reuelationem cõsecutus, iussus fuerit de Hierusalem verba facere. Vt vero prophetiæ tempus ostenderet, regum mentionẽ fecit: Oziæ quidem regis Iuda, & Hieroboã regis Israel. Non obscurum est, non de sola Hierusalem eum prædictiones edidisse, verũ de tribubus etiam decem: quapropter Hieroboam mentionem fecit, qui illarum tribuum eo tempore rex fuit. Iam cùm horum vterque permultum temporis regnauerit (Ozias enim duos & quinquaginta annos rerum summam tenuit: Hieroboam vero vnum & quadraginta) iure terræmotus tẽpus ostendit, ac ait, hunc duobus annis post prophetiam fuisse, vt perspicue demonstret, quibus temporibus diuina verba ad populum fecerit. Quidam non diligenter rationem temporum attendentes, hunc terræ-
Esai. 6. motum opinati sunt factum fuisse, cùm Esaias magnus, post Oziæ interitũ, vidit dominum sedentem in solio excelso, & elato, cùm commota sunt superliminaria cardinũ à voce clamantis. Ego vero cùm tempora diligentius quisissem, hoc falsum esse deprehẽdi: siquidem post Oziæ interitum terræmotus extitit, nam duobus antè annis, quàm prophetiam mirificus Amos incepisset, quinquagesimus annus agebatur regni Oziæ, duos enim & quinquaginta annos regnauit. At Hieroboã hoc tempore non superstes erat, nam huius vicesimo septimo regni anno Ozias gubernabula regni sui suscepit. Ex temporibus igitur perspicuum est, in principio regni Oziæ diuini Amos prædictiones factas fuisse, quoniam donum prophetiæ se accepisse inquit, Hieroboam etiam tunc superstite, & regnante. Tempore prophetiæ ita explicato, docet, quibus procœmijs vsus sit.

Et ait, dominus de Sion effatus est, & de Hierusalem dedit vocem suam, & luxerũt pascua pastorum, & arefactus est vertex Carmeli.

Cùm finitimis tristia, & doloris plena pronunciaturus sit, appositè explicat, vnde contra hos tristis litera datur, calculique feruntur. Ab Hierusalem, inquit, & mõte Sion Deo verba faciente, & vltionis sententiam ferente: Lugebũt, inquit, pastores, pabulum nimirum pecoribus pascendis non inuenientes: vniuersus mons Carmelus vsquèad summitatem & verticem priuabitur frugum copia. Hæc etiam vt sensu historico narrantur, acciderunt propter pluuiæ defectum, & locustam, & eruca, aliaque flagella, quæ iudex iustus eis inusit. Ex his tamen alia ostendit, nam vocat Israel verticẽ Carmeli, qui terræ promissæ pars
Hiere. 2. fuit: Induxi vos, inquit, in terram Carmeli, vt comederetis fructũm eius, & bona illius. Pastores autem appellat reges finitimarũ gentium: Pascua vero his subditos, non solũ, quòd regibus

regibus tributum veluti pastionem pendunt, sed quòd etiam ab his pascuntur, & Deus, inquit, ex monte Sion, & vrbe Hierusalem exteras gentes finitimas in calamitates infinitas conijciet. Postea per partes delicta gentium enumerat, & illata in eas supplicia explicat.

Et dixit Dominus, super tribus impietatibus Damasci, & super quatuor, nõ auersabor eos, pro eo quod secuerunt serris ferreis prægnantes in Galaad.

Psal. 50. A uersans dominus non videtur videre hominum delicta, quare mirificus Dauid ait: Auerte faciem à peccatis meis. Dum ea dominus puniuit, inquit, Firmabo faciem meam super vos, & respiciã ad iniquitates vestras. Non auersabor: hoc est, non amplius diuturna patientia vtar, neque auersabor faciẽ meam à peccatis vestris, sed intuebor, quæ prius per longam patientiam non videbar videre. Quod vero ait super tribus, & super quatuor, multitudinem significat. Itaque, inquit, quando multa Damasci delicta diutissime passus sum, non amplius patiar, neque auersabor, quo minus eorum infinitas iniquitates videam, potissimum, quas contra Galaaditas moliti sunt, crudelitatem & feritatem tantam exercentes, vt mulieres prægnantes serris secuerint. Hoc planius Symmachus docuit, cùm dixit, Pro eo quòd triturauerunt rotis ferreis Galaad. In eandem sententiam verterunt Aquila & Theodotio. Vnde perspicuum est, quòd in aream quandam mulieres supradictas proijcientes, rotis serratis tanquam spicas crudeliter trituràuerunt. Galaad vrbs erat Israel, cõtra quam Damasci incolæ hæc attentauerunt. Iam vero ad iniquitatem patefactam adiungit vltionem.

Et emittam ignem in domum Azahel, & deuorabit fundamenta filij Ader.

Azahel, hic rex fuit Damasci. Ader autem nonnulli opinati sunt fuisse patrem Azahel, bifariam nomen diuidentes, seorsum filium, seorsum Ader interpretantes, cùm tamen vnum nomẽ sit: nam Baradat vocatus fuit Hebræorum & Syrorum lingua pater Azahelis: itaque non pater, sed filius Azahelis fuit Ader, vt docet Regnorum liber quartus. Sub eo vero Damascus funditus perijt, idcirco prophetia inquit, Et deuorabit fundamenta filij Ader: hoc est, radicitus eius regnum reuellam.

Et conteram vectes Damasci, et disperdam habitatores de campo ἄν, & concidam tribum ex viris Charran, & captiuus ducetur populus Syriæ nominatus, dicit Dominus.

Et conteram &c. Hoc est, pristinum eius robur dissoluam, ac non solum metropolim, sed & accolas omnes, & eos, qui ex Charran commigrarunt eò habitatum, vicinosque idoli nuncupati ἄν captiuos efficiam: & quod olim illustre fuit Syriæ regnum, funditus demoliar. Nominatum, illustre, & clarum dixit. De Gaza dicit, quòd iam iterum & sæpius & quarto patientia lõga vsus diutius non feram eos inique committentes, permultum me eis infestum esse adigunt eorum contra populum meum intentata scelera: quamobrem inquit,

Quod captiuam duxerunt captiuitatem Solomonis, vt concluderent eam in Idumæam.

Hoc quidam ita explanauerunt, quòd cùm Solomon captiuos olim Idumæos fecisset, ac in Idumæam conclusisset, bellum gerentes cum Iudæis libertate hos donauerunt, Idumæisque reddiderunt. Verum mihi hoc procul abesse à veritate videtur, nam decem reges à Solomone vsq; ad præsentem prophetiã extiterunt, plurimumq; tempus intercessit. Ego vero hunc locum ita explicandum existimo. Externi Iudææ tribui vicini continẽter cum hac bellum gerentes, quos capiebant, nõ alijs, quàm Idumæis vendebant, qui illorum inimici, & quàm maxime hostes erant: itaque captiuorum Iudæorum captiuitatem appellauit ab illustri & præclaro rege, splendorem & claritudinem populi demonstrans: ex qua crudelitate iratus dominus, minatur igni se Gazã traditurũ, ac simul cum ea alias vrbes exterarum gentium: eiusdem rei accusat etiam Tyrum, & crimen augens, subiunxit,

Et non sunt recordati testamenti fratrum.

Cùm Solomon & Chiram Tyri rex fraternum amorem inter se instituissent, & hic ad substructionem diuini templi ligna cedrina suppeditaret, ille vero vicissim frumentũ redderet, in huius amicitiæ obliuionem venerũt Tyrij, & similiter vt Gazæi in Israel peccauerunt, iure contra eos eandem sententiam tulit. De Idumæis dixit, quòd iterum, tertiò & sæpius patientia in eos vsus, non amplius tolerabo eam, quam video eos maxime exercere in fratrem insaniam: non enim naturam esse eandem cogitare voluit, neque quod pariter in eodẽ ventre habitauerint, sed homicidij plenum contra eum gerere animum perseuerauit: quare minatur vt Syros, & alienigenas, & Tyrios, ita se hos igni traditurum. Ignem vocat Assyriorum exercitum, ignis more omnia vastantem. Itaque igne vtentes, vt par est, pagos combusserunt, vrbes incenderunt ac funditus omnia deleuerunt.

Et violauerit vulnam.

Contra naturam indicat immanitatẽ, quippe qui cùm frater esset, & vterinus, genuini enim fratres erant, furere in eum nunquam destitit, atque ipsi vulnæ, quam ambo habitauerant, propè perniciem attulit.

Et rapuit in testimonium horrorem suum.

Hoc est, Huiusmodi contra se testimonium reliquit, quod horroris plena commisit. Eadem dixit de Amanitis, quoniam multa patientia vsus, ob multa delicta, quæ sæpe admiserunt, nũc vltionem sumam. Tum mentionem facit iniquitatis, quam aduersus Israel ediderunt.

Eo quòd defecuerit prægnantes Galaaditarum, vt dilataret terminos suos.

Etenim hi Galaaditis finitimi crudelitatem & immanitatem in eos exercentes, non viros solum sustulerũt, sed etiam nondũ editos corruperunt: mulieres nimirum vterũ gestantes

interficientes vt Israelitis diminutis, ipsi eorum agros possiderent. Propterea, inquit,

Succendam ignem super muros Rabba, & deuorabit fundamenta cum clamore in die belli: & commouebitur in die consummationis suæ, & ibit Melchon in captiuitatem, sacerdotes eorum, & principes eorum simul, dicit Dominus.

Perspicue hic docuit, cuiusmodi ignem in alijs vocauerit. Cùm subiũxit, In die belli, minatur se simul cum ipso, quod coluit idolum captiuum abducturum. Erat autem Melchon falsus Amanitarum Deus, qui non modo sacerdotes & principes, sed ne se captiuum quidem vindicare à captiuitate potuit. Rabaath vocat Amman metropolim, quæ nunc in Arabia Philadelphia voce Græca, Syrorum vero lingua Amman appellatur. Minatur etiam illum eundem ignem bellicum Moab, cùm ait, vnà cum populo principes se perditurum, quòd præter ingentem eorum impietatem, multam immanitatem admiserunt in regem Idumęorum: nam cùm is aliquando subsidio Israelitis venisset, insidijs positis, hunc comprehẽderunt, eumq; captiuum suis idolis immolauerunt, tamdiuq; illius pyram incenderunt, dum ossa omnia deflagrata essent. Atq; ita de alienigenis absolutis prædictionibus, aduersus populum vertit prophetiæ sermonem, ac primum Iuda tribus iniquitatem in medium affert.

CAP. II.

SVper tribus impietatibus filiorum Iuda, & super quatuor non auersabor eos, quia repulerunt legem Domini, & præcepta illius non custodierunt, & decepti sunt in vanitatibus suis, quas secuti sunt patres eorum, & emittam ignem in Iuda, & deuorabit fundamenta Hierusalem. Hæc dicit Dominus.

In bellicum ignem tradam Iuda & Hierusalem, quòd leges meas prorsus contempserunt, ac peruersam patrum animi sententiam secuti, idolis manufactis, quæ vanitates appellat, seruire perseuerarunt, quę quidem scelestè facta passus, non in reliquum tempus pristina animi patientia vtar. Tum ab his ad decem tribus se vertens, inquit, se neque hos diu passurum,

Pro eo, quòd vendiderit argento iustum, & pauperem propter calciamẽta, quæ calcant super puluerem terræ, & pugno percutiebant capita pauperum, & viam humilium declinabant, & filius & pater eius ingrediebantur ad eandem puellam, vt contaminarent nomen Dei sui.

Hi inquit, ad solum quæstum intuentes, vendiderunt iustum, sordidoq; lucro afferuientes, ne calceos quidem pauperum lucrifacere recusarunt, qui extremum hominibus vsum præbent: iniuria affectos deseruerunt, pauperes verberationibus vexarunt, cõtumelioseq; acceptorum iustam causam non admiserunt, ac bestiarum more inuicem alij cum aliorum vxoribus coitu sese commiscuerunt, vt ne filius quidem pellice patri deuota abstinuerit, neque pater vxorem filij integrã esse permiserit. Itaq; inde naturæ iura confusa sunt, ac deniq; obscura cognationis nomina. Et hęc, inquit, fecerunt, vt Dei sui nomen contaminarent: nam vicini externi finitimi hæc audientes, vniuersorum Deũ maledictis persequebantur, vel quòd tanquam eiusmodi instituerit, vel quòd talia iniquè committentes toleret. Ad hæc adijcit,

Et vestimenta sua alligantes funibus, faciebãt umbracula iuxta altare, & vinum de calumnijs bibebant in domo Dei sui.

Non enim diuino templo debitum honorem tribuebant, sed in illo tabernacula ex vestibus molientes, ex iniustitia partum vinum bibebant: neque illis interea in mentem venit, vt

Ego abstuli Amorræum à facie eorum. Cuius erat sicut altitudo cedri sublimitas eius, & fortis quasi quercus, & arefeci fructum eius desuper, & radices eius deorsum.

Hæc per translationem, & immutationem dixit, magnitudinem eorum hominum, qui tum erant, & robur ostendens: eò enim missi exploratores à Mose magno renunciauerunt illic esse Enach, & gigantum filios: adeo proceri nimirum erãt, vt cum eis comparati quasi locustæ videremur. Itaq; ait Deus, quòd tum excelsos & fortes viros non vestro robore vsi, vicistis. Nam quomodo vicissetis, qui vel ex illorum fama sola perterrefacti, ad Aegyptum redire conati estis? Atqui ego illum radicitus reuelli. Radices vocat patres, fructum filios. Et enim, inquit, necesse est, vt vos recordemini beneficiorum antè vobis collatorum: nam Num. 13.

Ego eduxi vos de terra Aegypti, & circumduxi vos in deserto quadraginta annis, vt possideretis terram Amorræorum, & assumpsi de filijs vestris in prophetas, & de iuuenibus vestris in sanctificationem. Nunquid non est ita filij Israel? dicit Dominus, propinabatis vinum Nazaræis, & prophetis mandabatis dicentes, Ne prophetetis.

Si quod, inquit, mendacium in verbis meis inuenitis, arguite: atqui hoc nõ potestis, non enim ignoratis, quàm vera hæc beneficiorum enumeratio, quæ contra semper feciſtis: nam non modo leges meas non obseruastis, sed vino quoque obruistis mihi consecratos (hos enim vocat Nazaræos) nullius commoditatis esse docentes erga me obseruantiam, atque prophetas à me missos, ne præsignificarent ea, quæ sibi imperassem, prohibuistis, meam, quod planum cernere est, vocem grauiter ferentes,

Quapropter ecce ego voluam super vos, sicut voluitur plaustrum plenum stipula, & peribit fuga à cursore, & fortis non obtinebit fortitudinem suam, et pugnator non saluabit animam, & sagittarius non sustinebit, & velox pedibus saluari non poterit, & eques non saluabit animam suam, & nudus fugiet in die illa.

Tantis, inquit, vos onerabo supplicijs, vt lugeatis, & gematis sicut plaustrum graui onere pressum, interea dum trahitur gemebundo stridore concrepat. Atqui cũ hæc mala in vos inferentur, nemo ne velocissimus quidem fuga

fuga salutem assequetur, neque strenuus robur virile possidebit, neque sagittarius arte iaculandi nitetur, neq; eques, celeritate equi adiutrice vtens, salutem consequetur, solus nudus effugiet in die illa, dicit Dominus. Eruditens enim vos ego hinc vobis calamitatem afferã: eos, qui aliqua naturæ præstantia excellunt, vel arti confidunt, trucidandos tradam: his autem omnibus priuati, videlicet neque diuitias, neque artem, neque robur habentes, quoniam omnibus rebus denudati salui & integri effugiant, efficiam.

CAP. III.

AVdite verbum hoc, quod locutus est Dominus super vos domus Israel, & contra omnem tribum, quam eduxi de terra Aegypti, dicens: veruntamen vos cognoui de vniuersis tribubus terræ, idcirco vlciscar super vos omnes malitias vestras.

Conuenit, inquit, quæ dicuntur, breui vos audire illud beneficium, memoria complectentes, quòd factor & dominus singulari & summo quodã studio semper vos curaui, vnde factum est, vos vt Aegyptiorum seruitute liberauerim. Hoc verò contra omnẽ tribum, quam de terra Aegypti, nõ alios quosdam designat, sed quoniam Israel commemorauit. Post vero Israel diuisionem, decem tribus Israel nominatæ sunt. Tum ad auditionem eorum, quę dicuntur, inuitat. Iuda & Beniamin, postea ostendens, vt eo permittente hostium exercitus impetum facit, quibusdam similitudinibus verbi sui fidem facit.

Si ambulabunt duo simul omnino, nisi cognouerint se? si ructabit leo de saltu suo predam non habens? si dabit catulus leonis vocem suam de cubili suo omnino, nisi aliquid rapuerit? si cadet auis super terram, nisi aliquid apprehenderit? si clanget tuba in ciuitate, et populus non timebit? si erit malitia in vrbe, quam Dominus non fecit?

Quemadmodum, inquit, non fieri potest, vt duo simul iter quoddam teneant, non inter se communicantes, quòd & quamobrem proficiscantur: aut vt leo rugiat cùm non sit prẽda, aut sine venatore auis cadat, omniaúe alia supradicta fiant, sic non fieri potest nolẽte Deo, vt de quopiam vltio capiatur. Malitiam vltionem vocauit vsus peruulgata consuetudine: mala enim vocare solemus morbos, supplicia, immaturas mortes, pestes, bella, atque his similia, non quia natura hæc mala sint, sed quòd hominibus malum afferunt, tristitiam, & luctum aduehunt. Hoc nos planius Ionas propheta docuit, cùm dixit: Egit pœnitentiam Deus super malitia, quam locutus fuerat: hoc est, super minis perniciosis, & malum afferentibus. quòd hæc ita se habeant, quodque non fieri possit, non permittente Deo, vt de quopiam supplicium sumatur, ex his rebus discę. Per prophetas prædicit, quæ mala sit allaturus peccatoribus. Ionæ 4.

Quia non faciet Dominus Deus aliquid, nisi reuelauerit eruditionem suam ad seruos suos prophetas: leo ructabit, & quis non timebit?

Non hoc itaque ignorantes, veras admittite prædictiones, quas nos vobis non sine metu afferimus. Si enim leo rugiens omnes audientes se perterrefacit, multo magis nos, cùm metu Dei iubẽtis prophetiam docemus. Hoc ostendit, cùm ait:

Dominus Deus locutus est, & quis non prophetabit? annunciate regionibus in Assyrijs & in regionibus terræ Aegypti, & dicite: Congregamini super montem Samariæ.

Quoniam prophetarum verbis non fidem habuistis, Assyrijs & Aegyptijs commissas iniquitates in montibus Samariæ propalam ostendam.

Et videte mirabilia multa in medio eius.

Hæc per ironiam dixit, & quò apertiorem sermonem faceret, subiunxit:

Et oppressionem in ea, & ignorauit quæ futura sint coram ea, dicit Dominus, qui thesaurizant iniquitatem.

Quàm plurimas iniustitias committentes, & pauperes seruitute opprimentes cognoscere noluerunt, quales fructus affert iniquitas, sed thesaurizant iniquitatem, miseriam, & captiuitatem inde metentes. Conuenientissime, thesaurizant, posuit, docens vt nihil ex ijs, quæ facitis, obliuioni mandatur, sed velut thesauro quodam Dei memoria praue & recte facta asseruantur.

Propterea hæc dicit Dominus Deus, Tyrus & in circuitu tuo terra deserta erit, & detrahet de te fortitudinem tuam, & diripientur regiones tuæ.

Ab his quæ in vicinos fient, cognosce, quæ cõtra te edentur, nam nõ Tyrus sola, sed circũ vicinæ gentes vna tecũ vastitati tradẽtur.

Hæc dicit Dominus, Quomodo si auellat pastor de ore leonis duo crura, aut extremũ auriculæ, sic auellentur filij Israel qui habitant in Samaria contra tribum, & in Damasco.

Quemadmodum cùm leo ouem rapuit, omnino deuorat, ac relictis tantum, quæ ad esum inutilia sunt, discedit, quæ colligere pastor cogetur, vt ouium dominis demõstret ouem illam à feris interceptam fuisse: Sic decem tribus Assyrijs tradentur. Illi autem soli captiuitatem effugiẽt, qui propter nimiam vilitatem & infirmitatẽ ab illis contemnentur. Hæc autem, inquit, etiam Damasco vsu euenient, eandem perniciem sustinebit. Hoc vero contra tribum in medio positum ostendit, vt Iuda tribus tum horum malorum expers existet. nam Sennacherib cùm in Hierusalem bellum intulisset, exercitu suo profligato, cum ignominia redijt: quamobrem hæc

Sacerdotes audite, contestamini domum Iacob, dicit dominus Deus omnipotens: quia in die, qua vlciscar iniquitates Israel super eum, vlciscar & super altaria Bethel, & suffodientur cornua altaris, & cadent super terram, confundam & percutiam domum pinnaram super domum æstiuã, & peribunt domus eburneæ, & adijcientur domus albæ multæ, dicit Dominus,

Non, inquit, modo splendidas domos, sed obscuras quoque, & viles demoliar, igniq́ue vastandas tradam, simulque cum domibus ad hyemandum comparatis domos laxas ad

æsta-

æstatem tolerandam accommodatas incendam. Cæterum pinnatam hyemalem conuerterunt Aquila, Symmachus, & Theodotio: tanquam enim quibusdam alis vndiquaq; circundantibus muris, eiusmodi domus habitatores calfaciunt, tum demoliar altaria Bethel impietatis inuitamenta, ac cùm non viri soli, sed mulieres etiam maximam impietatem in se admiserunt, iure etiam has arguit, pernicieméque minatur.

CAP. IIII.

AVdite verbum istud vaccæ Basanitidis, quæ estis in monte Samariæ, quæ opprimitis pauperes, & conculcatis egenos, quæ dicitis dominis vestris, date nobis, vt bibamus.

Vaccas Basanitidis eas mulieres vocat luxu, & voluptatibus diffluētes. eiusmodi enim erant vaccę Basanitidis ob pabuli copiam exultantes: vnde fiebat, vt bona tenuiorum in rem suam conuerterent, atq; viris, quibus ex diuina lege subditæ erant, imperare nō vererentur, in ordinemq; eos redigi iuberent, cuiusmodi Iezabel fuit, viro tanquam mancipio vtens. Propter hanc iniquitatem,

Iurat Dominus per sanctos suos, quoniam ecce dies venient super vos, & tollent vos in armis, & eos, qui vobiscum sunt in ollis negociatores pestilentes, & ejiciemini nudæ contra inuicem, & proijciemini super montem Armana, dicit Dominus.

Accommodate, ait, vobis in tempore pœnas infligam, daboq; vos hostibus, vt viri vestri, eos enim dicit, qui vobiscum sunt, ollis, quibus ignis subiectus est, similes sint ex zelotypia, & conspectu stupri vobis illati: tum hostes tanquam flamma quadam flagrantes cùm furore in viros vestros, tum in vos libidinis incendio exardebunt, omni amictu denudatos viros, & mulieres pariter abigent in Armana montem abducentes. Symmachus Armana conuertit Armeniam: Theodotio verò excelsum montem. Cęterū iurat dominus per sanctos: Symmachus per sanctitatem suam posuit. His dictis iusiurandum interposuit, vt veram esse prophetiam confirmaret.

Introistis in Bethel, & inique egistis in Galgala: multiplicastis impie agere, & intulistis mane hostias vestras, in die tertio decimas vestras.

Hęc vero, inquit, sustinetis, quòd in Bethel, & in Galgalis impietatem in vos admisistis, tridui festos idolis celebrare attentastis, meas decimas meis sacerdotibus constitutas, impietatis ministris attulistis, fœdera quædam, & pactiones cum idolis confecistis, vt eorum leges sequeremini. Hoc enim explicauit, cùm dixit:

Et legerunt foris legem, & inuocauerunt confessiones.

Legem non diuinam vocat, sed ab his, qui idolis seruiunt impositam, deinde prophetæ annunciare iubentur, cùm ait:

Annunciate, quia hæc dilexerunt filij Israel, dicit Dominus Deus.

Non enim obiter & superuacanea opera talem impietatem commiserunt, sed ardenti studio, & summo amore erga hæc extiterunt.

Et ego dabo vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris, & non estis reuersi ad me, dicit Dominus.

Stuporem munditiam dētium Symmachus & Theodotio interpretati sunt: significat vero famem: eorum enim, qui nihil edunt, nullas reliquias cibi dentes habent sibi inhærentes: itaque cùm fames & inopia vos comprehenderit (quoniam ob bonorum copiam in largitorem donorum insultastis) dentes vestri stuporem perpetientur, non amplius cibo vesci valentes, sed similes facti his, quos aut labrusca, aut aliud quippiam acerbius stupefecit, qui cibum conficere nō queunt, atqui hac vobis adhibita correctione, in pristinis malis permanetis. Veruntamen non desistā curare vos, quin alterā vobis afferam correctionem.

Et ego repressi à vobis pluuiam ante tres menses vindemiæ, & pluam super ciuitatem vnam, & super ciuitatem vnam non pluam: pars vna irrigabitur, & pars super quam non pluet, arefiet: & congregabuntur duæ, & tres ciuitates in ciuitatem vnam, vt bibant aquam, & non satiabuntur: & non estis reuersi ad me, dicit Dominus. Percussi vos in ardore, & in aurugine: multiplicastis hortos vestros, vineas vestras, & oliuet a vestra, & ficus vestras comedit eruca: & ne sic quidem conuersi estis ad me, dicit Dominus. Emisi in vos mortem in via Aegypti, & occidi in gladio iuuenes vestros cum captiuitate equorum vestrorum, & eduxi in igne castra vestra in ira mea: & ne sic quidem conuersi estis ad me.

Et ego repressi à vobis pluuiam ante tres menses: hoc est, pluuiam serotinam inhibens, terram sterilem reddam. Tum interponit misericordiam, ostenditque, vt nō hęc sua sponte, & per se accidant, sed meo permissu & numine fiant. Huic quidem vrbi pluuiam dabo, illi vero eiusmodi irrigationem non impartiar: itaq; hęc terra prorsus exiccabitur, illa seorsum pluuia madebit. Eiusmodi autem erit aquarum inopia, vt duæ, tresq; vrbes pariter ad vrbem habentem aquam cōcurrant, bibere expetentes: neq; ita tamē saturitate sitis restinguetur. Et tamē cùm tam grauiter egrotetis, iamq; rursus in alia mala incurreritis, permanetis in iniquitatibus vestris. Atqui ego, animarum nimirum medicus, aliud cauterium attuli, morbos videlicet varios vobis inferēs, modo combustiones, modo aurugines: vobis tamen impietas non excidit. Iam vero post hanc correctionem erucæ deuorandum tradidi, quicquid in vestris vineis, aut oliuetis, aut ficetis hortisue delectabile habuissetis, & ne hoc quidem vobis persuasit, vt cognosceretis harum correctionum auctorem. Ad hæc adiungit, quòd ab Assyrio fugientes, & in Aegyptum peruenire studentes, gladio Assyriorum tradidi, tanquam igne quodam ira vsus: veruntamen ne inde quidem honestum & decorum agnoscere voluerunt: quamobrem, inquit,

Subuerti vos, sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorram.

Non

Non alium illud fecisse demonstrat, sed de se ita loquitur.

Et facti estis sicut torris erutus de igne: & ne sic quidem conuersi estis ad me, dicit Dominus.

Quemadmodum torris semiustulatus ignis efficaciam & vires ostendit, verum ad nullam rem vtilis est, nisi vnico igni, sic vos multis cęsis in captiuitatē correpti, omni potentia spoliati, ad solam seruitutem apti existetis,

Propterea sic faciam tibi Israel, veruntamen quia sic faciam tibi, præparare, vt inuoces Deum tuum Israel: quia ecce firmās tonitruum, & creans spiritum, & annuncians in homines Christum suum, faciens mane, & nebulam, & ascendens super excelsa terræ: Dominus Deus omnipotens nomen eius.

Propterea sic faciam tibi. Etsi ex inueterato morbo laboratis, tamen congruam vobis curationem afferam: hoc itaq; liberatus morbo robusto & inueterato, Israel dominū tuum implora & require, qui aerem rarum, & cedentem, & mollem in sonitum horribilis tonitru conuertit, ac ventis, quos ipse creauit, hoc cōmouet, & conuersat. Quòd regem ad te liberandum delectum ostendit: Cyrum intelligit. Est autem facillimum Deo in multa nocte facere diem, & in mediam diem offundere tenebras. Quemadmodum tibi in media die constituto (huic enim similis est pax) captiuitatis caliginem inuexit: Sic seruitutis noctem cessare faciens, lætissimum libertatis diluculum exoriri iubet. Ascendit autem super excelsa terrę: hoc est, omnium est summus, & excelsissimus, omnemque orbem terrarum implet: ac cùm sit dominus & Deus, imperium omnium rerum tenet. Atque ita explicatis prosperis & secundis rebus, in contrariam partem cōuertens sermonem, nunc his perterrefacit, nunc illis consolatur, & comparatur, vt prompte operam pœnitentiæ dare possint,

CAP. V.

AVdite verbum istud, quod ego assumam super vos planctum. Domus Israel cecidit, nō adijciet amplius vt resurgat. Virgo Israel proiecta est super terram suam, non est, qui suscitet eam.

Misericors dominus malè affectos, atq; pœnitere nolentes non dedignatur lamentari. Hoc vero, Non adijciet amplius, vt resurgat: non libertati Euangelicę contrarium est, quin potius significat, quòd non amplius per suos regentur, neque proprium regem habebunt. Si quis diligenter attendat, inueniet horum exitum post eam insaniam, quam in saluatorem nostrum ediderunt, tum enim ceciderūt, ac in illo casu in hanc diem permanserunt. Virginem eam vocat, propter priorem pietatem proiectam, & corruptam, propter cultum, quem idolis postea dedit. Non est qui suscitet eam: ostendit, vt nullo subsidio humano adiuuatur, Deo enim repugnāte nec Aegyptiorum rex, nec alius quispiā eis auxiliari potuit. Deinde prænunciat eorum futuram paucitatem, cùm ait,

Vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel: quia hæc dicit Dominus ad domum Israel, Quærite me, & viuetis. Et nolite quærere Bethel, & in Galgala ne ingrediamini, & super puteum iuramenti non transeatis, quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit, quasi non sit.

At tandem aliquando Bethel & Galgala, & super puteum iuramenti idolorum cultu relictis, meam quærite prouidentiam: inde enim vitam consequemini. Bethel autem, & Galgala simul cum idolis tradentur hostibus. Non obscura vero insania erat, non solum ex puteo illo non recordari pietatis Abraæ, sed etiam apud eum impietatem committere. Puteus iuramenti, בְּאֵר שָׁבַע, Beersabee.

Quærite Dominum & viuite, ne forte succendatur vt ignis domus Ioseph, & deuoret eam, & non sit qui extinguat domum Israel.

Ex his aperte cognoscimus, vt peccatū nobis incendit flāmam malorum, vt vero in Deum amoris studium vitam nobis conciliat.

Qui facit in excelso iudicium, & iustitiam in terra posuit.

Quod sibi videtur, iudex iustus, inquit, decernit & iudicat, atque eius iudicia in terra perficiuntur.

Qui facit omnia & transformat, & conuertit in mane vmbram mortis, & diē nocte contenebrat, qui vocat aquam maris, et effundit eam super faciem terræ, Dominus Deus omnipotens nomen eius.

Confidite, inquit, Dei potestati, hancque spē amplectimini: facile enim & facit, & transformat quod vult, atq; ei facillimum est maxima pericula in animi tranquillitatē & securitatem transferre. Vmbram mortis, magna pericula nominauit. Tum felicibus facile miserias inferre potest, tumq; aquam maris nutu suo in aerem subtrahens, nubibus irrigat terram. Deus enim est, & omnium rerum dominus.

Qui diuidit contritionem super robur, & miseriam super munitionem adducit.

Nullo negotio infirmatos ad pristinum robur reducit, & robustos in miserias & debilitatem deducit.

Odio habuerunt in portis arguentem, & verbum sanctum abominati sunt, propterea quia pugno percutiebatis pauperes, & munera electa accipiebatis ab eis. Domos dolatis lapidibus ædificastis in eis, vineas desiderabiles plantastis, & non bibetis vinum earum, quia ego cognoui multas impietates vestras, & fortia peccata vestra, conculcantes iustum, accipientes commutationes, & pauperes in portis declinantes.

In more antiquorum positum erat, quantū nonnulli ferunt, vt conuentus pro foribus agerentur, senatusq; haberetur: quò congregabantur, eò prophetæ reprehensiones afferebant: veruntamen iniuste ac impie viuentes, non veris obiurgationibus obtemperabant, neq; iusti verbum recipiebant. Cùm itaq; hęc commiseritis, & pauperes præterea oppressos manu, & procacitate linguę assidue contumelioseacceperitis, tum munerum corruptelis gaudentes studueritis facultates vestras augere, hoc cognoscite, quod nō habitabitis in domibus, quas belle & pulchre instruxistis, & ornastis, neque vineas, quas magno studio plantastis,

taſtis, vindemiabitis: nam immenſa impietas veſtra & iniquitas, horum vſu vos priuabit. Conculcaſtis iuſtitiam, munera à potentioribus accipientes, iudicijs veſtris pauperes condemnantes.

Ideo qui intelligit in tempore illo, ſilebit, quia tempus malum eſt.

Omnis prudens, ac qui honeſtum intelligere poteſt, videns mala vobis exaggeratè & cumulatè illata, cumq; ſtupore admirans prædictionis veritatem, præ moleſtia loqui nihil poterit: itaque

Quærite bonum & non malum, vt viuatis, & erit ſic Dominus Deus omnipotens vobiſcum, ſicut dixiſtis odio habuimus mala, & dileximus bona: & reddite in portis iudicium, vt miſereatur dominus Deus his, qui reliqui ſunt de Ioſeph. In cunctis plateis planctus, & in omnibus vijs dicetur, væ, væ. Vocabitur agricola ad luctum, & ad planctum, hi qui ſciunt lamentationem, & in omnibus vijs planctus, quia pertranſibo per medium tui, dicit Dominus.

Verbis, inquit, facta reſpondeant, & qui profitemini vos amare bona & honeſta, à vitijs ſitis abhorrentes, re ipſa veritatem verborum oſtendite: hoc dum fiet, ab omnipotente Deo vitam aſſequemini: ſin hæc non feceritis, plateæ, & vię lamentis & gemitibus perſonabũt: vt etiam agricolæ, agrorum cultu abiecto, lamentis & plangoribus ſint poſituri operas ſuas. Hęc autem preſente me pœnarum & ſupplicíorum auctore efficientur.

Væ deſiderantibus diem domini, vt quid hanc vobis diem Domini? & ea eſt tenebræ, & non lux: quomodo ſi fugiat homo à facie leonis, & incidat in eum vrſus, & introeat in domum, & innitatur manibus ſuis ſuper parietem, & mordeat eum coluber. Nónne tenebræ dies domini, & non lux, & caligo, & non habet ſplendorem?

Cùm autem quidam eſſent in temeritate innutriti, in pertinacia obfirmati, qui fremebundi prophetarum vaticinationibus repugnarent, diuina orcula falſa vocitantes, prędictionum abſolutionem, perfectionemque expoſtulantes, eos dominus lamentis & fletibus dignos appellat, qui nimirũ tenebras pro luce deſiderarent videre. Qui autem prophetię finem videre expetunt, nihil differunt ab homine, qui cùm leonem impetentem effugiſſet, quàm mox in vrſum incurrit, cumq; inde metu plenus domum occupaſſet, inconſideratuſque exanimi perturbatione ad parietem manũ firmaſſet, ab acerbiſſimo colubro morſus ſit: nam quemadmodum ille tenebras, & non lucis ſplendorem in illa die videt, ſic iſti altiſſimis tenebris in illa die vltionis tradentur.

Odio habui & repuli feſtiuitates veſtras, nec odorabor in conuentionibus veſtris: etſi obtuleritis mihi holocauſta & ſacrificia, non ſuſcipiam, & ſalutare præſentiæ veſtræ non reſpiciam: transfer à me ſonitum carminum tuorum, et pſalmum organorum tuorum non audiam.

Eſa. 1. Eadem per Eſaiã eis dixit Dominus: Quid ad me multitudo victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum holocauſtis arietum, & adipem agnorum, & ſanguinem vitulorum, & hircorum nolo. Et deinceps omnia enumerat, quæ ex lege ei offeruntur, ea omnia vt ſe dicit execrari, ſimiliter etiam hoc loco ſe dicit feſtos odio perſecuturum, ſacrificia in cõuentionibus oblata non eſſe ſuſcepturũ: nam, Non odorabor, poſuit loco non ſuſcipiam. Eodem modo de Noe beatus Moſes inquit: Odoratus eſt dominus odorem ſuauitatis: hoc eſt, approbauit eorum, qui obtulerant ſacrificia, inſtitutum & voluntatem: non his enim Deus eget, ac ne proſalute quidem ſua victimas offerentibus, meam, inquit, præſentiam præſtabo. Define igitur cantare cantica: ceſſa vti muſicis inſtrumentis, his enim non delector, etſi principio hæc fieri iuſſi, rebus nimirum delectabilibus & ludicris ad ſeria te conducere ſtudens. *Gen. 8.*

Et voluetur ſicut aqua iudicium, & iuſtitia ſicut torrens inuius. Nunquid hoſtias, & victimas obtuliſtis mihi in eremo quadraginta annis domus Iſrael, & aſſumpſiſtis tabernaculum Moloch, & ſitus Dei veſtri Rephan, figuras eorum, quas feciſtis vobis?

Conſtitutum contra vos iudicium iuſtum torrentis inſtar, & violentiſsimæ aquæ, in vos pœnas & ſupplicia inferet, exitumque inuenire non poteritis. Recordemini vt quadraginta annis in deſerto agentes, non ſacrificijs me coluiſtis, ſed ibi hanc impietatẽ exercuiſtis, vt idolorum fabricatis ſtatuis, & ſideribus quibuſdam omni ex parte cultum adhibueritis. Moloch, & Rephan idolorum nomina ſunt. In procemio prophetiæ de Moloch mentionem fecit. Quamobrem

Transferam vos trans Damaſcum, dicit dominus, Deus omnipotens nomen eius.

Cùm Syrorum finitimorum ſuorum ſeruitutem grauiter ferrent, propheta perterrefacere volens magis longinquam prædicit. Intelligit autem de ſeruitute, quam Aſſyrijs ſeruituri eſſent. Hoc beatus Stephanus in Actis explanans, inquit, Transferam vos trans Babylonem. *Act. 7.*

Væ qui deſpiciunt Sion, & confidunt in monte Samariæ: vindemiarunt primitias gentium, & ingreſſi ſunt ſibi.

Miſeri, inquit, & ter infelices, qui Samariæ confidentes, Sion contemnunt: & non animaduerterunt, quemadmodum Deus non Sion pie obſeruatus in terram promiſsionis primis habitatoribus funditus perditis, eos induxit, ſin hæc non ita habere opinamini:

CAP. VI.

DOmus Iſrael tranſite omnes in Chalanen, & pertranſite inde in Emat magnam, & deſcendite in Geth alienigenarum optimas ex omnibus regnis his, ſi ampliores ſunt termini eorum terminis veſtris.

Si proficiſcamini in ſupradictas vrbes, quæ ſunt maximæ, & modo cõmemoratorum regnorum præſtantiſsimæ, planè cognoſcetis non eſſe minorem terram, quam colitis, ea, quam illi tenent.

Qui

Qui venitis in diem malum appropinquatis, et tangitis ſabbata mendacia.

Qui ſeſe fecerunt dignos, vt pœnas dét. Diem malum, vocat vltionis & pœnarum diem: qui videntur venerari ſabbata, in eis mille flagitia committunt.

Qui dormitis in lectis eburneis, & affluitis delicijs in ſtratis veſtris, & comeditis hœdos de gregibus, & lactentes vitulos de medio armentorum: qui concrepatis ad vocem organorum quaſi ſtantia putauerunt, & non quaſi fugientia: qui bibitis vinum defecatum, & primis vnguentis vngimini.

Increpationibus eorum delicias exagitans eos ſibi lectos ſternere eburneos ait, omnibusque cubandi & edendi voluptatibus diffluere: tum hœdis ex grege, vitulis ex armento vobis apportatis perfundimini, inſtrumentisque ſuaui harmonia vos permulcentibus, plauſu manuum ad ſonum accommodato, vino odorato & defecato adhibito, vnguenti ſuauiter olentiluxum cumulante redundatis: cùm, inquit, ſic viueretis, & diſſolutũ genus viuendi eſſetis amplexi, atque hæc legitima & perpetua exiſtimaretis, non cogitaſtis eorum ſtatum fluxum, & parum diuſtabilem.

Et nihil patiebamini ſuper contritione Ioſeph.

At nullo ſenſu doloris tolerabatis nefaria ſcelera admittentes. Ioſeph eos appellauit, quoniam ex Ioſeph natus eſt Ephraim, decem tribus Ephraim nominantur:

Propterea nunc captiui erunt ab principatu fortium, & auferetur hinnitus equorum ex Ephraim: quia iurauit dominus per ſemetipſum, dicit dominus Deus virtutum, quia ego abominabor omnem contumeliam Iacob, & regiones eius odi: & auferã ciuitatem cum omnibus habitatoribus ſtis.

Principes, inquit, viribus præſtantes eos captiuos abducent, denique Ephraim potentia capietur, veraciſsimę enim, & fortiſsimus eſt, qui hunc calculum contra eum tulit: itemque arrogantiæ & contumeliæ eos condemnauit, & impietatem deteſtatus eſt.

Et erit, ſi remanſerint decem viri in domo vna, & mortui fuerint, & tollent domeſtici eius, & conabuntur, & vt auferant oſſa eorum de domo, & dicet his, qui præſunt domui, ſi adhuc eſt apud te? & dicet, nequaquam: & dicet, tace, nec nomines nomen domini.

Tanta, inquit, incolarum vrbis internecio fiet, vt in aliquibus ædibus omnes habitãtes pereant, viciniique, propinquiue genere ex alijs ædibus profecti, mortuorum cadauera humanda curent. Deinde inueſtigent, inter ſeſeque interrogẽt, nunquid ſit aliud inſepultum? interius autem reſpondentibus nihil eſſe: ſilentio, inquit, attoniti exeunt hoc facere inuicem iuſſi, vt Deo omnipotente hunc calculum ferente.

Propterea ecce dominus mandabit, & percutiet domum magnam ruinis, & domum paruam ſciſſionibus, ſi perſequentur in petris equi: ſi reticebunt ad fœminas, quoniam conuertiſtis in furorem iudicium, & fructum iuſtitiæ in amaritudinem, qui lætamini ſuper nullo verbo bono: nónne in fortitudine noſtra habuimus cornua?

Equi, inquit, in petris currere non poſſunt, neque hoſtes contra vos proficiſcentur, priorem veſtram excelſitatem ob flagitia admiſſa aſpernati, quemadmodum equi ad equas quas proſpexerunt, hinniunt: ſic hoſtes expeditiſsimo impetu in vos vtentur, quoniam iudicis iracundiam in vos concitaſtis, acerbamque & iuſtam ſententiam ferre coegiſtis: nam nõ honeſtis rebus vos oblectatis, at faſtu, & ſuperbia ferocientes, veſtris viribus prius imperium adſcribitis.

Quia ecce ego ſuſcitabo ſuper vos domus Iſrael, ait dominus Deus exercituum, gentem: & conteret vos, non vt introeatis in Emath, & vſque ad torrentem occidentis.

Hoc eſt, ex omni terra à vobis antea habitata vos expellam. Hieroboã enim, ſub quo hæc prophetia edita eſt, propagauit, inquit, fines Iſrael ab Emath vſque ad mare occidentale, vt regnorum docet hiſtoria: atqui ego, inquit, veſtros fines hoſtibus tradam.

CAP. VII.

SIc oſtendit mihi dominus, & ecce fœtus locuſtarũ venit matutinus, & ecce bruchus vnus Gog rex, & erit, ſi compleuerit, vt deuoret fœnum terræ. Et dixit: Domine Deus propitius eſto: quis ſuſcitabit Iacob, quoniam modicus eſt? pœniteat te domine ſuper hoc, & hoc non erit, dicit dominus.

Cùm horribile, inquit, ſpectaculum illud vidi, Deum rogaui, vt miſereretur, atq; internecionem reſtingueret, non ille tamen meis precibus aſſenſus eſt, propter (vt veriſimile eſt) iniquitatis magnitudinem. Fœtus autẽ locuſtarum, appellauit Aſſyrium: Bruchum vero Babylonium. Cæterum vnus Gog rex exercitus magnitudinẽ indicat. Quemadmodum, inquit, Gog Scythicarum gentium rex cõtra Hieruſalem quàm plurimam multitudinem coegit, ſic Aſſyrij, & Babylonij maximo exercitu aduenient: quin etiàm & brucho & locuſtę eorum fructus tradidit, & ſimiliter erucæ, hoc enim ſupra prædixit.

Sic oſtendit mihi dominus Deus: & ecce vocauit iudicium in igne dominus Deus, & deuorauit abyſſum multam, & comedit partem: & dixi: Domine deſine: quis ſuſcitabit Iacob, quoniam paruulus eſt? pœniteat te domine ſuper hoc, & hoc non fiet.

Iudicium vocat iuſtam Dei ſententiam: Ignem vero, hoſtes: Abyſſum multam, infinitas gentes ab illis in ſeruitutem redactas. Partem autem appellat Iſrael. Sic enim etiam Moſes inquit: Et facta eſt pars domini populus eius Iacob. Tum rurſus, vt hæc vidi, dominum rogaui, verum non perſuaſi. *Deut. 32.*

Sic oſtendit mihi dominus, & ecce vir ſtabat ſuper murum adamantinum, & in manu eius adamas, & dixit dominus ad me: Quid tu vides Amos? & dixi, adamantem. Et dixit dominus ad me: Ecce ego inijciam adamantem in medio populi mei Iſrael, nequaquam vltra addam, vt pertranſeam eum: & diſſipabuntur aræ riſus, & ſacrificia Iſrael deſolabuntur, & conſurgam ſuper domum Hieroboam in gladio. Et miſit Amaſias ſacerdos Bethel ad Hieroboam, dicens: Congre

gationes facit contra te Amos in medio domus Israel, non poterit terra sustinere omnes sermones eius.

Luculentam, inquit, & admodum duram plagam inferam, similemque adamantis, qui ex omnibus materijs durissimus est, & fortissimus. Non in posterum permittam impietatem ab his admissam impunitam præteriri, quin vnà cum ipsis altaria idolorum delebo, eorumque festos dies extinguam. Omne denique eorum regnum dissoluam. Domum enim Hieroboam regnum vocauit: quandoquidem non tempore Hieroboam, sed post hunc, & sex alios reges prædictio finem habuit. Cùm autem hæc à propheta dicerentur, cumque Amasias Bethel sacerdos metueret, ne si minationibus diuinis populus perterrefactus fuisset, atque ad pœnitentiam se tradidisset: desisteret idola obseruare, & ipse interim quæstus occasiones amitteret, falsa veris assuens ad regem defert prophetam, & criminatur his verbis consequentibus:

Dicit Amos: In gladio morietur Hieroboam, populus autem captiuus ducetur de terra sua.

Quæ de populo & regno detulit, vera erant: quod vero de rege dixit, non obscurum erat mendacium. Sed tamẽ minime hoc Hieroboam ad perniciem prophetæ afferendam commouit: at ne hoc quidem Amasiæ persuasit, vt desisteret ꝓphetæ obtrectare. At ipse prophetam iubet excedere, & in Iudæa agere, ibique futura prædicere, quòd Bethel feriũcta sit à regno Israel. Amos libere, & confidenter suum institutum profitetur, & diuinitus ei donatam gratiam aperit, cùm ait:

Non eram propheta ego, neque filius prophetæ, sed pastor vellicans sycamina.

Porrò hoc, quod ait, vellicans sycamina, hoc est, συκάμινα κνίζων, ꝙ Aquila interpretatus est, ἐρεθυνῶν συκομώρεας, hoc est, scrutãs sycomoros: et Theodotio, χαρακῶν συκαμίνους, id est, colligens, siue exaggerans: et Symchachus, ἔχων συκομώρεας, id est, habens sycomoros. Arboris species est sycomorus in Palæstina: cuius mentionem facit Lucas Euangelista, cùm dixit in arborem sycomorum ascendisse Zachęum. Audiui quendam, cùm illum Lucę locum enarraret, quòd harum fructus non maturescit, nisi prius illi breuem quandam incisionem admoueris. Hanc igitur vero proximum est Septuaginta intellexisse, & vellicans loco exaggerans, vel colligens, posuisse.

Luc. 19.

Et tulit me dominus ex ouibus, & dixit dominus ad me: Vade & prophetiza super populum Israel. Et nunc audi sermonem domini. Tu dicis, noli prophetare super Israel, & ne congreges audientes contra domum Iacob: propterea hæc dicit dominus, vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & terra tua funiculo diuidetur, & tu in terra immunda morieris, Israel autem captiuus ducetur de terra sua.

Agriculturam exercentem, & pecori ouillo vacantem me suscepit dominus ex ouibus, & prophetiam docere iussit. Suscipe igitur Amasia etiam contra te prædictionem, quoniam me Israel populo prophetiam explicare vetas, ne lucra tua impediam. Scito igitur vxorem, quam nunc habes, te visurum publice, & palam ab hostibus per vim stupratam, quia populum ad idololatriæ insaniam pellexisti: tu vero in externa terra è vita excedes: ac vniuersus populus easdem, quas tu, pœnas dabit. Vobis autem ita affectis terra alijs tradita diuidetur.

CAP. VIII.

Sic ostendit mihi dominus Deus, & ecce vas aucupis, & dixit, Quid tu vides Amos? & dixi, Vas aucupis.

Visio hæc celerem & expeditam venationem Israel designat. Quemadmodum enim aues visco facile capiuntur, sic ab Assyrijs populus apprehendetur.

Et dixit dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel, non addam vltra, vt pertranseam eum, & vlulant laquearia templi. In die illa, dicit dominus, multi cadentes erunt, in omni loco inijciam silẽtium. Audite hæc, qui conteritis mane pauperem, & opprimitis egenos de terra: qui dicitis, quando pertransibit mensis, & negociabimur: & sabbata, & aperiemus horreum, vt faciamus minorem mensuram, & maius pondus, & faciamus statera iniquam, vt possideamus in pecunia pauperes, & egenum pro calciamentis, & de omni venditione negociemur.

Ignis hostium etiam in templum meum inuadet. Templi laquearia vlulatum appellauit clamorem intus necatorum, & crepitum lignorum deflagratorum. Cæterum multi cadentes erunt, in omni loco inijciam silentium. Tanta, inquit, cæsorum erit multitudo, adeoq; altum silentium, vt & vias, & vicos vacuitate habitantium sit occupaturum. Itaque hæc attendite, qui inopia, & paupertate constrictos opprimitis, qui Calendas & sabbata consideratis, & iniquos quæstus facitis è ponderibus, & mensuris iniustis, multisque modis item pauperes in seruitutem redigitis, atque ex omni genere negociationis pecunias conficitis.

Iurat dominus contra superbiam Iacob: si obliuiscetur in finẽ omnia opera vestra, & super his nõ conturbabitur terra, & lugebit omnis habitator eius, & ascendet quasi flumen consummatio ipsius, & descendet quasi fluuius Aegypti: & erit in die illa, dicit dominus Deus, occidet sol meridie, & cõtenebrescet super terrã in die lux, & conuertã solennitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctũ, & inducam super omnem lumbũ saccum, & super omne caput caluitiũ, & ponam ea quasi luctum dilecti, & qui cũ eo sunt quasi diem doloris. Ecce dies veniunt, dicit dominus Deus, & emittam famem super terram: non famem panis, neq; sitim aquæ, sed famem audiendi verbũ domini, & commouebuntur aquæ de mari vsq; ad mare, & ab aquilone vsque ad orientẽ circuibunt quærentes verbum domini, & non inuenient. In die illa deficient virgines pulchræ, & iuuenes in siti.

Superbiam vocat iniustitiam, quam petulanter in pauperes cõmiserunt. Cùm autẽ dominum iurasse dixit, suorum verborum veritatem

tatem ostendit. Non, inquit, in futurum in obliuionem vestra impia facinora venire patiar, sed omnem, vt sic dicam, in vos commouebo terram. Terra autem vestra vacua relicta, vos captos abducẽt. Hoc innuit, cũ dixit: Descendet quasi fluuius Aegypti, iam tum sol medio die in tenebras conuersus esse videbitur his, qui calamitatibus constringuntur, itemq; festos dies in luctum, cantica in lamentũ transferam, tumq; habitum lugubrem ferẽt omnes, decora coma tonsi, & sacco vestiti, vt morte vnigeniti filij lugentibus similes sint. Famem præterea, & caritatem inueham nõ frugis, aut aquæ, sed prophetiæ, & diuinæ doctrinæ, atque aquarum more huc illuc erroribus vagantes circuncursabunt, verbum Dei inquirẽtes, & desiderato frustrabuntur: sed & virgines elegantes, & cum his enutriti iuuenes siti oppressi ad necem tradentur.

Qui iurant per propiciationẽ Samariæ: qui dicunt, viuit Deus tuus Dan, & viuit Deus tuus Bersabee.

Fines autem hi erant terræ Israelitarum. In Dan altaria primus excitauit Hieroboã. Bersabee vero puteus est iuramenti, de quo suprà mentionem fecit, vbi idola venerabantur.

CAP. IX.

Vidi dominum stantẽ super altare, & dixit, percute super propiciatorium, & commouebuntur vestibula.

Per hæc ostendit, vt Dei iussu, & nõ sua virtute hos vincet Babylonius.

Et disjice in capita omnium.

Hoc etiam B. Ezechiel vidit: etenim illic inuisibiles potestates securibus vtentes, vrbẽ omnem peruadere iussæ sunt, atque omnes percutere præter eos, qui signum haberent. Idem hoc loco fieri iussit, cùm ait: Disijce in capita omnium. Atque in hunc modum infinita cæde designata infert,

Et reliquos eorum gladio interficiam: non fugiet ex eis, qui fugerit: & non saluabitur ex illis qui fuerit resaluatus. Si defossi fuerint in inferno, inde manus mea euellet eos: & si ascenderint in cœlũ, inde detrahã illos: si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferã eos: & si demerserint se ab oculis meis in profundum maris, ibi mãdabo draconi, & mordebit eos: & si abierint in captiuitatẽ ante faciem inimicorum suorum, ibi præcipiam gladio & interficiet eos.

Si, inquit, in infernum descenderint, inde eos manu subtraham: si in cœlum ascẽderint, quod non fieri potest, hinc eos deijciens hostibus tradam: sin in Carmelum fugerint, nullo negocio illinc eos accipiam: sin in maris altitudinem se demergere conẽtur, beluis illic agentibus conficiendos curabo: sin autem ad hostes perfugere aggrediantur, neque sic se tuebuntur.

Obfirmabo oculos meos super illos in mala, & non bona: & dominus Deus omnipotẽs, qui tangit terram, & commouet eam, & lugebunt omnes habitatores terræ eius, & ascendet sicut fluuius consummatio eorum, & descendet sicut flumen Aegypti, qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & repromissionem suam super terram fundat.

Huic quod Dauid ait, simile est, qui in excelsis habitat, & humilia respicit.

Qui vocat aquam maris, & effundit eam super faciem terræ: dominus omnipotens nomen eius.

Ostendit potestatis opera, vt ex his confirmet minas.

Nõne vt filij Aethiopum vos estis mihi filij Israel? dicit dominus.

Cùm eadem sitis natura, qua Aethiopes, cæterique homines, maiori studio tamen præter omnes curatis estis: id quod explanauit, cùm subiunxit,

Nõne Israel eduxi de terra Aegypti, & alienos de Cappadocia, & Syros de fouea?

Priori patria relicta, alij item, inquit trãslati in alienas terras peruenerunt, vt Syri, vt alienigenæ: sed alia conditione quàm vos. Nam illorum soli euersionem, & commigrationem celebrat nemo, vestram vero omnes homines in ore habent. Age vero illi quidem cùm semigrarunt cum alijs habitantes, ad illorum leges se accommodare coguntur: vos cõtrà indigenas superastis, atque eos omnes funditus interemistis, cumque auxilio meo vteremini, terræ eorum domini effecti estis.

Ecce oculi domini super regnum peccatorum, & auferam illud à facie terræ: veruntamen non in finem auferam domum Iacob, dicit dominus: quia ecce ego præcipio, & ventilabo in cunctis gẽtibus domum Israel, sicut ventilatur in ventilabro, & non cadet contritio super terram: in gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, non appropinquauit, neque venient super nos mala.

Etiamsi innumeris iniquitatibus cooperti sunt, non certe funditus perdam, sed eos nunc in captiuitatem dispergam: nec vero secus quàm agricola à quisquilijs, & purgamẽtis frumentum secernit: ego etiam salute dignos seruabo, reliquos necãdos tradam, qui meis verbis credere noluerunt, sed effugere, ne minas meas experiantur, se posse sperarunt.

In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod ceciderat, & ædificabò ea, quæ corruerant, & quæ suffossa sunt, suscitabo, & instaurabo ea, sicut dies antiquos, vt quærebant me reliqui hominũ, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus, faciens hæc omnia. Ecce dies veniunt, dicit dominus, & apprehendet tritura vindemiam, & variabitur vua in semente, & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles consiti erunt, & conuertam captiuitatem populi mei Israel, & ædificabunt ciuitates dissipatas, & habitabunt, & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, & facient hortos, & comedent fructum eorum.

Hæc quidam in Zorobabel attribuerunt ei conuenire existimantes, quòd genus suum ex Dauid traheret, nec vero animaduertere voluerunt, vt excessit è vita, cùm parum diu regnasset. Prophetia autem æternorum bonorum continet promissionem, & omnes gentes cognituras Deum, de quibus nihil in factis Zorobabel euenisse inuenimus. Atqui dominus noster Iesus Christus, quantum ad carnem pertinet, manans ex genere Dauid, quæ

promissa sunt Dauid, compleuit. Nam verbum caro factũ est, & diuersatus est in tabernaculo apud nos, quod ex Dauid acceperat. Conuenienter igitur propheticus sermo Dauid tabernaculum reædificatum, dicit permansurum, non in breue tempus, sed in æternum. Eius etiam modi Deus promisit Dauid: Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli. Et rursus: Vsq; in æternum præparabo semen tuum, & ædificabo in generatione & generationem sedem tuam. Iam eandem promissionẽ per beatum Amos renouat Deus omnipotens polliceturque item gentibus donum cognoscendi Deum. Nam, inquit, Dauidico tabernaculo reædificato, cæteri homines me requirent, omnesque gentes, super quas inuocatum est nomen meum: Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et demonstrans dictorũ veritatem, subdidit: Dicit dominus, faciens hæc omnia, nempe quires facit, prædixit verba: quoniã vero omnes spirituales promissiones attendere non queunt, necessario etiam bonorum corporeorũ promittit suppeditationem, tantamque horum fore abundantiam præsignificat, vt præ vindemia relinquatur messis propter fructuum, vt par est, multitudinem. Agricolæ nimirum non metere poterunt, & triturare, quæ messuerint: quinetiam vix, inquit, sementes factę erunt, cùm rursus erit vindemiandum: montesq; omnium generum fructus dabunt: nullus colliculus plantis nudus relinquetur. Captiuitate autem liberatus populus, vastatas vrbes reædificabit, atque in eis habitans tutò agros colet, plantans, & seminans, laborumque fructus percipiens, ac quàm diutissime eis datam patriam habitabunt: hoc explicauit cùm dixit,

Psal. 88.

Et plantabuntur super terram suam, & non auellentur amplius de terra sua quam dedi eis, dicit dominus Deus omnipotens.

Rom. 8.

Est autem intelligendum, Deum sæpe bona polliceri, sed promissiones excipiẽtes non ad finem prædictiones, iniquitatibus gaudentes, peruenire sinunt. Minatur vero interdũ acerba, in quorum periculum non incurrunt metu pœnarũ. Quamobrem Iudæi, cùm contra dominum insanijssent, cùm venit in hunc mundum, seipsos bonis promissis priuarunt. Nos vero vtinam possimus hanc vitam secundum leges diuinas rectè agere, pœnitentiaque peccatorum sordes abijcere, ne in malorum pericula incurramus, sed consequamur bona promissa per gratiã conseruatoris Christi, quo cũ Patri gloria & Spiritui sancto nũc, & semper in sæcula sæculorum Amen.

FINIS PROPH. AMOS.

ABDIAE ARGVMENTVM.

IDVMAEI ab Esau progenitore profecti, ex quo nomen habuerunt (Edom enim appellatus est, quòd primogenituræ lenticulam antetulisset) non modo nominis, sed nequitiæ etiam illius hæredes extiterunt: atq; quemadmodum ille maximam iracundiam in Iacob exercuit, vt palã diceret, appropinquent dies patris mei, vt occidam fratrem meum: sic hi in manantes à Iacob continenter ira, & inuidia exardentes, eis insidias incredibiles instruxerunt. Cùm Aegyptiaca seruitute liberati Mose magno duce, & præfecto, in terram promissam proficiscerentur, non modo humaniter non eos exceperunt, sed ne per fines quidem suos iter facere permiserunt, cùm tamen Moses magnus per legatos hoc ab eis contendisset, ac confirmasset non diuersuros, neq; ad dextram neque ad sinistram, sed peruulgata via se iter inituros, vsumque aquarum empturos: tum postea sæpenumero insitum odium præse tulerunt, ac professi sunt, nunc soli bellum contra eos comparare aggredientes, nunc bellum mouentibus subsidio venientes. Cùm autem Assyrij & Babylonij eis bellum intulissent, incredibilibus malis eos vexarunt. Nam non hostibus solum auxiliabantur, sed insidias etiam eis comparabant. Cumque fugere conarentur, insidijs positis, eos comprehendebant, eorumque partim interficiebant, partim hostibus venundabant. Quamobrem iudex iustus mirificum Abdiam prophetico dono cumulauit, ac prædicit mala Iudæos apprehensura. Itaque breuiter explicato argumento vaticinationum, ipsam sententiam planam faciemus.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN PROPHETAM ABDIAM.

VISIO Abdiæ.

Hoc est, diuinitus facta Abdiæ reuelatio hæc est.

Hæc dicit Dominus Deus Idumææ.

Non, inquit, humana ratione vtens hæc verba facio, sed Deus omnipotens, tanquam organo quodam mea lingua vsus, Idumææ futura prædicit: ac docens cuiusmodi hæc sint, infert,

Auditum audiui à domino, & munitionem ad gentes misit.

Pro munitione, Symmachus nuncium vertit. Per hæc autem ostendit, vt ipse dominus contra Idumæam hostes concitabit, ac inducit,

Surgite, & cõsurgamus aduersus eum in prælium.

Tanquam quispiam belli imperator aduersus eos exercitũ coegit, ostendens, vt ipse hæc mala eos sustinere efficit.

Ecce minimum dedi te in gentibus, inhonoratus es tu valde.

Et causam quamobrem id fiat, docet.

Superbia cordis tui eleuauit te.

Postea docet superbiæ causas.

Habitantem in foraminibus petrarum.

Deinde etiam eius cogitationes planas facit.

Exaltantem habitaculum tuum, atque dicentem in corde tuo, Quis me deducet in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter media sidera ponas nidum tuum, inde te detrahã, dicit dominus.

Altissimis montium fastigijs Idumæa vndiquaq; munita erat, hęc conscendentes, cùm ab hostibus impetebantur, sæpe hoc modo ex multis insidijs euaserunt: quoniam his confidens, insolescis & elato animo es, quòd sis inexpugnabilis: expugnabilem te, & hostibus facilem captu efficiam, nec ex manibus hostium effugies: non si more aquilę sublimis tollaris, & super nebulas voles, atque in ipsis sideribus habites. Ac explicans vt funditus peribit, intulit,

Si fures introissent ad te, vel latrones per noctem, vbi proiectus esses? nónne furati essent sufficientia sibi? et si vindemiatores introissent ad te, nónne reliquissent racemum? quomodo perscrutatus est Esau, & deprehensa sunt abscondita eius.

Fures statim direptis in prõptu positis discedunt, non audentes vniuersam domũ perscrutari: & vindemiatores vites omnes diligenter perscrutari piget. Ita fit, vt cùm maioribus racemis colligendis dent operam, in multis palmitibus labruscas relinquant. Verum sic hostes excutient te, vt ne ea quidem, quæ in abstrusissima loca abdita sunt, eorum manus effugiant.

Vsque ad terminos dimiserunt te, omnes viri fœderis tui restiterunt tibi, prævaluerunt aduersus te viri pacifici tui: qui comedunt tecum, posuerunt insidias super te.

Ad hostes, inquit, adiungentur, qui nõ multo antè tecum coniuncti beneuolentia erant confœderati, & socij tui. Hoc enim dixit, Viri fœderis tui, & qui nuper tecum conuiuebant, & comprandebant, non vrbibus solum, sed etiam regionis finibus te pellent, cùm aperte bellum gerentes, tum insidias molientes: horum maxima causa est insipientia tua. Hoc patefecit, cùm dixit,

Non est sapientia in eo: in die illa, dicit dominus, perdam sapientes ex Idumæa, & intelligentiã de monte Esau, & pauebunt pugnatores tui de Theman, vt auferatur homo de monte Esau propter interfectionem & impietatem aduersum fratrem tuum Iacob.

Omnes pariter & de fortitudine gloriantes, & sapientia ferocientes, & sub his merentes funditus perdam, & suæ sententiæ æquitatem ostendens, propter, inquit, cædem, & impietatem in fratrem Iacob.

Operiet te confusio, & auferêris in æternum ex die, qua restitisti contrà, in die vt caperent alienigenæ sortitudinem eius, & alieni ingressi sunt portas eius, & super Hierusalem miserunt sortem, & vos eratis, quasi vnus ex eis.

Alienis bellum inferri, in seruitutemq; redigere graue est: Vobis autem sanguine coniunctis, ex Abramo profectis, nulla venia relinquitur, qui hæc in cognatos attentaueritis. Cũ legibus cognationis spretis, alienis fuistis subsidio: vestros vero bello impetistis. Etenim tu, inquit, fuisti vt vnus ex his: non vt facta, sed vt futura, de more prophetarum proprio, prædicit.

Et non despicies diem fratris tui in die alienorum.

Diem vocat punitionis tempus, Θ δὲ μὴ ἐπιδὼς ἀντὶ τοῦ κοινῆς ἔλαφε χαρᾶς. εἰώθασι γάρ τινες λέγειν ἐπεὶ δὲ τὴν δεῖνα, τὸ τέσιμον ἐφιδόμην αὐτῷ καὶ οἷς πρόσκαιρα λαλοῦσι. hoc consequentia explicant.

Et non lætaberis super filios Iuda in die perditionis eorum, & non magna loqueris in die angustiæ.

Videns eorum mala, non tolles spiritus tuos, quòd harum calamitatum expers extiteris.

Neque ingredieris portas populorũ in die laborum eorum.

Non vnà cum hostibus, depopulantibus vrbem sanguine te attingentium, ingredieris.

Et non despicies etiam tu congregationem eorum in die perditionis eorum, neque apponetis fortitudini eorum.

Non similiter, vt externi, delectaberis eorum supplicijs, neque supplementum mittes contra vires eorum, neque augebis tuis exercitibus eorum calamitates.

Neque stabis in egressibus eorum, vt interficias eos, qui salui fuerint ex eis, neque concludes fugitiuos eorum in die tribulationis.

Non insidijs positis in vijs eos adorieris, vt ne fuga possint salutem assequi, atque in tuos laqueos incidant, in hostiumque manus tradantur. Quis vnquam pro dignitate commemorare posset iusti iudicis incredibilem bonitatem, qui cùm planè sciret, quòd non propheticis verbis crediturus esset, has propositas minationes adhibuit, vt hinc eos perrerrefaciendo, illinc pelliciendo efferatos mollirer? ac infert:

Quia iuxta est dies domini super omnes gentes.

De omnibus gentibus impietatem exercentibus pœnas sumo, easdem de te credere nolente sumam.

Sicut fecisti, fiet tibi, retributio tua reddetur in caput tuũ, quia quomodo bibisti super montem sanctum meum, bibent omnes gentes vinum, bibent & absorbebunt, & erunt quasi non sint.

Quemadmodum abs te pœnas exigam eorum, quæ in loca mihi dedicata attentasti, sic etiam gentes, quæ huius iniquitatis tecum participes, & affines fuerunt, iustum supplicium dabunt. Vini autem potionem vocat vltionem: id quod nos aperte docet Hieremias, accipere poculum iussus, & potare omnes gentes. At vero omni ex parte hoc intelligere facillimum est. Vos Idumæi pœnam dabitis eorum, quæ in fratres vestros commisistis.

In monte autẽ Sion erit saluatio, & erit sanctum.

Reducam eos ex captiuitate, & sanctũ tem-
Hier. 25. plum reædificabo. Prænunciat saluationem omnibus exortam in Sion, & sanctificationem inde in omnem orbem terrarũ profusam per crucem saluatoris.

Et possidebit domus Iacob eos, qui se possederant.

Eis vero, vbi redierint, tantũ virium & potentiæ suppeditabo, in tantamque multitudinem eos augebo, vt & suam, & alienarum gentium finitimarum terram sub iugum suũ subijciant.

Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, domus autem Esau stipula: & succendent in eos, & deuorabunt illos.

Tantæ imbecillitati tradetur, vt ignis more ab illis consumatur. Iacob, & Ioseph eos appellauit: interdum Ephraim decem tribus nominauit. Ephraim autem filius fuit Ioseph.

Et non erit frumentarius domui Esau, quia dominus locutus est.

Frumentarium Symmachus interpretatus est Ἀλφωδόμενον, id est effugientem, conseruatum. Aquila et Theodotio καταλελειμένου, hoc est reliquum, residuum. Itaque eorum fun ditus perditionem præmonstrans, his verbis vsus est: Septuaginta autem non sine causa frumentarium posuerunt, cùm ignem Iacob, & flammam Ioseph vno consensu omnes dixissent, quæ nomina fortitudinem & potentiam ostendunt. Voluerunt dicere, quòd nulla vis Idumæis relinquetur.

Et possidebunt, qui in Nageb, montem Esau, & qui in Sephela alienigenas, & possidebũt montem Ephraim, & campum Samariæ, & Beniamin, & Galaad: & transmigrationis principium istud filijs Israel, terra Chananæorum vsque Sariphtam, & transmigratio Hierusalem vsque Euphratem: possidebunt ciuitates Nageb, & ascendent qui salui fuerãt de monte Sion, vt puniant montem Esau, & erit domino regnum.

Qui in Nageb mõtem &c. Hunc vno consensu tres interpretes Austrum verterũt, quod sic lingua Hebraica auster vocetur. Quare, inquit, ad austrum habitantes Hierusalem, hoc est, Idumæorum finitimi tanquam quandam hæreditatem & partem habebunt terrã Idumæorum. Qui in Sephela &c. Hi vicini alienigenarum regionem, quam nunc tenẽt alienigenæ, sub imperium suum subiugabunt, ac omnes captiuitate liberati, communiter & publice possidebunt montem Ephraim, & monti continentes campos, & Beniamin hæreditatem, atque vniuersam Galaditem, ac etiam fines, quos olim Chananæi tenuerunt, habebũt, vt Sariphta sit terræ eorum extrema possessio, item Ephratha vrbem tenebit Hierusalem: quin etiam plures alias, ac magis vergentes ad austrum. Hoc expresit, cùm dixit, hæreditabunt vrbes Nageb. Neque tamen interim his contenti erunt, sed etiam Esau montem sibi subijcient: Deus nimirum eorũ exercitui præerit, & qui sese Deo dedicarunt. Est autem animaduertendum, vt prophetiæ Ezechielis finis respondeat fini istius prophetiæ. Illic describit terræ diuisionem, & populi prædicit reditum: tumque post reditum eis datã à Deo fortitudinem, & potentiam. hanc nos vtinam consequamur à Deo benignissimo, consequamur autem modo non Esau, & posteros eius imitemur: sed iuxta Apostolicam traditionem gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus condiscamus, atque idem inter nos sentire velimus: hoc genere viuendi omnium dominum obseruantes assequemur ab eo dona benignitate conseruatoris nostri Iesu Christi, vnà cum Sancto spiritu: nunc, & semper & in sæcula sæculorum Amen.

FINIS PROPH. ABDIAE.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS ARGVMENTVM IN PROPHETAM IONAM.

DEVS omnipotens, qui omnes homines fabricatus est, pariter omnes procurare perseuerat, & si quando plus olim Israelitas curare visus sit, sed & hæc, vt de omnibus hominibus communiter bene mereretur, faciebat. Nam quemadmodum res Israelitis necessarias curæ habens, non ad vnumquemq; quid agendum esset, verba faciebat: sed vnum aliquem optimum ex omnibus seligebat: nunc quidem Mosen magnum, nunc Iesum filium Naue, interdum Samuel, interdum Heliam, & per horum quenque aut leges dans, aut miracula edens, aut admonitiones adhibens, adducebat ad salutem. Sic cùm Israelitæ populo ex alijs gentibus selecto diligentiam & curam in eo tuendo poneret, & frequenter eum viseret, & vix enarrabilia miracula ederet, tum alijs gentibus Dei intelligentiam, & notionem ostendit. Hoc idem nos per diuinum Osee docuit: Speculator, inquit, Ephraim cum Deo propheta. Populum enim tan- Osee 9. *quam speculatorem quendam, & prophetam proposuit ad commoditatem aliarum gentium, & salutem. Nec vero aliter, quàm per hos Aegyptus didicit Dei omnipotentis potestatem incredibilem. Et vero illorum strages, quam fama in vulgus omnium hominum peruulgauerat, in admirationem prouidentiæ iustæ Dei omnes adduxit. Vnde factum est vt Raab meretrix, diuinæ notionis lumine illustrata, diceret exploratoribus, quòd irruit in nos terror vester: audiuimus enim quòd siccauerit* Iosue 2. *dominus Deus aquas maris rubri ad vestrum introitum, & transmisit vos, quòd dominus Deus vester ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum: & multis pòst temporibus, cùm exteræ nationes arcam vidissent, metu & horrore commotæ vociferabantur, Hic ille Deus, qui cùm Aegyptum vexauit, & illa multa Assyriorum milia ad muros Hierusalem interfecit, ac non multo pòst Sennacherib in fugam coniecit, omnibus mortalibus potestatem suã planam fecit. Iam vero Babylone cùm Danielem leonibus traditum incolumem seruasset ex omni morsu leonum, & vehementissimam illam camini flammam in rorem vertisset, vt per beati illi pueri in medio saltarent, & diuinas laudationes contexerent, superbum regem perterruit, atq; ex eo docuit subditos, vt Israelitarum sit solus Deus: quin etiam vbi nobilem illum reditum populo donasset, & ex omnibus in captiuitatem abductis solos seruitute liberasset, & suum templum reædificasset, atque pristinæ felicitati Hierusalem reddidisset, planum rursus fecit, non finitimis modo, sed etiam longinquis, vt solus sit, qui possit, quibus velit, & prouidere, & tueri. Itemq; sub Macedonibus suam vim sæpenumero ostendit, & simul per Prophetas miracula edens, & futura prænuncians, gentes permultas ad veritatem adduxit. Sic Heliseum magnum gens Syrorum extimuit, cùm nebula inuisibili circumfusa fuisset ab eo: tum vt Naaman curationem vidisset, tanta nimirum obseruantia coluit prophetam hunc, vt cùm rex mala esset valetudine, Azahel ad eum missus fuerit, vt inquireret, an conualesceret, & vero hunc Azahel propheta hic vnxit regem Syris. Age vero diuinum Hieremiam rex Babyloniorum tanto honore ornauit, vt optionem habitandi illi dederit, & quidem reliquos omnes, & reges, & principes captiuos abduxit: huic vero potestatem dedit exigendi vitam, vbi vellet. Sic etiam præcellentem Ionam Deus omnipotens Ninive*

prophetam elegit. Vrbs autem hæc olim maxima fuit, in qua etiam regis Assyriorum regia fuit. Quoniam autem vnigenitum Dei verbum per humanam naturam apparituram erat hominibus, & cunctas gentes diuinæ notionis lumine illustraturum, gentibus etiam ante incarnationem suam prouidentiam patefecit: cùm, vt ex antecedentibus futura confirmet, & omnes edoceat, non se Iudæorum Deum solum esse, sed gentium quoque, atque etiam vt veteris & noui instrumenti cognationem ostendat. Etenim si ante incarnationem nullam de gentibus curam suscepisset, eum alium Deum Iudæi suspicari potuissent, quippe qui contrà faceret, atque is, qui legem dedisset, & opinati fuissent hunc Iudæos tantum curare, illum verò omnes homines. Hoc nimirum morbo laborauit execrandus Marcion, qui alium ab illo Deum dixit, tametsi in veteri testamento Deum omnes mortales curare animaduertere potuisset. Sed ne præter modum longiores simus, ad prophetæ explanationem veniamus.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO
IN IONAM PROPHETAM.

ET factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens: Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea.

Ionas mirificus propheta alias edidit prophetias, quæ hoc libro non continentur: eas ex quarto Regum cognouimus. Scriptura enim de Hieroboam pronepote Iehu, qui decem tribubus regnauit, istiusmodi docet: Ipse restituit terminos Israel ab Emath vsque ad mare, quod vergit ad occidentem, iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi prophetæ, qui erat de Getepher. Idem nomen patris hęc prophetia habet: hunc iussit Deus in vrbem Niniuen proficisci, eique funditus perditionem futuram prænunciare, propter immanem delictorum multitudinem quam explicat his verbis:

Ascendit clamor malitiæ eius ad me. Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis.

Hoc est, in tantam prolapsa est malitiam, vt patientiæ meæ fines transcenderit. Cùm hæc verba propheta audisset, fugam domini imperio antetulit, atque in Tharsis fugere aggressus est. Tharsis autem quidam Tharsum esse ex nominũ cognatione opinati sunt: quidam Indiam ita nuncupatam esse existimarũt, non interim animaduertentes, Assyriorũ regnum Indorum regno esse finitimum. At vero mos est his, qui se fugæ mandarunt, si ex oriente fugiant, proficisci ad occidentem: sin à meridiana regione aufugiant, ad septentriones concedere. Ac descendit in Ioppen vrbem maritimam Palæstinæ, vt illinc mare conscenderet, quæ ex occidentis partibus mari alluitur. Non nauigatione igitur hoc mari vtens, quia in Indiam proficisceretur, cùm inter mare nostrum & Indicum maxima intersit continens, ex parte vna habitabilis, ex altera prorsus deserta: tum quàm plurimi & maximi montes interpositi sint, post quos est sinus maris rubri, quo cum Indicum mare coniungitur. Ac ne quis ratiocinando veritatem colligere nos arbitretur, diuinæ scripturæ testimonium afferam, Tharsis esse Carthaginem in Africa sitam. Sic enim Septuaginta in Esaia verterunt: *Tharsis Carthago.* *Esa. 23.* Vlulate naues Carthaginis, quia perierunt munitiones vestræ. Aquila, Theodotio, Symmachus pro Carthagine, verterunt Tharsis. Nec vero secus diuinus Ezechiel Carthaginiensium mentionem fecit: tumque apud Hebræos, & apud Syros Tharsis reperimus, ex quibus colligitur, non in Indiam Ionam, sed Carthaginem fugisse. Hoc autem fecit planè sciens, nempe propheta, & quòd vbique Deus sit, & quòd nullus locus eius prouidentia vacuus sit: sed tamen arbitrans in sola Hierusalem Deum sese ostendere. Neque vero ignauiæ ratio, metúsue in fugam eum impulit: quin potius non misericordiæ fontes ignorans, quibus vtens is, qui eum concionari iusserat, omnia administrat. Non item nescius, quòd si resipiscerent Niniuitæ, omnino diuinam misericordiam assequerentur: itaq; prædictionem eius falsam videri sibi turpe existimauit, seque pro propheta vocari mendacem. In hanc vero opinationem eum impulit ipsa minarum vltionis plenæ declaratio. Considerauit enim non Deum præsignificare, si punire vellet, cùm vltionis sanè minatio ad pœnitentiam adhortatio sit: ac Iudæis suspicatus est fore crimini, si Niniuitæ sibi obtemperarent,

perarent, homini nimirum ignoto & externo, cùm Iudæi infinitis quidem prophetis contribulibus suis cum miraculorum editione prophetiam exercentibus assidue refragarentur, nihilque ab eis adiuuarentur. Quamobrem non statim Dei imperata fecit, sed potius mari se in fugam dedit, arbitratus istiusmodi munus assignatum à Deo defugiturum esse.

Deditq; naulum suum, ascendit in eam, vt nauigaret cum eis in Tharsis à facie domini. Et dominus suscitauit spiritum magnum in mari, & facta est tempestas magna in mari, & magis periclitabatur conteri: & timuerunt qui nauigabant, & clamauerunt vnusquisque ad Deum suum: & iactum fecerunt vasorum in mare, vt alleuaretur nauis. Ionas autem descendit in ventrem nauis, & dormiebat, & stertebat: & accessit ad eum proreta, & dixit ei, Quid tu stertis? surge inuoca Deum tuum, si quo modo saluos faciat nos Deus, & non pereamus. Et dixit vnusquisque ad proximum suum, Venite, mittamus sortes, & cognoscamus cuius gratia malitia hæc est super nos: & miserunt sortes, & cecidit sors super Ionam.

Nautis persoluit portorium. Iam verò neque inde afflictio perstringere eos potuisset, ni sterrę, & maris, atque cœlorum opifex mare commouisset, atque fluctuum anfractus nauim complexi fuissent. Cumque alię naues secundo vento cursum tenerent, in hanc vnam tempestas maris incumbebat, & fluctuum impetus efferuescebat: hoc planè sors nautarum nos docet: neq; enim si cõmunis fuisset tempestas, eius causam sorte disquirere aggressi fuissent: sed cùm alios sine periculo mare secantes viderent, suam vero decumanis fluctibus exagitari, primũ quidem se ad preces conuerterunt, ac pro se quisque quem existimabat Deum rogabat, deinde cùm hinc nullum auxilium ad se tuendos assequerẽtur, Ionam somno arctiori cõstrictum excitant: nam conscientiæ stimulis vexatus, mœstitiaque afflictatus, cogitationum suarum aculeos non ferre valens, ex somno sibi moliebatur consolationem, atque tot, tantisque impetentibus nauem tempestatibus, fluctibusque extrinsecus in præcipitia sese dissumpentibus, nautis intus perturbatis, ipse enim interim non parum, nec leuiter dormiebat, quin arctiori somno compressus, etiam stertebat, vt hoc volumine ipse ostendit: ac proreta cùm ex somno eum excitauisset, primum preces adhibere Deo suo coegit, ignorans fugam fiduciam hanc illi sustulisse. Cùm autem pericula intentari non desinerent, sorte exquirere tempestatum causas perrexerunt, non ignorantes natura, quantum videre est, peccatores sua manere supplicia, atque delictorum vel missorũ pœnas persoluere. Itaque cùm sors testimonio suo prophetam arguisset, in iudicium agitur, nautæ iudicum formulã sectantes, Ionam reposcunt rationes vitæ anteactæ, ac inquiunt,

Annuncia nobis, cuius gratia hæc malitia est in nobis? quod est opus tuum, & vnde venis, & quò vadis, & ex qua regione, & ex quo populo es tu?

Sic maximo studio quærebant intelligere omni ex parte, exoptantes tempestatis causam, quare non modo, vnde profectus esset, & quonam iret, iubent dicere, sed ex qua gente genus suum duceret, vt ex communibus gentis studijs, & institutis, hominis vitam cognoscerent: ad quæ Ionas respondit,

Seruus domini ego sum, & Deum cœli ego colo, qui fecit mare & aridam.

Mirus porrò propheta, dignus qui omnibus laudibus ornetur: capitis condemnatus præco fit potestatis Dei omnipotentis, omnium rerum fabricatorem & dominum appellans: quoniam quidẽ illa ætate quàm plurimi mortales idola obseruabant, vniuersorumque factorem nesciebant: iure mirificus propheta hunc ignorantibus, causamque fugæ suæ patefacit: quia hunc quem nosco non terræ solum, & maris, sed & cœli conditorem, & dominum insipientia implicatus me putaui effugere posse.

Et dixerunt ad eum, Quid hoc feciſti? cognouerunt enim viri, quòd à facie domini fugeret, eò quòd indicasset eis.

Hæc, inquiunt, non ignorans, cui alios docendi negotium datum fuerat, quomodo speraſti Deum, vbiq; præsentem, te effugere posse? Eousq; turpe est non obedire Deo, vt propheta aliorum præceptor, non se ab insipientibus reprehendi recusset, veruntamẽ eius verba audierunt. Neque vero vbi eum redarguissent, mortis condemnare audent, sed eum nimirum prophetam, quid faciendum esset, significaturum expectant.

Et dixerunt ad eum, Quid tibi faciemus, & quiescet mare à nobis?

Infestior tempestas post sortem fuit: tum propheta, cùm nouisset diuinam iram, ipse semet mortis condemnat.

Et dixit Ionas ad eos, Tollite me, & mittite me in mare, & quiescet mare à vobis: Ego enim noui, quòd propter me fluctus magni contra vos sunt, & conabantur viri, vt reuerterentur ad terram, & non poterant, quia mare ibat, & insurgebat magis contra eos: & clamauerunt ad dominum.

Sed nec statim his verbis auditis nautæ imperata fecerunt: quin aliquandiu restiterunt, malorum cessationem quandam futuram expectantes, ac remigantes, ad continentem nauem appellere conati sunt. Vt vero vis maris hoc fieri prohibuit, Deum prius precati, Ionam in mare proiecerunt.

Et dixerunt: Nequaquam domine, ne pereamus propter animam viri huius, & ne des super nos sanguinem iustum: tu enim Domine sicut voluisti, fecisti.

Cùm planè nouissent Ionam à Deo condemnatum fuisse, rogant ne pœnas dent, dum Dei iudicio subseruiunt. Ne attribuas, inquiunt, nobis sanguinem iusti: hoc est, sanguinis innocentis ne Domine pœnas à nobis repetas: atque ita propheta in mare proiecto fluctuum procellæ cessarunt. Eorum vero animis plurimus timor incessit, qui hæc spectauerunt: votaque fecerunt, vbi domum redierint, se hostias immolaturos, ac credi-

ac crediderunt hunc Deum solum esse omnium rerum dominum.

CAP. II.

ET præcepit Dominus ceto magno, & deuorauit Ionam, & erat Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: & orauit Ionas ad Dominum Deum suum de vtero piscis.

Ionam diuino numine cetus maximus excepit, hoc enim ostēdit, cùm ait: præcepit dominus: nec vlla ex parte dentes ceti læserunt eum. Venter vero grandis piscis habitatio prophetæ tres dies, totidemq; noctes extitit, viscq; alui cibos cōcoquere solita prohibebatur Ionam conficere. In tanta autem laxitate propheta degebat, vt etiā precationes ad Deum adhibere potuerit.

Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad dominū, & exaudiuit me de ventre inferni: clamoris mei audisti vocem meam.

Ego, inquit, qui quōdam tantum Hierosolymis Deum cum prophetis se communicare arbitrabar, eum in ventre ceti præsentem inueni, & precationibus adhibitis, ab eo misericordiam consecutus sum. Ventrem inferni aluum ceti vocauit. Cùm fera hęc mortifera sit, lege viuentium Ionas mortuus erat: at sola gratia viuebat. Alioqui, vt repræsentaret dominum Iesum Christum, qui tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ fuit, accommodate seipsum in ventre fuisse dicit. Hoc vero multo maxime omnium mirabile est, quòd hic, qui re ipsa, & veritate mortem gustauit, in corde terræ dixit se fore tribus diebus, & tribus noctibus: Ille vero ad mortis speciem, & vmbram inferni, ventrem vocat ventrem ceti, & quidem Ionæ non in eius potestate vita fuit: domino Iesu Christo mors, & resurrectio voluntariæ fuerunt. Idcirco vbi illic infernus, & mors cor terræ appellatum fuit: hìc infernus venter ceti nominatus est. Audiuisti, inquit, vocem meam: non enim vsque in præsentem horam prorsus vixi.

Proiecisti me in profundum cordis maris, et flumina me circundederunt.

Rursus cordis mentione ostendit vmbram similem veritati. Flumina fluctuum impetus appellat.

Omnes eleuationes tuæ, & fluctus tui super me transierunt: ego dixi, abiectus sum ex oculis eius.

Insolentia malorum cōstrictus, & qui paulo antè à tempestatibus fluctuum sublime ferebar, nunc tanquam in carcerem in ventrem ceti conclusus, cognoui quòd omni prouidentia Dei spoliatus essem, & quòd propterea hæc omnia sustinerem.

Putásne addam, vt videam templum sanctum tuum? circumfusa est mihi aqua vsque ad animam meam: abyssus vallabit me nouissima.

Hac abysso circumsessus, in medioque immanium aquarum positus, timui, ne omnino optatissima mihi contemplatione templi tui priuarer.

Intrauit caput meum ad scissuras montium, descendit in terram, cuius vectes sunt retinacula sempiterna.

Video me montibus quibusdam maximis circumdatum, & vndique repagulis fortissimis circunclusum. Per hæc non modo ceti magnitudinem designat, sed etiā nullum effugium fuisse malorum, quibus teneretur. Iure montes quosdam dicit loca abstrusa aquis marinis, ad quę interdum cùm alliduntur naues, corrumpuntur, quæ planè cognoscentes nautæ, saxa sub mari latentia effugere student.

Et ascendat de corruptione vita mea ad te domine Deus meus. Cùm defecerit ex me anima mea, domini recordatus sum, & veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

Quoniam cùm ad mortis fores essem, non me in tui obliuionem venire passus sum: hac corruptione me liberatum domine in vitam restituas, vt rursus tibi in templo tibi consecrato precationes afferam.

Qui custodiunt vana & mendacia, misericordiam suam reliquerunt.

Re falsa & vana edocti sorti obtemperantes, me nulla venia in mare tradiderunt.

Ego autem cum voce laudis & confessionis immolabo tibi, quæcunq; noui reddam tibi pro salute domino, & præcepit ceto, & eiecit Ionam super siccum.

Periculis liberatus præsentibus, pro salute tibi sacrificia offeram, enarrans tui beneficij magnificentiam, & vocis meæ mulctationem. Profitens hæc diuinus Ionas, vt promisit, sic executus est, & scriptis omnia tradidit, vt non solum homines, qui tum erant, sed etiam posteri noscerent eius facinora. Et quemadmodum admirabilis Dauid, cùm scriptum reliquit suum delictum, Dei misericordiam prædicauit, & peccantibus fructum pœnitentiæ ostendit: sic Ionas & fugam, & pœnas de se sumptas, & datam salutem monumentis historiæ prodidit. Vt vero misericors dominus preces suscepit, velut ex quodam ergastulo è ventre ceti prophetam eduxit.

CAP. III.

ET factus est sermo Domini ad Ionam secundo, dicens: Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam, et prædica in ea iuxta prædicationem priorem, quam ego locutus sum ad te. Et surrexit Ionas, & abiit in Niniuen, sicut ei locutus fuerat Dominus.

Vt vero rursus iussit ila eadem, quæ prius obiri, videlicet ad vrbem illā magnam accedere, & declarationem horribilium minarum afferre, statim paruit, atque periculo edoctus, quàm plenum vltionis sit non obedire domino, ingreditur iter, vt illi imperatum est, & ad Niniuen peruenit. Neque vero quiquam temere curiosus sit, vt cetus Ionam reuomuerit: omnia enim possibilia sunt Dei voluntati. Neque curiosè inquirat, ad quodnam littus eum exposuerit, nam hoc est ex maxime superuacaneis rebus. Omnis pius contentus sit doctrina spiritus.

Erat

Erat autem Niniue ciuitas magna Deo, quasi itinere vię dierum trium.

Plurimi, inquit, faciebat Deus huius vrbis salutem, quippe qui in ea permagnum numerum hominum finxisset. Hoc vero, quod ait, Quasi itinere viæ trium dierum: Quidam de regione, quæ vrbi tributaria & subiecta esset, acceperunt, quasi tridui iter longitudine, & latitudine habente. Quidam vero sic explanauerunt, vt quæ vniuersa obiri posset à Iona, prœconium Dei faciente tribus diebus. At qui siue hoc, siue illud quis intelligat, nihil lęditur veritas: sed tamen secundum mihi videtur verius. Quòd vero id anteponā, facit id quod sequitur.

Et cœpit Ionas ingredi ciuitatem quasi itinere vnius diei, et prædicauit, & dixit: Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsq; ad minorem: & appropinquauit sermo ad regem Niniue, & surrexit de throno, & abstulit stolam suam à se: & coopertus est sacco, & sedit in cinere, & prædicatum est Niniue à rege, & ab omnibus maioribus eius dicentibus: Homines, & iumenta, & boues, & oues non gustent quidquam, nec pascant, & aquam non bibant, & cooperti sint saccis, & iumenta, & clamauerunt ad Dominum vehementer.

Non rectà iter per vrbem faciens, sed fora, vicos, compita circuncursans denunciabat, quòd adhuc tres dies, & Niniue subuertetur. Hos Aquila, Symmachus, & Theodotio quadraginta interpretati sunt. ac cum his Syrus & Hebræus conueniunt, & apposite hunc numerum habet. Etenim partim tribus diebus omnem vrbem concionando obiuit, partim Niniuitæ pœnitentiam illam laboriosam Deo attulerunt, qua ab eo salutē assecuti sunt: partim pro foribus confidens, prophetiæ finem moratus est. quare mihi videtur illud quadraginta dierum verius esse, ac vero proximum est Septuaginta cum his congruentem numerum posuisse. Sed qui primo scripserunt, in hoc errasse, deinde in omnia exempla hanc editionem permanasse. Cùm autem ignotum, & alienum hominem Niniuitæ rerum horribilium declarationem profitentem viderunt, non modo non interfecerunt, sed ne illi quidem infensi fuerunt: sed & prædictioni eius obtemperauerunt, & sacco induti, cùm diuitijs turgentes, tum inopes Deo supplicauerūt. Hoc declarauit, cùm dixit, à maiore vsque ad minorem eorum. Vt vero ipse rex hæc verba percepisset, solium suum auro & lapidibus ornatum reliquit, & purpuram tanquam inutilem exuit, atque pro hac saccum is ipse induit: tumque non viros solum, & mulieres ieiunio vacare, sed etiam ratione carentia genera iussit ab omni cibo abstinere, vt fame pressa, partim mugiętia, partim balantia hominibus vehementiores lachrymas excitarent, ad diuinæ misericordię fontes soluendos. Neq; vero solum sacco & ieiunio vtentes, supplicationes Deo fecerunt, & preces profuderūt, sed etiam quæ consequuntur, perfecerunt.

Et reuersus est vnusquisque de via sua mala, & ab iniquitate, quæ erat in manibus eorum, dicentium: Quis scit, si conuertatur Deus, & exhortetur, & auertatur ab ira furoris sui, & non pereamus.

Hic nimirum verus pœnitentiæ finis est: Declina, inquit, à malo, & fac bonum. Etrursus, Cessantes à malitijs vestris, discite facere bonum. Cùm itaque Niniuitæ peccare, vt solebant prius, desiterunt, & mutationem ad meliora fecerunt, Dei benignitatem consecuti sunt. *Psal. 33.*

Et vidit Deus opera eorum, quoniam reuersi sunt de vijs suis malis. Et egit pœnitentiam Deus super malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.

Non ieiunium, sed quòd à vitijs se abstraxissent, attendit Deus: quare pœnitentiæ eorum gratificatur pœnitentiā suam: nec quòd similiter, vt nos pœniteat, modo hoc, modo illud vult Deus: sed mutationem minarum pœnitentiam vocauit. Idcirco enim minatus fuit, si punire vellet, non minas proponeret, ac potius vltionem acciperet. Verum quoniam conseruare Deus gaudet, minatur tristia, ne in nos tristia inuehat. Malitiam autem vocauit minas, non quòd natura malæ sint: nam quomodo malæ essent, quæ malitiam prohibeant, virtutem, & rectum legum statum accersant? Atqui nominibus nobis consuetis sacra scriptura vsa, malitiā vocauit vltionis minas, vt quæ vexare, & fatigare possint. Hanc Dei humanitatem propheta speculatus, tristatur, & solicitatur de prędictione sua quasi cōdemnata, & falsa apparenti. Postea autem Deum precatur, & fugæ causas affert.

CAP. IIII.

NOnne isti sunt sermones mei, cùm adhuc essem in terra? propterea præoccupaui fugere in Tharsis: scio enim, quod tu misericors & miserator, & patiens, & multæ miserationis, & agens pœnitentiam super malitijs.

Hæc cùm non ignorarem, nam te erga Israel patientissimum videram, miserationem tuam perspexeram, multam misericordiam tuam tenebam, quàm soleas pœnitere super malitijs, sciebam, fugam ideo meditatus fui. Postea maris tempestati, & ceto traditus, rogaui vt in vitam redirem, nunc contrà, rogo,

Tolle animam meam à me, quia melius est mihi mori, quàm viuere.

Vita defungi malo, quàm cum ignominia viuere: vereor autem ne mendax habear. Verum optimus Dominus respondet prophetæ.

Et dixit Dominus ad Ionam, vehementer contristatus es tu.

Hoc magis perspicue Symmachus interpretatus est: dixit vero, an iure tristatus es? Ceteri vero interpretes, An bene, & honestè tristatus es? hoc est, considera tecum, num iustæ tristitiæ occasiones habes. Et quidem hoc loco eum iubet ratione inuenire tristitiæ consolationem: in fine vero prophetię eius iniustam tristitiam reprehendit, & suæ sententiæ legitimam rationem ostendit.

Et egressus

Et egreſſus eſt Ionas de ciuitate, & ſedit contra orientem ciuitatis, & fecit ſibimet vmbraculum ibi, & ſedebat ſubter illud in vmbra, donec videret, quid accideret ciuitati.

Cùm hoc primum factum ſit, propheta extremum poſuit. Nam vbi narraſſet Niniuitarum pœnitentiã, huic coniungere voluit Dei miſericordiam & triſtitiam, quæ ex hac ſibi acciderant. Hoc autem loco facta intermedia explicat: videlicet, vt, cùm verbum Domini denunciaſſet, ex vrbe exiuit: vtq; cùm tabernaculum fixiſſet, prædictionis finem expectauit: id quod nõ dubium eſt, quin præmœrore faceret. Cùm autem poſt definitorum dierum finem nihil mali vrbem illam ſuſtinere vidiſſet, cum auxietate Deum precatus eſt. Sed tamen rurſus ei conſolationem machinatus eſt ex quadam cucurbita: vt ei placuit, ſtatim exorta, & amplificata, & quàm plurimum foliata vmbraculo confecto, ei delectationem adhibet.

Et præcepit Dominus Deus cucurbitæ, & aſcendit ſuper caput Ionæ, vt eſſet vmbraculum ſuper caput eius, & protegeret eum à ſuis malis. Lætatuſq; eſt Ionas gaudio magno, & præcepit Deus vermi, mane in craſtinum, & percuſſit cucurbitam, & areſacta eſt.

Hoc vero, Et præcepit Dominus Deus cucurbitæ, poſuit, non vocem diuinam hoc loco demonſtrans, ſed docens, quemad modum ſimulatque Deus voluit, planta ad exiſtẽdum peruenit. Sic etiam ſupra dixit, Et præcepit Dominus ceto: non voce Dei hoc factum fuiſſe dicens, ſed voluntate: nam Præcepta, vocat voluntatem Dei, atque ita mirificus Ionas pro triſtitia lætitiam ſuſcepit. At rurſus Deus ſub exorientem ſolẽ radicem cucurbitæ corrupit. Et ſolis acceſſu exareſcere fecit: hoc autem facto vehementius Solis radij, quàm ſoliti fuiſſent, caput Ionæ impetiuernnt.

Præcepit Dominus ſpiritui ardoris vrenti, & percuſſit ſol ſuper caput Ionæ, & anguſtatus eſt, & taduit eum animæ ſuæ, & dixit: Melius eſt mihi mori, quàm viuere. Et dixit Dominus Deus ad Ionam: Valde contriſtaris tu ſuper cucurbita? & ait, Valde contriſtor ego vſque ad mortem. Et dixit Dominus, Tu pepercisti ſuper cucurbita pro qua nõ laboraſti, neque nutriſti eam, quæ nata eſt in nocte, & in nocte periit: ego autem non parcam Ninuæ ciuitati magnæ, in qua habitant plus duodecies decem millia virorum, qui ignorant dextram & ſiniſtram.

Iterum propheta in maiorem puſillanimitatem & dolorem recidit: & eò loci reductus eſt, vt vitæ mortem antepoſuerit: verum peccatorum ſanator, & iuſtorum procurator, rurſus prophetam interrogauit. Valde triſtatus es ex cucurbita? Vt vero propheta confeſſus eſt, ſe eò vſque pati, vt mortem vitæ anteferet: Te, inquit Deus, vtar iudice. Conſidera an æquum ſit, te ex cucurbita dolere, quam non coluiſti, neque plantaſti, neque irrigaſti: ſed ſub auroram nata, die ſequenti à verme, & ſole conſumpta eſt. Atque etiam vide, an non æquum ſit me tantæ vrbi non ignoſcere, quę à me creata eſt, in qua habitant pluſquàm duodecim myriades virorum, qui ignorant dextram, & ſiniſtram ſuam, & pecora multa. Hoc igitur conſiderans, admirare miſericordiam eſſe probabilem & rationabilem. Hoc vero, quod ait, Qui ignorant dextram & ſiniſtram ſuam, quidam propter ſimplicitatem acceperunt: mihi vero multitudo habitantium infantium puerorum deſignari videtur: & nimirum dictorum ſcopus nos ad hanc intelligentiam adducit. Si, inquit, peccatorum pœnitentiam non ſuſcipi oportuit, ſaltem igitur conueniebat, tot millium miſericordia commoueri, qui per ętatẽ nec ſiniſtram, nec dextram noſcebant. Ad hæc pecora innumerabilia vrbs habet, non digna, quæ pœnas pro peccatoribus luant. Quamobrem quibus de cauſis pecora antetulit, eiſdem etiam ætatem paruulorum antepoſuit, vt non iure pœnas pro peccatis ſoluentium.

Hic prophetiæ finis.

Nos autem optimum maximum Dominum noſtrum laudibus ornabimus, qui nolẽs mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, interdum ſanctos viros triſtari patitur, & nolentibus miſericordiam largitur. Sic cùm Heliæ magnus pluuiam prohibuiſſet, tanquam legatus accedit ad ſeruum, dicens, Vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam ſuper faciem terræ. Itaq; tanta Dei benignitate vtentes beneficijs, congruentem animum geramus, ex eiuſque diuinis legibus viuamus, vt ex his fructus bonos, & exoptatos percipiamus, benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo cum gloria patri vnà cum Sancto ſpiritu nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen. 3. Reg. 18.

FINIS PROPH. IONAE.

IN MICHE.

IN MICHEAM PROPHETAM ARGVMENTVM.

DIVINI Micheæ prophetiam aggreſſus, domini vocem recordatus ſum, quam in ſacris edidit Euangelijs, cùm Iudæorum nequitiam & ingratum animum ſeuere accuſat: Hieruſalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti. Tot & tantos viros nimirum prophetiæ dono ornatos robuſtis Iſrael vulneribus curandis præfecit. E quibus vnus Micheas eadem prædixit, quæ admirabiles illi Oſee, Iohel, & Amos: nempe qui horum temporum æqualis fuit, etſi paulo antè anteceſſerint illi in Oziæ regno prophetiam docere ingreſſi. Et hic in diebus Ioathan & Achaz, & Ezechiæ regibus Iuda proſpexit, quæ vidit de Samaria, & Hieruſalem. Horum autem temporibus etiam beatus Oſee prophetiam exercuit. Per plures autem Deus eadem prædicit, vt ex graui, & inueterato morbo laborantes, prophetarum multitudinem veriti, tandem aliquando ab impietate ſe abducerent, atq; à malitia ſe abrumperent. Sic autem cœleſtiſſimus Micheas prophetiam exorſus eſt. Matth. 23.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN PROPHETAM MICHEAM.

AVDITE populi omnes, & auſcultet terra, & omnes qui ſunt in ea, & ſit dominus Deus vobis in teſtimonii, dominus ex domo ſancta ſua.

Quoniam de Samaria & Hieruſalẽ dixit ad ſe à Deo omnipotenti verba facta fuiſſe, accommodate nõ populum, ſed populos in auditionem excitat, duas tribus in duo regna diuiſas non populum, ſed populos nominat, atque adhortatur omnes illius terræ incolas attendere dominum Deum omnipotentem, teſtificantem, ſimulque à diuino templo verba facientem.

Ecce enim dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & aſcendet ſuper excelſa terræ, & commouebuntur montes ſubter eum, & valles tabeſcent ſicut cera a facie ignis, & ſicut aqua profluens in deſcenſum.

Diuina ſcriptura docemur, Deum eſſe ſine corpore, & non circumſcriptum, & ferentem omnia verbo potentię ſuę: quia autem in Hieruſalem comparuerit, locus eius templum appoſite appellatur: etenim ſic per magnũ Moſen lege ſancit: Non licet tibi facere paſcha in vlla vrbium tuarum, niſi in loco quem elegit dominus Deus tuus: inde hunc ipſum proficiſci propheta dicit, & excelſa loca aſcendere, & concutere montes aduentu, & valles liqueſcere more ceræ ad ignem admotæ. Hæc autem vt narrantur voluntate Dei fiunt, & tropicè, & per tranſlationẽ intellecta, veritatem habent. Nam, Montes commotos, potentatu ſuperbientes, & in calamitates incidentes nominat: Valles vero tabeſcentes, ſubditorum multitudinem, qui vallium inſtar montibus ſubiectarum ſub poteſtate potentium viuunt, atque ſimiliter vt aquæ impetus per præcipitia fertur, ſupplicia dignis irrogabo, cauſamque affert:

Propter impietatem Iacob omnia hæc, & propter peccatum domus Iſrael.

Deinde impietatis, & peccati modum demonſtrans, per interrogationem & reſponſionem accuſationem ſuſcipit.

Quæ eſt impietas domus Iacob? nónne Samaria? Et quod eſt peccatũ domus Iuda? nónne Hieruſalem.

Illi Samariam idolis compleuerunt, hi vero Hieruſalem habitantes, & ad diuinam legem in templo inſtituti, in aſsiduis iniquitatibus verſabantur. Eſt autem attendendum, quòd quam ſuprà domũ Iſrael nominauerat, hanc domum Iuda infrà vocauit, atque naturali vſus nomine, decem tribus appellauit domum Iacob: ſpirituale vero nomen Iſrael impoſuit Iuda, propterea quòd diuinum templum obtinentes pios habuerint permultos.

Et ponam Samariam in pomorum cuſtodiam in agrõ, & in plantationem vineæ: & detrahã in vo-

raginem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo.

Tantæ vastitati solitudinum tradetur, vt eius lapides funditus deleantur, atque in fori, & vicorum, & domorum locum vineta succedant, vt vinearum custodes in ea tabernacula quædam figant.

Et cuncta sculptilia eius cõcident, & vniuersa mercedes eius comburentur igni, & cuncta idola eius ponam in perditionem: quia ex mercedibus fornicationis congregauit, & ex mercedibus fornicationis destruxit.

Quoniam me posthabito erga idola obseruantiam maluit, & quasi mercedem quandam idolis afferens: altaria & delubra dedicauit, & oblationum multitudinem attulit, vnà cum ipsis hæc hostibus tradam. Huius etiam rei eos reprehendit per prophetam Ezechielem: Facta sunt, inquit, abs te contraria quàm soleant mulieres tibi similes facere, quòd omnis meretrix mercedem accipit, tu vero mercedem dedisti tuis amatoribus. Accommodatè autem per hæc mulieres in scortatione versantes designantur, quæ libidinis mercedem accipientes, inde decimas dæmoni falaciss imo attulerunt. Hoc nimirum in hanc diem quædam etiam committunt: quamobrem inquit,

Propter hoc planget atque lugebit: ibit discalciata, & nuda faciet planctum, quasi draconum, & luctum, quasi filiæ syrenarum: quia obtinuit plaga eius: quia venit vsque ad Iudam, & tetigit vsque ad portam populi mei, vsque ad Hierusalem.

Per hæc præsignificat impetũ Assyriorum Theglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib, à quibus decem tribus in captiuitatem fuerũt abductæ. Sennacherib Lachis, aliasque Iudeæ vrbes obsedit, atque populatus est, cumque item vsque ad portas Hierusalem cum Rabsace quàm plurimum exercitum misisset, periculo didicit, vt superaturus esset neminem, nolente Deo. Quod vero ait, Faciet planctum, quasi draconum, & luctum quasi filiarum syrenarum: sumpsit ex his, quæ circumferuntur in fabulis, ignorantiæ magnitudinem ostendere volens. Quia vero soliti sunt cum cantu quodam præfice lugere, & more serpentum sibilantium ex æstuante corde emittere anhelitum, & violentia quadam hunc edere, posuit antè dictas similitudines, cùm acerbitatis plena omnibus Israel tribubus prænunciauit, præuidit alienigenas horum malis gauisuros, ad quos sermonem vertit.

Qui in Geth, nolite magnificari: qui in Acim, nolite reædificare ex domo derisum: terra aspergite derisum vestrum.

Ne vehementer ex horum calamitate perceptis gaudijs efferamini, neque eò quòd vos integri ab hac calamitate manetis, insolescatis, sed pro derisione, quam vos contra Israelitas commouetis, puluere cõspersi domesticas lugete calamitates. Enachim nõ alia quædam vrbs à Geth diuersa est, sed habitatores Geth Enachim appellat, ab Enach gigante procreatos, id quod ex multis locis diuinæ scripturæ cognosci potest.

Quæ habitat bene.

Demoliar vrbes eius, nec ædificiorum elegantia eis erit auxilio, neque loca munita à periculo eos tuebuntur: at vrbes vestræ funditus euertentur.

Non est egressa habitatrix Sennam. plangite, domum iuxta eam accipiet ex vobis plagam doloris.

Quoniam vestrum casum vnà vobiscũ dolere neglexit, & in vos correctionibus illatis non emendata est audiens, malorũ vestrorum particeps efficietur. Senna autem vna vicinarum vrbium fuit.

Quis cœpit in bonum ei, quæ habitat dolores?

Inde sermonem vertit ad Hierusalẽ. Verborum constructio implicata est, & parum aperta: hac itaque ordinatione sensus inuestigandus est: Quis incœpit in dolores habitanti bona? Quis, inquit, ei pace fruenti, & felicitate multa, auctor miseriarum extitit? atque ostendit, vt non homo ei, sed Deus omnipotẽs irrogat supplicia, pœnas exigens eorum, quæ impie commisit: quamobrem infert,

Quia descenderunt mala à domino super portas Hierusalem.

Et ostendens quæ hæc sint, adiunxit,

Sonitus curruum, & equitum.

Hæc etiam per Esaiam nos docuit. Væ Assyrijs, virga furoris mei, ipse est in manibus eorum: iram meam in gentem iniquã mittam, & populo meo præcipiam, vt faciat spolia, & prædam. Sic hoc loco, Quis incepit in bona habitanti dolores? quia descenderunt mala à domino super portas Hierusalem, sonitus curruum & equitum. Ego, inquit, eis omnibus bonis redundantibus dolorem attuli, cùm hostium multitudinem in eos concitaui: quia vero ante Hierusalem Lachis vrbs vastata fuit: nam Hierusalem Nabuchodonosor, Lachis vero Sennacherib depopulatus est, ad hanc sermonem conuertit, *Esaie 10.*

Habitatio Lachis, princeps peccati est filiæ Sion, quia in te inuentæ sunt iniquitates Israel.

Tu Lachis prior dabis pœnas, & quòd imitata fis decem tribuum impietatem, & quòd impietate contaminaueris Hierusalem.

Ideo dabit emissarios vsque ad hæreditatem Geth. Domos vanas frustra fuerunt regibus Israel, donec hæredes adducam tibi.

Quamobrem & abs te captiuorum multitudinem hostes arripient, hos enim emissarios vocauit, & vsque Geth terra tua vastabitur, quòd insanorum Israel regum secuta fis impietatem. In hac autem vastitate solitudinum permanebis, quoad hæredes tuos adducam: hoc est, quoad in captiuitatẽ abductos, liberatos rursus reducam, & paternam hæreditatem eis restituam. Quidam autem, Hæredes, interpretati sunt, Hostes: sic locum intelligentes: Habitabit in domibus vanis. Quidam vero sic: Frustra fuerunt in regibus Israel, donec hæredes adducam tibi: hoc est, hostes adducam tibi. Iuxta vero Aquilam, qui numero singulari hæredem posuit, altiorem sensum inuenimus. In vasta solitudine, inquit, eris vanas domos habitans, donec hæredem adducam tibi: quẽ cùm procul mali agricolæ vidissent, iuxta dominicam comparationem dixerunt, *Matth. 21.* Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Hic aduentu suo, non Lachis solam, sed & omnem orbem terrarum vanorum idolorum seruitute liberauit. Ad hæc inducit,

Quæ habitas Lachis hæreditatem vsque Odolam veniet.

Non, inquit, tibi soli vastitas inferetur, sed vsque Odolam propagabitur, & præclaram Hierusalem apprehendet. Eam enim filiam Sion appellauit: ad quam sermonem vertens, ait,

Gloria filiæ Israel decaluare, & detondere super filios delicatos tuos: dilata caluitium tuum, sicut aquila: quoniam captiui ducti sunt ex te.

Lugubrem accipe ornatum, à capillis auferens nitorem, & compositionem, ac aquilam imitare, pennis omnibus ad tempus denudatam secundum naturam, quę per id tempus venari nequit, & quibus prius terrorem afferebat, nõ formidabilis est: huic similis tu, omni mea procuratione spoliata, hostibus facilis eris ad capiendum, nempe ab omnibus tuis incolis vacua effecta.

CAP. II.

Væ qui cogitant labores, & operantes mala in cubilibus suis, & simul in die consummabunt ea.

Nam ne noctes quidem sine iniquitate traduxerunt, quin nocte malitiam præmeditantes, & hanc cogitationem depingentes interdiu opera exequuti sunt: quę vero, & quanta, enumerat.

Quia non leuauerunt ad Deum manus suas: & desiderabant agros, & diripiebant pupillos, & domos opprimebant, & rapiebant virũ, & domum eius: virum & hæreditatem eius.

Cùm iniquitates explicauit, prædicit punitionem.

Propterea hæc dicit dominus: Ecce ego cogito super tribum istam mala, de quibus non auferatis colla vestra, & non ambuletis recti subito, quia tempus pessimum est.

Audacia ferocientes, & fastu tumescentes ceruices deprimam, & eruditionis magnitudine decumbere in terram cogam: atque similiter, vt reliquas tribus, hanc tribum in seruitutẽ propter antedictas iniquitates tradam.

In die illa sumetur super vos parabola, & plangetur planctus in cantico dicentium, miseria miseri facti sumus.

Hinc antedicta facile quis intelligat, nam quod suprà luctum syrenarum dixit, hũc hic planctum in cantico vocat. Itaque planum fit, luctum syrenarum iuxta peruulgatam fabulam vocatum esse à propheta plãctum suauem in canticum surgentem. His inquit, huic illatis cladibus, non modo vos lamentabuntur, qui vestras calamitates audient: sed etiam exemplicausa de vobis alijs narrabunt, ac vere inter vos dicetis, quæ consequuntur:

Pars populi mei dimensa est in funiculo, & non erat, qui prohiberet eum, vt auerteretur: agri nostri diuisi sunt, propter hoc non erit tibi mittens funiculum in hæreditate.

Cùm his in captiuitatem redactis, vicini ab his agros cultos diuiderent: Hoc, inquit, exaudientes luctibus & lachrymis pleni, inter vos dicetis hæc consequentia verba diuinitus definita. Pars populo Israel ab alienigenis hostibus dimensa, nemine prohibente, iniuriámue propulsante, distributa est: ego quidem illinc eiectus sum, & datam hæreditatem nõ habeo: agros ad me pertinentes alij possident. Cùm sic acerba denunciauit, vtilitatis plenam consolationem affert.

In ecclesia domini nolite flere lachrymis, neque plorent super his: non enim abijciet opprobria, quæ dicit, domus Iacob prouocauit spiritum domini. Si hæ sunt adinuentiones eius, nónne sermones eius boni sunt cũ eo, & recti ambulauerunt?

Non, inquit, supplicijs vobis dolor capiendus est, sed peccatum lugendum est: non verbo iniquitas confitenda est, sed opere rerum mutatio præ se ferenda & profitenda est: nam operibus verba ornantes laudat Deus.

Et prius populus meus inimicitijs restitit contra pacem suam.

Contra leges meas faciens, semet pace priuauit.

Pellem eius excoriauerunt, vt auferrent spem contritionem belli.

Propter hãc nequitiam quodammodo sua pelle expoliatus est: cùm nimirum mea procuratione destitutus est, ex bona spe deiectus, in belli consumptionem traditus est.

Duces populi mei proijcientur de domibus delitiarum suarum, propter malas adinuentiones suas eiecti sunt.

Propter, inquit, malum institutum, & peruersa studia expulsi sunt vnà cum cæteris reges & sacerdotes, atque delicijs, quibus prius diffluebant, priuati sunt: in terra aliena habitare compulsi, pœnas prohis quæ dèliquerũt, dependunt.

Propinquate montibus æternis: surge, & ambula, quia non est tibi hic requies: propter immunditiã consumpti estis corruptione, fugistis nemine persequente.

Cùm iniquitatibus dediti sponte malitiam sequeremini, hostibus captu faciles estis effecti: in montes igitur illos accedite, quos à principio Deus, cùm illos construxit, plantauit: nam hac ratione viuẽdi priuati estis propter peccatum.

Spiritus stat uit mendacium, stillauit tibi in vinum, & ebrietatem.

Fraudulentus spiritus in falsis prophetis loquens mendaces prædictiones tibi instillauit, indeque ebrietatem operatus est.

Et erit de stilla populi huius: congregandus congregabitur Iacob: cum omnibus suscipiens suscipiam reliquias Israel, ponam auersionem eorum sicut oues in tribulatione.

Hæc, inquit, deceptio quam vobis per falsos prophetas dæmones conflauerunt, efficiet, vt vnà cum decẽ tribubus in captiuitatem

incidatis, ad eam nimirum omnes abducam, communes de vobis pœnas sumens, quę cùm impendebunt,

Sicut oues in tribulatione quasi gregem in medio cubilis eorum, exilient ex hominibus.

Quemadmodum enim oues quiete recubantes, cũ metu plurimo surgunt: sic vos cum hostes videritis bellum ferentes, tumultu & timore cõmouebimini. Deinde prædicit Sedechiæ facta, quod etiam diuinus Ezechiel præmonstrauit, cùm vasa captiuitatis à Deo accipere iussus fuit, & regis illius fugam per has res præsignificari.

Ascende per diuisionem ante faciem eorum, diuiserunt, & transierunt portam, & egressi sunt per eam, & exiuit rex eorum ante faciem eorum.

Cùm sensisset Chaldæos grauiter obsidione vrbem premere, vrbis muro perfosso, cum paucis aufugit: verum captus, filiorũ suorum primo cędem vidit: deinde oculis obcęcatus, vinculis constrictus, abductus fuit.

Dominus autem princeps erit.

Non ad ferendam opem, sed ad eos perdendos.

CAP. III.

ET dicet: *Audite hæc principes domus Iacob, & reliqui domus Israel: non vestrum est cognoscere iudiciũ, qui odio habetis bonũ, & quæritis mala: diripientes pelles eorũ ab eis, & carnes eorũ ab ossibus eorum: sicut deuorauerunt carnes populi mei, & pelles ab eis excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut carnes in lebete, & sicut carnes in olla: Sic clamabunt ad dominum, & non exaudiet eos, & auertet faciem suam ab eis in tempore illo, eò quòd pessime egerunt in adinuentionibus suis.*

Ad principes verba facit, quibus cùm iudicandi potestas permissa fuisset, ius conculcauerunt: quare per interrogationem cum eis loquitur, Nónne vos iudicandi facultatem vobis vindicatis, vt delinquentes puniatis, innocentes impunitos dimittatis? Quomodo igitur legibus præesse constituti, à bonis operibus actiones abstraxistis? in res iniquissimas acerrime incubuistis? tantam tyrannidem in pauperes exercuistis, vt omnibus substantijs eos priuaretis? Hoc planum fecit, cùm dixit: Diripientes pelles eorum ab eis, & carnes eorum ab ossibus eorum. Cùm hæc scelera in vos admiseritis, etiam si millies à me petieritis auxilium, non tamen vllum consequemini. Cùm sic principibus minatus est, ad prophetas sermonem vertit.

Hæc dicit dominus super prophetas, qui seducũt populum meum, & mordent dentibus suis, & prædicant super eum pacem, & non est data in ore eorum: sanctificauerunt super eum prælium.

Mendacia, inquit, impostores prophetæ vaticinantes, veluti quibusdam morsibus assentatione verborum populo perniciem moliebantur, contraria prophetis meis loquentes, pacem populo pollicẽtes: at enim eorum verba pacem habent, res vero bellum ostendunt. Cùm pacem denunciant, mala, quæ ex bello proficisci solent, accersunt: nimirum his pollicitationibus populi pœnitentiam impedientes. Quòd vero ait, Et sanctificauerunt super eum bellum: pro separauerunt posuit: hoc est, accersierunt, conciliauerunt.

Propterea nox vobis erit pro visione, & tenebræ erunt vobis ex diuinatione & occumbet sol super prophetas, & contenebrescet super eos dies, & cõfundentur qui vident somnia, & irridebuntur harioli, & loquentur aduersum eos omnes isti, quia non est qui exaudiat eos.

Rebus nimirum contrà, atque denunciassent, accidentibus, belloque ingruente, pro pace ab eis peruulgata risus in eos consequentur, qui hæc mendacia vaticinati sunt, quique ad somniorum confidentiam adhortati prodire verebuntur, mediaque die in tenebris vitam agent, atque noctem dié existimabunt, visorum metu vexati, multis conuitijs ab eis seducti, illos aspergent.

Verumtamen ego repletus sum fortitudine in spiritu domini iudicio, & potentia, vt annunciem Iacob impietates eius, & Israel peccata sua.

Non committam, vt similia illis præuaricatoribus legum attẽtem, sed sancti spiritus gratia instructus, & eius robore tectus libere populi impietatem redarguam, vt vero se palàm reprehensurum admissa ab eis scelera pollicitus est, clarè, & apertè exclamat:

Audite hæc duces domus Iacob, & reliqui domus Israel, qui abominabimini iudicium, & omnia recta peruertitis: qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitatibus.

Quibus, inquit, iudicandi munus mandatum fuit, ne iuris libra vlla inclinatione lancis in alterutram partem propenderet, non accurauistis: at potius iuris rationem nullam duxistis: iniuria vt ius videretur elaborauistis: atque istiusmodi animi sententia præditi, sanguine innocentum Hierusalem compleuistis. Corruptela munerum cum principes capti, tum sacerdotes de iure, & alijs rebus legitimis, non sine pecunia respondentes, ministeria diuina non confici gratis sustinentes. Iam vero prophetæ aduersarijs spiritibus instructi, falsam diuinationem mercenariam habentes, & donis impostura proferentes, eaque cùm facerent, diuinitus auxilium habere se opinabantur, dicentes:

Nónne dominus in nobis est? non venient super nos mala.

Quòd in omni iniquitate versantes frustra diuina appellatione nixi fueritis, cognoscetis.

Idcirco propter vos Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem vt custodia pomarij erit, & mons templi in lucum saltus.

Tanta, inquit, solitudinum vastitas huic vrbi clarissimæ inferetur, vt templum plantarum consitione compleatur, & similis sit spissæ syluæ: intra vero muros loca, quæ olim ciuium frequentia complebantur, similiter vt arationes, quæ extra mœnia sunt, arabuntur, & in eis sementes fient, vt nihil Hierusalẽ à custodia pomarij differat, quod post fructuum perceptionem, iam pristino custode domum reuerso, desertum manet. Hæc sub Nabuchodonosor finem acceperunt, cùm capta vrbe, habitatores vnà cũ rege captiuos abduxit: verum exactius prophetiæ finẽ videre est, post Iudęorum rabiem, aduersus Seruatorem nostrum efferuescentem: nam in hunc diem templum illud celebre euersum, omni vastitate completum est, vt videntes ignorẽt, quis situs fuerit olim sanctorũ locorum. Quocirca quę sic de illo templo per os prophetæ Dei benignitas prædicit, ecclesiæ aduentum, quæ credidit in dominum nostrum Iesum Christum, præsignificat, ac vero sic ait:

CAP. IIII.

ET erit in nouiss: mis dierum manifestus mons domini, præparatus super verticem montium, & eleuabitur super colles, & festinabunt ad eum populi, & ibunt gentes multæ, & dicent, Venite, ascendamus ad montem domini, & in domum Dei Iacob, & ostendet nobis viam suam, & ambulabimus in semitis eius. Quia de Sion exiet lex, & verbum domini de Hierusalem, & iudicabit inter populos multos, & arguet gentes fortes vsque in longinquum.

Vsque ad extremas terras Euangelica & diuina denunciatio peruasit, & permanauit iuxta domini prædictionem, quæ in sacris Euan-
Matth. 24. gelijs habetur: Et prædicabitur, inquit, hoc euangelium omnibus gentibus in testimo-
Matth. 28. nium. Tum etiam Apostolis præcepit, dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quęcunque mandaui vobis. Hæc lex Euangelica atque verbum Apostolicum, cùm ab Hierusalem veluti à fonte quopiam incepisset, per omnem terrarum orbem peruagatum est, cum fide accedentibus irrigationem afferens, tum etiã videas in medijs vrbibus, & pagis, & agris, locisque desertis ædes sacras exædificatas, magnitudine, & pulchritudine præcellentes, vt ipsis montibus editissimis insigniores sint, & magis conspicuæ. Sin autem quispiam intelligat colles & montes, templa infestissimorum dęmonum, in eis olim ædificata, ille etiã sic sensum propheticum veritati congruentem inuenier. Sed hęc radicitus reuulsa, funditus delęta sunt: Dei vero tẽpla & multitudine, & pulchritudine ad similitudinem propius sideribus cœli accedunt. Sed tamen Iudæi hæc non ita intelligenda existimant, sed hæc ipsa esse de reuersione ex Babylone prędictionem. Et certe nihil mirum est, illos stupiditate refertos sic intelligere: nam in alias eorum impietates ab hac etiam prophetia aberratio conuenit. Quòd autem quidam pij doctores eandem interpretationem in sua scripta inseruerint, non ferendum mihi, neq; venia dignum videtur. Quænam gentes & vicinæ & longissimè habitantes post reditum in Iudæorum templum accurrerunt ad leges eorum accipiendas? ad verbum illinc proficiscens amplexandum? Inter quasnam gentes populósue sic verbum Domini iudicauit eorum malefacta reprehendens? Et ea quæ deinceps consequuntur, aperte illius interpretationis falsitatem refellunt: post enim à Babylone reditum, vt etiam his, qui sic interpretati sunt, videtur, & Gog & Magog, cum permultis gentibus Iudęis bellum intulerunt: omnesq; preterea finitimi continenter cum eis bella gesserunt. Hinc quidem Idumæi, & Amanitæ, & Moabitæ: illinc vero exteræ nationes, & Samaritæ: & non ita multo pòst tempore à Macedonibus clades in eos inuectæ fuerunt, quas Machabæorum libri complectuntur. Hoc autem loco propheticus sermo altissimam pacem promittit.

Et concident gladios suos in aratra, & hastas suas in falces, & vltra non tollet gens contra gentem gladium, & nequaquam discent belligerare: & requiescet vnusquisque sub vite sua, & vnusquisque sub ficu sua, & non erit qui exterreat.

Verborum veritatem afferens dicentis auctoritatem, & dignitatem auditoribus planam facit.

Quia os domini omnipotẽtis locutum est hæc, Quia omnes populi ibunt vnusquisque viam suam: nos autem ibimus in nomine domini Dei nostri in æternum & vltra.

Quòd nihil ex his ad Iudæos accommodari posit, res ipsæ testantur: hi enim de Hierusalem deiecti, cùm in totum orbem dispersi, & errabundi solum vertissent, ex lege rem sacram facere non poterant. Propheticus sermo promittit eos, qui crediderunt in nomine Domini, ire in æternum & vltra. Quòd vero post domini aduentum tempus hæc præsignificent, res penè ipsæ loquentes rursus testimonio sunt. nam ante constitutum Romanum imperiũ crebræ inter se seditiones commouebantur, quia singulis nationibus separatim imperia erãt. Atqui omni imperio ad Romanos translato, & cuisque gentis regno deleto, sum ma pax toto orbe terrarum constituta est, vt non amplius gens cum gente bellum gerat, sed propter pacẽ diuinitus factam, bellica instrumenta in rustica conuertantur. Iam vero agris colendis dantes operam, tuto hinc bonis fruuntur, omniaq; alia munia, quæ obiri possunt tempore pacis, exercent, ac ex his partim varijs artibus vacant, partim mercaturam exercent, partim nauicularia faciunt: quidam perfectionem exoptantes, diuitijs redundãtibus Dei viam, & erga Deum studium anteponunt, hincq; vitam ęternam assequuntur: atque ad hæc adijcit,

In diebus illis, & in tempore illo, congregabo eam quæ contrita est, & quæ ejecta fuerat suscipiã, & quos repuleram: & ponam contritam in reliquias, & repulsam in gentem fortem.

Et docens planè, vt non de Iudæis hæc loquitur, apposuit,

Et regnabit dominus super eos in monte, ex hoc nunc vsque & in sæculum.

Si nimirum Iudæorũ regnum in Sion permansisset, & assidue æterna Dei procuratione curarentur, iure Iudęi hanc sibi prophetiam

arriperent, & meritò similiter hæc interpretati, vt solent Iudæi, cum illis consentirét. Sin autem Iudæorum regnum dudum extinctum est, longissimeque habitantes ab Hierusalem, seruiunt in extremis terris, atque Dei procuratione denudati sunt: ne iccirco amplius nugas suas nobis proferant, veritatisque doctores veritati patrocinentur. Contritam autem, & eiectá, animas pietati seruientes vocat, propter quas vnigenitum Dei verbum carnis assumptione humanæ in terra visum, cum hominibus versatum est, ipsumque horum testis est
Matth. 9. Marc. 2. ad Iudæos verba faciens: Non est opus medico valentibus, sed male habentibus. Et, Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Idcirco Publicanum, & meretricem, & latronem, atque eiusmodi congregans, & eorum mores in melius commutans, Ecclesiam sanctam constituit, eis imperans ex hoc nunc, & vsque in seculum: atq; sic de Ecclesia gentium vaticinatus propheta, ad sermones contra Hierusalem redit.

Et tu turris gregis caliginosa filia Sion ad te veniet, & ingredietur principatus, & primum regnum de Babylone.

Ita etiam mirificus Esaias, ac potius Deus omnipotens ex illius ore tropice eam nomi-
Esai. 5. nat, cùm dixit: Plantaui vineam Sorech, & torcular extruxi in ea. Et subiunxit: Et turrim ædificaui in medio eius, templum sic appellans, per quod custodire vineá arbitrabatur. Hanc Micheas turrim caliginosam & squalidam vocat, propter habitantium impietatem: nam cùm legibus Dei reipub. temperatæ nitorem inquinarunt, iniquitatem veluti squalentem & sordidam domũ quandam introduxerunt: hisq; præterea minatur Babyloniorum exercitum, quorum gubernacula statim vt Nabuchodonosor suscepit, bellũ mouit, tertio anno regni Ioachim: quare illud regnum nominauit primum regnum, quia simulatque rex factus est, Nabuchodonosor bellum intulit. Deinde per simulationem interrogat,

Et nunc quare cognouisti malum? nunquid rex non erat tibi, aut consilium tuum perijt? quia obtinuerunt te dolores sicut parturientem.

Quare in discrimen fortunarum venisti, præsertim cùm in consilio haberes, qui quod opus esset, inuenire possent, & regem huius rei causa à me expetisses, vt pro te belli pericula susciperet, quem statim vt petiuisti, tibi dedi? Condisce igitur cõsiliariorum tuorum prudentiam, & regnum regum nihil tibi auxiliaturum.

Dole, & viriliter age filia Sion quasi parturiens.

Similiter, inquit, vt mulier vicina ad pariendum dolores suscipe, & perinde vt illa impendentia mala conspiciens, te dolorum aculeis vexa.

Quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in campo, & venies vsque ad Babylonem: inde liberabit te, & redimet te dominus Deus tuus de manu inimicorum tuorum.

Ne, inquit, à malis tibi impẽdentib' te speres liberatum iri: hac enim vrbe te pelli oportet, atque cùm abduceris hinc, inter faciẽdum iter vt casus feret, diuersari quàm item diutissime habitare in regione Babylonia, longoque pòst tempore libertatem assequi, & in patriam redire. Vt vero sic captiuitatem & reditum eis vaticinatus est, de Scythicis gentibus prædicit, quòd post reditum eis bellum inferent.

Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, & populi multi, dicentes, Insultemus & gaudeamus, & videant in Sion oculi nostri: ipsi autem nescierunt cogitationes domini, & non intellexerunt consilium eius, quia congregauit eos vt manipulos areæ.

Congregat dominus nõ cogens, neque violenter vrgens, sed appetitibus concedens, & libero arbitrio cedens: verum hęc, cùm alios prophetas explanaremus, docuimus.

Surge, & tritura eos filia Sion, quia cornua tua ponam ferrea, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & consecrabis domino multitudinem eorum, & robur eorum domino vniuersæ terræ.

Mea procuratione & prouidentia tecta tanquam cornibus ferreis, & vngulis ex ære confectis vsa robore tibi à me suppeditato eos omnes prorsus perdes, funditusque delebis. Victoriam autem, quam ex eis referes, mihi attribues, aperteque profiteberis, me hanc tibi dedisse.

CAP. V.

NVnc obstruitur filia obstructione, angustiam posuit super nos: in virga percutient super maxillam tribus Israel.

Illi, inquit, non finé prospicientes, tanquam obstructione quadam exercitu vrbem omni ex parte circumsidebũt, eam se capturos sperantes, ac omni crudelitate inhabitantes se vsuros esse, sibi pollicentes: hoc enim, inquit, cùm dixit, in virga percutiét super maxillam, quòd eiusmodi plaga maiorem notam ignominiæ inurat. Verum ne timeas, namà me curaberis, non propter erga me tuum studium, & beneuolentiam: sed propter eũ regem, qui ex te secundum carnem nasciturus est: hocque plane docens intulit,

Et tu Bethleem domus Ephrata nequaquam minima es, vt sis in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, vt sit in principem Israel: & egressus eius ab initio à diebus sæculi.

Causam quare illustris habenda sis habes, qualem nulla totius orbis vrbs: nam in te secundum carnem nascetur ante secula ex patre genitus. Cuius egressus ab initio, hoc Euangelij proœmio planè simile est, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Est etiam simile his, quę à Deo per Dauid dicuntur, Ex vtero ante luciferum genui
Psal. 109. te. Hic igitur ante sæcula in principio apud Deum Deus verbum, & hinc exitus ab initio habens. In te, inquit, carnis genituram accipiet, & quæ minima ex millibus Iuda existis, te splendidam, & illustrem efficiet. Iudæi vero nostri

nostri temporis hoc ad Zorobabel accõmodare attẽtarunt, aperte veritatem oppugnantes, neque cùm audiunt rubore perfundũtur, quòd huius egressus ab initio à diebus sæculi. Et vero post captiuitatem Zorobabel Babylone natus fuit, atque à loco nomẽ duxit. Veteres Iudæi non similiter, vt hi nostræ ætatis, hanc prophetiam intellexerũt: sed multis an-
Matth. 2. nis post Zorobabel ab Herode interrogati, vbinam nasceretur Christus, hoc ei testimonium attulerunt. Hinc igitur patet, quàm perperam se Iudæi nostræ memoriæ sensum prophetiæ interpretentur. Sed horum temeritate relicta, ad ea quæ deinceps consequuntur, explananda pergamus.

Propterea dabit eos vsque ad tempus parientis: pariet, & reliquiæ fratrum reuertentur ad filios Israel.

Vsque eo, inquit, tolerabis, & tua procuratione Iudæos curabis, quoad pariens pepererit. Ecclesiam vero designat, de qua Esaias
Esa. 54. clamat: Lætare sterilis, quę non paris: erumpe & clama, quę non parturis, quia plures filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum: qui autem, inquit, ex hac nascentur Israel fidelibus coniungentur. Ex Israel enim diuinus Apostolorum chorus extitit, & post eos electi à domino Septuaginta discipuli, & post resurrectionem in vnum congregati centum viginti; & quingenti: quibus simul congregatis dominus visus fuit: & tria millia, & quinque millia, quos piscator Petrus expiscatus fuit: multaq; millia, de quibus diuinus Iacobus dixit Paulo
Act. 21. cœlestissimo: Vides frater, quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt. Vna igitur hinc & illinc ecclesia efficietur, & in his ex Bethleem Dominus stabit.

Et videbit, & pascet gregem suum in fortitudine dominus, & in gloria nominis Dei sui erũt: quia nunc magnificabuntur vsque ad terminos terræ.

Et sane sacrosanctam Dei Ecclesiam videas dominico nomine gloriose ornatam esse, & vbique terrarum, & maris, Dei nomẽ summis laudibus celebrari: de quibus nihil Iudæi demonstrabunt factum fuisse ante aduentum domini, & conseruatoris passionem, & gentium vocationem. Cùm vero lõgis pòst temporibus hæc futura essent, à rebus, quæ paulo post illa tempora acciderunt, prædictionis futurorum fidẽ facit. Vt vero, inquit, noscatis: quàm multo veracissima vaticinia mea sint, eorum pignus habete præsentia, quę deinceps narro.

Et erit hæc pax, Assyrius quando superueniet in terram vestram, & cùm ascenderint super regionem vestram.

Hæc itaque à me habete pignora rerũ, quas futuras prędico, quòd bellum vobis inferentem Assyrium perdam, & pacem vobis altissimam faciam. Et erit hæc pax, cùm Assyrius superueniet in terram vestram, & cùm ascenderit super regionem vestram: dabo enim vobis pacem, cùm ille superuenerit præter omnem humanam spem.

Et consurgent super eum septem pastores, & octo morsus hominum, & pascent Assur in gladio: & terram Nebrod in fouea eius: & liberabit te Assur, cùm veniet super terram vestram, & cùm ascenderit super terminos vestros.

Ex his aperte edocti sumus, vt etiam in Babylone Assyrius regnauerit. Nam Nebrod, vt mirabilis Moses docuit, tyrãnide vsus, primo Babylonem sibi subiecit. Fuit autem, in-
Deut. 10. quit, principium regni eius Babylon, Orech, & Chalane. Septem vero, ait, in eum reges conciabo: Pastores enim reges vocat: & octo plagis humanis circumplicabo. Belli vero impetus dicit in eum factos, sic enim vocat morsus hominum, ac pariter significat Babylonis expugnationem: nunc quidem, inquit, hunc in eiusmodi mala conijciam. Nec vero ita multo post eum, qui ei successerit, & Babylonem vrbem regiam constituerit, funditus perdam: nec ei erunt auxilio muri fortissimi, neque extra hos cingentes fossæ eum vindicabunt. Tu vero his liberaberis, non tum modo, cùm in eos alios hostes concitabo, sed hoc etiam tempore, cùm magnis copijs vrbem tuam impetentibus, angelica opera occultam perniciem eis inferam, cùm sic tunc facta pignora dedit eorum, quæ postea futura essent. Ad hęc illa rursus sermonem vertit, docetq; quẽadmodum qui Bethleem nato Domino crediderunt sacri Apostoli, & vnà cum his diuinæ declarationis ministri electi alijs gentibus Euangelicã doctrinam afferent, ac vero sic ait:

Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi ros à domino cadens, & quasi agni super gramen, vt non congregetur quisquam, neque sit in filijs hominum.

Cùm hic saluatos reliquias vocat, tum alibi. Si fuerit numerus filiorum Israel vt arena maris, reliquiæ saluabuntur. Perinde, inquit, vt ros est cœlo delapsus, qui crediderunt, atque Euangelicam declarationem gẽtibus attulerunt, orbem terrarũ irrigabunt: & quemadmodum agni gramen consumunt, sic hi gra minis instar impietatem insitam in terrenis animis facile destruent, vt nõ amplius eiusmodi hominum collegia inueniantur. Quia vero dæmones ex incurabili morbo laborantes permanserunt, iure spiritus sanctus cum exceptione prædictionem fecit, vt non congregetur quisquam, neque sit in filijs hominum. Itaque, inquit, nullum collegium ex hominibus impijs coactum reliquum inuenietur. Cùm rori & agnis eos comparasset, & per hæc non satis eis potestatem à Deo datam explanasset, aliam dictis similitudinem attulit.

Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorũ, quasi leo in iumentis, in saltu, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum, quomodo si pertranseat & diuidens rapiat, & non sit, qui eruat.

Apostolorum principia rorís similia iaciebantur, & quemadmodũ agni impietatis gramen depascebantur, doctrina & miraculis tanquam agni in medio luporum versantes, iuxta domini prædictionem: Ecce, inquit, mit-
Matth. 10. to vos sicut oues in medio luporum. Postea vero quàm orbis terræ Euangelij declaratio-

nem ſuſcepit, & reges, & imperatores ad numerum eccleſiæ adſcripti ſunt, in veritatis hoſtes metus incubuit. Et quidem hi iumentorum ſimiles facti, metu & horrore complentur ex omnibus partibus auxilio deſtituti. Hi vero qui Euangelicam doctrinam docent, leoninos animos gerentes, & robur cum ſumma libertate, mendacijs patrocinantes, veritatis verbo expugnant: tum inquit,

Eleuabitur manus ſuper eos, qui tribulant te, & omnes inimici tui perdentur, et erit in die illa, dicit dominus, interficiam equos tuos de medio tui, & diſperdam currus tuos, & ſubuertam ciuitates terræ tuæ, et auferam omnes munitiones tuas.

Neque in poſterum ab illis expelleris, quin ipſe eorum templa demolieris: hi nimirum qui ex Iſrael crediderint, hoc robur animi adipiſcentur: qui autem in perfidia permanſerint, ſuo regno deſpoliabuntur, & omnino peditatu & equitatu priuabuntur, neque vrbes mœnibus munitas habebunt. Sed & hæc, inquit, tibi bono erunt.

Et inquit, Auferam maleficia tua de manibus tuis: & qui loquuntur, non erunt in te: & diſperdam ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui, & vltra non adorabis opera manuum tuarum, & ſuccidam lucos de medio tui: & demoliar ciuitates tuas: & faciam in ira, & in furore, vltionem in gentibus, pro eo, quòd audierunt.

Et qui loquuntur, non erunt in te. Loquentes vocat diuinatores. Et nimirum ex ipſis rebus hæc facile intelligi poſſunt: nam poſt Dei conſeruatoris noſtri incarnationem, cùm Iudæi gentium pietatem viderent, & ab errore liberationem, inuiti quidem ipſi à cultu idolorum ſe remouerunt: videntes enim eos, qui ſunt extra legem ſapere, palàm verentur impietatem admittere. Itaque eis prædicit, & quòd ſuis vrbibus pellentur, & ꝙ in gentes diſperſi idolorum errore liberabũtur. Ac poſtquam contra eos hanc tulit ſententiam, rurſus eos in iudicium accerſit, ac montibus permittit iudicandi poteſtatem: non vt animatos appellans, neque vt ad rationis participes verba faciens: ſed quia montes, & inter hos poſiti ſaltus & valles, modò Aſſyriorum cadauera excepiſſent, angelica opera interfectorum, modò Scythicarum gentium innumeras cædes, ex montibus & collibus eorum, quę in his geſta ſunt, memoriam renouat.

CAP. VI.

AVdite quæ Dominus locutus eſt, ſurge iudicare apud montes, & audiant colles vocem tuam.

In montes conijce oculos, qui meo auxilio hoſtium tuorum cadauera ſuſceperunt: & ſi potes, liberè loquere: ac non os tuum beneficij magnitudo obſtruat. Verum quoniam hoc præſtare non potes, ego ſermonem ſuſcipiam.

Audite montes iudicium Domini, & valles fundamenta terræ: quia iudicium Domini aduerſus populum ſuum, & cum Iſrael iudicabitur.

Nam cùm rationis capaces ex rationis ſtupiditate & penuria laborent, inanimos in eos iudices dabo.

Populus meus quid feci tibi? aut quid contriſtaui te? aut in quo moleſtus fui tibi? reſponde mihi.

Inimicitiarum cauſam affer: redargue, ſi qua moleſtia à me affectus fuiſti. Et cùm nihil dicere valentem, eum tacere neceſſe fuiſſet, iuſtis de cauſis intulit,

Quia eduxite de terra Aegypti, & de domo ſeruitutis redemi te: & miſi ante faciem tuam Moyſen, & Aaron, & Mariam. Populus meus recordare, quid cogitauerit aduerſum te Balach rex Moab, et quid reſponderit ei Balaam, filius Beor, de Schenis vſque ad Galgal, vt cognoſceretur iuſtitia Domini.

An igitur hoc tanquã iniuriam tibi factam affers, quòd te, cùm acerba Aegyptiorum ſeruitute liberaſſem, Moſe, & Aarone mirificis viris, & illuſtribus vſus adminiſtris, tibi ſolidam libertatem donaui: tum etiam, cùm ne cura quidem neceſſaria mulieres deſtituendas cenſuiſſem: his Mariam, prophetiæ gratia cumulatam, præfeci. Si vero hæc obliuiſci tibi libet, ſaltem veniat tibi in mentem, quid effecerit Balaam: cauſas conſidera, cur eum Balach accerſuiſſet: & quemadmodum ille meo robore inſtructus, non maledictionem vobis, ſed benedictionem attulit, & tamen cùm hæc omnia effecerim, non abs te iuſtitiæ meæ præmia poſtulo, ſed meam iuſtitiam planam facio: nam quæ pollicitus progenitori veſtro fueram, ex ea pactione confeci. Cùm hunc ſermonem tanquam Dei perſonam ſuſtinens habuiſſet, & populi robuſtum & inueteratũ morbum cerneret, pro populo pietatis rationes excutit, dicens:

In quo apprehendam Dominum, ſuſcipiam Deum meum excelſum: ſi apprehendam eum in holocauſtis, in vitulis anniculis? ſi ſuſcipiat Dominus in milibus arietum, vel in decem milibus hircorum pinguium? ſi dabo primogenita mea pro impietate? fructum ventris mei pro peccato animæ?

In quo apprehendam &c. Quomodo compenſabo eum qui mihi tot, & tanta bona conciliat? quibus retributionibus vtar? ſi apprehendam eũ in holocauſtis? Et deinceps: Non, inquit, vitulorum multitudo, non vniuerſa armenta, nõ decem milia caprarum (nam χιμάρους vocat capellas anniculas) non infantes primigenij ad ſacrificium Deo allati, me de peccatorum multitudine abſoluere poſſunt. Si vero hæc omnia ad peccatorum expiationem non ſatis ſint, quibus Dei beneficia compenſabo? Cùm ita humanas rationes adhibuit, rurſus Deum interrogantem inducit.

Annunciatum eſt tibi homo, quid bonum, aut quid dominus quærat à te: Niſi vt facias iudicium, & diligas miſericordiam, & paratus ſis ambulare poſt Dominum Deum tuum.

Hoc idem Deus omnipotens ex ore Dauid omni genere ſacrificiorum ſpreto dixit, Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues: cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero non dicam tibi *Pſal. 49.*

tibi, meus enim eſt orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, an ſanguinem hircorũ potabo? immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua, & inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Idemque alio loco: *Pſal. 50.* Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem: vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet. Eadem hæc apud omnes prophetas inuenias. Hoc loco dicit præcepta eius eſſe explicata, & in promptu expedita. Iuſtitiam te curare volo, & erga proximum humanum eſſe, & per omnia Deo factori obtemperare. Hæc autem per Moſen lege ſanxit, Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex toto animo tuo, & proximum ſicut te ipſum: his abs te obitis,

Vox Domini ciuitati clamabit: & ſaluabit timentes nomen eius. Audi tribus: Et quis ornabit ciuitatem? nunquid ignis, & domus iniqui theſaurizans theſauros iniquos, & cum iniuria iniquitates?

Quemadmodum non ornatum vrbi ignis affert, ſed incendium, & perniciem molitur: ſic ad iniuſtitiam procliuitas cum audacia, & contumelia facta, damnum, & cladem vtentibus adnexit.

Si iuſtificabitur in ſtatera iniquus: et in ſacello pondera fraudulenta, de quibus diuitias impietatis ſuæ repleuerunt: & qui habitant in ea locuti ſunt iniqua, & lingua eorum exaltata eſt in ore eorum: & ego cruciaui te propter peccata tua: tu comedes, & non ſaturaberis.

Præter impietatem committebant ea, quæ ante damnauit: ſtateram & pondera iniqua poſſidentes, ſcelerate diuitias congregantes, verbis mendacibus linguã inquinantes. Quãobrem inquit, tui vlciſcendi initium faciam, & de iniquitatibus pœnas repetam, crebriſq; & exaggeratis malis te cumulabo. Hoc deſignat, cùm ait: Tu comedes, & non ſaturaberis: tenebris miſeriarum adeo implicabo, vt ne fuga quidem libereris.

Et quicunque ſaluati fuerint, gladio tradentur: tu ſeminabis, & non metes: tu premes oliuam, & non vngeris oleo: & vuam, & non bibes vinũ: & diſſipabuntur legitima populi mei.

Ac docet, vt non hoc loco de legitimo diuino loquitur, ſed de iniquo, & ſcelerato inſtituto vitæ, cùm ſubiunxit:

Et omnia opera domus Achab.

Cùm enim illam impietatẽ æmulatus ſis, his malis cumulabere, vt qui calamitates vobis accidentes videant, ſibilo magnitudinem ſignificent. Vt vero hæc omnia propheta dixit, lamentatur, quod in multis à ſe ſermonibus habitis, veluti perdiderit operam.

CAP. VII.

VAE mihi, quia factus ſum, ſicut qui congregat ſtipulam in meſſe, et ſicut racemos in vindemia, cùm non ſit botrus: comedere primitiua deſiderauit anima mea.

Similis factus ſum ſpicas, excidentes colligentibus, aut exquirentibus racemulos à vindemiantibus prætermiſſos, nullum enim inueniobedientiæ botrum: cùm tamen non parum inuenire exoptaſſem quiddam præſtabile, & primitijs dignum. Hoc oſtendit, cùm dixit: Comẽdere primitiua deſiderauit anima mea: Quia vero primigenia Deo offerebantur, non abs re deſiderabile & luculentum primitiuum appellauit: & hęc tropice enunciata, plana facere volens, ſubiunxit,

Væ mihi anima, quia perit ſanctus de terra: & qui corrigat in hominibus, non eſt.

Deinde peccata enumerat. Iudices, inquit, contra innocentes iniquam ſententiã ferunt, & cædes iniquas facere aggrediuntur: ex reliquis vero hominibus quiſq; plus expetens, rem proximi ad ſe conuertit. Iudex vero, cui eſt poteſtas permiſſa ex legibus iudicandi, non expectat vt illi munus deferatur, ſed ipſe petit, munerum corruptelis, animo vitiato præditus. Princeps enim, inquit, & iudex verba pacifica locutus deſiderium animæ ſuæ eſt. Cùm enim munera accepit ab his, qui iniuriam inferunt, deſideratam victoriam litis pollicetur. Quamobrem, inquit,

Auferam bona eorum quaſi tinea comedens, & ambulans ſuper tegulam, in die ſpeculationis tuæ.

Quemadmodum tinea intra lignum ſubiens, omne lignum corrumpit: ſic te conſumet ſententia contra te pronunciata in die vltionis. Hanc enim ſpeculationem appellauit: hoc eſt, Dei in illa die aduentum. Deinde voce lamentabili miſericors pater, erudienti ſimilis, ait,

Væ, væ, vltiones tuæ venerunt: nunc erunt fletus eorum. Nolite credere in amicis: neque ſperetis in ducibus: ab ea, quæ recum cubat, caue: ne credas ei, quia filius contumeliam facit patri: filia ſurgit aduerſum matrem ſuam: nurus contra ſocrum ſuam: inimici hominis viri domeſtici eius.

Hæc vero cùm fient, inquit, non amicus amico erit auxilio, non rex ſubditos curabit, non coniunx mariti cura tangetur: ſed quiſque ſuæ ſalutis curam ſuſcipiet, effugium malorum adeo vehementer perſcrutans, vt ne patri quidem filius honorem iuſtum tribuat, neque filia matri legitimum officium præſtet, nurui vero nulli curæ erit ſua ſocrus: omnia veluti in ſeditione quadam accident: alius alium deſpiciet, & contemnet: & vix propriam ſalutem procurabit. Et illi quidem ſic affecti erunt: Ego autem, inquit propheta,

In Domino contemplabor: expectabo Deum ſaluatorem meum.

Et oſtendens, quis expectationis fructus, dixit,

Exaudiet me Deus.

Ad hunc modum cùm docuit ſpei lucrum, rurſus Hieruſalem perſonam induit, & ad Idumæam verba facit, quæ ſemper inimica & hoſtis erat.

Ne inſultes mihi inimica mea, quia cecidi & reſurgam: quia ſi ambulauero in tenebris, Dominus illuminabit me.

Reſurgam

Resurgam diuina curatione subleuata: ipse in tenebris agenti mihi suam lucem afferet. Nunc vero iram Dei sustinebo, quia peccaui contra eum: cognosco enim vltionis æquitatem, cùm peccati magnitudinem considero. Sed tamen expecto iustum iudicium aduersus eos, qui bellum intulerunt. Etsi enim ego pœnas persolui de his quæ deliqui, tamen illi iniuste contra me vsi sunt voluntate, & sententia. Eundem intellectum habet hoc quod deincepsait,

Donec iustificet causam, et faciat iudicium meum, & educat me in lucem, & videbo iustitiam eius: & videbit me inimica mea, & operiet eam confusio, quæ dicit ad me, Vbi est Deus tuus?

Etsi non iniuste ab eo condemnata sum, at contra illos iura permulta habeo, & ea de causa diuinam sententiam expecto, quando hanc latam videbo, & illorum seruitute liberata ero, videbit, inimica mea me, & operiet eam confusio, quæ dicit ad me, vbi est Deus tuus? Non vero solum hæc videbit meam felicitatem, & Dei mei robur, in quem maledicta intentauit, sed & ego videbo eius infelicitatem.

Oculi mei videbunt eam: nunc erit in conculcationem, sicut lutũ in vijs: dies lituræ lateris deletio tua: & repellet legitima tua dies illa: & vrbes tuæ venient in conclusionem, & in diuisionem Assyriorum: & ciuitates tuæ in diuisionem à Tyro vsque ad flumen.

Quemadmodum lutum ad fingendos lateres comparatum foras proiectum à pretereuntibus conculcatur, & dissoluitur, vt nihil valeat ad id, quod informatum erat: sic exposita eris omnibus, & captu facilis, ab omnibus vicinis destructa, & conculcata: tum leges tuę iniquæ finem accipient, & vrbes obsidione prementur. Hanc enim vocauit conclusionẽ. Et multitudo habitantium ab hostibus dissipata, seruire cogetur. Cùm autem aliæ vicinę vrbes Iudæorum calamitatibus gauderent: accommodate Tyri & Syriæ, & aliarum vrbium meminit vastatarũ ab Assyrijs & Babylonijs: & quænam hæ sint explicat, ab ipsis finibus planas eas faciens, cùm dixit:

A mari vsque ad mare, & de monte vsq; ad montem.

Hoc est, à mari rubro, ad orientem pertinens, vsq; ad mare, ad occidentem vergens: & à monte Idumæorum vsque ad montem Libanum, omnes interpositi hostibus tradẽtur. Hoc enim intulit, cùm adiunxit:

Dies aquæ & tumultus.

Instar aquæ præcipitantis multitudo exercitus illius impetum faciet, & terrę vastitatem solitudinum inferet: ad necem vero, & incendia habitantes dabit: & causam affert.

Propter fructus inuentionum eorum.

Atque cùm ita finitimis futura vaticinatus est, pacem, quæ post reditum futura erat, prænunciat.

Pasce populum tuum in virga tua, oues hæreditatis tuæ.

Et cùm homines vocasset oues metaphoricè, perstitit in metaphora.

Habitantes in saltu solas.

Ab omnibus gentibus, inquit, separatos, & propriam habentes legem. Quòd verò dixit, In virga hæreditatis tuæ: Iuda tribum significat: illa enim post reditum alijs præerat, cùm diuisio non amplius tribuum existeret. Deinde docens, vt omnem terram, quam ante captiuitatem tenuissent, post reditum possidebunt, intulit,

In medio Carmeli pascentur, Basanitim & Galaaditim iuxta dies pristinos, & iuxta dies egressionis tuæ de terra Ægypti, ostendam eis mirabilia.

Quantam, inquit, vobis cùm ex Aegypto fuissetis egressi, terram donaui, tantam vobis cùm Babylone reuerteritis, dabo miraculorum editione, perterrefaciens bello vos lacessere aggredientes. Hæc vero cùm gentes videbunt, confusione complebuntur: & suarum virium infirmitatem sentientes, edent quæ sequuntur:

Ponent manus super os suum, aures eorum surdæ erunt: lingent humum, sicut serpentes, quæ trahunt terram: turbabuntur in conclusionibus suis super Domino Deo nostro: formidabunt, & timebunt à te.

Tuam repente enatam felicitatem, & à me suppeditatum subsidium cernentes, non absurda verba in te loqui audebunt, sed serpentum more in terra repentium, procumbent, facere aut dicere nihil audentes. His sermonibus confectis, propheta diuinam bonitatem erga homines stupens, exclamauit.

Quis Deus sicut tu? auferens iniquitates, & transcendens iniustitias, his qui reliqui sunt de hæreditate tua.

Incredibili, inquit, bonitate, & verborum narrationem vincenti, vtens Dominus, non repetis ab hominibus pœnas peccatis dignas, sed corrigens, vbi vides exiguam mutationem animi, præteris peccata, præteris impietates, quod sanè populo tuo nunc præstitisti.

Non testimonium iram suam, quia volens misericordias est.

Hoc simile est dictis Dauid, Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur: non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis: & mirabilis Micheas clamat, quòd iram non diutissime seruauit in redargutionem & testimonium iniquitatis populi, sed misericordia vtens reuertetur. *Psal. 102.*

Reuertetur & miserebitur nostri, demerget peccata nostra, & proijcientur in profundum maris omnia peccata nostra.

Persimilia his Deus omnipotens ex ore Esaiæ exclamat: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor. Hoc certè admirabile, quòd non solum ignoscit, sed etiam memoria sua pellit peccata, & tanquam in profundum in obliuionem tradit. Hoc enim explicans mirabilis Micheas, dixit: Demerget peccata nostra, & proijcientur in profundum maris omnia peccata nostra: quemadmodum id, quod in profundum maris abijcitur, penitus nõ extat: sic, inquit, peccata nostra funditus obliuio *Esa. 43.*

obruet, propter pactiones cum maioribus nostris factas, & hoc explicans, infert:

Dabis veritatem Iacob: misericordiam Abraham, sicut iurasti patribus nostris, iuxta dies priores.

Sic etiam beatus Dauid ait: Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandauit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham: & iuramenti sui ad Isac: & statuit illud Iacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum. Et illorum quidem peccata in profundum maris Dominus proiecit: nostra vero in sacro & diuino lauacro delet: cuius mare rubrum, iuxta diuinum Apostolum, typus fuit: quod cùm populus transmississet, seruitute liberatus fuit. Et nos, secundum illũ typum, per lauacrum, diaboli tyrannide liberati, propriam salutem accurabimus, assidue benefactorem laudibus ornantes, & illius leges sequentes, & à sanctis tritam viam tenentes, vt vnà cum ipsis ad bonum vitæ finẽ perueniamus, benignitate & misericordia Domini nostri Iesu Christi, quo cum patri gloria vnà cum Sancto spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen. *Psal. 104.*

FINIS PROPH. MICHEAE.

ARGVMENTVM IN PROPHETIAM BEATI NAHVM.

VM Niniuitis timorem iniecisset Dei minationes, quarum Ionas declarationem attulerat, eosq; scelerum suorum acerrime pœnituisset, salutem assecuti fuerunt: nam pro extrema pernicie, quæ eis intentata fuerat, à Deo misericordiam consecuti sunt: verum paucis post diebus in huius ineffabilis Dei benignitatis obliuionem adducti, ad pristinam malitiam reciderunt: atque mille iniquitates in se admiserunt: & bellum populo Israelitico fecerunt: & decem tribus in seruitutẽ redactas, Theglatphalasar, & Salmanasar captiuas abduxerũt: tum vero Sennacherib, cùm Iudææ bello illato alias vrbes obsidione cepisset, & sanè aduersus Hierusalem exercitum misisset, in ipsum Deum omnipotentem linguam vibrauit, maledicta intorquens, sed repente clam vnius angeli opera multa eorum millia interfecta fuerunt. Et vero ipse rex ex hac plaga elapsus, ac præco diuinitus illatæ vltionis effectus (nam ea de causa saluum eum effugere permisit Deus) in sua regia, à suis filijs, quam effugerat plagam, accipit: ac non ita multo post regno Babylonem translato, hoc vniuersum regum genus deletum est, vrbs solitudinum vastitati tradita fuit. Hanc Niniuitis perniciem mirabilis Nahum propheta prædicit, diuino spiritu afflatus, atque ex his, quæ vaticinatur, docet, vt diuina prouidentia omnia curantur, vtque actæ vitæ vnumquenque rationem reposcit: atque idcirco Israel, quia impie egisset, Assyrijs tradidit: ac rursus ab Assyrijs, quoniam efferatissime, & crudeliter hos inuasissent, per alios pœnas exegit: neque enim vti voluntati Dei seruirent, contra Israel bellum mouerunt: sed vt audaciæ suæ, & libidini obtemperarent, & quàm latissime in omnes suum imperium propagarent. Nec vero eorum conatibus, quò minus in actum venirent, Deus repugnauit, quoniam per eos ab Israel pœnas sumeret. Vt vero, ne sua virtute se omnes alias vrbes vicisse existimarent, ad ipsius Hierusalem muros multa eorum millia interfecit. Has prædictiones præstabilis Nahum prophetia habet: reliquum est, vt verba explanare ingrediamur.

BEATI

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO
IN PROPHETAM NAHVM.

ASSVMPTIO Niniuæ. *Liber visionis Nahum Helkesæi.*

Sanctissimi spiritus benignitas varijs modis erga mirificos prophetas suam vim ostendens, quibusdam visa quædam suggessit, vt diuino Esaiæ, Micheæ, Danieli, Ezechieli, & Zachariæ: quibusdam vero per sonitum, quæ volebat, infundebat, vt audire se arbitrarentur illi quendã loquentem: alios spiritu prophetico afflabat, & ex illorum ore quæ volebat, loquebatur: gratia nimirum prophetica repente eorum mentem corripiens, & à rebus humanis eos abducens, & abstrahens, dantes operam, & asseruientes verbis propheticis, efficiebat. Hanc igitur assumptionem appellauit mentis raptum, & à rebus humanis traductionem. Rapta, inquit, mens mea à diuino spiritu, quæ Niniue essent euentura, præuidit.

Deus æmulator, & vlciscens Dominus in aduersarios suos, & tollens ipse inimicos suos.

Cùm contra Hierusalem, rabie flagrantes, verbis conuitiosis Deum omnipotentem perfudissent, iure eos aduersarios, & hostes vocat, & perniciem minatur. Æmulationem vero iustam iram appellauit. Sic etiam legislator inquit: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quę est in cœlo desuper, & quę in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra: non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, ignis consumens. Sic item magnus Helias inquit, Zelo zelatus sum pro Domino omnipotenti Deo Israel: hoc est, contra impie in Deum agentes acerbitate afficior.

Exod. 20.

3. Reg. 19.

Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans, non faciet innocentem.

Non, inquit, statim pœnas sumit, sed diutissime patiens est. Huius rei vos Niniuitæ testes estis, qui, cùm vos pœnituisset actæ vitæ, salutem assequuti fuistis: & rursus cùm plurima malitia contaminati fuissetis, non pro hac quã mox pœnas dedistis, sed diutissime hominum iniquitates ferens, nouit etiam non pœnitentibus supplicia irrogare. Hoc enim explicauit, cùm dixit, Non faciet innocentem: hoc est, eum, qui supplicijs digna commiserit, non impunitum Dominus relinquet.

Dominus in consummatione, & in commotione via eius.

Non amplius Deus omnipotens vobis misericordiam largietur, sed perniciem inferet. Huic simile est illud Psalmi dictum: Omnes viæ Domini, misericordia & veritas. Hæc non solam misericordiam, sed etiam punitionem iustam habet via, cùm hic, tum illic actio intelligenda est.

Et nubes puluis pedum eius.

Accõmodatissime puluerem itineri attribuit. Vult autem dicere, quòd iam non amplius longa patientia vtetur, sed perniciem vobis inferet, vndique malorum cumulo in vos accersito, ac docens, vt facile, quodlibet illi visum fuerit, efficit: subiunxit,

Increpans mare, & exiccans illud, & omnia flumina adducere perducens.

Si enim receperint, Deum omnem aquam maris, & fluminum funditus exhaurire posse, tum hoc ad punctum temporis facere poterit: cuirei argumento & testimonio sunt iam facta quæ consequuntur,

Imminuta est Basanitis, & Carmelus, & quæ florebant Libani defecerunt.

Cùm pœnas repetere voluissem ab his, qui incolunt Basanitim, & Carmelũ, & Libanum, vobis eos tradidi. Vos autem eorum agros depopulantes, atque vrbes expugnatione vexantes, ciuesque in captiuitatem redigentes, omni genere vastationis perdidistis.

Montes commoti sunt ab eo: & colles concussi sunt: & contracta est terra à facie eius vniuersa, & omnes qui habitant in ea.

Cùm quidam eum solum Iudæorum Deum esse opinarentur: non abs re propheta docet montes & colles, & omnem terram vnà cũ ipsis incolentibus solo nutu Dei concuti posse. Quòd vero ait, & contracta est terra: Aquila ἔφριξεν dixit: hoc est, horruit: Symmachus, ἐκινήθη, id est, mota est.

Ante faciem iræ eius quis sustinebit? & quis resistet in ira furori eius? Furor eius consumit principatus, & petræ contritæ sunt ab eo. Suauis Dominus expectantibus eum in die tribulationis, & cognoscens timentes se.

Si enim principatibus se efferentes, & petrarum robur sese habere existimantes, facillime conterit, & dissoluit, quis resistere poterit correctioni ab eo adhibitæ? Cæterum vt superbos nullo negotio delet, sic bonus est Dominus expectantibus se in die tribulationis, & cognoscens timentes. Hoc loco ostendit, vt Deus afficitur erga sustinentes suas correctiones, & nihil in Deum absurdum loquentes: rursus contra impios constituta supplicia exponit.

Et in diluuio transeunte consummationem faciet: consurgentes, & inimicos eius persequentur tenebræ.

Funditus perdet, & in perpetuas tenebras dabit contra se furentes audacia. Diluuium, & consummationem vocauit funditus perditionem factam. Deinde per interrogationem,

Quid

Quid cogitatis contra Dominum?

Quam, inquit, potestatem eum habere arbitramini?

Consummationem ipse faciet: non vindicabit bis in idipsum in tribulatione.

A deo acerbum, inquit, & exaggeratum de vobis capiet supplicium, vt nõ opus sit in vos secundam plagam inferre.

Quia vsque ad fundamenta sua redigentur in vepres, & quasi voluola circundata comedetur, & quasi stipula ariditate plena.

Quemadmodum ignis stipulam siccam facile consumit, & herba ad sepes nascens, & quæ potissimum paliuris implicatur, non illas florere sinit, & ipsa tempore corrumpitur: sic vos, qui aliorum regna deleuistis, vestro regno spoliabimini, & funditus peribitis: atque æquitatem suppliciorum ostendens, subiunxit,

Ex te exibit cogitatio contra dominum pessima, cogitans contraria.

Hęc patiere propter insanas mentis tuę cogitationes. Eas vero nos docet quartus Regnorum liber, & Esaias: In illis libris Regnorum scriptum est, vt Sennacherib rabie affectus fuerit, vt aspergeret illo conuitio Deum omnipotentẽ: Dicite Ezechiæ, hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Non te seducat Deus tuus, in quo confidis, quòd liberabit te de manu mea. Et alia his similia.

4. Reg. 18.

Hæc dicit dominus, regnans aquis multis, & sic diuidentur.

Aquarum multitudinem appellat Babyloniorum multitudinem, bellum inferentem Niniuitis, quæ ad similitudinem aquæ cohortibus diuisa ad vrbis obsidionẽ accessit. Hoc, inquit, facto,

Auditus tuus non audietur amplius: & nunc conteram virgam eius à te, & vincula eius disrumpam.

Recipiam, inquit, potestatem abs te, quam dedi tibi quõdam, et tuum principatum, cùm eius vincula disruperim, dissoluam. Virgam, potestatem appellat, id quod plane nos docet, per Esaiam prophetam: Væ Assyrijs, virga furoris mei, & ira est in manibus eorum.

Esai. 10.

Et præcipiet de te dominus.

Me, inquit, annuente, hæc sustinebis.

Non seminabitur ex nomine tuo amplius.

Non amplius nomen tuum subditis imponetur: subditi enim à suis regibus nomen accipere soliti sunt: sic à Babylone Babylonij, à Cyro Persa Persę nominati sunt: et postea Macedones à Macedonibus, & nunc à Roma, Romani.

De domo Dei tui disperdam sculptilia, & conflatilia ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es.

Tum vnà tecum funditus peribunt Dei tui manufacti, quos intra terram abdes: atque tanquam in sepulchris quibusdam obrues, ne ipsi quoque hostibus præda fiant.

Quia veloces ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem.

Cùm hęc contra te fient, multi accurrẽt ad eos, qui habitãt in Iudæa, vt pacem iucundam illuc nuncient.

Celebra Iuda festiuitates tuas, redde Deo vota tua: quia nequaquam apponent vltra, vt pertranseãt in vetustatem: completum est, consummatum est.

Vos, inquit, qui audiuistis hostium perditionem, legitimos dies Deo festos agite, & solita sacra conficite: nam funditus perijt, qui magnis copijs bellum vobis intulerat, & non amplius consumere & perdere vos aggredietur.

Ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione.

Deus tibi horum auctor suo nutu, tãquam quadam insufflatione illos deleuit, te illorum potestate liberauit. Nam quẽadmodum cùm Adæ inspirasset in faciem eius spiraculum vitæ, fecit eum in animam viuentem: sic tibi vitæ inspiratione salutem præbet. Hanc etiam post resurrectionem Christus dedit sacris Apostolis. Cùm Adam perdidisset imaginem & similitudinem quam per diuinam inspirationem acceperat, necessariò hãc dominus Christus renouatam dedit sacris Apostolis: & per eos credentibus insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. Quia vero nouorum typus vetera sunt, intelligamus Assyriorum regnum deletum, diaboli tyrannidem per dominum Christum extinctam. Iudam vero huic vacantem, & festos agẽtem interpretemur, orbem terrarum ob salutem exultantem: nimirum qui recepit spiritualem gratiam domini insufflatione, atque acerba dæmonum tyrannide liberatus est. Sed ad historiam reuertamur.

Gen. 2.

Ioan. 20.

CAP. II.

Contemplare viam, tene lumbum, confortare robore vehementer, quoniam auertit dominus contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israel.

Hoc non, vt quidam suspicati sunt, ad Assyrium loquitur: sed adhuc ad Iudam verba facit, & iubet eum contemplari vias, & nuncios expectare: & ab illis allatos bonos nũcios suscipere, & pro priori seruitute robur recipere. Hoc enim expressit, cùm dixit, Tene lumbũ: hoc est, hanc priorem timiditatem abijce. Sic mirabilis Helias accinctis lumbis suis currebat ante currum Achab. Sic ad Iob Deus loquitur: Accinge sicut vir lumbos tuos. Et diuinus Paulus exhortatur: State succincti lumbos vestros in veritate. Tum hoc loco confidere Iudam iubet, quoniam auertit dominus contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israel. Est autem sciendum istud nomen Iacob, à parentibus impositũ fuisse Iacob: Israel vero à Deo, ac populus ex Iacob profectus, vtrunque nomen habuit. Itaque ait, ob ea quæ in te Iacob cõmiserunt acerba Assyrij, pœnas repetam propter progenitoris virtutem.

3. Reg. 18.

Iob 38.

Eph. 5.

Quia excutientes excusserũt eos, & propagines eorum demoliti sunt, arma potentiæ eius ex hominibus.

Quemadmodum, inquit, vitæ palmites & propagines excutientes omnem fructum corrumpunt: sic hostes, qui hos inuaserunt, & potestatem eorum dissoluerunt, & omne genus

armaturæ abſtulerunt, & eos, qui mortem effugiſſent, ſeruire coegerunt, atque oſtendens, vt non ob infirmitatem hæc ſuſtinebunt, ſed propter ab eo contra eos latam ſententiã, adiunxit,

Viros fortes illudentes in igne.

Tanta erant præditi audacia, vt etiã ignem aggrederentur.

Habenæ curruũ in die præparationis eius, & equites timebunt in exitibus.

Nihil, inquit, vos adiuuabit multitudo curruum inſtructorũ, non robur equitatus: nam præturba hoſtium inuadentium inutiles hi omnes efficientur inter ſe in vijs implicati & conculcati.

Aſpectus eorum quaſi lampades ignis, & quaſi fulgura diſcurrentia.

Tametſi, inquit, ſtrenuos animos quõdam haberetis, & robur animi ex oculis oſtenderetis, & tanquam lampadibus quibuſdam & fulguribus ſubditos perterrefaceretis, tamen in hoſtium impetu metus vos loco fortitudinis corripiet. Hoc ex his quæ conſequuntur, explicauit.

Et commemorabuntur optimates eorum, & fugient in diebus, & infirmabuntur in itinere ſuo, & feſtinabunt ad muros, & præparabunt propugnacula ſua: portæ ciuitatum apertæ ſunt, & regalia conciderunt.

Quondam in poteſtate vehementer ſe efferentes, omni via effugere conabuntur, idque cùm non aſſequi poterunt, rurſus in muros aſcendent, & tuendę vrbi accuratam dabunt operam: ſed nihilo ſecius tamen portę aperientur, & regiæ in hoſtium poteſtatem venient, & in ipſis regijs theſauri diripiẽtur. Hęc demonſtrauit, cùm dixit,

Et ſubſtantia reuelata eſt.

Hoc eſt, olim occultata, & multis repagulis communita, omnibus reuelata ſunt.

Et ipſa aſcendebat.

Niniuen intelligit, de hac prædicit,

Et ancillæ eius ducebantur ſicut columbæ, loquentes in cordibus ſuis.

Cum hac communicabunt captiuitatem ſubditæ vrbes, & pagi ſecum animo ingemiſcentes, & columbarum imitantes ſonitum.

Et Niniue ſicut piſcina aquarum aquæ eius, & ipſi fugien. es non ſteterunt, & non erat qui reſpiceret.

Tot & tanti illius vrbis incolæ, vt piſcinæ aquis completæ & redundanti aſsimiles eſſent, nihil niſi fugam ſpectarunt: neque retro aſpicere auſi ſunt. Deinde eorum primam iniquitatem explicat.

Diripiebant argentum, diripiebant aurum, & erat finis ornamenti eius.

Sed quæ inique coegit, & congregauit, alijs tradentur.

Aggrauata eſt ſuper omnia vaſa concupiſcentiæ ſuæ.

In eorum theſauros, inquit, hoſtium multitudo inuadet. Futura vt præterita dicit earatione, quæ eſt propria ſcripturæ.

Excuſſio, rediſcuſſio, & ebullitio, & cordis confractio, & diſſolutio genuum, & dolores ſuper omnem lumbum, & facies omnium ſicut aduſtio olla.

Quæ in terræmotibus fieri ſolent, hæc eadem in hoſtium impetu poſuit, quòd corda metu affligentur, genuum artus diſſoluentur, & ſimiliter vt mulieres parturientes doloribus torquebuntur, & facies ſanguinis coitione liuidæ efficientur, vt illi parti ollæ non diſsimiles ſint, quæ ſuccenſis ignibus torreri ſolet.

Vbi eſt habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum?

Habitaculum leonum, vocat Niniuen: leones vero, reges: catulos, horum filios: paſcua, his ſubditas vrbes. Quondam, inquit, more leonum Niniuen incolentes in omnes intrepidè impetum faciebant, cibum catulis inquirentes: cur nunc hoſtibus impetiti, nihil tale facitis? atque perſtans in comparatione, inquit,

Quò iuit leo, vt ingrederetur?

Sed nunquid aliquibus, inquit, bellum inferens abfuiſti, cùm hoſtium copiæ irruperunt? ſed non ita res habet: Nam, inquit,

Illic catuli leonum, & non erat qui exterrefaceret.

Non ſolum ipſe tu præſens fuiſti, ſed etiam omnes duces exercitus olim neminem timentes, quin omnia regna ſubigentes, hincque tributum exigentes, & filijs cibum inueſtigantes. Hoc explicauit ex his, quæ intulit,

Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, & necauit leænis ſuis, & impleuit præda ſpeluncas ſuas: & cubile ſuum rapina.

Animalia quæ feræ venatæ fuerint, ſolent ſtrangulare, & ita ſuis catulis cibum afferre. Et Aſſyrij gentium regna ſub iugum ſuũ ſubijcientes, illinc vectigalium fructus percipiebant: verum huius iniquitatis pœnas abs te ſumam:

Ecce ego ad te, dicit dominus omnipotens, & succendam in fumo multitudinẽ tuam, & leones tuos comedet gladius, & auferam de terra prædam tuam, & non audientur vltra opera tua.

Quia tropice, & per tranſlationem ſuprà leonum, & catulorum, & prædæ, & paſcuorum mentionem fecit, rectè eorum necem tropice prædicit: cùm in ſpeluncas quaſdam abditæ feræ prodire nolunt, tum venatores exitibus fumum admouentes, egredi cogunt, & egreſſas venabulis conficiunt. Rectè inquit fumo ſe traditurum multitudinem, & leones gladio: quę ſignificant vrbis deflagrationem, & regum cædem. Quibus perfectis, præda finietur.

CAP. III.

Ciuitas ſanguinum tota mendax: iniquitate plena, non contrectabitur venatio, vox flagellorum, & vox commotionis rotarum, & equi perſequentis, & currus feruentis, equitis aſcendentis, & ſplendentis gladij, & fulgentium armorum, & multitudinis vulneratorum, & grauis ruinæ, & non erit finis gentibus eius.

Eius malitiam deplorat, totam mendacem appellans, & iniquam, mala impendentia narrat: cur-

rat: curruum ſtrepitum, & equorum hinnitum, & equitum clamorem terræmotui comparat, tum etiam perterrefacit armorum narratione, cùm arma, & gladios fulgere dicit, ac prędicit eorum, qui ceciderunt multitudinem, & auxiliarium gentium cædem. Paucos ex hoc bello ſeruatos dicit. Hoc enim expreſſit, cùm dixit,

Et infirmabuntur in gentibus ſuis à multitudine fornicationis.

Ad paucos redigetur, inquit, eorum multitudo, cùm propter idolorum errorem, tũ maxime ob procliuitatem maximam ad Venerem: vtrunque hoc loco fornicationem vocat, id quod planius conſequentia docent.

Meretrix ſpecioſa, & grata dux maleficiorum.

Cùm in impietate & iniquitate verſareris, ſplendida & illuſtris eſſe exiſtimabaris ab his, qui rectè iudicare neſciunt rerum naturam: & vbi creatorem & conſeruatorem reliquiſſes, qui tibi, cùm te pœnituiſſet tuorum ſcelerum, quàm plurimam miſericordiam largiri dignatus fuit, præſtigijs teipſam dedicaſti, & ex his omnia ſemper feciſti.

Quæ vendidit gentes in fornicatione ſua, & tribus in maleficijs ſuis.

Nec tua impietate contenta coegiſti etiam ſubditos tuos, vt eadẽ, quæ tu, ſentirẽt: quamobrem, inquit,

Ecce ego dominus omnipotens diſcooperiam poſteriora tua ſuper faciem tuam, & oſtendam gentibus confuſionem tuam: & regnis ignominiam tuam, & proijciam ſuper te abominationem ſecundum immunditias tuas.

Hoc vero, Diſcooperiam poſteriora tua ſuper faciem tuam, ex metaphora dicta ſunt eorum, quiad maiorem contumeliam inurendam exuuntur: ac vero ait, Omnibus iniquitatem tuam palàm faciam per punitionem, & regibus, & gẽtibus, vt cæteris ſias vtile exemplum. Hoc enim ſubiunxit.

Et ponam te in exemplum, & erit, omnis qui viderit te, deſcendet à te, & dicet, miſera Niniue, quis gemet eam? vnde quæram conſolationem illi?

Tantæ vaſtitati ſolitudinum te tradam, vt qui antea grauius commouebantur in potentiam tuam, in miſericordiam adducantur: hoc explicauit, cùm dixit, Deſcendet à te, & luctus modum requiret tanta vaſtitate dignum.

Apta chordam pars Ammon, quæ habitas in fluminibus, aqua in circuitu eius, cuius principium mare eſt, & aqua muri eius. Aethiopia fortitudo eius, & Aegyptus, & non eſt finis fugæ tuæ: Phud, & Libyes facti ſunt auxiliatores illius, & ipſa in tranſmigrationem ibit captiua.

Hæc Aegypto præcipiuntur, quæ acerba, & triſtia ab Aſſyrijs paſſa fuit, idq; ex alijs prophetis intelleximus, qui Iſraelitis prædixerũt, vt ne ſalutem quidem aſſecuturi eſſent in Aegyptum fugientes, ſed illic cõprehenſi, ab hoſtibus eſſent interficiendi. Itaq; vt in antè dictis Iuda præcipitur, vt feſtos agat iam Niniuitarum regno deleto: ſic etiam hic Aegypto præcipitur, vt ſaltet, ac partem Ammon eam (vt mihi videtur) vocat, quòd Ammoni dẽmoni dedicata ſit. Hic nimirum olim nobilis fuit, vt etiam ex ipſa Græcia illuc proficiſcerentur ad petenda oracula. Atq; Alexandrum Macedonum regem ferunt illius rerum ſcriptores, primum ad illum profectum, inde reſponſa accepiſſe. Cùm hac impoſtura inualeſcente Aegyptus, mirabiliter ſeſe extuliſſet, partem eã Ammon nominat, & præcipit ei, vt ſaltationibus ſe oblectet, quòd Niniue perierit. Flumina vero in circuitu eius foſſas dicit. Deinde auxiliarios enumerat Aethiopes, Libyes, & Occidentales Libyes, nũc Afros nuncupatos. Phud enim hos vocauit, ſed tametſi tot ſocios habeat, & mari, & fluminibus cincta ſit, tamen non hæc malorum expers erit, ſed vertet ſolum captiua abducta. *Iupiter Ammon.*

Et paruulos illius allident in principio viarum eius, & ſuper inclyta eius mittent ſortem, & vniuerſi optimates eius alligabuntur compedibus.

Hæc Nabuchodonoſor in hanc facinora edidit, & Cambyſes filius Cyri poſtea regnum eius ſibi tributarium fecit, & multis pòſt ſęculis Alexander ſub poteſtatem Macedonũ ſubiecit. Cùm hæc de Aegypto prædixit, rurſus ſermonem ad Niniuen conuertit:

Et tu inebriaberis, & eris deſpecta: & tu quæres tibi, vt ſtes ab inimicis tuis.

Veluti in ebrietatem quandam præcipitaberis in calamitates: & hac illac circũcurſans, liberationem aliquam malorum præſentium inquires, & non inuenies: atq; vrbes tuæ communitæ ſimiliter vt tu hoſtibus tradẽtur. Hoc enim per ſimilitudinem explicauit.

Omnes munitiones tuæ vt ficus, quæ groſſos habent, ſi commotæ fuerint, cadẽt in os comedentis: ecce populus tuus quaſi mulieres in te, inimicis tuis aperientur portæ tuæ, comedit ignis vectes tuos.

Quemadmodum, inquit, ficus vento commotæ pręcoces ficus abijciunt, ſic denudaberis habitatoribus, & tui milites ſtrenui nihil à mulieribus different, metu oppreſsi: portæ tuæ vectibus igne conſumptis, facile aperientur, & vt torrens per eas hoſtes irrumpent.

Aquam obſidionis hauri tibi.

Et deinceps per ironiam,

Obtine munitiones tuas.

Cùm, inquit, muros, & extra hos foſſas habeas, vtere robore, & viribus tuis.

Ingredere lutum, & conculcare in paleis: obtine ſuper laterem, ibi comedet te ignis, diſperdet te gladius: & comedet te quaſi locuſta: aggrauaberis quaſi bruchus: multiplicaſti negociationes tuas, ſicut ſtellas cœli.

Ne, inquit, confidas munitionibus tuis, eæ nullo tibi erunt auxilio, ſed vt lutum ad lateris confectionem vnà cum paleis conculcatum, ab hoſtibus te impetentibus conculcaberis, & quidem vrbem incendent: vos vero habitatores omni genere telorum conficient, & tanquam locuſtam & bruchum funditus vos perdent: & diuitias, quas vndique coegiſtis, innumerabiles, tanquam aſtra cœli, hoſtes capient.

Bruchus irruit & euolauit: exiluit quaſi atelebus

commiſtus tuus ſicut locuſta quæ aſcēdit ſuper ſepem in die gelu: Sol ortus eſt, & exiluit, & non cognouit locum ſuum.

Quemadmodū, inquit, locuſta & bruchus, & his ſimilia, rore ingruente in arbutis confident, abſcedere non valentia, illucente vero ſole ſurgunt, & alas expandunt, & in alium locum tranſeunt: ſic qui tibi venerunt ſubſidio, cùm hoſtium viderint impetum, de ſua ſalute curabunt, in fugam ſe dantes, ſolam te relinquent: deinde lamentabiliter inquit,

Væ illis, dormitauerunt paſtores tui, rex Aſſyrius conſopiuit fortes tuos, abijt populus tuus ſuper montes, & non erat, qui ſuſciperet.

Ex his planum fit, quemadmodum diuina ſcriptura Babylonium vocat Aſſyrium, ſic etiam externi ſcriptores eum nominant: & reges quidem Niniue dormitaſſe dicit. Somnum vero mortem appellat, nam ita etiam di-
Pſal. 75. uinus Dauid inquit: Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui aſcenderunt equos. Hos vero reges ab Aſſyrio rege conſopitos fuiſſe dixit: Rex Aſſyrius conſopiuit fortes tuos. His vero ſublatis de medio, abiuit populus tuus in montes, fuga vſus, & non erat qui exciperet, neque qui reſiſtere poſſet. Deinde difficultatem curandorum malorum oſtendens,

Non eſt ſanitas contritioni tuæ.

Cùm tropice & per tranſlationem contritionem & ſanitatem poſuit, ſimiliter tropice intulit,

Tumebat plaga tua.

In mala inexpiabilia, & incurabilia, inquit, traditi ſunt.

Omnes qui audierunt nunciū tuum, plaudent manibus ſuper te, quia ſuper quem non intrauit malitia tua ſemper.

Recordantes, inquit, nefariorū facinorum in ſe abs te editorū, gaudebunt de te hæc ſuſtinenti: & manus plaudent. Quamobrem iudicis æquitatem non ignorantes, iudicium timebimus, vt inde latam contra inique agentes effugiamus ſententiam, & bonis æternis fruamur benignitate & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo cum patri gloria, vnà cum ſancto Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS PROPH. NAHVM.

ARGVMENTVM IN PROPHETAM HABACVC.

SVNT qui acerrime commouentur de felicitate iniuſtorum, & nimirum dubitant, an Deus omnipotens res humanas procuret. Quidam autem adducuntur quidem ad fidem ſermonum Dei prouidentia, veruntamen dubitant, quiſnam hoc modo res humanas curet. Horum perſonam poſtremorū Habacuc propheta ſuſcipiens, dubitationem affert, vt eorum quæ aguntur cauſam perdiſcendi cupidus: ſed tamen quæſtionis perſolutionem infert, quam diuini ſpiritus benignitas ſuppeditauit, nec, vt quidam opinati ſunt, ipſe ex hoc morbo laborauit, ſed alienos inducit, & earum quæſtionum introducit diſciplinam. Hoc idē fecit diuinus Dauid, cùm inducit perſonam grauiter
Pſal. 72. *ferentis hominis malorū felicitatem, his verbis: Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei: Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Et cùm eiuſmodi multa deinceps adiunxit, quæſitorum ſolutionem oſtendit. Hoc enim, inquit, labor eſt ante me donec intrem in ſanctuarium Dei: & intelligam in nouiſſimis eorum. Cùm hoc intellexit ex diuini ſpiritus gratia, ſubdidit: Veruntamen propter dolos eis poſuiſti mala, deieciſti eos, dum alleuarentur, quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam velut ſomnium ſurgentium. Et paulo pòſt docens, non admodum curioſe Dei diſpenſationes inquirendas eſſe, ſed ſimpliciter diuina verba ſuſcipienda: Vt iumentum, inquit, factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Nam, inquit, quemadmodum iumentum ſequitur ductorem, ſic neceſſe eſt me nō ſolicite & anxie inquirentem, quo vadis, tuis verbis fidem habere, & leges tuas ſequi: hoc enim faciēs, tua procuratione non deſerar. Quòd autem antedictas quæſtiones, non vt ipſe dubitans poſuerit, ſed cogitationes hominum deſcribens, ipſum Pſalmi exordium explicat, Quàm bonus Iſrael Deus, his qui*

his qui recto ſunt corde. Cùm bonum Deum confeſsus ſit, planum eſt, quòd etiam bonorum procuratorem confitetur. Eiuſmodi multa cùm in alijs Pſalmis, tum etiā in cæteris prophetis inuenimus. His etiā diuini Habacuc perſimilis eſt prophetia ac dubitare videtur, quamobrem ſcelerati fortunatiores ſunt, quàm iuſti: & cur non eueſtigio iniquos vltio ſequitur. Verum quoniam non nobis ſuas cogitationes propoſuit, ſed his, qui ex hoc morbo laborant medicinam afferens, in quæſtionem & quæſtionis perſolutionem prophetiam attemperat, id quod proœmium teſtatur.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN PROPHETAM HABACVC.

ASSVMPTIO quam vidit Habacuc propheta. Vſquequo domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare mihi oſtendiſti labores, & dolores, videre miſeriam & impietatem?

Aſſumptionem appellat mentis raptum, & à rebus humanis tranſitionem ad diuinam reuelationem. Si igitur diuino ſpiritu ſuggerente ſupradicta locutus eſt, patet eū non hoc morbo laborare, ſed ita affectorū vulnus retegere, & medicinam adhibere. Quamobrem ad ea, quæ dicta ſunt, adiunxit, quæ deinceps conſequuntur.

Contra me factum eſt iudicium, & iudex accipit.

Pecunijs, inquit, iuſtitiam iudices vendūt, & legum tuendarum nulla curatione mouentur. Hoc explicauit ex his, quæ ſubiunxit,

Propterea lacerata eſt lex, & non peruenit ad ſinem iudicium: quia impius prævalet aduerſus iuſtum, propterea egredietur iudicium peruerſum.

Hæc de his, qui in vrbe Hieruſalem non recte viuebant, explicauit: nam Iſrael ab Aſſyrijs iam captiua abducta in aliena terra habitabat. Cùm ita perſonæ indignātis verba propoſuit, per diuinam reſponſionem medicinam facit.

Videte ô contemptores, & reſpicite: & admiramini mirabilia, & diſperdimini, quia opus ego operor in diebus veſtris, quod non credidiſtis, ſi quis narrauerit.

Contemptores dicit audaces ad peccandū, & ex inueterato, & robuſto morbo laborantes. His præcipit, vt hæc, quæ vaticinatur propheta, attendant, exhorreſcant & timeant minas. Veruntamen ſciebat, quippe qui antè omnia planè nouit quàm fiant, & quòd non crediturі eſſent his quæ dicuntur, & quòd ante pericula malorum adita, verba de ſe ementita exiſtimaturi eſſent: ſed tamen qui bonus eſt & iuſtus, iudicare à ſola prænotione nō vult: quin etiā non credentibus prædictiones affert: cùm curationem non recipiunt, ſupplicia infert.

Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gentē amaram, & velocem, quæ ambulat ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua.

In vos, inquit, in iniurijs inferendis, & iniquitatibus admittēdis verſantes, propter quos acerbe ferunt, qui prouidentię leges ignorant, crudeliſſimos & velociſſimos inueham Chaldæos, qui alienorum appetētes, cum omnibus nationibus bellum gerunt.

Terribilis & illuſtris eſt, ex ſemetipſa iudicium eius erit: & aſſumptio eius ex ſe egredietur.

Illuſtris eſt, & quæ poſsit vel ſola fama exterrere: nec vero in iudicādo alienas leges ſequitur, ſed legem facit ipſam victoriam. Hoc explicatius Symmachus poſuit, ipſa ſibi iudicabit, & decretum ſuum exequetur.

Et exilient ſuper pardos equi eius, & velociores erunt lupis Arabiæ: & equitabunt equites eius, & impetu venient de longinquo: & volabūt quaſi aquila prompta ad comedendum.

Per omnia robur ipſorum, & fortitudinem, & velocitatem præſignificauit. Eiuſmodi enim inter volucres eſt aquila, cui equites comparauit: inter feras vero pardi, & Arabiæ lupi, quibus equorum velocitatem comparauit.

Conſummatio in impios veniet, reſiſtentes faciebus eorum ex aduerſo.

Hi impios, tametſi bellum facere, & conſerere manum conantes, funditus perdent. Sed & Symmachus hoc apertius interpretatus eſt: Omnes ad prędam venient, aſpectus faciei eorum ventus vrens. Quemadmodū enim equorum & equitum, per ſimilitudinem oſtendit velocitatem, ſic etiam faciem ferocem vento vrenti comparauit, vt ille corpora nuda exurit, ſic Chaldæorum aſpectus videntium poteſt extinguere florem.

Et congregabit quaſi arenam captiuitatem: & ipſe in regibus delectabitur: & tyranni ludibria eius: & ipſe in omnem munitionem illudet, & mittet aggerem, & obtinebit eam.

Per luſum magis quàm ſerio, & dedita opera etiam maxima regna delebit, atque aggeribus, & machinis omnem murum, quantumuis communitum, funditus demolietur: at cùm bonus dominus eius inſaniam viderit, miſericordia commouebitur in eos, qui in has calamitates inciderunt.

Tum, inquit, mutabit spiritum: & pertransiet, & propiciabitur.

In misericordiam commutabit iram: ac misericors erit, & acerbitates leniet. Quare propheta stupescens ad misericordiam Dei exclamauit:

Hæc est fortitudo Dei mei.

Tibi soli Domine, adest potestas, & puniendi pro arbitrio, & commutandi vltionem in misericordiam.

Nónne tu à principio domine Deus meus, & sancte Deus, & non moriemur?

Qui te à principio dominum & Deum cognouimus, & omnibus rebus superiorem, abs te salutem consequemur.

Domine in iudicium posuisti eũ, & plasmauit me, vt arguam in disciplina eius.

Ob id me, inquit, à principio ad subsistendum adduxisti, vt peccantes arguam, & correctiones, quæ adhibentur, prædicam.

Mundus oculus ne videat mala, & aspicere super dolorem non poteris: quare non aspicis super contemptores: tacebis, cùm deuorauerit impius iustiorem se, & facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem.

In principio dubitationẽ propter eos, qui in vrbe Hierusalem inique committebant, attulit, ac vaticinatus punitionem per Chaldæos eis irrogandam, & non nescius, vt de hoc multis quæstio nascenda esset: propter quod scelestissimis scelestiores tradidit. Ea quæ modo dicta sunt, posuit, non vt ipse diuinam prouidentiam curiose inquirat, nam quomodo? qui ad reprehendendos alios se creatum dixit: sed vt talia quærentium cogitationes depingat. Ac, inquit, quàm abhorreas ab omni malitia, scio, nam iustitię fons existis. Verum cognoscere expeto, cur superbos, & ex inueterato & incurabili morbo laborãtes felices esse permittis, & contemnis hos, qui ab impijs iniuriam accipiunt. Iustum hoc loco non per omnia iustum vocauit, sed per comparationem iniuriam faciente iustiorem. Sic Aquila, Symmachus, & Theodotio interpretati sunt: Taces deuorante impio iustiorem se. Si hęc ita fiant, nihil differet hominum natura à beluis, quæ in aquis viuunt, quæ nec legislatores, nec iudices habent, sed ad prædam potentioribus infirmiores proponuntur: quemadmodum hic Babylonius inique sua potentia vtens, totum in hamo subleuauit.

Consummationem in hamo subleuauit, & attraxit eum in reticulo suo, & congregauit eum in sagenis suis. Propter hoc lætabitur, & gaudebit: propterea immolabit sagenæ suæ, & incendet reti suo: quia in ipsis incrassauit partem suam, & esca eius electa.

Tanto robore prędítus est, vt solidas nationes, tanquam sagena quadam, & hamo venetur, & prædam in delicijs habeat. Vnde fiet, vt in superbiæ vitium prolabens, tantorum factorum solum robur suum causam & auctorem putet, & huic honores diuinos adhibeat. Id quod dilucidius nos Daniel docuit, cùm
Dan. 3. inquit, Eum statuam auream fecisse, & hanc subditorum multitudinem, & simul cum subditis principes adorare coegisse. Diuinus etiã Esaias eius superbiam exagitans, & cogitationes ostendens, inquit: Ascendam super nu- Esai. 10.
bes, supra sidera cœli ponam thronum meum: comprehendam orbem terrarum vt nidum, & vt oua derelicta tollã. Quibus mox infert, Subter te struetur tinea, & operimentum tuum erũt vermes. Et beatus Habacuc propheta inquit, Immolabit sagenæ suæ, & incendet reti suo, quia in ipsis incrassauit partem suam, & escæ eius electæ: propterea extẽdit rete suum, & semper interficere gentes non cessat: Ventis enim secundis fertur, & nullo negotio capit quos vult: & interim in nullius mali periculum incidit: & alias nationes inuadet, & tanquam reti quodam vsus non imperium suum cessauit propagare.

CAP. II.

Super custodiam meam stabo, & ascendam super petram, & cõtemplabor vt videam, quid loquatur in me, & quid respondeam ad correctionem meam.

Hoc simile est his, quæ à Dauid dicuntur: Psal. 72.
Hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Tum etiam hoc loco propheta, In qua, inquit, constitutus sum acie, maneo: & firmitatem non deseram, sed supra petram stans, supra quam Mosen constituit Deus, oculis propheticis contemplabor harum quæstionum solutionem. Ex quibus planè cognouimus, vt non diuini prophetæ, sed aliorum sint eiusmo di effata. Dixit enim, Contemplabor, vt videam quid loquatur in me dominus, & quid respondeam ad correctionem meam. Expedit enim me intelligere, quæ sit mihi adhibenda responsio volentibus à me eiusmodi discere.

Et respondit ad me dominus, & dixit: Scribe visionem manifeste in buxum, vt persequatur qui legit ea, quia adhuc visio in tempus longũ: & orietur in finem, & non in vacuum.

Non, inquit, solis hoc tempore de his rebus dubitantibus verba facies, sed posteris etiam harum rerum memoriam perscriptam trades, quòd his potius quàm illis dicenda conueniant, nam longis pòst temporibus prophetia finem accipiet. Deinde adhortatur finem expectandum, & non in dubium reuocandam rem esse, propter tempus permultũ intercessurum antequam compleatur.

Si defecerit, sustine eum, quia veniens veniet, & non tardabit.

Verus, inquit, est prædictionis sermo, ne igi tur dubites, quamuis permultum temporis intercesserit, quin videas finem: nam omnino perficietur, & non imperfecta manebit.

Si retraxerit se, non placebit animæ meæ in eo, iustus autem ex fide mea viuet.

Qui meas prædictiones in dubiũ reuocat, non dignus est, qui mihi curæ sit: qui autem his, quæ à me dicuntur, fidem habet, & fidei congruam vitam exigit, vitæ fructum percipiet. Itaque hæc non ignorans suscipe, quæ tibi

tibi de Babylonio prędicuntur. Postea eius fastum, & immensam auiditatem narrat.

Qui autem arrogans est, & contemptor, vir superbus nihil perducit ad finem.

Ergo hoc teneto, qui fastu tumescit, & elato spiritu est, quique meam longam animi patientiam aspernatur, non diu hac potestate in alios vtetur.

Qui dilatauit sicut infernus animam, & iste quasi mors non adimpletur, & cõgregabit ad se omnes gentes, & accipiet ad se omnes populos.

Similiter vt infernus, mors satiari non potest: & cùm omnes mortales sub iugum suum subijciat, tamen auiditatem imperandi non exaturat.

Nónne vniuersa hæc aduersum eum parabolam sument, & propositionem ad narrationem eius, & dicent: Væ qui multiplicat sibi quæ non sunt sua: vsquequo aggrauat torquem suam grauiter?

Omnis sapiens eius inexhaustam auiditatem inferno & morti comparabit, & eum lamentabitur, ex alienis bonis suas opes augentem, & satietate affici non valentem, sed tributis, & vectigalibus subditos onerantem, ac dicet, Quousque non satias voraginem tuam? sed tamen inuito eo iniustitia eius abrumpetur.

Quia subito consurgent mordentes eum, & vigilabunt insidiatores tui: & eris in rapinam illis, quia tu expoliasti gentes multas, expoliabunt te omnes reliqui populi.

Qui plurimos deuicit à paucis delebitur, & velut ex somno excitati, qui tuã tyrannidem sustinent, tibi perniciem molientur, & dabis pœnas cædium, quas innumerabiles fecisti, & permultæ impietatis, & in vrbes nefariorum admissorum scelerum pœnas persolues, quas habitatoribus vacuas effecisti.

O qui multiplicat auaritiam malam domui suæ, vt ponat in excelso nidũ suum, & eruatur de manu malorum.

Infelix certe, & plusquàm infelix, qui plura habendi cupiditatum incendijs flagrat, & his compendijs rem augere studet, atque omnes homines superare contendit, nam grauiorem casum subibit, quippe qui ex altiori loco deorsum deferetur.

Cogitasti confusionem domui tuæ, consumpsisti populos multos, & peccauit anima tua.

Cũ multas nationes innumerabilibus malis vexasti, tum animam tuam peccatis confixisti: domum vero tuam confusione perfudisti.

Propter quod lapis de pariete clamabit, & scarabæus de ligno loquetur ea.

Non modo ratione vtentia, sed inanima quoque, & rationis expertia hæc de tua insipientia & stultitia vociferabuntur. Non obscurum est hæc de lapide, et scarabæo ὑπερβολικῶς apposita esse. Etenim dominus Iudæis dixit: Si hi tacuerint, lapides clamabũt. Pro sca-
Lucæ 19. rabæo Symmachus vertit σωδεσμὸς οἰκοδομῆς ξυλινὸς ἀποφθέγξεται αὐτά, id est, iunctura ædificij lignea loquetur ea.

Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitatibus: nónne hæc sunt à Domino omnipotente? Et defecerunt populi multi in igne, & gentes multæ coangustatæ sunt: quia replebitur terra, vt cognoscat gloriam domini, quasi aquã ad operiendum maria.

Lamentis certe & luctibus dignus es, qui ex iniustis cædibus regnum tuum auxeris, & non intellexeris, vt Deus omnipotens abs te reposcet rationes vitæ iniquè transactæ: nam si hoc cognouisses, nõ potestate ceu igne quodam vsus fuisses in multas nationes, nec eis inexpiabilia mala inuexisses. Veruntamen ne existimes perceptu difficilem esse diuinam notionem, imò scito omne genus hominũ quàm celerrime huius radios percepturum esse, & diuinæ notionis splendore illustratum iri, vt amarum perfidię mare operiendum sit dulcibus cognitionis aquis.

Væ qui propinat proximo suo subuersione turbida, & inebrians, vt aspiciat in speluncis eorum, & saturitatem ignominiæ de gloria bibe tu & commouere.

Requirens thesauros defossos alijs vexationem veluti potionem turbidam quandam & inquinatam intulisti: suscipe tu quoque, quod temperasti poculum: quo exhausto, abijce priorem gloriæ splendorem, atque ignominia coopertus deplora repentinam mutationem tuam.

Circundedit te calix dexteræ Domini, & congregata est ignominia super gloriam tuam.

Iusta Dei punitio te perdet. Poculum enim & vinum punitionem vocat, quemadmodum sæpius diximus.

Quia impietas Libani operiet te, & miseria bestiarum terrebit te propter sanguinem hominum, & impietates terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

Eorum quæ contra Hierusalem attentasti, pœnas, inquit, dabis, eas enim vocat Libanum: & hostibus veluti feris quibusdam traderis, omnium maleficiorum tuorum pœnas persoluens.

Quid prodest sculptile? quia sculpserunt illud, formauerunt illud conflatile, imaginẽ falsam, quia confidit fictor in figmento suo, vt faciat idola muta.

Quid dementius esse potest his, qui idola manufacta adorant? qui sane cùm materiam & artificium non ignorent, tamen tanquam deis stupide cultum diuinum adhibent.

Væ qui dicit ligno, euigila, & exurge. Væ qui dicit lapidi, eleuare, & ipsum est imago, & est productio auri & argenti, & omnis spiritus non est in eis.

Quis non merito lugeat eos, qui adorationem, precationes, omnemque cultum adhibent dijs ex auro & argento factis? nam eiusmodi deos veluti dormientes dum excitant, non rubore perfunduntur, cùm eos non ignorent prorsus esse inanimata quædam, quę nihil efficere queant ex his sensibus, quibus vulgo prædíti videntur,

Dominus autem in templo sancto suo, reuereatur à facie omnis terra.

Idola quidem muta, & surda existunt, & vniuersis viribus destituta: noster vero dominus tãquam templum quoddã cœlum habet,

atque in terris, etiam sibi consecratum locum tenet Hierusalem: quare æquum & iustum est, vt ab omnibus creaturis summa religione obseruetur. Hæc autem non obscurum est ad Babylonium dicta fuisse, quoniam Deum omnipotentem cõtempsisset, & eius opera Dei templum deflagrasset, deosque humano artificio cõfectos omni cultu prosecutus fuisset, cùm ita mirificus propheta formam sermonis accommodauit, & conformauit in rogationem & responsionem, in dubitationẽ & quæstionis solutionem, Deique æquitatem & iustitiam ostendit, tumque vt à Iudæis per Babylonios, & contrà à Babylonijs per alios pœnas reposcit, in canticum conuertit sermonem, & precationem: atque in precationis formam futura vaticinatur.

CAP. III.

Domine audiui auditum tuum, & timui: Domine consideraui opera tua, & obstupui.

Cùm verba tua Domine exaudissem, maximo timore affectus fui: vbi vero considerassem tui iudicij æquitatem, & vnumquidq; eorum quæ fiunt iuste administratum, vehementer teneor perpetua admiratione.

In medio duorum animalium cognosceris.

Hoc plerisque modis à quibusdam explicatum est. Quidam duo animalia intellexerunt Angelos, & Homines: quidã incorporearum potestatum diuinæ gloriæ vicinas Cherubin & Seraphin: alij Iudæos & Babylonios: mihi vero videtur non animalia, sed vitas prophetam dixisse, præsentem & futuram: quarum medius iudex iustus existit.

Cùm appropinquauerint anni, cognosceris, cùm aduenerit tempus, demonstraberis.

Progressione temporis, & rerum editione tuarum prædictionum veritas ostendetur.

Cùm turbata fuerit anima mea in ira, misericordiæ recordaberis.

Et correctionibus perturbans animas hominum, misericordia iterum vsus, transit ad commoditates afferendas.

Deus à Theman veniet, & sanctus de monte vmbroso, & condenso.

Theman quidam Africum, quidam Austrum interpretati sunt. Dei, & conseruatoris nostri incarnationem prædicit in Bethleem factam, quæ in consideratione situs Hierosolymitani vergit ad Austrũ & Africum. Montem vmbrosum appellat ipsam Hierusalem, omni genere gratiarum diffluentem, & nebula, i. numbratam, & sub tegmine Dei cœli habitatam.

Operuit cœlos virtus eius, & laudis eius plena est terra.

Psal. 8. Hoc etiam, inquit, Dauid, Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Vnigenitum Dei verbum, cùm humanam carnem susceperit, ignorationis caliginem dissipauit, & Dei notionis radijs homines illustrauit, atq; omnes docuit, vt cœli & terræ, & vniuersorum dominus esset.

Et splendor eius quasi lux erit.

Clarissimam enim edidit lucem, qua orbem terræ illuminauit.

Cornua in manibus eius, & posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.

Non modo doctrinæ lumine vtens, veritatem demonstrauit, sed etiam vi miraculorum editorum, in admirationem omnem linguam excitauit: quod vtrunque fecit, quoniam acerrime naturam humanam dilexit: id quod Dominus ipse dixit in sacris Euangelijs: Ego Ioan. 10. sum pastor bonus, bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Et, Maiorem hac Ioan. 15. dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Cornua autem vocauit potentiam, quoniam hæc sunt arma animalibus habentibus. Eiusmodi est, Psal. 44. quod Dauid dixit: In te inimicos nostros ventilabimus cornu.

Ante faciem eius ibit verbũ, & egredietur in campum post pedes eius.

Opera verbum antecedit, atque prædicens futura sic res inducit, vt verbis valde conueniant. Quod vero ait, in campum: quædam exemplaria habent, disciplinam: & significat, vt Deus omnipotens & verbis & operibus ad disciplinam hominum & doctrinam vsus fuerit. Alia vero habent, campum: & ostendit, vt cum multa facilitate tanquam in campo accommodato ad cursum equorum res current prophetias sectantes.

Stetit & commota est terra, aspexit & distabuerunt gentes: contriti sunt mõtes violentia, tabuerunt colles seculi itineris sempiterni eius.

Ex omnibus quæ dixit, nos docuit Dei incredibilem potentiam: qui vt quippiam vult, statim opus factum est. Hoc significat cùm dixit, Stetit, & commota est terra: aspexit, & distabuerunt gentes. Commouet terram, hominum naturam dissoluit: montes rumpit, colles vt ceram liquefacit. Hæc istiusmodi enim Deus omnipotens ad commoditatem hominum facit: iter enim vocat opera. Atque ostendit ex dictis, quemadmodum crux omnibus hominibus salutem conciliauerit, in qua stetit Dominus Iesus Christus, & commouit terram, & montes contorquens disrupit & perterrefecit genera dæmonum: & in montibus, & collibus templa demolitus est. Hæc à principio, & ante mundi constitutionem cùm approbasset, tandem in nouissimis diebus compleuit.

Pro laboribus vidi tabernacula Aethiopum: pauebunt & tabernacula terræ Madian.

At enim post salutarem passionem vidi dæmonum genus abiectum esse, qui naturalem Aethiopum colorem suis studijs referentes, animis hominum insidias moliuntur. Etsi vero quis hæc de hominibus intelligere velit, non à scopo aberrabit diuinæ scripturæ: nam post salutarem crucem, & passionem, & resurrectionem Domini, spirituali gratia cumulatus diuinus Apostolorum chorus, & Madian tabernácula, & Aethiopum habitationes vidit: & omnem orbem terræ diuina notione redundare fecit.

Nunquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus?

Terrã, inquit, concutiens Domine, & montes conterens, num omnibus irasceris, & perniciem omnibus hominibus infers? Flumina & mare appellauit gentes.

Qui ascendes super equos tuos, & equitatio tua salus, intendens, extendes arcum tuum super sceptra, dicit Dominus.

Planum est, te hominum salutem procurare, quòd tam crudeliter te agi in crucem sustinueris: quare sacris Apostolis tanquam equis quibusdam vectus, omnibus credentibus salutem afferes: contra autem refragantes, armis ad puniendum vteris: inter quos primas partes habent tribus Israel, nam sceptra nominauit tribus. Huic simile est, quod Dominus Ananiæ dixit de beato Paulo: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filijs Israel. Quòd vero ait intendens, extendes arcum tuum: permultum conuenit cum his, Act. 9. Psal. 44. quæ à Dauide dicuntur: Intende prosperè, procede, & regna. Et deinceps paulo infrà: Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis.

Fluuijs scindetur terra.

Quemadmodum enim agricolæ in fossas deriuantes fluuios, irrigationem terræ machinantur: sic flumina diuinos Apostolos, & eos qui illos consecuti sunt, deriuabis & distribues, & spiritualem gratiam hominibus afferes.

Videbunt & dolebunt, siue parturient populi.

Hoc ipsum duplicem intellectum habet: qui enim crediderunt tuam videntes potentiam patentem, tanquam parturientis doloribus vexabuntur desiderio videndi regnum sempiternum. Vel sic intelligi potest: Qui perfidia astricti sunt, doloribus mulieris parturientis distorquebuntur inuidentes gloriæ tuæ.

Dispergens aquas itineris.

Hæc his, quæ modo dicta sunt, conueniunt: nam diuinæ eius disciplinæ aquas per diuinos apostolos in omnes nationes distribuit.

Dedit abyssus vocem suam, altitudinem phantasia: eleuatus est sol.

Perstitit in comparatione, & sensuum consecutionem seruauit. Nam fluuios cùm sacros Apostolos vocauit, mare nominat gentes impietatis acerbitate amara cõstrictas. At quemadmodum fluuiorum in mare influentiũ multus sonitus & strepitus editur, maritimis fluctibus prohibẽtibus, & remorantibus ingressionem eorum, sic cùm apostoli gentes peragrarent, & salutare præconium perferrent, turbationes contra eos concitabantur, & seditiones instruebantur perfidorum contradicentium, & restinguere conantium doctrinæ Act. 19. flammam, id quod plane nos Actorum histo-

ria docet. Ephesi enim Demetrius argentarius contra apostolos excitauit seditionem: tum etiam Corinthi alij exclamabant, Qui orbem terrarum in seditiones cõiecerunt, hi hic adsunt. Hierosolymis vero Iudæi omnẽ vrbem contra diuinum Paulum concitarunt, tandem Romanis tradiderunt: atque eiusmodi infinita est inuenire.

In lucem iacula tua ibunt, in splendore coruscationis armorum tuorum: in comminatione imminues terram, & in furore detrahes gentes.

His editis, in concionatores gentibus abs te missos diu per patiẽtiam peccata sustentas, inquit, cùm incredibili potestate præditus sis, & omni genere armorum ad puniendum pertinentibus abundes: & sola minationis significatione omnem terram vnà cum incolentibus perdere possis. Hac vero diutina patientia vsus es: Quoniam

Egressus es in salutem populi tui, vt saluares christos tuos.

Hæc his, quæ in sacris Euangelijs dicuntur à conseruatore nostro, similia sunt: Venit filius hominis in mundum, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Iam vero christos vocat vocatos, & cum fide declarationem Euangelij susci pientes, & diuini spiritus gratiam assecutos. Ioan. 3.

Misisti in caput impiorum mortem, suscitasti vincula vsque ad collum in finem.

His qui crediderunt, salutem tulisti, eos vero, qui prorsus in perfidia remanserunt, ad mortem dedisti, atque mortis vinculis astrinxisti.

Diuisisti in stupore capita portium, commouebuntur in ea: aperient frenos suos sicut comedens pauper in abscoso.

Potestate tua palàm hominibus vniuersis facta, qui magnos magistratus gerunt, in tanto timore erunt, vt nõ libere, sed occulte & clàm contraria loquantur: quos rite quis cum paupere quopiam compararet, nõ audenti propalam cibum comedere, sed intra os clausum hunc conficienti.

Et superduxisti in mari equos conturbantes aquas multas.

Suprà fluuiorum in mare influentium tempestatem, & fluctuum colluctationem dixit fore. Hoc vero loco: quos fluuios appellauit, equos nominat. Cùm apostoli gentes obirent, procellæ primo exortæ sunt, post vero has trãquillitas maxima excepit. Hoc etiam Christus in sacris Euangelijs dixit: Non veni pacẽ mittere, sed gladiũ: veni enim separare hominem à proximè coniuncto sibi, & filium à patre suo, & filiam à matre sua, & nurum à socru sua, quòd concorditer impietatem amplexati sunt. Pulchra diuisione dissoluit malam cõsensionem, & post laudatam dissensionem, pietatis conuenientiam molitur. Matth. 10.

Custodiui, & extimuit cor meum à voce orationis labiorum meorum: & ingressus est tremor in ossa mea, & subter me conturbata est fortitudo mea.

Cùm propheta secũ reputaret, quanta mala in Iudæos non credentes incumbent, gentibus credenti-

credentibus misericordia, in suos contribules commotus, se tremere & timere dixit ante dictas in formam orationis prædictiones. Sed tamen, inquit, dolorem meum consolatur, quòd illarum calamitatum ipse spectator non ero.

Requiescam in die tribulationis meæ, vt ascendam ad populum peregrinationis meæ: quia sicus non afferet fructum, & non erunt germina in vineis: mentietur opus oliuæ, & campi non facient escas: defecerunt eò quòd comederent oues, & non sunt boues in præsepibus.

Ante euentum prædictionum vita excessero. Non, inquit, ficuum infœcunditatem videbo, non oliuæ sterilitatem, non vineam racemis destitutam, neque campos spicis vacuos, neque pecora fame corrupta. Vnumquidq; ex his tropice dictum est: Nam ficum Hierusalem appellauit, sic enim intelligere per similitudinem nos docuit Christus, cùm ficũ sterilem plantator excindere voluisset, agricola paululum temporis dari rogauit, vt ea diligẽter curata fructum afferret, aut radicitus extirparetur. Vineam autem sæpenumero diuina scriptura populum nominauit: &, vt alia testimonia relinquã, per Esaiam Deus inquit: Vinea autem Domini exercituum domus Israel est: & domus viri Iuda nouella plantatio dilectissima. Expectaui vt faceret iudicium, & fecit iniquitatem, & non iudicium, sed clamorem. Cæterum oliuam sterilem Pharisæos, & Saducæos, si quis dicet, non errabit: qui iustitiæ nomine sese efferentes, ab huius fructibus erant inopes. Quòd autem oliua in similitudinem iustorum adducatur, ipse Dauid testis est: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum. Iam vero campos infructuosos vocat sub his stipendia facientes, in quos etiam Hieremias vociferatur, Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Et vero oues vocat subditos, quibus famem minatur. Ecce dies veniunt, dixit Dominus Deus, & emittam famem super terram, non famem panis, neq; sitim aquæ: sed famem audiendi verbum Domini. Boues vero nõ existentes in præsepibus, sacerdotes dicit: quorum altaria olim percelebria, deserta remanserunt: nam quemadmodum boues arant terram, sic populi animas sacerdotis excolunt, tanquam pastum ab eo accipientes ea, quæ altaribus veluti præsepibus afferuntur: de quibus etiã Paulus inquit: Non alligabis os boui triturãti. Itemque: Qui altari deseruiunt, cum altari participant. Verum hi quidem in eiusmodi calamitates abijcientur.

Luc. 13.
Esa. 5.
Psal. 51.
Hiere. 4.
Amos 8.
1. Cor. 9.

Ego autem in Domino exultabo, gaudebo super Deo salutari meo: Dominus Deus fortitudo mea, & ponet pedes meos sicut cerui, super excelsa imponet me, vt vincam in cantico eius.

Tametsi propter illos mœstitia & timore oppletus fui, tamen ob Dei mei gloriam omnibus hominibus ostendendam exulto & gaudeo: nam confirmabit naturæ meæ infirmitatem, & tanquam ceruum me præparabit ad serpentes, & scorpios conculcandos spiritus nequitiæ: quoad ad virtutis summum perueniens victricem laudationem cantabo conseruatori & creatori. Nec vero ignoro omnem precationem Habacuc historicè explanantes de reditu à Babylone dixisse prophetam hæc prænunciasse. Sin autem quis tropicè, & per translationem aduersus illos hæc prædicta fuisse vult, non contendam: nam & meis explanationibus hæc intelligentia conuenit. Siquidem typus vere germanus nouorũ vetera absurdum putaui, vbi veritas vincit, & vmbra à corpore occultatur, in aliam prophetiam incurrere nihil penitus cum explanatione conuenientem. Si quis vero accurate noscere studet, perscrutetur prophetiam, & videbit eius plurima nequaquam cum typis congruentia: sed de his vt quisque volet, iudicet. Ego autem lectores admoneo, vt ex enarrationibus vtilitatem percipiant, & diuino adiumento nixi, cursum perficiant, & victrices coronas expetant, quarum Dominus Iesus Christus suppeditator: cui conuenit omnis gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

FINIS PROPH. HABACVC.

ARGVMENTVM IN PROPHETIAM DIVI SOPHONIAE.

POST Ezechiam regem, pium, & Dei studiosum, eius filius Manasses regnum adeptus, cùm in offensionem extremam impietatis prolapsus esset, tum etiam populum in legis præuaricationem, & idolorum cultum impulit. Huius vero filius Amon pusillum temporis regnauit, & quidem patris impietatem acerrime secutus est. Veruntamen non illius pœnitentiam æmulatus est, sed similiter vt pater ad omne genus nequitiæ populum erudiuit, & exercuit. Ex hoc natus perbeatus Iosias, viam his ex diametro

metro contrariam ingressus, in omni aduersus Deum pietate, & virtute versatus est, ac simul erga Deum obseruantiã omnibus rebus antetulit. Sub hoc prophetiam hanc fecit Sophonias: & diuinissimus Hieremias decimo tertio anno regni huius prophetiam docere incepit. Iam vero prædicit hic admirabilis propheta, quæ vrbi Hierusalem euentura sint, & tribui Iuda, atque etiam ipsis finitimis exteris nationibus funesta prænunciat: & Assyrijs vltimam cladem præmonstrat, deinde populi reuocationem, & omnibus gentibus post dominicam incarnationem futuram salutem præsignificat. Hoc in summa prophetiæ argumentum est: ac vero prædictionem sic exorditur.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN PROPHETAM SOPHONIAM.

VERBVM Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezechiæ in diebus Iosiæ filij Amon regis Iuda. Defectione deficiãt omnia à facie terræ, dicit Dominus. Deficiant homo, & iumenta: deficiant volatilia cæli, & pisces maris: & infirmabuntur impij, & auferam iniquos à facie terræ, dicit Dominus.

Bestiarum genera hominum causa, & in eorum vsus necessarios procreata propter hominum impietatem, & iniquitatem delebo. Nam quemadmodum in horum gratiam & obsequium volatilia, & aquatilia, & iumenta feci: sic etiam simul cum ipsis ea perdam. Superuacaneus enim est horum vsus, cùm non amplius existunt, qui his fruantur: ac docens quibus infensus sit, & quibus iratscatur, infert.

Et extendam manum meam super Iudam, & super omnes, qui habitant Hierusalem: & auferam de loco hoc nomina Baalim, & nomina sacerdotum cum sacerdotibus: & eos qui adorant super tecta militiam cœli.

Enumeratio peccatorum declarauit punitionis æquitatem. Humanitatis enim & misericordiæ punitio plena est: nam ab errore liberationem promittit: & non modo in idola obsequium, & cultum obliuione obrutum iri, sed ipsum quoque nomen eorum. Militiam vero cœli appellauit ordinem, quem in cœlo luminaria tenent: his enim super tecta sacrificia adhibebant, ea accuratius videre expetentes.

Et eos qui iurant in Domino, & qui iurant in Melchon: eos qui declinant à Domino, & qui nõ requirunt Dominum: & qui non retinent Dominum.

Forsitan quispiam quærat, quamobrem per alium prophetam auferre Baalim ex ore iubet, & iurare: Viuit Dominus in veritate. Hoc autem loco punitionem minatur iurantibus in Domino. Sed in promptu paulo pòst est solutio: Qui iurant, inquit, in Domino: & qui iurant in Melchon. Idolum autem Ammonitarum hoc fuit: cùm vt in alijs prophetis inuenimus, tum in tertio Regnorum lib. Colebat, inquit, Salomon Astarcten reginam Sidoniorum, & Melchon idolũ Ammonitarnm. Quare æquè minatur punitionem his, qui iurant in Deo vero, & Domino, & his qui in idolis iurant. Itaque conueniunt inter se prophetiæ. Etenim in illa dicit, auferes Baalim ex ore tuo, & iurabis, Viuit Dominus in veritate. Et hic reprehendit eos, qui Deum se colere simulant. Cùm ita funesta, & doloris plena minatus est, temperat minas consolatione, ne desperantes salutem, in malitiam acerbiorem prolabantur.

3. Reg. 11.
Osee 4.
Hiere. 4.

Timete à facie Domini Dei, quia iuxtà est dies Domini: quia præparauit Dominus victimam suam sanctificauit vocatos suos.

Sermo propheticus sæpenumero victimam vocat iniquorum cædem, idque cùm in alijs prophetis est inuenire, tum etiam in Ezechiele: Vocatos autem appellat hostes. Cæterum sanctificauit, pro separauit, posuit: sic etiam per Esaiam inquit: Sanctificati sunt: hoc est, in hoc separati: quoniam sanctum vere separatum est, & seiunctum ab impuris: tum ad punitionem separatos, vtà Deo omnipotenti separatos sanctificatos vocat. Sic etiam victimam per abusum nominauit: Sic etiam anathema duplicem intelligentiam habet: nam non solum id, quod Deo dedicatum est, appellatur, sed etiam abalienatum, & separatum à suis.

Et erit in die hostiæ Domini, & vlciscar super principes, & super domum regis, & super omnes, qui induti sunt vestimentis alienis: & vlciscar super omnes manifeste, qui sunt in vestibulis in die illa, qui complent domum Domini Dei sui impietate & dolo.

Cùm in diebus Iosiæ regis pij, punitionis iudicium constitueretur, & exerceretur, & rex nulli obnoxius esset crimini, & illius filij, qui in sceleribus versati fuissent, pœnas dedissent

eorum

eorum quæ admisissent, propterea non dixit, Vlciscar super regem: sed, super domum regis, & super principes. Vestimenta aliena quidam ex latrocinio & rapinis parta esse dixerunt, quidam ad summam libidinem confecta, etenim in peccatis viri viuentes mulierum vestimenta induunt, & mulieres pariter libidini innutritæ, virorum vestes. Mihi vero aliDeut. 22. ud sermo hic designare videtur: nam lex vetat vestimenta ex lino & lana contexta. Iam vero qui diuitijs sese efferrent, & delitijs diffluerent, verisimile est finitimorum vestes imitatos fuisse, & in locum vestimentorum ex lino confectorum, ex purpura ornatum, elaboratum, & artificiosum induisse, id quod contra traditionem legis diuinæ fuit. Minatur etiam his, qui cum impietate & dolo in templum Dei ingrediuntur. Per dolum vero innuit eos tanquam indumentum & personam habuisse pietatem: clam vero idolorum amplexos fuisse cultum. Propter has, inquit, vestras iniquitates.

Et erit in illa die, dicit Dominus, vox clamoris de porta compungentium, & vlulatus à secunda, & contritio magna a collibus.

Cùm hostes murum perruperint, & portas aperuerint, clamorem edentes, & vociferantes, ad secundum murum perfugietis: sed tamen nihilo secius & illius porta hostibus patefacta, vlulantes interficiemini: & tametsi quidam ex vobis montium fastigia occupauerint, in domósue altas ascenderint, tamen perdentur.

Plangite qui habitatis concißam, quia ąßimilatus est omnis populus Chanaan, disperierunt omnes, qui erecti sunt argento.

Concissam appellauit Hierusalem, à calamitatibus, quæ ei euenerunt, & adhortatur ad eius luctum spoliatę habitatoribus. Nam cùm Chananæorum impietatem imitati fuissent: quemadmodũ Chananæi funditus perierunt, & eorum diuitiæ nihil eos adiuuerunt.

Et erit, in die illa scrutabor Hierusalem cum lucerna.

Nullus ex his, qui maleficij conuicti sunt, & rei peracti, euadet quin mulctetur, eos omnes interficiendos tradam. Hoc vero tropice, & per translationẽ posuit, ex metaphora eorum, qui lucerna vtuntur ad rerum perditarum inquisitionem, non prius discedentes, quàm inuenerint.

Et vlciscar super viros qui contemnunt custodias suas.

Custodias, legitima dicit, quæ lex custodire iussit.

Et eos qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus, & non faciet male: & erit fortitudo eorum in rapinam, & domus eorum dißipabuntur.

Tollentes prouidentiam hoc loco damnat, & eos, qui, vt casus fert, res accidere dicere audent, & Deum omnipotentem, neque beneficum esse, neque punire: quibus rapinam minatur, & domorum demolitionem, & fructuum sterilitatem intentat.

Et ædificabunt domos, & non habitabunt in eis: & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.

Et ne moram interponi, & prorogari vltionem arbitrarentur, subiecit,

Quia iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà & velox nimis.

Magnam eam dixit, quoniam non tantum quadam parte vltionem afferet, sed vniuersam punitionem inuehet. Deinde vt acerrimum timorem inijciat audientibus, de ea die explicat, quæ consequuntur deinceps:

Vox diei Domini amara, & dura posita est fortis: dies iræ, tribulationis, & necessitatis: dies miseriæ, & perditionis: dies tenebrarum, & turbinis: dies nebulæ, & caliginis: dies tubæ, & clamoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos.

Angulos excelsos, turres dicit: tubas vero, & clamores, hostium impetum: caliginem, nebulam, & tenebras, malorum accessionem & impetum: quæ cùm aduenerint, nec sol lucidus erit videntibus, neque dies clara, sed omnia caliginis plena videbuntur: idque docet, cùm adiecit,

Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundet sanguinem eorum, sicut puluerem: & carnes eorum, sicut stercus boum.

Hoc est, nulla iusta eis fient, neq; humationem assequentur.

Et argentum eorum, & aurum eorum non poterit eruere eos in die iræ Domini: & in igne zeli eius consumetur omnis terra, quia consummationem et festinationem faciet super omnes habitantes terram.

Diuitibus, inquit, diuitiæ inutiles erunt, nam non malorum liberationem diuitijs assequentur, sed ira Dei, tanquam igne quodam consumentur, quæ in hac terra habitantibus expeditam perniciem afferet. Vt vero sic minatus est acerba, eos ad pœnitentiam adhortatur.

CAP. II.

Congregamini, & colligamini gens inerudita, antequam fiat vt transeat dies quasi flos, antequam veniat ira furoris Domini super vos.

Quidam locum non intelligentes, pro colligamini, comprecamini posuerunt: veruntamen plurima ex exemplaribus, colligamini habent. Ista vero designant per pharmaca & vincula medicinã tropice intellectam. Hoc enim etiam apud Esaiam reperire est, cùm difficultatem curandorum vulnerum Iudæorum ostendit: Non est malagma imponere, neque oEsa. 1. leum, neque alligaturas: colligamini, inquit, pœnitentiæ remedijs, & vinculis ò bonorum rudes, & imperiti, & præoccupate faciem eius in confessione: ne quemadmodum verni flores defluatis, & decidatis diuina ira vos impetente.

Quærite Dominum omnes humiles terræ.

Aspicite, inquit, in naturę vilitatem, & in limum, progenitorem & fictorem inquirite, quitot, & tantis bonis vos redundare & diffluere fecit. Postea quæstione Dei rationem explicat, & intellectum:

Iudicium operamini, & iustitiam quærite: quærite mansuetudinem & respondete ea.

In re-

In recto, & iustitia curas & operas ponite: mansuetũ viuendi genus, & temperatum amplectimini: & constituite hęc ad extremũ persequi. Hoc explanauit, cùm dixit: Respondete ea. Deinde horum fructum ostendit.

Vt protegamini in die iræ domini, quia Gaza direpta erit, & Ascalon in desertum, & Azotus in meridie proijcietur, & Accaron eradicabitur.

Si enim vos resipiscatis, salutem assequemini: exterę vero vrbes prædicta sustinebunt.

Væ qui habitatis funiculum maris, aduenæ Cretensium: verbum domini super vos Chanaan, terra Allophylorum: & perdam vos de habitatione, & erit Creta pascua gregum, & ouile pecorum.

Funiculum maris regionem maritimam vocat: nam diuina scriptura funiculum appellat diuisionem sortis, à dimetienda terra funiculo, & à distribuendo cuique conuenientẽ portionem. Cùm igitur Deus Allophylos genus suum ducẽtes ex Chanaan in maritima regione reliquisset, & tanquam sortem quandam eam terram his distribuisset, funiculum maris eos appellauit. Aduenas Cretensium, pro colonos, posuit. Vero proximum nimirum est, quosdam à Creta venisse, & in vrbibus maritimis consedisse. Itaq; & Chanaan, & funiculum maris, & Cretam, & aduenas Cretensium, loca maritima Palæstinos appellauit, quibus vastitatem minatus est.

Et erit funiculus maris his, qui reliqui sunt de domo Iuda: super ipsos pascentur in domibus Ascalonis: post meridiem diuertent à facie filiorum Iuda: quia visitabit eos dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.

His postreditum finis allatus est. Etenim in libris Machabęorum inuenimus Ionatham, & Simonem Gazam, & Ascalonem, & Ptolemaidam vi cepisse, & sub suam potestatem redegisse. Post vero conseruatoris nostri ascensionem prophetię absolutionem & finem probabiliorem & exactiorem videre est, & post Apostolorum declarationem: hi enim ex Iudęa profecti post meridiem, in has vrbes diuerterunt: hoc est, ante consummationem vespere, cùm Deus omnipotens gentes visitasset, & eas acerba seruitute & captiuitate liberasset. Inde contra Moabitas, & Ammanitas fert calculum: hi enim cognatione populum Israel attingẽtes, & ex Lot stirpem generis sui ducentes, delectabantur malis, in Iudæos incurrentibus, & in Deum omnipotentem conuicia iaciebant, quòd Iudæis nullam opem porrigeret: Idcirco Deus ait,

Audiui opprobrium Moab: & contumelias filiorum Ammon: in quibus exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos meos. Propterea viuo ego, dicit Dominus virtutum, Deus Israel, quia Moab sicut Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorra: & Damascus derelicta, quasi aceruus areæ, & dißipata vsque in sempiternum: & qui reliqui fuerint de populo meo, diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt eos: hoc erit eis pro contumelia sua, quia exprobrauerunt & magnificati sunt super dominum omnipotentem.

Moabitæ & Ammonitæ habuerunt etiam reges, & Damascus totius Syriæ regnum tenuit, sed hęc omnia Babylonij deleuerunt: Solis autem Iudæis Deus omnipotens per Cyrum Persam reditum donauit. Itaq; redierunt rursus, & pristinum principatum recuperarunt, atque omnes has gentes in metũ adduxerunt, & illarum possessiones obtinuerunt: illi vero his obsistere non potuerunt. Quamobrem diuinus propheta prædicit, Moabitas & Ammonitas funditus vastatum iri: Damascum vero aceruo areæ derelicto, comparatum iri. Hæc in bello, quod eis intulerũt Chaldęi, fustinuerunt: ac dicit, Damascum in sempiternũ dissipatam fore, quòd vsque ab illo tempore, in posterum tempus regnandi principatum perdiderit, & non amplius gentibus imperauerit: sed vectigalis facta fuerit regnantibus Babylonijs, & Persis, & Macedonibus, & hoc tẽpore Romanis. Sed tamen diligentius hæc prophetia per sacros Apostolos accepit finem, & per eos, qui Apostolos consecuti sunt. Etenim hos diuinus apostolus reliquias appellauit, ac posuit palàm exclamantẽ prophetiam: Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam a- Roman. 9.
rena maris, reliquiæ saluæ fient. Atq; prophetiam explanans, inquit: Sic ergo & in hoc tem- Roman. 11.
pore, reliquiæ secundum electionem gratiæ Dei saluæ fient. Hoc etiam dominus per diuinum prophetam inquit: Et residui gẽtis meæ possidebunt eos. Postea planius interpretatur.

Manifestus erit dominus super eos, & disperdet omnes deos gentium terræ, & adorabunt eum singuli de loco suo, omnes insulæ gentium.

Hæc non recipiunt Iudæorum impudentem tergiuersationem, si nimirum dicant post à Babylone reuersionem multas gentes, quæ in Deum omnipotentem crediderũt, in sacro templo Hierosolymitano debitum cultũ præstitisse, mendacij conuincentur aperte: nam propheticus sermo dicit, quòd adorabunt eum singuli de loco suo. Hæc vero non in lege, sed in Euangelica doctrina facta sunt: nam lex quidem omnes in vnum illud templum congregauit. Dominus autem in Euangelijs ad Samaritanam dixit: Mulier crede mihi, quia ve- Ioan. 4.
niet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Hoc etiam diuinus Sophonias exclamat: Manifestus erit dominus super eos: hoc est, prędictos omnes Allophylos, Palæstinos, Moabitas, Ammanitas, Damascenos, cæterasq; gentes: & disperdet omnes deos gentium terræ, & adorabunt eum singuli de loco suo, omnes insulæ gentium. Nec enim solum vrbes, quæ sunt in continenti, aut maritimæ, sed etiam eæ, quæ sunt mari circunfusæ adorabunt. Ad hæc adijcit:

Et vos Aethiopes vulnerati gladio meo eritis.

Hæc vero oratio declarat dæmonum cæteruas salutaris crucis impetu dissipatas, & homines atratam, & pullam animam gestãtes, & deo aduersarios, diuina plaga vulneratos. Postquam de salute gentium vaticinatus est, ad historiam persequendam vertit sermonem, atque Assyrijs perniciem minatur: nondum enim Niniue pœnas dederat.

Et extendam manum meam ſuper Aquilonem: & perdam Aſſyriũ, & ponam Niniuen in ſolitudinem, & inaquoſam, quaſi deſertũ: & paſcentur in medio eius greges, & omnes beſtiæ terræ: & chamæleotes, & herinꝝ in præſepibus eius cubabunt, & beſtiæ clamabunt in foueis ſuis, & corui in portis eius, quia cedrus altitudo eius.

Omnia antedicta vaſtitatis ſigna ſunt, gregum paſtiones & multiplicium animalium habitationes, & coruorum nidi. Sed hęc omnia, inquit, perpetietur propter animi tumorem, & faſtum. Nam cedro ſimilis exiſtit altitudo animi eius elati. Deinde hoc explanatius enarrans propheta, infert,

Hæc eſt ciuitas malis dedita.

Hoc eſt, omnem vrbem, & regnũ puſillum, & vile arbitratur, præ animi elatione.

Quæ habitat in ſpe, quæ dicit in corde ſuo: Ego ſum: & non eſt poſt me amplius.

Quæ habitat in ſpe, quæ dicit in corde ſuo &c. Quæ nihil triſte & acerbũ ſe perpeſſuram aliquando arbitratur. Poſtea per diſſimulationem deridens, inquit,

Quomodo facta eſt in ſolitudinem, paſcua beſtiarum: omnis qui tranſit per eam ſibilabit, & mouebit manus ſuas.

Plerique hominum in his acerbis, quæ præter ſpem accidunt, ſoliti ſunt & ſibilare, & manus mouere. Cùm ita de Niniue prædixit, ad Hieruſalem orationem conuertit.

CAP. III.

O Illuſtris & redempta ciuitas, columba non audiuit vocem.

Lamẽtis certe & lachrymis digna vrbs, quæ cùm diuitijs redundaret, præclara, & percelebris fuit: quæ ſæpe à deo omnipotente ſalutem aſſecuta fuit, & ſpiritualibus donis diffluxit. Aut enim hoc per columbam prophetam deſignare arbitror, aut vrbis ornatum & pulchritudinem: etenim animal hoc formoſum eſt. Et vero proximum eſt hoc innui, quoniam quemadmodum columba in domibus ſeparatis libenter conſidet, ſic cùm Hieruſalem incolæ pietatem coleretis, in templo mihi conſecrato aſsidebatis. Pòſt explicat delicta, ac primum, vt non admouerit aurem, cùm inquit: Non audiuit vocem. Deinde inſcitiã rudem, cùm dixit,

Non ſuſcepit diſciplinam.

Poſt hæc diffidentiam, dum dicit,

In Domino non eſt confiſa, & ad Dominum ſuum non appropinquauit.

Deinde principum feritatem explicat.

Principes eius in ea veluti rugientes leones.

Tum oſtendit iudicum iniquitatem & violentiam.

Iudices eius ſicut lupi Arabiæ.

Itemque diuinatorum mendacia, & impietatem, cùm ait:

Prophetæ eius portantes ſpiritum, viri contemptores.

Prophetas falſos appellat. Poſtremo ſacerdotum impietatem, & ſordes proponit.

Sacerdotes enim polluunt ſancta, et impiè agunt in legem: dominus autem iuſtus in medio eius, & non faciet iniquitatem.

Atqui, inquit, cùm hæc omnia in ea perpetrentur, dominus iuſtus in medio eius, & non faciet iniquitatem.

Mane, mane iudicium ſuum dabit in luce, & non eſt abſcõditus, & neſcit iniquitatem in exactione, nec inuſtitiam in ſempiternum.

Proxime, inquit, ſumet pœnas de his, qui iſtiuſmodi admiſerunt mala: nam per Mane, mane, celeritatem demonſtrauit. Quòd vero ait, In luce: hoc eſt, propalam, & non occulte hæc, inquit, conficiet, vt iniquitatis audaciam perdat: & non in ſempiternum eam regnare ſinat.

In corruptione detraxi ſuperbos, diſſipati ſunt anguli eorum, deſtruxi vias eorum, vt penitus non tranſeant: defecerunt ciuitates eorum, eo quòd nullus ſubſiſteret, neque habitaret. Dixi, veruntamen timebitis me, & ſuſcipietis diſciplinam, & non peribitis de oculis eius in omnibus, in quibus vltus ſum ſuper eam.

Vt ſubſtructiones ædificiorum anguli colligant, perinde res ſecundæ principatus firmant, & ſtabiliunt, ſuperbientes in perniciem tradendo, eorum altitudinem ad terram abijciam, vt nulla eorum memoria peruentura ſit ad poſteros: & eorum vrbes ſolitudinũ vaſtitati funditus dabo. Vbi has minas intentauit, miſericors, admonet & conſulit, vt ab antedictis timeant, & neceſſariam diſciplinam accipiant, & perniciem fugiant eorum, quæ minationibus intentauit, quam perniciem iniquitas genuit, alioqui nulla mora me tardabit, nec differet, quin quàm mox ſumam ſupplicium: quare inquit,

Præparare, conſurge diluculo.

Hoc eſt, quàm mox ea quæ pertinent ad pœnitentiam obeas, atque profitearis.

Diſperierunt omnes racemi eorum.

Aſſyrios, quorum multitudinem pro foribus tuis confeci, ne timeas, quoniam racemulos eorum, hoc eſt, eos qui eam cladem effugerunt, tradam Babylonijs.

Propterea expecta me, dicit dominus, in die reſurrectionis meæ in teſtimonium: quia iudicium meum in congregationes gentium, vt ſuſcipiam reges, vt effundam ſuper eos iram meam omnem, iram furoris, quia in igne zeli mei conſumetur omnis terra.

Ne exiſtimes, inquit, me non curare res humanas, quin expecta, & videbis me exurgere, & iuſte iudicare, & iniqua regna delere, & zelo meo, tanquam igne quodam, omnem orbem terræ expiare à nefarijs ſceleribus: atque hoc dilucidius enucleans, addidit.

Quia tunc conuertam ſuper populos linguam in generationem eius, vt inuocent omnes nomen domini, vt ſeruiant ei ſub iugo vno.

Hoc magis perſpicue Aquila & Theodotio conuerterunt, τότε στρέψω πρὸς πάντας τοὺς λαοὺς χεῖλος ἐξηλεγμένον: Tunc vertam ad omnes populos labium electũ. Symmachus vero, τότε μεταστρέψω εἰ τοῖς λαοῖς χεῖλος καθαρόν: Tunc conuertam in populos labiũ candidum & mundum. Mundum os eſt, nominare Deum,

Eſai. 22. Deum, non deus. Eius etiam modi per Eſaiam dixit Deus: Linguę balbutientiũ cito diſcent
Eſai. 35. loqui pacem. Itemque, Aperta erit lingua mutorum. Itaque linguas ad multitudinem deorum eruditas conuertet, & electas & mundas faciet: ita fiet, vt omnes inuocent nomen domini, & ſeruiãt ei omnes gentes ſub iugo tuo.

De finibus fluminum Aethiopiæ ſuſcipiam filios diſperſorum mihi ſupplicantes, afferent victimas mihi.

Cùm in extremis terris habitantes diſciplinam, præconium à me diſperſorum acceperint, laudis victimas mihi afferent. Sic enim etiam Symmachus interpretatus eſt. περάθεν ποταμῶν Αἰθιοπίας ἱκετεύσουσί με τὰ τέκνα τῶν διεσκορπισμένων μου ἐμοὶ συνέγκωσι δῶρον ἐμοί. A finibus fluuiorum Aethiopiæ ſupplicantes mihi filij diſperſorum meorum deferent munus mihi. Filij procreati ab his pręconibus pietatis, quos in omnes gentes diſperſi, ſpiritualia mihi dona afferent.

In die illa non confunderis ex omnibus adinuentionibus tuis, quibus impie egiſti in me, quia tunc auferam à te detractionem contumeliæ tuæ, & vltrà non adijcies, vt magnificeris ſuper montem ſanctũ meum.

Cùm hæc fient, & gentes ſalute perfruentur, vos etiam, qui incolitis Hieruſalem perfidem ſalutem ſuſcipiẽtes, priori impietate expediemini, & liberabimini. Nec vero in futurum mea præcepta contemnetis, nihilq; magnum vobis arrogabitis, propter vetus templum: atq; aperte præſignificat, vt non omnes Euangelicam doctrinam recepturi eſſent.

Et relinquam in te populum manſuetum, & humilem: & reuerebuntur nomẽ domini qui fuerint reliqui de Iſrael: & non facient iniquitatem, & non loquentur vana, & non inuenietur in eo lingua doloſa: quoniam ipſi paſcentur & accubabunt: & non erit, qui exterreat eos.

Hæc nobis aperte chorum Apoſtolicũ declarant, quem dominus beatum iudicans, di-
Matth. 5. xit: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebũt ter-
Matth. 11. ram. Itemque: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Hunc perbeatus Sophonias populum manſuetum, & humilem appellat: Iſraeliticus vero non eiuſmodi eſt, ſed populus ſtul-
Eſai. 48. tus, & inſipiens. Et apud alium prophetã: Neruus ferreus ceruix tua, & frõs tua ærea. Ab iniquitate liberos vocat dolo linguam liberatam habentes. Itaque cùm pro malo, & temerario, & impio iſtiuſmodi populum acceperis,

Gaude filia Sion: prædica filia Hieruſalem: exulta & delectare de toto corde tuo filia Hieruſalem: abſtulit dominus iniquitates tuas: redemit te de manu inimicorũ tuorum: rex Iſrael dominus in medio tui, non videbis mala vltrà.

Abidolis Deus te expiauit, & ſeruitute demonum abalienatorum liberauit.

In tempore illo, dicet dominus Hieruſalem: Confide Sion, non diſſoluantur manus tuæ: dominus Deus tuus in te fortis ſaluabit te: adducet ſuper te, & innouabit te in charitate ſua, & lætabitur in te, in deleſtatione, quaſi in die ſolenni, & congregabo confractos tuos.

Non ignoro quoſdam hæc ipſa ad reditum ex Babylone, & ad renouationem Hieruſalem accepiſſe, quibus non repugno: quòd non ab his, quæ tum geſta fuere, diſſentiat prophetia. Sed accõmodatior exitus reperiri poteſt, poſt conſeruatoris noſtri incarnationem. Siquidem tum lauacri regeneratione cõtritos corde ſanos fecit, tum humanam conditionẽ inſtaurauit, cùm eo vſq; nos dilexit, vt animam
Ioan. 15. ſuam dederit pro nobis. Maiorem, inquit, hac dilectionẽ nemo habet, quàm vt animam
Ioan. 3. ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Itemque: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Poſtea minatur his, qui tum cõuitijs & maledictis Hieruſalem aſperſiſſent, & his etiã qui poſtea contra declaratores veritatis hoc ipſum attẽtant: duplex enim eſt prophetia.

Væ qui accepit ſuper eam opprobrium: ecce ego faciam in te propter me, in tempore illo & ſaluabo expreſſam: & repulſam ſuſcipiam, & ponam eos in gloriam: & nominatos in omni terra: & confundentur in omni tempore illo, quando bene vobis fecero: & in tempore cùm ſuſcepero vos: quia dabo vos nominatos: & in gloriam in cunctis populis terræ, quando conuertero captiuitatem veſtram coram vobis, dicit dominus.

Hominum ſalus ex ſola Dei miſericordia pendet, neque enim hanc adipiſcimur præmium & mercedẽ iuſtitiæ, ſed Dei bonitatis donum eſt: quamobrem dominus ait, Propter me & ſaluabo, & ſuſcipiam, & abalienatam, & reiectam mihi vindicabo, & illuſtrem eam oſtendam, & gloria florentem reddam, & infamiam quæ illi antea inuſta fuit, eluam. Itemque: Pro captiuis & ſeruis, liberos & domeſticos meos vos efficiam. Hæc autem vt dixi his, tum, cùm reuertiſſent ex Babylone, donauit: & poſtea omnibus hominibus gratificatus eſt. Nam olim diabolo ſeruientes, acerba illa captiuitate liberati, & in obliuionẽ erroris multorum deorum adducti, nos Deo aſſeruimus, & adiũximus, nominati & illuſtres, iuxta prophetiam, apud Græcos & Barbaros facti: &
Ephe. 2. qui olim longe eramus, prope facti ſumus, ſecundum diuinum Apoſtolum. Itaque Apoſtolicis admonitis adhærẽſcendum nobis eſt, a-
Galat. 4. perte clamantibus: Libertate, qua nos Chriſtus liberauit, ſtate: & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Sic enim dominatu ſæui tyranni liberabimur, & dominum noſtrum obſeruantes, regnum cœlorum aſſequemur benignitate & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo cum Patri gloria vnà cum ſancto Spiritu nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorũm.

Amen.

FINIS PROPH. SOPHONIAE.

BEATI THEODORETI ARGVMENTVM IN AGGAEVM PROPHETAM.

CYrus primus Persarum rex, statim, vt iniuit regnum, Iudæis captiuis libertatem largitus est: atque volentibus in patriam redire, edicto proposito, permisit, & diuinum reædificari templum iussit, & certe qui prophetarum sermonibus innutriti fuerunt, quique prænunciatam reuocationem non ignorarunt, expeditè, & promptè reuerterunt: & Hierusalem incoluerunt, atque diuinum templum substruere aggressi sunt: sed prohibiti à finitimis exteris nationibus, atque à Cambyse Cyri filio, qui illarum verbis seductus, patri suo contraria iussit, ab opere requiescere coacti fuerunt. Aliquanto vero pòst tempore, Darius Hystaspis filius, rex, quemadmodum Cyrus templum Dei ædificari iubet. Hi autem ædificare inceperunt secũdo anno Regni Cyri, & sexto Da-
Ioan. 2. *rij absoluerunt. Quamobrem Pharisæi ad Dominum dicebant, Quadraginta, & sex annis ædificatum est templum hoc: & tu tribus diebus excitabis illud? Nam ingressi ædificare sub Cyro prohibiti fuerunt. Deinde Cyro, & Cambyse, & his, qui pòst hos regnarunt magis defunctis, anno sexto regni Darij ædificationi extrema manus imposita est. Sub hoc prophetico munere donatus est diuinus Aggæus, cuius lingua vtens Deus omnipotens, Iudæos tarditatis & inertiæ in ædificatione templi accusat, atque iubet Zorobabel id temporis ducem populi, & Iesum magnum sacerdotem, euestigio ad templi ædificationem aggredi: itemque promittit multitudinem quàm plurimarum gentium vnà cum abundantia pecuniarum se congregaturum, & illic omnes interfecturum, & illarum diuitias ad sumptus in ædificationem suppeditaturum. Hoc quidem prophetiæ huius est argumentum: sed huius intellectus exactius cognosci potest ex singularum partium explanatione.*

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN PROPHETAM AGGAEVM.

IN anno secundo Darij regis, in mense sexto, in die vna mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens.

Ante captiuitatẽ, tempora regum Iuda atque Israel ascribebant prophetæ: pòst vero captiuitatem, quòd Iudæi sine regibus suis remãsissent, Persarum regis mirabilis Aggæus tempus ascribit, ac vero non anni modo, sed diei quoque meminit, volens non solum compendium demonstrare ædificationis, sed etiam benedictionis ab omnipotenti Deo concessæ. Vehemẽs studium, nam iubet eos non ita multo pòst comparare materiam ante ædificationem, & ea quę postea necessaria sunt, & ex periculo discere, in quanta necessariorũ caritate fuerint, curam ædificandi templi differentes, quantis vero bonis diffluxerint, cùm hoc studium recepissent. Iam vero, dum ait, in manu Aggæi prophetæ, per Aggæum intelligamus.

Ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum, dicens: Hæc dicit dominus omnipotens, Populus hic dicit, nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus concauis, & domus ista deserta?

In more diuinæ scripturæ positũ est, vt principem sacerdotũ vocet magnum sacerdotem. Itaque principe sacerdotum Iesu, & duce populi Zorobabel, tanquam iudicibus quibusdam dominus vtens, per prophetam populum accusat. Videte, inquit, quantam curam in suis domibus ponant: non enim modo ędificãt, sed etiam eas accuratissime ornant: diuinum vero templum, quo communi salute fruũtur, ædificare recusant, non aptum ad ædificandum tempus excusantes.

Et nunc

Et nunc hæc dicit dominus omnipotẽs: Dirigite corda vestra in vias vestras.

Rectam cogitationem suscipite, & iusti iudices efficiamini vestrorum studiorum, atque adinuentionum, & pernoscite, quantum inter studium erga diuina, & inertiam discrimẽ intersit. Postea exponit eos, etiam si multam sementem fecerint, exiguos fructus percepisse semper, vt & esuriant, & sitiant, & nequaquam satietate perfruantur, sed in summa inopia & miseria laboriosa versentur, vt etiam egeant vestibus necessarijs, quod docet, cùm adiecit,

Operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.

Et diuites, & operarij mercede conduci soliti, & mercedes congregare, nullam (dissipatis his, quæ collegissent) vtilitatem ex laboribus susceptis, & periculis aditis acceperant. Ac rursus deinceps eos iubet prudens inire consilium, & templi curationem omnibus rebus anteponere, & ad montes profectos ligna ad ædificationem apta cædere, pollicens se ad hanc rem eos adiuturum, & illustres eos declaraturum: atque etiam eos ad memoriã antecedentis inopiæ reuocat, vt condiscant cuiusmodi inertiæ sint præmia.

Respexistis in multa, & facta sunt pauca: & intulistis domum & exufflaui illa.

Cùm speraßetis vos fructus multos capturos esse, spes vos fefellit: & vero cùm perpusilla collegissetis, nullo ex his vsi fuistis, quòd iam domi condita ac reposita effudi atque abieci.

Quamobrem hæc dicit dominus omnipotens: Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam: propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem: & terra continuit germen suũ: & inferam super terram gladium, & super montes, & super triticum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnes labores manuum eorum.

Quemadmodum rem meam curare negligitis, & in domibus vestris accurandis impensam operam ponitis, sic & ipse pluuias arcebo, & terram sterilem reddam: nec vero aliter puniendi vim inueham, quàm gladiũ quendam, non modò in terræ fructus, sed etiam in huius cultores homines, & simul cum eis communicabunt pœnas iumenta. Hæc autem se facturum Deus minatur, quia diuinam domum neglexissent: non quòd templo egeat, nam quomodo, qui omnium est opifex, egeret homine? qui omnia sola misericordia fecit: sed potius vt eos curaret, & salutem eorum procuraret, templum ædificari iubet, vt in eo legem obseruantes, inde commoditatem capiant: & quòd vellet legis conseruationem vsq; ad aduentum Herodis iuxta diuinum Apostolũ curari. Nam pòst conseruatoris nostri incarnationem, nouo instrumento patefacto, vetus absGalat. 3. solutum est, & lex pædagogus, vt sapientissimum præceptorem indicauit, excesit: quia amplius hi, qui ab ea fuissent ad rudimẽta instituti, non egerent elementorum introductione. Sed ad historiam persequendam redeamus. Cùm hanc minationem audissent Zorobabel, & Iesus magnus sacerdos, & ab his administratus populus, in maximo timore fuerunt, atque propheticis prædictis paruerunt. Dominus autẽ misericors statim vt vidit eorum inductionem animi parentem, per prophetam clamat,

Ego vobiscum sum, dicit dominus.

Adeste animis, inquit, quoniam me adiutorem & auxiliatorem habetis.

Et suscitauit dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel, ex tribu Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo, & ingressi sunt, & faciebãt opera in domo domini omnipotentis Dei sui, in die vicesima quarta mensis: in sexto mense in anno secundo Darij regis.

Hinc planè intelligitur, vt simul ac honestam viuẽdi rationem persequimur, diuinum auxilium assequimur. Et enim vt hi ad bonum inclinauerunt, ac propenderunt, diuina consensio eis ad ædificationem adiumento fuit, & expeditiores, ac promptiores gratia Dei effecit. Cùm nimirum primo die mensis prophetiam accepissent, initium ædificationis fecerunt quarta & vicesima die mensis. Postea rursus sexto mense, præcipit dominus prophetæ, hæc verba ad eos perferre,

Quis ex vobis est derelictus: qui vidit domum istam in gloria sua prima, & quomodo vos videtis hãc nunc? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?

Cùm venit vobis in mentem nobilitatis prioris huius templi & spendoris, quomodo ferre potestis conspectum eius vastitate solitudinum pleni? præsertim cùm ex vobis nonnulli adhuc supersint, vsq; ab illo tempore in hunc diem.

Nunc confortare Zorobabel, dicit dominus, & confortare Iesu fili Iosedech sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit dominus omnipotens. Verbum quod pepigi vobiscum, cùm egrederemini de terra Aegypti, & spiritus meus erit in medio vestrum.

Omni segnitie; & metu excusso, ac abiecto, suscipite robur, quod vobis sufficio: & me ex pactione vobiscum facere, & spiritus mei gratiam vos curare, & tueri credite. Cùm autem multa essent impedientia, inopia, & necessariorum caritas: finitimorumque incursiones, & bella, recte & meritò huc accedit, quod consequitur.

Nolite timere, quia hæc dicit dominus omnipotens: Adhuc semel ego commoueo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & moueo omnes gentes, & venient electa de cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit dominus omnipotens.

De Gog & Magog prædicit, quibus cùm bellum inferre constituissent, in Hierusalem maximis copijs ex multis nationibus coactis, fieri permisit Deus, & cùm eos contra alios armasset, ipsos inter se necare effecit, eorumque diuitias ædificantibus largitus est, & asseruiens auribus audientium, inquit:

Meum est argentum, & meum est aurum, dicit dominus omnipotens.

Non aliena in rem meam cõuerto, sed mea

rursus recipio, & recupero: dedi eis diuitias, liberalitate vsus maxima, cùm largitoré donorum non cognouerunt, iure spoliati sunt.

Magna erit gloria domus istius, moussima plusquam prima, dicit dominus omnipotens.

Non magnitudine & pulchritudine ædificij dicit domum illustriorem fore, sed conditione & modo occisionis gentium, cuius fama quaque versus peruagans, Dei omnipotentis robur declarauit. Quare commotionem cœli, & terræ & maris id factum appellat, nempe quòd omnes metu perterruisset, & rei miraculo excitati fuissent ad laudandum Deum, non incolentes soli continentem, & ad insulas commorantes, & præterea inuisibiles potestates in æthere, & in cœlo versantes.

Et in hoc isto dabo pacem, dicit dominus omnipotens: & pacem animæ in acquisitionem omni qui creat, & suscitet templum istud, vel sic pacem animæ in compensationem excitandi, templum istud omni ædificanti.

Non enim modò humanos hostes cessare faciam, sed etiam diuinam pacem eis gratificabor, quæ animis conciliat salutem. Hæc erunt ædificantibus præmia. Nono mense propheta ab omnipotenti Deo iterum interrogare iubetur sacerdotes, an sacrum vestimentum ab hostia sacra sanctificare potest contingentia, vt panem, aut vinum, aut oleũ, vel aliud quippiam eiusmodi. Deinde vt sacerdotes negarunt, interrogare rursus iubetur, an vestis tum impurum quiddam contingens contaminatur. Hoc vbi sacerdotes consensissent, hæc propheta iubetur dicere,

Sic populus iste, & sic gens hæc coram me, dicit dominus: & sic opera manuum eorum, & quicunque ap propinquauerit, ibi contaminabitur.

Quemadmodum sanctificata vestis aliud quippiam ex appropinquantibus non potest sanctificare, & contrà contaminatur contactu immundorum, secundum legem, sic populus hic nullam vtilitatem ex sanctis percipit, propter vitium: quin appropinquare tentans, impie hæc contaminat. Postea causas eorum docet,

Propter munera eorum matutina dolebunt à facie malitiarum suarum, & oderatis in portis arguentes.

Diluculo, inquit, illucescente, nullius boni rationem duxistis, sed turpes quæstus acerrime persecuti estis, atque inimico animo effecti fuistis in reprehendentes malitiã vestram, portis assidentes, intrantibus & exeuntibus diuinos sermones afferebant. Iam vero omni cura considerate, quinam essetis, cùm ædificationem negligebatis, & quanta necessariorum inopia constringeremini. Viginti hordeorum mensuras reponentes, vix mediam partem reperiebatis: & quinquaginta ex torcularibus vini lagenas haurire expectantes, tantũ viginti inueniebatis. Cùm vobis varias correctiones inferrem, sterilitatem & venti vredinem & grandinem, tamen ob vehementer vestrum robustum morbũ nihil sensistis. Itaq; harum rerum memores, animaduertite, quanta frugum copia fruimini, postquam ædificare cœpistis. Tantam enim vobis redundantiã necessariorum largiar, vt in posterum ipsæ areæ mensuræ ignorentur, & molles fructus magna facilitate dabo, & omnium fructuum fertilitatem suppeditabo, & præterea ó Zorobabel sermones illos cõfirmabo, quos de Gog & Magog prædixi.

Et subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & subuertam quadrigam, & ascensores eius, & descendent equi, & ascensores eorum vnusquisque in gladio aduersus fratrem suum.

Nullo negotio vobis, inquit, victoriam pariã, insania & dementia eos verberans: armabo eos cõtra se, vt funditus omnes simul cum equis pereant. Quod vero inquit, Adhuc semel ego commoueo cœlum, & terram, & mare, & aridam, non abs re posuit: sed beneficij cõtra Sennacherib memoriam renouat. Cùm enim illis, qui stabant à Sennacherib, repentinam perniciem molitus est, omnem terram, & mare horribili narratione præstrinxit.

In die illa, dicit dominus omnipotens, Assumam te Zorobabel filium Salathiel seruum meum, dicit dominus, & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit dominus omnipotens.

Hoc loco Iesu non mentionẽ fecit, sed Zorobabelis, cùm de bellis, & eorum administratione sermones habuit, quoniam bellorum administrationem hic solus procuraret. Itaque dicit, In illa die, gentibus illis cæsis, te Zorobabel, quem in seruitutem & procurationem meam delegi, illustrem, & præclarum declarabo, & propter te omni studio populum tuebor, te vtens tanquam signaculo quodam: nam signum foribus admotum & arcis, omnia, quæ intus reposita sunt, tuetur & conseruat. Et prophetia quidem iam completa est. Ego vero Apollinarij dementiam admiror, qui tã apertis vaticinationibus cõtrariam intelligentiam afferre aggressus fuerit, dicens, exercitum Gog & Magog nondum fuisse, sed ad finem sæculi fore: & nõ sapientissimus hic attendit prophetiæ consecutionẽ, quod post prædictionem illarum occisionis statim propheta intulit, In die illa, dicit dominus omnipotens, assumam te Zorobabel seruũ meum, dicit dominus: & ea quę deinceps cõsequuntur. Sin autem alium quendam Zorobabel in suis confictionibus fabulosis fingit illo tempore futurum, perfectam fabulam nobis finget. Sin autẽ hic solus Zorobabel est, qui post reditum populo præfuit, sub quo illarũ gentium exercitus profligatus fuit, & post illius cladẽ, & offensionem admirandus & præclarus extitit Zorobabel, Apollinarium non hoc ignorare oportuit, quòd ob inopiam causantibus ædificationis prorogationẽ, omnipotẽs dominus promisit se has gentes coacturum, & harũ diuitias in ædificationis sumptus suppeditaturum: quare adiunxit: Meum est argentum, meum est aurum, magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquàm primæ. Sed hunc delirantem relinquentes, nos veritati adhæreſcamus, & misericordem dominũ precemur, quamur, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, quo cum gloria patri, vnà cum sanctissimo, & vitę principe spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

cemur, vt nobis pacem largiatur, & pacem animæ, vt eum omni ex parte obseruantes, atque eius auxilio nitentes, inuisibilium hostium insidias effugiamus: &, vt secundum eius diuinas leges vixerimus, bona promissa assequamur.

FINIS PROPH. AGGAEI.

ARGVMENTVM IN PROPHETIAM ZACHARIAE.

CVM olim Deus omnipotens sua prouidentia Iudæorum negotia acerrime administraret, non vnum prophetam eis, sed duos, tres, interdum plures allegabat, vt quæ opus essent, docerent, & futura præmonstrarent. Itaque id temporis, cùm diuinus Esaias prophetiam exerceret, admirandi illi Osee, Ioel, Amos, Micheas futura præsignificarunt. Sed eorum tempora ex ipsis prophetijs non difficilia sunt ad percipiendum. Sic etiam post à Babylone reditum per diuinum Aggæum, quæ opus essent, docuit, & tristia & læta prænunciauit: hæc quidem obtemperantibus: illa vero repugnantibus: atque etiam ei rerum quarundam imagines & simulacra subostendit, vt diuinæ visionis sermones ad persuadendum efficaciores redderet. Ac porro per hunc prædicit conseruatoris nostri aduentum, & redundans eius mansuetudine, & clementia regnum, necnon Iudæorum insaniam, & salutarem passionem, nostrorum peccatorum remedium acerrimum, simul ea quæ ex illa rabie in Christum Iudæis mala euenerunt. Sed ne nimia longitudine argumenti quosdam remorer lecturos has enarrationes, restat, vt ad ipsam verborum explicationem veniam.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN PROPHETAM ZACHARIAM.

IN OCTAVO mense anni secũdi, sub Dario, factum est verbum Domini ad Zachariam, Barachiæ filium, filij Addo prophetam dicens:

Vno eodemque anno diuinus Aggæus, & mirandus Zacharias cœperunt prophetiam docere: sed ille mense sexto, hic vero octauo. Vnde intelligitur, duobus mensibus illum antecessisse hunc in prophetia declaranda. Temporum autem memoriam explicant, vt reditus tempus declarent, & planè nos edoceant, vt id temporis rex Hebræus non regnaret: atque vt etiam veritatem ostendat prophetarum, qui ante captiuitatem vaticinati fuerunt. Prædixerant illi quidem non obsidionem modo Hierusalem, & expugnationem, & in seruitutem adductionem: sed & captiuitatis tempus, & reditum à Babylone. Itaque quoniam omnia ad finem peruenerant, & tempus ab eis constitutum absumptum erat, & iuxta prædictiones libertatem assecuti fuerant, recte & meritò perbeati Aggæus & Zacharias secundum annum regni Darij Persæ adscripserunt. Hoc nimirum anno, tempus septuaginta annorum ab vrbe vastata absolutum fuit: id quod ex ipsa prophetia facile cognosci potest. Docet etiam, ex quo patre natus fuerit, & quis illius pater: quia multi pseudoprophetæ id temporis mendacia vaticinarentur, &, vt fit, vsu eueniret, vt gentiles, & eiusdem nominis essent aliqui prophetæ. Itaque ne nominum

cognatio noceret veritati, cùm falsò enuntiata, vt vere præsignificata omnibus promiscue fuissent admota, propheta ex quo genere esset profectus, declarauit: deinde narrat, quid iussus fuerit dicere.

Iratus est Dominus super patres vestros ira magna.

Sapientiæ plenum prophetiæ proœmium, & in illius ætatis homines ad diuinas literas institutos conuenientissimum. Recentem enim habentes memoriam eorum, quæ patribus accidissent, & non ignorantes vt incredibilium illarum calamitatum causa fuisset iusta Dei impulsio, vt par erat, studebant illa dicere, & facere, quæ Dominum misericordem propitium reddebant, & vbertatem bonorũ eis conciliabant. Quod autem dictorum hoc sit propositum, ea deinceps testantur, cùm inquit,

Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus omnipotens, Conuertimini ad me, dicit Dominus virtutum, & conuertar ad vos, dicit Dominus virtutum: & nolite fieri sicut patres vestri, quos arguerunt prophetæ, qui prius fuerant, dicentes, Hæc dicit Dominus omnipotens, Conuertimini à viis vestris pessimis, & ab adinuentionibus vestris malis: & non attenderunt, vt audirent me, dicit Dominus omnipotens.

Non, inquit, ignorantes, quæ per prophetas vestros patres admonuerim, & quemadmodum eos refragantes penitus perdiderim, ne eos imitemini, fugite, adhærescite ad verba mea, vt mea prouidentia fruamini. Quòd verò ait, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, idẽ significat. Huic simile est alibi dictum: Dederunt contra me dorsa, & non faciem suam: qui se sustinet ab auditione seria diuinorum sermonum, auersanti, & dorsa danti persimilis est. Itaque, inquit, si legibus meis adhærescatis, per me vobis prouidebitur: ac docet, quàm facile sibi sit eis omnem bonorum redundantiam largiri, sæpenumerò seipsum & dominum omnipotentem, & dominum virtutũ appellauit, vt condiscãt omnium imperia tenentem, & regnantem factorem, & opificem, & ipsorum exercituũ dominum perfacile mutare posse rerũ naturas, & ex felicitate in miserias traducere, & cõtrà in res secundas infortunio constrictos.

Patres vestri vbi sunt, & prophetæ? nunquid in sempiternum viuent? verumtamen sermones meos, & legitima mea suscipite, quæ ego præcipio in spiritu meo seruis meis prophetis, qui comprehenderunt patres vestros.

Intentis oculis, inquit, intueamini in verborum meorum veritatem, quod & prophetis vita defunctis, & patribus vestris de suis sceleribus plexis superfuerunt: hi ipsi ex ipsis rebus veritatem declarantes, & prophetas scriptores patronos non habentes, è vita enim illi excesserant, clamant, & testantur, vt nihil falsum ab eis dictum fuerit. Itaque prompti excipite quę per prophetas sanctus spiritus vobis affert.

Et responderunt, atque dixerunt, Sicut præparatus Dominus omnipotens, vt faceret nobis secundum vias nostras, & secundum adinuentiones nostras, sic fecit nobis.

Ad ea quæ dicta fuerunt, consenserunt, atque veritati assenserunt, sensumque delictorum perceperunt, atque prædictionem veram esse, & iustam iram, & punitionẽ peccatis conuenientem dixerunt.

Quarta & vicesima vndecimi mensis Sabat, in secundo anno sub Dario, factus est sermo Domini ad Zachariam Barachiæ filij Addo prophetam.

Cùm propheta Hebræus esset, Hebręorum ascripsit numerum. Hebręi primum mensem appellant Xanthicum. Sic enim Moses magnus lege sanxit contentiosima voce exclamans: Mensis iste vobis principium mẽsium, primus erit in mensibus anni. Itaque ab illo numerare incipientibus, vndecimus Sabat inuenietur, qui à Macedonib. dicitur Σεβατίος. Itaque propheta ait, se hoc mense, nondum secundo anno expleto, iterũ actionem & functionem diuinæ gratiæ suscepisse, cùm sermonem dicit, & verbum, & assumptionem: & manum diuinæ gratiæ actionem & functionem designat. qua gratia afflatus, visionem diuinam, quam vidit, nobis scriptam reliquit, ac inquit, Exod. 12.

Vidi nocte, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter duos montes vmbrosos, & post eum equi rufi, & varij, & albi: & dixi, Quid sunt isti domine? Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi, quid sint hæc. Et respondit vir qui stabat inter montes, & dixit ad me: Isti sunt quos misit Dominus, vt circuirent terram. Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter montes, atque dixerunt: Circuiuimus omnem terram, & ecce omnis terra habitatur, & quiescit.

Planum est, quos vidit inuisibiles spiritus esse in ministerium missos, iuxta Apostolum, propter eos, qui hæreditatem capient salutis, eorũ naturæ non videntur, hę enim incorporeæ sunt: sed horũ & omnium dominus visionem eorũ diuinam cõformat, pro ratione vsus: idq; nos aperte diuina scriptura docet, diuersas eorũ figuras ostendens. Aliter eos vidit Daniel, aliter Ezechiel: & Esaias, & Micheas alijs & alijs figuris. Non tamen multiformes, sed incorporeæ naturę intellectu cõprehensibiles sunt: sed ad vsum dominus format visiones eorum, idq; in diuino Zacharia fecit: Demonstrat enim ei angelum populo præsidentem: Hic vero sanctus Michael fuit, vt allo quens Danielẽ angelus dixit: Ille enim, inquit, Nemo est adiutor meus in omnib. his, nisi Michael princeps vester. Hunc videt insidentem equo, propter celeritatẽ factorum. Spadix vero equus, & rufus, hostium concitationem, & indignationem ostendit: nam sanguinarius & rufus est furor. Montes nõ solum firmitatem & duriciem, sed etiam altitudinem declarant angelorum ad subsidium cõparatorum. Vmbrosi vero montes designant diuinam prouidentiam, quam in Deum credentibus perbeatus Dauid pollicetur: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Idem: Scapulis obumbrauit tibi. Et alibi: Heb. 1. Dan. 10. Psal. 90.

Psal. 16. alibi: Sub vmbra alarum tuarum protege me.
Exod. 13. Et populum Israel in deserto columna nubis tegebat. Quamobrem in medio montiũ vmbrosorum hoc loco populo præfectus angelus stare videbatur, ex his diuinum subsidium indicans. Cæterum Aquila & Symmachus myrteta verterunt, montes. Myrtus planta odorata est, habens vim morbos calidos refrigerandi. Vt vero à tergo vidit equos rufos spadices, varios, & albos, noscendi studio percontatur, quæ causa ostentorum esset. Edocetur à primo viso angelo, qui inter montes vmbrosos consistebat, quòd essent missi in vniuersam terram circumlustrandam: atque ad conformationem horum sermonum, qui in illis equis varijs spadicibus rufis sedebant, dixerunt ad angelum inter montes interstantem, Cùm omnem terram obiuimus, & explorauimus, in orbe terrarum pacẽ, & quietem constitutam reperimus. Vbi hæc audisset angelus, cui populi imperium mandatum fuit, acerrime commotus, quòd omnibus pace fruentibus, populus sibi creditus, in mille adhuc malis versaretur, supplex Dominum obsecrat.

Domine omnipotens, vsquequo non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste est septuagesimus annus.

Est autem animaduertendum, prioris captiuitatis tempus completum fuisse anno Cyri primo Persarum regis, vel teste Domino optimo & misericordissimo, qui in malorum aditis periculis tempus prædictionis annumerauit, quod accuratius in nostris commentarijs in Ezechielem ostendimus. Vastitatis Hierusalem septuaginta anni completi sunt secundo anno regni Darij. Hic numerus inire incipiendus est ab anno vndecimo regni Sedechiæ, sub quo vrbs capta fuit. Si quis numerandi exordium perscrutetur, tempus hoc completum fuisse inueniet anno secundo regni Dari Hystaspis filij. Itaque hunc repetens populi procurator angelus, Deum omnipotentem suppliciter rogat, vt tempus prædictionis completum attendat, & ne vrbem sibi consecratam vastitati solitudinum traditam diutissime despiciat. Vbi has precationes, inquit propheta, Dominus suscepit, angelo respondit, loquenti in me verba bona, & sermones consolatorios. Nec vero alium angelum hunc dixit ab illo, qui inter montes interstiterat: sed eundem illum, qui se alloquebatur. Ac vero, inquit, eum in se loqui, quoniam non verbis vteretur, & vox non motu linguæ, nec aeris repercussione articulata esset, sed intus insonans, & in seipso formata. Itaque Dei benignitate confisus angelus, iubet prophetam clamare & dicere.

Hæc dicit Dominus omnipotens: Zelatus sum Hierusalem & Sion zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes, quæ superimpositæ sunt: pro eo, quòd ego quidem iratus sum modicum, ipsi vero superpositi sunt in malo, mensura extendetur super Hierusalem.

Non in posterum scelera, inquit, contra Hierusalem edi patiar, sed supplicia sumam de his, qui finem & modum transierunt pœnæ in Hierusalem constitutæ: quique maiora mala, quàm constituta fuissent, ei infligere aggressi fuerunt. Equidem vt pœnas ab ea exigerem, mea prouidentia eam spoliaui, quòd meis legibus præuaricata fuisset: vnde factum est, vt hi ad audaciã se confirmauerint, & experi malis huic inurendis non potuerint: quare iusto zelo vtens, ei ignoscam, ab illis vero pœnas scelerum in eam editorum repetam. Deinde misericordiæ modum exponit, & diuinæ domus ædificationis finem pollicetur, & vrbis instaurationem, & murorum restitutionem. Hoc enim declarat, mensura rursus extendetur super Hierusalem.

Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me, adhuc clama, dicens, Hæc dicit Dominus omnipotens, adhuc diffundentur ciuitates in bonis: & miserebitur Dominus adhuc Sion: & eliget adhuc Hierusalem.

Permultis Iudææ vrbibus bonorum copiam largietur. Hoc perspicuum fecit, cùm dixit: Adhuc diffundentur ciuitates in bonis, sed tamen adhuc alijs Hierusalem anteponet: & prærogatiuam pristinam largietur. Sed animaduertendum est, vt non sempiternam eis felicitatem promiserit, sed tempus quoddam ostenderit: per istam particulam adhuc præmonstrans, quemadmodum cùm hæres aduenerit, lex ordinem œconomi & procuratoris tenens hebescet, & perdet suam vim, atq; simul cum ea locus, qui secundum legem cultum Dei susceperit, euanescet. Inde in quatuor visiones narrationem conuertit, atque inquit se quatuor cornua vidisse, atque intellexisse per percontationem ab angelo, hæc esse cornua quæ Iudam & Israel dispersissent. Deinde rursus inquit, sibi à Deo ostensos fuisse totidem fabros, & rursus interrogasse, & audiuisse consequentia.

Hæc sunt cornua, quæ Iudam dispersерunt, & Israel confregerunt: & egressi sunt isti, vt exacuant ea in manibus suis. Quatuor cornua gentes sunt, quæ leuauerunt cornu super terram, vt dispergerent eam.

Itaque, inquit, inuisibiles potestates à Deo omnipotenti constitutas fuisse, vt has gentes inuicem concitarent, & exacuerent ad pœnas mutuas dandas & sumẽdas eorum, in quibus Israel offendissent. Hoc declarauit, cùm dixit: Exacuant ea in manibus suis. Cùm autem quatuor dicit, non gentium quarundam numerum explicat, sed quatuor orbis partes designat, Orientem, Occidentem, Meridiem, Septentrionem: quoniam hinc Assyrij & Babylonij, illinc Allophyli & Aegyptij, aliunde Idumæi, & Moabitæ, & Ammonitæ inuasissent. Quatuor igitur cornua appellauit ex quatuor partibus in eos profectos, his totidem præfecit inuisibiles potestates, vt eos inter se commoueant, vt inuicem pœnas repetant pro his, quæ admiserunt. Tum rursus in aliam visionem narrationem transfert, ac ait:

CAP.

CAP. II.

ET leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu eius funiculus geometræ: & dixi ad eum: Quò tu vadis? & dixit ad me: Vt dimetiar Hierusalem, & videam, quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo. Et ecce angelus qui loquebatur, in me stabat: & angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum, dicens: Curre & loquere adolescentulo illi, dicens: Frugifera habitabitur Hierusalem, à multitudine hominum, & iumentorum in medio eius.

Vide, inquit, ne vrbis circumscriptionem pusillam designes: sed cùm intellexeris à meo & tuo, & huius domino, quia permulta multitudo hominum, & iumentorum eam habitatura sit, dimetire, ac describe magnitudinem habitantium multitudini respondétem. Cæterum mea benignitate ei ero murus, qui transiri, & transcendi non possit. Hunc enim vocauit murum ignis. Nam quemadmodum pyra ingens transiliri nequit, sic non vinci potest, qui gratia Dei custoditur. Non modò ei omne robur suppeditabo, sed & illustrem, & admirandam reddam, vt eius gloria per omnem orbem terrarum peruagetur. Hæc vero omnia vidit propheta, & præfecti angeli curationem, & aliorum angelorum cursum, & vrbis dimensionem, partim vt confidenter bonas promissiones exciperet, partim vt populus his sermonibus exactam fidem haberet, audiendo non modò verba adhibita, sed etiam res præformatas, ac statim his demonstratis, prophetam iubet inclamare:

O, ò, fugite de terra Aquilonis, dicit dominus, quia de quatuor ventis cœli congregabo vos, dicit dominus: in Sion saluamini, qui habitatis filiam Babylonis.

Adeste animis, quoniam non modò vobis, qui iam reuertistis, hæ promissiones factę sunt, sed etiam adhuc voluntarijs Babylonem incolentibus, quibus cùm potestas redeundi data fuisset, distulistis in vestram patriam redire, quam in priorem felicitatem proximè restituam.

Hæc enim dicit Dominus omnipotens: post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos: quia qui tetigerit vos, quasi tangat pupillam oculi eius: ecce ego inferam manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui seruient eis: & cognoscetis, quia Dominus omnipotens misit me.

Tanto, inquit, opere Deus omnipotens res vestras procurat, vt quiuis cùm accedit ad perniciem vrbis moliendam, arbitretur se oculi pupillam contingere: non quòd corpus habeat, atque in membra diuisus sit, nam sine corpore existit, & non circúscriptus Deus omnipotens: sed quo affectu præditus sit, humanis modis ostendit. Hanc etiam perbeatus Dauid ab eo implorat curationem: Cu- *Psal. 16.*
stodi me Domine, vt pupillam oculi. Idcirco, inquit, omnes eos, qui vos depopulati fuerũt & prædati, in potestatem ditionemq́ue subditorum suorum redigam: atque hæc ab illis perpetientur mala, quibus vos affecerunt, ac ex his rebus veritatem diuinorum oraculorum accipietis. Hæc adumbrate, & typice illis euenerunt. Verum prophetiæ veritas nostris temporibus apertiorem exitum habuit, cùm dæmones nos depopulantes, & mentem nostram sibi vendicantes, omniaque nostri corporis membra in seruitutem suam redigentes, Dominus Christus dissoluisset, sub iugum eos subiecit sanctorum seruorum suorum: quod dilucidius per diuinum Esaiam explicauit, clamans: Quos timuistis, timebũt à vobis: angeli mittentur ad pacem petendam acerbe flentes, nam diśipabuntur horum vię. Sic dæmones vociferabantur: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos. Itemque, Adiuro te, ne me torqueas. Sic puella Phytonem spiritum habens in vrbe, appellata Philippis, vociferabatur: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant viam salutis. Sic etiam præ martyribus victoriam reportantibus vsque in hunc diem clamant, inuitique illorum victoriam prædicant, suamque infirmitatem indicant. Hos igitur, qui nos olim depopulati sunt, tanquam spolia quędam vexatis dedit ille, qui post gloriam missus est, vt veterem gloriam, quam deceptus perdidit princeps pater Adam, hanc natura nostra recuperaret, & cognoscamus benefactorem, & conseruatorem animarum nostrarum, & patrem qui eum misericordia motus misit, nec vero vt Deus missus est, sed vt homo. In quantum Deus est, ęqualis est patri: *Matth. 8.* *Marc. 5.* *Act. 16.* *Ioan. 19.*
Ego, inquit, in patre, & pater in me manens, ipse facit opera: & ego, & pater vnum sumus: *Ioan. 10.*
& qui videt me, videt & patrem. Mittitur autem vt homo, pro nobis procurationem suscipiens, non diuinam naturam extenuans. Nam cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Demonstrauit igitur nobis propheta, non solùm dignitatem personarum, sed etiam æqualitatem personarum. Hęc dicit Dominus omnipotẽs, post gloriam misit me. Et vt demonstret, quis ille, qui misit, infert: Et cognoscetis, quia Dominus omnipotens misit me. Ergo & qui misit, Dominus omnipotens est, & missus Dominus omnipotens, & nulla prestantia differunt. Missus est, vt dixi, conditione humana, non diuina, pro nobis curam suscipiens, & tuitionem: & missus secum habuit, qui miserat, patrem. Pater meus in me manens, ipse facit opera. Deinceps propheta infert, *Phil. 2.*

Lætare & gaude filia Sion: quia ecce veniam, & habitabo in medio tui, dicit Dominus: & confugient gentes multæ ad Dominum, & erunt ei in populum, & habitabunt in medio tui: & scies, quoniam Dominus omnipotens misit me ad te.

Hæc etiam perspicue in nos ex gentibus vocatos, & salutem adeptos conueniunt, quibus lætari, & gaudere iubetur, vt qui habuerimus nobiscum versantem omnium rerum Dominum. Est autem videre Hierusalem sensibilem habitatam à gentibus in Dominum credentibus. Hoc loco pariter etiam personarum duitatem & æqualitatẽ ostendit: Ecce veniam,

veniam, & habitabo in medio tui, dicit Dominus: & scies, quia Dominus omnipotens misit me ad te.

Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sancta, & eliget adhuc Hierusalem.

Ex Iuda serui formam accepit Dominus, & eam suam partem fecit: cuius rei testis diuinus Paulus exclamans: Manifestum est, quòd *Hebr. 7.*
ex tribu Iuda ortus sit Dominus. Ac ostendit, vt non modo Hierusalem, sed etiam vniuersum genus humanum ad salutem vocet, infert,

Timeat omnis caro à facie Domini, quoniam surrexit de nubibus sanctis suis.

Psal. 64.
Sic etiam Dauid ait: Ad te omnis caro veniet. Sic etiam Esaias: Et videbit omnis caro salutem à Deo nostro. Nubes autem sanctos prophetas recte vocat, nihil suum loquentes, sed tanquam ex mari quodam gratiæ spiritus pluuiam propheticam habentes. Ab his se surrecturum & apparituram dicit, quoniam vt per hos prædixit aduentum suum, & his, quę præsignificauit, imposuit finem, re ipsa & veritate prophetiam diuinam ostendit. Etsi hæc Iudæis ad tempus reuersionis accommodentur, vt quidam interpretati sunt, non valde repugno. Quòd vero prædictio verum & certũ post incarnationem conseruatoris nostri exitum habuerit, hinc intelligitur: nam ex eo tempore infinita gentium millia, priori errore abiecto, ad Deum omnipotentem perfugerunt, & populus euasit diuinus. Ex eo tempore pius cœtus ex gentibus congregatus, habitauit Hierusalem. Ex eo tempore omnis caro & priorem conseruatoris aduentum excepit, & secundum aduentum perhorruit. Sed tempus est, vt ad explanationem redeamus.

CAP. III.

ET ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem ante faciem angeli Domini: & diabolus stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad diabolum: increpet Dominus in te diabole: & increpet in te Dominus, qui elegit Hierusalem.

Hæc nostrorum typus sunt. Nam quemadmodum Iesum illum sacerdotem magnum, legationem pro populo obeuntem ad Deum, infestissimus & nequissimus diabolus acerrime oppugnabat: Sic Iesu magno sacerdoti secũdum ordinem Melchisedech à peccatis expianti mundum, is ipse hostis rursus repugnabat, supplantare volens. Sed tunc Iesus filius Iosedech nõ increpuit, sed Iesu filij Iosedech dominus. Cæterum cùm accesit ad Iesum conseruatorem orbis terræ, ab eo increpatur, *Marc. 8.*
nempe Deo, & Domino audit: Vade retro satana. Vt vero sic diabolo liberauit filium Iosedech Iesum, nempe Deus & Dominus adiunxit,

Nonne iste vt torris est erutus de igne? Et Iesus induitus erat vestibus sordidis, & stabat ante faciem angeli: & respondit, & ait ad stantes coram facie sua, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo.

Quoniam qui paulo antè à captiuitate redijssent, captiuitatis signa ferebant, paupertatem, inopiam summam: recte & merito eos torrem nominat: Torris est enim semiustulatum lignum ex igne arreptum. Deinde propheta narrat, vt vestibus sordidatis magnus sacerdos indutus esset: angelus vero populi tutor, alijs astantibus angelis præcepit, vt ex illis vestibus eum exuerent: ac docens vt quiddam aliud per vestes designatur, adiecit,

Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitates tuas.

Verisimile est eum vt hominem aliquid deliquisse. Ego tamen existimo eum nempe magnum sacerdotem sibi populi iniquitatẽ vindicasse, & attribuisse: & velut vnà cum ipsis peccasset, preces adhibuisse, & tanquam suorum veniam delictorum populi suscepisse. Vt vero hoc modo ex veste sordidata exutus fuit, & sermones voluptatis plenos excepit, induit stolam sacerdotij. At vero ille, qui hęc dixit & fecit, præcepit astantibus, vt eum induerent podere, & mitra, atque cidarim capiti imponerent. Et his perfectis, sanctus angelus contestatur eum, ac inquit,

Hæc dicit Dominus omnipotens: Si in vijs meis ambulaueris, & præcepta mea custodieris: & tu iudicabis domum meam: & si custodieris atrium meum, & dabo tibi, qui conuersentur in medio stantium istorum.

Sacra dignitate præditus sacerdotij leges obserua, & ex illis viue: serua quæcunque tibi interpretatus sum: hęc dum facies, in hoc honore viues: & ipse, & vsque ad posteros tuos, populum hunc administrantes, munus hoc permanare efficies. Hoc expressit, cùm dixit, Dabo tibi, qui conuersentur in medio stantium istorum.

Audi ergo Iesu sacerdos magne, & proximi tui qui sedent ante faciem tuam, quia viri τερατοσκόποι, id est, portentorum spectatores sunt.

Portentorum spectatores, non vt quidam suspicati sunt, augures, aruspices, & diuinatores: non enim his verbis ad eiusmodi homines vsus fuisset: neque ipse Iesus, cùm esset pius, istiusmodi collegium amplexatus fuit: sed notionem eis testificatur, & erga res diuinas studium: nam à prophetis edita monstra, & signa pij assidue speculabantur, & finem horum expectabant. Ad hos igitur, & Iesum cõsequentia dicit,

Quia ecce ego adducam seruum meum orientem: quia lapis, quem dedi ante faciem Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt.

Postquam sacerdotem probe ornauit, & vestem detraxit, sacerdotij vero stolam induit, & quid agendum esset, ostendit, ac plurimam perpetuitatẽ eius posteris promisit, modò leges diuinas obseruarent: transit ad genus regium, atq; Zorobabel nepotem Iechoniæ à Dauide genus suum ducentem, tam illustrem & præclarum promittit se redditurum, vt orientis splendidissimo lumini comparetur. Hunc ait dedisse lapidẽ ante faciem sacerdotis septem oculis ornatum: neque tamẽ oculi intelligendi sunt oculi, neq; septem numerus

numerus certum quendam numerum designat. Nam diuinæ gratię functionem, ac actionem oculos appellauit: septem vero oculos nominauit, eius magnitudinem & multitudinem ex his significans. Sic etiam Anna inquit, Sterilis peperit septem: non definitum numerum intelligens, sed multitudinem ostendens:
Psal. 78. Et perbeatus Dauid: Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: hoc est, pro multiplicibus malis, quibus nos læserunt, dent pœnas. Iam vero eum lapidem nominat, propter firmitatem & robur inexpugnabile: alioqui typus Domini Iesu Christi fuit, qui in plerisque locis diuinæ scripturæ lapis appellatus
Psal. 117. est. Tum diuinus Dauid: Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput
Esa. 28. anguli. Ex ore diuini Esaiæ Deus inquit: Ecce ego pono in Sion lapidem preciosum, electum, angularem preciosum in fundamenta eius, & omnis credens in eum non confundetur. Sic item admirabilis Daniel vidit lapi-
Daniel 2. dem de monte abscissum, sine manibus, & statuam comminuentem, & materias, factum montem magnum, & implentem vniuersam terram. His edoctus beatus Paulus, clamat:
1. Cor. 10. Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus. Itemque,
1. Cor. 3. Fundamentū aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hunc in se gestans lapidem Zorobabel (ex eo enim, secundū carnem, manauit orbis terrę conseruator) recte & hic lapis nuncupatur, omnibus gratijs perfulgens. Vt vero ita diuinitus datam Zorobabel gratiam patefecit, prędicit trophęum eius administrationis bellicæ.

Ecce ego fodiam foueam, dicit Dominus omnipotens, & contrectabo omnem iniquitatem terræ illius in die vno.

Hæc de Gog & Magog prædixit, quibus in die vno perniciem attulit, & omnes pariter ad occisionem deduxit, quem per translationem atque comparationem foueam appellauit. His vero gestis, omnes, inquit, sub Zorobabel militantes, quippe victores in reliquum tempus, in certa pace versantes, subter vites & ficus inter se ad epulas inuitantes, conuiuia inibunt, hostium bellum nihil metuentes. Cùm hæc propheta audiuisset, & in tot, & tantarum reuelationum visione positus, extra res humanas constitisset, in illis totam mentem defigens, cuidam similis fuit, qui veterno deprimitur, & somno arctiore constringitur. Idcirco sanctus angelus populo præfectus, qui eum per omnes visiones conduxit, reuersus est, & deinceps:

CAP. IIII.

ET reuersus est angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit, sicut suscitari solet homo de somno suo, & dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi: & ecce candelabrum aureum totum, & lampas super illud: & septem lucernas super illud: & septem infusoria lucernarum, quæ erant super illud: & ecce duæ oliuæ super illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris.

Hæc omnia aliarum rerum adumbrationes, & designationes sunt. Nunc enim candelabrum aureum in typum diuinæ prouidentiæ ostendit, quæ cœlestia & terrestria administrat. Iam vero septem lucernæ hebdomadis septem diebus æquales numero, assiduitatem & perpetuitatem diuinæ curationis demonstrāt. Septem vero infusoria lucernarum, immensam Dei misericordiam significant. Sic per lampadem, gratiam omnia illuminantem innuit. Duas vero oliuas vtrinque exortas, regnum & sacerdotium vocauit, diuina gratia ornata. Duos ramos vsque ad lucernas pertingentes, Iesum, & Zorobabel: illum ex sacerdotali, hunc ex regali tribu profectum. Cùm autem rationibus humanis vtens incredibile putaret paucos viros, & pauperes, & qui vix tandem illam longam captiuitatem effugissent, tot & tanta præclara facinora gerere posse, ostēsis promissionibus Deus confirmauit, docens, vt non eorum est virium, sed suę gratiæ tam præclara negocij confectio: atque hanc explicationem à domino didicimus, qui visionem illam ostendit. Cùm propheta percontaretur demonstrata, quarum rerum essent delineationes, diuinus angelus inquit,

Iste est sermo Domini ad Zorobabel, dicens: Non in fortitudine magna, neque in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus omnipotens.

Nec in præsentem tenuitatem, ò Zorobabel, inspiciens, prædictorum desperabis exitum: neque rursus cùm quippiam præclarum gesseris, tibi victoriam ascribes: mea enim benignitate adiutus, de gentibus trophęū illud excitabis. Deinde ad eos vertit sermonem:

Quis es tu mons magne ante faciem Zorobabel, vt corrigas?

Quoniam ipsum Zorobabel lapidem vocauit, rectè illas innumerabiles gentes montem appellat, quę diuini templi ędificationem impedire, & populi reliquias dissoluere conatæ fuissent. Sed tametsi cupieretis hæc perpetrare, nihil tamen potuistis efficere: nam inquit,

Educam lapidem hæreditatis, æqualitatem gratiæ gratiam eius.

Quod verò ait, tale quippiam est: Etsi millies cum summa rabie Zorobabel impedire conemini, vestras spes vanas ostendam: eum enim omni gratia compleui, & redundātibus bonis cumulaui, & firmum tanquam lapidē constitui: Vobis autem perniciem comparabo, vt id, quod abest viribus humanis, sarciatur & compensetur à superna benignitate. Nō ignoratis igitur, quòd manus Zorobabel fundauerunt domum, & manus eius absoluent: & ex his rebus intelligetis me sermonibus diuinis impulsum, hanc vobis prophetiam edidisse.

Quis enim despexit in diebus paruos?

Hoc non dissimile est Dei verbis, quæ habentur in Deuteronomio: Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo. Deut. 32.
Hoc etiam hic ostendit, quòd vt despexit Hierusalem

erusalem in multos dies & septuaginta annorum eam vastitatis condemnaui, sic mihi perfacile est eam in priorem felicitatem reuocare. Qui autem hæc videbunt,

Lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.

Periculo, inquit, cognoscent, vt nunc ab eis nihili æstimatus, & admodū contemptus, Deus ipse per Zorobabel præclaris rebus gestis victoriam referet. Hoc loco stanneum ob vilitatem apposuit, quia cùm diuinum templum deflagrasset, & populus in seruitutem adductus fuisset, atque vrbs vastata fuisset, omnes arbitrabantur non propter populi iniquitatem, sed propter Dei ab eo obseruati infirmitatem, hæc omnia accidisse. Lapidem stanneum ad illorum opinationem appellauit diuinum auxilium: docens id, quod à perfidis vile quoddam æstimatum, & infirmum est, per vnum virum Zorobabel suam vim ostensurum esse: vnde statim induxit,

Septem isti oculi Domini sunt, qui respiciunt super omnem terram.

Omnium rerum prouidens, & administrator, qui omnia intuetur, omnia audit, pro Zorobabele propugnat. His sic excussis, propheta ex angelo percontatur de oliuis, ex vtraq; parte candelabri virescentibus: rogat item de duobus ramis vsque ad lucernas pertinentibus, atque cognoscit, vt duo filij pinguitudinis assistunt domino vniuersę terræ, per quos designat Iesum pontificē, & Zorobabel administratorem belli: alterum à genere regio, alterum ex sacerdotali profectum. Vbi vero his visionibus varijs sermones de regno & sacerdotio confirmauit, & diuini templi ædificationis prædixit absolutionem, & perfectionem, pœnarum minatione perterret auditores, à vitijs eos reuocans ad virtutem: atque etiā pro-
CAP. V. phetæ falcem ostendit maximam, per aerem volantem, latam decem, longam viginti cubitos. Vnde edocetur, hanc maledictionem esse, egredientem super faciem omnis terræ.

Quia omnis fur ex hoc vsque ad mortem punietur: & educam illud, dicit Dominus omnipotens, & ingredietur in domum furis, & domum iurantis in nomine meo mendaciter: & requiescet in medio domus eius, & consumet eum, & ligna eius, & lapides eius.

Maledictionem, punitionem appellauit, in omnem orbem terrarum peruadentem, quæ omnibus iniquitatem in se admittentibus infertur. Ex his edoctus est propheta, & populus, quemadmodum omnium hominum Deus omnipotens iudex sit, & ab omnibus meritas pœnas exacturus sit, perniciem non modo aduersum se impijs, sed etiam proximo iniuriam facientibus, inferens. Et nimirum ne quis putet contra solos fures, & periuros hanc minationem intentatam fuisse, cōtra omnem iniquitatem sententiam tulit: quia vniuersa lex, & prophetæ ex hoc sermone pendent, videlicet, Diliges dominum deum tuū ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Per furtum, & periurium omnem speciem peccati cōplexus est. Iurisiurandi violatio impietatis caput est, quia omni dilectione vacua sit eiusmodi violatio. Furtum vero iniustitiam contra proximum profitetur: nemo enim diligens proximum, iniuriam ei inferet. Itaque hæc capita alias leges complectuntur, & recte & meritò horum præuaricatoribus pœnas illas minatus est.

Et egressus est angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Suscipe oculis tuis, & vide quid sit, quod egreditur. Et dixi: Quid est? Et ait: Hæc est mensura, quæ egreditur: & ait, hæc est iniquitas eorum in omni terra.

Ex his intelligitur, vt omnia mēsura & pondere administret Deus omnipotens. Sic etiam Abrahæ peregrinum fore eius semen prædixit, & causam affert: Nondum, inquit, complętæ sunt iniquitates Amorręorum vsq; ad præsens tempus. Nondum digna, inquit, extrema pernicie peccauerunt: quare eos ad cædem nunc tradi non permittā, sed iniquitatis pondus & mensuram expectabo. Sic cùm hominibus, qui fuerunt tempore Noe, centum & viginti annis vitam definiuisset, non diem constitutam expectauit, vt vidit peccata crescere & redundare: sed præuertens, definitum diem abrupit, & cētesimo anno in omnes aquarum eluuionem intulit. Gen. 15. Gen. 6.

Et ecce talentum plumbi eleuatum est: & ecce mulier vna sedebat in medio mensuræ, & dixit: Hæc est iniquitas, & proiecit eam in medio mensuræ, & proiecit lapidem plumbeum in os eius.

Virtutem margaritis diuinus sermo compărat: Simile est regnum cœlorum homini quę- Matth. 13.
rēti bonas margaritas. Peccatia autem pœnam sacra scriptura plumbum appellat, quod natura graue est: peccati vero pōdus grauissimum: id quod nos docet diuinus Dauid: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Quin etiam diuinus Zacharias videt peccatum speciem mulieris referens, nam ex voluptate plura peccata nascuntur: videt punitionē, tanquam plumbum grauissimū ad os iniquitatis incumbentem, iuxta psalmodiam dicentem: Omnis Psal. 106.
iniquitas opilabit os suum. Peccati fructus est probrum. Sic etiā Paulus: Liberati à peccato, Rom. 6.
serui facti estis iustitiæ, quem ergo fructū habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Itaq; propheta edoctus fuit, vt populi peccatum remisit Deus, & pœnas finiuit. Psal. 37.

Et eleuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earū, sicut alæ sunt vpupæ.

Vpupa maxima velocitate auis non corpulenta est, quin gracilis, alas corpore maiores habet. Itaque, inquit, hæ mulieres, vbi mensuram accepissent, per medium aerem ferebantur: tum ipse ex angelo percontatus, quonam gentium mensuram eæ ferrent, inteliexi eas in Babylonem proficisci, non modo vt eam portæ imponerent, sed & ei domū ædificarēt, & eam illic ponerent ad vsus eius. Neq; enim quemadmodum Hierusalem certum tempus definiui in vastitatem, deinde ei ignoui, sic Babylonis miserebor, sed perpetuæ pœnas mul-

CAP. VI. tæ impietatis dabit. Vbi vero ſic hanc viſionẽ abſoluit, alius viſionis narrationem inducit, ac ait, ſe vidiſſe quatuor quadrigas, egredientes è duobus montibus æneis: quadrigæ primæ equos rufos adiunctos fuiſſe, ſecundæ nigros, tertiæ albos, quartæ varios, & ſpadices. Poſtea percontatum fuiſſe, & ab angelo cognouiſſe, has eſſe quatuor ventos cœli, qui egrediuntur, vt aſsiſtãt Domino omnis terræ. Quatuor vẽtos appellat quatuor partes orbis terræ: ſiquidem quidam opinantur his numero totidem ventos eſſe: vnde propheta cognoſcit, vt Deus omnipotẽs poteſtatibus inuiſibilibus vtens miniſtris, & bona largitur, & acerba hominibus affert, quemadmodum etiã ait

Pſal. 33. Dauid: Immittet angelus Domini in circuitu timentibus eum, & eripiet eos. De vltione in

Pſal. 77. alio pſalmo inquit: Emiſit in eos irã indignationis ſuæ. Indignationẽ & iram, & tribulationem, immiſsionẽ per angelos malos. Sic etiam diuinus Zacharias equos nigros videt ad Aquilonẽ proficiſcentes, ex quibus ſignat Babylonis pernicié, & albi egrediebantur à tergo iſtorum, non vt illis bona largirentur, ſed vt illis plexis, reliquias captiuorũ Hebræorum in Iudæã reducerent. Rufi egrediebantur in terram Auſtri, minantes mala inſurgentibus contra Hieroſolymitanos. Per colorẽ rufum, indignationem ſermo deſignauit. Itemque,

Varij & egrediebantur, & quærebant, & conſiderabant circuire terram: & dixit: Ite, & circuite terram, & circuerunt terram.

Terram hic ibidem vocat non terram Iſrael, ſed omnem orbem terræ. Maculoſos & ſpadices eos dicit, quaſi omnia procurantes & punientes, & benefacientes vbi oportet.

Et clamauit, & locutus eſt ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur ſuper terram Aquilonis, requieſcere fecerunt furorem meum in terra Aquilonis.

Supplicia de Babylonijs accepi, quæ iã pridem meruerunt, meq; autem longa patientia non perſoluerant. Poſt has viſiones propheta iubetur dona apportata à captiuis accipere, ſed non promiſcue ab omnibus, ſed à principibus, ijſdemque vtilibus eius, & qui cognouerint eam, qui, inquit, malorum ſenſum acceperunt, & captiuitatis cauſam nouerunt, eiuſque nouerunt vtilitatem, afferant dona. Deinde mentionem facit nominum, Holdai, Tobiæ, Idei. Iubetur etiam ingredi in domũ Ioſiæ filij Sophoniæ nunc venientis de Babylone, & accipere argentum & aurum, & ex his coronas conficere, & magno ſacerdoti Ieſu ad caput accommodare, & ad eum diuinos ſermones perferre, ac dicere,

Ecce vir oriens nomen eius, & ſubter eum orietur, & ædificabit domum domini, & ipſe accipiet virtutem, & ſedebit, & imperabit ſuper throno ſuo, & erit ſacerdos à dextris eius: & conſilium pacis erit inter duos, corona autem, expectãtibus, & vtilibus eius, & qui cognouerunt eam.

Omnia hęc de Zorobabel prędicit: nõ quia non natus eſſet, ſed quòd nondum imperium accepiſſet. Orientem eum nominat, quoniam lucis inſtar id temporis hominibus Hieruſalem incolentibus, acerbis malis conſtrictis, & caligine circunfuſis, exortus fuit. Hunc dicit diuinam domum abſoluturum, & in Babylonico ſolio aſſeſſurum, atque magnum ſacerdotem omni honore cumulaturum, tantaque coniunctione cum eo conſenſurum eſſe, vt nihil vnquam facturus ſit, niſi ex illius ſententia. Non modo autem his hæc pollicitus eſt, ſed etiam coronas immarceſcibiles expectantibus, quos vtiles, & qui cognouerunt eam vocat. Coronæ materiam ſuppeditauit Ioſias filius Sophoniæ, qui inde gloriam aſſequetur. Hoc explicauit, cùm dixit, in gratiam filij Sophoniæ. Poſtea de locis diuinis loquitur:

Et in pſalmum in domo domini: & qui longe ſunt ab eis venient, & ædificabunt in domo domini: & ſcietis quia dominus omnipotens miſit me ad vos.

Non modo vos præſentes hæc facietis, verumetiam procul à vobis habitantes vndique concurrent, & communiter vobiſcum hos pulchros labores ſuſcipient.

Et erit, ſi auditu audieritis vocem domini Dei veſtri.

Hæc, inquit, erunt, & ad accommodatum finem peruenient, ſi vos diuinis ſermonibus auſcultaueritis.

CAP. VII.

ET factum eſt in quarto anno ſub Dario rege, factus eſt ſermo domini ad Zachariam quarta die menſis noni, qui eſt Chaſleu: & miſit in Bethel Saraſar, et Arceſeer rex, & viri eius, vt deprecaretur dominũ, dicens ad ſacerdotes domus domini omnipotentis, & ad prophetas: Ingreſſa eſt huc in menſe quinto ſanctificatio: num ieiunabo ſicut feci iam multis annis?

Chaſleu, quem nos Apelleum nominamus: iam verò hõs Cuthenorum à Sarmanaſar in Samariam tranſlatorum, & aliarum gentium, quas Samaritas poſteri appellauerunt, duces quidam eſſe dixerunt: verum ſiue iſtorum, ſiue aliarum gentium, nihil aperte nos docuit diuina ſcriptura, quòd externi dominarentur externis: ſed tamen vicini accolæ magnam vtilitatem à prophetis, & ab alijs pijs ceperunt. Vnde factum fuit, vt miſerint ſacrificia Deo, & exoptauerint intelligere à ſacerdotibus & prophetis, an conuenienter diuina domus ornata eſſet, an oporteret per ieiunia rurſus Deum placare, quod plurimum ſemper facimus. Hæc illis percontantibus, Deus omnipotens ad populum ſermonem inſtituit. Per eum autem, etiam illos quid agendum ſit, docet, dicens:

Dic ad omnem populum terræ, & ad ſacerdotes, dicens: Si ieiunatis, & plangitis in quintis, & ſeptimis: & ecce ſeptuaginta anni: nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi? & ſi comeditis aut bibitis, nõne vos comeditis, & bibitis?

Nolite, inquit, exiſtimare me ex ieiunio veſtro commodum aliquod capere: nam etiamſi millies luctibus & lamentis vos affligentes, hoc ieiunium in quintis & ſeptimis conficiatis, nullam inde vtilitatem percipiam. Quòd ita res ſe habeat, teſtimonio eſt tempus captiuitatis:

uitatis: Septuaginta enim annis ex iciunio nullum mihi cultum, & obſeruantiã adhibuiſtis. Itaque quemadmodum cum bibitis, & editis, hinc voluptatem capitis: ſic etiam ex ieiunio vtilitatem percipitis. Et ne hanc nouam præceptionem arbitremini, iam olim per prophetas maioribus, & patribus veſtris frequentiſſime dixi:

Nunquid non iſta ſunt verba mea, quæ locutus eſt dominus in manibus prophetarum, qui fuerunt prius? Quando Hieruſalem habitabatur, & erat abundans, & ciuitates eius per circuitum, & montana, & campeſtria habitabantur.

Vbi vero ita vetuſtatem declarationis prophetarum oſtendit, docet ſingillatim, quæ ad ſuum cultum pertinent.

Iudicium iuſtum iudicate, & miſericordiam, & miſerationem faciat vnuſquiſque ad fratrem ſuum: & viduam, & pupillum et pauperem non opprimatis, & malitiæ vnuſquiſque fratris ſui nolite meminiſſe in cordibus veſtris.

Veſtris, inquit, patribus dixi, in iudicando æquam, & iuſtam ſententiam ferrent: proximi miſericordia commouerentur: ſuſtinẽtes graue viduitatis pondus, & parentibus orbatos ne potentia opprimerent: ne ex infirmitate pauperum opportunitates rei augendę ducerent: præterea iniuriarum memoriam delerent, & ne vlciſcerentur laceſſentes iniuria. Equidem hęc ego dixi: illi vero nihil audire voluerunt: ſed, inquit,

Dederunt dorſum ſuum contemnens.

Ad plagas, quas accipiunt induruerũt. Dorſum enim contemnens doloris vacuitatem, & inueteratũ morbum, & robuſtum vocauit, ex metaphora ſeruorũ flagris verberatorum, qui ex hoc nihil meliores efficiuntur.

Et aures ſuas aggrauauerunt, vt audirent: & cor ſuum poſuerunt inobediens, vt non audirent legẽ meam: & verba mea, quæ miſit dominus omnipotens in ſpiritu ſuo, in manibus prophetarum priorum. Et facta eſt ira magna à domino omnipotente: & erit, ſicut dixit, & non audierunt eum: ſic clamabunt, & non exaudiam eos, dicit dominus omnipotens.

Tempus mutat, nam iam facta quaſi futura dicit: clamabunt, pro clamauerunt: &, non exaudiam, pro non exaudiui, poſuit.

Et eijciam eos in omnes gentes, quas ignorauerunt: & terra deſolabitur poſt eos à præambulante, & reuertente.

Eijciam, pro eieci: deſolabitur, hoc eſt, deſolata eſt: id quod conſequentia oſtendunt: mutauit enim figuram, ac dixit,

Et poſuerunt terram electam in ſolitudinem.

Hæc de inobedientia, & pœnis eorum patrum explicauit: nec enim æquum fuiſſet his, qui acerbam ſeruitutem ſuſtinuiſſent, & paulo antè hac liberati fuiſſent, quique nondum vrbem exædificaſſent, eiuſmodi rurſus duraminari.

CAP. VIII.

ET factus eſt ſermo Domini omnipotentis ad me, dicens: Hæc dicit Dominus omnipotẽs: Zelatus ſum Hieruſalem, & Sion zelo magno, & furore maximo zelatus ſum eam.

Hoc eam ſupplicio affeci, pœnas impietatis in me admiſſæ repetens. Zelum appellat iuſtã iram. Cùm enim eius vir eſſet, & vxorem eam nominaſſet, iure nomen zeli verbis addidit: nam ita ſe ipſum appellauit, cùm eam incepit, dicens: Ego ſum dominus Deus tuus, Deus zelotes, ignis conſumens. Cui, poſtquàm ei iræ cauſas attulit, in poſterum pollicetur bona.

Hæc dicit dominus omnipotens, Reuertar ad Sion, & habitabo in medio Hieruſalẽ, & vocabitur Hieruſalem ciuitas vera, & mons domini omnipotentis, mõs ſanctus.

Hæc typice poſt Zorobabel ædificationem acciderunt: Poſt vero conſeruatoris noſtri incarnationem, veritatem prophetiæ omnes videre potuerunt. Item promittit ſe vrbi multitudinem incolarum præbiturum, eosque ad affectam, & exactam ſenectutem perducturum, vt bacillis nixi, in plateis incedant, & in ſolitis cœtibus aſsideant: atque etiam pollicetur pueris & puellis plateas redundaturas eſſe, quod in vrbibus bene habitatis & frequentibus fieri ſolet. Hoc enim explanauit, cùm dixit:

Adhuc ſedebunt ſenes, & anus in plateis Hieruſalem, vnuſquiſque in manu virgam ſuam retinens præ multitudine dierum: & platea ciuitatis replebuntur pueris, & puellis, ludentibus in plateis eius.

Deinde fidem facit verborum ſuorum, ſuam poteſtatem dans obſidem:

Hæc dicit dominus omnipotens: Si impoſſibile erit coram reliquijs populi huius in diebus illis, nunquid & coram me impoſſibile erit?

Vos, inquit, ad veſtram paucitatẽ & inopiam reſpiciẽtes, in horum bonorum ſpem non inducimini. Atqui cùm non ignoretis poteſtatem promittentis, ſine dubitatione (vt par eſt) ea quæ dicuntur, excipite, & credite me omni tuitione populum meum procuraturum: & vndique coactum in paternam terram reducturum, & in vrbe Hieruſalem apertè appariturum. Hoc enim oſtendit, cùm dixit:

Habitabo in medio Hieruſalẽ, & ipſe meus exiſtet populus, & ego eius Deus nominabor in veritate, & iuſtitia: hæc dicit dominus omnipotens: Confortentur manus veſtræ, qui auditis in diebus his ſermones iſtos per os prophetarum, in die quo fundata eſt domus Domini ompotentis, vt templum ædificaretur.

Cùm meis promiſsis vos conſoler, magna fiducia diuinam domum exædificate, vt in ea legitimam religionem obeatis, & per eam diuinitus dona data recipiatis.

Quia ante dies illos merces hominum non erit in lucrum, & merces iumentorum non ſubſiſtet, & egredienti, & ingredienti non erit pax præ tribulatione.

Cùm ædificatio tẽpli negligeretur, inquit, hominum labor infructuoſus erat, & iumentorum merces inanis & inutilis: omnes autem homines, ſiue peregre, ſiue domi eſſent, aſsiduè metu commouebantur.

Et emittam omnes homines, vnumquemq; ad proximum ſuum.

Propter rerum diuinarum negligentiam, concitaui turbas inter vos, & seditiones exoriri feci. Iam vero cùm video vestrũ studium erga ędificationem, ante omnes alias nationes dabo vobis pacis donum: atque etiam efficiam, vt pluuijs exalto submini ſtratis, prolixè terræ frugibus fruamini.

Et erit, ſicut eratis in maledictione inter gẽtes domus Iuda, & domus Iſrael, ſic ſaluabo vos: & eritis in benedictione. Confidite & confortamini in manibus veſtris, quia hæc dicit Dominus omnipotẽs: Sicut cogitaui, vt affligerem vos in eo, quòd me ad iracundiã prouocaſſent patres veſtri, dicit Dominus omnipotens, & non me pœnituit: ſic paratus ſum, & cogitaui in diebus iſtis, vt benefaciam Hieruſalem, & domui Iuda.

Quemadmodum, inquit, pœnarum metum oſtendi, & vltionis minas intentaui: Sic bonis diſpenſationibus finem imponam. Vt vero in hunc modum eis animum addidit, rurſus ad virtutem adhortatur, & quæ agenda ſint, explicat.

Iſti ſermones ſunt, quos facietis: Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: veritatem, & iudicium pacificum: & iuſtum iudicate in portis veſtris: & vnuſquiſque malum proximo ſuo nõ cogitet in cordibus veſtris: & iuramentum mẽdax ne diligatis, quia hæc omnia odi, dicit Dominus omnipotens.

Quoniam ſuprà dixit, ſe nullam vtilitatem ex ieiunio percipere, propter eos, qui arbitrantur, hoc ſolo Deum coli, ac obſeruari. Atque vbi omnem virtutis ſpeciem oſtendit, ſimul cum eis etiam ieiunium conſtituit:

Ieiunium quartum, & ieiunium quintum, & ieiunium ſeptimum, & ieiunium decimum erunt domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in feſtiuitates bonas: & lætamini, & veritatem & pacem diligite.

Non obſcurum eſt quartum, & quintum, & ſeptimum, non hebdomadis, ſed menſis intelligi, quoniam decimum adiunxit: Ieiunantes, inquit, ne moleſtia afficiamini ex inedia & fame, ſed propter vtilitatem ex moleſtia naſcentem lætamini: veritati & paci adhęreſcite. Eſt autem animaduertendum, alios interpretes, Aquilam dico, & Theodotionem, & Symmachum non poſuiſſe quartum, & quintum, & ſeptimum, & decimum ieiunare, ſed ieiunium concorditer dixiſſe quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi, vt nulli dubium eſſet, quin quarto, quinto, ſeptimo, & decimo menſe ieiunare præcepiſſet.

Hæc dicit Dominus omnipotens: Adhuc venient populi multi, & habitatores vrbium multarum: & congregabuntur qui habitant ciuitates in vna ciuitate, dicentes: Eamus vt deprecemur faciẽ Domini, & quæramus vultum Domini.

Adeò nobilis, & illuſtris erit Hieruſalem, vt aliarum vrbium incolæ ſe inuicem adhortentur, & exacuant ad pietatem, vt relictis, quę habentur in manibus, in hanc vrbem conueniant, & Dei clementiam exquirant, & quiſque dicat: Ego etiam ibo, & ſimul vobiſcum proficiſcar. Idque facient, non modo ex Hieruſalem genus trahentes, ſed etiam exteræ nationes, exoptantes diuinum auxilium aſſequi. Et hæc quidem adumbrate facta ſunt, poſt ędificationem ſub Zorobabel factam. Poſt vero Dei, & cõſeruatoris noſtri incarnationem, cernere eſt mari terraque id fieri. His etiam conſequentia congruunt:

Hæc dicit Dominus omnipotens: In diebus illis, ſi apprehenderint decem viri de omnibus linguis gentium, & tenuerint fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus tecum, quia audiuimus quòd Deus vobiſcum eſt.

Sic ſacros Apoſtolos ex Iudæis genus ſuum ducentes, ſummo ſtudio requirebant, qui ex gentibus erant vocati, credentes per eos ſe ſalutem aſſequuturos eſſe. Sic Philippenſes diuinum Paulum deſiderabant: ſic Theſſalonicenſes, ſic Corinthij, ſic omnes gẽtes, ſic perbeatus Oneſiphorus in vrbem accurrit, vt ei in rebus neceſſarijs ſeruiret: ſic beatus Titus, ſic Trophimus vſque ad extrema pericula eum ſunt perſecuti. Sed tametſi, cùm Iudæi ex Babylone reuertiſſent, quidam ex gẽtibus admirati fuerunt liberationem inuſitatam, & admirabilem, & Deum eorum eſſe verum Deum crediderunt, & quoſdam ex Iudæis conſecuti fuerunt, ab eis cognoſcere veritatem exoptantes, non aduerſantur noſtris dictis: quin etiam veritatem atteſtantur. Nam noſtrorum typus ſunt vetera. Similitudine autem conuenit imaginem habere cum exemplari. Itaque ſi apud Iudęos verus hic ſermo exiſtit, verus etiam noſter, nã horum illa vmbra ſunt. Sed ad ea, quę deinceps reſtant explanãda, redeamus.

CAP. IX.

ASSVMPTIO verbi Domini in terra Hadrach & Damaſcus ſacrificium eius.

Aquila interpretatus eſt ἐν Δαμασκῷ ἀναπαυσις αὐτῆς, Damaſci requies eius:

Quia Dominus reſpicit homines: & omnes tribus Iſrael Emath in finibus eius.

Vel ſecundum alios interpretes in Emath finitima ei prędicit has vrbes quondam impie viuentes Hadrach, & Damaſcum, & Emath, ex priori errore expiatas ſacra Deo facturas eſſe. Omnes enim reſpiciens homines, non ſolas tribus procurabit. Hadrach autem vrbs eſt Arabiæ. Emath nunc Epiphaniam appellatam ſacra ſcriptura vocat magnam Emiſam. Hæ igitur diuinæ notionis lumine illuſtratæ, honeſta & laudabilia perſequentur.

Tyrus & Sidon, quoniam ſapientes fuerunt nimis, & ędificauit Tyrus munitionem ſuam, & congregauit argentum, vt humum: & aurum, vt lutũ viarum: propterea Dominus poſſidebit eos, & percutiet in mariſolitudinem eius, & ipſa in igne conſumetur. Videbit Aſcalon, & timebit: & Gaza, & dolebit nimis: & Accaron, quoniam confuſa eſt propter aberrationem animi ſui: & peribit rex de Gaza, & Aſcalon non habitabitur.

Tyrus, inquit, & Sydon diuitijs ſeſe efferentes, & communitis muris confidentes, omni genere calamitatum afficientur. Partim enim eorum res maris eluuione, & redũdantia ſubmergentur, partim igni conſumentur, Deo hanc omnipotente contra eos ſententiam ferente.

rente. Quòd vero ait: Dominus poſſidebit eos: hunc intellectum habet: Poſtquam ſeipſos à diuina procuratione abſtraxerũt, diuinę potentię periculum facient. Aſcalon autẽ & Gaza hæc videntes, in ſummo timore erunt, & cũ Accaron perpetuo luctu ſe affligent, quoniam confuſa eſt Tyrus ob aberrationem animi ſui, atq; etiam Gazæ regnum delebo, & Aſcalonem ciuibus vacuam conſtituam, ac vt alienigenæ eam, & Azotũ incolant, efficiam. Quòd autem ait, Aſcalon non habitabitur, de hominibus illius tẽporis loquitur, quos in necem, & ſeruitutem tradidit: quare adiunxit,

Et habitabunt alienigenæ in Azoto, & deſtruam iniuriam alienigenarum, & auferam ſanguinem eorum de ore illorum, & abominationes eorum de medio dentium illorum.

Correctio à Deo adhibita beneficij mater eſt, hac enim alienigenæ, inquit, & priſtinam iniquitatem, & impietatem relinquũt, & Dei notionem recipiunt. Hoc ſtatim explicauit, cùm addidit:

Et remanebunt & iſti Deo noſtro, & erunt vt tribunus in Iuda: & Accaron ſicut Iebuſæus.

A religione ſua, deteſtantes idolorum ſacrificia, quibus prius conferti erant, ſub poteſtatem procurationis diuinæ ſeſe ſubijciẽt, & prouidentiæ Dei ſe curandos tradent: & ad Iudam aſcripti, ſimiliter atque quidam tribuni plebis præcellentiſimi erunt, & cum incolis Hieruſalem honore adæquabuntur. Hos enim Iebuſæos appellauit, nam hęc olim Iebus vocabatur.

Et ponam in domo mea eleuationem, vt nemo pertranſeat, neque reuertatur: & nequaquam ſuperueniat eis vltra abactor, quia nunc vidi in oculis meis.

Domum meam illuſtrem præſtabo, & templum meum potentia ſic complebo, vt hoſtes bellum inferre aggredientes non reuertãtur, nec ad ſuos perueniant, hic ibidẽ pœnas dantes, domi manere timeant, & contra populum bellum ſuſcipere non audeant, quoniam eos ſic in præſens curare conſtitui. Hęc tametſi ad finem peruenerunt ſub Macchabæis, Iuda & Ionatha, & Simone bellum adminiſtrantibus: nam poſt victoriam conſtitutam exterarũ nationum, vrbes in ſuam poteſtatem redegerũt, & in locum illorum Iudęos colonos deduxerunt, atq; etiam ex illis ipſis multos piã religionem doceri accurauerunt: veruntamen exactus prophetiæ exitus poſt conſeruatoris noſtri aduentum patefactus fuit: nam nunc idolorum erroribus renunciantes, & Aſcalonitæ, & Accaronitæ, & Allophyli, diuinæ notionis lumen ad ſeſe admiſerunt: & qui ex eis inſtituti ſunt ad eos paſcendos, quaſi quidam tribuni plebis & imperatores belli ſplendeſcunt, & præcellunt. Quãobrem Spiritus ſanctus vbi illa prædixit, horum bonorum cauſam affert, & exclamat per prophetam:

Gaude vehemẽter filia Sion, prædica filia Hieruſalem: ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluans: ipſe manſuetus, & aſcendens ſuper ſubiugalem, & pullum nouum.

Horum explanatio ex ipſis rebus patet. Etenim rex, quem prophetæ prædixerant, venit: & ſua iuſtitia peccatum deleuit: & manſuetudine diaboli ſuperbiam fregit: & qui pullo aſinę inſedit, reges habet adoratores, qui vehiculis auro & lapidibus precioſis ornatis geſtantur. De hoc pullo beatus etiam Iacob prædicit, dicens: Alligans ad vineam pullum ſuum. Gen. 49.

Et diſperdet quadrigas ex Ephraim, & equum de Hieruſalem: & diſperdet arcus pugnantium, & multitudinem & ex gentibus.

Hac, inquit, moderatione vſus omnium rex optimus maximus, perdidit quadrigas ex Ephraim, & equum ex Hieruſalem, cùm eorum audaciam fregit, & regnum inſanum deleuit, & vero arcum pugnantium, & multitudinem perdidit: atque per Romanorum pacem gentes gubernans, facultatem veritatis enunciandæ præconibus gratificatus eſt. Nã poſtquam omnia ſub vnum imperium ſubiecta fuerunt, atque bella inter ſe gentes gerere deſierunt, & pax toto orbe terrarum conſtituta fuit, intrepide Apoſtoli, quibus declarandæ veritatis negocium datum fuerat, orbem terræ percurrerunt: & peragratione orbis homines ad vitam venati ſunt. Omnium vero maxime admirabile eſt, qui non habebat, vbi reclinaret caput, quique pullo inſedit, totius terræ maris imperium tenuit. Hoc etiam ſermo propheticus prædixit:

Et dominabitur ab aquis, vſque ad mare: & à fluminibus, vſque ad exitus terræ.

Ego vero Iudæorum ſtuporem admiror, qui hoc loco impudentiſsime hanc prophetiam ad Zorobabel accõmodare attentẽt: cùm Zorobabel vel Iudæorum confeſſione non totam Paleſtinam tenuerit, ſed ſolam Iudęam. Prophetia autem prædixit, pullo inſidente toti orbi imperaturum. Præterea Chriſtum pullo vſum fuiſſe nouimus. Zorobabel vero pullo inſediſſe nemo adhuc ex his, qui diuinas ſcripturas tractarunt, dixit. Cæterum Dominus Chriſtus iuxta prophetiam pullo vſus eſt, imperium orbis terrę tenuit, & Deus verus eſſe creditur & prædicatur. Simul deleuit regnum Ephraim, & Iſrael. Itaque de eo hæc propheta prędixit, & prophetia ſinè dubitatione ad finem peruenit: atque ea, quæ conſequuntur, cum his conueniunt:

Et tu in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu, qui non habet aquam.

Quos, inquit, tuo precioſo ſanguine redemiſti, & liberaſti, hos cum ſalutaribus teſtamenti tui tabulis emiſiſti, vt omnibus hominibus libertatem teſtarentur, ac declararent. Liberaſti eos à lacu nõ habente aquam. Hunc autem lacum, ſiue de morte æterna, ſiue de errore idolorum velit quis intelligere, nõ à veritate aberrabit. Sic etiam per Hieremiam ait Deus: Duo mala fecit populus meus: me dereliquunt, fontem aquæ viuæ: & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Sic autem vanum & laborioſum idolorum cultum prædixit. Nam miſere deſudantes, & elaborantes in idolis colendis, nullos ex Hier. 2.

his fructus ceperunt: sed potius veram vitam incõmodis magnis affecerũt. Cùm in hoc lacu vincti essent homines, Dominus Christus soluit & abstraxit, & precioso sanguine eis libertate donauit, & ad viã vitę emisit, cùm nouum testamentũ eis dedit. Ad hæc rursus ait,

Sedebitis in munitione vincti congregationis: & pro vna die peregrinationis tuæ duplicia reddam tibi.

Pro illis acerbis vinculis, te circumligaui aljs vinculis meæ dilectionis suauissimis, atque illud te admonui, vt mihi assideres, & leges meas edisceres, & robore curationis diuinæ custodireris: & pro priori captiuitate, libertate simul & vita fruereris. Pro his, inquit, rebus duplicia reddam tibi.

Quoniam tetendi te Iuda mihi quasi arcũ: impleui Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios Græcorum: & attrectabo te quasi gladium pugnatoris.

Iudam, & Ephraim appellat ex his trahentes genus, quos in filios Grẹcorum ad bellum comparauit. Atque eis arma dedit Deus, non carnalia, sed diuina, ad demoliendas munitiones, vt eis humanas rationes conuincerent, atque omnem intellectum in captiuitatẹ abducerent, ad obediendum Christo: hos dixit vt arcum se tetẽdisse, & vt gladium pugnatoris attrectasse, & machinatum fuisse: per hos philosophorũ artes vanas dissoluit: per hos in orbem terrarum introduxit pietatem: de his
Psal. 44. propheticus sermo sic ait: Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis. Hęc enim sub Macedonibus in typo prophetia ad finem peruenit. Nam cùm filij Sion impetiuissent Græcos, multa Macedonum milia in fugam dederunt, atque trophæo excitato ac constituto, victores redierunt, & altare dissolutum excitauerunt. Hæc autem Deo pro eis propugnante, & auxilia suppeditãte, inexpugnabilia ediderunt facinora. Hoc enim etiam propheta ait:

Et Dominus Deus super ipsos apparebit, & egredietur sicut fulgur sagitta eius, & Dominus omnipotẽs sonabit in tuba, & ibit in cõmotione terroris sui: Dominus omnipotens proteget eos, & obruent in lapidibus fundæ, & bibent sanguinem eorum vt vinum.

Ei auxiliari volens tonitrubus & fulguribus hostes perterrebit, & nebulis quasi quibusdam fundis vtens, grandinibus eos conficiet, & his eos obruet. Et bibẽt, inquit, sanguinem eorum vt aquam: hoc est, plurimam voluptatem ex victoria percipient. Non enim sanguinis humani potionem intelligit, nã quomodo id diceret, qui etiam bestiarum sanguinem hominibus, qui fuerũt ante legem, & in lege, interdixit, ne ederent?

Et implebunt sicut phialas altare.

Hoc est, altare implebunt victimis ex preda comparatis.

Et saluabit eos Dominus in die illa, sicut oues populum suũ, quia lapides sancti voluentur super terram.

Propter sanctos, Deus reliquos seruabit, & veluti oues suas ab impetu ferarum tuebitur, & liberabit.

CAP. X. *Si quid bonum ab eo, frumentum iuuenibus, & vinum boni odoris ad virgines, Petite pluuiam à Domino opportunam, temporaneam, & serotinam: Dominus fecit phantasias: & pluuiam hyemalem dabis eis, vnicuique herbam in agro.*

Ipse, inquit, vinum & frumentum donat, vt iuuenes frumento confirmẽtur: & virgines ex vino lætitiam percipiant. Hoc enim loco vinum pro lætitia posuit. Itaque hæc non ignorantes, temporaneam & serotinam pluuiam in tempore petite ab eo qui dare potest. Etenim ipse pluuiæ autor, & aliarum rerum opifex, quæ timori solentesse hominibus, fulgura enim in pluuia fecit, hæc eiusmodi phantasiam appellauit: nempe exterrentia homines, per hæc etiam ex terra gignuntur fructus. Deus quidem verus talia & conficit & largitur.

Quoniam hi, qui loquebantur, locuti sunt labores: & diuinatores visiones falsas & somnia falsa loquuti sunt. Vane consolabantur, ideo arefacti sicut oues, & afflicti sunt: quia non erat qui sanaret.

Vbi vniuersum diaboli gregem in medio proposuit, diuinatores, ex sideribus pronostica profitentes, somniorum cõiectores, eorum mendacia reprehendit, & pœnas constituit.

Super pastores concitatus est furor meus, & super agnos visitabo.

Qui male imperarunt & regnarunt in seruitutem redegi, & captiuos feci, eorum vero subditos illinc reduxi, & mea prouidentia curabo & tuebor.

Et visitabit Dominus Deus omnipotens gregem suum domum Iuda, & ponet eos sicut equum decorem suum in prælio.

Et belli tempore eos præstabo tanquam equum quendam pulchritudine & viribus exultantẽ, & confidenter in hostes progredientem, & non indigebunt subsidijs externis.

Et ex ipso respexit, & ex ipso posuit, & ex ipso arcus in furore egredietur, omnis qui educit simul: & erunt quasi bellatores cõculcantes lutum viarum in prælio: & præparabuntur, quia Dominus cum eis est: & confundentur ascensores equorum.

Non, inquit, aliorum armis vtetur, non externos milites mercede conducet, sed ex sese belli imperator & administrator ex se erunt omnes ductores exercitus, atque præclaris rebus gestis victoriam referent, & veluti lutum hostiũ legiones conculcabunt: quẽadmodum enim lutum pedibus supergrediẽtibus cedit, sic illi pessundabuntur, & fugientes conficientur, quoniam Deus omnipotens huius belli administrationi præerit.

Et confortabo domum Iuda, & domum Ioseph saluabo, & habitare eos faciam.

Cùm ita omnes, inquit, eorum hostes interfecerim, vt in pace constituta & certa terrã paternam habitent, efficiam: & causam affert cùm induxit:

Quia dilexi eos: & erunt sicut quando non eos abiecera m.

Hoc magis perspicue Symmachus interpretatus est, Ὃν τρόπον οὐκ ἀπωσάμην αὐτούς. Et erunt quemadmodum cùm eos non expuleram, sic nimirum eos florere faciam, vt nullum

lum sensum prẹteritę captiuitatis amplius recordatione percipiant, videntes se restitutos in pristinam felicitatem.

Quia ego Dominus Deus eorum, & exaudiam eos: & erunt quasi bellatores Ephraim: & lætabitur cor eorum quasi in vino, & filij eorum videbunt, & lætabuntur: & gaudebit cor eorum in Domino.

Qui sum eorum Dominus, & Deus, eorum preces admittã, & victores eos constituam, vtque in omni lætitia & gaudio vitam exigant, præstabo: & eorum filij similiter: vt hi in omni voluptate vitã transigant, meo nomine gloriantes, & potentia mea exultantes.

Significabo eis, & suscipiam illos, quia redimam eos, & multiplicabuntur, sicut erant plurimi.

Prolis multitudo, inquit, eorum cumulatissime augebitur: quæ benedictionem suscepit, vt suis vrbibus, cùm non contineri valebunt, necesse sit eos in alias vrbes deducere, vbi alijs occasionem ad salutem adipiscendam offerent. Hoc explicauit, cùm dixit.

Et seminabo eos in populis, & qui erant de longe recordabuntur mei, & nutrient filios suos.

Videntes, inquit, eorum vehementem pietatem, omni cura & studio eos tuebuntur, & curabunt.

Et conuertam eos de terra Aegypti, & de Assyrijs suscipiam illos, & in Galaaditin, & in Libanum introducam eos, & nullus ex eis deerit.

Ex Aegypto, & ex Assyrijs eos reducam: & vt terram patriam incolant efficiam, & Galaaditin ex eis complebo: & vsq; ad ipsum montem Libanum eorum habitationem propagabo: nihilq; eis erit impedimento: quoniam omnes bellum eis inferre aggredientes, interficiam. Hoc planum fecit, cùm deinceps ait,

Et pertransibunt in mari angusto, & percutient in mari fluctus, & siccabuntur omnia profunda fluuiorum.

In maxima pericula proiecti, & propemodum de salute desperantes (hoc enim mare angustum vocauit) maleuolorum fluctus percusserunt, & veluti profunda flumina eos siccauerunt, cùm illorum insidias oppresserunt.

Et auferetur vniuersa iniuria Assyriorum, & sceptrum Aegypti tolletur, & confortabo eos in Domino Deo suo, & in nomine eius gloriabuntur, dicit Dominus.

Regnum, inquit, Aegypti funditus delebitur: Assyriorum fastus abijcietur, & frãgetur: qui autem illis olim seruierunt, meo auxilio illustres, & præclari apud omnes erunt.

CAP. XI.

Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas: vlulet pinus, quia cecidit cedrus.

Omnes quibus potentia nimios spiritus affert, quiq; Libani proceritatem animi elatione adequatis, vos ipsos accõmodastis ad pœnas dandas, & persoluendas. His autem inferiores (nam hos pinos appellat) potentioribus perniciem allatam videntes, vestras calamitates lugete, ac lamentamini: & explicans, quæ per translationem dixit, adiunxit,

Quia optimates contriti sunt, vlulate quercus Basanitidis, quoniam depositus est saltus nemorosus: vox lugentium pastorum, quoniam misera facta est magnificentia eorum: vox rugientium leonum, quia afflictus est fremitus Iordanis.

Iuxta peculiarem proprietatem omnia tropice dixit. Leones, & pastores, appellat reges, & principes. Saltum nemorosum, vocat principatum infructuosum. Hos autem omnes lugebre & lamentari dixit, qui magnos spiritus sibi contra Iordanem sumpserũt, & de spe deiecti fuerunt. Per Iordanem, Iudæorũ terram designauit, nam per hanc hic fluit. Hæc de futura felicitate Iudæis post reditum diuinus Zacharias prædixit. Deinceps calamitates, quibus propter iniquitates afficiendi essent, vaticinatur.

Hæc dicit Dominus omnipotens: Pasce oues occisionis.

Quis has pauit? certe Dominus Christus, qui in sacris Euangelijs exclamat: Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Verum nemo eum, quòd pastor appelletur, parui ducere tentet, nam is salutis nostræ causa non modo pastor, sed etiam agnus nominatus est, & ouis. Ecquid dico ouẽ & agnum? quin etiam maledictum & peccatum vocatus fuit, vt & peccatum ab hominibus, & maledictum expiaret hoc. Itaque pater inquit filio: Pasce oues occisionis, qui formã serui sumere voluit, vt humanam naturam seruitute liberaret. Itaque vt homo, non vt Deus, hæc mandata accipit: nam vt Deus patri æqualis existit. Atqui vt homo inquit, Ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Ioan. 12.
pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar. Sic etiam hoc loco ei mandat: Pasce oues occisionis: ac docens quamobrem eas sic vocet, adiecit,

Quas qui possederunt, interficiebant, & non agebant pœnitentiam: & qui vendebant eas, dicebant, Benedictus Dominus, & diuites facti sumus: & pastores earum nihil patiebantur super eis.

Ab impijs regibus, & iniquis sacerdotibus administrati, nefarijs malis ab eis affecti fuerunt. Maccabæorum historia his narrationibus plena est, & Iosephi volumina. Postquam enim ex ambitionis & pecuniæ studio laborare cœperunt, sacerdotia venalia habuerunt, & nulla ex parte eis conuenientem dignitatem emerunt: vnde factum est, vt innumerabilia mala Iudæis acciderint: quare pastoribus minatur supplicia, oues autem omni cura procurat: ac deinceps de impijs sic loquitur,

Ideo non parcam vltrà super habitatores terræ, dicit Dominus: & ecce ego tradam homines vnumquemque in manus proximi sui, & in manu regum eius: & concident terram, & non eruam de manu eorum.

Pro illis nullam curam, propter eorum scelera, suscipiam: iustos & pios omni cura tuebor. Hoc enim ex his, quæ consequuntur, explicauit:

Et pascam oues occisionis in terra Chanaan.

Per hoc quidam opinati sunt Palæstinam designa-

desígnari: mihi autem videtur exterorũ terra significari: Itaque per Chanaan exteros innuit, atque inquit, Vbicunque gentium mihi credere student, eos adscribam in numerum eorum, qui mea prouidentia curantur.

Et assumam mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum: & pascam oues.

Duas virgas appellat Gentes, & Iudæos. Duo quondam in genere fuerunt dogmata, vnum pietatem profitens, quod apud Iudæos viguit: alterum autem fuit idolorum cultum profitens, quo varijs modis omnes gentes olim adstrictæ fuerunt. Itaque ex hoc inquit, & ex illo congregabo oues, & ex vtroq; vnum
Ioan. 10. ouile perficiam. Hoc etiam in sacrosanctis Euangelijs inquit, Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere: & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Eos enim ex gentibus, qui crediderunt, his admiscuit, qui ex Iudeis crediderunt, & vnum ouile constituit.

Et auferam tres pastores in mense vno.

Reges Iudæorum & prophetas designat, & sacerdotes, his enim tribus ordinibus pascebantur, & causam affert, cùm adiecit,

Et ingrauescet anima mea super eos: siquidem & animæ eorum rugiebant super me.

Hoc dilucidius ipse Dominus ex ore Hie-
Hier. 12. remiæ prophetæ docet, dicens: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius: facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in sylua, dedit contra me vocem, ideo
Esa. 6. odiui eam. Simul per Esaiam clamat: Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor. Quoniam quidem tanquam rugientes, & meam cædem sitientes efferato impetu inuaserunt, dixi quæ consequuntur,

Et dixi, non pascam eos: quod moritur, moriatur: & quod defecit, deficiat: & reliqui deuorẽt vnusquisque carnes proximi sui.

Hęc omnia accidere necesse est, diuina prouidentia spoliatis.

Et assumam virgam meam pulchram, & proijciam eam, vt dissipem testamentum meum quod disposui ad omnes populos terræ,

Dei ventilabro sepositis, qui diuinæ notionis declarationem susceperint, & tanquam alicuius frumenti paleis separatis, omnino ne-
Matth. 3. cesse erit paleas comburere igne inextinguibili, iuxta Matthæum.

Et dissipabitur in die illa.

Quòd non de omnibus gentibus hæc loquatur, sed tãtum de infidelibus, ea quæ consequuntur, testimonio sunt:

Et cognoscent Chananæi oues, quæ custodiuntur mihi: quia verbum Domini est.

Eos qui ex gentibus crediderunt, Chananæos, tanquam Allophilos vocat: eos autem oues custodia dignas restatur, propter fidem quam habuerunt. Hi, inquit, cùm viderint infidelibus perniciem allatam, periculo discẽt, vt propheticus sermo, Dei sermo existat. Cæterum his explicatis, de fidelibus gentium, & infidelibus, sermonem conuertit ad Iudæos,

Et dicam ad eos, Si bonum est in conspectu vestro, date mercedem meam, aut renuite: & statuerunt mercedem triginta argenteos: & dixit Dominus ad me: Depone eos in conflatorium.

Hęc mea sententia, nõ explanatione egent, cùm sacrorum Euangeliorum historia horum declarationem habeat. Ibi videre est, Iudam totidem argenteis Dominum vendidisse: & cùm sibi pœnitendum putasset, eos reddidisse his qui dederant. Cumque illi accipere noluissent, his abiectis, abijsse, ad suscipiendum iustum præmium à Diabolo. Iam vero hoc loco Dominus fidem eos poscit pro mercede beneficij, hi autem pro hac dederunt triginta argenteos: ipse Dominus iubet prophetam ad ignem periculum facere, num beneficij iusta merces istuc ipsum sit: tum propheta testatur, se hos in domum Domini coniecisse, quam iure, & merito conflatorium appellauit: in illa enim per pœnitentiam accedentes, tanquam in conflatorio & fornace de integro nouantur, & venenum peccati deponunt, & misericordiam à Deo consequuntur. Quare inquit,

Et abieci virgam meam secundam, quæ appellatur funiculus, vt dissiparem testamentum quod erat inter Iudam & Israel.

Ex his patet vt credentes ab infidelibus separauit, atque reliquos sua prouidentia priuauit, quæ hac ætate cernere licet, prophetiam testantur: nam simul atque Iudæi priuati sunt prophetis, sacerdotibus, regibus, templo, propiciatorio, altari, & candelabro, & mensa, & alijs plerisque, quibus legitimus cultus obibatur, superna etiam curatione priuati fuerunt, & dispersi, exilij causa solum verterunt, atque Christum profitentibus præter sententiã seruiunt: & qui Christi dominatum eiurant, & renunciant, eius seruis seruitutem seruiunt, eousque ex inueterato & robusto morbo laborant. Simulac propheta de Deo conseruatore nostro Iesu Christo hæc prædixit, & Iudęorũ obstinationem obfirmatissimam iure reprehendit, ad Pseudochristũ conuertit prophetiam, quem Iudęi, vt ipsi dicunt, expectãt. Hoc etiam in sacris Euangelijs Dominus di-
Ioan. 5. xit: Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: veniet alius in nomine suo, & credetis. Hoc idem de eis etiam per beatus Paulus: Eo quòd veritatem charitatis non rece-
2. Thes. 2. perunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. Eius etiam modi diuinus Zacharias diuini spiritus, functionem prænunciat.

Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoralia pastoris imperiti, quia ecce ego suscitabo pastorem super terram, qui derelictum non visitet, & dispersum non requirat, & fractum non sanet, & integrum non dirigat, & carnes electorum deuoret, & talos eorum peruertat.

Has acerbas narrationes Dominus etiam in sacris Euangelijs prædicit: Erunt, inquit, dies illi

Marc. 13. illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus vsque nunc, neque fient: & nisi breuiasset Dominus dies, nõ fuisset salua omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breuiabit dies. Hęc eadem propheta inquit: Et carnes electorum deuoret, & talos eorũ peruertat: magnitudinẽ malorum ex his significans. Eorũ autem pastorem imperitum, siue secũdum alios interpretes, stultum nominat, nempe quem decepit diaboli artificium, quẽ item latet eorum internecio certa. Stultum etiam, siue insipientem
Psal. 13. sacra scriptura impium nominare solet. Dixit, inquit, insipiens in corde suo, non est Deus. Postquam eius efferatam mentem declarauit, futuram ei perniciem significat.

O qui pascitis vana, & qui derelinquistis oues.

Cùm hæc verba ad illi obtemperantes fecit, & eos deplorauit, quòd ab omnium communione defecissent, & vanum & exitiosum honorem ab illo datum potiorem duxissent, tum hæc de illo explicat:

Gladius super brachium eius, & super oculum eius dextrum: brachium eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter, eius cæcitate obscurabitur.

Oculus ementito Christo credentes in æternam perniciem abducit: brachium vero contradicentes ad cædem tradit: In cęde posuit brachium: in deceptione vero oculum. Sed tamen brachium eius, qui alios siccat, siccabitur: & oculus eius dexter excæcans excęcabitur: & voluntatis plaga eum conficiet. Sic
2. Thes. 2. Paulus inquit: Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus. Quidam ex his, qui hunc prophetam explanauerunt, hæc Antiocho Epiphani accommodarunt, pastorem imperitum nominatum fuisse testantes. Multo igitur magis prophetia in Antichristũ conuenit, siquidem huius Antiochus typus fuit. Nam quemadmodum Antiochus, cùm bellum contra Deum intulisset, in templo dęmonũ aras excitauit, & Deo dedicatos, & consecratos, dæmonibus sacra facere coegit: Sic etiam hic Dominum Christum abnegare iubebit pietatem colentes: sibi vero non auscultantes, suis infinitis officijs ad se alliciet. Si igitur in Antiochum prophetia conuenit, & huic prorsus conueniet: nam maiora hic, quàm ille aggredietur, nimirum aduersus fortiores bellum suscipiens. Quoniam igitur huic Iudæi credunt, & conseruatorem & Dominum abnegarunt: Spiritus sanctus per prophetam palàm prædicit acerba, quæ Iudæis accident ex eorum perfidia.

CAP. XII.

Assumptio verbi Domini super Israel: dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.

Non ego, inquit propheta, vobis hæc enarro: sed omnium factor & opifex, qui corpora in aluos adhuc concluſa fingit, & vnà cum his animas creat, hic ille per me loquitur:

Ecce ego pono Hierusalem, vt superliminaria, qua mouentur omnibus populis in circuitu, & in Iudæa: et erit obsidio contra Hierusalem.

Vt ab omnibus gentibus facile expugnari & capi possit, efficiam: atque etiam vrbem simile prębebo superliminaribus commotis, & ruinam agentibus: vt hostes cùm mea prouidentia spoliatam viderint, inuadant & obsideant, & mala, quæ inde exoriri solent, infligant.

Et erit in die illo, ponam Hierusalem lapidem, qui conculcatur à cunctis gentibus: omnis qui conculcauerit eam, illudens illudet: & congregabo super eam omnes gentes terræ.

Quoniam lapidem illum preciosum elę- Esa. 28.
ctum, iuxta Esaiæ prophetiam, factum in caput anguli, similiter atque improbatum reprobarunt: eam proteri, & conculcari ab omnibus curabo bacchantibus & furentibus, & ad contumeliam inferendam coactis. Huic prophetiæ res ipsæ testimoniũ afferunt. Nam cernere est, olim sanctum, & augustum locum, esse iam conculcatum. Hæc autem eis acciderunt, posteaquam Christum in crucem egerunt, & in eum furore per bacchati fuerunt: ante hoc admissum scelus assidue Deus eos procurauit. Hoc idem propheticus sermo docet, vt Deus omnipotẽs pollicetur, se cum impetu gentis Macedonicæ equos eorum naturali audacia spoliaturum: eosq; simul cum ascensoribus amentia & timiditate implicaturum: domum autem Iuda sua prouidentia curaturum esse: hoc enim explanauit, cũ dixit:

In die illa, dicit Dominus omnipotens, percutiam omnem equum in stupore, & ascensorẽ eius in amentia: super domum autem Iuda aperiam oculos meos, & omnes equos populorum percutiam in cæcitate: & dicent duces Iuda in cordibus suis: Inueniemus nobis qui habitent Hierusalem, in Domino omnipotente Deo eorum.

Nihil, inquit, differentà cæcutientibus equi hostium, huc & illuc errantes, vt duces Iudęorum confidentes facti, inter se dicant, Hierusalem Dei ditione & numine incolis implebitur.

In die illa ponam duces Iuda, sicut torrem ignis in lignis: & sicut facem ignis in stipula, & deuorabunt à dextris, & sinistris omnes populos Domini per circuitum, & habitabitur Hierusalem adhuc in semetipsa.

Quemadmodũ, inquit, torris ligna accendit, & consumit stipulam: sic ij hostes vndiquaque inuadentes perdent, & habitabitur Hierusalem adhuc in semetipsa: hoc est, à gentibus seorsum viuet secundum legem. Hoc dono potita est, vsque dum contra conseruatorem insaniuit.

Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut à principio, vt non magnificetur gloria domus Dauid, & elatio habitatorum Hierusalem super Iudam.

Periculo discent, vt sine Dei nutu nihil pręclarum gerere potuerunt. Cùm autem hoc intellexerint, non ex regia potẽtia allatos spiritus

ritus sibi sument, nec murorum robori confident.

Et erit in die illa, proteget Dominus habitatores Hierusalem: & qui infirmus in eis fuerit, in die illa, erit quasi domus Dauid: & domus Dauid quasi domus Dei, & angelus Domini in conspectu eorum.

Quia eorũ spes ex diuina prouidentia pendebit, omniũ dominus eos omni auxilio tuebitur, tantoq; robore eos complebit, vt debilissimus quisq; regiæ domui comparetur (hãc enim vocauit domum Dauid) atq; diuinæ domus asylum imitetur, quia omnes ad eum tanquam in diuinum asylum confugiant, & tanquam angelo ad salutem misso confidentiores fiant. Tantam ex victoria gloriam collegerunt Iudas, Ionathas, vt accolæ & finitimi auidissime hos sibi socios adiunxerint: neq; id solum finitimi, sed & qui multorũ dierum viam abfuerunt: itemq; in occidenti habitantes Romani, & Spartiatæ maximo studio horum adiunctionem amplexati sunt.

Et erit, in die illa quæram auferre omnes gentes, quæ veniunt contra Hierusalem: & effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & misericordiæ.

Eos omni genere beneficiorum cumulauit, videlicet bellũ eis inferẽtes modis omnibus, interfectis eis contrà fontes misericordiæ aperuit, & omni gratia eos cõpleuit: ipsi vero me in hunc modũ profectum aduersarijs me prodiderũt, & in crucẽ actum & sublatum, militari lancea ad latus compunxerunt: & summe bacchati sunt, & irriserunt: sed tamen cùm non multo pòst tẽpore videbunt me cum diuina maiestate venientem, tum suam dementiã lugebunt, & lamentabuntur, non aliter quã primigenij mortem. Et sic affecti, inquit,

Aspicient ad me, quem compunxerũt: & plangent super eum planctum, quasi super charissimum: & dolebunt dolore, quasi super primogenito. In die illa magnus erit planctus in Hierusalem, sicut planctus mali granati, quod in campo succiditur.

Quemadmodum lignatores secãtes maximum numerum malorum granatorum, magnum strepitum faciunt: sic horũ planctibus omnium mortalium aures circumsonabunt. Non temere alijs arboribus relictis, ex malo granato duxit similitudinem. Sed quia charissimi, & primogeniti luctui illorum luctum comparasset, charitatis autem typus malum granatum grana habet continentia, & coniunctissima; recte harum arborum sectioni illorum planctum similem esse dixit.

Et plangent terra per tribus, ac tribus, tribus Dauid seorsum, & mulieres eorũ seorsum: tribus domus Iudæ seorsum, & mulieres eorũ seorsum: tribus domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: tribus domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum: tribus Simeon seorsum, & mulieres eorum seorsum: omnes reliquæ tribus seorsum, & mulieres eorum seorsum.

Per tribus, inquit, diuisi seorsum viri à mulieribus, & mulieres seorsum à viris hoc obibunt. Nec vero solum meminit tribuum, sed etiam familiarum, & familiæ Dauid quidem, quæ de Domino Christo promissiones susce-

pit, & Nathan, qui tunc prophetiam exercuit, & Dauid prophetiam audiuit, & ipse illi sua vaticinia attulit. Item tribus Leui mentionem fecit, & Simeon. Postremò intulit, omnes reliquæ tribus seorsum plangent. Hoc idem Dominus in Euangelijs prædixit. Tunc videbũt signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ. Nõ obscurum est, qui diuinam denunciationem non susceperunt, lugebunt, perditum iri funditus se expectantes. Sed hæc erunt ad tempus consummationis, interim tamen eos tuebor, etsi non ignoro, vt me venientem in hunc mundum, propter beneficium meum erga eos in crucem agent, & tollent, sed tamen inquit: Math. 24.

CAP. XIII.

IN die illa erit omnis locus apertus in domo Dauid, & habitantibus Hierusalem, in transmutationem, & in aspersionem.

Symmachus vertit, ἔσται ἀνοιγομένη πηγὴ τῷ οἴκῳ Δαυὶδ, erit apertus fons Domini Dauid. Quis vero fons hic sit, ipse Dominus per Hieremiam docet: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et in sacris Euangelijs inquit: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: & erit aqua quam ego dabo ei, fons aquæ viuentis, & salientis in vitam æternam. Hic apertus est domui Dauid, nam ex illius progenie humanam naturam sumpsit. Apertus est etiam habitantibus Hierusalem, in transmigrationem à veteri instrumento ad nouum factã, & in aspersionem sacri baptismatis, per quod veniam peccatorum adepti sumus. Tum inquit potestatum Dominus, Hier. 2. Ioan. 7. Ioan. 4.

Disperdam nomina idolorum de terra, & non erit vltrà eorum memoria: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra. Et erit, si prophetauerit homo vltrà, & dicet ad eum pater suus, & mater sua, qui genuerunt eum, Non vines, quoniam mendacium locutus es in nomine Domini: & compedient eum pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum, cùm prophetauerit. Et erit in die illa, confundentur prophetæ, vnusquisque ex visione sua cùm prophetauerit, & induentur pelle cilicina, quia mentiti sunt.

Non obscurum est hoc factum fuisse propter eos, qui in Christum crediderunt. Non modo, inquit, idolorũ mendacia restinguam, sed & diuinationẽ exercentes; & malo spiritu constrictos, liberabo ab hoc errore. Tãta pietas versabitur in orbe terræ, vt nec pater, nec mater filio ignoscãt diuinationem profitenti, quin eum vinculis cõstringent, & plagas inferent, & flagrainurent, & mortẽ intentabunt: atq; omnes, qui prædictiones mendaces profitentur, videntes pietatẽ confirmari, & maximas vires colligere, lugubrẽ ornatum induẽt. Nam quod ait, Induẽtur pelle cilicina, hoc testatur. Adeo autem ingẽs timor eis injicietur, vt idolorũ errori renuncient, & pro illo agrorum culturã amplexentur, & dicet omnibus, Simulatque natus sum, à parentibus ad hanc artem institutus sum, ac inquit, dicens:

Non

Non sum propheta ego, quia homo agricola sum, et homo genuit me à iuuentute mea. Et dicent ad eum, Quid sunt plagæ istæ in medio scapularum tuarum? Et dicet: Percussus sum in domo diligentis me.

Eius enim modi plagas à parentibus accipiet, vt ad longum tempus vestigia, ac notæ plagarum inustæ appareant: & cùm rogabitur ab his, qui has videbunt, quisnam illi has plagas inflixerit: palàm dicet, has sibi parentes dilectione adductos, inflixisse.

Framea consurge super pastorem meum, & super virum ciuem eius, dicit Dominus omnipotens: Percute pastorem, & dispergentur oues.

Postquam dixit, Aspicient ad me quẽ compunxerunt: ne arbitrentur eum inuitum salutarem passionẽ perpessum fuisse, docet vt voluntate sua venerit, & seipsum abiecerit, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: quare propheticus sermo diuinã concessionem format, & delineat, & framea ostendit à patre concessam. Docet primo contra pastorem procedere: deinde post illum, contra illius ciues: siue, vt Aquila vertit, contribules. Post enim dominum, in eius famulos beneuolos, sacros dico Apostolos, processit: & in eos, qui in locum illorum successerunt. Huius testimonij Dominus in sacris Euangelijs meminit, cùm dixit: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptũ est: Percutiam pastorem, & dispergẽtur oues. Sermo propheticus præterea eodem addit: Supplicia sumam de sacerdotibus, & doctoribus, qui nomen quidem pastorum habent, rebus vero ipsis inanes existunt. Phil. 2. Marc. 14.

Et erit in die illa, dicit Dominus, duæ eius partes peribunt, & deficient: & tertia pars relinquetur in ea: & transducam tertiam partem per ignem, & vrit in eos, sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.

Ad id tempus post eam ipsorum rabiem in Christum duas partes populi interficiam, tertiam autem partem quemadmodum argentum atque aurum igne probabo, tradens eos in varias tentationes, quas contemnentes, & constantissime omnes acerbitates superantes, candido & germano erunt erga me studio, ac inquit,

Ipse inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eum, & dicam: Populus meus iste est. Et ipse dicet: Dominus Deus meus es tu.

Hæc ait de his, qui ex Iudæis crediderunt: etenim præter Apostolos duodecim, elegit alios septuaginta. Iam vero post resurrectionem centum & viginti simul inuenti fuerunt. Simul diuinus Paulus dixit, eum visum fuisse quingentis simul coactis. Cùm autem Petrus concionaretur, nunc tria millia, nunc quinq; millia ad vitã expiscatus fuit. Cæterum Iacobus Maior, beato Paulo inquit, Vides frater quot millia credẽtium. Hæc per diuũ Zachariam præsignificauit Deus, quòd duæ partes propter perfidiã perituræ essent, tertia vero ignis periculo approbata, & probabilis visa est: eius populus eum dominũ, & Deum appellans. Hoc idem per aliũ prophetã dixit Deus: Si fuerit numerus filiorũ Israel, vt arena maris, reliquiæ saluabuntur. Hoc idem perbeatus Zacharias ex consequentibus docet.

CAP. XIIII.

ECce dies Domini veniunt, & diuidentur spolia in te: & congregabo omnes gentes super Hierusalem ad bellandum, & capietur ciuitas, & diripientur domus, & mulieres polluentur: & egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem: reliqui autem populi non peribunt de ciuitate.

Ecce dies veniunt &c. Hostibus videlicet hęc diuidentibus. Fama est, Vespasiano & Tito bellum cõparantibus & suscipientibus, id temporis fideles ex reuelatione vrbem reliquisse. Et vero hoc ipsum in Euangelijs Dominus Christus iussit: Cùm videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tũc scitote, quia appropinquat desolatio eius: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui super tectum, non descendant in domum, nec introeat, vt tollat quid de domo sua. De his etiam per Zachariã prædixit: Reliqui non peribũt. Luce 21. Marc. 13.

Et egredietur Dominus & præliabitur in gentibus illis, sicut in die commissionis, & in die prælij,

Præliabitur non pro Iudęis propugnãs, sed contra illos exercitum adornãs & instruens.

Et aderit Dominus meus, & omnes sancti cum eo.

Angelorum intelligit legiones.

Et stabunt pedes eius in die illa super montẽ Oliuarum, qui est contra Hierusalem ad orientem plagam.

Vnde ad cœlos ascendit, inde dat victoriam bellum gerentibus cum Hierusalẽ. Postea dicit, montis fore quadripartitã diuisionem, vnam ad Orientem, alteram ad Occidentem, tertiam vergentem ad Meridiem, quartã pertinere ad Aquilonem.

Et scindetur mons oliuarum: media pars eius ad Orientem, & media pars illius ad Occidentem: mare chaos magnum valde: & inclinabit media pars montis ad Aquilonem, & media pars eius ad Austrũ, vallis magna: & obturabitur vallis montium meorum vsque ad Iasa: & replebitur sicut repleta est à facie terræmotus in diebus Oziæ regis Iuda.

Montem, mea sententia, vocat phalangẽ hostium ad obsidendã Hierusalẽ diuisum: tum alij partẽ eius orientalem, alij occidentis partem occupauerunt, alij partem Aquilonis, alij Austri custodierũt: tum etiã parerat mõtem hunc, hanc diuisionẽ sustinere, Deo cõtra eos iram suã edente. Etenim cùm Dominũ in crucem egerũt, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & terra mota, appetebat fieri eis tumulus ex tempore: mõtes vero contra eos voragines edebãt & valles. Itaq; ait, mõtibus, & vallibus præruptis transitus obturabuntur, quemadmodũ sub Ozia terræmotu facto, repleti fuerũt. Si enim propter Oziã, qui minora delicta admisisset: & sacerdotiũ sibi illicitum vindicasset, Deus terrã concussit, par est hos maioribus calamitatib. affici, qui maiorẽ impietatem admiserint. Neque enim, cùm viderũt terram commoueri ad eorum facinus, quod admiserunt, cùm Christum in crucem sustule-

ſuſtulerunt, pœnitentiæ ſuſceperunt medicinam. Quare propheta relictis in tempore vltionis factis, conuertit ſermonem ad quæ acciderunt ad diem iniquitatis. In illa, inquit, die, qua orbis terræ conſeruator in crucem agetur, non erit lux: id quod hiſtoria euangelica docet: A bhora ſexta vſque ad nonam tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vt omnes homines prophetiæ veritati teſtimonio forent.

Sed frigus & gelu erit vna die.

Huius rei cùm Euangeliſtæ teſtes, tum Apoſtolorum coryphęus Petrus, ad ignem ſtans & calefaciens ſe.

Et dies illa nota erit Domino.

A principio enim omnia præſciebat.

Et non dies, neque nox.

Si diem illum appellare velim, tenebrę meridiei me hoc facere prohibebũt: ſin noctem nominare propter tenebras velim, hoc facere me vetat hæc vſque ad horam ſextam, & poſt horam nonam exorta lux. Hoc etiam per prophetam prædicit.

Et ad veſperam erit lux.

Deinceps bona inde nata prænunciat.

In die illa egredietur aqua viua de Hieruſalem: media eius pars ad mare primum, & media pars ad mare nouiſſimum.

Per hoc deſignatur ſalutare præconium, quod per vniuerſum orbem peruaſit, & Orientem, atq; Occidentem diuina doctrina cumulauit. Simul iuxta hanc hiſtoriam cernere eſt prophetiæ veritatem, quæ explicat, vt illa die ex ſancto latere patuit ſalutis fons, ex quo duplices myſteriorum latices, aquã, inquam, & ſanguinem, quæ qui vidit, teſtatus eſt vnam purgantem, & nos à peccatis expiantem: alteram nutrientem, & rigantem, & germinare facientem. Explicat etiam tempus, quo hæc acciderunt.

In æſtate, & in vere erit ſic.

Quoniam quidam bifariam diuidunt annum in hyemem, & æſtatem: quidam in quatuor partes diſtribuunt, in ver, æſtatem, autumnum, & hyemem: vtrunque poſuit propter Iudæorum impudentiam & peruicacitatem, vt vtrinque veritatem oſtendat. Si enim in æſtatem & hyemem annum diſtribuitis, æſtatis eſt principium cùm hæc accident: ſin autem quatuor ponitis rationes temporum, cognoſcitis veris eſſe tempus huius tempus: tunc aperte imperabit orbi terræ, quem in crucem egiſtis, & error de multitudine deorum funditus peribit.

Erit Dominus vnus, & nomen eius vnum, circuiens omnem terram, & deſertum.

Non modo hæc Iudæi intelligẽt, ſed etiam gentes ab Auſtro, & ab Aquilone, quę olim diuina notione caruerunt. Hoc enim dixit propheta:

A Gabaon vſque Remmon ad Auſtrum Hieruſalem: Rhama vero in loco permanebit a porta Beniamin vſque ad portam primam.

Per hæc deſignat Bethleem: etenim perbe- *Matth. 2.*
atus Matthæus, cùm eędem puerorum narret, prophetæ teſtimoniũ attulit, Vox in Rhama audita eſt, ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos. Itaque ait, Sublatis impijs illis, fideles habitabũt in terra ad Beniamin pertinente & attingente. *Hier. 31.*

Et anathema vltrà non erit, & habitabit Hieruſalem confidens.

Per anathema à Deo abalienationem, & defectionem ſignificauit: non enim in poſterum idolis adhæreſcent in Chriſtum credentes, ſed cum pietate habitabunt Hieruſalem. Vt vero hæc ita prædixit, vertit ſermonem ad Gog, & Magog, & ad eos, qui ſimul cum his bellum contra Hieruſalem intulerunt, ac inquit,

Et erit ruina, qua percutiet Dominus omnes populos, qui militauerunt contra Hieruſalem: tabeſcent carnes eorum ſtantium ſuper pedes ſuos, & oculi illorum defluent de foraminibus eorum, & lingua eorum tabeſcet in ore eorum.

Docet cuiuſmodi pœnas diuinitus illatas perſoluent: Corpora, inquit, eorum tabeſcẽt, & oculi eorum effodientur, linguæ funditus perdentur: atque hos Dominus omnipotens de eorum mentibus deducens, inter ſe conſerere manum efficiet, vt mutuis vulneribus interficiantur. Iudæi vero à Deo adminiſtrati, ſpectatores tantùm cædis facti, illorum diuitias prædabuntur, videlicet quàm plurimum aurum, & argentum, & veſtem precioſam. Equi autem vnà cum aſinis, & mulis, & camelis ad internecionem ſimul cùm hoſtibus tradentur.

Et erit, quicunque derelicti fuerint de cunctis gentibus, quæ venerunt contra Hieruſalem, aſcendẽt per annos ſingulos, vt adorent regem Dominum omnipotentem, & celebrent feſtiuitatem tabernaculorum.

Hac, inquit, Iudæis victoria parta, tantus metus injicietur reliquis exteris gentibus, vt quotannis Hieruſalem accurrant, & Domino omnipotenti honorem deferant, & cultum, & ſimul cum populo percelebrent feſtum tabernaculorum: nam ad peregre profectiones ſuſcipiendas, huius feſti tempus accommodatiſsimum erat, nimirum cùm eſſet tempus æſtiuum.

Et erit, qui non aſcenderint de familijs terræ ad Hieruſalem, vt adorent regem Dominum omnipotentem, & iſti illis apponentur, non erit ſuper eos imber. Sin autem tribus Aegypti non aſcenderit, nec venerit illuc, & ſuper eos erit ruina, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ non aſcenderunt, vt agerent ſolennitatem Scenophegiæ. Hoc erit peccatum Aegypti, & peccatum omnium gentium, quæ non aſcenderint, vt celebrent feſtiuitatem Scenophegiæ.

Qui, inquit, ex gentibus pietatem receperint, & profeſsi fuerint, deinde abiectis his, quæ benè, & honeſtè inchoaſſent, nõ venient de more ad ſupradictum feſtum, eadem perpetientur, quæ illi, qui bellum intulerunt, & pœnas dederunt, ij inquit, illis apponentur: & non erit ſuper eos imber, hoc eſt, nullam miſericordiam aſſequentur. Sin autem Aegyptij, ſiue alij quidam, Dei poteſtatem aſpernati, hunc feſtum neglexerint, & debitum cultum

tum in eo non Deo attulerint, ſuper eos, inquit erit ruina, grauiter delinquentes, nempe qui cùm idolorum ſuorum infirmitatẽ percepiſſent, pleniſsimeque Dei robur vidiſſent, adhuc in priori inertia errantes permanerẽt.

In die illa erit, quod ſuper frenum equi eſt, ſanctum Domino omnipotenti: & erunt lebetes qui in domo Domini ſunt, ſicut phialæ ante domum altaris: & erit omnis lebes in Hieruſalem, & in Iuda ſanctus Domino omnipotenti: & venient omnes qui immolant, & ſument ex eis, & coquent in illis: & nõ erit Chananæus vltrà in domo Domini omnipotentis.

Infinitis gentibus illis interfectis, tanquam decimas quaſdam, plurima ex ſpolijs Deo obtulerunt: etenim frenos dedicarunt, gratiam referentes de ſtrage equorum: & lebetes quàm plurimos veluti phialas quaſdam ante altare poſuerunt, ad vſus neceſſarios eorum, qui vndique eò proficiſcebantur, & victimas afferebant, quicunque egebat, vinum ex his ſumebat, ad excoquendas carnes victimarum: atq; eo tempore diuino beneficio floręte & vigente, non erit Chananæus vltrà in domo Domini omnipotentis: hoc eſt, qui partes Chananęorum ſequatur: qui impie videlicet viuat, & in iniquitate verſetur. Dominus omnipotens hanc vocem veram eſſe hoc tempore præſtet, vt nemo in nobis Chananæus videatur: ſed omnes ſecundum traditionem euangelicam viuamus, & beatam ſpem expectemus, aduentumque magni Dei conſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, quo cum patri gloria, cum ſancto Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS PROPHETAE ZACHARIAE.

ARGVMENTVM IN MALACHIAM PROPHETAM, ET PARITER ANGELVM NVNCVPATVM.

MOſes magnus legiſlator primus diuina reſponſa nobis per ſcripta reliquit: diuinus vero Malachias poſt omnes, qui prophetiam conſcripſerunt, diuina oracula ſcriptis mãdauit. Tempus autem non ſimiliter quidem, vt alij prophetæ, expreſsit: ſed tamen ex his quæ prænunciauit, planum fecit, vt poſt diuini templi ædificationem, & populi pacem, hac gratia ornatus fuerit: non enim eos de inertia & negligentia ædificationis tẽpli accuſat, quemadmodum Aggæus, & Zacharias: ſed diuina beneficia in eorum memoriam redigit. Item ſeorſum ſacerdotes accuſat, & alios ſeparatim, ab eis admiſſa ſcelera in medio proponens: ſimul Domini Ieſu Chriſti aduentum ſecundum carnem præſignificat, & ſalutem, quam ex hac carne humanum genus aſſecutus eſt: prædicit etiam gentium vocationem, & Iudeorum perfidiam, & præterea ſecundum aduentum Dei conſeruatoris noſtri. Lingua Græca Angelus appellatur, Hebraica vero Malachias, ac vero ſic prophetiam exorditur.

BEATI THEODORETI EPISCOPI CYRENSIS EXPLANATIO IN MALACHIAM PROPHETAM.

ASSVMPTIO verbi Domini ſuper Iſrael, in manu angeli eius.

Mẽs mea, inquit, à diuina gratia aſſumpta, & à rebus omnibus ſeparata, de Iſrael prædictionẽ ſuſcepit: non vt hác notionẽ ſolus habeã, ſed vt eis oſtenta annunciẽ: ea de cauſa ſeipſum angelum appellauit, q̃ diuinorũ ſermonũ adminiſter eſſet: cùm ita oſtendit ex ore ſuo dominũ verba facere, adhortatur populũ, vt his quę dicuntur, adhęreſcat.

Ponite ſuper corda veſtra.

Hoc eſt, acerrime ad diuinos ſermones adhæreſcite, ac incumbite.

Dilexi vos, dicit Dominus. Et dixiſtis: In quo dilexiſti nos?

Non eiuſmodi interrogatione adduxit, tanquam à populo factam: ſed eorum ingratũ animũ reprehendit, quòd cùm tantopere à Deo omnipotenti fuiſſent dilecti, non ſolũ ingrati in benefactorem fuerunt, ſed etiam hoc ipſum ignorarũt, quòd dilecti eſſent. Quare eorũ animũ ingratum arguit à principio demonſtrãs

ex maioribus dilectionis magnitudinem.

Nonne frater erat Eſau Iacob, dicit Dominus: & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui?

Plane, inquit, animo tenetis, qui in Moſaicis hiſtorijs à pueris verſamini, quemadmodũ Eſau, & Iacob veſtri generis primus pater, & eundẽ habuerunt patrem, & ex eadẽ matre nati fuerunt: atq; vno, eodemq; tempore in eodem ventre habitauerunt. Sed tamẽ nec communitas naturæ, nec vtriuſq; idem tempus geniturę, comparauit eis ęquabilitatẽ ſtudij mei. Quin cùm pater eorum leges naturæ ſequeretur, & percuperet dare Eſau dignitatẽ primogenituræ, accuraui, vt non hic, ſed Iacob præmium acceperit. Illum quidem odio perſecutus ſum, propter malitiam morum: dilexi vero Iacob, quòd virtutis ſtudioſus eſſet. Quin etiam Eſau genus, quoniam progenitoris mores æmulatum eſſet, ſemper neglexi, & nulla cura mea perſecutus ſum: quare in hanc ſolitudinum vaſtitatem traditum eſt. hoc ex conſequentibus explicauit.

Et poſui terminos eius in deſolationem, & hæreditatem eius in domata deſerti, qui ſi dixerit, Idumæa deſtructa eſt, reuertamur, & reædificemus deſerta. Hæc dicit Dominus omnipotens, Ipſi ædificabunt, & ego deſtruam: & vocabuntur eis termini iniquitatis, et populus ſuper quem præparatus eſt Dominus vſque in æternum.

Si ſuas vrbes reædificare aggrediantur, eorum ſpem vanam efficiam: atque ex iniquitate ſua fructus vaſtitatis & ſolitudinis percipient. Hoc ea oſtendunt, cùm dixit, Et vocabuntur eis termini iniquitatis, & hanc à me maledictionem ſemper poſsidebunt.

Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis, magnificatus eſt Dominus ſuper terminos Iſrael.

Hoc inſpicientes cognoſcetis, quàm maximopere vos curo, & tueor. Vbi vero ſic dilectionẽ, quam habuit erga eos, indicauit, eorũ vehementiſsimè ingratum animum arguit.

Filius glorificat patrẽ, & ſeruus dominũ ſuum timebit: & ſi pater ego ſum, vbi eſt gloria mea? & ſi dominus, vbi eſt timor meus? dicit Dominus omnipotens.

Duo, inquit, affectus in omnibus ſubditis dominantur, dilectio, & timor: ſed ille in filios, hic in ſeruos conuenit. Ego autem vobis vtrunque nomen impartitus ſum: non enim modo ſeruos, ſed etiã filios nominaui. Ego di
Pſal. 81. xi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes: filios genui,
Eſai. 1. & exaltaui, & filius primogenitus meus Iſrael. Si igitur filiorum nomen amplectimini, præſtate officium, quod patri debetis: Sin autem vos ſeruos eſſe arbitramini, cur timorẽ, quem ſeruos habere conuenit, non habetis? præſertim cùm eiuſmodi habeatis dominum, qui omnium rerum viſibilium & inuiſibiliũ ſimul imperium tenet. Hactenus communiter eos reprehendit, poſtea vero ſeparatim accuſationem ſuſcipit, & primo ſacerdotum delicta arguit, quòd maioribus criminibus eſſent accuſandi: cùm non ſolum ea in ſe admiſiſſent, ſed etiam iniquitatis exemplum alijs fuiſſent.

Vos ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis, in quo deſpeximus nomen tuum?

Veſtra negligentia in ſacris cõficiendis me abiectũ, & nullius momenti apud multos eſſe effecit: Vos aũt nullũ ſenſum huius rei percipitis, neq; delictum cognoſcere vultis. Hoc oſtendit, cũ inquit: Dixiſtis in quo deſpeximus nomen tuum? non quia eiuſmodi verbis vſi fuerint, ſed quòd iſtiuſmodi cogitationes habuerint. Poſtea cauſam deſpectionis affert.

Offerentes ad altare meum panes pollutos: & dixiſtis, in quo polluimus ipſos? In eo quòd dicitis, menſa deſpecta eſt, & quæ ſuperpoſita ſunt, deſpexiſtis.

Τοὺς ἠλισγημένους οἱ περὶ τὸν Ἀκύλαν καὶ Σύμμαχον μεμολυσμένους ἡρμηνεύκασιν. hoc eſt, nõ ſecundum legem confectos, ſed illegitime factos. Hæc admiſiſtis ſcelera, non arbitrantes honorandam, non auguſtam eſſe menſam mihi conſecratã. Si enim debitum honorem huic attribuiſſetis, omni ſtudio accuraſſetis ea, quæ mihi offeruntur ſuper eam. Deinde nõ vt Dominus, ſed vti pater eos arguit, quòd cæcas & claudas offerrẽt victimas, cùm lex aperte iubeat integras ſacrificari, atque impietatis magnitudinem oſtendit.

Offer illud duci tuo, ſi ſuſceperit te: ſi acceperit faciem tuam, dicit Dominus Deus omnipotens.

Si is eadem qua tu natura præditus contumeliam & flagitiũ exiſtimat eiuſmodi honorem, conſidera, quanta impietas eſt, omnium rerum opifici iſtiuſmodi offerre. Deinde ad pœnitentiam adhortatur, ſuamq; beneuolentiæ facilitatem pollicetur.

Et nunc deprecamini faciem Dei veſtri, & rogate eum, vt miſereatur veſtri.

Et vt maiorem ſenſum ſuorum ſcelerũ percipiant, acrius accuſat: Non vos paternæ iniquitatis accuſo, ſed illius, quam vos etiam nunc admittitis.

Si ſuſcipiam ex vobis facies veſtras? dicit Dominus omnipotens.

Hoc per interrogationem legendum eſt, an ſine pœnitentia miſericors erga vos ero?

Quia & in vobis claudentur oſtia, & non ſuccendetis altare gratis.

Cùm ad extremum robuſto & inueterato morbo laboretis, certe ex aula mea vos eijciã: & tanquam oſtia quædã concludam, cultui ſecundum legẽ ceſſationem afferens. Non enim perpetiar temere victimas offerri, cùm nullam commoditatẽ inde percipiã. Sic Iudęis vaticinatus ceſſationem fore obeundi, & conficiendi rem ſacrã ſecundum legem: mundũ, & candidum, & incruentum gentiũ prædicit ſacrificium. Et primum quidem ad Iudæos verba facit, deinde gentium pietatem oſtendit.

Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens: & ſacrificium non ſuſcipiam de manibus veſtris: quia ab ortu ſolis, vſque ad occaſum nomen meum glorioſum eſt in gentibus: & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium mundũ: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens.

Funditus vos reijciam, nam permultũ deteſtor veſtra facta: & victimas, quas offertis, execror, quarum loco vniuerſum orbem terrarum me ſumma religione colentem habeo.

Nam omnium habitatores terrarum, quas ſol exoriens & occidens ſuis radijs illuſtrat, cùm vbique incenſum offerent, tum etiam ſacrum, purum, & mihi gratũ conficient. Cognoſcent enim nomen meum, & voluntatẽ, & debitum honorem pręſtabunt, & accommodatum cultum adhibebunt. Sic etiam Dominus ad Samaritanam: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando nec in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in
Timoth. 2. ſpiritu & veritate. Paulus his edoctus, in omni loco iubet orare, leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione. Et diuinus Malachias plane nos ex his docet eam pietatem, quam nunc profitemur, in omni loco obitum iri: nam circumſcriptio loci ad ſacra obeunda deleta eſt. Omnis locus accommodatus ad Dei cultum eſt exiſtimatus, & victimarum ratione carentium cædes immaculatus agnus, & tanquam ſignum virtutis odoratum incenſum exiſtit. Iudæi autem iuxta Malachiæ prædictionem reiecti ſunt: quare eis dicit,

Nomen meum magnum in gentibus: vos autem contaminaſtis illud, in eo quòd dicitis: Menſa Domini polluta eſt: & qui ſuperponuntur, deſpecti ſunt cibi eius.

In tantam impietatem prolapſi eſtis, vt non modo præter legis conſuetudinem offeratis, ſed etiam abiectam & pollutã appelletis menſam mihi conſecratam: atque accuſatorio animo dicere attentaueritis, quòd hæc multo ſudore, & labore colligimus. Quare, inquit, vos hac facultate redundanti ſpoliabo: hæc enim ex conſequentibus oſtendit.

Et dixiſtis: Hæc de afflictione ſunt, & exufflaſtis ea, dicit Dominus omnipotens.

Deinde deteſtatur, & maledicit his, qui diuitijs pecorum maſculorum abundãt, & promittunt, hæc ſe oblaturos ad ſacrificium: & relinquunt quidem illa, alia vero pro illis mutila offerunt: ex his enim rebus, inquit, vobis intelligenda eſt regni & potentiæ meæ magnitudo, quam notam faciam omnibus gentibus.

CAP. II.

ET nunc mãdatum hoc ad vos, ô ſacerdotes, ſi non audieritis, & ſi non poſueritis cor veſtrum, vt detis gloriam nomini meo, dicit Dominus omnipotens, mittam ſuper vos maledictionem: & maledicam benedictioni veſtræ, & maledicam ei, & diſsipabo benedictionem veſtram: & non erit vobis, quia vos non ponitis in cor veſtrum.

Benedictionem appellat hoc ſacerdotium, quod per diuinam gratiam acceperunt: hoc minatur ſe diſſoluturum, & diſsipaturũ propter abuſum perabſurdum in eo commiſſum.

Ecce ego ſperabo vobis humerum, & diſpergam ventriculum ſolennitatum veſtrarum, & ſuſcipiam vos ſimul.

Hoc Aquila conuertit ſic, ἰδοὺ ἐγὼ ἐπιτιμῶ ὑμῖν σὺν τῷ βραχίονι, καὶ λικμήσω κόπρον ἐπὶ τὰ πρόσωπα ὑμῶν, κόπρον ἑορτῶν ὑμῶν. Ecce ego vos increpabo cum brachio, & diſpergam ſtercus ſuper multum veſtrum, ſtercus ſolennitatum veſtrarum. Quoniam quidem ſacerdotibus ſecundum legem ſeparabatur pectuſculum, & armus dexter, minatur ſe eos proiecturum, atque armos eis aſsignatos. Pro pectuſculo ventriculum poſuit, ſtercoris receptaculum. Eis olim, cùm pietatem colebant, Deus armum dextrũ attribuit, tanquam ſignum virtutis actuoſæ, & operoſæ. Pectuſculum autem ante cor, veluti thorax quiſpiam propoſitum, ad eius protectionem, ſignum eſt piarum doctrinarum. Itaque cùm voluntarij à pietate deſciuerint, & virtute ſeſe ſpoliauerint, ventriculum, ſtercoris receptaculum, teſtatur in facies eorum ſe diſperſurum: per hæc ſignificans impudentiam & ignominiam. Ex quo cognoſcetis, quòd ego maioribus veſtris de ſacrificijs mãdatum dedi. Deinde per Leui meminit Aaron primi ſacerdotis.

Et cognoſcetis, quia ego Dominus miſi ad vos mandatum hoc, vt eſſet teſtamentum meum ad Leuitas, dicit Dominus omnipotens: teſtamentum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorẽ vt timeret me, & à facie nominis mei formidaret.

Hæc faciẽti, inquit, vitam & pacem promiſi præmium. Ea de cauſa vitæ & pacis id teſtamentum appellauit, quòd obtemperantibus vitam & pacem conciliet.

Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas nõ eſt inuenta in labijs eius: in pace dirigens ambulauit mecũ, & multos conuertit ab iniquitate.

Peccatum, Dei odium conciliat: iuſtitia pacem adſciſcit, & conſtituit. Itaque, inquit, rectam viam ingrediens, & veritatem obſeruãs, & ab iniuſtitia abhorrens, propitium me habet: & mea pace fruens, multis errantibus dux ad veritatem exiſtit. Cõuenit ſacerdotẽ ſummè iuſtum eſſe legum diuinarũ adminiſtrum, nempe aliorum præceptorem electum, & cui diuina reſponſa perferendi negotium datum eſt: angelus enim Domini omnipotẽtis eſt, annuncians alijs Dei voluntatem.

Vos autem declinaſtis de via mea, & infirmos feciſtis multos in lege, corrupiſtis teſtamentum Leui, dicit Dominus omnipotens.

Quòd vero ait, Infirmos feciſtis multos: Aquila & Symmachus, ſcandalizaſtis, interpretati ſunt. Quia vero, inquit, iniquitatẽ amplexati eſtis, alijs detrimentum intuliſtis malo exemplo. Poſtea prædicit eis mala, quæ hoc tempore patiuntur.

Et ego dedi vos contemptibiles, & diſſolutos in omnes gentes pro eo quòd non cuſtodiſtis vias meas, ſed accipiebatis perſonas in lege.

Symmachus interpretatus eſt αἰδυσωπεῖσθε πρόσωπα ἐν νόμῳ. reueriti eſtis facies in lege: eos autem accuſat, quia legi præuaricarentur, & in quorundam gratiam inique iudicarent: atque eos, qui pecuniam accipiẽtes à victimas offerentibus, eas reciperent, quę mutilę membris eſſent.

Nonne Deus vnus creauit nos? quare reliquistis vnusquisque fratrem suum, vt abominabile faceret testamentum patrum vestrorum?

Ab vno Deo fabricati qui de patris more in omnes vos suum amorẽ testatus est, sic communitatẽ naturæ abiecistis, ac despexistis, vt nec naturæ, nec gratiæ communionem senseritis, sed nulli curæ habitos fratres vestros reliquistis: & cùm ijdem præuaricatores essent legum mearum, despexistis, habentes Iudam & Hierusalem commodum exemplum.

Derelictus est Iudas, & abominatio facta est in Israel, & in Hierusalẽ, quia contaminauit Iudas sanctũ Domini, in quibus dilexit: & adinuenit deos alienos.

Iudas, inquit, & in Israel, & in Hierusalẽ execrabilis fuit, qui palã deliquerit, & diuinas leges conculcauerit: & deos non subsistentes, pro eo, qui existit, adorauerit. Posteà communem minationem in eiusmodi omnes intẽtat.

Disperdet Dominus hominem, qui faciet hæc, donec exturbetur de tabernaculis Iacob, & de his, qui offerunt sacrificium Domino omnipotenti.

Qui impie viuit, abhorret à collegio bonorum. Inde in aliam accusationẽ sermonem conuertens, eos criminatur, qui vxoribus relictis, illegitime cũ alijs mulieribus sese commiscerent.

Et hæc quæ oderam fecistis: Operiebatis lachrymis altare Domini, in planctu & gemitu de laboribus adhuc dignum respicere sacrificium.

Mulieres quæ à suis viris iniuriam accepissent, & auxilio destitutæ essent, plangentes & gementes iustum iudicem implorabant: hæc facere cogebantur præ dolore, quo tenebantur. Hoc expressit cùm dixit, de laboribus. His igitur sceleribus admissis, quid amplius opus respicere in sacrificiũ vestrum? Et dixistis propter quid? Cùm iniquitas oblationes vestras execrabiles ostendat, etiã adhuc nullũ sensum doloris percipitis, atque huius causam ignorare vos simulatis: quare Dominus qui de more suo patiens est, hanc vobis affert.

Quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem adolescentiæ tuæ, quam tu reliquisti: & hæc particeps tua, & vxor testamenti tui, & non alius fecit, & reliquiæ spiritus tui.

Memoria repete primam legem datã Adamo & Euæ: simul enim atque mulierem creauit, velut quispiam nymphagogus eã ad virũ adduxit, ac leges matrimonij constituit, cũ di-
Gen. 2. xit: Relinquet homo patrem suũ, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Cùm igitur Deus omnipotẽs vtrunque creauerit, & coniunxerit, & hanc legem tulerit, quomodo audetis tam aperte à principio constituta violare? neque benedictio Dei vobis venit in mentem parentibus vestris facta: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Hoc idem hic designauit, cùm dixit: Et reliquiæ spiritus tui. Cùm enim mortali sitis natura, propter prolem diutissime vestri memoria durat. Verũ cùm Deus hæc sanxisset, vos contrà dicitis, dicentes, nõ castitatẽ matrimoniorũ, sed multitudinem filiorum Deum curare.

Et dixistis, Quid aliud præter semen quærit Deus? & custodite in spiritu vestro: & vxorem adolescentiæ tuæ ne derelinquas.

Verum ego vobis præcipio, vt his sermonibus abstineatis, & diuinas leges obseruetis, & vxorẽ à principio coniunctam nõ repudietis.

Sed si odio habens dimiseris eam, dicit dominus Israel: operiet impietas cogitationes vestras, dicit dominus omnipotens: & custodite in spiritu vestro, & nolite derelinquere pactum.

In lege prohibet, ne quis odio habens vxorem, ei librum repudij det. Hanc legem enucleans Dominus Pharisæis, inquit: Moyses ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud: Ab initio autem non fuit sic: qui enim eos fecit, masculum, & fœminam eos fecit: hoc est, vnum, & vnam: non vnum virum, & duas mulieres: vt hanc odio persequens, alteri coniungeretur. Ergo ipsa creatio castitatis fuit legis constitutio. Cùm Deus non ignoraret Iudæorum insaniam, quòd ab ea quam odissent, abstrahere se exoptates, & per legem non valentes, interfecturi essent, permittit minus malum, vt prohibeat maius: ac inquit, Si odio habens dimiseris eam, coniungetur cum altero, & in dolore non viuet. In sacris Euangelijs præceptor verę virtutis palã profitetur: Quicunq; dimittit vxorem suam, nisi ob fornicationem, eã facit mœchari: & repudiatam ducens, mœchatur. Item hoc loco, hoc idem innuit, Reuelabuntur cogitationes tuæ, dicit Dominus omnipotẽs: nisi iustis de causis dissolueritis matrimonium, iudex vester erit Dominus omnipotens: Igitur custodite in spiritu vestro, & ne relinquite pactionẽ matrimonij constitutam. Cohibete, inquit, malas appetitiones, & de matrimonio confectas pactiones ne distraxeritis. Vt vero sic eorũ iniquitatem arguit, & morbo conuenientem medicinam adhibuit, blasphemiam quãdam, quam admiserant, accusat, ac inquit:

Qui prouocastis Dominũ in sermonibus vestris, & dixistis, In quo prouocauimus te? in eo quod dicitis: Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & in his sibi complacet, & vbi est Deus iustitiæ?

Quidam extrema ignorãtia oppleti, videntes quosdam in sceleribus versantes felicitate summa abundare, dicere attentarunt, quòd Deus malis gaudere videretur. Hæc obtrectatio me ad pœnas de vobis sumendas concitauit. Vos autem maximam impietatem ne exiguum quidem peccatum esse existimatis: atq; hunc eorum inueteratum & deploratum morbũ redarguens, inquit: Et dixistis, In quo prouocauimus eum? cùm vos non ignorare oporteret, Deum esse iustitiæ fontẽ: vnde fit, vt vitia amplectentes detesletur, etsi dispensationis ratio diuinæ sit inexplicabilis, tamen vos doceo, quòd venit tẽpus iustæ retributionis: id quod planum facere studens, prædicit primo priorem Domini Christi aduentum, & ostendit magnum Ioannem Baptistam huius aduentus præcursorem.

CAP. III.

Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam an-

te faciem meam, & subito veniet ad templum suum Dominus, quem vos quæritis: & angelus iustitiæ, quem vos vultis.

Hoc prophetæ testimonium in sacris Euangelijs inuenire est, & per beatus Zacharias diuinissimi Ioãnis pater, cùm eũ in manus sumpsisset, ad eum dixit, Et tu puer propheta altissimi vocaberis, præibis ante faciem Domini parare vias eius. Et hic per prophetam Malachiam dixit Dominus: Ecce ego mitto angelũ meum, & præparabit viam ante faciem meam, & subito veniet ad templum suum Dominus quẽ vultis: omnibus enim ignorantibus conseruator natus est. Templum enim humanam naturam quam Deus verbum susceptt, appel-
Ioan. 2. lauit. Sic etiam ipse Dominus ad Iudæos dixit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc explanans Euãgelista, adiunxit: ille autẽ dicebat de tẽplo corporis sui. Cũ ergo resurrexisset, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat Iesus, & crediderunt scripturæ & sermoni, vt dixerat eis Iesus. Postquam priorem eius aduentum prędixit, etiam secundum eius aduentum prænunciat.

Ecce venit, dicit Dominus omnipotens, & quis sustinebit diem introitus eius? aut quis ferre poterit, vt aspiciat eum? quia ipse ingreditur quasi ignis conflatorij, & quasi herba lauantum: & sedebit conflans, & emendans sicut argentum, & aurum.

Ecce venit &c. Sic etiã Zacharias de secundo aduentu inquit, Aspicient in quem cõpunxerunt, & plangent terra per tribus, ac tribus. Deinde docet eius facta. Iã vero quod ait, Sic-
2. Cor. 3. ut argentum & aurum: Sic etiam per beatus Paulus: Quia in igne reuelabitur, & vnusquisque opus quale sit, ignis probabit: si cuius opus manserit, cp superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentũ patietur. Existimo autẽ ex his prophetam non hunc solũ significare, sed etiam spiritus sancti expiationem. Nã in hoc mystice adeuntes conflat & renouat igne spiritus. Sic etiã Ioannes magnus inquit, Ille vos baptizabit in spiritu sancto & igne: atq; etiam diuina gratia, tanquam herba quadã, peccatorum sordes eluit. Et ad Hieru-
Hier. 2. salem per beatus Hieremias dixit, Si laueris te intrò, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus Deus. Hierusalem enim legalem habuit gratiæ herbam. Hoc autem loco propheticus sermo nobis Dominum, tanquam quendam opificẽ, ostendit, sordes peccatorum velut herba quadam expurgantẽ, & ceu igne quodam animas nostras ciusmodi veneno liberantem. Hoc etiã faciet Leuitis in se credentibus. Ex hoc numero beatus Barnabas fuit, vt historia Actorum docet, alijq; perplures, qui vnà cũ ipso crediderunt, hanc salutẽ assecuti sunt.

Et emundabit filios Leui: & fundet eos sicut aurũ & argentum: & erunt Domino offerentes hostias in iustitia.

Non hostias legis intelligit, de quibus dixit: Non suscipiam ex legibus vestris: sed spirituales, & incruentas, quare adiunxit:

Et placebit Domino sacrificiũ Iudæ, & Hierusalẽ, sicut diebus pristinis, & sicut annis prioribus: & accedã ad vos in iudicio: & ero testis velox, super maleficis.

Breui, inquit, de eis sumam pœnas malorũ quæ vidi, non enim aliorum testimonio egeo, cùm ipse oculis meis iniquitatem videam.

Et super adulteros, & super eos qui iurant in nomine meo mendaciter, & qui fraudant mercede mercenarios, & opprimunt per potentiam viduas, & percutiunt pupillos, & peruertunt iudicium aduenæ: & qui non timent me, dicit Dominus omnipotens.

Vt ab adulteris, & maleficis, similiter ab mendaciter iurantibus, & fructus laboris mercenariorum percipientibus: mercedem vero non persoluentibus, &, vt semel dicam, à cunctis, qui potentia vtuntur contra pupillos & viduas: itemque qui contra aduenas & peregrinos iudicant: & qui non timent iudicium meum, pœnas sumam, & iniuria affectos non perpetiar neglectos manere.

Quoniam ego Dominus Deus vester: & non mutor.

Natura sum non mutationem suscipienti. Non itẽ ignoratis, vt antecessores vestros interfecerim, & in captiuitatem proiecerim.

Et vos filij Iacob non receßistis à peccatis patrum vestrorum: declinastis à legitimis meis, & non custodistis.

Cùm igitur similiter, atq; patres vestri deliqueritis, eadem perpetiemini, quæ illi.

Conuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus omnipotens: & dixistis, In quo reuertemur? si supplantat homo Deum, quia vos supplantastis me? & dixistis, In quo supplantauimus te?

Aquila & Symmachus pro, Supplantauimus te, sic interpretati sunt: Num fraudabit homo Deum? quia vos me fraudastis.

Quia decimæ & primitiæ vobiscum sunt: & vos videntes respicitis, & me vos supplantatis: annus implet us est, & intulistis fructus in thesauros & erit rapina in domibus vestris. Reuertimini ergo in hoc, dicit Dominus omnipotens.

Cùm lex definiat primitias & decimas primas Deo offerendas, deinde reliqua sumenda esse: vos contrà, omnia pariter in vestra granaria intulistis: nec vobis venit in mentem cogitare pauperum esse rapinam, primitiarũ, & decimarum fraudationem sacerdotibus. Ideo non terræ conditionẽ dedi, quia assistentes rebus sacris conficiendis, & pro vobis hostias offerẽtes, ex oblatis mihi primitijs, & decimis alantur, & in diuino templo assidentibus pauperibus ex his administrent. Idcirco hac auaritia restincta, reddite legitima sacerdotibus: experimento cognoscite vobis bonorum maiorẽ copiam fore. Nam quòd ait, Reuertimini in hoc, Aquila vertit, Et periculum facite in hoc. Dabo enim vobis pluuiarum abundantiam, & terræ fœcunditatem, & inde vberrimas fruges, vt finitimi vos per beatos vocent, qui sic à mea prouidẽtia curemini. Ac rursus morbum alium eos vexantem, curat.

Ingrauastis super me verba vestra, dicit Dominus: & dixistis: In quo locuti sumus contra te? & dixistis, Vanus est, qui seruit Deo: & quid amplius, quia custodiuimus mandata eius: & quia ambulauimus supplices ante faciẽ Domini omnipotentis: & nunc beatos

dicimus alienos: & ædificantur omnes, qui faciunt iniquitatem: & restiterunt Deo, & salui facti sunt.

Præpostera mente præditi, obseruantiã erga me inutilẽ, & infructuosam duxistis: & scelerate viuentes, diuitijs redundare, & voluptatibus diffluere dixistis: atque cùm mea prouidẽtia curemini, me omni felicitate carere existimatis: & beatum iudicatis aliorũ felicitatẽ.

Hæc locuti sunt, qui timent Dominum, vnusquisq; ad proximum suũ: & attendit Dominus, & audiuit: et scripsit librum monumenti in conspectu suo his, qui timent Dominum, & qui reuerentur nomen eius.

Cùm, inquit, hęc audissem eos inuicẽ agitare, bonorum meorũ sponsionem perscriptam me timentibus facio. Hoc designauit, cũ ait: Et scripsit librum monumenti in conspectu suo, his, qui timent Dominũ, & qui reuerentur nomen eius. Hi, inquit, qui permagno æstimãt meum cultum, & timent quippiã eorum, quę mihi displicent, cõmittere, erunt mihi in die, qua ego facio, in acquisitionẽ: Eos, inquit, mihi vindicabo in die iudicij: & eligã eos sicut eligit homo filiũ suum qui seruit ei, quemadmodũ pater erga filium gratum affectus, eum anteponit, sic ego hos anteferam ingratis contraria cogitantibus. Cæterùm, Eligã, Aquila vertit, φείσομαι ὡς φείδεται ἄνθρωπος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, parcam eis, sicut parcit vir filio suo.

Et conuertimini, & videbitis quid sit inter iustũ, et iniquum: & inter seruientem Deo, & eũ qui non seruit. Quia ecce dies venit ardens sicut clibanus, & comburet eos. CAP. IIII.

Tum, inquit, noscetis, quantũ discrimen inter iustum, & iniustum, & quantũ differat Deo seruiens, ab eo, qui non seruit: ne arbitremini vitam præsentẽ in omne tempus duraturam, hæc enim extinguetur: & veniet dies aliqua ardens, sicut clibanus, & comburet eos.

Et erunt omnes alienigenæ, & vniuersi qui faciunt iniquitatem stipula: succendet eos dies veniens, dicit Dominus omnipotens, & non relinquetur in eis radix, neque ramus.

Alienigenas, Aquila vertit superbos. Sic etiam diuinus Paulus: Si quis autem superędificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides, preciosos, ligna, fœnũ, stipulam: vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Postquam sic prędignificauit impie viuẽtibus internecionem, & cladẽ, ostendit cuiusmodi sint piorũ prędmia. 1. Cor. 3.

Et orietur vobis, qui timetis nomen meum, sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.

Hæc & in priorem conseruatoris nostri aduentum conueniunt, & à secundo non dissident: nam in priori aduẽtu velut sol nobis exortus est, in caligine, & tenebris constitutis, atque vt peccato nos liberauit, iustitiam impartitus est: & cùm spiritualibus donis quasi quibusdam alis nos velasset, curationẽ nostris animis adhibuit. Itemq; in secundo aduentu his, qui in hac vita vexantur, apparens iustè ius reddet, & promissa bona largietur: & quemadmodum sol, sensu comprehensibilis, exoriens somno oppressos ad laborem excitat, sic hic adueniens longo somno, videlicet morte, constrictos excitat. Tunc inquit:

Egrediemini & salietis sicut vituli de vinculis relaxati, & conculcabitis iniquos, & erunt cinis subter pedes vestros, in die qua ego facio, dicit Dominus omnipotens.

Sic erat diues Lazaro, sic erunt iniuria affectis iniuriam facientes, sic sanctis martyribus tyranni, & persecutores iniqui. Deinde in eorum memoriã redigit, quæ de Domino Christo Moses prædixit, atq; iubet summo studio legem legere, atque ei obtemperare, & nequaquam contradicere.

Mementote legis Mosis serui mei, quam mandaui ei in Horeb, ad omnem Israel præcepta & iudicia.

Cùm planè teneret eos non legi obtemperaturos, neque eum profectum in mundũ recepturos esse, sed in crucem acturos, incredibili misericordia vtens, pollicetur eis Heliam rursus missurum, declaratorem salutis.

Ecce ego mittam vobis Heliam Thesbiten, antequam veniat dies Domini magna & illustris.

Diem secundi aduentus dixit: docetque item quæ magnus Helias facturus sit, cùm venerit: & causam, quare prior veniet, ostendit.

Qui conuertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum: ne forte ueniens, percutiam terram penitus.

Ne, inquit, vos omnes in infidelitate deprehensos in perpetua suppliciare legẽ, prius veniet Helias, & meum aduentum vos edocebit: & vobis ò Iudæi inducet in animum, vt sine dubitatione cum gentium fidelibus coniũgamini, & in vnam redigamini meam Ecclesiam. Patres vocat Iudæos, quòd priores vocati fuerint. Filios vero gentes, quòd post eos aduocati fuerint. Quoniam nos hoc tempore Iudæos adhortamur ad pietatem: illi cõtrà nunquam nostris monitis obtemperant: Rectè dixit, Heliam patris cor ad filium conuersurum: illos enim adducet ad coniunctionẽ nostram. Hæc autem non modo Iudæis timorem injicere, sed nos quoque perterrere possunt. Nam quò maioribus bonis potiti sumus, hoc maiores pœnas de nobis sumet iudex. Quãobrem nobis danda opera est, vt probe comparati simus ad illã diem, vt libere adsimus ad tribunal horribile, atq; bona promissa assequamur. Cæterùm illud monitos velim lectoros laborem nostrum, de his, quæ bene & rectè diximus, Trinitatem laudibus persequantur: illius enim donum est scientia. Sic item beatus Dauid ait, Docens hominem scientiam. Sin autem quid ex propheticis oraculis nostrum captũ fugerit, naturę infirmitati ignoscant, propositum laudẽt, & labores precationibus compensent. Bonorũ suppeditator, sapientiæ fons auctorem, & lectores prudentia ad omnes res instruat, vt acerrimo studio ei seruientes, glorificemus eum in corpore & in spiritu nostro, quoniam ei conuenit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CANDI-

SALVE plurimùm Candide Lector. Cùm è nostra Typographia in lucem prodierit opus B. Theodoreti, laborauimus, vt omnia quæ ipsius Theodoreti sunt diligẽtissimè cõquirerentur, vt ex sequentibus facilimè colligere licet. Adiecimus enim huic operi Quęstiones in Regum libros & Paralipomenon, per Heructum interpretatas, nunquam antea editas: Præterea Cathenam veterum sanctorum patrum in Cática tam veteris quàm noui testamenti: quòd in ea plurima Beati Theodoreti reperiantur, quæ operi ipsius adhibita antea non fuerint. Quemadmodum ex Cantico Esaiæ capitis 26. & Ezechiæ colligi licet. Ea enim ex interpretatione Theodoreti in Esaiam traducta esse, dubium non est. Cùm & ipse Theodoretus, Commentariorum suorum super Esaiam, in interpretatione Ieremiæ meminerit, & Venerabilis frater Sixtus Senensis in Bibliotheca sua Sancta, eundẽ Interpretibus Esaiæ annumerauerit. Quare ab eodem fratre Sixto Senensi, atque ab omnibus doctis viris ardentissimis votis petimus, vt in hac conquisitione vetustissimorũ patrum, quibus Ecclesiæ doctrina illibata retinetur ac defenditur, nobis ob fidei Catholicę zelum ac amorem suam operã prętent, quo tandem B. Theodoretus ac cæteri auctores integri in lucem prodeant. Vale.

CATHENA EXPLANATIONVM VETERVM SANCTORVM PATRVM IN OMNIA TAM VETERIS, QVAM NOVI TESTAMENTI CANTICA,

AB ANTONIO CARAFA è Græco in Latinum sermonem conuersa.

CANTICVM MOSIS IN EXITV.

Eusebij Episcopi Cæsareæ.

CAnticum est Theologia in rectis dogmatibus consistens, quam ipsa anima perfecti viri per seipsam meditata est Deo consecrare. Canticum est, quodcunq; contemplationem, & Theologiam tantũ continet. Canticum est vox, quæ cum melodia, & cum armonia profertur abq; sono instrumẽti. hoc primum cecinerunt Canticum filij Israelis cùm sicco pede rubrum mare trãsiuissent, cumq; insequentes Aegyptios vndis obrutos, & demersos factos simul cũ curribus, & equis spectassent: non quòd maris contractionem quandam, & resluxum, qui in illo loco fit, obseruassent, vt dicunt qui idolis dediti sunt, & in stulta opinione viuunt: hũc enim potissimum nouissent, si esset verum, præter hos Aegyptij vt magis finitimi, & accolæ illorum locorum, sed cùm inexpugnabilẽ Dei potentiam ante ipsos certantem, & eos protegentem conspexissent,

Cantemus Domino glorioſe enim honorificatus est.

Cyrilli Alexandrini. Vtiliter enim miraculũ edidit hoc vniuersitatis Deus. etenim cùm in Aegypto quãplurima signa & admodũ admiratione digna eis ostendisset, addidit etiã hoc honoris sui agendi causa, vt qui in sua essent tutela ipsum mare pertransire possent, vt etiã piam deinceps, & firmam mentẽ in seipsis haberent, & iam crederent ipsum minimè ex falsis Deis esse, nimirum humanę artis inuentũ aliquod; sed vt intelligerẽt cũ dominus totius vniuersitatis sit, ipsum omni creaturę illius pedib. subiectę imperare, & quodcunq; voluerit facilè perficere. An nõ omnẽ sensibilem & humilẽ hominum opinionẽ superat ille, qui omni creatura, p̃ suo arbitratu vtitur, & quę illius nutibus paret, ac inimicos, qui suis propugnatorib. molestiam inferũt subuertit: non equidẽ naturali quodã impetu mare id fecit, sed & prẽter naturã coactum opificis volũtati paruit. Nónne hic præstans est supra omnẽ humanam opinionẽ, qui fecit vt suus populus per mediũ mare transiret, & veluti per continentem ambulans pelagus traijceret, & qui sine labore omnes de medio sustulit, & in fugã vertit iniustum, & impium Aegyptiorum populum, festinantem eandem ingredi viam, vt à tergo ipsos cæderet, & exclamantem contra insontes, & hospites?

Equum, & ascensorem proiecit in mare.

Eiusdem. Tunc quidem Pharaonem, & omnem eius exercitum summersit: Nunc autem per aduẽtum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, intelligibilem Pharaonem, & prauam eius potentiam ignominiæ affectus conscendentem in Iordanis alueis demersit, & fecit, vt verus Israelita liber ab eius seruitute exiret, vt ne amplius hoc timeamus freti illo, qui dicit, Si exieris in bellum contra hostes tuos, & videris equum, & ascensorem, & populum multum non timebis, quoniam Dominus Deus tuus tecum est.

Adiutor, & protector factus es mihi in salutem.

Eiusdem. Nam opem eis iniuria affectis attulit, & veluti Aquila alis vt pullos protexit, & congregauit, non in interitum vt Aegyptios, conturbans, & educens ipsos cum violentia operiens aqua, sed congregauit ipsos in columna ignis, & nubis in salutem: nam murus erat eis aqua à dextris, & à sinistris.

Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.

Eiusdem. Demonstratiuo pronomine eius naturam minime communicari posse cum his dijs, qui non sunt, ostenderunt: hic Deus meus, non falsi, non ij, qui olim in Aegypto à nobis sunt culti, huic & gloriam dabo, nam Dominum Deum meum adorabo, & illi soli seruiam. Etsi enim nos in Aegypto errantes Dæmonibus, & non Deo immolabamus, tamen nunc dicamus, Deum patris nostri Iacob nos fore vt colamus, & in altum extollamus, nihil abiectum, vel humile de ipso sentientes, sed cognoscentes ipsum Deum verum esse, non opus vel figmentum, sed totius vniuersitatis opificem, & supra totum mundum, qui cernitur, & non cernitur, non recentem sed sempiternum: hunc enim, qui est, nouit & Iacob noster Patriarcha firmè, & nunquam de ipso alias alio tempore opiniones habuit. propterea & dicimus huic ipsi, qui nos liberauit, & patris nostri Deus fuit, nos gloriam dare, beneficia eius narrantes, & annunciantes opera eius, & ob eximiam lætitiam diuersè idem repetentes, modo quidem equum, & ascensorem in mare proiecisse, modo verò currum Pharaonis, & eius potentiam aquis obruisse.

Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi, currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.

Gregorij Nysseni. Porrò exercitus Pharaonis, qui minime cernitur, est cœtus absurdorum studiorum, & dedecoris affectuum, quæ in vnum cogens, excitat bella timentibus Dominum: sed huiusmodi bella conterit Dominus qui facit vt ascendamus super aspidem, & basiliscum, & super omnem potentiam inimici.

Electos ascensores.

Electos autem inquit, vt eos, qui tales esse alijs videntur, & breui voluptate stultos allicientes, vt ipsis adhæreant, & à Sathana magni fiunt: quoniam etiam eius escas electas alibi sacræ literæ dicunt.

Principes summersit in mari rubro, ponto operuit ipsos.

Τριστάτας scilicet Principes hoc significãt. contra hostiles manus antiqui magnos currus faciebant, adeo vt tres homines caperent, vt vnus quidem auriga esset, duo verò alij certarent: vel super tribus equis ascendentes: quandoquidem antiqui in bellum profecti ab aurigis super tribus equis vehebantur, inquit enim omnem equum, & Principes super ipsis, vel fortes viros, qui possent contra tres stare. Vel Τριστάτας vocat eos, qui in acie phalangis terni stabant: primo enim occumbente, vel defesso, ὁ Τριστάτης ingrediebatur in illius locum. Vel Τριστάτην dicit tertium, hoc est eum, qui tertius stat, dum Rex sedet, vel tertiam sedem habet, vt erat Dauid apud Saulem: hoc autem inuenies in primo Regum libro. Τριστάτας vocat historia, & intelliges hos tres penitus vectos à curru, tripartitam animæ diuisionem in partem rationis compotem, & in partem concupiscentiæ, & iræ. Hæc igitur omnia, & quęcunque horum cognata sunt, in aqua cum Israelita præcedete prauum affectuum impetum coincidunt, ex quibus aquæ natura præeunte in baptismate fide, & illustrante nube; vitam quidẽ illis affert, qui ad ipsam confugiunt, hostes verò ipsam sectantes perimit.

Descenderunt in profundum, quasi lapis.

Nam lapidibus erant stolidiores, & grauiores, nihil leue, & sublime habentes, vel vt aerem penetrare possit: sicut enim onus graue grauati sunt, & non in maris superfice, sed in profundo aquæ ipsius: quoniam & isti in malorum profundum peruenerunt, pro nihilo ducentes Deum, sed non huiusmodi sunt sancti, vt nubes enim volant inquit Esaias, Et vt Aquilæ per aerem volant. *Esa. 40.*

Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua, manus Domini vulnerauit inimicos, & multitudine gloriæ tuæ contriuisti aduersarios.

Dexteram & Brachium, & Manum, sæpius Eiusdem. sacræ literæ filium nuncupare solent, atq; etiam potentiam: Christus enim Dei potentia, & Dei sapientia est. ipsa igitur gloriosa effecta est, cùm inexpugnabilis patris potentia esset, cumque contriuisset Pharaonem, & omnem eius exercitum.

Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos, sicut stipulam.

Deum affectuum expertem esse, sæpe dictum est Iram autem Dei vocat sacra scriptura, motum ad puniẽdum peccatores animaduersione dignos, vel Angelos huic subseruientes, Immitte enim iram, & furorem immissionem per Angelos malos. Ira quippe, & furor quomodo mitti potest? si verè iram intelligemus, vel furorem, cùm sit feruor sanguinis circa cor: sed neque corpus, neque affectus Deus habet. Cæterùm Iram missam censendum est pœnam, quæ peccatoribus infligitur, quæ ipsos absorbuit, hoc est, consumpsit sicut stipulam ignis. *Psal. 77.*

Et per spiritum furoris tui diuisa est aqua, fixæ sunt vt murus aquæ fixæ sunt & vndæ in medio maris.

Porrò

Porrò spiritum furoris, Angelum huic pœnæ subseruientem dicit, vel etiam Austrum, qui & aquas aggregauit, videlicet, stare faciens, & figens fluxam naturam vt murum fecit. sed cùm Aegyptius vidisset, putauit eandem semitam etiam sibi esse præparatam, & filios Israelis insequi posse.

Dixit inimicus, persequar, comprehendam, diuidam spolia, implebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea.

Et vincam fugientes, & prædam non paruam faciam, hos quidem cædens, hos verò viuos conseruans, & captiuos efficiens.

Misisti spiritum tuum, operuit ipsos mare, summersi sunt quasi plumbum in aqua vehementi.

Induxit enim dominus mare in vento austro vehementi. *Spiritum* autem Dei censemus Austrum vt opus Creatoris, & figmentum opificis.

Quis similis tibi in Dijs domine, qui similis tibi glorificatus in sanctis admirabilis gloriose faciens signa?

Eiusdem. *Quis* hoc in loco, pro *Nemo* iacet. neque enim in potentijs, vt Symmachus reddidit, neque in sanctitate æquiparari quis poterit, vel etiam aliqua in re assimilari: quandoquidem nec incomparabilia comparari possunt, nec opera cum suo opifice, nec cum eo, qui est, ea, quę non sunt: omnino enim omnibus præstas incomparabilibus excellentijs.

Extendisti dexteram tuam, & absorpsit eos terra.

Gregorij Nysseni. Quę enim olim contracta erat, ob tolleran tiam, & bonitatem, & patientiam extensa est contra Aegyptios. hanc enim pro nihilo habentes, & in melius progredi nolentes, thesaurizauerunt sibi ipsis iram in die iræ. Cęterùm eos terram absorbuisse inquit, voragine facta, postquam à mari ipsi obruti fuerunt, & à filijs Israelis spoliati fuere. Primùm Deo volente filijs Israelis persuadere eos penitus necatos esse, in conspectu ferente cadauera, & fecit, vt ea spoliarent, ne putarent per imaginationem ea, quę acciderunt, facta esse. Deinde rursus in eorum oculis illa cadauera fecit, vt euanescerent, absorpta à terra, sicut accidit sæpius his, qui iustè puniti sunt.

Dux fuisti iustitia tua populo tuo huic, quem redemisti.

Eiusdem. Nam iustitia est quàm verissime, saluare hospites iniuria affectos, liberos, qui in seruitutem abducti erant, conuertere errantes, pios ab insidijs liberare.

Adhortatus es fortitudine tua in habitaculum sanctum tuum.

Hoc est Portasti, sic enim Symmachus interpretatus est. Adhortatus es, custodiens ipsos in omnibus, & hostes vlciscens, & liberalem ipsis bonorum salutem largiens, donec in ipsam terram quam promisisti, restituisti. Habitaculum sanctum est pia cogitatio, & bonarum actionum operatio, in quam adhortatus est ipsos, corrigens eorum stultitiam, & optimis moribus eos imbuens, vt pater & præceptor.

Audierunt gentes, & iratæ sunt.

Eiusdem. Scilicet, Motę sunt, & turbatæ sunt. & hęc Raab meretrix testatur, eorum tumultũ speculatoribus annũcians. Et alienigenæ arcam conspicientes, & væ nobis exclamantes, vt in Regum libris scriptum est.

Dolores ceperunt habitatores Philistim. tunc festinarunt Principes Edom, et Principes Moabitarum, cepit eos tremor, liquefacti sunt omnes habitatores Chanaam.

Edom, & Seir Esau nominatur, qui Iacob vterinus frater fuit, ex quo Idumæi descendunt: Moabitę verò à Moab filio Lot. horum duces scientes inexpugnabilem manum pro Israele pugnante correpti sunt timore, & graui terrore obsessi affligente animam. Cæterùm hoc verbum Festinarunt, Turbati sunt, cæteri reddiderunt. Verùm tempora diuina scriptura parum curat, & alicubi quidem tanquam iam factas res annunciat, futurorũ prędictione freta, & credens omnino euentum sequi, alicubi verò tanquam nondum facta futura narrat.

Irruat super eos formido, & pauor, magnitudine brachij tui lapidescant, donec transeat populus tuus domine, donec pertranseat populus tuus hic quem redemisti.

Quod est ob hyperbolem tuæ potẽtiæ, im- Eiusdem. mobiles permaneant à timore eneruati. hæc autem vt eis accidant precamur, cùm non simus fratres maleuoli, sed ne quid mali transeuntes accipiamus, præter opinionem saluati ex manu Aegyptiorum, & populus tuus vocati, & possessio facti eius, qui salutem largitus est.

Introducens plantato ipsos in montem hæreditatis tuæ in præparatum habitaculum tuum, quod operatus es domine.

Rogamus vt & introducas nos, & quiescere facias in terra, quam patribus nostris promisisti, & in habitatione, & sanctuario effecto, vel parato tua prouidentia, quod domum deprecationis fore statuisti, & præparasti tuæ hæreditati, & funiculo hæreditatis tuæ, ipse enim es Rex in seculum, & vltra seculum. Eiusdem.

Sanctuarium domine, quod præparauerunt manus tuæ, dominus, qui regnat in æternum, & vltra.

Porrò quæ sunt manus? Dominus, qui re- Eiusdem. gnat in æternum, per quem & omnia fecit pater, & euertit principatus, & potestates, & contriuit capita Draconum in aqua, & liberauit proprium populum ab oppressione illorum, & reliqua.

Quoniam ingressus est eques Pharao cum curribus, & ascensoribus eius mare, & induxit super eos dominus aquam maris: Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio maris.

Cęterùm hæc dicimus, freti ijs rebus, quas Eiusdem. iam nobis ostendisti, cùm hostes quidem in fugam vertisses, & totum pelagus in ipsos inundasses, & Israelem deduxisses tanquam in continenti per medietatem aquæ diffissæ ob tuum præceptum: hos etiam secundum spiritus legem conijcies sublimior sermone factus. Principes nanque, & Duces Edom, & reliquorum impiorum alienigenarum gentium, Sathanam considerabis, & prauas potentias quæ

tias quæ ſub ipſo ſunt, quæ & motæ ſunt, videntes inexpugnabilem Dei manum in impi-
Matth. 8. os irruentem, clamantes, Sine, quid nobis & tibi, fili Dei, veniſti ante tẽpus torquere nos? & inuidia rupti liquefacti ſunt, cernentes Sionem parturientem, & parientem in vno die gentem hanc, & populum genitum, & laudantem dominum.

Deut. 32.

CANTICVM MOSIS IN DEVTERONOMIO.

ATTENDE cœlum, & loquar, & audiat terra verba ex ore meo.

Conuocat ad doctrinam eorum, quę à Domino dicuntur, continẽtes partes totius mundi, nimirum cœlum ipſum, quod diuinas virtutes continet, & terram mortalium habitationem, & cœlum quidem attendere, terram verò audire iubet, quoniam & oculi præſtantiores auditu ſunt, & veluti vnus oculus, omnes intelligibiles potentiæ ſunt, cùm ſint perſpicaces, atque perfectius quàm nos comprehendant intelligibilia & viſibilia. & quoniam ea, quæ prædicuntur, longis poſt temporibus per euentus futura ſunt, cùm mortalis natura breuiſsima ſit, inuocat diuinas, & immortales potentias, & perennes orbis partes tanquam in teſtimonium rerum, quæ ab ipſo dicuntur, & quæ accident multis poſt ſeculis, cùm nulla hominum vita permaneat in euentum eorum, quæ prædicuntur.

Aliter. Moſe de Domino vniuerſitatis loquente, & de totius orbis opifice, atque eorum, quæ ſunt, conditore differente, & nõ de alio quodam creato, & falſo Deo, oportebat dignè eius vocis auditores inuocare. propterea tanquam in vno maximo theatro, nimirũ in hoc orbe, Cœlum ipſum, & terram & omnia, quæ in his ſunt, ea, quæ dicuntur, attendere adhortatus eſt. Inuocat autem vniuerſam terram & cœlum, eò quòd non contra Iudæos ſolum hæc verba dicuntur, ſed etiam contra omnes totius orbis gentes, quæ cœleſti conſuetudine indignæ ſunt. ſed quoniam præſtantius eſt cœlum terra, attendere, quod eſt intelligere, meliori tribuit, audire vero, quod eſt propriè eorum, quæ corpus habent, terræ attribuit.

Expectetur ſicut pluuia eloquium meũ, & deſcendat ſicut ros doctrina mea.

Cyrilli Alexandrini. Nam ſicut ros ea, quæ ſunt in agro optima reddit, ſic etiam diuinus ſermo lætificat cor. Vult dicere per hanc clauſulam, Expectetur ſicut pluuia eloquium meum, facite receptacula in vobis ipſis in eorum quæ dicũtur perceptionem: nam hoc faciunt prudentes agricolæ, etenim pluuia imminente, arant terram, & ſtudioſè colunt ea, quæ circa arbores ſunt, nequid aquæ effugiat, ſic etiam volo, ne quid eorum, quæ dicuntur, vos lateat.

Sicut imber ſuper gramen.

Gramen, & fœnum, ſteriles herbæ ſunt, & vt inquit Saluator in clibanum mittuntur: emittunt autem has præcipue inculta, & deſertaloca. Sciens igitur Moſes ſterilitatem audientium, inquit, Sicut imber ſuper gramen, & ſicut nix ſuper fœnum, ſcilicet in aures audientium, & nullum fructum ex auditione capientium.

Et quaſi nix ſuper fœnum.

Fœnum radicem in ſuperficie habet, vireſcit autem, & in germen facile creſcit, quòd à niue pingue fit. ne ſint igitur noſtri ſermones in vobis difficiles auctu, ſed inſtar fœni, facile in vobis floreſcant, & tanquam gramen altius radices agant.

Quoniam nomen Domini inuocaui, date magnificentiam Deo noſtro.

Nihil de ipſo abiectum & humile ſentientes, inquit autem, & extollite Dominum mecum: ſi enim eius opera in altum elata ſunt, quanto magis ipſe eorum conditor?

Deus verax, opera eius, & omnes viæ eius Iudicium, Deus fidelis, & non eſt iniquitas in eo.

Nimirum ſine reprehenſione, & ſine crimine, & ſine culpa ſunt ſermones eius prouidentiæ, licet noſtræ mentis captum fugiant.

Iuſtus, & ſanctus Dominus, peccauerunt non ipſi filij vituperabiles.

Hoc eſt, non mentietur iudicia faciens, neque eſt acceptio perſonarum apud Deum, neque iniuſtas profert ſententias: eſt enim iudex incorruptus, & pro dignitate vnicuique tribuit.

Generatio obliqua, & peruerſa.

Diaboli filij, & Serpentis tanquam ab ipſo geniti, ad eius ſimilitudinem obliqui ſunt, & tortuoſi, viam rectam non incedẽtes, ſed oblique ſe circumuoluentes.

Hæc Domino redditis?

Ei ſcilicet, qui cùm non eſſetis, in lucem edidit, & id quod eſtis vobis dedit, qui elegit vos ex omnibus gentibus populum hæreditarium, qui redemit vos ex oppreſsione Pharaonis, qui per mare vos eduxit, & non tritam, ſed inuiam viam dedit, & inſequentes Aegyptios poſt vos vndis obruit, & qui cætera miracula edidit.

Hic populus ſtultus, & inſipiens.

Nihil in intelligentiam beneficij auctoris vos ducit, ſed omni temeritate peiores eſtis, neque caſtigati, ad Dominum conuertimini, qui tanquam filios caſtigat, neque ob multitudinem beneficiorum cognoſcitis Dominum. Atqui bos cognouit poſſeſſorem, & Aſinus præſepe domini ſui, tu autem ò Iſrael non cognouiſti, neque intellexiſti Redemptorem. Eſa. 1.

Non ipſe hic eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit te, & confirmauit te?

Hoc eſt, cùm te ſeruum poſſediſſet, vtpote qui veſtros inimicos expugnauit, & in fugam vertit, non tanquam ſeruum poſſedit, ſed adoptionem tibi largitus, & pater eſt vocatus, cùm immutauerit te, & renouauerit in adoptionem, vt etiam primigenium te vocaret.

Mementote dies ſeculi, cogitate generationes generationum.

Recurrite, inquit, memoria ad dies ſeculi, perpen-

perpẽdite per vos ipſos omnes ætates in mentem reſumentes, ex quo fuerunt homines, ſi factum eſt ſic omni genti, & huiuſmodi honore dignas effecit, & filium Dei vocauit, & eius populum, & oues paſcuæ eius.

Interroga patrem tuum, & annũciabit tibi, ſeniores tuos, & dicent tibi.

Si iuuenis eſtis heri, & nudius tertius creati, & ignorare ſimulatis, interrogate patrem veſtrum, & annunciabit vobis, ſeniores veſtros, & dicent vobis. Pater autem veſter ego Moſes, vt princeps cenſeor, poſſum vobis vera annunciare, prophetia dignus effectus ſui, mediator inter vos, & Deum fui, dixi quomodo à principio vniuerſitatem conſtituit, & ſi quid factum eſt ante prædixi.

Quando diuidebat Altiſſimus gentes, quos diſpergebat filios Adam, conſtituit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei.

Principium diſtributionis gentium in diſperſione filiorũ Adam facta ſecundum numerum Angelorum Dei, occaſionem videtur habuiſſe ab ędificatione turris, cùm filij & poſteri Noe numerum gentium complectantur, cùm numero Septuaginta eſſent, ſed etiam filij Iacob, & filij filiorum, qui rediguntur ad numerum Septuaginta, qui in Aegyptum deſcenderunt, ſicut in Deuteronomio ſcriptum eſt, In Septuaginta animabus deſcenderunt patres veſtri in Aegyptum: ſic autem & cęteri reddiderunt Interpretes, Secundum numerum filiorum Iſrael.

Ex epiſtola Seueri ad Ioannem Tribunum.

Quando diuidebat altiſsimus gentes, quos diſpergebat filios Adam, conſtituit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei, hunc habet ſenſum. omnibus gentibus diuiſis, Angelos ſecundum eundẽ numerum præfecit, attribuens aliquem vnicuique ad cuſtodiam: Etenim eſſe ipſos ſpiritus miniſtros in miniſterium miſſos propter eos, qui futuri ſunt hæreditatem capere ſalutis, à ſcripturis
Hebr. 1. diuinitus afflatis audimus. Quoniam etiam cuilibet Angelum ad cuſtodiam datum fuiſ-
Matt. 18. ſe, Euangeliorum vox teſtatur, Domino de pueris dicente, Ne contemnatis vnum de puſillis iſtis, dico enim vobis, quòd Angeli eorũ ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Faciem autem hoc in loco, ſummam inſpectionem, & curam vocat, & non corporalem characterem, & figuram, vt etiam canens
Pſal. 118. Propheta inquit, Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum. Si autem ſingulis Angelum vt diximus præfecit Deus, quomodo non magis & gẽtibus, & populis, & ciuitatibus? Quod igitur inquit Moſes hoc eſt. Cùm altiſsimus gentes quidem diuiſiſſet, & terminos fixiſſet, vnicuique termino Angelum attribuit, menſura, & numero. Non enim gentium terminos eiuſdem numeri myriadum Angelorum, qui ſine numero ſunt, fecit, ſed terminos ſecundum numerum præfectorum Angelorum diſtribuit. Secundum igitur hanc prouidentiam, quæ continet omnium hominum vitam, & illud, quod vnuſquiſque eſt, erant quodammodo omnes gentes eiuſdem conditionis, quæ habent ad cuſtodiam Angelos, pro dignitate cuilibet fauentes: Poſtea verò Iſraeliticam gentem ob cognitionem cùm familiarem ſibi feciſſet, partem propriam, & funiculum, & hæreditatem nominauit. hoc igitur aperte per ea, quæ dixit Moſes oſtenditur, & addit quod qui ex Iſrael orti ſunt præter honorem, qui illis cum alijs gentibus erat, commune hunc etiam habuerũt, quia ſcilicet præter Angelorum cuſtodiam, vt dixi, & pars Domini, & hæreditas appellãtur. Quod quidem commune dicitur omnium, commune erat, quod verò proprium, præmium virtutis erat: ex quo Angelus Danieli oracula pandens, dicebat, Michael princeps veſter, tanquam ipſo Dan. 10. gloriante, illum Iſraeliticam gentem in cuſtodiam habere. Gens igitur Iſraelis numerata fuit in hæreditate, & parte Domini, eò quòd ipſa Deum cognoſceret.

Et factus eſt pars Domini populus eius Iacob.

Non hoc dicit Iudæos quidem ſuos eſſe, a- Ioannis
lios verò homines non, ſed ſua prouidẽtia de- Chryſoſtomi.
ſtitutos eſſe, & gubernatione priuatos, verum communis omnium eſt: vtitur autem hoc ſermone, quoniam vtcunque alijs videbãtur meliores.

Funiculum hæreditatis eius Iſrael, inuenit ipſum in deſerto.

Nam fune terræ diuiſiones faciebant: ſic metita, & diuiſa eſt terra filijs Iſraelis: à conſuetudine dictus eſt igitur funiculus.

In ſiti æſtus in inaquoſo.

Non enim habebat fluuium lætificantem ciuitatem Dei, neque fontem vitæ, neque torrentem voluptatis, vnde in ſiti erant à Diabolo accenſa.

Circundedit ipſum, & eruditit ipſum.

Nam eorum patres probauit, & per multas afflictiones examinauit. primũ quidem cùm ex Aſſyria in Chanaam tranſtuliſſet, & rurſus in Aegyptum, & ex Aegypto rurſus in Chanaam, & innumeris tentationibus cinxit, erudire ipſos volens. Cæterùm Iacob in Meſopotamiam duxit, & vt ſeruiret fecit, vt per patientiam, & in Deo ſpem acquirerent ſibi ſalutem.

Et cuſtodiuit vt pupillam oculi.

Vt diceret Iacob, partim quidem, Angelus
Geneſ. 31. qui eripuit me de omnibus malis meis: partim verò, Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, modo forſitan vacuum me dimiſiſſes.

Sicut Aquila ad protegendum nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos volitans, extendens alas ſuas ſuſcepit eos, & aſſumpſit eos ſupra ſcapulis ſuis.

Oſtendit per hæc multam curam erga ipſos habitam, & voluiſſe ipſos in altitudinem contemplationis ſpiritus euehere, & ad ſummum virtutis faſtigium: quandoquidem dicunt Aquilas multum circa proprios filios habere amorem, & eos alis ſuſcipere, & paulatim in altum ferre; meritò Moſes Aquilæ ſimilitudine vſus eſt, cùm dixiſſet Deũ vt Aquilam proprios filios Iſraelitas aſſumere ſuper hume-

humeris, & in altum ſubleuare, & cœlorum ciues efficere, præſidium, & adiumentum eis præbentem.

Dominus ſolus duxit ipſos, & nõ erat cum eis Deus alienus.

2. Cor. 6. Quemadmodum enim inquit diuinus Paulus, Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial?

Aſcendere fecit eos ſuper robur terræ.

Hoc eſt, ſublimiores ipſos terreſtribus fecit. vt enim Aquila inquit, ſuper ſummitatẽ terræ ſtatuit eos, vt nihil humile, vel abiectum ſentirent, volens.

Cibauit ipſos fructibus agrorum.

Nimirum ſpiritus, qui boni odoris pleni ſunt, & quià domino benedicti ſunt, & intelligibile manna colunt, vel etiam producunt.

Suxerunt mel de petra.

Cæterùm hęc ſpecies philoſophicæ, & ſimplicis vitæ, & rebus neceſſarijs contentæ, proprium quidem locum habet, ſolitudinem, & in hac vt plurimùm verſatur, & vbique cum quibuſlibet ſimul ambulat, ſiquidem in moribus, & non in loco philoſophia poſita eſt, quod quidem nulla res arctare poſſet. In ſolitudine quidem dulciſſimam aquam ex lapide ipſis eduxit, quæ ipſis ſitientibus mellis dulcedini ſimilis eſſe viſa eſt. quoniam multo labore defeſsi erant & itinere, & vehementi ſiti correpti, in frigidos aquæ riuos inciderunt. voluptatem igitur illorum riuorum ob oculos ponere volẽs, mel aquam vocauit, non tanquam aquæ naturam in mel mutatam, ſed veluti voluptatem illius riui certantem cum illa dulcedine. In terra autem promiſsionis affatim terræ fructus largitus eſt, à parte nanque totum demonſtrauit.

Et oleum ex ſaxo duriſſimo.

Illuſtrati ſecundum animas, & gratis miſericordia adiuti ob eius gratiam, & illuſtrationem ſpiritus illuſtriores facti, & glorioſi ergà pietatem ſecundum illud, Vt exhilaret faciem in oleo.

Pſal. 103.

Butyrum boum, & lac ouium.

1. Cor. 3. Hic cibus infantibus congruens eſt, vt inquit Apoſtolus, Vt infantes in Chriſto lacte vos potaui. Boues autem inquit, de quibus ipſe Apoſtolus ait, Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos dicit, & reliqua. Oues verò hos dominus ſacris in Euangelijs vocat dicens, Ecce ego mittam vos ſicut oues in medio luporum. Horum lac filij Iſrael ſuxerunt, nunquid Moſes non erat bos triturans, & arans animas filiorũ Iſraelis? & Aron, & Eleazar & Phinees, & Ieſus filius Naue, & Septuaginta ſeniores? & ouis etiam erat Moſes cùm manſuetus eſſet ſupra omnes homines totius terræ.

Ibidem 9.

Matt. 10.

Cum adipe Agnorum, & Arietum, filiorum taurorum, & hircorum.

Dictante lege in Leuitico, vt nemo adipem comedat, ſed in odorem ſuauitatis Deo conſacret, dicant nobis qui literæ adhęrent, quomodo hic inquit adipis ipſos plenos eſſe? patet igitur ſanctorum adipe plenos fuiſſe ſecundum ſpiritum perfruentes eorum diuina doctrina. Ijdem enim erant & agni per in Chriſto infantiam, & arietes & hirci, gregem ducentes, & filij taurorum, cum iuuenei ſint, & Deo ceruices ſummittant.

Cum adipe renum tritici, & ſanguinem vuæ bibebant vinum.

Non modo inquit, Chriſto perfruiti ſunt, & ſpirituali petra, & præceptoribus, qui ipſos ducebant, ſed etiam myſtica benedictione digni effecti ſunt, tanquam in figura percipientes. nam Adeps renum tritici, ſpiritualis panis eſt, Sanguis verò vuæ, eſt vinũ ex vera vite expreſſum.

Et comedit Iacob, & ſatiatus eſt.

Dictum eſt à Solomone, Anima ſatiata calcat fauos. & rurſus admonet, Cùm mel inueneris, comede quod ſatis eſt, ne quando ſatiatus, euomas illud. neque enim voluerunt obedire, vt ea, quæ dicta ſunt, continerent, & concoquerent, & vt inde fructum percipere poſſent, ſed eorum cor craſſum factum eſt, & pingue, corpore iam ſucci pleno, & multa carne grauato: & recalcitrarunt veluti porci, bonas margaritas conculcantes, & tanquam equi frenum abijcientes, & auertentes pedibus eos, qui cohibere volunt.

Prouerb. 27. ibidem 25.

Et recalcitrauit dilectus impinguatus, et dilatatus.

Delicijs ſupernorum bonorum abundans Cyrilli. ab amore diuino reſilijt.

Et reliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Cum enim ſe ipſos procul ab illo abſtraxiſſent, ad extremum interitum deuenerũt, neq; illum vt opificem agnoſcentes, neque vt patrem, & redemptorem venerantes.

Irritauerunt me in Dijs alienis, in abominationibus eorum ad iracundiam concitarunt, immolauerunt Dæmonijs, & non Deo, Dijs, quos ignorarunt: noui & recentes venerunt, quos neſcierunt patres eorum.

Omnia perinde ac opera Dei, Deo ſeruiunt, & ſubiecta ſunt, ſed ſua peſsima electione, & ſtudiorum prauitate alienantur à Deo tanquam ſi non eſſent creaturæ ipſi ſubiectæ: ſic Diabolus, & immundum Dęmoniorum agmen à Deo defecit. Itidem & homines, qui illos ſecuti ſunt: quandoquidem relinquentes vitæ fontem, totiuſq; mundi creatorem bonorumq; largitorem, & adhærentes illis, qui ſeipſos à Deo ſeiungunt; irritauerunt Deum ad iuſtam iram, quæ non ſic accipienda eſt, vt Deus patiatur: Deus enim pati non poteſt, ſed humano more hoc dicitur. Ira enim Dei accipitur pro vindicta peccatorum. Abominationes autem vocat Idolorum ſacrificia, & volens docere quinam ſint iſti Dij alieni, ſubiungit, Sacrificabant Dæmonijs, & non Deo, hoc eſt, pro Creatore, res creatas adorabant, & pro eo, qui largitus eſt nobis omnia bona, colebant Deos malos, animarum euerſores, & corruptores, falſa nomina habentes, & Dei honorem in ſe ipſos traducentes, qui heri, vel nudius tertius efficti fuerunt, quique patribus eorum ignoti erant: vnumnanque

nanque agnoſcebant dominum, & Deum altiſsimum, qui Cœlum terramque condidit.

Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Dei nutrientis te.

Sermo eſt reprehenſione plenus, dictus ex perſona Moſis, exprobrando ipſis defectionẽ, quod neq; vt creatorem honorarunt, neque vt beneficij auctorem, & alitorem agnouerũt. non modo enim ad id, quod es, te deduxit, verum etiam, ad id, quod bene es: ipſe enim dedit tibi vitæ primordia, & inſuper largitus eſt tibi imperium in omnia animalia.

Et vidit dominus, & ad iracundiã concitatus eſt.

Cyrilli. Etenim Deus dicitur amoris inuidia laborare, non vt aliquis perturbationẽ putet eſſe in Deo, (nam Deus perturbari non poteſt) ſed vt amoris vehementia oſtendatur. Inuidia autem amoris Deus laborat, non vt ipſe aliquid lucretur, ſed vt eos conſeruet, ob quos amoris inuidiam habet. ſi verò ſacræ literæ Zelotem eũ nominant, nemo offendatur: non enim diuina, & inexplicabilis natura ſimilis noſtrę eſt, nam in loco adeò alto ſita eſt, & adeò ſupra mentem fertur, vt differentiæ inter nos, & illũ incomparabiles ſint, ſiquidem cuiuſlibet rei affectus ſunt in nobis eiuſmodi, vt pati poſsimus. Noſtra enim natura procliuis eſt, & valdè facilis ad peccandũ: In Deo autem rerum omnium conditore iſti affectus ſignificantur vocibus, & verbis noſtro more acceptis, non quòd hoc modo in eo intelligantur: Deus enim caret affectibus. Dicitur autẽ Zelotes, eò quòd vult, vt nemo illorum, qui ſemel eius gloriam cognouerunt, vergat in peius, & in deterius ruat.

Et irritatus eſt propter iram filiorum ipſorum, & filiarum.

Cùm videat Deus, (non inquã corporeis oculis: non enim corporeus, eſt, neq; formatus) & ſciat omnia, quæ fiunt ab ipſis hominibus, antequã fiant, zelo quodã commotus ad vindictam filiorum ipſorum & filiarũ ſurrexit. Ira enim Dei accipienda eſt motus ad puniendũ.

Et dixit, auertam faciem meam ab ipſis, & oſtendam quid erit ipſis in nouiſſimis.

Sic intelligendum eſt. Mali, & peruerſi ſunt vſque in hodiernum diem, qui talia committunt: deteriores verò ſunt, qui contra dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum ſine freno inſanierunt, quibus etiam dicet, Cùm manus extenderetis ad me, auertam oculos meos à vobis, manus enim veſtræ ſanguinis plenæ ſunt.

Eſa. 1.

Quoniã generatio peruerſa eſt, & nõ eſt fides in ipſa.

Huiuſmodi voce etiam Saluator in euãgelijs vſus eſt, cùm dixiſſet ipſis, Generatio incredula & peruerſa, quouſq; vobiſcum ero? quouſque ſuſtinebo vos? nihil enim vtrunque quod dicitur aliud eſt, quàm quòd faciem meam ab eis auertam: generatio enim eſt infidelis, non fidem habens, & à veritate auerſa. Nos autem ſimul cum pſalmorum auctore clamemus, Ne auertas faciem tuam à nobis, & reliqua.

Matt. 17.

Pſal. 87.

Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt me in Idolis ipſorũ, & ego prouocabo eos in eo, qui nõ eſt populus, & in gẽte ſtulta irritabo illos.

Hoc modo vſus eſt beatus Paulus ſcribens ad Romanos. Stultos autẽ nos vocauit, oſtendens noſtræ fidei ſtultitiam: hoc enim & diuinus Apoſtolus inquit, Eramus nanque & nos olim ſtulti, infideles, errantes, ſeruientes concupiſcentijs, & voluptatibus varijs, & viuentes in malitia, & inuidia, odioſi, & nos inuicem odio habentes. In his autem præſertim Deus cõturbauit Iudæos. non enim ſic ipſos dolore afficit ſeruitus, & diſperſio, & templi deſolatio; vt gentium religio, & ſplendor, pungit enim ipſos, & in inuidiam prouocat.

Tit. 3.

Quoniam ignis accenſus eſt ex furore meo, & comburet vſque ad inferos inſimos.

Iuſtum contra peccatores motum oſtẽdit, non ducentẽ ipſos ad correctionem vſq;, ſed ad extremum interitum vſque ad portas Inferorum. ſicut enim ſupra dixi, Deus noſter eſt ignis conſumens, qui impios vlciſcitur, & ſibi aduerſantes punit, quotieſcunque ex tolerantia, & patientia Dei noluerint reſipiſcere. Hoc igitur in loco Iudæorum extremam pernicie vaticinatur, quã à Romanis perpeſsi ſunt, poſtquam in Chriſtũ debacchati ſunt, & poſtquam gentes vocatæ fuerunt.

Deuorabit terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet.

Ignis per figuram acceptus omnem terrenam prudentiam abſorbet, & deuorabit eos, qui terræ dediti ſunt, & conſumet terræ fructus ſcortationem, adulterium, dolorum cultum, & reliqua: hi enim ſunt in nobis terreni fructus. Poteſt etiam ignis ſimpliciter intelligi pro hoc terreno: ſiquidem hoſtes Iudæorum regionem diripient, & igni vaſtatam perdent, & omnia, quæ in ipſa ſunt. Fundamenta autẽ montium poſſunt per figurã dici fundamenta eorũ, qui cõtra cognitionem Dei cornua tollunt: hos enim cõburet, & Principem tenebrarum huius ſeculi, & omnes malos ſpiritus, qui ſub ipſo ſunt eneruabit. ſi autem ſimpliciter voluerimus intelligere fundamenta montium, dicemus illa comburenda eſſe ab ira Dei, quando ob neceſsitatem belli Iudæi ad arces editiſsimas, & munitiſsimas cõfugerint: ſed tamen hoſtes illas expugnarunt, vt ait Ioſephus, qui extremam illorum pernicie em narrat.

Congregabo in eos mala.

Quod ipſi agunt inſanabiles permanentes, Dei tolerantiam & patientiam pro nihilo ducentes, & ſibi ipſis iram condentes in die iræ.

Et ſagittas meas conturbabo in eos.

Sagittę autem domini ſunt, quæ ad conuerſionem, & correctionem emittuntur: ſicut Iob dicit, Sagittæ enim domini in corpore meo ſunt, quarum furor ebibit meum ſanguinem. Nam ſanguis, & caro Regni Dei minime hæredes erunt.

Iob. 6.

Conſumpti fame, & morſu auium.

Fame ſenſibili conſumpti ſunt cùm obſeſsi eſſent, & præcedente belli neceſsitate & tempore Nabuchodonoſor, & tẽpore vltimæ obſidionis, quã perpeſsi ſunt poſt furorem, quo in

Saluatorem nostrum, & Deũ Iesum Christum vsi sunt. Cæterùm consumpti sunt intelligibili fame, cùm non amplius sit apud eos Dei verbum, vel ipsis dicens. Hęc dicit dominus. morsu autem auium sunt consumpti: inter enim huiusmodi aues versantes, verisimile est vix resistere posse harum morsibus.

Et Opisthotonus insanabilis.

Porrò Opisthotonus insanabilis, est spasmꝰ musculorum, qui sunt in dorso, totum corpus retrotrahens, & efficiens tanquam arcum intentum. huiusmodi autem sunt animæ pertur bationes inducentes auersionem à Deo, nullam in eos salutis spem ostendentes. nam famem quidem intelligimus, quoniam non amplius est apud ipsos verbum Dei. morsum verò auium inanes sermones, & frustra per aerem volantes, & segniter dissolutos: non cessant
Psal. 2. enim in his frustra meditari, vt inquit Dauid, Meditati sunt inania, retrocedẽtes sine reuersione.

Dentes ferarum mittam in eos cum furore trahentium super terram.

Mittam pro Misi: quãdo serpentes ad ipsos misit, interficientes eos in solitudine. Feras, hostes intelligendum est, instar ferarum ipsos deuorantes, & quasi dentibus consumentes, cùm sint praui, & nihil humani in ipsos ostendant, qui cùm Dei præsentiam dereliquissent, & eorum affectibus dediti essent, à feris intelligibilibus deuorati sunt.

Foris orbabit eos gladius, & intus pauor.

Ea, quæ in obsidione acciderunt, particulatim tragicè deplorat, quemadmodũ per Ieremiam, & Ezechielem diuinus narrauit sermo. Nam hi quidẽ foris ab hostibus percussi, alij verò intus timore, & morbo, & fame corrupti sunt: Dei autẽ gladius prauos actus vlciscens, deprimit timore cogitationes hos parientes, vt ne amplius huiusmodi pariãt: acutior enim est Dei sermo, & iudex cogitationum.

Iuuenẽ cum virgine lactentem cũ constituto sene.

Penitus ipsi perierunt, quoniam & vno omnium consensu peccatum commiserunt, An non vides, inquit vniuersitatis Deus prophetę
Ierem. 7. Ieremiæ, quid isti faciunt, & in ciuitatibus Iudæ, & in atrijs tuis Hierusalem? & secundum animam diuersas ætates intelligimus.

Dixi, dispergam ipsos, cessare faciam ex hominibus memoriam eorum, nisi per iram inimicorũ ne durent, & ne simul insidientur aduersarij, ne dicant manus nostra excelsa, & non dominus fecit hæc omnia.

Dispersi enim à summo Cœlo, & vsque ad summum eius, ex libro viuentium obliterati sunt, non amplius populus Dei vocati. Cæterùm non omnes penitus perierũt, propter eos, qui ex gentibus, debebant enim interitũ ob eorum impietatem, Dijs suis inscribentes, Væ peccatis eorum, qui perierunt.

Quoniam gens est absque consilio, & non est in eis scientia.

Cœlestis es, tenuisti enim manum dexteræ meæ, & in voluntate tua deduxisti me, ait Vates. Non cogitauerunt hæc omnia intelligere, recipiant in posterum tempus: Quoniam inquit, non cognouerunt, neq; intellexerunt ea, quæ dicta sunt, in nouissimis diebus cognoscent ipsa, cũ aduentus humanitatis vnigeniti tẽpus veniet, & gentium vocatio fiet: ipsorum autẽ iactura erit, eò quòd noluerunt patris cõsilium accipere, neq; eius scientiã intelligere.

Quomodo vnus persequitur mille, & duo transmouent decem millia? nónne Deus vendidit eos, & dominus tradidit ipsos? non enim sunt Dij ipsorum vt Deus noster, & inimici nostri stulti.

Hoc est, minime hostibus captiui fuerũt, & à quolibet, timore cõsternati, vt vnus hostium mille insequeretur, & duo innumerabilẽ multitudinem, nisi res in contrarium versę essent. Et quemadmodum ipsi olim gesserunt facile hostes expugnantes, Deum propitium habentes, hæc patiuntur. Verùm hęc haudquaquam sustinuissent, nisi eius ope orbati essent, venditi ob peccata.

Ex vitibus Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum Gomorræ, Vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis eorum, furor Draconum vinum eorum, & furor serpentium insanabilis.

Inquit alibi beatus Ieremias synagogæ Iudæorum, tanquã ex persona Dei, Ego te plan- *Ierem. 2.*
taui vitem fructiferam, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis aliena? nam imitantes Sodomitarum opera, & Gomorræ ciuium studia amplectentes, genus illinc deducere dicuntur: quemadmodum enim Abrahæ opera imitantes, & persequentes, filij Abrahæ non immeritò vocantur, sic & qui Sodomitarum nefaria facinora sectantur, orti à rebelle Diabolo videntur.

An non hæc omnia congregata sunt apud me, & signata sunt in thesauris meis?

Symmachus manifestius explanans, reddidit, Nónne hoc repositum est apud me? nimirum eorum feritas, & homicidium, & quæ futuri sunt aggredi rabie perciti in eorum Saluatorem. Verũtamen inquit, procrastino, & libero arbitrio locum do, actum expectans.

In die vltionis retribuam, & in tempore, cùm labatur pes eorum.

Tunc enim inquit, ab ipsis pœnã exigã, & ipsis perfectè interitũ inferam, cũ rectè nollent incedere, sed à recta via diuertent, voluntariè obliqui effecti ad effundendum sanguinem.

Quoniam propè est dies perditionis eorum, & adsunt prompta vobis.

Vaticinationis spiritu, quæ multis post tem poribus futura sunt, tanquã præsentia, & proxima contẽplatur, dicens propè esse diem perditionis eorum, & vocationem gentium propensissimam fore.

Quoniam dominus iudicat populum suum, & in seruis suis consolabitur.

Nam inquit, proprium populũ condemnabit, & ipsos dãnabit, & in his, qui ex gentibus crediderunt, consolabitur: seruos enim eius, hos dicit, vel & Israelitas miserabitur, & non in finem populum suum abijciet.

Vidit enim eos dissolutos, & deficientes in inductione, & dimissos.

Inductio est vltionis tempus, per vnum inquit

quit Vatum, Quid facies in die inductionis? Vidit igitur ipsos secundum illud tempus, & pœnas ipsos pendentes, dissolutos, & nullum habẽtes robur. non enim dicere possunt, omnia possum in Christo confirmante me, & in Deo meo faciam potentiam. Cæterùm debilitatem animæ sequitur potentiæ restrinctio.

Et dixit dominus, vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis adipem comedebatis, & bibebatis vinum libaminum? surgant, & opitulentur vobis, & sint vestri protectores.

Hęc & cęteri Vates, & potissimum Ieremias in eorum impietatis reprehensionem attu- *Cap. 2.*
lit: inquit enim, Quamobrem hęc dicit dominus; Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt, & clamabunt ad me, & non exaudiam eos, & ibunt ciuitates Iudæ, & habitatores Hierusalem & clamabũt ad Deos, quibus libant, & non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum, & reliqua.

Videte, Videte, quoniam ego sum, & non est Deus præter me.

Hoc est, tua defectio eruditette, & prauitas tua redarguet te, & quemadmodum feliciter agens, non cognouisti beneficij auctorem, & bonorum largitorem, castigatus disce eũ, qui inexorabiles plagas vobis infligit, à quibus nemo eorum, qui Dij vobis visi sunt, liberauit.

Ego occidam, & viuere faciam.

Seueri Antiocheni. Nam omnia in vestram salutẽ tracto, & propterea pœnas in hac vita à peccatoribus exigo, vt per pœnitentiam ipsis vitam largiar, quę nihil aliud est, quàm impietatis cognitio. Eos qui ob impietatem mortui sunt, vt ne amplius malum committãt, eosdem dicimus viuificari per rectam fidem, & per bonas actiones. sic enim bonus Deus occidit, vt viuos efficiat, & percutiens vt sanet.

Percutiam, & ego sanabo, & non est qui eruet ex manibus meis.

Eiusdem. Nam ipse occidit, & rursus recreat, afflictiones inflictas corrigens, & animæ morbos sanans, cùm nullus penitus à me eos, qui pœnas luunt, liberare possit.

Quoniam leuabo in Cœlum manum meam, & iurabo dexteræ meæ, & dicam, viuo ego in æternum.

Manus, & dextera patris est filius, per quem
Psal. 117. Cœlum firmauit, & terram fundauit. Dextera Dei, & patris filius est, vt inquit Dauid, Dex
Psal. 62. tera domini fecit virtutem. & rursus, Me autem suscepit dextera tua. Hæc autem clausula, Tollam in Cœlum manum meam, similis
Psal. 88. est illi, quod à beato Dauide dictum est, Exaltetur dextera tua. Oportebat enim secundum humanitatem filium hominis extolli, cùm sit Dei dextera, quatenus autem est dextera ostendit Deum ex solo Deo esse, & eiusdem substantiæ, & vnius potentiæ, & imperij, & dominationis. Nam iuro dexteræ meæ, hoc declarat. Quoniam enim non poterat per maiorem iurare, sicut inquit Apostolus, Iurauit per semet ipsum, filius enim est character substantiæ patris, & imago immutabilis, totum in se ipso ostendens patrem. Cęterùm demonstrat, & simul esse sempiternum & viuentem in æternum cum dextera, quam extollit, hęc verò fient ait, quando in vos animaduertam, qui meam dexteram vituperastis, vt cognoscatis libentissime ob meam voluntatem se ipsum humiliasse propter vos auersos, & minimè ipsam accipientes.

Quoniam acuam vt fulgur gladium meum, & accipiet iudicium manus mea, & reddam vltionem hostibus meis, & his, qui oderunt me retribuam.

Gladium inquit vlciscendi potentiã, quandoquidem bellicum instrumentum, & ad hostes vlciscendos accommodatus est gladius, sed Dei gladius non cernitur, & secundum spiritũ est: inquit enim Vates, inebriatus est gladius domini vsque ad Cœlum. hunc inquit acuere vt fulgur splendorem & eius claritatem ostendens, & tunc omnibus manifestum erit, & accipiet iudicium manus: quandoquidem totum iudicium dedit filio vt omnes honorent filium, quemadmodum patrem honorãt, & potestatem dędit ei faciendi iudicium, sed quod iudiciũ ipse in euangelio declarat, Quo- *Ioan. 12.*
niam Princeps huius mũdi iudicatus est: nam cùm potẽtias, quæ minimè cerni possunt profligasset, & horum præsidem Diabolum; nos liberos dimisit.

Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus comedet carnes.

Nam cùm Iudæos punisset, qui in eum debacchati sunt, cumque ipsi Cęsari tradidissent, quem Regem inscripserunt, impleuit sagittas eorũ sanguine, qui extremam seruitutem perpessi sunt. esse posset gladius secundum sẽsum, Romanorum arma, quæ tanquam res animatæ carnes deuorabant, consumentia quoscunque obuios. sed gladius secundum spiritum est verbum Dei: inquit enim Apostolus, *Ephes. 6.*
& gladium spiritus, qui est verbũ Dei, ipse in nobis affectus consumpsit, & deuorauit opera, quæ carnis sunt, non permanebit enim spi *Gen. 6.*
ritus meus in ipsis, dixit Deus, cũ sint ipsi caro, hoc est, carnis cogitationem habeant, & nihil aliud sint, quàm caro, quam verbum adueniens consumpsit, spirituales nos efficiens.

A sanguine occisorũ, & captiuitatis à capite principum gentium.

Miscet & gladium spiritualem, & sensibilem, hunc quidem dicens plenum esse sanguine eorum, qui in acie occubuerunt, & qui in seruitutem redacti sunt, hũc verò spiritualem dico inebriatum esse à capite principum gentium: caput autem Principum gentium est Diabolus, Principes verò gentium, prauæ potentiæ, quæ sub ipsõ sunt. Propterea dixit Esaias, *Esa. 27.*
In nouissima die inducet Deus gladium sanctum, magnum, & fortem, supra draconem serpentem. Idcirco cùm Dei verbum viuens aduenisset, quod est acutius omni gladio ancipiti, potentias inuisibiles in Cruce deuicit, cùm chirographum quod contra nos erat confixisset, & sustulisset omnẽ potentiam, & principatũ, cumq; triumphasset in fiducia, & accepisset nos captiuos; dedit etiã dona in hominibus.

Exultate Cœli cum ipso, & adorẽt eum omnes Angeli Dei.

Nam verè materia lætitiæ, & omnis voluptatis est, cùm captiuæ rebelles potentiæ effectæ sint, cumque Diabolus bonum odio habens eneruatus sit, & homines ab antiqua tyrannide, quæ eos premebat, liberi euasissent, & via pura ab omni peccato interemptis facta sit, qui ad ipsum accedunt, per dominum nostrum Iesum Christum. propter hæc gaudent Angeli, & omnes Cœlorum potentię, videntes antiquas inimicitias dissolutas, & pacẽ his, qui supra terram sunt propositam, & terrenos homines Cœli ciues factos esse, & terram cum Cœlo coniunctam esse, & adorant omnes inexpugnabilem potentiam, quotquot inter filios Dei numerati sunt. si enim secundum
Luc. 15. Saluatoris vocem gaudium in Cœlis super vno peccatore pœnitentiam agente fit, quanto magis super tanto, & tali hominum beneficio, & salute?

Lætamini gentes cum populo eius.

Exultate gentes cum populo eius: etenim propter oues, quæ domus Israelis perierunt, aduenisse inquit: sed ipse rursus in euangelijs
Ioan. 10. dicit, Et alias oues habeo, quæ nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pa-
Ephes. 2. stor. inquit etiam diuinus Apostolus, Vt duos populos conderet in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliabit vtrosque in vno spiritu ad patrẽ. Cæterùm Aquila, pro Lętamini inquit, Vnum efficite gentes populum eius.

Et fortes faciant in ipso omnes filij Dei.

Dictum est Hebræis scribente diuino Pau-
Heb. 1. lo, Nónne omnes sunt spiritus ministerij in administrationem missi propter eos, qui futuri sunt hæredes salutis? Dixit & diuinus Da-
Psal. 33. uid, Immittet angelus domini in circuitu timentium eũ, & eripiet eos. Fortes igitur facite eos, qui ad suũ auctorem accedunt, & tanquã conseruos honorate, gaudentes ob vnum peccatorem pœnitentem, nedũ ob tot, tantaq; bona. Alibi autem sic legitur, Fortes faciant ipsi omnes filij Dei. Filios autem Dei intelliges sacros Apostolos, & magistros ecclesiæ, qui post illos fuerunt, qui iubentur fortem facere populum suis admonitionibus, & sacræ scripturæ interpretationibus.

Quia sanguinem filiorum suorum vlciscetur, & vindictã retribuet suis hostibus, & his, qui oderunt ipsum, & purgabit dominus terram populi sui.

Inquit in Euangelijs dominus cum Iudæis
Matt. 23. loquens, Et vos implete mensuram patrum vestrorum, Serpentes genimina Viperarũ, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideo dico vobis, Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templũ, & altare: amen amen dico vobis, venient hæc omnia super generationẽ istam. Vindicatus est igitur sanguis, & ipsa metropolis ipsorũ euersa fuit, templum verò solo æquatum est, & ipsi captiui facti sunt & errones, & reddidit ipsis pro merito exigẽs ab eis pœnas peccatorum.

CANTICVM ANNAE MATRIS SAMVELIS.

1. Reg. 2.

CONFIRMATVM est cor meum in Domino, elatum est cornu meum in Deo meo.

Nimirum fide, quando petijt, vt daretur sibi gratia pariendi filij. Hoc canticũ Annæ admiratione dignum est: non solum enim laudauit largitorem ob ea, quæ accepit, sed etiam vaticinationi hymnum miscuit, & particeps fuit illius gratiæ, quam filius habuit: enixa enim prophetam, ipsa quoque post partum vaticinatur. Prædicit nanque Diaboli euersionem, & assumptionem domini nostri Iesu Christi in cœlos, & aduentum spiritus sancti in Apostolos, atque etiam gloriosum Christi aduentum in nouissima die, & bonarum, malarumque rerum remunerationem, & insuper Regnum ex Iudaico genere. Fortitudinem enim ĩquit, dabit Regibus vestris, qui à Dauide vsque ad tempus, quo fuerunt in seruitutem abducti, permanserunt. Præterea docet ne velimus diuitijs fidere, nec sapientiæ, nec potentiæ, sed soli Deo, qui potest vitam largiri, & mortem inferre. Illa autem clausula, Sterilis peperit septem, prædicit Ecclesiæ fœcunditatem: Numerus enim septenarius, signum est multitudinis, totum enim tempus in septem dies resoluitur. Illud autem, Quæ multos habebat filios infirmata est, intelligitur de Iudæa, quæ cùm multos habuisset filios, multosque Vates, & sanctos viros genuisset; nunc sterilitate laborat.

Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.

Cepi & ego audaciã dicendi, Non sum sterilis, id quod mihi Phænanna exprobat, eiusque filij: ad ipsos enim respiciens dixit ea, quę sequuntur, Ne gloriemini, neque loquamini sublimia.

Quia non est sanctus vt dominus, & non est iustus, sicut dominus noster, & non est sanctus præter te.

Vt ostendat Dæmones non esse sanctos, sed immundos, ad redarguendam enim Deorum multitudinem, & impurorum spirituũ, solum Deũ dicit esse sanctum, & sanctitatis fontem.

Ne gloriamini, & ne loquimini sublimia ad fastũ, neque exeat magniloquentia ex ore vestro, quoniam Deus cognitionum dominus est, & Deus præparãs exercitationes suas.

Quoniam illudebatur à Phænanna; meritò inquit, Ne glorietur Phænanna ob humanas felicitates: omnes enim res & aduersæ, & secundæ vicissitudinem recipiunt, præsertim cùm Deus voluerit.

Arcus fortium infirmatus est, & infirmi accincti sunt robore, repleti panibus, egeni facti sunt, & esurientes dimiserunt terram.

Omnia hæc cõtraria prædicta sunt in Ecclesiam

clesiam gentium, & Iudæorum Synagogam, cõuersorum statu, & gratia ad gentes translata: ex quo dixerunt discipuli Iudæis nõ cre-
Act. 18. dentibus, Ecce vertimur ad gentes.

Quoniam sterilis peperit septem, & quæ multa erat in filijs, infirmata est.

Septem posuit pro Multis, & pro illis quotcunque satis essent ad faciendum perfectum numerum. nam totum tempus per septenarium numerũ procedit: etenim incipiens à prima die paulatim peruenit ad hebdomadam, deinde claudendo illic dierum numerum, rursus redibit ad primariam.

Eiusdem. Septem, id est multa, nam diuersæ sunt virtutes, & non vna tantum, sed multæ, quarũ mares sunt animæ Dei studiosæ.

Seueri. Sic enim Sterilis quidem, hoc est, Ecclesia ex gentibus conflata peperit Septem: Synagoga verò quæ antè multis filijs fœcunda erat, defecit, & plures filij fuerunt mulieris desertæ, quàm illius, quæ habet virum.

Theodoreti. Prædicit Ecclesię fœcunditatem: siquidem septenarius numerus signum est multitudinis: inter septem enim dies totum tempus includitur, & Ecclesiæ filij terram implerunt. Quæ verò multa erat in filijs, infirmata est. Iudæa nanque cùm multos habuerit filios, multosque Vates, & iustos viros genuerit, nunc sterilis effecta est. Septem posuit pro Multis. Hoc autem vaticinationi respondet, fuit enim Anna mater multorũ filiorum. & rursus, Septem posuit pro plurimis, & quotquot satis essent.

Didymi. Quantum ab historia colligere possumus, vnum filium Anna peperit, Samuelem: Quomodo igitur septem dicat peperisse, paulo altius perscrutemur. Olim quidem ecclesia è gentibus conflata magna laborabat sterilitate, cùm impia in mundo esset, neque spem haberet, nec veram opinionem, aut pium dogma pareret. Quãdo tamen transijt à Libano, & fuit in vltimo sabbatismo Dei; peperit septem perfectos intellectus, & actiones virtute ornatas.

Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad Inferos, & reducit.

Non solum his verbis prædicit communem hominum reditum è morte in vitã, sed etiam Christum excitaturum esse è mortuis non modo animam Lazari, & filij Viduæ, & filiæ Archisynagogæ, sed etiam reducturum esse ab Inferis omnium sanctorum animas, quando illuc descendit animatus cum esset, fecitque vt post ipsius resurrectionem corpora ad tempus resurgerent, & Hierosolymæ conspicerentur, vt cognoscerent sanctos viros liberatos esse ab animarum carcere, & in alia loca esse translatos, hoc est in Paradisum, vel in Cœlos cum Angelis.

Dominus pauperẽ facit, & ditat, humiliat, & sublleuat, suscitat à terra egenũ, & ex stercore erigit pauperem.

Futura rursus prædicit: deprimitur enim Saul elatus, extollitur autẽ Dauid ab ouibus ad hominum curã à Deo vocatus. huic sententiæ, & vaticinationi etiã ea, quæ sequuntur adhærẽt.

Vt sedeat cum Principibus populi, & solij gloriã hæres sit.

Possunt sanè discipuli super duodecim solijs gloriosè sedere Iudæos iudicantes: atqui cæteri fideles futuri sunt splendere, & in requie esse, quod solium indicat.

Dans votum precanti, & benedixit adhuc iustus.

Hoc est, facit ad finem peruenire hominum promissiones Deo gratas.

Quoniam non roborabitur vir potens in fortitudine sua.

In humilitatem sermo nos trahit, & ne nobis ipsis fidamus.

Dominus imbecillem faciet aduersarium eius, dominus sanctus, ne glorietur sapiens in sapientia sua, & ne glorietur potens in potentia sua, & ne glorietur diues in diuitijs suis.

Declarat Diaboli euersionem.

Sed in hoc glorietur qui gloriatur, in intelligendo, & cognoscendo dominum, & in faciendo iudicium, et iustitiam in medio terræ.

Vt veritas doctrinæ se habet, ita locuta est Anna: nõ enim dixit, In hoc aliquis glorietur, in recto agendo, & cognoscendo dominum, sed primũ tanquam sedem, & fundamentum fidem posuit supra lapidem, qui est Christus dominus, & sic virtutem subiunxit.

Dominus ascendit in Cœlos, & intonuit.

Saluatoris nostri assumptionem prædicit, Theodo-
& spiritus sancti aduentum, & eximiã vocem reti.
Apostolicorum dogmatum, hoc est cœlestem vim. & sonum tonitrui dedit Deus, quando Samuel messis tempore, cùm præsens esset, precatus est, & voces per tonitrua horribiles edidit, vt dicta vaticinationis indicant.

Ipse iudicabit extremitatem terræ, cùm iustus sit.

Secundum domini Christi aduentum vati- Eiusdem.
cinatus est.

Et dabit fortitudinem Regibus nostris, & exaltabit cornu Christi sui.

Prædicit eius posteros, qui secundum car- Eiusdem.
nem fuerunt, qui à Dauide vsque ad tempus, quo in seruitutem abducti sunt, durarunt.

CANTICVM ABACVC. Abac. 3.

DOMINE audiui auditionem tuam, & timui.

Oratio Christi mysterium percurrit, in ad- Cyrilli.
mirationem nos trahens. Cæterùm inquit ipsius domini auditionem audiuisse, & timuisse, & quam auditionem? an quoniam cùm in forma, & æqualitate patris esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed se ipsum Philip. 3.
exinaniuit, formam serui accipiens?

Consideraui opera tua, & expaui.

Et quæ opera? quæ in aduẽtu perfecit, quoniam prædicauit captiuis indulgentiam, & cæcis visum, sanauit contritos corde, in ipsas feras Inferorum descendit, eduxit ex interitu genus.

In medio duorum animalium innotesceris.

Duo inquit animalia ea, quæ torno elabo- Eiusdem.
rata sunt in arca à Mose, in quorum medio erat propitiatorium, quod Christi figura erat,

ab ipsis Cherubim conspectum: erat autem propitiatorium, textura ex auro, & purpura, & byssо circumuoluta, & coccino glomerata, & hoc à quatuor columnis firmatum erat, & arcę imminebat: deinde Cherubim à dextris, & à sinistris ex auro elaborati astabant circa propitiatorium, facies intendentes in ipsum. Porrò ænigma erat mysterij Christi. Sane caro factum est verbum, licet cùm & Deus, & rerum omnium dominus esset. Sed etsi Verbum caro factum est, & ponitur apud patrem propitiatorium secundum Ioannis vocem, & non abiecit quod erat, hoc est Deum esse, sed est tanquam in potestate, & gloria, quæ Deo congruit. & rursus, astant circa ipsum supernę potestates, quæ ad eadem ministeria obeunda ordinatæ sunt. Hi Cherubim propitiatorio astabant, & semper in ipsum respiciebant.

Dum appropinquant anni cognosceris.

Eiusdem. Prædicitur quidem Christi mysterium, & à lege, & à prophetis, impletur tantum in nouissimis seculi temporibus.

Dum aduenerit tempus ostenderis.

Nicolai presb. In nouissimis temporibus secundum præscriptum patris consilium apparuit dominus ijs, qui supra terram sunt, & cognitus est, & ante omnes alios à Nathanaele.

In eo dum cõturbata fuerit anima mea, in ira misericordiæ memor eris.

Gen. 3. Iram, inquit sententiam pronunciatã contra genus tempore primi parentis Adæ, nimirum terra es, & in terram reuerteris, in hac conturbati sumus. Sed vt inquit psalmographus non in finem irascetur, & neq; secundum

Psal. 102. iniquitates nostras fecit nobis, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, cùm aduenisset, & mortem euertisset.

Deus à Thæman veniet.

Cęterùm Thæman, auster explanatur: indicat verò per austrum Bethlehem positam in australibus partibus Hierosolymæ.

Et sanctus ex monte Pharan vmbroso, & condenso.

Pharan rursus est solitudo austrum versus: significat autem per hæc Hierosolymã. Montem verò vmbrosum, ipsam Hierosolymam nominat, propter alta capita sanctorum patrum, quæ in ipsa fuere, quæque multis virtutibus frondosa erant, qui erant & Abraham, & posteri Abrahę viri Dei studiosi, ex quibus etiam Christus secundum carnem ortus est.

Hesychij. Montem vmbrosum, & condensum, Virginem dicit: condensum tanquam minime exaratam ab homine: Vmbrosum verò, quoniam ipsi Gabriel dixit, Spiritus sanctus super-

Luc. 1. ueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.

Operuit Cœlos virtus eius, & laudis eius plena est terra.

Hoc est, gloria & dignitas Deo congruens maior est omni dignitate, quæ in cœlis est, super omnem principatum & potestatem, & potentiam, & thronum, & dominationẽ, & super omne nomen, quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro, & hoc ex ipsis rebus conspici potest. Ille enim, qui propriam hæreditatem habet (genitoris gloriam) sedet in solijs diuinitatis: beati autem Angeli rationales potestates astant more ministrantium, eo enim munere funguntur. Etsi ait in serui forma factus sit, verũtamen & sic est Deus & quidem ipsarum potestatum cœlestium: impleuit autem & sua laude, & gloria totam terram: quandoquidem homines minimè Dæmonibus honorem consecrant. Eiusdem.

Ex sermone tertij capitis Seueri contra Grammaticũ.

Omnibus planum est, Verbum humanitatis altum, & opulentum, diuinæ sapientiæ varietatem ostendens, superasse, & transcendisse scientiam illorum spirituum, qui super cœlis sunt, quique à materia sunt separati, quam scientiam prius habebant.

Et splendor eius vt lux erit.

Splendorem inquit diuinam doctrinam, vel euangelicam legem, quæ nostris mentibus lux fuit. Nam hæc particula, Vt, abundat, sicut illud, Habitu inuentus vt homo: nihil e- *Philip.* 2. nim plus, & illic significat particula, Vt.

Cornua in manibus eius.

Cornua quidem potentias vocat, manus verò potestatẽ significat. Hic est sensus. & si factus sit homo, tamen sub eius imperio omnis potentia, & fortitudo est. Eiusdem.

Et posuit dilectionem fortem fortitudinis eius.

Extra intelligenda est præpositio Per, vt totus versiculus sic iaceat, per fortitudinem ipsius Pater. dicit autem, per filium demonstrauit fortem dilectionem, quam habuit erga nos. simile est illi, quod dictum est, Sic dile- *Ioan.* 3. xit Deus mundũ, vt filium suum vnigenitum daret. Cyrilli.

Ante faciem eius ibit sermo.

Hoc est, fama erit, & rumor multus ante ipsum: quandoquidem sursum, & deorsum sanctissimi Vates de ipso mysterium prædixerunt, vel inquit propter illud in omnem terram exiuit de ipso sermo. Cæterùm inquit, erit præsentia Christi insignis, Magis ab orien- *Matth.* 2. te venientibus, & Regem Israelis ipsum præ- *Idem.* 8. dicantibus, Dæmonibus clamantibus, Quid nobis, & tibi Nazarene venisti huc ante tempus torquere nos? Maximis miraculis editis, per ipsa opera ferè clara voce clamantibus, ipsum Deum esse. Nicolai presbyt.

Egredietur in eruditionem iuxta pedes eius.

Simile quasi dicit nihil ipsi difficile & Cyrilli. quod non possit perficere: ibit verò sicut in qualibet re latam & planam viam. vel etiam eius iter inquit, in mysticam terram ibit: dicit verò animam aptissimam in iter, sumus autem terra voluntaria secundum Vatis vocem.

Stetit & mota est terra, aspexit, & liquefactæ sunt gentes.

Stetit, scilicet, Perfectum est Christi mysterium, ex quo & à pristino statu mota est terra, pristinum statum eius, firmitudinem in impietate dicit. Verùm Stetit, pro Perfectum est, positum esse patet illinc ex verbis Sephoram, Stetit sanguis circuncisionis pueri, videlicet perfectum est negotium in circuncisione. Nicolai presbyt.

Con-

Contriti sunt montes vi.

Exod. 4. Montes, contrarias potentias inquit, quæ & simul fractæ sunt, non ferentes eius omnipotentem fortitudinem.

Liquefacti sunt colles sempiterni.

Colles Israelis præceptores ad tempus factos inquit, propter sublimitatem in dignitate: sempiterni verò ob diuturnitatem cultus. etsi enim nunc videtur cultus secundum tempus minimè perfici, tamen intermissus nõ est. dicit igitur aduentum vnigeniti prauas potentias destruxisse, atque etiam principes gentis Iudæorum.

Nicolai presbyteri. Non modo quæ Christo contrariæ potentiæ erant, dissolutæ sunt, sed etiam ij, qui Iudęorum Dei sacerdotio præerant, simul cum ipsis perierunt, cùm sacerdotem nostræ confessionis cruci suffixissent.

Itinera eorum pro laboribus viderunt.

Cyrilli. Causam ponit, ob quam colles liquefacti sunt. Cæterùm hic est sensus, Itinera ipsius Christi dicit, diuinas doctrinas, quas ait ipsas plenas molestijs, & labore se vidisse. Quoniã igitur viderunt inquit, vel contemplati sunt gentes Iudæorũ populi domini mandata plena esse laboris, & ærumnarum, quamuis sint

Matt. 11. leuia, iugum enim eius bonum, & onus leue, hac de causa ad instar ceræ liquefacti sunt.

Tabernacula Aethiopum timebunt, & tentoria terræ Madian.

Eiusdem. Per gentes, quę semper in Israelem bellum inferebant, contrarias potentias dicit.

Ne in fluminibus irascaris domine, ne in fluminibus furor tuus, vel in mari impetus tuus, quoniam ascendes super equos tuos.

Cùm olim ait, Israelem redemisses, flumina in sanguinẽ conuertisti, & etiam mare diffidisti, atqui gentes redimens, hoc modo non redimes. Nam hęc particula, Ne in fluminibus, pro Non in fluminibus iacet. sed potius erit redemptio, te super equos tuos conscendente, & qui sunt equi, quos cõscendit, & per illos salutem tractauit, nisi sancti eius Apostoli & Euangelistæ? verum quonam modo gen-

Ezech. 19. tibus salutem dedit, declarat inquiens, Intendens intendes arcum tuum super sceptra. sceptra quippe dicit principatus, & potestates immundorum Dęmonum, qui regnabant. arcũ verò rursus sanctos eius prędicatores, per quos aduersariorũ aciem confixit. arcum ve-

Zach. 9. rò prędicatores vocari per Zachariam inquit, Propterea intendi te Iuda mihi ipsi in arcum.

Et equitatus tuus salus extendens extendes arcum tuum super sceptra, dicit dominus.

Dydimi. Nam eques factus Saluator per Apostolos equitans, celerrimè vbiq; Euangelium prædicauit.

Fluminum scindetur aqua.

Cyrilli. Fluuiorum terram vocat Hierosolymam, cùm multi sancti Vates in ipsa fuerint, qui fluminum instar irrigabant, sed ipsam inquit fore, vt scindatur. quoniam enim non susceperunt Christum, qui aqua viuens erat, idcirco terra sitiens reddita est: solet enim terra arida scindi.

Videbunt te, & parturient populi.

Postquam synagoga coacta fuit, vt quę minimè fluuiũ pacis receperit, gentes in Christũ crediderunt, & videntes gloriã eius, parturierunt, & quid parturierunt? nisi suã salutem, qui dicebant, Propter timorem tuum do- *Esa.* 26. mine in vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis.

Spargens aquas itineris eius.

Diuinæ doctrinæ sermo, aqua nominatur Eiusdem. apud sacras literas, quæ & vbique diuiditur à domino & Saluatore nostro Iesu Christo. vt enim inquit Euangelista, Obiuit Christus ciui *Matth.* 9. tates, & pagos, docens in synagogis eorum.

Dedit abyssus vocem suam.

Abyssum credentiũ multitudinem inquit, & quam vocem dedit, nisi confessionem fidei in Christum?

Altitudo cogitationis eius.

Altitudinem cogitationis abyssi, eos qui inter gentes, quæ crediderunt excellebant in dignitate dicit, veluti Reges, & qui post Reges sunt: Altitudo igitur inquit, cogitationis abyssi, hoc est, principes gentiũ qui crediderunt, vocẽ dederunt prędictã, nimirum fidei.

Exaltatus est Sol, & Luna stetit in ordine suo.

Sol, dominus noster Iesus Christus nominatur apud diuinã scripturam, secundũ illud, Exorietur vobis timentib. nomen meum Sol iustitiæ. cũ igitur exaltatus est Sol, honoratã ,p nobis ascendens crucẽ, vel cœlos apud patrem, & Deum, tũc Luna, hoc est ecclesia, quę videbatur in tenebricoso loco esse, hoc est, in rerum confusione, stabit in ordine suo: & quinam est eius ordo, nisi illustrare terrram, quæ sub Cœlo est, & hoc est in lucem?

Hastæ tuæ ibunt.

Hastas quidẽ sanctos esse Apostolos inquit, Cyrilli. arma verò ipsius Dei, Induunt nos inquit A- *Ephes.* 6. postolus, galeam salutis, scutum fidei, gladiũ spiritus, & reliqua ad armaturam pertinentia, quæ gestantes splendent. Igitur Hastæ inquit, id est, sancti tui discipuli iustitiæ armis splendent, quæ à te ipsis data fuerunt.

In lucem fulguris armorum tuorum.

Arma Christi Apostoli sunt, opem ferentes illis, qui per ipsos vocati sunt, quod quidẽ Eiusdem. facere possunt omnes homines, qui scutum fidei in ipso sumunt: nam omnes sagittas ignitas Diaboli extinguere possunt.

In minis conculcabis terram.

Hoc est, Iudæorũ terram. sic enim quamli- Eiusdem. bet ipsius partem ob propria eorum peccata perdidit.

Et in furore confringes gentes.

Id est, gentes immũdorum spirituum, quę Eiusdem. non cernuntur.

Egressus es in salutem populi tui.

Nam hæc fuit causa aduentus vnigeniti, vt salutem daret ijs, qui per ipsum vocati sunt, quos & spiritus sancti vnctione induit.

Vt saluares Christos tuos.

Cùm enim Christus Principem huius seculi euertisset, & Draconem multa capita habentem contriuisset, & prauas potentias cum

ipſo; ſeruauit ſuos Chriſtos, hoc eſt nos, quos proprio ſanguine perunxit, quos etiam diuinæ eius naturæ fecit participes, & coniunxit per ſe ipſum cum Deo & patre.

Cyrilli. Salutarem humanitatem Domini per hæc indicat, per quam fideles ſancto ſpiritu perunctiſeruati ſunt. qui verò minime veritatis verbo obtemperantes fuerunt, vinculis perditionis ſeipſos irretiuerũt & penitus euanuerunt, & perierunt à pedibus ad caput vſque.

Miſiſti in capita iniquorum mortem.

Oſtēdit nobis ſermo, quomodo ſuos Chriſtos ſeruauit: quomodo autem ſeruauit, niſi prauis Dæmonijs de medio ſublatis, qui iniquitatis inuentores, & patres erant?

Excitans vincula vſque ad collum eius.

Cùm ait, iniquos circuiſſes, tui amoris vinculis in tuum bonum iugum ligaſti, quos vocaſti, & hoc eſt, Vſque ad collum eius, bono Chriſti iugo ceruices ſubijcere.

Perfregiſti in ecſtaſi capita potentium, mouebuntur in ipſa.

Ecſtaſim inquit mentis mutationem, & à melioribus in deteriora, quam cum ſubijſſent Iudæi eorum capita percuſſa ſunt, hoc eſt, penitus perierunt. Cæterùm hanc Ecſtaſim ait tumultus, & internecionis cauſam ipſis fuiſſe, & hoc eſt, Mouebuntur in ipſa.

Aperient frena eorum, tanquam pauper in abſcondito comedens.

Cyrilli. Hic eſt ſenſus inquit, qui olim clam, & in occulto tuum verbum ijs, qui ſacris initiabantur loquebantur propter Iudæorum metum, & veluti quoddam frenum in ore ferebant, hi inquam multa fiducia pleni erunt. cibum autem ſacrorum prædicatorum eſſe ſalutem eorum, qui diuina doctrina imbuuntur, edocuit nos Saluator inquiens: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, & perficiam eius opus. Sanctos autem prædicatores in principio Iudæos timuiſſe, & ex eo patet, quod illi precantur & dicunt, Da ſeruis tuis verbum tuum cum fiducia loqui,

Ioan. 4.

Act. 4.

Et aſcendiſti equos tuos, turbantes aquas multas.

Eiuſdem. Sæpiſſime quidem equos ſanctos declarauit prædicatores: Mare verò multitudinem eorum, qui ſacra doctrina initiantur, quam multitudinem turbabant ſacri prædicatores, territantes ipſam per diuinum Iudicium. Vt enim Paulus cum Athenienſibus loquens inquit, Nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agãt, eo quod ſtatuit diem in quo iudicaturus eſt orbẽ per iuſtitiam.

Act. 17.

Seueri. Mare hunc mundum eſſe inquit propter inconſtantiam, & leuitatem huius labilis vitæ, quam Apoſtolorum pedes aſcendentes, turbarunt aquas multas, cùm mundanas, & libidinoſas, & diſſolutas cogitationes diſſipaſſent, & doctrina continentiæ, & temperantiæ ſiccaſſent. Equos verò appellauit ſacros Apoſtolos, qui diuinum vehiculum fuerunt: ſuper ipſis enim Dominus multa, & varia impietatis dogmata diſiecit.

Heſychij. Equos Apoſtolos ob curſum vocat: Aquas multas, baptiſmata, quæ per totum terrarum orbem ab eccleſia fiunt.

Cuſtodiui, & timuit cor meum, à voce deprecationis labiorum meorum, & ingreſſus eſt tremor in oſſa mea, & ſub me turbatus eſt habitus meus, requieſcam in die tribulationis, cum aſcenderim in populum incolatus mei.

Solent Prophetæ ſcientiam, & cuſtodiam nominare illuſtrationem ſpiritus in mentem, & in cor, per quam rebus futuris abũdabant. Quoniam igitur inquit, didici futura, quæ ſecundum tempus Iſraeli accident, propter impietatem, quam in Dominum præ ſe tulerunt, propterea ait, timui, & conturbor, timens, ne fortaſſe meæ vitæ tempus in hoc prorogaretur, vt illa ipſa tempora comprehenderem, illiuſque ſupplicij particeps eſſem. Sed poſtquam cognoui minime me ipſum in illud tẽpus peruenturum, idcirco requieui ab illa cogitatione, quæ olim me angebat: noui enim noui me in illum populum, reputantem præſentem vitam peregrinationem eſſe me aſcenſurum. Verum omnes ſanctos ſe ipſos incolas vocare, patet non modo ex alijs, verum etiam ex beato Dauide dicente, Incola ego ſum, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.

Pſal. 38.

Propterea ſicus non afferet fructum, & non erit germen in vitibus: mentietur opus oliuæ, & campi non facient cibum: defecerunt à cibo oues, et nõ erunt boues in præſepibus expiationis eorum.

Tanquam quodam Vatem interrogante, cur præſentem vitam execretur, & in futuram peruenire vitam precetur, reſpondet, & inquit, magnopere condemnans Iſraelem, & per ſimilitudinem ſermone vtitur, ficui, viti, & oliuæ Iſraelem comparans, & his ſterilibus, & fructus non ferentibus, atque etiam ouibus, & bobus, quæ diminutæ ſunt, cum ſpiritus cibo orbatæ ſint. Ficum autem Iſraelem nominari, planum eſt ex ſimilitudine ficus à Domino dicta, Succidite illam, vt quid etiam terram occupat? Vitem verò patet ex illo, qui dixit, Vinea enim Domini domus Iſrael eſt. & oliuam autem rurſus ex alio clarum eſt qui dixit, oliuam ſpecioſam, pulchram vberem, vocauit te Dominus nomen tuum, atque etiam oues vbique in diuinis voluminibus Iudæorum multitudo nominatur. Boues verò eos, qui ex Tribu Leui erãt nuncupat, qui legis cultum reſpuentes, proponebant illum populo, & planum eſt ex Paulo, qui dicit, Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtique hoc dicit. Iſti verò boues ait, non inuenientur in præſepibus. Cæterùm hæc omnia illis accident inquit, eò quòd noluerunt recipere ſuam medicinam, & quæ eſt hæc, niſi Saluatoris noſtri doctrina? ipſe erat ſanãs contritos corde.

Cyrilli.

Luc. 13.

Eſa. 5.

Ierem. 2.

1. Cor. 9.

Ego autem in Domino exultabo, & lætabor in Deo Saluatore meo. Dominus Deus meus potentia mea, & ordinabit pedes meos in perfectionem, & ſuper excelſa aſcendere faciet me, vt vincam in cantico eius.

Ipſe Propheta propter Chriſti perſonam gaudens introducitur, exultationem ipſum Chriſtum faciens, atq; etiam potentiã: quandoquidem ipſe eſt fortitudo noſtra, & demõſtrabit

ſtrabit apertè eius pedes in perfectum ordinem, hoc eſt, in ſecuritatem: per ipſum enim peruenimus ad pietatem, & ſecuritatem, atq; exaltati ſumus, & inimicorum phalanges vincimus, continuè in ipſum hymnos canentes, & hoc eſt illud, quod dixit, Vt vincam in cantu tuo.

ORATIO ESAIAE.

Cap. 26.

DENOCTE vigilauit ſpiritus meus ad te Deus, propterea lumen mandata tua ſunt ſuper terram.

Cyrilli. Qui dicunt, ſperauimus in nomine tuo, & in memoria, quatenꝰ deſiderat anima noſtra, cantilenas de gratiarum actione proferunt, veluti de nocte, & tenebris ſe vigilare dicentes: perinde ac illuceſcat in ipſis quædam intellectualis dies.

Euſebij. *Cantic. 5.* Iuſti enim dormientes res diuinas meditantur, ſecundum illud dictum, Ego dormio, & cor meum vigilat.

Baſilij & Stephani. Lux enim ſunt mandata tua, quæ ignorantiæ tenebras diſcutiunt. Noctem vocat tempus ante humanitatem Domini: diluculum verò propheticam præſcientiam: quandoquidem dies ortus eſt diuinæ cognitionis, & ipſe Dominus lux vera & iuſtitię Sol nominatur.

Theodoreti. Conſentaneum eſt, vt animæ ſic affectę feſtinent prima luce ad gratias agendas pro rebus præteritis. neque enim nox ad corporum quietem data poterit quieſcere facere dormientem, niſi in illo diſpoſitio fuerit: neceſſariò igitur huiuſmodi anima matutinũ tempus præoccupat, vt & pro rebus præteritis gratias agat, & ad conſecuturam diem excipiendam ſe excitet. Verùm à Dei mandatis piorum mentem illuſtrari patet: ſicut enim in omni Dei verbo alitur anima, ſic in omni mandato illuſtratur, & illuminatur.

Iuſtitiam diſcite habitantes ſupra terram.

Eiuſdem. Cuilibet igitur ſtudium, & meditatio ſit iuſtitiam diſcere: nõ enim ſicut vnum quid rerum naturalium, ſic etiam hoc innatum eſt nobis, vt ſine meditatione ipſam iuſtitiam habeamus, ſicut eſt videre, & ambulare, ſed cuilibet ſtudio opus eſt ad mentem ab iniuſtitia ſeiungendam, & ad iuſtitiam accipiendam: Ecce enim, qui cum impietate ſimul vitam ducunt, procul ſunt: nam fieri non poteſt, vt inueniatur virtutis operarius, qui non iuſtitiam meditatus ſit. Simile eſt hoc Dauidis voci,

Pſal. 48. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis terram. Lex enim in literis inſtruebat ſolum Iſraelem ſecundũ carnem: dominus autem noſter Ieſus Chriſtus cũ manſuetudinis rete explicaſſet; totã piſcatus eſt terram, quæ ſub cœlo eſt: merito igitur omnibus qui per totam terram ſunt conſuluit, inquiens ipſos oportere diſcere iuſtitiam, quę ab ipſo dictata eſt, hoc eſt, euangelicam.

Cyrilli. Oportebat enim oportebat his, qui ſemel cognouerunt quòd eius mandata ſunt lux ſuper terram, vtilitatis ſcientiam dare: ab ipſo igitur ò Vos, qui habitatis ſuper terram, iuſtitiam diſcite.

Ceſſauit enim impius, non diſcet iuſtitiam, ſuper terram veritatem non faciet.

Abibit enim inquit, in interitum, & perniciem, & quodãmodo extinguetur: hoc enim puto hanc dictionẽ, Ceſſauit ſignificare: Qui cunque ſcientiam euangelicæ iuſtitiæ non receperit, & qui non fecerit iuſtitiam. Sed veritatem rurſus vim in his cõſuetudinis in Chriſto vocat, & cultum, & adorationem in ſpiritu, & veritate. Nam lex futurorum bonorum vmbram habens, & ſimulachrum futurarum rerum, non in veritate erat: Chriſtus autem & eius oracula iurè cenſeri poſſunt iuſtitia, & veritas. Pro Ceſſauit impius, Aquila, & Theodotion, Miſericordiam conſecutus eſt impius, interpretati ſunt. adhortatur autem ſermo, vt ij, qui impietate laborant, ad pœnitentiam quàm primùm feſtinent.

Cyrilli. Euſebij.

Cõfidimus autem cùm Deus beniguus ſit, etiam eos, qui in impietatibus deprehenſi fuerunt, ſi pœnitentia ducti fuerint, miſericordiam conſecuturos. ſi quis autem præconio non obediuerit, nec didicerit iuſtitiam, nec veritatem operatus fuerit, tolletur ex viuentibus, & non videbit gloriam domini.

Et paulo poſt.

Nam Diaboli tyrãnide per domini aduentum euerſa, facilior fuit virtutis executio: ille autem nihil inde emolumenti percepit.

Theodoreti.

Tollatur impius, ne videat gloriam eius.

Huiuſmodi eſt illud à Chriſto Iudæorum populis dictum, Amen amen dico vobis, niſi crediderit is, quoniam ego ſum, in peccatis veſtris moriemini. & rurſus, Qui credit in filium, non condemnatur, qui autem non crediderit, iam iudicatus eſt, quoniam non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. qui autem ſemel condemnatus eſt, & in proprijs peccatis mortuus eſt, quomodo videre poteſt gloriam domini? non enim ſimul cum Chriſto erit, & qui nullo pacto eius gloriæ fuit particeps, ſanctorum non videbit ſortem: quandoquidem perfectam lucem ſanctis paratam haudquaquam cernet.

Cyrilli. Theodoreti. *Ioan. 8.* *Idem 3.*

Accipiuntur hæc etiã in Diabolũ, & in ingratos Iudæos, q multis beneficijs affecti, adhuc mentis oculos claudere pergunt. Nã cùm dominus noſter Ieſus Chriſtus adueniſſet, & gẽtes credidiſſent, iſti non modo erga beneficij auctorem ingrati fuerunt, verumetiã prauo zelo accenſi, cõburi maluerunt, quàm gentes ſalutem conſecutas cernere.

Theodoreticenſis

Domine excelſum tuum brachium, & non cognouerunt, cognoſcentes verò reuereantur.

Brachium autem Dei, & patris, nuncupat viuentem eius potentiam, & eiuſdem ſubſtantiæ, hoc eſt, filium, quem vt hominem cruci Iudæi affixerunt, quando nobiſcũ fuit. poſtquam autem è mortuis reuixit, mortis imperio conculcato, tunc vix cognouerunt Deum fuiſſe in carne propter nos.

Eiuſdem. Nam cùm filius ſublimis eſſet, non cognouerunt Iudęi, ſed videntes hominem, non intellexerunt Deum eſſe in forma ſecundũ nos, & ſeipſum

& seipsum exinaniſſe, forma ſerui accepta.

Eiuſdem. Dignitate enim, ꝓpriæ excellentiæ, & tanq̃ in gloria Deo competente; magnum, & ſublime, & omnipotens eſt patris brachium, hoc eſt, Deus Verbum, per quod omnia facta ſunt, quoniam enim cùm in carne apparuit, ignorarunt eius gloriã, atqui erubeſcant ait, quoniam verbũ Dei vitæ auctorẽ non didicerũt, quonam modo? ipſi enim vitæ principem interfecerunt, & ſanctum Iſrael negarunt, poſtquam autem cùm mortis vincula perfregiſſet, tertia die Chriſtus in vitam redijt, hunc cognouerunt potiſsimum Iudęorum Principes.

Euſebij. Cùm enim impij demiſsi, & abiecti eſſent, & à longè à Dei cognitione diſtarent, in tenebris ſuæ ignorantiæ verſabantur: ſed cùm vniuerſalis ſcientiæ præſidis altum brachium vidiſſent, qui olim ipſum vt eum, qui non eſt, execrabantur, ab hac dementia ceſſabunt, rubore ſuffuſi.

Zelus accipiet populum imperitum.

Eiuſdem. Tacitè innuit eos, qui ex circunciſione erant, qui per Chriſtũ gratiã minimè accperũt.

Cyrilli. Quoniam enim ſcelerati quidem ipſi facti ſunt, & à ſpe in Chriſto deiecti, & à promiſsionibus alieni declarati ſunt, acceptę verò fuerunt gentes, hac de cauſa miſeri conſumuntur Zelo, & veluti ab igne abſumuntur, videlicet igne inuidiæ.

Theodoreti. Iud eos indicat per Zelum, videlicet, cùm cruci dominum confixiſſent: hoc & diuinus

Roman. 10. inquit Apoſtolus, Teſtificor enim eis, quoniã zelum Dei habent, ſed non ſecundum cognitionem.

Et nunc ignis aduerſarios comedit.

Eiuſdem. Quoniam lucem non acceperunt, tenebricoſo igni proditi ſunt, tanquam ſententiæ dicenti obnoxij, Ite in ignem æternũ, qui paratus eſt Diabolo, &

Matth. 5. Angelis eius.

Domine Deus noſter da nobis pacem: omnia enim reddidiſti nobis.

Cyrilli. Da igitur nobis domine, vt tecum pacem habeamus, vtq; de medio ſublato impuro, & deteſtabili peccato, vnum tecum efficiamur ſecũdum ſpiritum per mediatorem Chriſtũ. huiuſmodi eſt illud per Pauli vocem rectè dictum, Iuſtificati igitur ex fide pacem habem⁹

Roman. 5. ad Deum, per dominum noſtrum, & Saluatorem Ieſum Chriſtum.

Rurſus. Videlicet, petẽtibus ipſum Chriſtum: ipſe enim eſt pax noſtra ſecundum ſcripturas, & per ipſum cum Deo & patre cõiuncti ſumus, videlicet per familiaritatem ſecundum ſpiritum: eſt autem res diuinitus data, & verè & per cœleſtem liberalitatem proueniens.

Rurſus. Si enim inquit, largieris nobis pacẽ, omnium bonorum pleni erimus, & reportabimus à te perfectam gratiarum communicationem.

Euſebij. Nam bona quidem ſunt omnia alia, quæ à te conceduntur, ſed nullum maius donum à te habemus, quàm pacem erga nos ipſos, vt ſine ſeditione tecum ſimus, & anima noſtra tecum pacata cuſtodiatur: hoc autem fieri poteſt, ſi dignatus fueris nos tui ipſius propriam poſſeſsionem efficere, quoniam & nos neminem alium ſcimus, & ſolo nomini tuo confidimus. Quoniam igitur neminem alium in vita poſſedimus præter te; iurè precamur, vt mereamur eſſe tua pars, & hæreditas.

Hic compẽſationem dicit propter pœnam Theodo-
inflictam pro merito peccatorum, nobis au- reti.
tem iuſtè illorum omnium pœnam pendentibus, & tanquam debitum perſoluentibus, redde nobis vnigenitum tuum filium, neque enim alius erit noſtra medicina, niſi vnigenitus tuus filius ſuper terram aduenies. Tuum imperium amplexi ſumus, ne excidamus à tua prouidentia, neminem enim alium nouimus Deum: & hęc Eunomij dementiam redarguunt. quomodo enim dicere poterit, prẽter te alium non nouimus?

Domine Deus noſter poſside nos, Domine extra te alium non cognoſcimus, nomen tuum nominamus

Nã ſimplices eſſe oportet, & Deo ſoli con- Cyrilli.
iunctos, & pacatos cum ipſo, vt & ipſum ſolum cognoſcamus, nec aliud penitus falſi Dei nomen in lingua feramus, ipſum enim ſolum nominare oportet, quoniã ipſe eſt ſuper nos Deus & natura, & veritate.

Omnium quippe imperium Deo congrue- Theodo-
re, cuilibet planum eſt, & nemo ſuſpicari poſ- reti.
ſet extra Dei imperium aliquos eſſe. Hęc igitur clauſula, Poſside nos, hoc dicit, quoniam cùm per vnigeniti tui filij aduentum nos redemiſſes, familiares feciſti, & vendicaſti, nos inquam, peccatis mortuos: nos igitur inquit, tui ſumus domine, & tu noſtra poſſeſsio es.

Qui verò morti ob peccata ſe ipſos manci- *Ezech 18.*
parunt, & propterea mortui ſecundũ animas effecti ſunt, (Anima enim quę peccauerit, ipſa morietur) ſempiternam vitã ſanctis promiſſam haudquaquam cernent, neque medici alicunde aſtantes iudicij tempore ad ſalutem eis opem ferre poterunt, neque eorum lapſum erigere, quos enim tu magnus, & formidabilis, & iuſtus ad interitum condemnaſti, quis medicorum ſeruare poterit?

Mortui vitam non videbunt.

Quoniam autem oportet ſermonem ſuo ordine ire, & ꝓpheticę veritatis declarare ſcopum, illud neceſſariò dicimus. Mortui aliqui ſunt, & minimè penitus ſecũdum carnem, potius à mundanis voluptatibus mortui effecti, vitam ſanctam in Chriſto, & euangelicam minimè habentes, ſed extra te inquit, tales minimè participes eſſe poſſunt vitæ, vel gratiæ, quæ eſt cauſa vitæ. qui verò ſolum cognoſcunt natura & verè Deum, qui eſt, & nominant eius nomen, hoc idem dicentes, Domine extra te alium non nouimus, proferũt neceſſariò hęc verba, Mortui nõ videbunt, hoc eſt, perfidi Iudæi.

Qui enim mortui ſunt ob peccata, haud- Theodo-
quaquã videbunt te. Nã cũ mortui ſint, ſecun- reti.
dum naturã mortui, & mortui, qui ſua ipſorũ membra voluptatibus mortificarunt, & malas cogitationes ſecundum Deũ mortuas reddiderunt, hoc in loco de contrarijs mentionẽ fa
cit, nimirum de his, qui totam vitalem vitam rectè

rectè agendi abiecerunt, & mortuos ſeipſos Deo à multitudine peccatorum perfecerunt, qui non poſſunt à medicis medicinam ſuſcipere, neque cùm ſint mortui ſurgere à multitudine peccatorũ, & maleficijs, cùm iuſtitiã, quæ eſt cauſa vitæ, abieciſſent: propterea tu benigne Deus bonitate motus, contriuiſti pec

Matth. 8. catores. Mortuos vocat, bonis operibus mortuos effectos, ſic enim & dominus inquit, Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos.

Ex epiſtola Seueri ad Comitem.

Ob virtutẽ eius, qui propter nos humanitatem ſuſcepit, & paſſus eſt in carne, & ex mortuis in vitam redijt, & huius nobis ſpei primitias largitus eſt, quod fieri non poterat, fieri poteſt, & mortui in vitam redeunt.

Cyrilli. *Nec medici reſurgere facient.*

Sine autem te, qui ab animi morbis liberãt eos, qui in ipſos inciderunt, (qui medici ſpirituales meritò dici poſſunt) nullum à morbis eripere poſſunt. Medicos verò ſpirituales, dicimus ſanctos prophetas, & Apoſtolos, & Euangeliſtas, qui per ſupernam gratiam, & per miniſterium in ſpiritu verbo abundantes, quod ſanare poteſt, à peccato, & à Diaboli ſæuitia vulneratos curant. Cęterùm par eſt aliud vaticinationis ſermonem nobis innuere. Nam cùm dominus noſter Ieſus Chriſtus eiuſdem potentię, & gloriæ, cuius eſt genitor, ſe ipſum oſtendiſſet; mortuos à monumentis excitauit, & eos, qui extremis morbis laborabant ſanauit. Sed cùm eſſet hoc modo auctor miraculorum adeo inopinatorum, nequaquam honoratus fuit à ſpectatoribus, imò tanto magis ipſum perſequebantur, & maximè Iudæorum Principes, & prẽceptores. Quoniam igitur extra te ait, videre haudquaquam poſſent vitam mortui, (tu enim es, qui ſolus viuos efficere potes) minimè à monumentis medicus excitare poteſt, quos ipſe excitaſti, & poſt hæc adhuc in perfidia perſtiterunt, & mœrore affecti ſunt vehementer, quos par erat ante alios credere. Omnia enim à Deo ſunt, & ipſe fecit ex terra medicinam, ſecundum quod ſcriptum eſt.

Propterea induxiſti, & perdidiſti.

Indicat hoc quod pro ſua benignitate Deus tempus eorum vitæ intercidit, ne in diuturnum tempus permanentes, cum malitia ſimul extendantur, & eorum prauitatem augeant. Deus enim per ſuam bonitatem & tempora prẽfinit ad pœnam, huius quidem poſt centum viginti annos, ſicut fuit & tempore diluuij, huius vero ſexaginta, & per hunc ipſum Vatem à te tempus prẽſcriptum pœnam induxit, conterens ipſos peccatores, & ceſſare faciens eos à prauitate, qui pœnitere neſcij ſunt: propterea inquit in quinquageſimo quarto

Pſal. 101. pſalmo, Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. & rurſus, Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.

Et ſuſtuliſti omne maſculum eorum.

Eiuſdem. Pro, Omne maſculum, Symmachus, Omnẽ memoriam eorũ: & Aquila, & Theodotion, Omnem commemorationem eorum, interpretati ſunt. Oportet enim omnem malitiæ memoriam videlicet Iudicij tempore tolli. ſi autem diceretur, Omne maſculum eorum, multam benignitatem ſermo infert, tãquam fore, vt ipſi peccatores minimè euaneſcant, neque penitus pereant, ſed peribunt fructus eorum, hoc eſt, prauę cogitationes, quas anima peperit, quæque per verbum Maſculum oſtenduntur: has enim abolendas eſſe inquit, hoc eſt, excellentem ſexum, nam maſculus fœmina longè præſtantior eſt.

Maſculos fortaſſe nuncupat eos, qui ex Iudæis validiores erant, non corporis habitudine, ſed cognitione mandatorum, quę in lege ſcripta erant.

Punitur igitur meritò Maſculum, hoc eſt, Et paulo
Iudæi præcellentes, & cæteris honoratiores, poſt.
tanquam ob fortitudinem ſpiritus: incedebant autem in notitia tantum ſecundum legem, quibus vult, vt mala adiungantur: non modo enim exciderunt à familiaritate, quam cum Deo habebant, cùm in Chriſtum debachati eſſent, ſed etiam bello attriti fuerunt, & in calamitates inciderunt, quæ inde naſci ſolent, vaſtata eorum regione, & penitus euerſa. Porrò quos maſculos dixit, eoſdem glorioſos nuncupat, veluti alijs præſtantiores, & excellentiores, eò quòd ſacerdotij gloria coronati fuerint.

Appone ipſis mala domine, appone mala glorioſis terræ.

Mala quidem neq; apud alios Interpretes, Euſebij.
neq; apud Hebraicum exemplar inuenimus, ſed apud omnes expoſitores ſic legitur, Appoſuiſti genti, in qua gloria celebratus es. Cũ autem omnes explanatores vnico cõſenſu ſic legant; reliquum eſt, vt nos cogitemus, quid appoſuerit genti: Quod quidẽ ex verbis Saluatoris noſtri intelligemus, qui dixit, Omni *Matth. 25.*
habenti dabitur, & cumulabitur. Ijs igitur, qui res bonas habent, adiunxit ea, quę ab ipſo conſeruata ſunt, quę oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Ijs verò, qui ſuperbia ſe extulerunt, rurſus apponet res eorum operibus reſpondentes.

Hoc in loco dicit Mala, non ea, quæ in a- Theodo-
ctione conſiſtunt, ſed ea, quæ ipſos male ha- reti.
beant: ſic enim accipitur, quando audieris, Poſsidens mala. ſignificat igitur, faſtum eorum, qui glorioſi dicebantur, per afflictiones tollendum eſſe.

Domine in afflictione recordati ſumus tui: in afflictione parua caſtigatio tua nobis.

Cùm ob ſummam beneuolentiam ega Deum ſanctiſsimus Vates cõmotus eſſet contra Iudaicam inſolentiam, dixiſſetque, Appone mala omnibus glorioſis terrę; nũc precatur, ne peccatores miſericordiam conſequantur, ſed in afflictione permaneant: quandoquidem calamitates nobis ſuperuenientes ſunt in cauſa, vt Dei memores ſimus: afflictio enim agit nos in Deum, & in agnitionem noſtrorũ errorum, in afflictione nanque paulum caſtigamur.

Cùm oſtendiſſet miſerias perſequentium, oſtendit

Theodoreti. ostendit nunc vtilitatem eorum, qui persecutionem patiuntur: afflictio enim, secundum Paulum, patientiam parit, patiẽtia verò probationem, probatio autem spem, spes verò non confundit.

Euſebij. Quoniam Propheta præuidet locum, vbi generale Iudicium futurum est, perinde ac Iudicio, & Tribunali diuino adesset præsens his rebus, quas videt; meritò modo quidem confitetur, modo precatur, modo gratias agit, modo narrat remunerationes, quæ à Deo dignis hominibus largiendæ sunt, modo verò enumerat supplicia, quæ ipsis imminent. Omnia autẽ hęc per sua diuina volumina nobis ostendit, vt instruamur, discentes omnia, quæ ipse diuino spiritu afflatus cognouit. Nunc igitur inquit. Quando tempus erat ò domine, nos euntes per viam anguſtam, & afflictionis plenam, pro pietate pugnabamus: atqui in afflictione illa non eramus tui immemores, sed ab eadem tua memoria corroborati, viriliter sustinebamus, adeò vt diceremus afflicti, sed non anguſtati, perſecutionẽ patientes, sed non pereuntes. Per hanc igitur afflictionem corrigimur, sciẽtes, quòd quem diligit dominus, corrigit.

Et sicut parturiens appropinquat ad partum, & ob dolorem suum clamat.

Euſebij. Propterea nos omnem laborem perferentes, similes fuimus mulieri parturienti, & clamores edenti, dum laborat in lucem edere id, quod in vtero conceptum est. Sic enim & nos facti sumus tuo dilecto: quandoquidem habentes intus in noſtra anima vnigenitũ tuum verbum, timoremque tuæ pietatis à te in nobis seminatum; omnes labores generosè perferimus, calamitatesque, quæ nobis infliguntur, fortiter sustinemus, laborãtes, ne per abortum abijciamus tuum dilectum in nobis conceptum, timoremque diuinum abs te in nobis disseminatum, etenim viriliter toleran do, spe non decidimus, sed spiritum salutis peperimus.

Sic facti sumus dilecto tuo.

Dilectum hic Saluatorẽ noſtrũ vocat, nam ex quo virgo dicitur peperisse secundum vaticinationem, vbique opportunè mentionem de puero facit. Quoniam igitur inquit, noſtre res sic se habent, vt per magna supplicia debitum exoluamus, opus est deinceps nobis gratia tui dilecti, qui noſtras finiat calamitates.

Per quem timorem tuum Domine in vtero concepimus.

Nos inquam concepimus, qui ob amorem erga Deũ diximus illa verba, Sic facti sumus dilecto patris. Manifestum est autem nos, si Christo prudenter adhæserimus, parturituros esse instar mulieris parturientis, vt hac sermonis figura vtamur. Atqui inquit, concepisse in vtero, & spiritum salutis peperisse ijs, qui super terram sunt. Conuenire autem posset hic sermo, vt dixi, Prophetis, & Apoſtolis, & Euangeliſtis, qui quidem abundantes gratia cœlestis doctrinæ, & recipientes veluti quædam cœlestia semina, pepererunt spiritum salutis ijs, qui super terram sunt, hoc est, doctrinam in spiritu, quæ vita est rerum ęternarum conciliatrix. Spiritum igitur salutis, Euangelicum præconium nuncupant.

Timor Dei fœcundam reddit hominis na- Eiusdem. turã, & motum concupiscentiæ, qui ex carne consurgit, compescit: Mulieris vtero enim similis est humana mens, quæ quidem si recipiat à Deo pietatis semina; parit omnino bonos fructus. Igitur fœcundi sunt, qui Christo adhærent, pariunt nanque veluti mystico vtero fructus vt dixi bonos.

Ostendit vtilitatem, quę ex minis Dei per- Theodo. cipitur. Accipientes enim timorẽ tuum, veluti bonum semen, & hunc in vtero gestantes, opportuno tempore salutem reportabimus. Etenim cùm adhuc sumus in terra, tempus pœnitentiæ largiris, nequaquam condigna pœna nos de medio tollens, sed permittens, vt conuertamur ad salutem. ueraclenſis

Quoniam enim compararunt se ipsos par- Theodo. turienti mulieri; meritò ostenderunt fructũ reti. dolorum partus: spiritum enim inquit, salutis peperimus, quem feciſti super terram, hoc est, quem ipsi terræ largitus es: non enim spiritum in terra fecit, sed per spiritum salutem in terra operatus est.

Et parturiuimus et peperimus spiritum salutis tuæ, quem fecimus super terram.

Sic enim sterilis, id est ecclesia è gentibus Seueri. conflata peperit septem: nam Synagoga quæ filijs prius fœcunda erat, infirmata est, & plures filij fuerunt mulieris desertę, quàm illius, quæ habebat virum.

Finis enim conceptionis tui dilecti, tuique Euſebij. timoris salus fuit noſtri spiritus, quem quidẽ cùm peperissemus, notum fecimus omnibus mortalibus, qui super terram sunt, ipsos quoque vtilitatem percepturos, si didicerint eadem, quæ nos didicimus, & si nos imitati fuerint, & conceperint ex timore Dei, & pepererint spiritum salutis. Qui enim hunc timorem non habuerint, neque pepererint spiritum, sed steriles permanserint; excident à tua spe. Qui verò ex tua hæreditate sunt, quique propter te omnes afflictiones perferunt, licet vsq; ad mortem certent cum peccato, tamen nullo modo excident ab æterna vita.

Non cademus, sed cadent qui habitant super terrã.

Prudentia sanctorum virorum admiratione digna est, cogitant enim semper quomodo tollatur id, quod contrarium videtur verbis, quæ nobis dixerunt. Quoniam igitur dicebant viri sancti se peperisse spiritum salutis ijs, qui super terrã sunt, isti autem vident mortem; (veluti si quis diceret, quænam vtilitas nobis est diuinorum sermonum? & vbi est iſte spiritus salutis? moriũtur enim, qui super terram sunt) meritò apologiã faciunt, & dicunt, Resurgent mortui, gratia quidem Dei, vt dicit beatus Paulus, Dominus noſter Iesus Chri 1. Cor. 15. ſtus pro omnibus gustauit mortem, verumtamen reuixit tertia die, & fuit primitię dormientium, & tanquam principium humanæ naturæ, quæ ab interitu liberata est.

Dicit

Paulo poſt. Dicit autem quonam modo hoc fiet: ros enim quæ ab ipso stillat, medicina ipsis mortuis est: & videtur hoc in loco rorem vocare, vitalem spiritus sancti potentiam, & vim.

Theodoreti. Cùm igitur receperimus semina vitalia, & Dei timorem conceperimus; fugiemus omnem pœnam. Qui enim olim mortui fuimus peccatis, prauisque desiderijs, nunc excitabimur tanquam à monumentis, tuã opem consecuti, ob quam opem exultabimus, quiescentes à malis operibus: semper enim tuam misericordiam sic nobis immittis, tanquam rorem salutarem.

Resurgent mortui, & excitabuntur qui in monumentis sunt, & exultabunt qui in terra sunt.

Qui terrena sapiunt, & fidunt rebus fluxis, tanquam permanentibus: nos autem expectamus mortuorum resurrectionem.

Euſebij. Iesa. 5. Hæc etiam dominus dixit, Audient qui in monumentis sunt vocem Dei, & exibunt qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem Iudicij.

Seueri ex epistola ad Comitem.

Resurgent mortui, diuina inspiratione reuocante ipsos in vitam, quam inspirationem propheticus sermo rori comparat, ros enim à te stillans, medicina ipsis est. Resurgent nanque mortui, vel secundum Aquilam, Viuent οἱ τεθνεᾶτες σου, vel vt Symmachus, & Theodotion, οἱ νεκροί σου id est mortui tui. Mortui nanque sui ipsius, quinam alij esse possent, quàm sancti eius Martyres? Qui quidem alij sunt, & diuersi ab illis mortuis, de quibus supra dictũ est, Mortui autem vitam non videbunt, neque medici eos excitabunt: sed illi erant mortui, eò quòd peccarunt in ijs rebus, quę ad Deum spectabant. Mortui autẽ domini sunt, qui propter ipsum afflictiones omnes ad mortem vsque perpesi sunt.

Et Paulo poſt. Pro Excitabuntur, reliqui Interpretes dixerunt, Expergiscentur, tanquam si dormirent, & non mortui essent: propterea Sanctorum mors, somnus nuncupatur. Resurrectio autem meritò dici posset experrectio, vt respondeat somno. Propterea reliqui Interpretes dixerunt in prima parte huius clausulæ, Expergiscentur qui in monumentis sunt, in secunda verò, Exultabunt qui sunt in terra, vel secundum Aquilam, Laudabunt, vel secundum Theodotionem, Iubilabunt.

Ros enim abs te medicina ipsis est.

Cyrilli. Sciendum nobis est, hoc in loco Rorem nuncupari vitalem spiritus sancti potentiam, & vim per quam excitatum iri mortuos inpſal. 103. quit Dauid, psallit enim Deo, & ait, Auertente te faciem, turbabuntur, & in puluerem suum reuertentur, emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ros igitur vitalis est spiritus à patre missus, per quẽ etiam corporibus ex terra factis impertit immortalitatem.

Et rurſus. Rorem puto nuncupari vitalem sancti spiritus vim, & potentiam, quæ mortem destruat, vtpote quæ à Deo veniat, & à vita.

Rorem in hoc loco non aliud, quàm spiri- Et rurſus. tum dico, vel vitalem spiritus sancti vim, quæ per Christum infusa etiam corporibus iã diu corruptis expellit mortalem corruptionem, & pro ea vitam reddit.

Ros in terram delapsa est in causa, vt sen- Euſebij. sim, & quietè semina in ipsa recondita augeantur, & crescant. Eodem modo Ros à te stillans, medicinam, & vitam, & salutem hominibus affert, quorum corpora super terram pro tempore sparsa fuerunt. Nequaquam tamen errares, si diceres ipsum rorem esse vnigenitum Dei verbum: quod quidem suas emittens vitales stillas suis mortuis, remiſsionem indulgebit peccatorum, si quid ab ipsis secundum hominem peccatum fuerit, & insuper concedet resurgendi à mortuis facultatẽ, & salutem, & sempiternã vitam. Cæterùm impiorum res non sic se habent.

Sicut enim imber facit, vt semina obruta, & Theodo. propemodum sepulta vigeant, sic tuũ verbum reti. veluti quidam ros est in causa, vt hominum natura resurgat.

Terra autem impiorum cadet.

Terrena ipsorum prudentia destruetur: Eiusdem. hæc igitur sanctiſsimus Vates dixit, hymnum contexens Deo rerum omnium conditori. Cæterùm ipse dominus adhortatur eos, qui sibi fideles fuerint, vt delitescant in fide diuinorum sermonum, & in spe rerum futurarum, veluti in quibusdam cellis, & hoc pacto fugiant mortem, quæ cæteris hominibus imminet.

Hoc accidit Iudæorum regioni, quæ peni- Cyrilli. tus vastata fuit, eò quod in Christum insaniuerunt, & in sanctos eius sacerdotes, licet spiritũ salutis pepererint ijs, qui super terrã sunt.

Vade populo meus, ingredere in cellam tuam, claude ostium tuum, delitesce parumper, dum trãseat ira domini.

Inducitur in his verbis persona Dei vngen- Cyrilli. tis (vt palestræ mos est) mentem sanctorum virorum, & corroborantis ad molestias perferendas. Quoniam enim in tentationes intolerabiles casuri erant ob euangelij præconium; idcirco congruenter admodum persuadet illis, vt exultent his de rebus, dicens, Vade populo meus, ingredere cellas tuas. Ingeniosè autem, & suauiſsimè nuncupat fortè cellas, sepulcra, quæ in terra sunt. Dictum fuit enim Principi noſtri generis, id est Adamo, Terra es, & in terram reuerteris, & natura ho- Gen. 3. minis ob transgressionem detestabilis facta est: liberabitur autem ab hac ira diuina tempore cõsummationis. Absconde te igitur inquit, populo meus, & perfer, & obdura parumper, donec mors ex ira Dei irrogata prætereat, & aduenìat tempus, cùm omnes homines resurgent, licet enim inquit, mortẽ patiaris, & id quidem sanctis eius sacerdotibus accidat, tamen Deus rerum omnium auctor pœnam infliget ijs, qui sanctos eius viros occiderunt: Inducit enim à sancto dominus iram super habitantes terram. Simile huic est illud, Et pluit dominus à domino super

Gen. 19. Sodoma ignem & sulphur. Igitur filius à sancto patre iram inducet super habitantes terram: nam vt ipse alicubi ait, Pater iudicat neminem, sed iudicium totum dedit filio, vt omnes honorent filium, quemadmodum honorant patrem.

Ioan. 5.

Eusebij. Postquam tradidit doctrinam de reditu mortuorum in vitam, spiritus propheticus cùm vidisset sanctos Dei seruos, veluti coram se astantes, & in vnum collectos postreditum in vitam, deinde ex alia parte cùm conspexisset iram impijs hominibus imminẽtem; alloquitur cœtum sanctorum virorum, vt secedant parumper, & à longè abscondantur, vt ne spectatores quidem sint interitus impiorum.

Et post alia. Cellas autem populi Dei, sunt multæ mansiones apud patrem, quæ cuilibet ordini sanctorum hominum secundum iustum Dei iudicium destinatæ sunt: In has igitur Cellas tibi præparatas inquit, ingredere populemeus, & ostium claude.

Eiusdem. Præterita autem ira Dei, tu populemeus pate factis tuarum cellarum ianuis, egredere multa cum libertate, & hilaritate, nouum aspiciens seculum, & regnum Dei promissum.

Theodoreti. Hæc inuenimus dominum suis sanctis Apostolis dixisse, Quando inquit, videritis Hierosolymam ab exercitu obsessam, scitote eius euersionem appropinquasse, & rursus, Tunc qui in Iudæa sunt, in montes fugiant, & qui super domum est, ne descendat, vt tollat ex se aliquid. prædicit autem ipsis, vt fugiant mortem, quæ imminet his, qui non crediderunt.

Luc. 21.

PRECES IONAE.

Ion. 1. Proiectus in mare Propheta, & absorptus à Balena, triduo post ab ea eiectus est, & postea Niniuem petijt, suamque legationem obiuit: mœrore autem affectus est, vbi vidit Deum misertum esse Niniuitarum. Christus quoque sua sponte mortem sustinuit, fuitque in corde terræ tres dies, & totidem noctes: reuixit igitur, & deinde in Galilæã se contulit, & iussit initium fieri præconij euangelij ad gentes: verumtamen nullum cepit mœrorem, videns seruari eos, qui ad pœnitentiam vocati essent: Ionas autem contra fecit. Si igitur non omnia historiæ verba in sensum cœlestis contemplationis trahemus, nemo nos criminetur.

Hesychij. Ionas typus est Christi, nauigium Iudæorum Synagogæ: gubernator nauis figura est Mosis, nautæ verò vmbræ sunt sanctissimorum Vatum, mare autem perturbationum, quæ nos oppressos tenebant, sors verò typus est voluntatis patris, per quam Christus in mare calamitatum proijcitur, Balena autem illa magna mortis figuram habet.

Gennadij. Per ingressionem, & egressionem è Balena significauit triduanam mortem, & reditum Iesu Christi Saluatoris nostri in vitam. Præterea salus Niniuitarum ob pœnitentiam ipsis allata denotat vocationem gentium ex gratia concessam.

Ex Apologetico.

Gregorij Theologi. Fugiebat & Ionas à facie Dei, vel potius se fugere putabat, sed comprehensus est in pelago tempestate, sorte, ventre Balenæ, ac triduano sepulcro, quæ omnia typum habent maioris mysterij. Verùm ille quidem ob hoc fugiebat, ne tristem illum, & importunum nuncium Niniuitis nunciaret, ac postea in mendacio deprehenderetur, vbi ciuitas pœnitentiæ beneficio seruata esset: non enim malorum salutem molestè ferebat, sed mendacio seruire erubescebat, & Vaticinationis fides, & auctoritas ne abrogaretur timebat, quæ quidem in ipso periclitabatur.

Et paulo post. Non igitur Ionas ignorabat potentem Dei manum, qui hanc alijs minabatur, neque prorsus id cogitabat, vt Deum fugeret, ne hoc credamus, ne hoc credamus, sed quoniam exitium Israelis videbat, propheticam gratiam ad gentes transire sentiebat, eam ob causam à prædicandi prouincia se subducebat, & mandatum domini protrahebat: ac relicta gaudij inspectione (nam id Hebræis vox Ioppe significat) veterem sublimitatem, ac dignitatem intelligo: in pelagus tristitiæ se ipsum coniecit, & propterea in tempestatem incidit, dormit, in naufragium incurrit, euigilat, sorte deprenditur, fugam confitetur, submergitur, & à Balena sorbetur, verùm non consumitur, sed illic Deum implorat, & per miraculum sicuti Christus triduo post restituitur.

Clamaui in tribulatione mea ad dominum Deum meum, & exaudiuit me, de ventre Inferni clamaui, et exaudisti vocem meam.

Nulla in re læsus, sed Balena vsus, tanquam domo, & solitam prudentiam secum retinens, nihilque detrimenti vel in corpore, vel in mente passus; diuinum sentit auxilium. Cùm autem non ignoraret quantum malicx torpedine mentis accidere soleat, ad preces conuertitur, Deique potentiam admiratur, eiusque mansuetudinem prædicat: dicit enim exauditam esse suam precationem. Illud autem Ex ventre Inferni, significat ex ventre Balenæ, cùm ingeniosè admodum fera Inferno, & morti comparetur, quippe quę occidit, & crudeliter absorbet eum, quem capit.

Theodo. Ego enim inquit, qui olim putabam Hierosolymis tantùm se conspiciendum præbere sanctis Vatibus, inueni etiam in ventre Balenæ ipsum mihi præsentem, & allatis precibus, statim ab eo salutem consecutus sum.

Hesychij. Ventrem inferorum Balenę ventrem nuncupauit, quoniam hæc fera letalis est: & quod ad rerum naturam pertinet, mortuus erat, sola autem gratia viuebat: sed quia figura erat Christi, qui fuit in corde terre tres dies, & tres noctes; meritò inquit se fuisse in ventre Inferni. Hoc autem est omnium maximè inauditum:

Matt. 12.

auditum: nam Christus cùm verè gustasset mortem, dixit se futurum esse in corde terræ tres dies, & tres noctes: Ionas verò ob vmbram tantùm mortis vocat ventrem Balenæ Inferni ventrem. Non enim erat in potestate Ionæ, vt sponte resurgeret, sed Christus poterat sua sponte hoc facere: Quapropter Infernum ad quod descendit Christus, & mortem, quam verè gustauit, cor terrę nuncupauit: hîc autem Infernum vocauit ventrem Balenæ. In illa autem afflictione latitudinem fuisse Ionæ in ventre Balenæ, manifestum est, cùm ad Deum preces fudisset. Tantum igitur miraculum sanctus Propheta consecutus, preces fundebat ex ventre Balenæ, tanquam ex templo sancto illas proferens, quas exordiens, dicebat se clamare propter afflictionem, & exauditum esse. Cæterùm quidam suspicati sunt Vatem dixisse hæc, postquam in litus ipsum Balena euomuit: qua autem ratione? respondeant mihi, vtrum quòd Ionas sensibus impeditus erat in ventre piscis? an quod mentis esset impos? dicant, Quomodo enim hæc fieri poterant Deo non cooperante?

Proiecisti me in profunditates cordis maris, & flumina circundederunt me, omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt, & ego dixi abiectus sum ab oculis tuis.

Theodoreti. Rursus mentio de corde ostendit vmbram veritati similem: *Flumina* autem vocat, Vndarum impetus. Cùm autem malorum agmine detinerer inquit, & modo quidé sublimis ab vndis ferrer, modo verò detinerer in aluo piscis, perinde ac in vinculis; cognoui me tua ope destitutum esse, & propterea hęc omnia perpeti.

Num rursus videbo templum sanctum tuum? circundederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me magna.

Theodoreti. Ab ipsa inquit, abysso ego circũdatus, & in medijs aquis deprensus vereor, & timeo, ne prorsus iucundissimo tui templi spectaculo priuer.

Submersum est caput meum in scissuras montium, descendi in terram, cuius vectes concluserunt me in æternum.

Eiusdem. Innuit per hæc non solum Balenæ magnitudinem, verum etiam ineluctabilem fugam à malis, quibus detinebatur. Verisimile autem est de quibusdam montibus loqui, qui sub aquis marinis delitescunt, quibus nõnunquam nauigia allisa franguntur, quæ omnia nautæ manifestò scientes, studentlatentes scopulos effugere.

Et ascendat de interitu vita mea ad te domine Deus meus, cum deficeret in me anima mea, domini recordatus sum, & veniat ad te precatio mea ad templum sanctum tuum.

Quoniam inquit, cùm essem prope ianuas mortis; nequaquam tui oblitus fui: propterea ab hoc interitu me domine liberasti, atque in vitam restituisti, vt rursus in æde tibi dedicata, vsitatas preces tibi afferam.

Qui custodiunt vanitates, & mendacia, misericordiam suam dereliquerũt: ego autem cum voce laudis, & confessionis immolabo tibi: quæcunq; voui reddam pro salute mea domino.

Quoniam ea, quæ Ionæ acciderunt, vmbræ fuerunt sepulturæ domini; meritò milites frustra custodierunt Christi sepulcrum, licet vigilassent, resurrexit enim, cùm milites veluti mortui euasissent ob Angeli aduentum. Porrò Iudęi suam misericordiam dereliquerunt, cùm sæpius, multisque modis misericordiam à Deo consecuti essent, qui rubrum mare pedestri itinere transierunt, qui manna, & coturnicibus saturati sunt, qui aquam è saxo affatim habuerunt, qui gentium terram in hæreditatem acceperunt, & multis alijs beneficijs affecti ob misericordiam Dei, ipsum tamen deserentes; Pilato, & militibus tradiderunt.

Theodoreti. Qui mendacia inquit, & vanitates dicerunt sorti acquiescentes, crudeliter me in mare proiecerunt: Ego verò liberatus ab afflictionibus, quibus detinebar, afferam tibi pro mea salute victimas, narrans & beneficij magnitudinem, & meę fugę supplicium.

PRECATIO EZECHIAE.

Esa. 36.

EGO dixi in altitudine dierum meorum ibo.

Cyrilli. Gloria Regni Ezechię in altum efferenda erat. Cæterùm Ezechias cognoscens se ipsum deinceps mortis ianuę propinquum; desponi animum inquit, & desperaui de mea inter homines vita.

Theodoreti Heracleen. Altitudinem dierum appellat iactantiam, quæ ipsius menti inhærebat, à qua detentus meam inquit, vitam interrupturus eram, cùm hæc mecum ipse reputarem, neque enim sperabam in terra viuentium me salutare Dei visurum esse, conuictus peruersitate consilij, quæ me inuaserat. Cæterùm hac me vita priuatum iri videbam ad interitum vsque, & internecionem, instar illius, qui vmbraculum pro tempore contexit, & deinde statim dissoluit: vitalis enim meus spiritus ita viribus destituebatur, vt tela mulieris, quæ iam iam recidenda est. Quapropter cùm à morbo conualuerim, non desinam posthac præco tuæ bonitatis esse more auium, hirundinis nempe, & columbæ, & tua beneficia indefessus cantabo: Tu enim es, qui & corpori dolores sedas, & animæ medicinam facis, mea peccata transcendens.

Aliter. Quando exaltatus sum, & illustris factus, tunc vitæ finem accipio.

Ad portas Inferorum relinquam annos reliquos: dixi, non amplius videbo salutare Dei in terra viuentium.

Cùm mortis sententiam inquit, audiuissem, de salute desperaui, neque amplius inquit, videbo in hac vita miracula à Deo edita ob hominum salutem. Deinde subiungit ea, per quæ euenit in extremum terrorem incidere eos, qui graui morbo labórant, nec procul à morte absunt: Hoc aũt est, nõ amplius videbo

salutem Dei. Meritò igitur in hoc certamine cõstitutus, videlicet, quid nam de se futurum sit, postquam ab huius vitæ nexu liber fuerit, de sua ipsius religione Deum admonet, eumque cum fletu obsecrat, neà regione viuentium eijciatur.

Et paulo post. Etiam hoc præter supradicta Ezechiam conturbabat, quòd nullus ex suo semine erat sibi successor, cùm nullum genuisset filium, quo tempore hæc dicebat. Quoniam igitur sine liberis moriturus erat, nullo relicto successore, ex quo salutare Dei inter homines fore expectabat, meritò lugebat, priuatus ea spe, vt nasceretur Christus ex semine Dauidis.

Non aspiciam hominem vltra cum habitantibus: defeci ex generatione mea, dereliqui reliquum vitæ meæ.

Theodoreti. Alienus factus sum à viuentibus, & peregrinus à cognatis meis.

Exiuit, & abiuit à me, sicut is, qui destruit vmbracula, quæ fixit.

Eiusdem. Tabernaculum vocat corpus, habitatorem autem animam, qua recedente, corpus simile est tabernaculo, quod destruitur. Deinde aliam addit similitudinem: Tabernaculũ quidem dicens corpus, quoniam & diuinus Paulus ipsum Tabernaculum nominauit.

Heb. 9.

Spiritus meus apud me fuit, velut tela ancillæ, quæ appropinquat ad secandum.

Simile inquit, est non modo tabernaculo, verùm etiam telæ, quę quidem adhuc stat, sed iam iam recidenda est. sed quemadmodum est tela ancillæ, quæ reliquam texturam amputat, sic textura totius meæ vitæ ad finem properat, vt abrumpatur. Quilibet igitur vir sanctus stolam texit, & ornamentum suæ animæ apponit per suas actiones.

In die illa traditus sum vsque ad diluculum, velut i leoni, sic contriuit omnia ossa mea: à die enim vsque ad noctem tradit us sum.

Euseb. Obiectus sum veluti cuidam Leoni hominem deuoranti, qui dies noctesque, dum morbo laborarem, omnia ossa mea contriuit: paululum autem abfuit, quin me totum deglutiret. Cæterùm cùm in his versarer malis; animo nequaquam concidi, neque à Deo meo recessi, sed cũ me ipsum fide, & bona spe collegissem, luctui, lachrymis & precibus me totum tradidi.

Cyrilli. Et quisnam leo est, nisi ægrotationis mœror, & ferè mors ipsa instar beluæ rugiens? timor enim & ægram animam conficit, & ipsius vires conterit.

Sicut Hirrundo, sic clamabo, & sicut columba, sic meditabor.

Eiusdem. Carmina pro gratiarum actione emittens, pollicetur se imitaturum esse aues quę canorę sunt, promittitque se hymnos sine intermissione decãturum: Nos igitur in felicitatibus, quæ nobis à Deo contingunt, debemus eum laudibus efferre.

Euseb. Ego igitur assidue precans inquit, & in supplicationem ad Deum incumbens, salutẽ consecutus sum.

Eiusdem. Quoniam præter spem salus mihi contigit, hirundinis, & columbæ cantilenas imitabor, tibi hymnos contexens, qui mihi vitam largitus es.

Defecerunt enim oculi mei, dum aspicerem in altitudinem cœli ad dominum, qui eripuit, & abstulit dolorem animæ meæ.

Qui de me curam gerit, eripuit me, abstulit Eusebij. dolorem ab anima mea, ferè suum sermonem verum reddens, quem sanctis tuis promisit, dicens, A dhuc loquente te, ecce ego ad sum.

Posthabita omni humana arte, ad te oculos Theodoreti. meos erexi, qui in cœlo habitas, tu autem mei misertus es, cùm ab imminẽte dolore me liberaueris.

Domine de ipsa enim annunciatum est tibi.

Pro hac enim re inquit, preces tibi attuli. Eiusdem.

Et excitasti spiritum meum, & consolatione accepta vixi.

Restituisti enim hũc, qui iam iã extinguendus erat: non quòd ego hoc beneficio dignus essem, (multis enim peccatis inquinatus eram) sed tua misericordia, & benignitate hæc facta sunt: quando igitur morbo laborabat, suam ægritudinem peccatis attribuebat, postea verò salutem consecutus, Dei misericordiam celebrat, eò quòd per illam à morte liberatus sit. Nam inquit, proiecisti peccata mea, mihique dedisti rursus occasionem, vt possim iustus euadere: quandoquidem hominibus adhuc viuentibus facile est hoc efficere, mortui autem hoc efficere non possunt.

Tu autem eruisti animam meam, vt non periret, & proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Vnde ego ipse fallacẽ illam cogitationem Theodoreti. corrigens; ad nuptias, & ad procreandos liberos festinabo, vt gignantur ex me tuæ iustitiæ præcones.

Non enim qui in Inferis sunt, laudabunt te domine, neque mortui benedicent tibi, neque sperabunt qui in Inferis sunt misericordiam tuam.

Quæ dicta fuerunt per vocem psallentis, Cyrilli. similem sententiam habent præsentibus verbis, Quę vtilitas in sanguine meo, dũ descendo in interitũ? num confitebitur tibi puluis, vel annunciabit mirabilia tua? Qui nanque semel mortui sunt, & Inferorum portis clausi sunt, à laudibus diuinis cessant: nihil autem addere possent his rebus, quas inuita gesserũt, sed potius permanẽt in his, in quibus deprensi fuerunt, & generalis Iudicij tempus expectant. Locus enim impiorum est hic: propterea cùm animam hinc liberauerim lætus, & hilaris gratias ago Deo. Regio verò eorum, qui apud Deum viuunt, etiam laudantes admittit, vbi inquit, me futurum esse credo, hoc mihi tua gratia concedente. Hoc autem dixit, non quòd spem resurgendi abiecisset, sed ostendere volens, se tanquam ad Inferorum perniciem peruenturum, si ab ipso non fuisset adiutus, & peccatorum veniam non impetrasset.

Psal. 29.

Viuentes benedicent tibi quemadmodum ego.

Viuentes igitur inquit, & adhuc benefaciendi facultatẽ habentes, vbi aliquid boni cõsecuti fuerint, benedicẽt tibi quẽadmodũ ego.

Ab ho-

Ab hodierno die deinceps filios faciam, qui annunciabunt iustitiam tuam domine salutis meæ.

Pollicetur se filios daturum, qui Dei iustitiam prędicent. Et dicunt nonnulli eum promittere regimen chori, & velle instituere cantores, qui in diuino templo dulcissimè modulentur. Alij vero aiunt, rebus magis arcanis inhærendo, Ezechiam glorisoè exultando, arbitratum esse se Regnum sine fine habere, vitamque perennem, eò quòd ea, quæ de Christo scripta erant, veluti de filio Dauidis, de se ipso dicta esse iactabat: quocirca dicunt Ezechiam, cùm per quatuordecim annos regnasse, noluisse filios procreare, vbi verò didicit suæ vitæ finem, curam gessit de ijs, qui successuri essent, & filios se susceptum promittit: addit insuper eos Dei iustitiam prædicaturos: Verùm à veritate aberrauit, natus est enim Manasses, qui sceleste fuit, & impius, sed satis est genitorem fuisse pium, & diuinæ iustitiæ præconem. Hoc autem fuit simul ac Ezechias à sua superbia destitit, & cœpit suam ipsius naturam agnoscere, & considerare omnes homines multis peccatis obnoxios esse, & neminem sine Dei misericordia saluum esse posse. Nemo igitur glorietur se habere cor purum, neque iactet se mundum à peccatis esse, sed quotiescunque aliquid boni à Deo habemus, ipsum laudibus efferamus, vt qui obliuiscatur errorum nostrorum, ob quos par erat nos iustè puniri: sapientes enim inquit, sunt, qui se ipsos agnoscunt. tu autem domine assiduè nobis assistis, & nunquam recedis à tuo sanctuario. Prædicit autem se patrẽ filiorum fore, nimirum ob gratiam Dei.

Et non desinam benedicere tibi cum psalterio omnes dies vitæ meæ in conspectu domus domini Dei mei.

Theodoreti. Non desinam & ego ipse per totum meæ vitæ tempus tibi Deus rerum omnium conditor simul cum ijs, qui domi tuæ sunt, hymnos pro gratijs agendis offerre, quæ quidem domus data est nobis consolatio, quæ sensibus percipitur, in tuum timorem nos contrahens. Vates igitur ostendebat futuram medicinam, quæ insperatò Ezechiæ euentura erat. Ex rebus enim contrarijs inquit, medicinam, reporto: quod nanque vlceribus maximè contrarium videtur, hoc est, ficos imponere, ipse tamen cùm imposuisset, Accipe inquit, sanitatem. Quamobrem admiratus beatus Ezechias, hodie dixit, hoc maximũ mihi contigit, vt posim meo ipsius pede in domũ Dei gratias acturus, ascendere.

4. Reg. 20.

Daniel. 3.

PRECATIO TRIVM PVERORVM.

BENEDICTVS es domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & glorioſum nomen tuum in secula.

Ioannis. Ne arbitrere pro rebus tantùm præsentibus Pueros gratias agere, hoc est, pro seruitute in quam abducti fuerunt, & pro grauibus illis malis, quæ ipsis acciderunt Deum inuocant: neque dixerunt, Deus noster, neque putarunt huiusmodi appellatione se dignos post caminum, & post tantam virtutem, sed adhuc ad suos patres confugiunt, dicentes, Deus patrum nostrorum: quantò enim maioribus rebus ornati erant, tanto se submissius gerebant.

Eudoxij. Philosophi. Hymnis inquit, tu dignus es, qui per patres nostros nostrum elegisti genus, & par est, vt ab omnibus celebreris: quoniam nullo vnquam tempore tua potentia senescit, sed ante mundi creationem es, idemque permanes, prębens manifestissima tui Imperij argumenta ijs, qui in te spem suam ponunt. Nemo igitur ait, potest aliquid criminari ex his, quæ contra nos fecisti, siue contra ciuitatem, siue contra templum, quoniam & nos Vrbem cædibus repleuimus, templum verò Idolis. Nos igitur nobis ipsis hæc mala asciuimus.

Quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis.

Aliter. Pro rebus præteritis gratias agunt, sicut & Iob. Iustitiam ostendit: sustinuimus enim aiunt, pœnam nostris peccatis dignam, cùm in hostium manus deuenerimus.

Et omnia opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia vera.

Vera certò sunt inquit, & quæ quondã tempestate nostrorum patrum fecisti, & in Aegypto, & in ipso mari, & quæcunq; in terra promissionis facta sunt, neq; enim illa falsa sunt, cùm in præsentia tantum abs te opem consecuti simus.

Et iudicia vera fecisti, iusta omnia, quæ induxisti super nos, et super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Hierosolymam, quia in veritate, & iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.

Quæ in nos inquit, fecisti, iustè iudicasti: nam eos, qui te offenderunt, prudentiores ob calamitates reddisti.

Peccauimus enim, & iniquè egimus, recedentes abste.

Nullam enim inquit, veniã meremur, cùm in extremam malitiam peruenerimus, & maximè cùm habuerimus sanctos Vates, qui inter nos versati sunt, & tu tamdiu nos vlcisci pro tua clementia distuleris.

Et deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis, vt bene nobis esset.

Hoc est, magno animi ardore male fecimus. Præter enim beneficia, quæ in nos præter opinionem contulisti, mercedem quoque pollicitus es, si tuis legibus obtemperassemus, & tamen tibi non obediuimus.

Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & vniuersa, quæ fecisti nobis, in vero Iudicio fecisti.

Iniustum igitur vocauit, vt qui Dei honorẽ sibi vsurpauit: pessimum autem, vt qui nouo quodam modo supplicia excogitabat contra eos, qui nihil deliquerunt.

Et tradidisti nos in manibus inimicorũ nostrorum iniquorum, & pessimorum, præuaricatorumq;, & Regi iniusto, & pessimo vltra omnem terram.

Si quis inquit, diligẽter cõsideret quæ à nobis patrata sunt, quasq; pœnas pepẽdimus, ad-

mirabitur æquitatem diuinæ sententiæ.

Et nunc non possumus aperire os.

Hoc est, nequimus liberè loqui ob miracula, quæ propter peccata contra nos edidisti.

Confusio, & opprobrium factum est seruis tuis, & his, qui colunt te.

Calamitas nanque aufert audaciam, quam olim habebamus in committendis peccatis: propterea nunc nos opprobrijs affecti, muti sumus.

Ne quæsumus tradas nos in finem propter nomen tuum.

Cæterùm cùm à nobis inquit, pœnas exegeris, nunc nostri miserere: nõ quòd satis pœnarum dederimus, sed tantùm propter nomen tuum. Vides quo pacto Pueri pluris faciunt nomen Dei, quàm propriam salutem: cùm enim morti addicti essent, intrepidè hæc dicunt.

Et ne dissipes testamentum tuum.

Memento inquit, eorum, quæ patribus nostris pollicitus es.

Neque auferas misericordiam tuã à nobis propter Habraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum, quibus locutus es pollicitus multiplicare semen eorum sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in litore maris.

Quanquam enim ait, ipsi digni non sumus, vt abs te opẽ impetremus; ob promissionem tamen nostris patribus factam libera nos à malis, quibus detinemur. Tu nanque rerum futurarum præscius, pollicitus es te illorum posteros multiplicaturum vt astra cœli, & vt litoralem arenam.

Quia domine imminuti sumus plusquam omnes gentes.

Ne desperis ait, tuam promissionem iam periclitantem: nos enim inquit, ad nihilum ferè redacti sumus.

Et sumus humiles in vniuersa terra hodie.

Cùm enim omnes vbiq; terrarũ pacati viuant, soli nos difficiles perferimus calamitates.

Et non est in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta.

Omnia nobis inquit, contra votum succesſere, & neque Regem habemus secundum ordinem à te præfinitum, neque Vates numine afflatus nobis est, qui futura prædicat, neque magistratus, qui communium rerum administrator sit, neque sacerdos, qui suis sacrificijs diuinum Imperium agnoscat, quique pro peccatis hostias offerat, vel alijs donis Deum honoret, neque est, qui suauem odorem veluti honorem debitum Deo reddat: Criminantur Ezechielem, & vituperant Danielem: neque est inquit, Princeps, neque Vates, neque Dux, qui suum munus exequatur, hoc est, vt possit populum congregare, & hunc in ordinem redigere, & precibus placare, sed vnusquisque in seruitute est. Præterea non est aliquis ex populo, qui carnibus ordinem adhibeat, vt carnes odoratæ, & incorruptæ permaneant.

Neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neq; locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam.

Non modo percussi sumus inquit, verùm etiam priuati sumus via, per quam possimus propriam salutem consequi.

Sed in animo contrito, & in spiritu humilitatis suscipiamur, sicut holocaustum arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie.

Quod & Baruch dixit, Spiritus in anguſtijs, & in anima mœrore affecta clamauit ad te, ipsam calamitatum magnitudinem pro precibus afferimus, sic susciPiamur, sic exaudiamur. Cæterùm pro pulchro illo ordine inquit, qui tuo in templo seruatur, accipe nostram cũ humilitate precationem, recipiens nostrorum corporum sacrificium pro hostia, quæ de brutis animalibus affertur. Baru. 2.

Et perficiatur post te.

Quid est hoc? hoc est, post irã tuam, & postquam nos præterieris, & postquam nos reuersi fuerimus, hoc significat, Post te: Da autem inquit, vt per totam vitam tuis præceptis obedientes simus.

Quoniam non est confusio confidentibus in te.

Propterea nos omnibus viribus tuam magnificentiam timentes, quemadmodum multi alij fecere, auxilium à te expectamus.

Et nunc sequimur te toto corde, & timemus te.

Vt qui è morte in vitã restituti sumus, quique igne examinati sumus, quique abiecimus omnes sordes, & omnem inquinationem Idolatriæ abnegauimus.

Et quærimus faciem tuam, ne confundas nos.

Quoniam enim dixerunt se sequi; meritò nũc faciei meminit. Qui enim bene sequitur; Dei facie dignus est.

Sed fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ.

Aspectus tuæ facieiſtatim lætificat faciem tuorum spectatorum, non autem conturbat.

Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo domine.

Hoc est, ne decidamus spe, quam in te collocauimus, sed ex consuetudine tuæ benignitatis nos è periculis eripe.

Et confundantur qui ostendunt seruis tuis mala, confundantur in omni potentia.

Vt omnes te laudibus efferant, quòd non destituas in periculis eos, qui tibi fidunt, sed contrà fac, vtij, qui nobis calamitates procurant, à sua audacia decidant, & vani in potentia, quam abs te acceperunt, videantur: quoniam ex hac adeò elati sunt, vt cũ Deo pugnam ineant. Decidant igitur ex sua potentia, vt desinant Deum bello lacessere.

Et robur eorum conteratur.

Non enim fuit mundi firmamentum, sed mundi corruptela.

Et sciant quod tu es Deus solus, & gloriosus super omnem terram.

Vt omnes ex ipsis rebus discant Idolorum cultum stolidum esse: tu autem es omnium rerum dominus, omnia vtiliter gerens, & superiores periculis faciens eos, qui in te spem ponunt.

HYM-

HYMNVS TRIVM PVERORVM.

BENEDICTVS es Domine Deus patrum nostrorum.

Hymnis tu dignus es, qui promissionem patribus factam non fefellisti, sed eos elegisti, tuam opem ad posteros vsq; transmittens.

Et laudabilis, & gloriosus, & super exaltatus in secula.

Docet quam opinionẽ de Deo habuerint, & aiunt, tu domine hymnis dignus es, vt qui sempiternam habes naturam, & ad benefaciendum promptus es.

Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum.

Meritò inquit, omnes tibi hymos mittunt, quoniam supra omnes præcipuam habes naturam, & ex beneficijs in tuos familiares collatis ostendis quantum gloriæ tibi insit: siquidem nomen Dei, nomen est gloriæ. sicut enim Rex, & Princeps, & cætera huiusmodi nomina sunt gloriæ, sic etiam & multo magis nomen Dei est: statim nanque anima excitatur, statimque suum conditorem considerat. si ergo nomen glorię hoc facit, quanto magis eius essentia? es enim & omnipotens, & benignus, & bonus, & quæcunque huiusmodi glorię nomina sunt, & laudabile, & super exaltatum in secula. Quid aũt est super? non est laus, nõ est gloria inquit, tuo nomine digna, nemo enim tibi satis laudis, vel gloriæ tribuere poterit.

Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ.

Propterea inquit, cognoscentes magnificentiam tuam, quando Hierosolymis eramus in templo tuo, nunc hymnos tibi conuenientes afferimus, cùm magnam gloriam abs te tunc temporis consecuti fuerimus, hoc est, cum in pretio apud te fuerimus. si autem oportet templum mysticè interpretari, cœleste solium tui Regni templum est, vbi tui familiares versantur.

Benedictus es, qui intueris Abyssos, & sedes super Cherubim.

Sed licet tantò rebus humanis superior sis, nõ tamen nostram humilitatem despicis, sed omnium curam geris. Hæc autem clausula, Qui sedes super Cherubim, hoc significat, Qui dominaris, etiam supernis potestatibus, quæ à nobis non videntur, & omnia sub tua cura habes. An non videntur mirabilia hæc esse? sed tamen quicquid dicatur de Deo, nõ est magnum.

Benedictus es in throno gloriæ Regni tui.

Thronum regni nunc Cœlum dicit, secundum illud à sancto vate dictum, Cœlum mihi sedes est, terra verò scabellum pedum meorum. Esa. 66.

Benedictus es in firmamento cœli.

Opifex enim es rerum omnium, & cœlum hoc, quod conspicitur, explicasti.

CANTICVM OCTAVVM.

BENEDICITE omnia opera domini domino.

Sciendum est, hunc hymnum neque apud Hebraicos libros, neque apud Syros inueniri. Dicunt enim Hebræi & Syri, hunc à quibusdam compositum fuisse, sed vtcunque se res habeat, hic est sensus. Meum os satis non est, ad laudes Dei prosequendas: quodlibet igitur opus à Deo conditum eum celebret.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, benedicite omnes virtutes domini domino.

Dicit Angelicas potestates, deinde ea, quæ sensu, & anima carent, nimirum cœlos, & aquam.

Benedicite Sol, & Luna, & reliqua.

Hæc enim non solùm potentiam Dei ostendunt, sed etiam benignitatem, & curam: oportet nanque vt vnusquisq; ipsum laudibus extollat. sic enim omnia pulchra sunt, vt omnes pro ipsis dominum laudare debeamus.

Benedicite glacies, & nives domino.

Et quidnam vtilitatis hęc in se habent? voluit sermone comprehendere non modo ea, quę ex se patent, ad nostrum beneficium creata esse, sed etiã ea, quę superuacua, & noxia videntur, & inquit, vt pro illis etiam Deum laudemus. & ferè hoc dicit, quod & illa signa sunt tam magnæ prouidentiæ Dei, vt etiam ipsum laudare propter hęc oporteat, & tam in ijs ipsum extollere, ac propter res vtiles.

Benedicite fulgura, & nubes domino, benedicite terra, montes, & colles, & omnia, quæ mouentur.

Quid de venenis? vtrum pro illis Deus est laudandus? næ.

Benedicite spiritus, & animæ iustorum domino.

Hic ostendit reditum è morte in vitã: laudate, inquit, ipsum, nõ quotquot animæ estis, sed iustorum animæ.

Benedicite Ananiæ, Azariæ, Misael.

Admiranda sunt, ò dilecti, quæ à tribus pueris in camino dicta sunt. Quomodo nihil ex rebus creatis reliquerunt, vt ostenderent nihil liberum, vel sui iuris esse; sed omnia Deo esse subiecta, cùm omnia comprehendissent, & nominassẽt, & quę super cœlos sunt, & quæ super, & subter terra. omnia ergo Deo subdita sunt, qui omnia per verbũ creauit, ne quis glorietur aliquid esse increatum, vel sine principio.

Qui eripuit nos ex inferis, & ex medio ignis liberauit nos.

Inferos, & manum mortis vocat caminũ: sicut enim fieri non potest, vt aliquis iam sepultus resurgat, & humanis negotijs se immisceat absque Dei opera, sic fieri non potest secundum hominũ naturam, vt q in tantam incendij flammam coniecti fuerint, viuant, & incolumes euadant, nisi diuina gratia omnia præter opinionem peragat.

Confitemini domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.

Docet igitur omnes in vnum coactos, de gratijs agendis Deo hymnos canere, propterea quod nullum vnquam tempus eius misericordiam minuit.

Benedicite omnes timentes dominum Deum deorum: laudate, & confitemini, quoniam in omnia secula misericordia eius.

Ad populi documentum his verbis vtũtur. Decet enim vos inquit, quoniã omnium com muniter interest ab errore desistere, & veræ religioni adhærere, considerantes vestri domini dignitatem, & quòd ab omnibus dominus declaratus est, licet quidam apud alienigenas Dei habeantur. Hoc igitur facite, vt & fideles illud audiant, Deus sanctorum est Deus, & infideles rursus illud, Victa est Deorum multitudo Dei Imperio.

Luc. 1.

CANTICVM MARIAE DEI GENITRICIS.

MAGNIFICAT anima mea dominum.

Eudoxij. Sicut à muliere peccatum cœpit, & postea ad hominem peruenit, sic etiam bona è mulieribus exorsa sunt, vt admoneãtur mulieres, deposita sua imbecillitate, rebusq; muliebribus, imitentur vitam horum beatorum. Videamus igitur deinceps Virginis vaticinationem. Magnificat anima mea dominũ. Quomodo anima magnificet dominum, considerandum est. Si enim dignè ad imaginem conditoris nostri vixerimus, & pro viribus similes nostro exemplari euaserimus per bona opera; anima magnificat dominum verbis, operibus, & cogitationibus. Minuit autẽ rursus, quod ad malitiam attinet, quę animæ inest. Anima igitur Mariæ magnificabat dominum, spiritus autem eius exultabat in Deo Saluatore. Primùm anima ipsius magnificauit, deinde spiritus eius exultauit, dicendo, Deus in corpore meo mirabilia faciet, vt pollicitus est, sed anima inquit, mea non erit sterilis erga dominum: corporis enim fructus non est rectè factum meæ voluntatis, sed Dei, qui mirabiliter, & supra naturã in me operatur. oportet autẽ me etiam volũtatis meę fructum afferre. Quantò enim maiori miraculo, & ministerio seruio, tantò magis debeo ego omnium prima laudibus efferre eum, qui in me operatur.

Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

Eiusdem. Saluator enim meus est Deus, qui ex me salutem mundo largitus est: Spiritum verò & animam, pro eodem posuit.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.

Quæ enim ego sum ad tantum officium? ipse respexit, non ego expectaui: humilis nanque eram, & abiecta, & nunc à terra in Cœlos transeo, & ad arcanum ministerium trahor.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Nimirum, generationes credentium, non autem tu sola ò Elisabeth.

Quia fecit mihi magna, qui potens est.

Quomodo enim non magna? cùm ea, quæ virgo est, concipiat, & ob Dei voluntatem naturam transcendat, dignaque facta sit, vt sine virili opera sit non simpliciter mater, sed vnigeniti Saluatoris mater? Dicit autem, qui potens est, vt si quis ambigat de vi conceptionis, cùm dicat Virginẽ concepisse, subiungit, fecit mihi magna, qui potens est, vt potentię operantis ascribatur hoc pręclarum factũ.

Et sanctum nomen eius.

Non enim propterea mulier inquinatur, quòd in ipsam vnigenitus ascendat: sanctum enim nomen eius. & nihil contaminat Saluator dum concipitur, dum in me Virgine proprium corpus format. propterea & spiritus sanctus superuenit, vt conceptio sancta facta, sanctum etiam partum præparet.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

Nam propterea quòd generationes generationum miseratus est, ego quoq; concipio, & ipse vnitur cum corpore animato, & anima rationali, & intellectuali secundum substantiam, & in mundum venit, & cum hominibus versatur, & deorsum descendit, & omnia gubernat, per solam misericordiam nostram salutem procurans.

Fecit potentiam in brachio suo.

Non enim qui omnino indigni sunt, misericordiam consequuntur, sed qui per pœnitentiam ad timorem Dei conuertuntur.

Dispersit superbos mente cordis sui.

Ipsius enim manus est, non hominum opus.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Hoc est, malos, & impuros spiritus, horum principem Diabolum, qui ob superbiam decidit, Græcorum sapientes, qui non admiserunt sapiẽtiam Euangelij, quę videbatur ipsis stultitia: intelligit etiam Iudæorum populũ, qui noluit credere. hęc enim omnia vaticinationi responderunt: quandoquidem elati fuerunt Dęmones, & Diaboli, & propterea dispersi sunt, sic etiam sapientes Grecorum, & Pharisæi, & Scribæ. verùm hos omnes destruxit, & extulit eos, qui se ipsos submittebant potenti eius manui.

Esurientes impleuit bonis.

Esuriebat enim genus humanũ præter Iudæos: Iudei enim putãtes se possidere diuitias scripturarum, quę diuino spiritu afflatæ sunt, illis priuati fuerũt, & inanes facti sunt, gẽtes verò se submittentes, & esuriẽtes, (famem dico Dei, vt inquit Vates Amos) saturatæ sunt. Amos 8.

Et diuites dimisit inanes.

Nimirum, Iudęos, qui diuites erant legibus latis, & doctrina, & sanctorum Vatum promissionibus, qui quidem Iudei nimium superbientes, & ob suam dignitatem vehementer elati, propterea quod noluerunt submissè accedere ad eum, qui se hominem fecit, dimissi fuerunt inanes, nihil reportantes, neque fidem, neque spem rerum bonarum, sed exciderunt & à terrena Hierosolyma, & à futura vita.

Suscepit Israel puerum suum.

Verum dicit Israelem, non eos, qui nomine tantum Israelis gloriantur, sed eos, qui fidem suæ appellationis retinuerunt.

Recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros Habraham, & semini eius in secula.

Misereatur per vaticinationem non solum propriam, sed etiam primorũ Vatum, secundum promissionem Dei, cùm ex ipsa oriturus sit Christus communis saluator.

PRE-

Luc. 1.

PRECATIO ZACHARIAE.

BENEDICTVS dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.

Visitante enim Deo, & volente, liberatus est populus eius.

Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, sicut locutus est per os sanctorũ, qui à seculo sunt Prophetarum eius, salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Cornu, vel pro Regno, vel pro potentia acceptum est, vtrunque autem Christo conuenit: ipse enim est Rex regnantium, & dominus dominantium, & inexpugnabilis est potentia patris, & dextera, quæ quidem omnes nostros hostes in fugam vertit, secundum prędictionem sanctorum vatum, quę insuper dextera liberauit nos ex hostibus nostris, & ex manu omnium, qui oderunt nos. Hostes autem intelligit non eos, qui sensu percipiuntur, sed qui mente cõprehenduntur: venit enim Christus dominus potens in bello, vt debellaret omnes hostes nostros.

Ad faciẽdam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti: iusiurandũ, quod iurauit ad Habraham pætrem nostrum daturum se nobis.

Vt enim arbitror, etiam patres nostri Habraham, Isaac, & Iacob, & totus chorus sanctorum Vatum, & iustorum, Christi aduentu perfruiti sunt: Si enim pacauit per sanguinem crucis suæ, quæ in terra, quęque in cœlis sunt, secundum diuinum Apostolum, cur dubitas credere, etiam patres visitasse? & aduentum eius in inferos hoc effecisse? Coloss. 1.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

Sæpenumero liberantur quidam de manu hostium, cum timore autem, nunc verò Christi aduentus fecit, vt intrepidi de manu hostium liberaremur: non enim sensimus hostes, sed veluti de repente nos accepit, cùm hostiles insidias non sensissemus. sed si sic dicendum est, veluti nil sentientes, transtulit nos ab illo in suam hæreditatem, & partem.

Et tu puer propheta altissimi vocaberis.

Superuacuum est loqui cum eo, qui non audit. Cur igitur tanquam audienti hæc dicit? num quòd Ioãnes suum habuit ortum inopinatum, eò quòd Archangelus prędicauit eius ortum, & Maria accesit ad Elisabeth post pueri conceptionem, & postquam natus est, omnia, quę secuta sunt, mirabilia fuere? sicut igitur puer cum gaudio in vtero saltauit, sic etiam vox salutantis Zachariæ potuit pueri aures penetrare.

Præibis enim ante faciem domini parare vias eius.

Propterea statim Zacharias puero præsenti vaticinatus est: nouerat enim pater ie paulo pòst filium penes se nõ habiturum. Erat enim puer in desertis, vsque ad diem ostensionis eius ad Israel. Luc. 2.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius.

Videlicet, credentibus in ipsum, & Iudęis, & Græcis, & his, qui populi ipsius vocantur. Illis autem salutis cognitionem præbuit, qui ipsum cognoscere voluerunt.

In remissionem peccatorum nostrorum per viscera misericordiæ Dei nostri.

Non enim per opera, quę nos fecimus, tam largum donum nobis cõcessum est, sed per inexplicabilem ipsius misericordiam.

In quibus visitauit nos oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Non ex vertice, sicut olim in Sinai monte Seueri. vox quædam fuit legem statuens, & ignis aspectus, qui ibi erat, & ostẽdebat, ac demonstrabat imaginem diuinæ gloriæ, & hanc quidem nube opertam, sed visitauit nos ex altitudine suprema, supra quam nihil aliud considerari potest: visitauit, inquam, nos, oriens largus, & lucidissimum iustitię Solem secum habens, qui Sol sponte venit ad eos, qui sedebant in quibusdam tenebris intellectus, & in vmbra mortis, & tamen cum omnibus suis radijs in cœlo permansit, & totus in terra affuit, & totus in Inferorum latebris emicuit, & nullibi suam plenitudinem reliquit, neque ob suum ad nos aduẽtum passus est diuisionem vel circumscriptionem. Quomodo autem hoc? neque mens nostra imbecillis cogitare, neq; sermo explicare poterit, omnis enim creatæ naturæ captũ superat. Igitur gratias agit aduentui Saluatoris, dicens misericordiã Dei, & visitationem, & oriẽtem ex alto apparuisse, vt ij, qui tenebris ignorantiæ inuoluti sunt, illustrentur, quique sub imperio mortis iacent, in potestatem vitæ veniant, & qui mystico bello detinentur, viam pacis inueniant: nam ipse est pax nostra, & venit ad illustrandum Israelem: non enim venit, nisi ad oues perditas Israelis ob prærogatiuam, quæ patribus promissa fuit, sed vbi Israelitę recipere noluerũt, transtulit clarissimum sui luminis splendorẽ ad omnes gentes.

PRECATIO SYMEONIS. Luc. 2.

NVNC dimittis seruum tuum domine secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.

Introductus est Christus in templum, cùm infans adhuc esset, & lac sugeret. Beatus autẽ Symeon vaticinandi gratia præditus, ipsum in vlnas recipit. Cœlesti verò lætitia plenus, Deum laudauit, dicens, Nunc dimittis seruũ tuum domine, & quæ sequuntur. Hoc enim Christi mysterium ante ipsam mundi commutationem præparatum est.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Exorta est lux his, qui in tenebris erant, & palantes ibant, & in manus Diaboli inciderãt, vocati enim sunt à Deo, & patre, vt agnoscãt eius filium, qui vera lux est. Cæterùm in gloriam

riam Israelis: quamuis enim nonnulli ex ipsis iniurij, & perfidi fuerunt, suamque mentem stultitia plenam habuere; tamen reliquiæ cõseruatæ fuerunt, & per Christum celebratæ. Primitiæ autem horum fuerunt sacri discipuli, quorum gloriosus splendor totum orbem terrarum illustrauit. Præterea alio modo Christus dici potest Israelis gloria, quoniam ex ipsis ortus est secundum carnem, licet Deus omnium sit, & laudabilis in omnia sæcula. Amen.

Porrò Symeon benedicit Virgini sanctæ, vt quæ diuinæ voluntati subseruijt.

Deo autem nostro gloria in sæcula Amen.

F. Maximilianus Beniamus Cremensis Inquisitor legit, & vidit, & licentiam & facultatem imprimendi dedit.

BEATI THEODORETI

CYRENSIS EPISCOPI DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS, PRAETER EAS, QUAS VERTIT PIÆ MEMORIÆ IOANNES PICUS, IN LIBRUM IUDICUM À CAPITE XIII. VSQUE AD FINEM: IN LIBRUM RUTH: IN LIBROS REGUM: IN LIBROS PARALIPOMENON.

GENTIANVS HERVETVS AVRELIVS RHEMENSIS CANONICVS LECTORI.

CVM essem Tridenti in Concilio cum Illustrissimo & in primis Reuerendo Cardinali Lothareno, oblatus mihi fuit emendus liber Græcus, in quo erant duorum autorum nomina, nempe Anastasij Sinacte in Hexæmeron, & Theodoreti, de dubijs scripturæ. Sed cùm scirem Theodoretum de dubijs scripturæ, & ex bibliotheca Regia depromptum Græcè fuisse editum Lutetiæ, & à bonę memorię Io. Pico viro doctiss. Latinè versum vbique haberi, quamuis Anastasium magni facerem quem nondum videram, Theodoretum tamen repudiabam tanquam superuacaneum: Cùm autem in dubio essem vtrunquéne an neutrum emerem, cœpi totum Theodoretum ab initio vsq; ad finem circumspicere. Ecce autem eum video & animaduerto longè ampliorem & locupletiorem quàm qui Lutetiæ in lucem editus & à Pico esset versus. hîc enim esse plenas ac perfectas quas in Iudices scripserat Quæstiones, quæ ibi sunt mancæ ac mutilæ, & pręterea accedere Quæstiones in libros Regum & Paralipomenon. Cùm tam præclaram huic operi viderem factam esse accessionem, operępretium esse duxi, si pecuniæ non parcens, quantumuis ea esset apud me modica, vt Reipublicæ literariæ prodessem eum emerem, & versum in lucem edendum curarem. Verti itaque quæ deerant exemplari bibliothecæ Regiæ, & quæ non verterat Io. Picus. Nam quæ is verterat, rursus vertere piaculum esse duxi, vt quæ à viro doctissimo versa

versa sint fidelissimè. Habe itaque ò lector, hanc à nobis tibi oblatam Quæstionum quę deerãt in Iudices, & in libros Regum & Paralipomenon accessionem. Quam dum leges & meis frueris laboribus, memori & grato animo eum prosequere qui curauit vt eam posses Latinè legere. Vale, & Theodoreto fruere, quo inter scriptores ecclesiasticos vix vllũ inuenies aut omni doctrinæ genere excultiorem, aut in scribendo elegantiorem & magis disertum. Rhemis 28. Decembris Anno 1571.

IN LIBRVM IVDICVM.

Ex cap. 14. Iudicum. *QVOMODO Sampson dissolutè & flagitiosè viuens, spiritualem gratiam est assecutus.*

PERSPICVVM hinc est, quod dominus, propter aliam dispensationẽ etiam indignos diuino dono impertit. Hoc etiã significauit
Matt. 7. ,, in Euangelijs. Multi enim venient in illo die,
,, & dicent mihi: Domine, Non in tuo nomine
,, prophetauimus, & in tuo nomine multas virtutes fecimus? & dicam eis: Recedite à me qui
,, operamini iniquitatem. Non noui quinam sitis. Hoc hic etiam fecit Deus. Nam cum alienigenarum vellet frangere potentiam, per gratiam spiritualem ei donauit robur & vires: propter hoc certè ei etiam concesit vt ex-
Iudic 14. ,, terni generis duceret vxorem. Et hoc docet
,, historia, dicens: Et pater & mater eius nesciebant quòd sit à Domino, quod quærit vt ei
,, referat remunerationem ex alienigenis. Illud autem, Est à Domino, non diuinam operationem, sed diuinam significat concessionem. Hoc quoque significat vsum harum legum non omnibus esse necessarium. De nullo enim ex ijs qui has leges esset trãsgressus, sumptum est supplicium. Si quispiam autem existimat hoc fecisse Sampsonem, vt qui non fuerit exactus & diligens legũ obseruator, rursus consideret, quòd sitienti ei dederit concauam asini maxillam, iubens vt ea scateret. Ipsa autem ex lege erat immunda triplici ratione. Nam & asinus viuus est immundus: & mortuus rursus est immundus: & quòd cędis fuisset instrumentum, vt pote ab ea cæsis mille alienigenis. Sed etsi esset immunda, legislator tamen ex ea & non aliunde ei præbuit vsum aquæ. Sed & hunc inuictum & inexpugnabilẽ, qui vel multis alienigenarum millibus erat formidabilis, in captiuitatem redegit meretrix muliercula: adeò bellica acie est grauius bellum cupiditatis. Eum enim qui se fortissime gesserat, & propter præclara & admirabilia facinora celebrabatur laudibus, captiuũ fecit voluptas.
Iudic. 16. ,, Ipsa enim eum diuina nudauit gratia. Excitatus est enim, inquit, Sampson è somno suo,
,, & dixit: Egrediar & faciã sicut semper, & me
,, excutiam. Et ipse nescisuit, quòd Dominus ab eo recesserat. Non eum autẽ omnino reliquit benignus & clemens Deus, sed cùm eum vidisset probris affectum & contumelijs, & precantem exaudijt, & tantas vires ei suppeditauit, vt & labefactaret columnas quæ ferebant templum idolorum, & tectum simul cum eis deijceret, tria virorum millia simul obrueret, & longe maiorem numerum mulierum.

Vndenam Sampson tot venatus est vulpes.

Erat mons apud eos qui alebat multas vul- Ex cap. 15.
pes, & hoc docet historia. Cepit enim inquit Amorrhene Gabitaoe in monte Myrteto vbi sunt vrsi & vulpes.

Quid est, Fecit Micha Ephod & Theraphim.

De Ephod sæpe diximus, quod sit vestis sa- Ex cap. 17.
cerdotalis, & per eam significabat Deus quid esset agendum. Theraphim autem hoc modo erat dedicatum idolis, & non Deo. hoc enim hic docet historia. Fecit enim, inquit, sculptile & fusile. Deinde subiungit: Et fecit Micha ,,
Ephod & Theraphim, & impleuit manum v- ,,
nius ex suis filijs, & fuit illi in sacerdotem. Nõ ,,
erat autem ex tribu Leuitica, sed ex tribu E- ,,
phraim. Docuit etiam causam cur legem est ,,
transgressus. In illis, enim inquit, diebus non ,,
erat rex in Israel. Vnusquisque faciebat quod ,,
gratum erat in oculis suis. Tam multa mala ,,
conciliat nullum habere rectorem aut magi- ,,
stratum. Quæ deinceps sequuntur magnam habent dubitationem. Erat enim inquit, puer in Bethleem Iuda, ex tribu Iuda, ex cogna- ,,
tione Iuda, & ipse erat Leuita, & ibi erat inqui ,,
linus. Si enim Leuita, quomodo ex cognatione Iuda? tribum Iuda Bethleem nominauit vt arbitror: & cognationem vt arbitror pagũ. Diximus autem quod sacerdotibus & Leuitis propriam sortem Deus non tribuit: sed eos dispersit in omnibus tribubus, vt omnes habeant magistros pietatis. Ille ergo cùm iste quoque esset Leuita, habitabat in Bethleem, qui erat ex tribu & cognatione Iuda. Si quis autem existimat coactam hanc esse interpretationem, recordetur eorum quæ iam à nobis dicta sunt, quod inter se commistæ fuerunt duæ tribus, nempe regia & sacerdotalis. Est ergo probabile eundem quidem fuisse Leuitam ex patre, matrem autem habuisse ex tribu Iuda. Cæterum iste quidem vir contra legem fecit. Nam primum quidem cum Deus fixisset tabernaculum in Silo, in alio loco propter legẽ fungebatur suo munere. Pręterea manufactis idolis (hoc enim significat sculptile & fusile) offerebat sacrificia. Pręterea in alio quoque ausus est legem transgredi. Lex enim prohibuit Leuitis ne sacerdotali fungerentur munere, sed misit eos ministrare sacerdotibus. Et hanc ergo legem est transgressus, cùm au-

sus

sus sit fungi sacerdotio: fuit etiam ingratus in eum qui ipsum coluerat, nam fraudis acceptis instrumentis secutus est eos qui erant ex tribu Dan, & fuit conciliator erroris in adorandis idolis.

Ex cap. 18. *Quid est, Ipsa erat in valle domus Rechas, aliàs Rhoal.*

Antè illam quidē, vt est verisimile, vrbem extruxit Rechas. Ipsa autem sic quidem olim erat appellata. Ab his autem obsessa nomine mutata fuit appellata Dan: nunc autem appellatur Pameas. Atque hic quidem huius Leuitę genus apertè didicimus. Iosathā, enim inquit, filius Manasse, filij Lersam, filij Moysæ. Ipse & filij eius erant sacerdotes tribus Dan: vsq; ad transmigrationem terræ. Et constituit ei Micha sculptile quod fecit, omnibus diebus quibus domus Dei erat in Silo. Præter legem ergo fungebantur sacerdotio, non solum colentes idola, sed etiam audaces fungi munere sacerdotali: erant enim Leuitæ, non sacerdotes. Solius enim Aaronis genus iussit Deus fungi officio sacerdotali. Et existimo præterea quod legislator vxorem duxerat alienigenam, eos qui ex ipso nati erant iussisse referri in numerum Leuitarum, non sacerdotum, ne contumelia afficeretur dignitas sacerdotalis, si exprobraretur cognatio. Si enim frater & soror legislatori hoc maledictum intulerunt, quid non ausi essent qui sunt propensiores ad exercendam seditionem & tyrannidem? Quæ enim aduersus Aaronem fuerunt insolentes, qui puellam duxit vxorem quæ orta est ex tribu regia, quid non fecissent aduersus Mosis filios, qui duxerat filiā Madianitæ & sacerdotis idolorum.

Ex cap. 19. & 20. *Quamnam ob causam zelo motus Israel, bellum inferens cognationi, fuit supèratus.*

Quoniam similibus vsi erant iniquitatibus, & aliorum quidem videbant libidines, & flagitia, sua autem non aspiciebant: hoc etiam dicebat diuinus Apostolus. In quo enim
Rom. 2. alium iudicas, teipsum iudicas: eadem enim
» facis qui iudicas. Et rursus: Existimas autem
» hoc ò homo qui iudicas alios qui talia agunt
» & facis ea quod tu effugies iudicium Dei? An diuitias &c. vsque ad, Reddet vnicuique secundum opera eius. Iusta enim ira moti aduersus eos qui se scelerate gesserunt in Gabaon, armauerūt quadraginta millia hominum. Deus autem volens eos castigare vt qui agerent similia, & in alijs quidem malum cernerent, in seipsis hoc nollent facere, permisit vt semel & bis superarētur, & multa ex ijs millia interficerētur. Postquā autē vidit eos & disciplinā accepisse, lamētarijq; & eiulare, & multas fundere lachrymas, adiuuit eorum animi alacritatem, iniquamque & sceleratam tribum perdidit penitus, præter admodum paucos. Libidinolis enim & impudicis erant peiores, qui pro eis pericula adierunt. Nam cum poscerent contribules eos qui scelus admiserant, non solum non tradiderunt, sed etiam prompto & alacri animo eos defenderunt. Quam ob causam subierunt commune exitium. Existimo autem hoc bellum gestum esse ante alia bella, non longo tempore post mortem Iesu. Phinees enim inquit filius Eleazar, filij Aaron sacerdotis, astitit ante arcam in diebus illis. Eleazar autem statim post Iesum accepit finem vitæ. Sacerdotio autem successit Phinees. Idque nos docuit finis libri Iesu Naue. Arbitror ergo eum qui conscripsit historiam, non temere posuisse vltima, quæ prima facta sunt. Voluit enim nobis prius ostendere successiones Iudicum, & quis fuerit dux primus, quis secundus, quis tertius, & deinde has secundas ponere narrationes, nempe de Micha, & Lacha, & de hac muliercula, quam interemit insana libidinosorum petulantia & salacitas.

Ex cap. 20. *Cur miserunt filij Israel ducentos qui erant ex tribu Beniamin, vt raperent ex virginibus quæ choros ducebant ex Silo, & vxores ducerent.*

Omnes illius tribus mulieres fuerant interfectæ. Ipsi autem iurarant se non desponsuros eis suas filias. Ne ergo coacti à necessitate vxores ducerent alienigenas, & in re dubia viam inuenerant & raptum excogitarunt.

IN LIBRVM RVTH.

Cur scripta sit de Ruth historia.

PRIMVM propter Christum Dominum. Ex ea enim ortus est secundum carnem. Et ideo diuus quoq; Matthęus cōscribens genealogiam, virtute quidem insignes ac celebres prætermisit mulieres Saram, & Rebeccam, & alias: Thamar autem & Ruth meminit, & etiam vxoris Vriæ, docens quod propter omnes homines vnigenitus Dei filius homo factus est, nempe & Iudęos & alias gentes, & peccatores & iustos. Nam Ruth quidem erat Moabitis. Betsabe autem nefarie fuit coniuncta regi. Raab autem erat meretrix: sed per fidem est consecuta salutem. Thamar quoque ea illustratur. Non enim propter intemperantiam consuetudinem habuit cum socero: sed videns eum nolle sibi filium cōiungere, suffuratus est agri culturam, vt producerent benedictionem. Iam enim post hunc satum, alium satum non accepit, sed dilexit viduitatem cō iungi matrimonio. Videris Ruth quoq; propter pietatem ac religionem parētes quidem reliquisse, socrum autem esse secutam. Dixit Ruth. 1.
» enim Ruth, Absit vt te relinquam, aut post te
» reuertar: Quoniam quo tu proficiscēris, proficiscar, & vbi tu sedem figes, moriar, & illic
» sepeliar. Hæc autem faciat mihi Dominus, &
» hæc addat, quod mors diuidet inter me & te.
» Et hoc dixit à socru sępe rogata, vt rediret ad
» parentes. Reuertimini, dicebat enim, filiæ
» meæ

» meæ. & cur mecum itis? Non sunt amplius fi-
» lij in vtero meo, & erūt vobis in viros. Reuer-
» timini filiæ meæ. Quia senui vt non sim ampli
» us viri. & sicut dixi, non est mihi amplius sub-
» stantia vt sim viri, & pariam filios. Num e-
» os expectabitis donec viri euadant, & ab eis
» detinebimini ne viro nubatis? Nequaquam
» filiæ meæ. Acerbius cruciata sum quàm vos, quoniam egressa est in me manus Domini. Neque, inquit, sum prægnans, vt expecteris coniungi ijs qui ex me sunt nascituri: neque possum viro nubere propter senium, vt expectetis meas nuptias, & filiorum procreationem, & illorum educationem. ego enim à Deo immissam accepi plagam. Atque oportebat quidem etiā propter Dominū describi de Ruth narrationem. & tamen sufficit ipsa quoque per se historia ad omnem afferendam vtilitatem ijs qui ex illis sciunt lucrifacere. Nos enim docet & Noemi graues calamitates, & laudabilem constantiam & fortitudinem, & nurum temperantiam, & in socrum amorem, & præcipuè ipsius Ruth, quæ mulierem senio confectam & paupertate laborantem prætulit parētibus, propter animi pietatem, & coniugis memoriam. Nos autem docuit Boozi quoque virtutem. Ruth enim non solum fructu liberaliter impertijt, sed etiam verbis est consolatus. Ne eas, inquit, ò filia, ad colligendum in alio agro. Et rursus, Coniungere cum meis puellis. Cùm autem eam iussisset comedere & bibere cum messoribus, subiūxit, Re-
» nuntiatione renuntiatum est mihi quæ fecisti
» cum socru tua postquā mortuus est vir tuus:
» & quomodo reliquisti patrē tuum & matrem
» tuam, & terram ortus tui, & profecta es ad
» populum quem non noueras heri & nudi-
» ustertius. Reddat tibi Dominus operatio-
» nem tuam, & fiat merces tua plena à Domino
» Deo Israel, ad quem venisti vt confideres
» sub alis eius. Finem autem consecuta est benedictio. accepit enim plenam mercedem à Domino, vt quæ fuerit progenitrix gentium benedictionis. Non solum autem eam cibo impertijt, sed ipse quoque fuit per se sui officij administer, vt qui non alij iusserit ministrare, sed ipse parauerit farinas, & panes admodum liberaliter attulerit. Satiata autem quod supererat retulit ad socrum. Grato autem & beneficij memori animo Socrus absentem benefactorem remunerata est be-
» nedictione. Dixit enim, Qui te agnouit,
» sit benedictus. Quoniam satiauit animam in-
» anem. Sicut fecit cum quo fecit. Non enim
» respexit, inquit, ad paupertatem, sed ad
» legislatorem, qui præcepit vt cura gereretur
» viduarum.

Ex cap. 2. *Quid Noemi suæ nurui suggesserit.*

Cùm Ruth audijsset Socrum dicentem, Hic vir est nobis propinquus, & coniunctus cognatione, recordata est magni eius officij, & existimauit Boozum, vt qui esset cognatus mariti, velle ei ex lege coniungi, vt eius qui decesserat conseruaret memoriam. Hoc enim significant ea quæ deinceps sequuntur. Dicit enim, Dixit Ruth suæ socrui, Et dixit, Coniun-
» gere cum puellis meis, donec finierint totam
» messem quæ est mihi. Hoc cùm audijsset No-
» emi, monet eam & ei suggerit vt dormiat ad pedes Boozi: non vt formam suam vēdat. contrarium enim significant verba narrationis. Venies, enim inquit, & deteges quæ sunt ante
» pedes, & dormies, & ipse annuncia bit quæ fa-
» cies. Adeò confidebat viri temperantiæ & iustitiæ. Sermones autē confirmarunt actiones. Nam vt monuerat socrus, cùm omnes teneret somnus, Ruth adhęsit pedibus Boozi. Ille verò rogauit quęnam esset: Illa autem ei reuocauit in memoriam defuncti cognationem. Ille autem factum quidem laudauit: temperantiam autem non prodidit: sed legi conseruauit nuptialē congressum. Benedicta es, enim inquit,
» filia Domino. Quoniam meliorem fecisti mi-
» sericordiam tuam supra primā, vt tu non ires,
» post adolescentulos, seu pauperes, seu diuites.
» Ostēdisti, inquit, per ea quæ fecisti, quòd non hoc feceris voluptati seruiens. Re vera enim iussisses ad eos qui sunt iuuenili & florenti ætate, nullam habēs rationem nec diuitiarum, nec paupertatis, sed solius fruendæ voluptatis. Sed venisti ad virum qui est tibi loco patris. hoc enim significat illud, Filia. Bis autem eam sic vocauit. Et nunc filia ne timeas. Om-
» nia quæ dixeris faciam tibi. Nouit enim om-
» nis tribus populi mei quòd tu es mulier vir-
» tutis, & quòd re vera sum tibi propinquus. Ne-
» mo, inquit, me reprehendet. Nam & tu laudaris ab omnibus. & ego propter cognationem, non propter intemperantiam faciam nuptias. Sed quoniā est alius cognatus, ille est prius conueniendus. vt si quidem te elegerit, nubas conuenienter legi: Sin aūt non persuadeatur, ego tibi ex lege imponam iugum matrimoniale. Tanta erat viri virtus, quòd cū formosa iuuencula noctu ad eū veniisset, conseruarit temperantiam: & legi rem conseruauerit. & neque ad nuptias præter legem conuolarit: sed cū propinquiori de matrimonio verba fecerit: deinde cùm ille recusasset, tunc de cętero cum muliere laude digna fuerit coniūctus. Sunt autem admiratione digna eius quoq; ad ipsum verba. Non enim primos cū eo sermones contulit de nuptijs, sed de possessione agrorum est locutus. Deinde cùm ille contractum lubenter accepisset, adiecit sermonem de nuptijs, dicens æquum esse, vt qui agros defuncti possideat, vxorem quoque eius ducat, & liberorum procreatione, defuncti conseruet memoriam. Quoniam autem propter matrimonium ille quoque prædiorum abnegauit contractum, conuenienter quidem legi calceum soluit & dedit, Booz autem Ruth vxorem duxit. Quòd autem non voluptati seruiens induxit in animum vt duceret vxorem, ostendunt eius quoque verba laude digna. Dixit, enim inquit, Bo-
» oz & senioribus, & vniuerso populo. Te-
» stes vos mihi hodie, quòd possederim omnia,
» quę fuerunt Abimelec, & omnia quæ fuerunt,
» Maalon, & quæ Cheleon, ex manu Noemi;
» Qqq &

,, & Ruth Moabitidem vxorem Maalon posfideam mihi in vxorem, vt fuscitem nomen
,, mortui in eius hæreditate: & non pereat no-
,, men defuncti ex fratribus suis, & ex tribu
,, sua. Iure est admiranda eorum quæ dicta sunt pietas accurataque & exacta ratio. legem, inquit, non transgredior, Moabiticam ducens mulierem, sed impleo legem diuinam, studens vt defuncti non extincta conseruetur memoria. Confirmarunt autem seniores quoque matrimonium cum benedictione. Sic-
,, enim dixerunt. Deus tibi mulierem quæ in-
,, greditur domum tuam, sicut Rachel & Liam,
,, quæ ædificarunt ambæ domum Israel, & vt
,, faciat virtutem in Ephrata. & erit nomen in
,, Bethleem celebre inter omnes homines. & sit
,, domus tua tanquam domus Phares, quem pe-
,, perit Thamar Iudæ. Et ex semine tuo det tibi
,, Dominus ex hac ancilla. Tacitè significant verba benedictionis eum quoque aliam habuisse vxorem. Quamobrem & Rachelis & Liæ simul meminit. & subiunxit, Quæ ædificarunt ambæ domum Israelis. Illud autem, ,,
Et vt faciat virtutem in Ephrata: & erit nomen in Bethleem celebre inter omnes homines, prædicit partum salutarem per quē Bethleem facta est celebris inter omnes homines. Meminit autem Thamar, quoniam illa quoque, cùm esset alienigena, peperit Phares, ex quo Dauid Rex. & qui est ex eo oriundus Dominus & filius. Ex ea natus est Obed, pater Iesse, qui genuit Dauid. Hunc infantem cùm ad Noemi attulissent mulieres, dixerunt. Benedictus Dominus, qui non dissoluit tibi ho- ,,
die tuum propinquum genere, vt vocarent ,,
nomen tuum in Israel. & erit tibi in conuer- ,,
tentem animam. Hoc autem, quod attinet ad ,,
sensum qui est in promptu, significat illius consolationem. Quod autem ad veritatem, significat salutem mundi.

BEATI THEODORETI

EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,

IN LIBRVM PRIMVM REGVM.

QVONIAM diuina freti gratia interpretati sumus libros Mosis Legislatoris, & Iesu Iudicis, & ipsorum Iudicum, & Ruth, age rursus cū supplices petierimus vt accipiamus splendorem huius lucis, explicemus Regum historias, ea quidem quæ sunt aperta prætermittentes, quæ autem declaratione indigent lectoribus declarantes, ne tuam petitionem, ò filiorum amabilissime Hypati, relinquamus imperfectam.

1 *Quænam est causa obscuritatis in scriptura.*

RECit obscuritatem mutatio ex alia lingua in aliā. & quòd studuerint interpretes pressis insistētes vestigijs de verbo ad verbum interpretari. Hoc ipsum autem accidit ijs qui è lingua Italica transferunt in linguam Græcam. Sunt enim illa quoque plena magna obscuritate.

2 *Quodnam est argumentum historiæ Regum.*

Primum quidem dicam argumentum historiæ. Fuerunt plurimi Prophetæ, quorum libros quidem non inuenimus, nomina autem didicimus ex historia Paralipomenon. Eorū vnusquisque consueuerat scribere quæcunque contingebat fieri suo tempore. Iam verò primus Regum, & apud Hebræos, & apud Syros, nominatur Prophetia Samuelis. Sed hoc facile est cognoscere volenti, si prius dictum librum legerit. Qui enim Regna scripserunt, illinc accepta occasione, post plurimum tempus scripserunt. Quomodo enim fieri potuisset vt Samuel qui vixit cum Saule & Dauide, ea scriberet quæ facta sunt tempore Ezechiæ & Iosiæ, & Nabuchodonosoris bellicam expeditionem, & Hierosolymorum obsidionem, & populi captiuitatem, & transmigrationem in Babylonem, & mortem Nabuchodonosoris? Est ergo perspicuum quòd vnusquisque ex Prophetis ea conscripsit quæ gesta sunt suis temporibus. Quidam autem alij cùm illa collegissent, composuerunt librum Regum. Et rursus fuerunt aliqui alij historiographi eorum quæ ab illis sunt prætermissa, & de illis conscriptum librum appellarunt Paralipomenon, vt qui doceret ea quæ fuerant prætermissa à prioribus.

Samuel

3 *Samuel fuit ne Sacerdos an Leuita.*

Leui fuit pater triū filiorum, Gerson, Caath, Merare. Caath autem fuerunt filij, Abraham, & Isaar, & Chebron, & Oziel. Abrahami autem Aaron & Moses & Maria. Isaaris autem filius quidem Core, nepos verò Cana pater Samuelis. Samuel ergo decimus quintus quidem est à Leui. Erat autem ex familia Caath, quæ prælata fuerat alijs, quòd ex ea floruerint Pōtifices. & ideo eis attributum fuerat vt ferrent sancta.

Ex cap. 1.

4 *Quòd Elcana duas habuit vxores.*

Neque iusserit lex cum duabus aut pluribus simul coniungi vxoribus, aut habere concubinam: sed neque prohibuit, concedens maius vt prohiberet minus. Et eorum enim qui accipiebant potentia metiebatur leges. *Hebr. 7.* Hoc diuinus etiam dicit Apostolus. Nihil enim perfecit lex.

5 *Quid est, Clausit Dominus vuluam eius.*

Docet lectores hæc oratio ne matrimonio confidamus, sed creatoris inuocemus auxilium. Quomodo enim Agricolæ quidem est proprium semina deijcere: Dei autem, deiecta perficere. Ita matrimonij quidem est propria coniunctio. Dei autem, est proprium, annuere naturæ vt effingat & formet animal. Hoc cùm apertè sciret Anna, nam cùm longo tempore cum viro habitasset fructum non produxit, confugit ad Opificem: & intensa oratione & lachrymis mutilatam curauit matricem, & clausam aperuit. Operæ pretium est autem etiam admirari eius morum modestiam. Probro enim appetita quòd esset ebria, leniter tulit, & depulsa suspicione, docuit affectionem qua laborabat, & pontificalem assecuta fuit benedictionem. Audi- ,,
uit enim, Vade in pace: Dominus Deus Is- ,,
rael det tibi omnem petitionem tuam, quam ,,
ab ipso petijsti. Cùm tanta autem fide audijt benedictionem, vt omnem abiecerit tristitiam, & cum fiducia ad virum accesserit & conceperit. Cùm autem peperisset, impleuit promissum. Conseruauit enim eius comam, & eum docuit aquæ potionem. ea est enim lex Nazaræorum. Cùm primum autem ablactasset, eum obtulit Deo, & cum eo vitulum ei tempore æqualem, qui pro eo accepit mactationem & sacrificium. Vicissim autem à Deo accepit alios tres filios, & duas filias. est enim Deus liberalis & magnificus. Admiratione autem dignus est quoque eius hymnus. Neque solum enim ob ea quæ accepit laudibus celebrauit donatorem, sed etiam hymnum temperauit prophetia, & filij gratiæ fuit particeps. Nam cùm concepisset Prophetam, prophetat post partum. ,,
Illud enim, Infirmum reddet aduersarium ,,
suum, prædicit & ante significat Diaboli dis- ,,
solutionem & euersionem. hoc verò, Domi- ,,
nus ascendit in cœlos & tonuit, prædicit Seruatoris nostri assumptionem, & aduentum sanctissimi spiritus, & Apostolicarum prædicationum vocis magnitudinem. Prędicit etiam secundam Christi apparitionem. Ipse, enim inquit, iudicabit extrema terræ. ,,
Prædicit etiam qui fuerint eius maiores secundum carnem, qui durarunt à Dauide vsque ad captiuitatem. Dabit, enim inquit, ,,
robur Regibus nostris, & in altum extollit ,,
cornu Christi sui. Docuit etiam non fiden- ,,
dum diuitijs, non sapientiæ, non potentiæ: ,,
sed ei soli qui potest & vitam suppeditare, & mortem inferre, & mutare res bene gestas in malè gestas, & res aduersas in secundas. Porrò autem illud quoque, Sterilis peperit septem, prædicit & prænunciat ecclesiæ fœcunditatem. Numerus enim septenarius significat multitudinem. Nam in septem diebus voluitur totum tempus. & filij ecclesiæ impleuerunt orbem terræ. Quæ autem abundabat filijs, infirmata est. Nam cùm multos filios haberet Iudæa, & multos prophetas genuisset & iustos, nunc laborat fructuum egestate ac sterilitate.

6 *Ex qua gente esset Heli Pontifex.*

Ex gente Ithamar. Sed propter filiorum nequitiam, totum genus fuit priuatum honore Pontificali. Docet enim historia quanta admiserint scelera ac flagitia.

7 *Quid sit Ephod.*

Aquila hoc vocauit indumētum eximium. Diximus autem, iam interpretantes & Exodum & Iudices, quòd per ipsum plurima ex ijs quæ erant ignota significabat Dominus Deus.

8 *Cur Samuel cùm esset Leuita, vsus sit Ephod, cùm id soli Sacerdoti esset attributum.* *Ex cap. 2.*

Est verisimile quòd Heli cùm in eo florentem diuinam vidisset gratiam, essetque natus admirabiliter & præter opinionem, & intus aleretur in tabernaculo, tanquam sanctum & Nazaræum, & à Deo petitum, hoc enim significat nomen Samuel, etiam admodum iuuenem eo honore impertijsse.

9 *Dei erat dispensatio, quòd Samuel à Deo vocatus abiret ad Heli, existimans se ab eo vocari & semel & bis & ter.* *Ex cap. 3.*

Nam quoniam Deus erat mala Heli prædicturus per Samuelem, ne videretur Samuel finxisse reuelationem, Deus rem dispensat. vt cùm Heli quidem crederet quòd sit Deus qui vocat Samuelem, ille autem postea renunciaret quæ dicta sunt à Deo, non esset suspectus tanquam qui finxisset, sed ei fides haberetur, vtpote cui diuina facta esset reuelatio.

10 *Quamobrē Heli luit pœnas pro suis filijs, idq; cùm eos monuisset vt conueniebat.*

Filiorum iniquitas non egebat lenibus medicamentis, sed acerrimis & asperrimis. Oportebat ergo, cùm post primam & secundam admonitionem perseuerassent in nequitia, eos à templi ambitu expellere. Nam non ipsi soli legem transgrediebantur, sed etiam erant alijs exemplum vt transgrederentur.

Quoniam autem pluris fecit naturam quàm creatorem, à Deo ei data gratia fuit priuatus. Hoc enim ei significauit etiam Dominus per
» Prophetam. Quoniam, inquit, aspexisti ad
» suffitum meum & sacrificium meum impu-
» denti oculo, & supra me glorificasti filios tuos
» vt benedicerent primitias omnis sacrificij Is-
» rael ante te, hæc dicit Dominus Deus Israel:
» Dixi, domus tua & domus patris tui transibũt
» coram me vsque in æculum. Et nũc, Non sic,
» inquit Dominus, erit mihi. Sed eos qui me
» glorificant glorificabo. & qui me nihilipen-
» dunt, nihilipendentur. Et videtur quidem prædictio eius genus nudare Sacerdotio: tacitè autem significant minæ illæ cessationem Iudaici Sacerdotij. Dixi, enim inquit, domus tua & domus patris tui transibunt coram me vsque in æculum. Hoc autem non est pollicitus Ithamari, sed Aaroni. Ipse ergo id pronunciauit aduersus omnem tribum. Ea autem quæ cernuntur ferunt testimonium. Ex quo enim Christus Dominus fuit actus in crucem, dirutum quidem fuit eorum templum: deserta autem fuerunt sancta sanctorum, priuatique sunt & Sacerdotio & Prophetia. Hoc significant etiam quæ sequuntur. Ecce enim dies veniunt, & fundi-
» tus perdam semen tuum, & semen domus pa-
» tris tui. Et aspiciet, cùm sit firmamentum, in
» omnibus in quibus benefaciet Israeli. Et non
» erit senex omnibus diebus in domo mea. Cũ sit autem firmamentum, hoc dicit de Deo.
Exod. 3. Ego, enim inquit, sum qui sum. Hieremias quoque, Qui es Domine. Huius firmamentum vocauit sacerdotium quod est secundum ordinem Melchisedec. Hoc autem postea si-
» gnificauit apertius. Excitabo, enim inquit,
» mihi Sacerdotem fidelem, qui faciet omnia
» quæ sunt in corde meo & anima mea. & ædi-
» ficabo ei domum fidelem, & transibit ante
» Christum meum omnibus diebus. Hæc autem nulli quidem homini conueniunt, sed soli Domino nostro Iesu Christo, qui, quod attinet ad humanitatem, nominatus fuit no-
Heb. 4. » ster Pontifex. Habentes, enim inquit, Pon-
» tificem magnum qui penetrauit cœlos Iesum
Heb. 4. Dominum nostrum. Et rursus, Non enim
» habemus Pontificem, qui non possit compa-
» ti infirmitatibus: tentatum autem per omnia
» pro similitudine absque peccato. Velamen-
† Locus est corruptus. tum autem sanctorum non conuenit hominibus mortalibus, qui viuunt breui tempore. Christos autem vocauit sanctos Apostolos, & qui illorum doctrinam acceperunt. Ergo prædictio propriè quidem conuenit Seruatori Christo. sed si spectes historiam, Sadoc, qui genus ducens ab Eleazaro, Sacerdotium accepit per Solomonem.

11 *Quomodo est intelligendum illud, Lucerna Dei, priusquam instructa esset.*

Significat oratio, quòd statim post vesperam, cùm ipsi cœpissent dormire, apparuit Samueli Dominus Deus. Vespere enim solent accendere sacram lucernam. Circa mediam noctem injciebant oleum. Volens ergo scriptor significare tempus, dixit lucernam nondum fuisse instructam.

12 *Quamobrem Samueli, cùm esset admodum iuuenis, vniuersorum Deus est locutus.*

Ad arguendum Pontificem qui senuerat, adolescentulus dignus est habitus cui Deus appareret. Erat enim adeò iuuenis, vt Dei doctrinam nondum posset suscipere. Heli itaque post tertiam vocationẽ intelligens quòd Deus sit qui vocat, dicit, Si te vocet qui vocat, di- »
ces, Loquere Domine, quoniam te audit ser- »
uus tuus. Sed tamen eam ætatem antiquę pre- »
tulit Deus: & eum qui octoginta & sex annos vixerat, & quadraginta annos duplici magistratus honore dignus fuerat habitus, erat enim & Iudex & Pontifex, despiciens, locutus est cum paruo puero, docens quantum canicie est melior iuuentus ornata virtute. Atque perspicuum quidem est quòd Heli rectè factis esset ornatus, sed propter filiorum suorum prauitatem exitij acceperit sententiam. Eius autem pietatem verba quoque ostendũt. Nam primum quidem non puduit eum rogare adolescentem vt ei declararet quæ à Deo fuerant annunciata. Sed & eum adstrinxit iureiurando & execrationibus, vt nihil eum celaret ex ijs quæ sibi significata fuerant. Deinde cùm latam didicisset sententiam, laude dignam emisit vocem, Dominus faciet quod in oculis suis placuerit. Quinetiam cùm filiorum suorum cognouisset cædem, non pusillo & abiecto animo id tulit pater & senex. Cùm autem accepisset arcam captam fuisse ab hostibus, è sella quidem, ingenti autem animi mœrore confectus, vitæ finem accepit.

13 *Cur Deus permisit vt arca caperetur ab hostibus.* Ex cap. 4.

Quod factum est duplicem produxit vtilitatem. Nam Hebræos quidem docuit, vt legitimè quidem viuentes in Dei confiderent prouidentia. legem autem transgredientes, neq; in ipsa, neque in arca non tangenda confiderent. Cur enim legem transgredientes, arcam ad auxilium traherent quæ legem intus habet sitam. Atque isti quidem ab ea hanc accipiebant vtilitatem. Alienigenæ autem, cùm timuissent, quando vbi apparuisset arca vociferati sunt Hebræi, post victoriam autem eam despexissent, & eam veluti manubias suis dedicassent idolis, experientia Dei didicere virtutem. Nam primum quidem viderunt ante arcam suum cecidisse Deum, & adorationis præ se ferre figuram. Deinde cùm eum erexissent, postridie eum inuenerunt contritum, & extremis partibus priuatum. Deinde cùm noluissent cognoscere differentiam, & arcæ quem conueniebat cultum non tribuissent, inciderunt in varias affectiones & ægritudines. Nam vt septuaginta quidem sunt interpretati, percusi sunt in sedibus. vt autem Aquila, laborarunt exedente vlcere, quod dicunt Phagedænam. Iosephus autẽ docuit eis fuisse morbum dysenteriæ. Sed nemo existimet esse inter se discrepantes diuersas illas editiones. Nam dysenteriæ succesit morbus sedis. Frequens enim

enim excretio inflammauit particulam illam. & sedis morbum passi sunt, vt qui arcam diuinam impiè locauerant, nempe apud Deum falsò appellatum. Primi Azotij hoc subierunt supplicium. Conijcientes autem Getthæi non esse plagam à Deo immissam, sed esse morbum ortum ex pestilenti constitutione, arcam Dei transtulerunt in Geth. sed protinus subierunt easdem calamitates. Tunc Getthæi fecerunt sibi sedes aureas. Cæteri sic sunt interpretati, & solutæ fuerunt eorum sedes. Cùm autem Getthæi tentassent arcam transferre Ascalonem, illi contradixerunt, formidantes plagas diuinitus immissas. Deinde cùm nulla ciuitas auderet arcam excipere, eam foris reliquerunt sub dio. Sic e-
» nim docuit Historiographus. Fuit, enim in-
» quit, arca Dei in agro alienigenarum men-
» ses septem. Postquam autem existimarunt, foris manente arca, se esse liberatos à plagis à Deo immissis, intulit Deus supplicia etiam rebus inanimis. Immisit enim murium multitudinem in vites & segetes, qui omnes eorum fructus perdiderunt. Per hæc autem docuit quòd ipse quoque Aegyptijs diuersas intulit plagas. Quòd enim in auribus resonantem illorum haberent memoriam, testantur quæ ab eis dicta sunt. Etenim cùm in bel-
» lo arcam essent conspicati, timore sunt re-
» pleti, & lamentantes clamabant. Væ no-
» bis, quis nos liberabit à manu huius Dei for-
» tis? Hic est Deus qui percussit Aegyptum in
» omni plaga. Porrò autem postquam malorum
» fecissent periculum, eorum Sacerdotes & Va-
» tes eis dixerunt vt arcam cum donis remit-
» terent. Vt Dominus, aiebant, leuet manum
» suam à nobis, & à Dijs nostris, & à terra no-
» stra. Et cur aggrauatis corda vestra, sicut ag-
» grauauit Aegyptus & Pharao cor suũ? An non
» quando illusit eos, emisit populum suum, &
» abierunt? Sed cùm hæc quidem consuluissent impij, & suorum Deorum sensissent imbecillitatem: nam primum Deus eos contriuit: Deinde eos qui adorabant castigauit: & tunc mures immisit in germina terræ, voluerunt discere per experientiam, plagáne esset à Deo immissa, an ea casu accidisset. Nam cùm plaustrum nouum construxissent, & vaccas quæ recens pepererant subiunxissent, separatas à vitulis, arcam imposuerunt, & quinque ciuitatum totidem numero mures & sedes ex auro fabricatas, dono miserunt ad Deum qui eos castigauerat, ea autem posuerunt in quodam vase quod septuaginta quidem vocarunt Aregaz, Iosephus autem dicit γλωσσόκομον, id est loculum vel marsupium. In triuio autem absque auriga dimissis vaccis, expectabant vt viderent an ad vitulorum mugitum reuertantur, an ad aliam viam declinent, relicta via quæ fert ad Hebræos. vt si ex his quidem duobus fieret alterum, tanquam imbecillam condemnarent arcam. Sin autem vaccæ, alijs vijs relictis, & spretis suis vitulis, abeant ad terram Israeliticam, verè cognoscerent illas plagas fuisse à Deo immissas. Quamobrem & se-
quebantur eminus: neq; prius destiterunt donec qui ex Hebræis habitabant in confinijs, rem nouam & alienam cõspicati, nempe plaustrum quod à nullo homine regebatur, habebat autem arcam & onus & aurigam, lubenter accurrerunt, & admirati sunt Dei victoriam.

14 *Cur Deus percussit populũ cùm reuersa esset arca.*

Pulchrè docuit historia. Non lubenter au- » tem acceperunt, inquit, filij Iechoniæ in viris » Bethsames, quòd viderunt arcam Domini. & » percussit in eis septuaginta viros & quadragin- » ta millia virorum ex populo. Sed filij quidem » Iechoniæ, vt impij & seruientes idolis, ægrè tulerunt videntes arcam, & meritò luerunt supplicium. populus autem fuit castigatus, vt qui noluerit pro arca adire periculum, & septem menses eã reliquerit apud alienigenas, & pro ea bellum non susceperit. Cùm ergo ostendisset Deus quòd eorum non egeat auxilio, & quantum cultum & honorem acceperit ab alienigenis, eos ostẽdit magis impios. Postquam autem Bethsamitæ timentes arcam remiserunt, dicẽtes, Quis poterit stare coram Domi- » no hoc sancto, prompto autem & alacri animo » eam excepit Aminadab, totam eius domum impleuit benedictione. Quòd autem impiorum populus arcam contempserit, testantur quæ sequuntur. Diuinissimus enim Samuel eos est exhortatus vt conuererentur ad Dominum in toto corde suo, & auferrent Deos alienos à medio sui, & lucos. Lucos autem Astaroth interpretatus est Aquila, hoc est, simulachra Astartes. Astartem autẽ vocant Venerem, ab astro accepta denominatione. fabulantur enim eius esse Hesperum.

15 *Cur cùm Deus iusserit per legem in vno loco Deum colere, Samuel alt are ædificauerit.* Ex cap. 7.

Templum nondũ erat ædificatum, & Deum colebant in diuersis locis. Cæterùm hinc quoque discimus, quòd cùm sciret Deus populi propensionem ad impietatem, diuinum cultum loco circunscripsit. Pijs enim & ijs qui sciunt scopum legis, quilibet locus est consecratus ad Dei cultum. Nam & celeberrimus ille Elias, cùm diuinum templum omnes ad se vocaret ex lege, in Carmelo extruxit altare, 1. Reg. 18. & obtulit sacrificium.

16 *Quare Samuel non luit pœnas propter sceleratissimorum.* Ex cap. 8.

Erat enim iniustitia quæ ab eis admittebatur, non impietas. Neq; enim violarunt matrimonia, nec eiusmodi libidinibus iniuria affecerunt diuinũ tabernaculum. neq; ventri suo dabant primitias hostiarum, euerso ordine sacrificiorum. Eos autem solum accusat, quòd corrũperentur muneribus. neque hoc sciebat Propheta. Nam ipse quidé habitabat Harmathæmes: illi verò Bersabee.

17 *Quamobrẽ doluit Deus cũ Regẽ petiisset populus.*

Quoniam petitio erat præter legem diuinã. Dominus Deus & Domini & Regis impleuit munus. Propheta autẽ erat administer, & veluti quidá præfectus, aut dux, & imperator. Deus autem hoc ei significauit, dicens. Audi » vocem populi. quoniam non te spreuerunt, »

,, sed me, vt non regnem super eos, secundum
,, omnia opera eorum quæ fecerunt mihi, à
,, quo die eduxi eos de Aegypto vsque ad hunc
,, diem.

Exod. 9. & 10. 18 *Quomodo bonum nominauit Saulem.*

Non dedit ei testimonium virtutis animæ, sed formam & magnitudinem. Sic enim dicit.

,, Nullus erat bonus in filijs Israel supra ipsum.
,, Supra humeros & vltra erat procerus supra omnem terram.

Quidam dicunt Samuelem prophetasse propter pecunias.

,, Quòd dixit Saul, Ecce vadam: & quid faciemus homini Dei? Quoniã panes nobis defecerunt, hoc est indicium suspicionis Saulis, non quòd Propheta munera acceperit. Cõiecit enim ad eum aliquid afferendum, tãquam ad principem & Prophetam, sed nihil attulit, sed contrà eius plurimam est expertus benignitatem. Quòd autem Propheta nõ corrumperetur muneribus, docent eius verba quæ fe-
1. Reg. 12. ,, cit ad populum. Si alicuius, inquit, vitulum ac-
,, cepi in placationem, aut calceũ, & celaui oculos meos in ipso, dicite contra me, & reddam
,, vobis. Confirmauit autẽ verba Prophetæ populi testimonium.

19 *Cur videntem appellabant Prophetam.*

Vt qui præuideret futura. Non est enim hoc nomen oculorũ corporis, sed spiritualis contemplationis. Bamma autem Aquila interpretatus est, excelsum. Gabaa autem, collem. Hospites autem, eos qui vocati fuerant. κωλεὰν autem seu pernam, tibiam. Eam autem ei apposuit, tanquam regnaturo, & pro populo periculum aduturo. Hoc enim subiecit. Ecce in
,, testimonium positum est tibi à populo.

20 *Cur cùm eum vnxisset, est deosculatus.*

Gratia quæ sibi inerat eum impertijt. Nam
Ioan. 19. Dominus quoque cùm insufflasset in Apostolos, dixit, Accipite spiritum sanctum. Et enim ex plenitudine eius nos omnes accepimus. Sic Propheta deosculatus est Regem cui impositæ erant manus.

21 *Cur eum impertijt gratia quæ sibi inerat.*

Κωλεὰν seu pernam editio Aquilæ scribit κνήμην seu tibiam. ea est autem crus. κωλεὰ enim est quæ est post femur. Apposuit autem Samuel pernam seu armum ante Saulem, dicens, In testimonium positus est tibi, hoc est, in signum honoris, vt qui sis alijs præpositus, & indicium regni. Nam sicut hæc cùm sint breuiora alijs membris animalis, portant totam molem cõpacti corporis, & firmiter suffulciunt: ita etiam regium robur, etiamsi ad vnum virum contrahatur, sustinet totum corpus reipublicæ, & non sinit cadere.

22 *Quamobrem ei multa dedit signa.*

Vidit eum dubitantem, & suam confitentem paupertatem. An non sùm, inquit, filius Iemini, minimę familiæ ex tribubus Israel, & cognatio mea est minima omnium cognationum, nempe Beniamin. Propterea confirmat promissionem regni prædictionibus de omnibus. Et primum quidem adducit eos qui de asinis ei nuncium afferunt. Deinde eos qui vadunt in Bethel ad Deum adorandum, & ex ijs quæ ad Deum afferuntur, ad eum afferunt primitias. Te enim, inquit, rogabunt quæ ad pa- ,,
cem: & dabunt tibi primitias panum, & acci- ,,
pies ex manu eorum. Deinde chorum Prophe- ,,
tarum, & cœtum eorum qui cum eis chorum ducunt, qui tibijs vsi sunt & lyra & nablis & tympanis. & quæ illinc exilit gratiã spiritus, & efficiunt vt ipse prophetet.

23 *Quid est, Transmutauit ei Deus cor nouum?*

Quoniam erat rusticus, solum sciés terram colere, cùm ei manus imposuisset dedit ei spiritum regium.

24 *Quid est, Desijt Prophetare.*

Non habuit perpetuum donum Prophetię. ad declarandum autem & ostendendum spirituale donum prophetauit illo tempore. Ita etiam septuaginta seniores quos elegit ma- *Exod. 24.*
gnus Móses, statim quidem electi, digni sunt habiti prophetica operatione. Postea autẽ minimè quidé prophetabant, sed à dono diuino redditi sapientes, componebant populi controuersias.

25 *Quanam de causa cùm Saulem vnxisset Samuel, & ab vniuersorum Deo audijsset, quòd oportet eũ creare Regem, iussit tribus mittere sortes.*

Ne diuinis quidem credebãt Prophetis qui improbam agebant vitam. Ne ergo conijceret homines esse humanæ gratiæ electionẽ, iussit mitti sortes. Deinde cùm sors cecidisset in tribum Beniamiticã, & rursus esset diuisa in partes, & domos, & viros, sors cecidit super Saulem. Cùm autẽ tentasset latere, videbat enim potestatem suam excedere dignitatem, à Deo indicatus est Prophetæ, & à toto populo accepit electionem.

26 *Cur Naas Ammanita effodiebat dexteros oculos Israelitarum.* *Exod. 11.*

Volens eos reddere inutiles ad bellũ. Nam qui sinistra manu obijcit clypeum, ea tegit sinistrum oculum: dextero autẽ aspicit hostes. Cui ergo dexter ablatus est oculus, bellum gerens facile potest capi.

27 *Cur Saulem eis primum dedit Regem.*

Quoniã ad bella fortiter gerenda petierunt vt Rex sibi eligeretur, non autem propter pietatẽ, vt in rebus diuinis ab eo erudirentur, ideo elegit omnium maximum, quoniam nõ animæ virtutem, sed corporis mirabantur magnitudinem.

28 *Quamobrem populo congregato meminit Prophetæ suæ reipublicæ administrationis.* *Exod. 12.*

Cùm esset iudex, excedebat à potestate, & eam tradebat Regi. Erat ergo consentaneum vt quę à se gesta erant narraret, & quòd in republica gerenda cũ laude esset versatus cõsentientem haberet populum, legitimam illũ docens potestatem. Symmachus autem sic edidit, Filius vnius anni Saul, dum regnaret ipse. Hoc autem significat quàm tener esset eius animus, quando fuit Rex electus. Illo autem non diu est vsus. Vnde subiunxit historiographus. Et duos annos regnauit super Israelem, nempe cum ea simplicitate regnat duos ,,
annos. Deinde declinans ad vitæ improbitatem nudatus fuit diuina gratia. Vnde reliquum tempus quo perrexit regnare, reputatum esse administrationis Samuelis.

Exod. 14. 28 *Quomodo est intelligendum, Percussit Ionatham stationem alienigenarum quæ erat in collibus.*

Alienigenæ, victis Hebræis, collocarunt præsidia in locis munitioribus. ὑπόστημα ergo, nempe stationem, vocauit hoc præsidium, quod funditus deleuit Ionatham. Illud autem ἀθετήκαν οἱ δοῦλοι, id est, spreuerunt serui, Aquila exposuit, Audiant Hebræi.

Exod. 13. 29 *Quid est, Intermisit septem dies testimonio, sicut dixit Samuel.*

Denunciauit Samuel Sauli vt eum expectaret sex dies, & deinde cùm rite sacrificasset ac litasset, instrueret aciem. Saul autem cùm vidisset congregatos alienigenas, non expectauit Prophetam vt præceperat. Vnde cùm eum sacrificantem deprehendisset Propheta, vehementer eum increpauit, & ei præ-
,, dixit regni priuationem. Quæret, enim in-
,, quit, sibi Dominus hominem secundum cor
,, suum, & mandabit vt sit sibi dux super po-
,, pulum suum, quoniam non custodijsti quæ ti-
,, bi mandauit Dominus. Hinc pulchram & gloriosam victoriæ imposuit coronã, dicens.
,, Inueni Dauid filium Iesse virum secundum
,, cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Hæc enim Propheticè prædixit diuinissimus Samuel. Gabaa autem terram quæ est in Sabaim, Aquila interpretatus est terram, quæ est in valle Caprearum.

Exod. 14. 30 *Quam ob causam ferrum non habebat Israel.*

Cùm eos vicissent alienigenæ, vniuersum ferrum acceperunt, & prohibuerunt ne possiderent aliud. Quamobrẽ apud eos fiebant agri colendi instrumenta. Dentem autẽ Symmachus quidem interpretatus est aratrum. Siclum autem vocauit staterem. In pondere autem siclus, vt accipimus, erat ponderis semiunciæ. In pecunia autem erat viginti obolorum.

31 *Cur Ionathã volens irruere in hostes dedit quædam signa armigero.*

Non dedit symbolicè, sed vt fidelis, volens nosse Dei voluntatem, vt si ab ipsis quidem essent vocati, in eos irruerent tanquam Deo apertè opẽ ferente. Hoc enim dixit, Et ascendemus, quoniam tradidit eos Dominus in manus nostras. Hoc est nobis signum. Sin autem, inquit, dixerint, Abscedite illuc, non ascendemus ad eos. Quòd autem in Deo confidens in præuisum se dederit periculum, te-
,, stantur verba. Huc, enim inquit, transeamus
,, ad stationem horum incircuncisorum, si
,, quomodo aliquid nobis faciet Dominus.
,, Quoniam non est coarctatum Domino vt
,, seruet in multis aut in paucis. Hæc autem verba sunt animæ quæ in Deo confidit. Cùm autem sic confidisset, non fuit spe frustratus. Nam cùm primum irruisset, & iaculum emisisset, & lapides esset iaculatus, fudit castra hostium. Illi enim ignorantes se inter se interimebant, vt qui essent collecti ex diuersis ciuitatibus, & se inter se inuicem habuerunt pro hostibus. Hoc Saul eminus conspicatus, cùm per vestem sacerdotalem didicisset victoriam, ipse quoque impetum fecit in alienigenas, illos videns versos. Stultè autem & insipienter subiecit anathemati eum qui cibi & potus ante vesperam esset particeps.

32 *Si stultè subiecit anathemati, curnam Deus confirmauit anathematismum. Scisciti anti enim num esset bellandum, non respondit.*

Primum quidem eum arguit qui præter rationem esset execratus. Deinde docet ne eiusmodi quidem anathemata esse contemnenda. Hic autem pius quidem erat scopus. erat enim præscriptus ac definitus ad Dei honorem. Sed oportebat considerare laborem belligerantium, & quòd erat verisimile fore vt aliqui labore cruciati premerentur siti, & cogerentur nõ stare decreto. Nam postquam mel gustasset, audiuit execrationem patris, alijs renunciantibus. Sed tamen cùm se defenderet ob ignorantiam, venit vsque ad vitæ suæ periculum. Liberatus est autem à cæde propter iustum populi patrocinium & feriam supplicationem.

33 *Quomodo sit intelligendum, Pœnitet me quòd vnxerim Saulem in Regem.* *Exc. 15.*

Sæpe diximus quòd Dei pœnitẽtia, est mutatio dispensationis. Vt iussit Saulem eligi, propter corpus spectatu dignum, non quòd ipse magnis delectetur corporibus, ipse enim est creator & paruorum & magnorum. sed populo gratificans, qui sensilibus ijsque solis vtitur oculis. Quòd enim sæpe præferat etiam parua corpora magnis, testis est Zacchæ- *Luc. 19.*
us, qui cùm paruus esset, excepit Dominum. Testis est Samuel, qui cũ esset iuuenis, dignus est habitus cui appareret Dominus. Testis est & Dauid qui & corpore & natu maioribus prælatus fuit fratribus, cùm eum Deus voluisset eligere, & semini eius regnum seruare, propter eum qui ex ipso erat nasciturus. Verbis ergo vsus est humanis loquens cum homi-
nibus, & dixit, Pœnitet me quòd vnxerim ,,
Saulem Regem, pro eo quod est, Volo alij da- ,,
re regni potestatem, facere autem vt hic à regno cesset, propter meam benignitatem, & in homines beneuolentiam.

34 *Quòd propter suam benignitatem eum priuauit regno.*

Præuidit quidem eius futura scelera & iniquitates: insidias quidem in eos qui de eo bene erant meriti, sacerdotũ cædes, iurisiurandi transgressiones, profectionem ad ventriloquam. Sufficit autem vel sola transgressio præcepti Samuelis ad ei vltimum inferendum supplicium. Oportebat enim stultum intelligere, quòd vna gutta diuinæ benignitatis & clementiæ, vincit omnem hominum bonitatem. Sed infelix, cùm Deus iussisset punire, misertus est: & cùm Deus morte damnasset, ipse, vt existimauit, vitam tribuit. Et cùm Deus iussisset, vt ex præda nihil lucri-
faceret, ipse referens plurima eaque pulcher-

rima ex gregibus & armentis & alijs omnibus, reuerſus eſt. Et ipſe quidem cùm anathemate ſanxiſſet vt nemo ſumeret cibum aut potum, illum quidem qui ex ignorantia decretum erat tranſgreſſus, voluit interimere: cùm Deus autem vniuerſorum Amalec ſubieciſſet anathemati, non propter illius in ipſum impietatem, ſed propter illius in populum maleuolentiam, non pauca ac parua aliqua, ſed plurima accepit ex anathemate. Sed neque eum Achaz caſtigauit exemplum. Non fuit ergo paruum, ſed maximum peccatum. Reuocauit ergo ei in memoriam Propheta ea quæ dicta fuerant ante regnum, ſic dicens. Nunquid tu paruus es in oculis tuis, vt ſis dux ex populo Beniamin, minima tribu Iſrael? An non, inquit, hęc dicebas? Beniamineus ego ſum, ex minima omnium tribuum Iſrael. Sed tamen vnxit te Dominus in Regem ſuper omnem Iſrael. Deinde miſit te Dominus. Deinde dicit cuiuſmodi mandata ei dederit, & quomodo ea ſit tranſgreſſus irrumpens in ſpolia. Tantum enim eum condemnauit ea qua præter legem vſus eſt miſericordia, quantum auaritia & plura habendi inſatiabilitas & amor pecuniæ, cui ſeruiens tranſgreſſus eſt mandatum. Sed Saul vſus eſt verbis Adami. Dixit enim, Propterea quòd audiui vocem populi. Nam ille quoque ſic dixit. Mulier quam dediſti mihi, ipſa mihi dedit, & comedi. Et quoniam dixit ſe in ſacrificium obtuliſſe armenta & greges, audijt à Propheta, Ecce non tam vult Dominus holocauſta & ſacrificia, quàm audiri vocem ſuam. Ecce enim auditio bona eſt ſupra ſacrificium, & obedientia ſupra adipem arietum. Augurium peccatum eſt, Theraphim & adoratio dolorem & labores inducunt. Propterea quòd nihili feciſti verba Dei, te nihili faciet Deus, vt non regnes ſuper Iſrael. Theraphim autem vertit Aquila cultum & adorationem. Augurium autem, vt opinor, tacitè innuit nonnullorum amentiam. Eſt enim veriſimile nonnullos habuiſſe ſuſpectum tanquam malum augurium, quòd qui viciſſet, prædam non eſſet lucratus. Theraphim autem poſuit pro obſeruatione. Quomodo enim Ephod dedicatum eſt Deo, & per ipſum ſciſcitantibus ſignificabatur quid agendum: ita per Theraphim ſignificabantur idolorum prædictiones. Ad illius enim imitationem hoc eis erat dedicatum. Hoc autem apertius declarauimus in libro Iudicum. Ex Aquilæ autem editione licet etiam aliud intelligere, nempe quòd Deum colere ſit præcepta implere, non dona offerre. Non eſt enim ſuſcipiendus cultus qui factus eſt præter eius conſilium, & conciliat calamitates.

34 *Cur Agag occidit Propheta.*

Sicut Phinees Zambri. Nam quod fit Deo iubente eſt pium.

Ex cap. 16. 35 *Cur Propheta inſtus timuit vngere Dauid.*

Quoniam non ſolum erat Propheta, ſed etiam homo. Si enim Prophetæ Dominus, Dominus noſter Ieſus, ſalutarem ſuſcipiens paſsionem, timore humanam oſtendit naturam, quis eſt adeò liber à paſsionibus, vt reprehendat Prophetam, qui timuerit?

36 *Audent quidam Deum reprehendere, vt qui prophetam docuerit mendacium. Accipe enim, inquit, iuuencam boum, & dices, Venio Deo ſacrificatum.*

Sed non eſt mendacium. Verè enim perfecit ſacrificium. Ei ergo dictum eſt, vt opus quidem celaret, diceret autem id quod erat præter opus.

37 *Quamob cauſam electum neſciebat Propheta.*

Quoniam non erat Deus, ſed homo. Non enim omnia ſcire eſt Prophetæ. Ignorantia autem diuinam reuelauit ſententiam. Si enim ad Dauidem rectà eſſet profectus, veniſſet in ſuſpicionem quòd hoc feciſſet ex aliqua ſubornatione. Quoniam autem venit ad primum, & ſecundum, & tertium, & deinceps ad ſeptimum, cognouerunt quòd Deus eſſet qui hos quidem ſecerneret, illum verò eligeret. Nam cùm etiam ſic facta electione, aperuerunt fratres ſuam inuidiam, fratrem conſpicati in acie: quid non feciſſent ſi non facta eſſet hoc modo?

38 *Quomodo eſt intelligendum, Spiritus malus à Domino ſuffocabat Saulem.*

Cùm diuinus receſsiſſet ſpiritus, locum eſt ſortitus malignus ſpiritus. Hinc autem docemur clamare cum Dauide, Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Sic cùm Apoſtolica gratia Iudam reliquiſſet, in eum ingreſſus eſt Diabolus. Pſal. 50. Ioan. 13.

39 *Quomodo pſallente Dauide malus ſilebat ſpiritus.*

Diuini ſpiritus gratiam acceperat Dauid. eo ergo operante per Dauidem, quieſcebat malignus ſpiritus.

40 *Quare Saul, omnibus recuſantibus ſingulari certamine congredi cum Goliath, dehortatur Dauidem ne faceret id quod alacri animo ſuſcipiebat.* Ex cap. 17.

Erat adoleſcens quatuordecim aut ſedecim annorum. Deceſsit enim ſeptuaginta annos natus. regnauit autem quadraginta annos. erat enim triginta annos natus quando interfectus fuit Saul. Prius autem dictum eſt quòd cùm duos annos rectè & ex legibus regnaſſet Saul, diuina fuit priuatus gratia. Neceſſe ergo habuit dicere ſe omni reliquo tempore de victoria fiduciam concepiſſe, quomodo cùm gregem paſceret, ſuffocauit leonem & vrſum eum inuadentes. Et erit, inquit, alienigena iſte incircunciſus, ſicut vnus ex iſtis. Nõ ibo & eũ percutiã. Quoniam, quis eſt iſte incircunciſus, & probro affecit aciem Dei viuentis. Nihil, inquit, differt à beſtia qui viuit in impietate, & qui eſt nudatus à diuino

diuino auxilio. Ego autem confido in illius auxilio. Hoc enim ſubiunxit. Dominus enim qui me liberauit de ore leonis, & de ore vrſi, ipſe me liberabit de manu alienigenæ iſtius incircunciſi. Cum ea fide profectus ſpe non fuit fruſtratus. ſed cùm eſſet nudus, vicit armatum. & qui paſcebat oues, eum qui erat exercitatus in bellis & trophæis: & qui erat paruus & iuuenis, eum qui de tanta ſe iactabat magnitudine. Vidit enim eum, inquit, Goliath, & eum nihili fecit, quoniam eſſet puer, & ipſe rufus cum pulchritudine oculorum. Imitabantur enim animi oculos oculi corporis. Illi enim acutum cernebant, & contemplabantur eum qui non cadit ſub aſpectum. Dicebat itaque, Ego ad te venio in nomine Domini Sabaoth, Dei exercitus Iſrael, quem tu exprobraſti hodie. & concludet te Dominus hodie in manibus meis: & occidam te, & auferam caput tuum à te, & dabo membra tua, & membra caſtrorũ alienigarum hodie volucribus cœli & beſtijs terræ. & cognoſcet omnis hæc eccleſia, quòd non in lancea, neque in gladio ſeruat Dominus. Quoniam Domini eſt bellum, & tradet vos in manus meas. Prophetat autem, cùm eſſet in acie, & prædicit vniuerſi orbis terræ Dei cognitionem. Cognoſcet, enim inquit, omnis terra quòd eſt Deus in Iſrael. & os quidem fundit oracula: manus autem ſe fortiter gerit, & lapide perimit alienigenam: quandoquidem hymnis & laudibus celebrat illum lapidem qui ex ipſo fuit excifus ſecundum carnem. Lapidem, enim inquit, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Porrò autem gladio quoque vſus alienigenæ, amputauit eius caput, eius qui ex ipſo germinauit ſecundum carnem præfigurans & deſcribens victoriã. Diabolus enim cùm noſtrum Dominum cruci affixiſſet, per crucem excidit à tyrannide. Et quomodo cùm Dauid viciſſet, eius exercitus fudit ac profligauit agmen alienigenarum: Ita cùm Deus noſter & Seruator Diabolum fregiſſet, quiin ipſum crediderunt, fuderunt & profligarunt phalangem Dæmonum. Pſal. 117.

41 *Cùm nondum habitaßet Hieruſalem, quomodo in eam intulit caput alienigenæ.*

Iebuſæi quidem adhuc eam habitabant. eis autem volens oſtendere, in eam intulit caput viri inſignis fortitudine.

42 *Quomodo Saul ignorauit Dauid.*

Duorum alterum eſt intelligendum. Vel quòd furore percitus non ſentiebat eum pulſantem citharam, vel quòd inuidia eum mouit vt non exactè ſciret vndenam eſſet.

Ex cap. 18. 43 *Quid eſt μανδύη.*

Eſt quoddam genus veſtis ſuperioris. exiſtimo autẽ eſſe Arcadicum. aut quod à multis nominatur mantellum. Etenim ex ijs qui dixerunt de eo qui ſignificauit Heli filiorum cædem, quòd veſtes haberet ruptas ac laceratas, Aquila dixit μανδύην διεῤῥηγμένην, id eſt, mantellum ruptum ac laceratum. Rex quoque Ammonitarum, eorũ qui ad ipſum miſſi erant à beato Dauide barbam raſit, & μανδύην abſtulit dimidiam vſq; ad amictum coxendicum.

44 *Quid eſt, Amauit ipſum anima amantis ſeipſum.*

Aquila dixit, Secundum animam ſuã. Hoc etiam lex diuina præcipit. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Matth. 5

45 *Quomodo eſt intelligendum, Spiritus malus percuſsit Saulem, & prophetauit in media domo ſua.*

Pſeudoprophetæ agitati à malo ſpiritu, ſunt ſimiles furore percitis Corybantibus. Hoc paſſus eſt etiam Saul vexatus à Dæmone. Illud autem, ppheticò poſuit per homonymiam. Nam & pſeudoprophetas nominabant Prophetas, & Deos eos qui falsò Dij nominantur. Sed ille quidem priuatus fuit diuina gratia. Dauid autem pſallens, furorem quidem leniebat Dæmonis: ſed Saulis minimè ſedauit inuidiam. Nam quo eum maiori afficiebat beneficio, eo magis properabat eum occidere. Et cùm iniecta in eum haſta aberraſſet, cognouit quidem Deum eſſe cum eo: ſed tamen perpetuum bellum in eum gerebat. De Dauide autem dicit diuina ſcriptura, quòd erat intelligens in omnibus vijs ſuis: & Dominus omnipotens erat cum eo. Sic autem nominauit ſanctiſsimum ſpiritum. Hac enim gratia erat dignatus.

46 *Curnam Dauidi inuidens, & valde infenſus, ei deſpondit filiam.*

Docuit hiſtoria ſcopum illius. Dixit enim Saul, Ne ſit manus mea ſuper ipſum. ſed erit ſuper ipſum manus alienigenarum. Et rurſus. Dabo eam ipſi. & ſit ei in ſcandalum. & erit ſuper ipſum manus alienigenarum. Erant ergo nuptiæ inſidiarum, non beneficentiæ.

47 *Quanam de cauſa petijt, non capita, ſed præputia.*

Improbè cogitans coniecit, quòd occiſis aliquibus ſui generis, afferret eorum capita. ea de cauſa iuſsit afferri ſibi præputia. Præputium enim indicat aliud genus. Omnem autem mouebat lapidem, moliens cædem ſui benefactoris. & neque beneficiorum vllam habebat rationem. neque reuerebatur iuſiurandum. Iurauerat enim Ionathæ quòd eum non eſſet interfecturus. Iurauit enim, inquit, Saul dicens. Viuit Dominus ſi morietur.

48 *Quidnam eſt intelligendum per νεκοτάφια ſeu ſepulchra inania, & iecur caprarum.*

Νεκοτάφια, hoc eſt, ſepulchra inania, Aquila interpretatus eſt effigies. & iecur caprarum veſtium multitudinem, & pilos in orbem redactos. Nam cùm iuratus Saul iuſiurandum eſſet tranſgreſſus, & haſtam immiſiſſet in Dauidem, & ille declinato impetu haſtæ, ſeceſsiſſet in domum ſuam, Michol autem noſſet patris inſidias, ei quidem conſuluit aufugere: & demiſit eum per feneſtram. eius autem lectum concinnauit in figuram ægrotantis, vt quæ veſtium quidem iniecerit multitudinem, veſtibus autem ſuppoſuerit pilos in or-

in orbẽ redactos,vt imitarentur caput. Nonnulli autem intellexerunt effigies, imaginem Dauidis,& eam dixerunt fuisse coopertã vestibus,præter aliquas partes vultus. Fuisse autem suppositum iecur caprarum, vt eius qui moueretur figuram efficeret verisimilem. Aiunt enim iecur caprarum diu moueri. Tanta autem perpetuò eius fuit inuidia, vt etiam cùm accepissẽt eum ægrotare, iusserit ipsum adduci vt occideretur. Postquam autem cognouit eius fugam, non secus ac venatores canes eum assiduè inuestigabat. Et componit quidem Michol super cubile vestes imitantes hominem decumbentem. ea enim nominauit κενοτάφια, seu sepulchra inania. Quomodo enim inane sepulchrum videtur quidem habere mortuum, sed non habet: ita etiam quod per vestes erat compositum, videbatur quidem esse Dauid agens animam, sed non erat. Ponit autem etiam in medio vestium iecur capræ recens occisæ, vt ferat imaginem ventris hominis, & motum quodammodo imitetur respirationem. Satis enim mouetur etiã post cẽdẽ eiusmodi iecur. Quinetiã pilos in orbẽ redactos posuit ad eius caput, cùm ex pilis qui ddã effecissẽt rotundũ ad similitudinẽ humani capitis. & omnia operuit vestibus, vt esset ei probabile dicere quòd Dauid egrotans decumbit coopertus.

49 *Cur qui fuerunt ab ipso missi ad Dauidem & Samuelem prophetarunt, & ipse quoq; postea.*

Diuersæ sunt venandi rationes Domini. Nam alios quidẽ venatur per homines: alios autem erudit cæcitate. hoc enim factũ est tempore Elisæi. alios autem cepit per gratiã propheticam: & prohibuit occidere Dauidem. Sed neq; hoc sedauit eius animũ spirantẽ cẽdis. Bis enim misit ad eum, & cùm rursus diuina accepissẽt vincula, alios adhuc misit. Et cũ hi similiter retenti essent à gratia, ipse postea abijt, & est ipse quoq; assecutus vincula benignitatis & clementię. sed prophetauit quidẽ, verùm non similiter atq; alij. erat enim indignus gratia. Quamobrem nudatus veste iacuit toto die. significabat autem figura regni ablationem.

Ex cap. 20. 50 *Quamobrẽ Ionatham volens significare Dauidi insidias patris, id significauit per tela aut iacula.*

Nonnulli dicunt, propter famulum qui erat simul cum eis, ne cognosceret quæ significabantur. Sed erat ei facile ad eum solum accedere. Habet ergo alium scopum id quod factum est. Ne enim esset perspicuum eum indicare amico cædis spirantem patris animum, sagittandi simulat exercitationem. Et verbis quidem suis ad famulum ænigmaticè Dauidi significabat fugam. Cùm autem armigerum cum armis præmisisset in vrbem, & ea quæ dicta sunt significauit, & vt fugeret consuluit, & ei regni futuram prædixit potentiam, & de regno pacta conuenta cum eo inijt. Illud autem Tertiabis, ponitur pro, Tres dies expectabis. Nam cùm die Lunę coniecissẽt Saul recusasse conuiuium Dauidem, vt qui non esset mundatus nec purgatus, Nihil locutus est, inquit, Saul illo die, quoniam dicebat: Videtur accidisse aliquid vt non sit mundus, propterea quòd non fuit mundatus. secundo autem die interrogauit, cur non adesset filius Iesse & heri & hodie ad mensam. Tertio autem significauit Ionatham ea quæ prius dicta sunt. Tertiabo autem, id est, tres emittam sagittas. Sagittas autem, nempe ἰὸ βέλη scilicet, nominauit Aquila. Mataram autem in Hebraicorum nominum interpretatione sic inueni positum, apud Græcos quidem τάφον, apud Romanos autem fossam, apud Syros verò scopum, in quem qui exercentur iacula mittere consueuerunt. Agaf autem Aquila interpretatus est, Iuxta locum meridionalem. ego autem arbitror ita fuisse vocatum locum aliquem concauum. Dixit enim historia, Et Dauid surrexit ab Agaf, & cecidit in faciem super terram.

51 *Quomodo passus est Dauid vt esset sanctorum panum particeps.* 1. Reg. 21.

Ne tunc quidem fuit reprehensus. Sed & Dominus in Euangelijs eum liberauit à reprehensione. hoc enim dixit ad Discipulorum suorũ defensionem. Prius autem significat, eorum qui solis sacerdotibus distributi fuerant propositionem, esse mysticam mensam pijs proponendam. Non enim ij soli qui sunt consecrati, sunt participes Dominici corporis & sanguinis, sed omnes qui sunt sanctum assecuti baptismum. Mar. 2. Luc. 6.

52 *Quid est, Si hæc via prophana, hodie sanctificabitur per vasa mea.*

Cũ Sacerdos rogaret an illo die castus esset, dixit tres dies fuisse castum. & adiecit propter viam propositam necessario erit particeps sacri alimenti, vt ab eo roboratus quæ sunt ei ꝓpposita rectè gerat. Non ꝓphanũ autẽ est & sanctum, ꝙ est sacerdotibus assignatum. Prophanũ autẽ ꝙ alijs omnibus est attributũ. Vnde etiam Aquila non dixit prophanũ, sed laicũ. Hoc est, Etsi non sum sacerdos, propheticam tamen gratiam sum assecutus. Existimo enim hoc significare, Sanctificabuntur propter vasa mea. Vasa enim eius & armatura donum erant spirituale.

53 *Quid est, Qui cõtinebatur Neazar corã Domino.*

Hoc nomẽ coarctationẽ tentationis & minarũ, inueni interpretatũ in libro nominũ Hebraicorũ. Est ergo perspicuũ ꝙ Doec vexabatur ab aliquo Dęmone, aut tenebatur aliquo morbo. & ea de causa diuino assidebat tabernaculo. Sed sceleratus nõ solũ significauit Sauli omnia quę dicta & data fuerant ab Abimelech: sed etiã omnes occidit sacerdotes. Hæc Saulis cędes fuit omnibus alijs peccatis magis impia. Nã cũ Deus iussisset vt penitus perderet Amalec, non solũ seruauit Agag, sed etiã quęcunq; erãt digna quæ possiderẽtur. Sed cùm sola eum mouisset ira, non solum occidit sacerdotes, sed etiam cũ ipsis viris ciuitatem, vt qui iusserit vt nõ adolescẽs, nõ infans, nõ muliercula esset salua. Digni aũt laude sunt satellites Saulis. Neq; enim cũ rex iussisset, toleraverunt inquinare manus cędę sacerdotũ. Doec autem

autem hanc impiam fecit cædem, & occidit trecentos & quinquaginta sacerdotes. Adiectum est autem, Omnes portantes ephod, ad maiorem reprehensionem eius qui id ausus est. Non erant enim Leuitæ, sed ex sacerdotali radice genus ducebant.

54 *Curnam epilepsiam simularit Dauid.*

Saulem fugiens aufugit in Geth. Non enim existimabat futurum vt esset manifestus. Sed postquam sensit eos nosse quòd ipse interfecisset eorum præcipuum defensorem ac bellatorem, se insanire simulans euasit periculum mortis. Diuina autem scriptura ostendit eius pietatem. Semper enim Deum scisciatans, & aciem instruebat & quiescebat. Cùm itaq; resciuisset Saulem accedere, vt qui nosset eum degere Coilæ, scisciatus est num eum essent dedituri, & cùm ex eo didicisset eos esse dedituros, migrauit in alium locum. Illud autem Ambulabant, errantem fuisse significat. Aliquando enim considebat in Iudæa: aliquando verò in solitudine. In Maserom autem cæteri interpretes sunt interpretati, In speluncis munitis. Porrò autem Ionatham ostendebat se ardenter esse affectum in Dauidem. Nam cùm pater eius spiraret cædem, & eum venari cuperet, non tulit stimulum desiderij, sed venit vbi degebat. & cùm prædictione regni ei animum addidisset, pacta conuenta rursus confirmauit. Ceni autem Aquila interpretatus est syluam. Baad autem collem. In deserto autem subiecto, vertit In planis. Dominus autem ostendit suam quoque eius curam. Nam cùm Dauidem esset capturus, incursione alienigenarum eius cursum vinxit ac represit. Nam cùm hoc sciuisset Saul, est reuersus. 1. Reg. 23.

Ex cap. 24. 55 *Quomodo est intelligendum illud, Ingressus est Saul in speluncam ad deponendum.*

Septuaginta honestè sunt interpretati. Aquila autem hoc dixit apertius. Ingressus est, enim inquit, ad exinaniendum. Iosephus autem, Ad naturalem faciendum excretionem. Erat autem maxima spelunca: habebat autem intus & Dauid, & eos qui cum ipso erant latentes. Aperuit autem hic quoque Dauid suã philosophiam. Nam cùm ij qui cum ipso erant tentassent interficere Saulem, cædem quidem prohibuit dicens. Nequaquam mihi à Domino vt inferam manũ meam in ipsum, quoniã est Christus Domini. Chlamydis autem oram dissecuit, ad conuincendam quidem eius stultitiam, ostendendam autem illius philosophiam. Docuit autem nos historia vires modestæ & temperantis cogitationis. Percussit, enim inquit, Dauidem cor eius, quòd abstulerit oram chlamydis eius, Pro eo quod est, Eo vsque concessit progredi, prohibuit autem vlterius. tentauit autem placidis verbis mederi eius inuidiæ, & iram extinguere. Cur audis, inquit, verba populi, dicentium. Ecce Dauid quærit animam tuam in malum. In hac quidem hora viderunt oculi tui, quòd tradidit te Dominus Deus in manus meas hodie: neque volui te occidere, & tibi peperci, & dixi. Non inferam manum meam in Dominũ meum, quoniam is est Christus Domini, & pater meus. Quis non admiretur virtutem Prophetæ? Insidiatorem vocauit patrem & Dominum, qui regni acceperat consecrationem per manus impositionem. Vt verba autem confirmaret, ostendit oram vestimenti. vt cùm cognouissẽt philosophiam, reuererentur beneficentiam. Et ecce (hoc enim dixit) & cognosce hodie, quòd non est in manu mea malitia, neque contemptus, neque impietas: neque in te peccaui.

56 *Quomodo intelligenda est parabola, Ab iniquis egredietur delicta, & manus mea non erit super te.*

Et se & sua voluit à diuino pendere iudicio. Dixit enim. Iudicet Dominus inter me & te. manus autem mea non erit super te. Deinde adiecit parabolam. Ea autẽ ostendit quòd iniquorum est peccare. eorum autem qui sunt eruditi in philosophia, ferre delicta. Immoderata autem vsus moderatione, se vocat mortuum & canem fœtentem, vt summa mansuetudine cor durum emolliret. Statim ergo ille ictus confessus est beneficium. Dixit enim Dauidi. Tu es iustus super me: quoniam tu retribuisti mihi bona: ego vero retribui tibi mala. Et quæ deinceps sequuntur, ad laudem eius pertinent. Et post laudes ei regni potestatem prædicens ac significans, Noui, inquit, quòd regnans regnabis, & stabit regnum Israelis in manu tua. Rogauit & vt genus suum ei esset curæ quam erat assecutus. Iura enim inquit, mihi per Dominum, quòd non perdes semen meum, & non delebis nomen meum ex domo patris mei. Et iurauit Saul Dauidi. Tanta est vitij imbecillitas. Qui erat Dux & imperator tam multorum millium, rogabat fugitiuum. & qui erat cum multitudine militum, rogabat eum qui aufugiebat, vt ipsum impertiret benignitate ac clementia.

57 *Quamobrem is qui in Saulem tantam ostendit lenitatem & patientiam, Nabalem tentauit occidere.* Ex cap. 25.

Iste enim multis beneficijs sæpe fuerat affectus. Nam cum pastoribus versans in solitudine, non solum prohibuit suos aliquid auferre ex ijs quæ ad ipsum pertinebant, sed etiam repulit damna quæ aliunde ei afferebantur. Hoc enim pastores docebant Abigail. Valde boni nobis fuerunt viri: & neque nos prohibuerunt, neque nobis imperarunt omnibus diebus quibus fuimus apud ipsos, & dum essemus in agro, fuerunt circa nos tanquam murus, & interdiu & noctu omnibus diebus quibus fuerunt nobiscum. Atq; tanta quidem fuerunt eius beneficia: postulatio autem erat moderata, & significans egestatem rerum necessariarum. Inueniant, enim inquit, pueri tui gratiam in oculis tuis: quoniam in bonam horã venimus. Da quod inuenerit manus tua pueris filij tui Dauid. Quid differunt hæc verba à verbis quibus vtuntur mendici? Sed vir ferus non modo non dedit, sed etiam irrisit. Quis est, enim, inquit, Dauid, & quis filius Iesse. Hodie permulti sunt serui

,, ſerui qui aufugiunt à facie Dominorum ſuorum. Recordatus ergo Dauid illorum beneficiorum, auditis his conuitijs & contumelijs, magno impetu venit armatus. Cogitabat enim quòd Saul quidem occaſionem & irritamentum iniuriæ habet potentiam & regni inuidiam, iſte autem nullum habens prætextum arrogantiæ, aduerſus eum extremis vſus ſit maledictis.

58 *Cur cùm iurasset se eum & qui cum eo erant occisurum, transgressu est iusiurandum.*

Nam iuſiurandum quidem eſt iuſtæ iræ: pepercisse autem est sapientis & moderatæ cogitationis. Accepta enim Abigail ſupplicatione, extinxit irã. Melius enim erat transgredi minarum iuſiurandum, quàm tantam cædem facere. Ephi autem Aquila interpretatus eſt ſatum. Gomor autem dicit eſſe æqualẽ menſuræ Ephi. Didicimus autẽ hoc quoq; ex prophetia Ezechielis. Nomẽ autem Nabal ſi transferatur in linguam Græcam ſignificat τὴν ἀφροσύνην, id eſt, inſipientiam. hoc enim ſignificauit Abigail, & liber nominum Hebraicorum. Sic autem dixit Aquila. Nabal eſt nomen ei, & cum eo eſt effluxio. Habet autem eundem ſenſum. effluente enim & extincta vi rationis, ſuccedit affectio inſipientiæ. Illud autem, Sicut prohibuit Dominus ne tu venias ad ſanguinem innocentem, & ſeruet manum tuam tibi, dixit pro eo quod eſt, Ne odio & abominatione replearis ex cæde. Et
,, illud, Non erit tibi abominatio, Compunctio
,, vertit Aquilã. Significat autem ſtimulos conſcientiæ. Baruc Dominus autem vertit, Benedictus Dominus. Quod autem dictum eſt
,, à Dauide, Benedicta es tu, quæ me prohibui-
,, ſti hodie ne venias ad ſanguinem, & vt ſeruem manum meam in me, exiſtimo eſſe erratum ſcripturæ. Alij enim interpretes dixerũt, non, vt ſeruem quod Græce eſt, καὶ σώσω, ſed μὴ μυσῶσω, hoc eſt, Ne ſim particeps abominationis, id eſt, ne ſim abominabilis. Carmelum autem Euſebius Cæſarienſis hic dixit non eſſe montem, ſed vicum quendam, qui vſque in hodiernum diem ſic nominatur, in quo aiunt habitaſſe Nabalem.

Ex cap. 26. 59 *Quid est, Saul dormiebat ἐν λαμπαδίνῃ, in Lampine.*

Lampine quidem eſt genus currus, ſicut etiam ἁπήνη apene. ſed id quod dicitur, ſignificat ipſa rotunditate in medio exercitus decubuiſſe Regem, & vndique fuiſſe munitum à ſtipatoribus. & hoc exiſtimo eſſe verius. Dixit enim, inquit, Dauid ad Abimelec Chettæum, & ad Abiſai filium Saruie, fratrem Ioab,
,, dicens. Quis veniet mecum in caſtra ad Sau-
,, lem? Hoc enim ſignificauit oratio quòd Rex dormiret in medio exercitu. Sed ingreſſus quidem eſt audacter, in ſilijt autem modeſtè ac temperanter. & cùm vinctum accepiſſet Regem, non occidit. Sed & Abiſai hoc volentem facere prohibuit. Ei enim dixit, Ne
,, eum interimas. Quis enim inferet manus in
,, Chriſtum Domini, & erit innocens?

60 *Quomodo est intelligendum, Nisi Dominus percusserit eum, aut veniat dies eius & moriatur.*

Illud, Dominus percuſſerit eum, ſignificat plagam à Deo immiſſam, quam etiam ſuſtinuerunt primogenita Aegyptiorum: & populus in deſerto ſæpenumero, & Nabal Carmelitanus. Dies autem eius venerit, ſignificat mortem ſecundum naturam, quæ cognoſcitur ſua natura, vel ex abundantia, vel ex defectu alicuius ex ijs qui inſunt nobis humoribus. Quæ autem accidit in bello, eſt magis violenta. Occiduntur enim qui ſunt robuſtis corporibus. Illud autem, Accepit haſtã & aquæ lenticulam Dauid, mirabiliter, vt rurſus collatum oſtendat beneficium. Vbique autem ſcriptor diuinam prædicat prouidentiam. Nam cùm dixiſſet quòd omnes dormiebant ſubiunxit, Stupor Domini cecidit ſuper eos. Sunt autem admirabilia etiam ipſa
,, Prophetæ verba. Oſtendit enim quam impij Regis gerebat curam. Viuit, enim inquit, Dominus, quòd filij mortis eſtis, qui
,, non ſeruatis Dominum noſtrum Regẽ Chriſtum Domini. Et præterea cùm dixiſſet, quòd ingreſſus eſt quidam ex populo ad occidendum Dominum meum Regem, oſtendit haſtam & lenticulam. Cùm autem fraudulentus & ſceleratus Saul, voce agnita dixit, Vox ne
,, tua hæc ò fili Dauid, reſpondens vir diuinus
,, dixit, Vox mea Domine mi Rex. & qui erat regiam conſecutus conſecrationem & ſpiritalem gratiam, ſeipſum nominabat ſeruũ eius qui priuatus erat gratia. Deinde leniter repre hendit eius cædis deſiderium, Cur perſequitur Dominus meus Rex ſeruum ſuum. Quid
,, peccaui, aut quod in me inuentum eſt vitium.
,, Et nũc audiat Dominus meus Rex verba ſerui ſui. Si Dominus te in me incitat, odoretur
,, ſacrificium. Si autem filij hominum, execrati
,, ſunt ipſi coram Domino. Dixit etiam cauſam
,, cur eos eſt execratus. Quoniam eiecerunt me
,, hodie ne ſtabiliatur hæreditas Domini dicen
,, tes, Vade, & ſeruì Dijs alienis. Hoc autem non
,, dicebant verbis, ſed rebus cogebant facere. Eum enim vndique expellentes, afferebant neceſsitatem vt confugeret ad munitas vrbes alienigenarũ. Reddidit autẽ & haſtam & lenticulam: & iuſto iudici ſuũ dicauit iudicium.

61 *Cur cùm antea scripsisset de decessu Samuelis, eius rursus meminit.* Ex cap. 28.

Narraturus de ventriloqua, neceſſe habuit meminiſſe deceſſus Samuelis.

62 *Quomodo intelligere oporteat de ventriloqua.*

Nonnulli dicunt eam verè retuliſſe Samuelem. Nonnulli autem hoc quidem refellerũt. Dixerunt autem quendam Dæmonem oſtendiſſe figuram Samuelis, & dixiſſe quæ ſæpe audierat dicentem Samuelem, ignoraſſe autem diem mortis Saulis. Ego autem primum quidem exiſtimo eſſe impium. exiſtimo enim mulieres necromanticas ne quamlibet quidem reducere animam, tantum abeſt vt Prophetæ, & tanti Prophetæ. Eſt enim perſpicuum quòd in aliquo alio loco degunt animę, expectantes reſurrectionem corporum.

Eſt er-

Eſt ergo valde impium credere vẽtriloquam habere vim tantam. Secundum autem eſt amentiæ potius quàm impietatis. Tentantes enim euertere impium illud dictum, exiſtimauerunt falſam fuiſſe prædictionem. & ideo eã attribuerunt mẽdacij magiſtris Dæmonibus.
1. Paralip. 10. Ego autem legens librum Paralipomenon,
,, inueni eum ſic dixiſſe qui ſcripſit hiſtoriã. Et
,, mortuus eſt Saul in ſuis iniquitatibus, in qui-
,, bus iniquè ſe geſsit Domino ſecundũ eloqui-
,, um Domini: propterea quòd ipſum nõ cuſtodiuit. & quòd interrogauit Saul in ventrilo-
,, qua vt exquireret. Et reſpõdit ei Samuel Pro-
,, pheta: & non exquiſiuit in Domino, & occidit
,, eum. Hinc eſt ergo perſpicuũ quòd ipſe Deus vniuerſorum, efformata vt voluit ſpecie Samuelis, protulit ſententiã, cùm hoc non potuiſſet facere ventriloqua, ſed Deus, & minimè protulit ſentẽtiam per aduerſarios. Audimus
Num. 12. enim eum dicentem. Et ſi abierit ad pſeudoprophetã, ego Dominus reſpondebo ei. Ita et-
Num. 22. iam per Balaã benedixit populo. & per impium vatem prædixit futura, & orbis terræ præ-
nuntiauit ſalutem, non execrando eloquente ſpiritu, ſed ſanctiſsimo ſpiritu operãte. Quoniam autem quidã exiſtimant falſam eſſe prædictionẽ, exiſtimo conducibile de hac re breuiter diſſerere. Prius enim dixit ſcriptor quòd in illis diebus alienigenę cogebant exercitum
,, aduerſus Iſraelem. & exeunt & caſtrametan-
,, tur in Sunam. & cogit Saul omnem virum Iſ-
,, raelitã, & caſtrametantur in Gelboe. Et vidit
,, Saul caſtra alienigenarũ, & timuit & exceſsit
,, valde cor eius. & rogauit Saul per Dominum.
,, & non reſpondit ei Dominus, nec in ſomnis,
,, nec in δήλοις, nec in Prophetis. Δήλους autem vocauit reſponſa quæ ſignificantur per
,, Ephod. Et dixit famulis ſuis. Quærite mihi
,, ventriloquam. timebat, enim inquit, & emotum erat cor eius valde. Cùm abijſſet ad ventriloquam, & à Deo accepiſſet ſentẽtiam, ſtatim cecidit. Cùm neque noctu comediſſet, quando clàm relicto exercitu, ventriloquam ſciſcitaturus acceſsit, & neque per totum diem cibum ſumpſiſſet, per mulierem accepta conſolatione cœnauit. & noctu peruenit ad exercitum. hoc enim docuit hiſtoria. Et appoſuit coram pueris ſuis, & comederunt. & ſurgentes abierunt nocte illa. Deinde orta luce commiſſum eſt prælium. Vera ergo fuit prædictio, Tu morieris, & Ionatham filius tuus tecum: & caſtra Iſraelis dabit Dominus in manus inimicorum ſuorum. Eorum autem nihil prædixerat Samuel cùm eſſet ſuperſtes: ſed ſolius regni priuationem: Ionathæ autẽ nullam fecerat mentionem: hic autem & ipſius prædixit interitum, & ſtragem populi, & victoriam alienigenarum. Sed ſuſpicantur plures interceſsiſſe dies, cùm repetierit ſcriptura narrationem belli. & nolunt conſiderare, quòd cùm Samuelis mortem antea dixiſſet hiſtoriographus, dixit eã rurſus poſt multas narrationes,
,, Et Samuel eſt mortuus, & planxit eum totus
,, Iſrael. Et ſepeliunt eum in Harmatha ciui-
tate eius. Repetijt autem hanc narrationem, vt, ſicut dixi, narraret de ventriloqua. Ita etiam de bello repetijt, vt doceret quomodo Satrapæ alienigenarum prohibuerunt ne Dauid ſimul cum eis deſcenderet in aciem: & quomodo cùm veniſſet Ceilam, eam inuenit dirutam ac euerſam. & quòd perſecutus Amalecitas eos expugnauit, & præter paucos omnes proſtrauit. & prædam omnem reduxit tam ſuam quàm illorum. Cùm primum ergo hanc impleſſet narrationem, repetijt inſtitutam orationem de bello alienigenarum: & docuit quomodo Ionatham & Saul fuerunt interempti. Tempori autem fert teſtimonium & ſecundi libri Regum initium. Factum eſt, inquit, poſtquam mortuus eſt Saul, ,, 2. Reg. 1.
,, & Dauid reuerſus eſt percutiens Amalec, &
,, ſedit Dauid in Sicelec. Et factum eſt ter-
,, tio die, vir venit ex caſtris populi qui erat
,, cum Saule: & veſtes eius erant laceratæ: &
,, terra ſuper caput eius. Cæterùm exiſtimo
,, neceſſarium rurſus ſummatim dicere quæ dicta ſunt. Cùm cogeretur exercitus alienigenarum, Satrapæ non lubenter viderunt Dauidem, & ægrè ferentes perſuaſerunt vt Dauid dimitteretur tanquam hoſtis. Reuerſus autem inuenit vaſtatam Ceilam. Statim ergo profectus, inuentos cum ſpolijs Amalecitas genio indulgentes & delitijs, vi ſuperauit, & cum ſuis opes illorum reportauit. Cùm hæc fierent, Saul relictis caſtris confugit ad ventriloquam. Accepta autem ſententia poſt cùm dolore cœnaſſet, per totam quidem noctem iter eſt ingreſſus. mane autem peruenit ad exercitum. Deinde commiſſo prælio fuit interfectus. Vera ergo fuit prædictio. fuit enim diuina, vtpote quæ per Samuelem, vt arbitror, facta fuerit. Nam illa quidem dixit quam aſpexit figuram. Saul autem ex figura coniecit eſſe Samuelem. Hiſtoria autem eum qui viſus eſt nominat Samuelem, propterea quòd ſic crediderit. Ita etiam Angelos qui Abrahæ apparuerunt, & Geneſi 18.
illorum Dominum, nominauit viros, quandoquidem eos ita eſſe arbitratus Patriarcha menſam appoſuit. Ita etiam eos qui non ſunt Dij Deos nominat etiam Deus noſter qui eſt ſupra omnes Deos. Ita etiam hic eum qui viſus eſt in figura Samuelis Samuelẽ vocauit. vt cùm fideliter accepiſſet ſententiam, gemens excederet è vita. Quidam dicunt quòd quę per ventriloquas reduci videbantur animæ, reducebantur pedes ſurſum habentes: alij autem, quòd ſupinæ, vt qui ſepeliuntur. Et ideo ventriloqua cùm vidiſſet Samuelem rectum aſcendentem, obſtupuit, & dixit, Ego video Deos. eſt autem veriſimile poteſtates
,, quoque ſanctas & diuinas circa eum fuiſſe, glorificante Deo ſuum Prophetam. vt etiã vera viderentur quæ erant ab eo prædicẽda. Dictio autem Cras, nõ ſolum ſcit ſignificare diem qui deinceps ſequitur, ſed etiam nonnunquam eũ qui eſt proximus ei qui ſignificatur. Nam & hodie & nunc accipiuntur non ſolum

de tempore præsenti, sed etiam extenduntur vlterius.

63 *Vndenam ventriloqua Saulem cognouerit.*

Erat facile Dæmoni qui populum decipit docere quisnam loqueretur.

64 *Cur Dauid non fuerit in acie cum Alienigenis.*

Quòd autem Dauid non fuerit in acie cum Alienigenis, existimo fuisse diuinæ dispensationis. Neque enim neglexit pereuntem populum. sed & Saulis omnem curam gessit.

65 *Cur Deus permisit vt eorum vxores & filij abducerentur in captiuitatem.*

Vt reuersi expeditionem facerent aduersus Amalecitas, & conuenienter diuinę prędictioni eos penitus perderent. & præterea vt plurimam amicitiam significaret suis contribulibus, & eos ad maiorẽ attraheret beneuolentiam. Agmen autem Hebræus vocat Gadur, quod alibi interpretatur agmen piratarum. sic aũt vocatur cœtus latronum. Viros autem ministros qui ex itineris cursu erãt infirmi, mansisse dicit Aquila. Quibus quidam improbi nolebant tribuere partem conuenientem. sed rex iustissimus non solum non dedit, sed etiam legem constituit vt qui ferunt sarcinas & impedimenta & apud ea manent, æqualem habeant partem cum ijs qui sunt in acie. Sciendum est aũt quòd Aquila sequens Hebræum, non diuisit primũ librum à secundo Regum, sed ex duobus vnum fecit.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,
IN LIBRVM SECVNDVM REGVM.

1 *Quidam reprehendunt Dauidem quòd eũ interfecerit qui mortem Saulis ei significauerat.*

ADmirari, non autẽ vituperare propterea oportet & Prophetã & Regem. Maleuoli enim & ei infesti viri audita cæde, luxit, & non solum luxit, sed etiam acerbè est lamentatus. Qui autem significauerat, nulla affectus iniuria morti insultabat ac irridebat, idque cùm non solũ cecidisset Saul, sed etiã Ionatham, qui erat laude dignus, & cum illis maxima pars exercitus. Verbis quoque addiderat mendacium, se nominans occisorem Saulis. Ad hæc accedit quòd erat etiam Amalecita, in quem vniuersorum Deus iam olim tulerat sentẽtiam mortis. Sunt autem etiam admiratione digna ipsa
,, Prophetæ verba. Quomodo, inquit, non dubitasti inferre manum tuam, vt interficeres
,, Christum Domini? Sanguis tuus super caput
,, tuum, quia os tuum respondit aduersus te di-
,, cens, Ego morte affeci Christum Domini.

2 *Quid est χλιδὼν.*

Est ornamentum aureum quod imponitur brachijs, aut carpis manuum. Hoc hic quoque significauit dicens, Et χλιδόνας, qui erat in brachijs eius. Vnde Aquila id vocauit brachialia.

3 *Qua de causa luxit Propheta.*

Multa erant quæ faciebant vt lugeret. Ionathę desiderium. amor in populum. victoria impiorum alienigenarum. & præterea cædes Saulis. Quem enim reuerebatur viuum, multo magis miseretur mortui. Hoc etiam docet
,, historia. Et planxerunt, & fleuerunt, & ieiuna-
,, runt vsque ad vesperam, propter Saulẽ, & pro-
,, pter Ionatham filiũ eius, & propter populum
,, Iuda, & propter populum Israel, quoniã percussi sunt gladio.

4 *Quisnam sit liber rectus.*

Hinc est perspicuum quòd liber Regũ sit conscriptus ex multis libris propheticis. Nam cùm dixisset scriptor de luctu subiunxit, Ecce scripta sunt & in libro recto.

5 *Quomodo sit intelligendum, Diligenter considera de mortuis tuis vulneratis.*

Ne paruam, inquit, nec minimi momenti existimes esse acceptam plagam: sed considera quinam sunt qui ceciderunt, nempe Rex, & filius Regis, & optimi ac præstantissimi eorum qui sunt eiusdem generis. Quòd autem eum valde angeret animi motus, testãtur quę
,, sequuntur. Ne abeatis in Geth, neque annun-
,, cietis in vijs Ascalonis, ne lætẽtur filiæ alieni-
,, genarum, neq; exultent filiæ incircuncisorũ.

6 *Quamobrem est malè precatus montibus Gelboe.*

Hoc quoque indicat summum dolorem. Quomodo enim qui aliqua parte corporis sunt malè affecti, aut parieti, aut lecto manus allidunt, propter stimulos doloris: Ita etiam vir diuinus nimia ardens animi ægritudine, malè precatur inanimis montibus.

7 *Quidam irridentes quod dictũ est de Ionatham, Insuasit amor tuus in me, sicut amor mulierum.*

Quàm sunt stulti quibus hoc accidit? Oportebat enim eos intelligere, quòd volens ostendere vehemẽtiam & sinceritatem amoris, eam adduxit similitudinem. Tanta est enim viri affectio in mulierem, vt dicat lex de ma- *Genes. 2.*
trimonio, Propter hoc relinquet homo pa- ,,
trem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & e- ,,
runt duo in carne vna. Hoc etiam ostendit ,,
Elcana, qui Annam consolans vxorem, Non *1. Reg. 1.*
sum, inquit, tibi bonus supra decẽ filios. Quo- ,,
modo ergo eos qui sunt coniuncti lege matrimonij coniunctio efficit vnam carnem: ita etiam eorum qui sincerè amant animas vnit affectio.

8 *Cur Deus iusserit Dauidi vt primum ascenderet in Hebron.* *Ex cap. 2.*

Verum

Verum quidem scit is qui iusit. ego autem opinor, propterea quòd Patriarchæ in illa ciuitate & viui habitarint, & mortui fuerint sepulti. & præterea propter aliud. Ex tribu Iuda erat Dauid. Huius autem tribus illo tempore metropolis erat Hebron. Hierusalem enim tenebant Iebusæi. Tribus autem Iuda Dauidẽ, vt qui ex ea esset tribu, diligebat plus quàm alios. Quòd autem inter alios primas partes teneret Hebron, docet historia. A-
,, scenderunt, enim inquit, & habitarũt in ciui-
,, tatibus Hebron. Quòd autem secundũ quo-
,, que sit verum, ostendunt quæ sequuntur. Et
,, veniunt viri Iuda, & vngunt illic Dauid Re-
,, gem super tribum Iuda. Vngunt autem posuit pro eligunt. Diuino enim oleo eum vnxerat diuinus Propheta. Abner autem contrà creauit Regem Memphibosethi filium Saulis, quem alij interpretes nominant Isbaal. & relictis Rama & Gabaon Saulis habitaculis, transmisit Iordanem, & quæ vocabantur castra ciuitatem effecit regiam. Dauid autem semel quidem fuit vnctus à Samuele. bis autem fuit pronunciatus Rex. primũ quidem suffragijs tribus Iuda in Hebron. septem autem annis postea à cæteris tribubus.

9 *Quomodo est intelligendum quod dictũ est ab Abner, Surgant omnes pueri coram nobis, & ludant.*

Proposuit certamen bellicum præstantissimis iuuenum. Ludum autem appellauit eorum cõgressum ante commune & maximum, singularis certaminis faciens periculum. Numero autem tribuum pares collecti sunt ex vtroque exercitu. Eorum autem cædes non represit congressum certaminis. Fusis autem aduersarijs, cùm Abneris quidem exercitus celerrimè fugeret, Ioab autem magna vi persequeretur, Azael minimus natu fratrum Ioab, cùm esset velocissimus, & vel cum velocissimis certaret animalibus, nullum quidem alium persequebatur, solum autem Abnerem cupiebat confodere. Ille autem, etiamsi Azael eum persequeretur, ipsum benignè admodũ & amicè admonuit vt iram suam effunderet in aliquem alium ex fugientibus militibus, & eum non perimeret, sed solum arma caperet, vt sui laboris aliquem fructum caperet. Cùm autem vidisset eum non parere, placidè ei est minatus. Recede à me ne te humi prosternam. Et quomodo sustollam faciem meam ad Ioab fratrem tuum? Postquam autem vidit eum cædis suæ esse auidum, eum gladio confodiens, & cursum represit, & vitã ei abstulit.

10 *Quomodo est intelligendum, Num ad contentionem comedit gladius?*

Abneri fugientes milites, confugerunt in quendam collem. Ioab autem cum suis parabat eos aggredi. Rursus ergo prudenter &
,, placidè alloquitur. Nũ ad cõtentionem com-
,, edit gladius? Nescis quòd amara sunt extre-
,, ma? Et quousque non dicis populo vt reuertatur à persequẽdis fratribus suis? Et ei in memoriam reuocauit cognationem, vt cognatos reprimat, & belli mutationes. Sæpe enim vincuntur qui vincũt: & qui persequuntur, fugiunt. alioqui est, inquit, iniquũ, vt qui vincunt, interitum victis afferant. hoc enim significat illud, Num ad contentionem comedit gladi- ,,
us? His cessit verbis, & canes receptui, repressit persecutionem.

11 *Cùm lex prohibeat ne mulier quæ discedit à viro, & coniungitur alij, reuertatur ad priorem maritum, quomodo beatus Dauid in animũ induxit rursus accipere Michol quæ nupserat alteri?* *Ex cap. 3.*

Lex iussit ne ea quæ à viro erat dimissa, & alij coniuncta, reuerteretur ad priorem maritum. Hoc enim Deus significauit etiam per *Hiere. 3.*
Hieremiam Prophetam. Sic enim dixit, Si vir ,,
dimittat vxorem suam, & vadat, & sit vxor al- ,,
teri, ne reuertens reuertatur ad eum amplius. ,,
non polluta polluetur mulier illa. Tu autem ,,
fornicatus es in multos pastores, & reuersa es ,,
ad me, dicit Dominus. Sed Rex Dauid non di ,,
miserat Michol. sed pater illius eã iniquè abductam à coniuge, alij dederat. Vis ergo erat matrimonium, & quæ cum illo fuerat coniunctio. hoc enim etiam diuinus dixit Aposto- *Rom. 7.*
lus. Viuente ergo viro appellatur adultera, si ,,
iungatur alteri viro. Ipsa autem inuita coniun ,,
cta fuerat alteri. Dauid ergo nõ est legẽ transgressus: sed qui eam coniunxit alteri. Neque enim fuit matrimonium præter leges contractum. Violentiæ autem patris ignoscens Dauid, rursus accepit vxorem.

12 *Qua de causa Ioab occidit Abnerem.*

Prætextum quidem habebat cædem Azaelis, causam autem inuidiam. Sciebat enim fore vt ille præesset exercitui, qui vniuersum Israelem adducebat ad Regem. Imperandi ergo desiderium eum armauit ad cędẽ illius facien dam. Rex autem planè optimus, & eum luxit qui iniustè fuerat interfectus, & eum qui iniustè interfecerat multis subiecit execrationibus. Innocens ego, inquit, & regnum meum à ,,
Domino ab hoc nunc & vsque in sęculum. San ,,
guis Abner filij Ner super caput Ioab, & super ,,
omnem domum eius. & ne deficiat ex domo ,,
Ioab laborãs profluuio sęminis, & leprosus, & ,,
baculo innitens, & cadens gladio, & egens pa- ,,
ne. Seminis aũt profluuio laborans & leprosus ex lege est immundus, & separatus à communi conuersatione cum ciuibus. Baculo autem vtũtur qui sunt mutilato corpore. Vnde Aquila eum nominauit cæcum. Execratus est ergo illius genus, & ei imprecatus omne genus imbecillitatem corporis, paupertatẽ extremam, per gladium occisionem. postremo autẽ iussit etiam vt perimeretur.

13 *Quid est, Si secundũ mortẽ Nabal morietur Abner.*

Ille, inquit, tanquam sæuus & iniustus & ingratus, iure à Deo immissa morte fuit affectus. Abner aũt & in cõsilijs æquus: & in bello fortis. hoc enim subiũxit, Manus tuæ non fuerũt ,,
ligatæ. neq; pedes tui in compędibus. Coram ,,
viro iniquitatis cecidisti. Nõ in acie, inquit, es ,,
superatus: & tanquam bello captus es ligatus. sed simulatio amicitię tibi vulnus intulit. Atque Rex quidem dolore motus luxit & est lamentatus. lamentatio autem auxit populi beneuolentiam.

14 *Cur post nefariam cædem non interfecit Ioab.*

Ipſe in verbis oſtendit. Iſti enim, inquit, viri filij Seruię ſunt me duriores. Vnde eos tradidit Deo. Reddat, inquit, Dominus faciẽti mala, ſecundum malitiam ſuam. Nam vbi eſt ei facile iuſta vti ira, nulla vtitur dilatione, neque quidquã reuereretur. Eos enim qui Miſphiboſeth occiderant, & eius caput attulerãt, extremis membris mutilatos egit in crucẽ, etiamſi exiſtimaſſent ſe vniuerſum Iſraelis regnũ ad eum adducere illius cæde. Regis autem ei in-
2. Reg. 4. feſti caput honorificæ tradidit ſepulturæ.

15 *Quamobrem fuit Dauid ter vnctus.*

Per Samuelem regiam adeptus eſt vnctionem. Populi autem electiones hiſtoria appellat vnctiones. Nam priori quidem eum elegit tribus Iuda. Septẽ autem annis poſtea aliæ quoq; tribus eum regem ſuſceperunt. Hoc autem oſtendit quoque hiſtoria. Et vngunt Dauidem in Regem ſuper omnẽ Iſraelem. Deinde ſubiunxit. Triginta annorum erat Dauid cùm ipſe regnaret, & regnauit quadraginta annos. In Hebron ſuper Iudam annos ſeptem, & menſes ſex. & triginta annos regnauit ſuper omnem Iſraelem, & Iudam in Hieruſalem.

Exeap.5. 16 *Quomodo eſt intelligendum illud, Omnis qui ferit Iebuſæum tangat in pugione.*

Quidam Hebræus dixit illud, Omnis qui ferit Iebuſæum, tangat in pugione, ed idiſſe Aquilam, Tangat in ſaliente, hoc dicens quòd Dauid parcens muris ciuitatis, iuſsit ciuibus per aquæductum ingredi ciuitatem. Iebuſæi enim vſque ad illud tempus tenebant Hieruſalem. Cùm primum itaque bellum ceſſaſſet inteſtinum, aduerſus eos primum Rex duxit exercitum. Illi ergo, vt qui exercitum cõtinerent, ijs qui erant corpore mancis ac mutilis ſuper muros adductis, iuſſerunt irridere, & dicere quòd Dauid non ingredietur ciuitatem. Habens itaque arcem (eam enim dicit μετοχὴν, id eſt ſeptum ſeu ambitum) ſummis viribus impellebat in hoſtes, milites incitans ad ſtrenuè pugnandum, & iubens vt omnes penitus ſternerent conuenienter datæ à Deo ſententiæ. Parta autem victoria cùm ab alienigenis liberaſſet ciuitatem, appellauit eam ciuitatem Dauid. Ita autẽ nominat Sion, nempe arcem. hoc enim dicit hiſtoria. Et ſedit Dauid ἐν τῇ περιοχῇ, hoc eſt in ſepto ſeu arce. et ea vocata eſt ciuitas Dauid. Et ædificauit ciuitatem in orbem à vertice, & domum ſuam. Deinde docet etiam Dei auxilium. Et ambulabat Dauid ambulans & magnificatus. & Dominus omnipotens cum eo. Hoc autem dictum reſellet blaſphemiam eorum qui conãtur detrahere de ſpiritu ſancto. Dominus enim omnipotens ſæpe fuit nominatus.

17 *Omnis feriens Iebuſæum claudum aut cæcũ, tangatur pugione.*

Cùm Dauid cepiſſet Iebus, alios quidem Iebuſęos iuſsit interfici. claudos autem & cæcos qui irridebant è muro, ob lenitatem & animi magnitudinem conſeruauit, propoſito edicto vt occideretur qui feriret aliquem ex ipſis. Tangatur enim pugione, pro eo quod eſt Perimatur enſe. Et ideo laudem eſt ab omnibus conſecutus, qui dixerant. Claudus & cæcus non ingrediẽtur in domum Domini. Hoc autem dictum eſt aduerſus eos ſolum qui contumelia Dauidem affecerant.

18 *Quamnam dicit vallem Titanum.*

Gigantes appellabant etiam Titanes. Hebræus autem eos vocauit Raphaim. Habebat autẽ viros eiuſmodi & Hebron, & Geth. & ex ijs etiam Goliath, & aliqui alij quorum meminit ſcriptor qui ſcribit præclara facinora fortium virorum Dauidis. Eſt ergo veriſimile fuiſſe olim in hoc loco aliquam eorum aciem, & ex ea locum accepiſſe cognomen.

19 *Quamobrem aliquando quidem iubet Deus Dauidi vt inanus conſerat cum alienigenis, aliquãdo verò prohibet.*

Sapientiſsimus Pædotriba eum in virtute exercet, & ſuadet ne ſuis fidat viribus, ſed eius expectet auxilium. Vnde etiam dat ei ſigna ſui aduentus. Nam quando, inquit, videris ſyluas ſua ſponte moueri abſq; vento, tunc deſcende ad bellum, tunc egredietur Dominus ante te ad feriendos in bello alienigenas.

20 *Quam ob cauſam mortuus eſt Ozan plaga à Deo immiſſa.* Exeap.6.

Quidam dicunt eum dediſſe pœnas ſuæ temeritatis, vt qui tentauerit arcæ opem ferre, quæ cùm in vniuerſo populo primas haberet partes, non egebat auxilio alterius. Ioſephus autem dicit, quòd luit pœnas, propterea quòd cùm non eſſet Leuita, auſus ſit arcam tangere. Eſt autem perſpicuum hoc eſſe falſum. erat enim filius Aminadab, cui arcam dederunt Bethſemitæ, dimiſſam ab alienigenis. Is autem erat ex tribu Leuitica. Sanctificauit enim, inquit, ſuum filium Eleazar, vt cuſtodiret arcam teſtamenti Domini. Quòd autem hic quoque eſſet filius Aminadab docet hiſtoria. Et impoſuerunt arcam Dei in currum nouum. & ſuſtulerunt eam ex domo Aminadab quæ erat in colle. & Ozan, & fratres eius ambulabant ex obliquo arcæ. Non erant ergo ex alia tribu, vt dicit Ioſephus, ſed etiam erat Leuita. Sed neque luit pœnas propter temeritatem. Inclinato enim plauſtro, manu eam falcijt. Sed alterius delicti luit pœnas. Nam cùm Deus iuſsiſſet vt Sacerdotes arcam ſuis ferrent humeris, præter legem eam tulit in plauſtro. Hoc autem eos fefellit, quòd ea ſic emiſſa ab alienigenis nemini nocuit. Sed oportebat conſiderare quòd neque legem norant alienigenæ, neque aderant Sacerdotes vt conuenienter legi eã portarent. Quòd autem hoc ſit verum, docent ea quę ſequuntur. Nam cùm cecidiſſet Ozan, rex veritus non tulit arcam in regiam vbi diuinũ conſtruxerat tabernaculum, ſed in domum Obededon. Poſtquam autem vidit domum illam tribus menſibus repletam omne genus benedictione, ſtatim eam tranſtulit in regiam, non vſus plauſtro, ſed Sacerdotibus, legi conuenienter. Erãt enim inquit, cum eo tollentes arcam Domini, & hoſtiam vituli & agni. & Dauid pulſabat in inſtrumentis harmonicis coram Domino.

Erat

Erat autẽ ipſe indutus veſte ἐξαλλαγῆ, id eſt verſicolore, ita aũt nominauit veſtem variam. Apertius aũt hoc docuit liber Paralipomenon. Tulerũt, enim inquit, arcã ſicut iuſsit Moſes in ſermone Domini Dei Iſraelis. & in vectibus eam portabant ſuper humeros. Iuſsit autẽ lex ne arca ferretur in plauſtro, ne trahẽtes boues haberẽt poſteriores partes verſas ad arcam: ſed Leuitę eam tollerent ferẽtes humeris magna ligna à quib. pendebat: & nõ alij quidẽ antè, alij verò ponè incederẽt, ſed ex ęquo ingrederentur: adeò vt eorũ poſteriora ad eã nõ eſſent cõuerſa: ſed cp ferebatur eſſet in medio, longè inter ſe remotis, & ijs qui ferebant, & ipſa. Ozan aũt cùm eſſet Leuita, & legẽ sciret, Dei irã eſt expertus, cp eam temere plauſtro imposuerit. Quãobrem euertebatur quidẽ plauſtrum: ille aũt cauſam non intelligens, ſed ſe opem laturum ſperans, extremas dedit pœnas.

21 *Cur Michol Dauidem irriſerit.*

Exiſtimauit eſſe à Rege alienum publicè choros ducere. neſciebat enim ſtimulos diuini deſiderij. Quamobrem Rex vehementer eam increpauit. Nam coram Domino, inquit, ſaltabo, viuit Dominus qui me elegit ſupra patrem tuum, & ſuper omnem domum eius. vt me conſtitueret Ducem ſuper omnem populum ſuum Iſraelis. Porrò autem ea quoque quæ ſequuntur habent eundem ſenſum. Deinde docuit hiſtoria quòd Micholi quidẽ filię Saul non fuit filius vſq; ad diem mortis ſuæ. Neq; tamen propter eam cauſam manſit ſterilis: ſed vt nullus regnaret ex eo ſemine. eſt enim veriſimile populũ fuiſſe prælaturum eum qui vtrinque fulgeret claritate generis.

Exeap.7. 22 *Nathan cùm eſſet Propheta quomodo neſciit Dei voluntatem, & iuſſit Dauidi vt ædificaret Domũ Dei.*

Iam dixi quòd nõ omnia norãt Prophetæ, ſed ſicut Dei gratia reuelauit. Ita Samuel ignorabat quem oporteret vngere. Ita etiã Heliſæus, quid accidiſſet Sumanitidi. Dimitte enim eam, inquit, quoniam triſtis eſt anima eius, & Dominus me celauit. Ita etiam Nathan cùm laudaſſet ſcopum Regis, exiſtimauit opus placere Deo. Vnde dixit. Omnia quæ ſunt in corde tuo vade & fac, quoniam Deus eſt tecũ. Sed Deus cùm noctu ei apparuiſſet, hæc dixit Nathan. Vade ad ſeruum meũ Dauid. hæc dicit Dominus. Non ædificabis domum vt inhabitem. Quoniam non habitaui in domo ex quo die eduxi filios Iſraelis de Aegypto, vſq; ad hunc diem. Et primum quidẽ eum delinijt appellatione ſeruitutis. Dic, inquit, Dauidi ſeruo meo. eſt autem ſummus honor nominari ſeruum Dei. Deinde docuit ſuam naturam nulla laborare indigentia. Non habitaui, enim inquit, in domo. Illud autem, A quo die eduxi filios Iſraelis de Aegypto. pro eo quod eſt, Omni tempore quo ſum verſatus vobiſcum, tã in deſerto quàm in hac terra. Quòd enim neque ante hoc tempus templum haberet, veteres docent hiſtoriæ. Deinde oſtendens infinitam virtutem & benignitatẽ, ſubiunxit. Et eram in diuerſorio habitans & in tabernaculo in omnib. in quibus peruaſi in vniuerſo Iſrae-

le. Et adiecit quòd nulli ex iudicibus qui erãt ex diuerſis tribubus, aut iuſserit ædificare tẽplum, aut reprehenderit quòd hoc non feciſſent. hoc enim dixit dicens, Si loquẽs locutus ſum ad vnam tribum Iſraelis dicens, Non ędificaſtis mihi domum cedrinam. Deinde vſus nomine beneuolentiæ, & ſeruum ſuum appellans, ei reuocauit in memoriam cuſtodiam ouium, & aliam paupertatem. Docuit autẽ regni altitudinem, & alterius quam habuit curę liberalitatẽ. Eram enim, inquit, tecum in omnibus in quibus ambulabas: & exterminaui omnes inimicos tuos à facie tua. & feci tibi nomen magnorum qui ſunt in terra. Hæc autem dixit ad confirmandam eius pietatẽ & ęquitatem. vt recordans beneficiorum colat benefactorẽ. Pollicitus eſt etiam populi curam gerere. Ponam, enim inquit, locum populo meo Iſrael. & per ſe habitabit. Nam ex diuina lege vitam inſtituens ſeparatus erat ab alijs gentibus. Illud autem, Non adijciet filius iniquitatis eum humiliare, exponunt ea quæ deinceps ſequuntur. Sicut ab initio, inquit, à diebus quibus conſtitui Iudices ſuper populum meum Iſrael. Nam quoniam tempore Iudicum ſeruiebant aliquando quidem Ammanitis & Moabitis, aliquando autẽ Madianitis & alienigenis, pollicitus eſt eis ſe regnum cõſeruaturum integrum, & à frequentibus liberaturum mutationibus. Deinde annũciauit ſe ratione præditum diuinumque & ſalutare eius templum ædificaturum. Annunciabit, enim inquit, tibi Dominus, quòd ædificabit ſibi domũ. Quòd aũt ex ſancta virgine ſumptam carnem & ipſe ædificauerit, & ipſam templum appellauerit, nos docuit Ioannes Euangeliſta, vt qui Iudęorum interrogationẽ & Chriſti reſponſionem inſeruerit in ſcriptura ſacrorũ Euangeliorũ. Nam cùm dixiſſent Iudæi, Quod nobis ſignũ oſtendis quòd hæc facis? reſpondẽs Dominus dixit. Soluite tẽplum hoc, & in tribus diebus excitabo ipſum. Cùm autem Iudæi coniecisſent hęc dicta eſſe de templo inanimo, ſubiunxit Euangeliſta. Ipſe autem dicebat de templo ſui corporis. Et quando ſurrexit à mortuis, cognouerunt Diſcipuli eius, quòd hoc dixit Dominus. & crediderunt ſcripturæ & ſermoni quem dixit Ieſus. Diuinus autẽ Apoſtolus, fidelium quoque conuentum appellauit domum Dei. Chriſtus enim, inquit, tanquam filius ſuper domũ eius, cuius domus ſumus nos. Hæc prędixit Propheta. Et annũciauit Dominus quòd ædificabit ſibi domum. De templo autem manu ædificato ſic dixit. Et erit poſtquã impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuũ poſt te, qui erit ex ventre tuo. & præparabo regnum eius. Is ædificabit domum nomini meo. Hæc cùm diciſſet de Solomone, admiſcet prædictioni ea quę dicuntur de Chriſto Domino. Erigam, enim inquit, ſedẽ eius vſq; in ſeculum. Et ego ero ei in patrẽ: & ipſe erit mihi in filiũ. Quòd aũt hęc dicta ſint de Chriſto, teſtis eſt diuinus Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos ſic dicens. Cui aũt Angelorũ vnq; dixit, Filius meus es tu, ego ho-

Heb. 3.

Ioan. 2.

Heb. 1.

ego hodie genui te? Et rursus. Ego ero ei in patrem: & ipse erit mihi in filium. Deinde docet quanta cura & prouidentia geritur, propter hunc filium, eius secundum carnem maiorum etiam legem transgredientium. Arguam & castigabo, enim eos inquit: misericordiam autem meam non auferam ab eis, sicut abstuli à quibus abstuli. Illud aũt, In tactibus hominum, posuit pro castigatione per homines, quoniã per manus fit & tactus & cædes hominum. Quæ autem deinceps sequũtur, minimè conueniunt regibus Israelis: in solo autem Christo eorum veritas ostenditur. Et erit, inquit, domus eius & regnum eius fidele coram me: & sedes eius erit erecta in æternum. Solomon autẽ neque longiorem habuit vitã quàm cæteri homines: neq; peruenit ad senectutem patris. Eos quoque omnes qui ex eo duxerunt originem communis excepit finis. Duorũ ergo alterum necesse est, aut vt hæc Christo Domino conueniant, aut vt dicamus esse falsam Dei vniuersorum prædictionem. Sed hoc est impium & execrandũ. Necesse est ergo, etiamsi nolint Iudæi, alterum admittere. His auditis Rex liberalem & munificũ Deum hymnis & laudibus est prosecutus. Et primũ confessus est suam familiã esse vilem & abiectam. Quis ego sum Domine mi: & quænam est domus patris mei, quòd me eo vsq; dilexeris? Ostendit autem oratio donorum magnitudinem. Deinde docens Domini omnipotentiam, subiunxit, Et paruus factus sum. Parua sunt hæc, inquit, coram tè Domine mi Domine. Admiratus sum, inquit, summã promissorum magnitudinẽ, ad me respiciens. parua aũt sunt si conferantur cum tua potestate. Deinde cùm hymnũ produxisset, & vt promissa confirmarentur obsecrasset, subiũxit. Et nunc Domine mi Domine, verbum quod locutus est de seruo tuo, & de domo eius, fidele sit vsq; in æternũ. Quòd autẽ supplicet vt promissum illud confirmetur, testantur quæ subiunguntur. Quoniam tu Domine omnipotens Deus Israel reuelasti auriculam serui tui, dicens, Domũ ædificabo tibi. Tu, inquit, docuisti me ignorantem quòd domum illam ædificabis, per quam ero conspicuus omnibus hominibus. rogo te vt hoc mihi promissum confirmetur.

Ex cap. 8. 23 *Quomodo est intelligendum, Percussit Dominus Moab, & mensus est funiculo, eos sopiens super terrã.*

Tanta erat vis victoriæ, & tanta erat multitudo eorum qui capti fuerant viui, vt non potuerit ferre eos numero subijcere. Iussit enim eos deijci pronos in terram, diuisos trifariam. & duas quidem partes occidit: vnam autem viuam cepit. et iussit ferre tributum. χλιδῶνας autem Syrorum, interpretatus est Aquila torques aureos. intellexit autem splendorem Syriæ.

24 *Quamobrem confregit plurimos currus Syrorũ.*

Lex diuina iussit Regem non vti multis equis: vt non in eis, sed in virtute diuina confideret. Hanc legem implens, confregit currus plurimos. Licet autem eum quoque audire canentem in psalmis. Non seruatur rex per multam virtutem. & Gigas non seruabitur in multitudine roboris sui. Fallax equus ad salutem. neque multitudine virtutis suæ seruabitur. Porrò autem impleuit etiam Isaac Patriarchę benedictionem datam Iacob. Sis, inquit enim, dominus fratris tui. Ipse autem percussit Idumæam, & posuit in ea præsidium. Illud autem, In tota Idumæa posuit ἐσπλωμένους, significat quòd in vnaquaque ciuitate posuit præsidia. Ná quos aliqui appellant ἐγκαθέτους, nominauit ἐσπλωμένους. Deinde subiunxit, Et fuerunt omnes Idumæi serui Dauidis. Imposuit ergo finem prædictioni maioris sui, nempe Isaaci. Scriptor autem narraturus scelus in quod incidit vir diuinus, necessarium duxit prius ostendere viri virtutem, vt sciamus delictum non fuisse mentis, sed circunstantiæ. Erat, enim inquit, Dauid faciens iudicium & iustitiam in vniuersum populum suum. Deinde dicit magistratus, nempe quòd illi quidem ille magistratus fuit mandatus, huic verò iste. Meminit autem hic quoq; Sacerdotum, nempe Sadoc filius Achitob, & Achimelec filij Abiathar. Hic autem existimo esse errorem scripturæ. Nõ enim fuit Achimelec. Vocat autem Phellethi, & Cerethi, funditores & sagittarios. Qui autem erat benignus & clemens etiam in inimicos, non erat amicos daturus obliuioni. Rogauit itaque an restaret aliquis ex domo Saulis. Vt faciamus, inquit, ei misericordiam propter Ionathan. Nam propter suam in illum beneuolentiam, eius despiciebat maleuolentiam. Deinde summã curam gerit Misphibosethi, vt qui eum fecerit dominum omnium quæ possidebat Saul: & iusserit eum perpetuo cum eo victum sumere. 2. Reg. c. 9.

25 *Quomodo cùm superius dixisset interitum Adradezer, dixit eum venisse in belli auxilium aduersus Madianitas.* Ex cap. 10.

Superatum quidẽ dixit fuisse Adradezer, non autem occisum. Conueniunt autem quæ nunc dicta sunt prioribus. Misit, enim inquit, Adradezer. & eduxit Syrum qui est trans fluuium Chalaac. Si autem proprias habuisset copias, non eguisset alienis. Atque quantum quidem prosit calamitas, afflictio, & solicitudo, vel ex hac discimus historia. Diuinus Dauid cùm Saul eum persequeretur, se sapienter gessit & ex virtute in omnibus. & cùm esset in acie, & mentem exerceret in belli cura & solicitudine, ex legibus diuinis vitam suam administrabat. Paruas autem assecutus inducias, illum passus est lapsum. Factum est, enim inquit, in tempore pomeridiano. & surrexit Dauid à suo cubili. & ambulauit super tectum domus regiæ. & vidit ex tecto mulierem quæ lauabatur. & erat mulier aspectu valde pulchra. Verè magnũ & vehemens est bellum, remissio, & deliciæ, & regnũ, & potestas, & forma corporis, & post cibi satietatẽ insultus. quo tempore etiã ijs qui se exercent ad castitatẽ accenditur scintilla, vt quę irrigationem habeat nutrimentum. Est autem perspicuum eum habuisse vehementiorem desiderij affectionem. Non enim pluribus vsus esset vxoribus, nisi ei vim 1. Reg. 11.

vim attulisset natura vt illud faceret. Sed illud quidem nulla lex prohibuit. hoc autem lex diuina apertè prohibuit. Cùm ergo simpliciter non autem curiosè despexisset, vidit mulierẽ quæ lauabatur. sed non effugit aspectum reuera pernicios um. sed formæ inescatus pulchritudine deuorauit hamum peccati. Et hoc quidem peccatum ei conciliauit cupiditas. alterum autem pudor. Nam cùm resciuisset mulierem esse grauidam, subueretur quidem ne conuincatur, omnem autem mouet lapidem vt in secundam incidat iniustitiam. Nam accersito quidem Vria ratus est fore vt cùm post longum tempus venisset in vrbem, desideraret congredi cum vxore. Cùm autem ille & temperantiam, & animi fortitudinem, & suam in eum ostendisset beneuolentiam. nam in regiæ vestibulo cum corporis Regis custodibus somnum cepit, ipsum quidem postridie accersiuit: reprehendit autem quòd non vt par erat curam gereret corporis. Ille verò, Non æquum, inquit, existimo, vt cùm & Imperator & exercitus totus in bello & in obsidione affligantur, ego corpori meo curam adhibeam: & hoc quod dixerat iureiurando confirmauit. Sed Rex, cùm eum rursus iussisset manere, conuiuio excepit, frequentique ac liberali inuitatione vltra modum coegit bibere, vt irrigata cupiditate vinum eum incitaret ad coniunctionem. Postquam autem vidit imbecilla quæ à se fuerant callidè cogitata. ille enim rursus dormijt in vestibulo regiæ cum regijs satellitibus, pudore stimulatus & coactus, literas scripsit ad Imperatorem exercitus. Ille autem nihil sciens ex ijs quæ scripta fuerant, abijt ferens gladium suæ cædis. Deinde post illius mortem, mulieris luctus fuerunt nuptiæ. Sed non siuit animarum medicus morbum esse immedicabilem: neque iniustam neglexit cædem: neque propter aliam Dauidis virtutem, inultum siuit eum qui fecerat iniuriam.

Visa est, inquit, res mala in conspectu Domini. Missus est ergo Nathan Propheta, accusationis decoram induens personam. Aliter enim in alijs cernimus peccatum. & aliter nostra mala aspicimus. Vnde non similiter nos & alios iudicamus. Nam in alijs quidem iustam ferimus sententiam. sæpe autem etiam aliam plagam inferimus. Ipsi autem delinquentes, aut mentis sensum omnino eijcimus. aut videntes peccatum, veniam damus. Ea de causa diuitis & pauperis actum composuit Propheta. & illius quidem descripsit diuitias: huius autem extremam paupertatem miserabiliter & tragico more expressit. Ei, enim inquit, nihil erat aliud nisi vna ouicula, quam possidebat & acquisierat, & enutriuerat eam, & cum eo conuersabatur, & cum suis filijs simul comedebat ex eodem pane, & bibebat ex eodem poculo, & dormiebat in suo sinu. & erat ei tanquam filia sua. Hæc autem omnia docet, volens ostendere summam iniquitatem. In ijs autem quæ deinceps sequuntur, contexit ijs quæ dicit quandam defensionem. Viator enim vocauit malam cupiditatem, vt quæ nunc ad hunc, nunc ad illum veniat. Hospitam autem rursus eam vocauit, vt quæ Dauidi fuerit insolita, & nondum cognita. hoc enim effecit vt ipse consequeretur veniam. Non enim in malis studijs & institutis fuerat educatus: neque ex mali animi instituto, sed fortuito quodam casu vulnus acceperat: socordięque ac negligentiæ erat peccatum, non malignitatis ac malitiæ. Sed in ijs quæ deinceps sequuntur auxit accusationem. Oportebat enim ex suis occidere, non alienam camque solam ouiculam. Cùm sic in aliena persona fuisset accusatio, Iudex iustam tulit sententiam. Viuit, enim inquit, Dominus, dignus est morte qui hoc fecit: & ouiculam reddet quadruplam, propterea quòd hanc rem fecit, & eo quòd non pepercerit. Quoniam qui accusabatur, contra se tulit sententiam, de cætero abiecta persona, Propheta nudum ostendit reum. Dixit enim. Hæc dicit Dominus Deus Israel, ego te vnxi Regem super Israel. & ego te eripui è manu Saulis. & ego tibi dedi quæcunque erant Domini tui. & mulieres in sinum tuum. & dedi tibi domum Israëlis & Iuda. Deinde ostendit immensam liberalitatem. Et si pauca sunt, addam sicut hæc. Ante sectionem est delinitio: ante supplicium est consolatio. Deinde est probatio criminationis. Et quòd nihili fecisti Dominum vt faceres malum coram eo. Contempsisti leges meas. Non existimasti me intueri actiones hominum. Te bonis meis impleuisti, & in me qui dedi insultasti. Vriam Hettheum gladio percussisti. & eius vxorem accepisti tibi in vxorem, & ipsum occidisti gladio filiorum Amnon. eum qui in te tanta fuit beneuolentia tradidisti hostibus: & propter modicam voluptatem duas leges cõculcasti. Deinde supplicium. Et nunc non tolletur gladius à domo tua in æternum, propterea quòd me nihili fecisti, & accepisti vxorem Vriæ Hetthei tibi in vxorem. Tacitè autem significat oratio, quòd Deus magis succensuit ob matrimoniũ quàm ob prius admissum adulterium. Nam illud quidem erat vehementissimæ cupiditatis, quæ rationi torporem induxerat. hoc autem habet etiam assensumrationis: quam post iniquam cædem oportebat lamentari ac lugere, non nefario assentiri matrimonio. Deinde grauia minatus est supplicia, quæ Regis admirabilis gloriã effecerunt splendidiorem. A Deo enim immissæ plagæ morbum illum expulerunt, & priorem reddiderunt sanitatem. ea enim de causa eas intulit medicus animarum. Minis autem addidit. Tu fecisti in occulto. ego autem faciam verbum hoc coram toto hoc populo. Voluisti, inquit, latere. cædem es dolo machinatus. sed ego tuum peccatum faciam omnibus manifestum. Hæc verba cùm audijsset Dauid, non ægrè tulit vt qui argueretur ab homine. nouerat enim eum qui per ipsum loquebatur, sed clamauit, Peccaui Domino. Sed statim Propheta peccati accepta confessione, Dei 1. Reg. 12.

,, fretus clementia,subiunxit. Et Deus abstulit
,, peccatum tuum. non morieris. Duplicem debebat mortem. Nam & adulter & homicida per legem interimebantur. sed mortis sententiam soluit peccati confessio. sed eum tanquã sapiẽtissimus medicus subiecit omne genus castigationibus. nam hoc docet historia. Nam cũ dixisset Propheta, Non morieris,
,, subiũxit,Sed ad iã irritans irritasti in aduersarijs Dominũ.Hoc autẽ apertius interpretatus est Aquila. Irritans irritasti aduersarios
,, Domini. Dei enim nudatus cura ac solicitudine, effecit vt alienigenę vincerent,& aduersus Deum vniuersorum magnos spiritus conciperẽt.Atq; primum quidem percussit Deus infantem natum ex adulterio.Videtur autem Vrias quidem ortus esse ex alienigenis,fuisse autem proselytus. Eum enim Hettæum appellauit Deus vniuersorum.& ostendit se nullũ iniuria affectum despicere.sed etiam si sit alienigena qui afficitur iniuria,qui autem afficit Hebræus,illi quidem fert opem, punit autem eum qui facit iniuriam.

26 *Quamobrem infantem recens natũ morti tradidit Deus.*

Viuus erat futurus argumẽtum sceleris ac iniquitatis.Pij ergo Regis,qui erat etiam Propheta,curam gerens Dominus, non siuit eum viuere.

27 *Quid significat Ieddidia.*

Aquila interpretatus est,In Domino. Symmachus autem, Segregatum ad regnum.

28 *Quidã accusant Dauid vt sæuum & immitem, vt qui Ammonitas puniat eiusmodi supplicijs.*

Recordari oportet eorum quæ ausi sunt aduersus Israelem. Dexteros enim oculos eis effoderunt. & alias eorum crudelitates docent Prophetæ. Pares ergo ijs quæ admittere ausi sunt pœnas luerunt.

Ex cap. 13. 29 *Cur Ionadab filium Samaa nominauit prudentem,cum dederit eiusmodi consilium.*

Etiam serpentem Moses dixit esse sapientissimum omnium bestiarum quæ sunt super terram. Sciendum est enim quòd non vbique ponat scriptura sapientem in laude. Sunt enim sapientes vt malè faciant. Et elegit,inquit, Deus stulta mundi vt pudore afficiat sapientes. Et Solomon fuit sapiens super omnes sapientes Aegypti. Impij autem erant Aegyptij. Sapiens hic non vocauit scriptura consilium Ionadab, sed illius ingeuium, vt quod esset aptum ad perspiciendum quid esset agendum. sed non est vsus ingenio ad id quod oportebat,imò verò Amnonis libidini opem tulit, & particeps fuit nefarij sceleris quod ipse est ausus. Si videbas, enim inquit, furem,currebas cum eo,& cum adultero portionem tuam ponebas. Tunicam autem talarem, Aquila quidem nominauit χαρπωτὸν, propterea quòd fructus habebat intertextos. Hodie autem eam vocant plumarem. Iosephus autem dicit tunicam pertingentem vsq; ad talos. Quod in Thamarem autem est perpetratum, est quoddam principium & radix calamitatum domus Regiæ. Nam Rex quidem ex eo dolore est affectus: sed cùm Amnon vtpote filium suum primogenitum valde amaret, de nefario flagitio non sumpsit pœnas. Frater autem eius vterinus, cùm esset alioqui arrogans & audax, in præsentia quidem celauit iram. Sed cùm duo anni præterijssent, conuocatis fratribus ad tonsuram ouium, occidit Amnon. Deinde aufugit ad auum maternum. Nam Machaa eius mater erat filia Tholo, qui fuit Rex Gezer. Rex autem plurimum luxit ambos, nempe & eum qui interemerat, & eum qui fuerat interemptus. Cùm tres autem anni præterijssent, & tempore extincta esset ira, tale quid machinatur Dux exercitus. Suggessit mulieri prudenti effingere actum qui posset Regem mouere ad misericordiam. Illa autem accedens ad Regem, vt ei suggesserat Dux exercitus,se quidem dixit esse viduam: duos autem solos peperisse filios. eos cùm ad virilem peruenissent ætatem, in grauem incidisse litem. ex lite autẽ natam esse pugnam. Cùm autem nemo eam voluisset componere ac sedare, alterum ab altero percussum, vitæ finem accepisse. Sed qui illam litem noluerunt componere,nunc congregati, petunt vt alter tradatur. Quòd si hoc fiat, ego quidem præter viduitatem deflebo etiam orbitatẽ liberorum. extinguetur autem omnino scintilla generis & mariti mei memoria tradetur obliuioni. Per hęc autem tacitè significat Regẽ, Amnon quidem non castigasse, neque Absalonis excusasse desiderium, sed permisisse vt ad malum veniret immedicabile. Cùm autem Rex promitteret se iussurum Duci exercitus vt sedaret iram tribulium, rursus vsa est mulier verbis lenibus ac placidis,Regis aures demulcens. Postquam autem Rex iuratus, Viuit, inquit, Dominus si cadet ex capillis filij tui in terram,rursus subiunxit mulier,fieri non posse vt suus filius mortem euaderet, nisi prius filius Regis rediret ab exilio. Illud enim, inquit, erit huius exemplum. Si autem illud non fiat, contradicent tribules, iustam causam habentes filij Regis exilium. Hoc enim dicit, Et dixit mulier. Sic existimatum est
,, in populo Domini, ex eo quòd Rex transgrediatur hoc verbum, cùm statuerit Rex non
,, reducere filium ab eo expulsum. Quomodo potes, inquit, filium meum liberare à cæde, non reducens filium tuum. Deinde consolatur de mortuo.Filius tuus est mortuus,& colligetur in terra tanquam aqua quæ effunditur: & non sperabit in eum anima. Non potes, inquit, illum excitare: cur studes hunc quoque interimere, vt viuas priuatus duobus? Cùm sic iniecisset sermonem de Absalone,rursus videtur loqui de eo quod sibi accidit, ne videretur hæc dixisse de industria. Et nunc de quibus venio dicã Regi hunc ser,, monem.Videbit me populus,& dicet.Ancil,, la tua loquatur Domino meo Regi, vt faciat ,, Rex, & eripiat me ex manu eius qui quærit ,, me exterminare & filium meum simul ab ,, hæreditate Domini. Et dicit ancilla tua, ,,

1.Reg.14.

Fiat

,, Fiat sermo Domini mei Regis in sacrifici,, um. Quoniam sicut Angelus Dei, ita & Do,, minus meus Rex vt exaudiat bonum & ma,, lum: & Dominus Deus tuus erit tecum. Hęc cùm dixisset mulier,Rex intellexit argumentum actus. & rogauit mulierem an Ioab hæc suggesserit. Illa autem confessa, vt circunda,, ret, inquit, faciem tuam hoc sermone, fecit
,, Ioab seruus tuus hunc sermonem. Non licebat,inquit,recta via tibi supplicare.Quamobrem suggessit mihi vt vterer hoc circuitu verborum. vt in ficto casu tuum videns, quod mihi eras adhibiturus medicamentum, hoc tibi ipsi adhiberes.Rex his cedens iussit quidem redire Absalonem, ipsum autem videre
1.Reg.15. prohibuit. Postea autem hoc quoque fecit motus Ioabi adhortatione. Sed cùm præterijssent quatuor anni,verborũ blanditijs comparata sibi tyrannide, voti quidem soluendi prætextu venit in Hebron,illic autem arripuit paternum regnum,patris autem cædem est machinatus.Rex cùm hoc didicisset,reliquit metropolim, optimam expeditionem ratus fugere ad tempus. Eum autem est secuta satellitum multitudo.Secutus & Ethai Getthęus cum sexcentis viris electis, qui nuper quidem patriam reliquerat, factus autem fuerat cum suis subiectis proselytus.Ei Rex quidem conatus est persuadere vt reuerteretur, ne si
,, mul cum eo protinus habitasset,rursus mutaret sedes. Cur, inquit, mecum ibis? Reuer,, tere & sede cum Rege,quoniam es alienus, &
,, migrasti è domo tua. Si tu heri accessisti, &
,, hodie mouebo te ne vadas nobiscum. ego
,, autem proficiscar quo sum profecturus. Necesse est, inquit,mihi vt mutem sedes. non est autem æquum, vt tu qui nuper veneris nobiscum laborem sustineas.Iure autem est admiranda Dauidis lenitas & mansuetudo:Quem cùm persequeretur & bello inuaderet execrandus filius, non eum nominauit parricidam,non fratricidam,sed Regem. & cũ multo egeret auxilio, curam gessit salutis Proselyti. Reuertere, inquit ,& auerte fratres tuos
,, tecum. & Dominus faciet tecum misericordiam & veritatem. Sed quanto maiorem eius curam Rex gerebat, tanto ille in eum maiorem ostendebat beneuolentiam. Dicit enim,
,, Viuit Dominus,& viuit anima mea, Domine
,, mi Rex, quòd in loco in quo fuerit Dominus
,, meus Rex, siue ad mortem, siue ad vitam, illic
,, erit seruus tuus. Hæc autem scripta sunt ad nostram doctrinam, vt discamus quòd non oportet in rebus quidem secundis versari cum amicis: Sin autem in res aduersas inciderint, eos deserere. Dauid Ammoni ne exprobrauit quidem quòd cum sorore habuisset consuetudinem, etiamsi factum illud eum magno dolore affecerit. Absalonem autem qui propter hoc ipsum eum interfecerat, & expulit, & fugitiuum reddidit. Nam ille quidem erat primogenitus,etiamsi laborarit morbo libidinis & intemperantiæ: hic autem per multam crudelitatem & inhumanitatem fratrem occidit.

30 *Cur Sacerdotes & arcam sequi prohibuit.* Ex cap. 15.

Cũ esset & pius & Propheta, sciebat quid accidisset arcæ acceptæ ad opẽ ferendã iniquis.Nam illi quidem fuerunt interfecti: ipsa autem bello capta data est alienigenis. Hæc cùm didicisset, dixit Sadoc sacerdoti. Reduc ,, arcam Dei in ciuitatem,& sedeat in loco suo. ,, Si inuenero gratiam coram Domino,& me re,, duxerit, videbo eam & eius decorẽ. Et si mi,, hi dixerit,Nolui te,ecce me,faciat mihi quod ,, est gratum coram eo. Non possum mecum circunferre accusatorem. Hinc audio legem dicentem, Non mœchaberis. Non occides. Ego autem venerandam conculcaui legem. Quando lex mundauerit oculum animę meę, tunc potero videre decorem eius. Sin autem me omnino priuauerit sua cura & solicitudine, est Dominus, ego verò seruus me subijciens eius castigationi. Hæc autem lachrymans dicebat vir diuinus, lugubri habitu indutus. erat enim opertus capite: incedebat autem nudis pedibus. eius autem luctus socius erat exercitus. Sic fugiens cognouit proditionem Architophelis.sed confestim ad suum confugit Dominum, non iubens vt feriretur fulmine,sed vt inane & vanum redderetur eius consilium.Dixit enim, Domine Deus meus, Effice inane & vanum Architophelis consilium. Illud autem, Effice inane & vanum, Aquila dixit, Infatua,pro eo quod est, Ostende eum stultum & insipientem.Ros autem dixit verticem. Dicit autem Oliuetum, aspiciens ad tabernaculum & arcam quæ in eo erat sita.

31 *Quidam non laudant quòd mentitus sit Chusi.*

Et bonorum & malorum examinandus est scopus & institutum. Sic enim iudicantes inueniemus accusari veritatem. Herodes e- Mar. 6.
nim, & propter iusiurandum, inquit,& propter eos qui simul accumbebant, occidit Io- ,,
annem. Sed nemo adeò desipit vt laudet ve- ,,
ritatem propter cędem. Nam melius erat non iurasse. sed postquam iurauit,mendacium est magis eligendum quàm cædes.Ergo hic quoque fuit simulatio, non propter lucrum pecuniæ, neque ad damnum aliorum, sed propter vitam prophetæ & pij Regis.

32 *Nonnulla quæ reprehenduntur in Dauide, excusantur.*

Nonnulli reprehendunt Dauidem, quòd aures præbuerit ijs quæ dicebat Sibas. Sæpe dixi quòd Prophetæ non cognoscebant omnia. Iste autem & verbis vsus est probabilibus. nam & ipse venit ad diuinum Dauidem. Illum autem dicebat regnum animo agitare. 2.Reg.16.
Quinetiam dona ei obtulit, suam ostendens beneuolentiam.Postea autem auditis ijs quæ dixit Memphibaal, vtrisque quidem distribuit possessionem: illius autem rursus eandem quam prius curam gessit. Et cùm orta 2.Reg.19.
esset fames,& Gabaonitæ petijsset septem ex cognatis Saulis,non dedit Memphibaal: sed impleuit pacta conuenta cũ Ionatham. Sunt 2.Reg.21.
autem admiratione digna & quæ aduersus Se- 2.Reg.16.
mee, & Abisai dicta sunt à Dauide.Nam cùm ille eum lapidibus appeteret, & cœnum in

eum

eum iaceret, verbisque & factis ei insultaret, virumq; sanguinum & iniquum eum appellaret, Abisai quidem, vt qui esset legatus, non
» tulit contumeliam, sed dixit, Cur maledicit
» canis iste execrandus Domino meo Regi? transibo & auferam ei caput eius. Ille autem
» omnium mitissimus dixit, Quid mihi & tibi
» fili Seruia? Dimitte eum, quoniam mihi maledixit, quia dixit Dominus vt malediceret
» Dauidi. Et quis dicet ei, Cur sic fecisti? Est iste quidem lorum Dei & virga. Non video lorum, sed video eum qui me flagro cædit. meis iniquitatibus adscribo calamitates. Non tango virgam, ne eum irritem qui percutit. Conueniunt autem ea quoque quæ deinceps sequuntur. Dixit enim Dauid ad
» Abisai & ad omnes eius seruos. Ecce filius
» meus qui egressus est ex ventre meo, quærit
» animam meam. Ecce nunc quoque hic filius Iemini, dimittite eum vt maledicat. Quo-
» niam Dominus dixit ei, Si aliquo modo vi-
» derit Dominus humilitatem meam, & red-
» det mihi bona pro eius maledictione in ipso
» die. Iste, inquit, est ex cognatione Saulis, habet veterem in me maleuolentiam. & est verisimile dixisse aliquos, quòd inuenta occasione aperuit inimicitias. Filium meum à me fatum & eductum, & ad eam prouectum ætatem & honorem, quis in me inuexit? Ijs autem quæ dixit finem imponit, dicens. Ego autem fero & me contumelijs afficientes, & cædem mihi molientes, vt ea ratione placem Dei iram. Atque hæc quidem dixit vir diuinus. Sciendum est autem quòd non diuinæ sit operationis neque Amnonis nefarius concubitus, neque Absalonis fraterna cædes, nec furor in patrem. sed domus nudata diuina prouidentia, fuit instar scaphæ carentis gubernatore, & sustinuit vehementes fluctus insanorum Dæmonum.

Ex cap. 17. 33 *Quomodo Achitophele consiliario vsus est diuinus Dauid mala consulente.*

Sceleratissimi Dæmones celant suam nequitiam conuersantes cum bonis: sed si inuenerint aliquem qui eorum delectetur studijs, eam aperiunt, & ea loquuntur quæ conferunt audientibus. Iste quoque erat talis. Nam & diuino Dauidi eas adhibebat suasiones & consilia quæ optimo eius scopo conuenirent: & ea Absaloni consulebat quæ eius congruebant moribus. Timens enim ne natura eos rursus coniungeret, deinde si fieret reconciliatio, pœnas daret proditionis, extremam illam suggerebat iniquitatem, vt reconciliationi nullus pateret aditus. Statim autem dedit pœnas illius impiæ & nefariæ suasionis. & quoniam in patrem armauit filium, ipse rursus in se armauit manus: & ijs laqueum collo injciens, miserrimum sustinuit finem. Nam cùm ad rerum finem prævidendum esset idoneus, non admissa eius suasione, Dauidis futuram credidit victoriam. & timens proditionem, sua manu de se sumpsit supplicium. Docuit autem diuina scriptura quòd Deus Chusi opem tulerit. Dominus, enim inquit, mandauit vt dissiparet consilium Achitophelis bonum, pro eo quod est, tyrannidi conducibile. Ea de causa psallens dicebat *Psal. 7.*
beatus Dauid, Ecce parturijt iniquitatem, »
concepit dolorem, & peperit iniquitatem. »
Lacum aperuit, & effodit eum, & incidet in »
foueam quam fecit. »

Ex cap. 18. 34 *Quid est, Et tu, sicut nos, decem millia.*

Regem volentem esse belli socium prohibuit Dux exercitus, & veritus ne ei aliquid accideret. erat enim verisimile aduersus eum solum processuros maleuolos: & anxius ne si vicisset, misereretur Tyranni. Dixerunt ergo, si victi aufugerimus, vitam habemus sufficiens solatium. Sin autem aliquid tibi acciderit, aduersus nos omnes procedet calamitas. Hanc enim sententiam posuit Symmachus. Et tu, sicut nos, in decem millibus. Iustus autem iudex concessit, vt Dauidi hę inferrentur calamitates, ab eo admissæ medens iniquitati. De illo autem scelerato iustas sumpsit pœnas. Effecit enim vt in querceto equitans veniret sub arborem, quæ ramos habebat inclinatos, vt qui obliquè germinarant, non multum inter se distantes. Illic, cùm venisset mulus, inter ramos quidem infixum fuit eius caput. pependit autem totus. transmisit autem mulum foliorum strepitus. Ille autem mansit suspensus, iucundissimum spectaculum viris pijs, & omnia administrantis prouidentię iustam ostendens sententiam. Hoc conspicatus quispiam ex alijs militibus, non ausus est ei plagam infligere. timebat enim legem Regis. Dux autem exercitus finens patrem misereri, in cor execrandissimum tria confixit tela. Deinde eum deiectum cùm in propè sitam vallem profundam abiecisset, iussit toti populo vt lapidibus obrueret, adeò vt supplicium ei esset sepulchrum.

2. Reg. 14. 25 *Quamobrem dixit quidem scriptor superius* *2. Reg. 18.*
quòd tres habuit filios, vnam autem filiam, nunc autem dicit contrarium, nempe quòd ædificauit columnam, vt qui non haberet filium, per eam prouidens vt sui esset memoria.

Est vtrunque verum. est enim verisimile eum & liberos procreasse, & eos decessisse. Iosephus autem dicit eum hoc fecisse, vtpote quòd filij non possent diu durare: ædificium autem posset diu eius conseruare memoriam

Ex cap. 18. & 19. 26 *Quamobrem Dauid diu luxit filium sceleratissimum*

Et filium amabat, & erat benignus & clemens. Huius autem rei est indicium eius quoque de Saule luctus. Hic autem natura quoque maiores effecit dolores. Ad hæc accedit, quòd tanquam pius luxit eum qui non poterat amplius curari per pœnitentiam. Nam post mortem pœna peccati est immedicabilis.

Ex cap. 20. 27 *Cur pollicitus est Amasa eum futurum ducem exercitus, cùm Ioab multos labores & pericula pro eo subijsset.*

Ioabi audaciam perpetuo odio habuit. Tolerabat autẽ propter eius ingeniũ ac prudentiam,

tiam, & suspectum eum habens ne quid noui in eum moliretur. Cùm autem vidisset Abisai (erat autem is quoque fratris filius) à Tyranno fuisse creatum Ducem totius exercitus, ei significauit vt ad ipsum veniret, pollicitus se ei daturum imperiũ exercitus quod habebat Ioab. Hæc cùm resciuisset Ioab, inuidiæ stimulo percussus ob ea quæ fuerant ipsi significata, cædem ei intulit simulans beneuolentiam & amicitiam.

Ex cap. 19. 28 *Quomodo est intelligendum, Decem mihi manus in Rege.*

Cùm fuisset lis & contentio aliarum tribuum cum tribu Iuda, causante, quòd ea Regi prior occurrisset, & respondentes dixissent Regem esse eorum tribulem, & magis ad eos attinere propter propinquiorem cognationem; ea de causa dixerunt qui erant ex alijs tribubus, se decem manus habere in Rege. Nam tribus quidem Beniamitica coniuncta erat tribui Iuda. Addiderunt etiam quòd habent priuilegia primogenitorum, & propter Rubem vt qui sit natura primogenitus, & propter Ioseph, cui propter virtutem hæc sors obtigit. Primogeniti enim accipiebant duplum paternæ hæreditatis. Et ideo Patriarcha dicebat Iosepho, Ephraim & Manasses *Gen. 48.*
» tanquam Ruben & Symeon erunt mihi. Ma-
» gnus itaque Moses & Iesus Naue eius succes-
sor, duplicem eis tribuerunt sortem.

Ex cap. 20. 29 *Cur Dauid incluserit concubinas, quæ inuitæ coierant cum Tyranno.*

Existimauit impium cum eis habere consuetudinem post execrandum filij sui coitum. Nam lex quoque apertè hoc prohibuit. Cum alio autem non coniunxit, ne hoc quoque esset occasio & prætextus Tyrannidis. & *Rom. 7.*
alioqui nec fuisset quidem hoc matrimoni-
» um. Viuente enim marito appellatur adulte-
» ra, si fit alterius viri, vt dicit diuinus Apostolus. Quòd si etiam lex permittebat infenso mulieri, vt ei daret libellum repudij: at hic non separabat odium, sed nefarius filij concubitus. Ea de causa eas traduxit in aliam domum, omnem earum curam gerens.

30 *Quomodo est intelligendum, Si defecerunt quæ statuerunt fideles Israelis.*

Sabee cùm inuasisset Tyrannidem, deinde fugisset, confugit in ciuitatem Abel. ea autem est ciuitas Palestinæ, quæ nunc nominatur Abela. Cũ ergo Dux exercitus adduxisset exercitum ad eam obsidendam, sapientissima mulier diuinarum legum eum admonuit. Iussit enim lex diuina vt primum mitteretur legatio: deinde instrueretur acies aduersus
» contradicentes. Et dixit ei, Si defecerunt
» quæ statuerunt fideles Israelis. hoc est, non sunt transgredienda quæ sunt statuta legibus.
» Deinde subiunxit, Ego autem sum pacifica
» pro firmamentis Israelis. Tu autem quæris
» morte afficere ciuitatem & metropolim in Is-
» rael. Cur demergis ciuitatem Domini? Quoniam, inquit, tu conuenienter legi Domini non misisti legationem, ego te doceo quòd ciuitatis scopus non est hostilis, sed pacem expetit. Noli ergo euertere ciuitatem, quę non est alterius sed eiusdem generis, & quæ est sub eodem & Deo & Domino. His verbis auditis Dux exercitus dixit, se nec belli nec obsidionis teneri cupiditate: sed solum velle eum subiungere qui aduersus Regem struxit Tyranni dem? Cùm ergo causam obsidionis intellexisset sapientissima anima, persuasit Ducibus ciuitatis ne periculo belli subijcerent ciuitatem, sed recordarentur Regis pietatis & æquitatis, & in bello gerendo virtutis: & quòd propter illius labores fruuntur pace stabili. His verbis vsa, Tyranni caput proiecit in castra, & soluit obsidionem.

31 *Rogatus fuit rogatus in Abel & in Dan, an defecerunt quæ statuerunt fideles Israel.*

Rogatus, inquit, qui tuis auspicijs aduersus nos duxit exercitum, nempe ciuitatem Abel, & ciuitatem Dan, hoc fuit rogatus, Num abrogatæ sunt leges pacis? Ego autem, inquit, sum pacifica, pro eo quod est, Pacem significans ciuitatis Israeliticæ.

32 *Quid est, Super laterculum & super potentes.*

Laterculum existimo appellari, quod apud scriptores externos appellatur πλαίσιον, id est agmen quadratum. est autem hoc, genus militaris ordinis habentis figuram quadratam. Quomodo ergo nunc apud Romanos qui nominatur magister, est is cui mandatum est vt præsit & imperet peditibus qui sunt circa Imperatorem, nempe satellitibus & stipatoribus, ita præerat Bameas custodibus corporis, cùm alius exercitus pareret Ioab Duci exercitus.

33 *Quomodo est intelligendum, Sadoc & Abiathar sacerdotes, & Iodac erat sacerdos Dauidis.*

Sadoc & Abiathar habebant dignitatem sacerdotalem. Iste autem cùm esset sacerdos, degebat intra regiam, arcę diuinæ semper assidens, & regia sacrificans sacrificia.

Ex cap. 21. 34 *Cur cùm Saul sustulisset Gabaonitas, post mortem illius fuit castigatus populus.*

Totus populus fecerat fœdus cum Gabaonitis. iurisiurandi autem particeps fuit & Sacerdos Eleazar & Iehu Propheta. Oportebat ergo eos qui genus duxerant ab ijs qui iurarant, facta fœdera non transilire, Regi autem contra legem facienti persuadere, vt seruaret iusiurandum. Propterea etiam post illius mortem, sustinuerunt famis castigationem. Per hæc autem nos docet qui omnia sapienter administrat, quòd etiamsi diuturna vtens lenitate ac patientia, non inferat statim pœnam legis non obseruatæ, postea tamen iusta exigit supplicia. sicut tunc certè fecit. Nam cùm quadraginta anni præterijssent, nubes quidem aliquid ne pareret, sterilitatis autem morbo terram subiecit. fame autem punijt eius habitatores. Rex autem ignorans causam plagæ à Deo immissæ, iustum rogauit Iudicẽ. Cùm ergo cognouisset quòd de iniqua cæde Gabaonitarum exigantur pœnę, ijs ipsis qui iniuria affecti fuerant vsus est iudicibus. Dixit enim Dauid Gabaonitis, Quid » vobis faciam, & in quo placabo, & benedice- »
tis hære-

tis hæreditati Domini? Sed hæc verba non exaudiunt Iudæi, quòd semen Abrahæ opus habuerit benedictione Chananæorum. Sed de suis maioribus sibi placent & magnos sumunt spiritus: nec volunt intelligere, quòd virtus est longè illustrior nobilitate maiorum: & quod est ex fide præputium legem seruans, te iudicabit qui per literam & circuncisionem es transgressor legis. Quomodo ergo qui tunc peccarunt Israelitæ opus habuerunt benedictione Chananæorum: ita etiam qui Dominum in crucẽ egerunt, exciderunt à maiorum nobilitate, & egent doctrina eorum qui crediderunt. Illud quoque præter hæc oportet adnotare, quòd Saul zelo vsus cum alijs Chananęis occidit Gabaonitas. hoc enim docet diuina scriptura. Nõ erant, enim inquit, Gabaonitæ ex filijs Israel, quoniam erant ex reliquis Amorrhæis: & filij Israel eis iurarũt se nõ eos esse perdituros. Nos ergo doceat oratio ne transgrediamur fœdera quæ fiunt adhibito Dei iureiurando. etiamsi fiat transgressio in aliorum vtilitatem. Atq; Gabaonitæ quidem petierunt septem viros ex cognatione Saulis, numero pares diebus in
» quibus tempus voluitur. Non est, enim dixe-
» runt, nobis argentum nec aurum cum Saule
» & cum domo eius. & non licet nobis morte
» afficere virum ex vniuerso Israele. Vir qui
» nos consummauit & est persecutus, & qui nos
» decepit vt funditus perderet, eum delebi-
» mus vt non sit in vniuersis finibus Israelis.
» Dentur nobis septem viri ex filijs eius. & eos
» Soli exponemus in colle Saulis, electos Do-
mino. Metropolis ergo Gabaonitarum appellabatur Gabaon. Muratum autem hoc nomen in linguam Græcam, nominatur collis. In eo ergo loco viros sibi traditos palo affixerunt. in quo ille ausus est admittere iniquas cædes. ἐξηλίασεν enim, id est Soli exposuit, Aquila dixit, Infixit. Isti autem fuerunt duo quidem filij Saulis nothi. quinque autem eius nepotes. Postea autem eos quoque Dauid donauit sepultura. Sumpto autem de eis supplicio placatus fuit Dominus, & effecit vt nubes parturientes parerent: & iussit terræ vt more solito produceret fructus. Nos autem per hæc discimus, quòd Dominus non nouit differentiam generis, sed eos qui sunt iniuria affecti vlciscitur, etiamsi sint alienigenæ.

35 *Quis factum sit vt Dauid deficeret in acie.*

Erat senex, vincebat autem corpus animi alacritate. Cùm autem in conflictu multum sustinuisset laborem, erat enim primus pugnans in acie, defessus est ac defecit non ferens laborem. Cùm autem in periculum venisset ne occideretur ab eo qui primus pugnabat inter alienigenas, fuit seruatus præter opinionem, cùm eum protexisset Abisai, & magnum illum hostem interemisset. Et hinc licet discere quòd Gigantes nominabant qui maxima habebant corpora. Iste enim genus duxerat è Gigantibus vt docuit historiographus. Cùm autem Regis periculum resciuisset Dux exercitus, iurauit se non amplius permissurum vt ipse esset socius in committendo prelio. est enim, inquit, æquum & expedit vt cedas senectuti, & intus sedens ordines aciem. Meminit autem historiographus aliorum quoque Gigantum, quos propter robur & magnitudinem corporis ij qui tunc erant sic nominabant, & non tanquam impios, vt nonnulli dixerunt, nec vt qui longo vixissent tempore. Post hæc autem bella, Dauid Deo hymnum composuit epinicion. Consonat autem cum Psalmo XVII. vel potius idem est, habens paucas nominum mutationes. Ego autem cum alijs Psalmis hunc quoque interpretatus, superuacaneum existimaui secundam componere interpretationem. Habet autem etiam prædictionem de
Seruatore Christo. Eripuisti me à populo. po- »
suisti me in lucem gentium. Populus quem »
non cognoui seruiuit mihi. in auditu auris o- »
bediuit mihi. Fuit autem in lucem gentium, non Dauid, sed qui ex Dauide secundum carnem, qui est Dauidis & Dominus & Filius. Quòd si etiam Dauid fuit in lucem gentium, fuit vt qui scilicet sua melodia illustret eos qui crediderunt in Christo. Omnibus enim ecclesijs quæ sunt in orbe terrarum, spiritualis hymnodia Dauidis illuminat piorum animas. Quoniam autem Iudæi nolunt eum nominare Prophetam, vt qui omnia euidenter prædixerit de nostro Seruatore, & de
fide gentium, audiant eum dicentem, Dauid 2. Reg. 23.
filius Iesse vir fidelis, quem suscitauit Deus »
Iacob. Et pulcher psalmus Israelis. Spiritus Psal. 50.
Domini locutus est in me, & sermo eius in »
lingua mea. Dixit Deus Iacob vt loqueretur in me. Si autem & Spiritus Domini locutus est ei, & Deo Iacob placuit loqui in eo: est ergo Propheta, & Propheta maximus, quoniam incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit ei Deus. Quantum autem profuerit castigatio docet historia. Cùm enim didicisset experientia quantas calamitates concliet cupiditas, frigidam quidem aquam appetijt, recordatus est autem eius, quæ erat in Bethleem. Tres autem ex ijs qui se strenuè gerere consueuerant in prælijs alienigena- 2. Reg. 23.
rum qui castrametati erant circa Bethleem, magno studio contenderunt vt afferrent aquam etiamsi Rex non iussisset, quam cùm citissimè hausissent, reuersi sunt, nullo ex alienigenis aggresso eos inuadere. timuerunt enim summam eorum audaciam. Sed Rex longè optimus non induxit in animum vt illius quam desiderabat aquæ fieret particeps: sed pia consideratione superauit cupiditatem. eam enim nominauit sanguinem eorum qui attulerant, quoniam cùm Regis curam suæ saluti prætulissent, magno impetu periculum adeuntes ruperunt aciem hostium, & seruati sunt præter opinionem à superis. Tantum obtulit studium in eum qui seruauerat, & ad tantã philosophiam eũ deduxit disciplina.

36 *Quomodo est intelligendum, Iste erat magni nominis inter tres supra duos insignes, & erat eis in principem, & ad tres vsq; non venit.* Ex cap. 23.

Trium

Trium & robur & virtutem laudauit. Abisai autem duobus quidem dixit præstantiorem, primo autem inferiorem. Ille enim in acie interemerat noningẽtos: hic verò sexcentos. Primus autem erat trium non in opere, sed in principatu. Hoc quoque sciendum est, quòd Baneas filius Iodae erat filius fratris Regis. appellauit enim eum nepotem Iesse. Cùm autem sæpe dixisset eorum fortitudinem, adiecit quòd erat clarus & insignis super tres: & ad tres non accesit. Nam cùm minoris esset roboris quàm tres, clarus erat vt cui mandata esset custodia Regis. Rex enim Dauid præfecit eum custodiæ suæ.

Ex cap. 24. 37 *Cur cùm Dauid numeraſset populum, populus luit ſupplicium.*

Populus luit pœnas suæ iniquitatis. Relicto enim Rege pio, militauit sub impio Tyranno & parricida filio, qui pio patri & Prophetæ moliebatur cædẽ, & qui à Deo vniuersorum acceperat regni creationem. Augetautem eorum crimen, quòd Saulem quidem condemnatũ & diuina priuatum gratia, nõ reliquerit donec peruenisset ad finem vitæ, idq; cùm Dauid fuisset vnctus à Propheta: Eum autem qui bona innumerabilia eis conciliauerat, & alienigenarum fregerat audaciam, & Amalec quidem penitus deleuerat: Idumęos autem & Moabitas & Syros vtrosque subiugarat & in seruitutem redegerat, & ferre tributa coegerat, & Propheticam erat adeptus gratiam, non solum reliquerint, sed etiam aduersus eum in acie steterint, & hostilia gesserint, crudelique impio & scelerato filio auxilium tulerint. Propter hæc ergo iustus Deus de ijs pœnas sumpsit, & per Dauidem sumpsit, quoniam eum affecerat iniuria. Hoc autem etiam do-
» cet historia. Et adiecit ira Dei vt iraſceretur
» in Israel. Prætextus itaque supplicij fuit fa-
» cta denumeratio. Commouit, enim inquit,
» Dauidem in eos, dicens. Vade, numera Isra-
» elem & Iudam. Sed non iussit verbis. reuera enim cùm ab eo poscęretur ratio recensionis, diceret quòd ipse iusserit numerare. sed concesit. hoc enim non dixit, sed confessus est se peccasse. Non ergo verbo iussit vt numeraret Israelem: sed Dauidi concesit vt hac vteretur cogitatione. Nam cùm sit Dominus Deus, permisit eum vti cogitationibus quæ non erant profuturæ. Etenim cùm vellet extruere templum Domini, significauit per Nathan prophetam ne de eo consilium caperet, sed eius rei administrãdæ curam seruaret suo filio. Quòd autem non ex operatione sed ex concessione ei fuerit hæc cogitatio, manifestius
1. Paralip. 21. docuit liber Paralipomenon. Sic autem dixit.
» Et surrexit Satan aduersus Israelem. & persua-
» sit vt numeraret Israelem. Satan autem vocat lingua Hebræa aduersarium aut apostatã seu defectorem. Quoniã ergo diuinis promissionibus erat contraria eiusmodi numeratio: Abrahamo enim dixerat Deus vniuersorũ, Fa-
» ciam semen tuum sicut arenam quæ est in lit-
» tore maris, quæ non numerabitur propter
Gen. 15. et 26. multitudinem, ea de causa nominauit eam Sa-
tanæ cogitationem, vt quæ sit contraria promissioni: sed propter Israelem fuit hæc cogitatio. Surrexit, enim inquit, Satan aduersus » Israelem, & commouit in eos Dauidem, di- » cens, Vade, numera Israelem & Iudam. Si au- » tem Dominus iussit hoc fieri, cur pœnitentia mouetur Dauid, vt qui diuinum impleuerit mandatum? Percussit, enim inquit, cor Da- » uid ipsum postea, quòd numerauit populum, » & dixit Dauid, Peccaui Domino, quòd fece- » rim verbum hoc. Et nunc Domine, aufer ini- » quitatem serui tui, quoniam fuit valde insipi- » ens. Est ergo perspicuum quòd concessionẽ vocarit mandatum, quoniam cùm posset prohibere non prohibuit, per hoc volens castigare iniquos. Et primum quidem eis voluit reuocare in memoriam promissionẽ factam patribus, & eius ostendere veritatem, deinde docere ex vno Iacob quot orta sint millia. Ea de causa iussit primum numerari. Deinde verò punijt. Misit autem Gad Prophetam ad eum qui numerauerat, tres proponens conditiones, aut famem quam tres anni dimetirentur, aut irruptionem hostium tribus mẽsibus pervim vincentium & persequentium, aut mortẽ ex peste quæ duraret tribus diebus. Hæc autem Regi cùm dixisset Propheta, properauit vt à Rege acciperet responsum. Nunc ergo, in- » quit, statue quod verbum respondeã ei qui me » misit. Rex autem sapiẽtissimus & iustissimus, cogitans quòd ipse quidem famem posset effugere vt Rex qui frumentum haberet reconditum: in solos aũt pauperes grassaretur supplicium: & in bello posset effugere manus hostium, primum quidem vt qui arces haberet munitissimas & validissima præsidia, & deinde stiparetur à viris fortissimis, non æquum esse existimauit vt suæ salutis curam gereret, sed vt etiam castigationis esset particeps cum populo. Mors autem eiusmodi similiter pauperis & diuitis non nouit discrimen, neque timidi & fortis, neque serui & Domini, neque priuati & Regis, sed omnes similiter inuadit. Ea de causa hoc supplicium præposuit alijs. Hic est distributor suppliciorum. Dauid enim dixit ad Gad. Valde angusta mihi sunt hæc tria. Sed incidam in manus Do- »
mini. quoniam valde multæ sunt eius mi- »
serationes. Non incidam autem in manus »
hominum. & elegit Dauid mortem. Trium enim dierum mortem Deus minabatur: sex autem horis solum mortem intulit. Si dies autem numerentur cum noctibus, inuenitur pars solum duodecima minarum illata esse populo. Ita Deus benignus & clemens maioribus quidem vius est minis, minis autem longè minora infert supplicia. Ex noningentis enim millibus, quæ erant ætatis militaris, exceptis scilicet & qui eam ætatem nondum attigerant & qui excesserant, & præterea mulieribus & Leuitis, & tribu Beniamitica, nam cùm pœnitentia motus esset Dauid, non sunt annumerati, interempta sunt solum septuaginta millia. idque cùm potuissent omnes perimi in momento temporis.

Neque enim tempore egebat vltor Angelus. Momento enim temporis peremit & primogenita Aegyptiorum, & centum & octoginta quinque millia Assyriorum. Tempus ergo est benignitatis, non autem impotentiæ. Protinus ergo super Hierusalem visus est Dauidi Angelus Domini nudum habens ensem, vt peteret veniam. Digna autem admiratione sunt ipsa verba Regis. Ecce, enim inquit, peccaui: & ego pastor malum feci. & isti qui sunt grex quid fecerunt? Sit manus tua super me, & super domum patris mei. Ignorans causam, suum peccatum vocauit quod fuerat factum. & vt in suum genus iusta ferretur sententia supplicauit vtens verbis boni pastoris, & imitans filium suum & Dominum, qui animam suam posuit pro ouibus. Exaudita autem supplicatione bonus Deus iussit in illo loco extrui altare, in quo supplicium diuina prohibuit misericordia. Illud autem, Pœnituit Dominum, superuacaneum est interpretari. Eius enim sensum sæpe diximus. & quòd dispensationis significet mutationem. Protinus ergo Rex profectus, petijt ab Orna Iebusæo vt venderet sibi aream. Illo autem promittente se gratis daturum & aream & boues & ligna aratrorum, vt ex illa quidem aram ædificet, hos verò sacrificet, lignis autem ignem admoueat, Rex dixit æquum esse vt non ex alienis sed ex suis dona Deo offerat. Hæc cùm ab eo didicisset filius eius Solomon, suadet dicens, Honora Dominum ex iustis tuis laboribus, & ei offer primitias ex tuis fructibus iustitiæ. Hæc Rex implens, vbi emisset, aram ædificauit, & sacrificium obtulit, & Deum placauit. Sciendum est autem quòd in illo loco templum ædificauit sapiens Solomon. Hoc enim docet etiá historia. Et adiecit (enim inquit) Solomon altare in extremis, quod primo erat paruum. Prouer. 3.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,
IN LIBRVM TERTIVM REGVM.

Ex 3. lib. Reg. cap. 1. 1 *Quidam existimant aegrè tulisse Nathan quòd non fuerit inuitatus ad cœcilium, & ideo effecisse vt Bethsabee indicaret Regi quæ facta fuerant.*

1. Paralip. 17. Valde desipiunt qui hoc suspicantur. Propheta enim Dei norat sententiam. Per eũ enim significauit Regi. Non tu ædificabis mihi domum, vt me in ea honores, sed ecce filius tuus mihi ædificabit. Is erit vir quietis. & faciam eum quiescere ab omnibus inimicis suis in circuitu. Solomon nomen ei. & pacem nouã dabo ei in Israel in diebus eius. Is ædificabit domũ in nomine meo. Hæc cùm sciret Propheta, & aspexisset Adoniam, qui est etiam Ornias, rapuisse regnum præter Dei voluntatem & consilium, admonuit Regem per Bethsabee diuinæ promissionis: Deinde ingressus verba illa confirmauit.

2 *Geon quemnam vocet.*

Geon quidem nominatus est Nilus. est enim vnus ex quatuor fluuijs. Idque Deus ipse aperte docuit per Hieremiã, dicens. Et nunc quis in via Aegypti vt bibat aquam Geon? Cognominat etiá Siloen Geon. vel tanquam valde paruũ, ironicè sic eum vocans: vel quoniam ipse quoque exit ex obscuris sub terra meatibus, sicut Nilus. Iussi sunt autem vngere Solomonem Sadoc Põtifex & Nathan Propheta. Prælatus est autem Prophetæ quidem Pontifex, Duci autem exercitus Propheta. Simul autem missi sunt & funditores & sagittarij. eos enim vocat Cerethi & Phellethi.

3 *Cur principes apud patrem filio benedicẽtes, optarunt eum fieri patre clariorem & illustriorem, Deus, inquit, faxit vt sit nomen filij tui Solomonis bonum super nomen tuum, & magnificet sedem eius super sedem tuam.*

Sciebant quòd nemo qui paternam habet dilectionem, æmulatione prosequitur filios: & quòd est proprium patrum velle videre filios se clariores. Arius enim & eius filij soli hac laborant amentia. Dauid autem adeò lętatus est ijs quæ dicta fuerant à principibus, vt etiam cùm senectus vetaret ne surgeret, inclinatus Deum adorauerit, qui promissis finem dederat. Benedictus, inquit enim, Dominus Deus Israel, qui dedit hodie ex semine meo sedentem super sedẽ meam: & oculi mei aspiciunt. Atque Deo quidem hunc obtulit hymnum: regni autem successori filio iussit vt integram conseruaret pietatem. Primum autem communem ostendit finem. Ego, inquit, vadam in via vniuersæ terræ: & corroborabe־ris, & eris in virum virtutis: & custodies custodiam Israelis, vt ambules coram ipso ad custodiendam viam eius, præcepta eius, exactas iustificationes eius, & iudicia eius, & mandata eius, & testimonia eius, sicut scriptum est in libro Mosis: neque quodlibet ex ijs quæ scripta sunt transgredi audeas. Hoc enim significant exactæ iustificationes, & iudicia, & testimonia, & mandata. Et statim ostendit lucrum quod inde oritur, Vt rectè succedant omnia quæ facies. Nam si hæc à te fiant, implebit bonus noster Dominus, quæ ab ipso facta est & scripta promissionem, nempe quòd tibi non Ex cap. 2. lib. 3. Reg.

non tolletur vir à sede Israel.

Ex cap. 2. 4 *Quare cùm ipse non punierit Ioab, iussit filio vt hoc faceret.*

Primum quidem eum est reueritus, vt qui fuerit laborum & periculorum socius. Deinde etiam suspectam habuit eius audaciá. Hoc enim significauit p hoc quod dixit, Filij Seruiæ sunt animo duriores. Ad hæc accedit quòd cùm resciuisset eum Adoniæ adornare ac struere tyrannidem, timuit ne solita vtens malitia despiceret iuuentutem Solomonis: & duorum faceret alterum, nẽpe vt aut persona vtens beneuolẽtiæ eum interimeret, sicut occidit Abner & Nor & Amasiam: aut apertè aduersam strueret aciem, & diuideret Israelem. Eum etiá docuit Berzellai beneuolentiam, & iussit vt eius filiorum omnem curam gereret, se hoc illi debere confitens.

5 *Cur cùm Semei dedisset veniam, Solomoni iussit vt ipsum puniret.*

Virum nouerat tyrannicum & valde audacem: & filij sui prouidens saluti, eum docuit quæ ausus sit, vt viri caueret prauitatem. Sciebat etiá vt propheta, fore vt periret transgrediens mandata Solomonis.

Ex cap. 3. lib. 3. Reg. 6 *Quid est ciuitas Dauidis, quam diuina scriptura vocat Sion.*

Ciuitas Dauid vocata fuit superna ciuitas. rursus autem nominatur superna Hierusalem. In ea autem dicit Iosephus & ipsum fuisse sepultum, & qui post ipsum fuerunt Reges. monimentum autem esse iuxta Siloe, figuram autem habere antro similem, & planè regia structum esse magnificentia. Dicit autem multum quoque auri cum eo fuisse infossum à filio Solomone. & hoc fuisse perspicuum ex ijs quæ postea facta sunt ab Hircano Pontifice cùm obsideretur ciuitas ab Antiocho filio Demetrij, qui monimentum effodit, & tria talentorum millia illinc eduxit. Rex autẽ Dauid septuaginta annos natus vitæ finem accepit. Nam triginta quidem annos regnauit, quadraginta autem annos trãsegit in regno.

Ex 2. cap. 3. Reg. 7 *Quidam reprehendunt Solomonem quòd fratrem suum occiderit.*

Diuersa est hominum vita. Nam alij quidem summam exercent Philosophiam: alij autem virtutem, quæ dicitur politica aut ciuilis: alij verò regiam aut Imperatoriam. Oportet ergo vnumquemque examinare ac diiudicare ex vitæ quam sequitur ratione. Non est itaque à Solomone exigenda prophetica, neque Apostolica perfectio: sed ea quæ conuenit Regibus. Sciebat autem ipsum Adoniam affectare tyrannidem. conatus enim erat regnum arripere. In priori ergo sermone ei ignouerat, & salutem dederat, promittente Adonia fore vt sapienter & modestè se gereret. Postquam autem perijt patris coniugem, non ei quidem concesit postulatum, vt qui propterea quòd esset propensus ad seditionem viam struereet ad tyrannidem: sed iussit interfici Adoniam.

Vnde cap. 2. 8 *Cur Ioab Deum alloquentem occiderit.*

Lex Dei iussit hoc fieri. Sanxit enim vt interimeretur homicida qui ad altare confugerat. Semee autẽ ipse in seipsum traxit sententiam mortis. Nam cùm metropolim habitare esset pollicitus, & iureiurando confirmasset promissum, legem est transgressus, & præter pacta conuenta ausus est foris degere. Exod. 21.

9 *Quamnam ob causam Abiathar priuauit Sacerdotio.*

Fuit Adoniæ socius & conscius tyrannidis. hoc enim ostendunt etiam verba Solomonis. Reuertere, inquit, in agrum tuum & in domum tuam, quoniam tu es filius mortis hodie. & te morte non afficiam, quoniam tulisti arcam testamenti corã Dauid patre meo, quoniam afflictus fuisti omnibus malis quibus pater meus fuit afflictus. Erat ergo, vt dixi, ipse quoq; obnoxius crimini tyrannidis, vt qui opẽ tulisset Adoniæ audaciæ. Sed diuinæ quoque prædictionis administer fuit Solomõ. Heli enim & per benedictum Samuelem & per aliũ Prophetam prędixit Deus generis ignominiam. Hoc autem historia quoque ostendit, dicens. Et eiecit Solomon Abiathar vt non esset Sacerdos Domini, vt implerentur verba Domini quæ locutus est in Silo super domũ Heli.

10 *Quomodo est intelligendum, Multiplicata est sapientia Solomonis super prudẽtiam omnium filiorum antiquorum, & super omnes prudentes Aegypti.* Ex cap. 3. lib. 3. Reg.

Ex mutua cõparatione voluit historiographus eius ostendere sapientiam. Ea de causa & veterum qui olim fuerũt sapientum inde finitè meminit: & adiecit Aegyptios vt qui præter omnes viderentur esse sapientes. Nam vt narrant Græci, & Pherecydes Syrus, & Pythagoras Samius, & Anaxagoras Clazomenius, & Plato Athenienſis apud eos sunt peregrinati, & Theologiam & Physiologiam exactiorẽ & accuratiorem sperantes ab eis discere. Porrò autem diuina quoq; scriptura narrans de Mose legislatore, dixit eum fuisse eruditum in omni sapiẽtia Aegyptiorũ. Hos, inquit, omnes obscurauit Solomon, vt qui à Deo acceperit donum sapientiæ. Laudi autem eius sapientiæ coniunxit reprehensionem. Transgressus est enim legem latã de matrimonio, quæ prohibuit ne coniungerentur cum fœminis alienigenarum. Ipse enim accepit vxorem filiam Pharaonis.

11 *Quid est Archicamyos Tharau super exportationes.*

Is erat qui præerat ijs qui apportabãt lapides & ligna, ijs, inquã, qui asportãt, quos nunc ὑωτοφόρες, id est baiulos, nominãt. Ostendit aũt historia quòd finem accepit Dei promissio. Promiserat enim se daturum Israelià fluuio Aegypti vsq; ad fluuium magnũ Euphratem. Imperabat, enim inquit, Solomon super omnes Reges à fluuio & vsque ad alienigenas, & vsque ad terminos Aegypti.

12 *Quomodo est intelligendum, Et populus erat adolens in excelsis.*

Non hic eos reprehendit quòd sacrificarent idolis, sed quòd præter legem in locis excelsis Deo offerrent sacrificia. Lex enim

iussit Deum colere in vno loco. Veniam tamen est adeptus, quoniam diuinum templum nondum fuerat ædificatum. Nam hoc quoque docuit historia. Erant enim sacrificãtes & adolentes in excelsis: quoniam non fuerat domus ædificata nomini Domini. Sunt itaque hinc intelligenda quæ narrantur de alijs Regibus, quòd sustulerunt lucos & colũnas contriuerunt, cæterùm excelsa non sustulerunt. Nam & Iosias & Iosaphat & aliqui alij prohibuerunt sacrificare Dæmonijs: & templa eorum diruerunt. non tamen cessarunt offerre sacrificia in excelsis. Ezechiæ tamen & Iosiæ huius perfectionis testimonium fert diuina scriptura. Quòd autem in excelsis Deo vniuersorum offerret sacrificia, deinde testatur. Dilexit, inquit, Solomon Dominũ quòd ambularet in præceptis Dauidis patris sui. cæterùm in excelsis sacrificabat & adolebat. hoc est, non ante tabernaculum, neq; ante arcam, vt lex iubebat diuina. Quòd autem non idolis sed Deo vniuersorum tunc offerret hecatombas, nos apertè docet historia. Iuit, inquit, Solomon in Gabaon, illic sacrificatum, quoniam ea est altissima, & quæ mille holocausta capiat. & obtulit Solomon super aram quæ est in Gabaon. Et visus est Dominus noctu Salomoni, & dixit ei, Pete tibi petitionem. Si autem obtulisset idolis, Deus non esset eum remuneratus omne genus donis. Nam cũ sapientiã magis elegisset quàm omnia quæ sunt aut videntur in vita bona, dedit ei munificus Deus sapientiam quidem quantam capiebat natura, diuitiasq́ue & potentiam, pacemq́ue supra omnes qui tũc fuerunt Reges, & gloriam quæ peruasit vniuersum orbem terræ. Digna quoq; sunt admiratione verba eius orationis. Nam cùm in memoriam reuocasset bona quæ fuerant patris, & eũ laudasset qui ea suppeditarat, obtulit pro se supplicationem. Et nunc Domine mi, Domine tu dedisti seruum tuum pro Dauide patre meo. Ego autẽ sum paruus puer: & nescio ingressum meum & exitũ meum. Et seruus tuus est ex aduerso populi tui quem elegisti populum multũ, sicut arena maris quæ non numerabitur præ multitudine, & non recensebitur. & dabis seruo tuo cor prudens ad audiendum & discernendũ populum tuum in iustitia vt intelligat inter bonum & malum. Per hæc autem docuit & naturę imbecillitatem, & ætatis finem, & datæ potestatis magnitudinem, & mysterij necessitatem, & petitionis prudentiam. Quamobrem Dominus Deus laudata petitione, & eam dedit, & alia addidit. Hanc etiam legem tulit in sacris Euangelijs. Petite, enim inquit, regnum Dei, & iustitiam eius, & cætera omnia adijcientur vobis. Atque hæc quidem dona dedit Deus Solomoni, pollicitus est autem se omnem eius curam gesturum. Nam si ambulaueris, inquit, in via mea, vt custodias mandata mea & præcepta mea, in quibus ambulauit Dauid, tuos quoque dies producam.

Matth. 5.

13 *Quomodo est intelligendum, Et expergefactus est Solomon, & ecce somnium.*

Cùm, inquit, surrexisset, recordatus est somnij, & intelligens id diuinã esse reuelationẽ, reuersus quidem est in metropolim: ante diuinam autem arcam obtulit sacrificium gratiarum actionis.

14 *De duabus meretricibus narrationem quare posuit qui scripsit historiam.*

Vt ostenderet Regis sapientiam. est enim sapientissimæ rerum intelligentiæ ea quæ latent ostendere, & quæ sunt occulta aperire, & de natura habere quæstionem & controuersiæ ei dandã permittere sententiam. Protinus ergo altera quidẽ ostensa est mater, altera verò fuit refutata.

15 *Cùm Abiathar mouisset à Sacerdotio, quomodo eum rursus constituit in dignitate & ordine Sacerdotij.* Ex lib. Reg. 3. cap. 4.

Sed hoc habuit ex maiorum suorum successione.

16 *Quæ suppeditabantur mensæ Regis quinam consumebant.*

Non solum ministri, sed etiam multitudo custodum corporis, satellites & stipatores, & qui cum eo conuiuabantur Principes.

16 *Quinam sunt Ethan & Eman quos Solomon superauit sapientia.*

Illo etiam tempore erant quidam insignes sapientia. vnde etiam eorum nominatim meminit. Ethan autem & Aiman erant ex Psalmistis, Deum laudantes in citharis, nablis, & cymbalis.

17 *Quomodo est intelligendũ illud, Locutus est de ligno à Cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum quæ exit ex pariete, & cætera.*

Dicit eum naturali ratione locutum esse de naturis & potestatibus herbarũ, & arborum, & brutorum etiam animantium: adeò vt hinc sint impulsi & qui libros scripserunt medicinæ, & plurima sumpserunt: calidorumq́; & frigidorum, siccorumq́ue & humidorum ordinem composuerunt, & hæc herba quantum sit illa calidior aut frigidior. & hæc pars animalis cuius sit morbi medicamentum, aut fel hyænæ, aut adeps leonis, aut taurinus sanguis, aut viperarum carnes. De ijs enim arbitror sapientes medicos ab ijs quæ scripta sunt à Solomone scribendi primã accepisse occasionem.

18 *Quid est, Et dedit ipsas Pharao mittens ad filiam suam eius vxorem.*

Vxori Solomonis quas cepit vrbes ei dedit dotem, cùm eam despondit Solomoni.

19 *Quomodo est intelligendum illud, Misit Hiram Rex Tyri filios suos ad vngendum Regem Solomonem pro Dauide patre suo.*

Vnctionem appellauit electionẽ. Nam cùm esset alienigena, non eum vnxit Regem, sed vt paternus amicus regnum suo approbauit suffragio.

Quid sibi vult Maclet.

Interpretatur mensura. Dedit, enim inquit, Solomon Hiram vicies mille coros frumenti maclet domui eius, & vicies mille Bath olei contusi. Illud Bath alij interpretati sunt Batum. Batus autem est mensura Palæstina, quæ continet, vt dicit Iosephus, septuaginta sextarios & quatuor choas seu congios.

20 *Cur non statim cùm primum fuit Rex, sed quarto anno cœpit ædificare templum.*

Prius parauit materiam. deinde iecit fundamenta. Hoc etiam docuit historiographus. Et parauit lapides & ligna tribus annis ad ædificandam domum.

Ex cap. 6. lib. 3. Reg.

21 *Si templum ædificauit lapidibus non cæsis securibus, vbinam opus fuit tot lapicidis?*

Ipsum quidem templum ędificauit ex lapidibus minimè cæsis securibus. cùm diuina vo Iuisset prouidentia vt inuenirentur eiusmodi sua sponte nati lapides. adeò vt ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, sed absq; vlla arte ædificandi inter se aptè cõiungerentur. Sectis autem lapidibus extructus fuit templi ambitus, & regiæ, & murus metropolis, & aliæ vrbes quas effecit munitiores. Summatim autem exponam templi ædificium. Eius longitudo erat sexaginta cubitorum. Latitudo autem viginti. Versum autem erat ad Orientem, vt qui precabantur, non adorarent Solem orientem, sed Dominum Solis. Nemo autem miretur si cùm dixerit scriptura quadraginta cubitorum longitudinem, viginti autem latitudinem, ego longitudinem dixerim esse sexaginta. Nam paulo pòst meminit etiam aliorum viginti effecta esse sancta sanctorum. ea enim nominata sunt Daber. Ergo aliud quidem templum erat quadraginta cubitorum: viginti autem cubitorum erant sancta sanctorum. Cum templo ædificatæ fuerant aliæ quoq; extrinsecus domunculæ, vt & continerent ædificium, & nullus ex Leuitis tangeret parietes templi. Solis enim Sacerdotibus ingrediẽdum erat ad prius templum quod vocabatur Sancta. In sancta sanctorum autem ne ijs quidem licebat ingredi. Soli enim Pontifici mandatum erat vt ea tangere auderet quæ non erant tangenda. & neque ei semper, sed mense duodecimo in die propitiationis. In illis autem domunculis, quæ erant ædificatæ in circuitu templi, reponebantur vasa diuini ministerij. Templi autem vestibulum, quod lingua Hebræa nominatum fuit Elam, habebat quidem longitudinem latitudini templi mensura æqualem, decem autem cubitorum latitudinem. Habebat autem templum porticus intrinsecus quidem latas, extrinsecus autem valde angustas perforatis lapidibus ornatas. Hoc enim significat illud, Fecit autem ædi fenestras reticulatas occultas. Μέλαθρα autem vocat domunculas in circuitu templi ædificatas. Nemo autem miretur quòd essent quidem quinque cubitorum, tria autem haberent tabulata. Nam parietes quidem erant infernè latiores, vt ferrent pondus ædificij. Ablata autem particulatim laritudine, ijs quidem quæ erant duorum tabulatorum adiectus est cubitus, ijs autem qui trium, duo. Docuit autem & quòd interuallum dederit parieti in circuitu domus, ne attingerent parietes ædis. Iosephus autem dicit ipsum etiam templum fuisse duorum tabulatorum, & vniuersam altitudinem fuisse centum & viginti cubitorum. Hoc autem significauit etiam liber Paralipomenon.

22 *Quomodo est intelligendum, quòd malleus & securis, & quoduis instrumentũ ferri, non fuit auditum dum ædes ædificaretur.* Ex cap. 7. lib. Reg. 3.

Dixi iam templum fuisse ædificatum ex sua sponte natis lapidibus: sectos autem lapides quibus construxit ambitum templi, iussisse in monte dolariac poliri, & inter se compingi & concinnari, vt nulla de cætero egerent operatione. Hinc autẽ tacitè significauit scriptor quot tabulata haberet templum. Volubilis, enim inquit, in medio erat ascensus, & ex medio ad tria tabulata. Murus enim cùm esset latissimus, habuit ascensum instar cochleæ. hoc enim dixit volubilem. Tabulis autem cedrinis cõtexit omnia. & rursus auro obduxit tabulas. Οἰδέσμους autem seu ligamenta vocauit contignationes. Dixit autem eas fuisse cõstructas ex cedris, & cùm per quinq; lapides fecisset contignationem, totum ædificiũ ea opus habuisse. Quòd aũt templum esset sexaginta cubitorum, hinc licet discere. subiũxit enim. Et ædificauit viginti cubitos, ab extremo muro latus vnum, à pauimento vsq; ad trabes. Et fecit vsq; ad Daber parietẽ ad sancta sanctorum. & quadraginta cubitorũ erat ipsum templũ, quod erat è regione Daber, in medio domus intrinsecus, ad dandum illic arcã testamenti Domini. viginti cubitorum latitudo. & viginti cubitorũ eius altitudo: & vestiuit ipsum auro concluso. Hæc sunt ergo ea quę dicũtur sancta sanctorum. Hoc aũt nominatum est etiã Daber. Hoc verò in ijs quæ sequuntur clarius licet videre. Fecit, enim inquit, altare è regione Daber. Altare enim suffitus situ erat ante velũ. hinc quidẽ habens mensam, illinc verò candelabrũ. Rursus nos docuit quòd Daber vocet sancta sanctorũ. Fecit, enim inquit, in Daber duos Cherubim. Eorũ vnusquisque ita erat collocatus vt altera quidẽ ala tãgeret parietes, alterius aũt initia simul coniungerentur & arcã cooperirent. Omnia aũt cooperuit aurum, & tectum, & pauimentũ, & Cherubim, & parietes, & ostia, adeò vt intus nulla cerneretur materia. Quomodo aũt interna erant bisariã diuisa, ita etiã quæ erant sub dio. Ex ijs enim erant alia quidẽ omnium populorũ: alia verò erant destinata Sacerdotibus & Leuitis. Hos aũt ab illis arcebat septũ non admodum altum. Habebat aũt ea quoq; separationes eorum qui erãt intus, ne extrinsecus cerneretur sacrificiorum operatio. Fecit aũt duas quoq; columnas ex materia enea, q́ & forma erant & materia digna quæ spectaretur. Nam altitudo quidem absq; capitellis erat octodecim cubitorũ. quatuordecim autem erat eorũ circuitus. Posuit & capitella ex eadẽ materia, & lilia maxima in capitellis, & comã quandã retiformẽ appensam habentia mala punica. Ea autẽ ornabant vestibulum, ferẽtia melathron factũ ex eadẽ materia. Melathron aũt vocauit quod nunc ab aliquibus vocatur Epistylion. Hoc autẽ ostendit etiã historia, dicens, Additamentũ

melathron in vtrisque columnis. Fecit etiam lauachrum æneum, quod propter magnitudinem vocauit mare. nam habebat quidem formam hemisphærij, decem cubitorũ autem diametrum. & præterea triginta cubitos habebat orbis, quoniam quatuor palmorum mensuram habebat crasitudo. Nam si duo palmi, nempe & qui est hinc, & qui est illinc, proportione congruentem dimẽsionem accipiant cum diametro, inueniuntur vndecim cubiti. ij autem triplicati faciunt triginta tres. Id autẽ ferebant duodecim vituli, tres ad vnumquemque ventum respicientes. Lauachri autem labrũ foras inclinabatur, imitãs folia lilij. Liber autem Paralipomenon lauacrum appellauit Mechanoth. Iosephus aũt bases esse dixit Mechanoth. Trochaulos autẽ lauachra basibus imposita. In his autem lauabant hostias, & earum intestina, & earum pedes. Hoc enim aper-
,, tè docuit liber Paralipomenon. Ad lauãdas, e-
,, nim inquit, in eis hostias holocaustorum, & in eis emundandas. Mare autem ad lauandum in eo Sacerdotes. Has autem lauacrorum bases, quas appellant Asmechonoth, dixit constructas fuisse quadratas, habẽtes rotas subiectas similes rotis currus. Eę autẽ habebant expressas manuum effigies ferentes circulum coronæ similem cui imponebatur lauacrũ. Appellauit autem Thermastras lebetes in quibus solemus aquam calefacere. Construxit etiam candelabra aurea quæ posuit in templo èregione Daber, hoc est sancti sanctorum.

23 *Quomodo est intelligendũ illud, Intulit Solomon sancta Dauid patris sui & omnia sancta Solomonis.*

Sancta vocantur quæ sunt Deo dedicata, & quæ ex ciuitatibus allatæ sunt exuuię & spolia, sicut Iesus Naue Hiericho percusit anathemate, id est, Omne aurum & argentũ Deo dedicauit. Sancta ergo vocauit quæ Deo vniuersorum sunt destinata.

24 *Quamnam vocet domum syluæ Libani.*

Maximam domum ædificauit in regia, prętorij vestibulum. Eius longitudo erat C. cubitorum: latitudo autem quinquaginta. Habebat autem columnas cedrinas centum quin quaginta quinque. Existimo autẽ eam esse vocatam domum syluæ Libani, quoniam habebat multas columnas cedrinas, quę imitabantur nemus Libani. Elam autem rursus nominauit vestibulum, cuius longitudo quidem erat mensuræ æqualis latitudini domus. Longitudo enim erat quinquaginta cubitorum. latitudo autem triginta. Quòd autem ea domus esset connexa Prætorio, docet histo-
,, ria, dicens, Et throno Elam vbi iudicabit. E-
,, lam prætorij. & domus eorum in qua iudicabitur. Quòd autem ad hęc ædificia vsus sit sectis lapidibus, docent ea quæ deinceps sequuntur. Hæc omnia, inquit, sunt exsculpta ex pretiosis lapidibus, ex interuallo intrinsecus, & à fundamentis vsque ad suggrundia. Quòd autem Daber vocet sancta sanctorum, apertius discimus ex historia. Nam cùm dixisset scriptor, quòd cùm finem accepisset ædificium, conuocauit populum vt celebraret festum dedicationis, subiunxit, Et
,, efferunt Sacerdotes arcam testamenti Domi-
,, ni in locum suum in Daber domus, in sancta
,, sanctorum sub alis Cherubim.

25 *Quomodo est intelligendum, Quæ locutus es in nomine tuo, & in manibus impleuisti, sicut hæc dies.* Exo. cap. 3. Reg.

Per linguam proferimus, per manus autem operamur. Humano ergo more vtens verbis, dixit, Ijs quæ dixisti finem imposuisti. Patri enim meo, tuo autem famulo, pollicitus, te & eum qui ex ipso natus esset Regem electurum, & per ipsum templũ tuum ędificaturum, ostendisti tuorum verborum veritatem. Nam cùm naturam habeas incomprehensibilem, & neq; cœlo quod cernitur, neq; eo quod est superius continearis, manu factum templũ tibi construxisti non eo circunscriptus, sed in eo tuã faciens apparitionem, vt sint oculi tui noctu diuque aperti in hac domo, adeò vt & per se singuli, & communiter populus te rogans impetret postulata: & non soli indigenæ, sed etiam qui aliunde veniunt, & tua bonitate indigent, & donis oblatis te precantur. Supplex autem peto, vt & peccatoribus quidem, pœnitentibus autem, pieq; & attentè precantibus parcas, & tuæ misericordię riuos eis suppedites. Quòd si etiã in bello superatus propter ea quæ admisit scelera captiuus abductus sit populus, & seruiens se offendisse senserit, & vt misericordiam impetret supplicarit ad hoc templũ respiciens, respice de cœlis ex illo tuo impolluto templo, & illis maiorum suorum libertatem precantibus restitue. Hæc & de bellis & de alijs diuinitus immissis plagis à benigno & clementi Domino supplex petijt, nempe vt & qui in patria quidem degunt, & ad Dei templum confugiunt, & ardenter supplicant, veniam consequantur: ij autem qui sunt procul, & à rebus aduersis liberentur, & quæ eis grata sunt adipiscantur.

26 *Si Deus in templis manu factis non habitat, sicut dixit per Prophetam, quomodo inhabitat in templo Hierosolymis.* Act. 17.

Non verè in illo habitabat, sed typicè. Typus enim erat præclarum illud templum, & symbolum præclari templi hominum, qui est solus aptissimũ Dei habitaculum. Quomodo ergo omnis Iudæorũ cultus erat typicus & symbolicus: ita etiã templum eorum cultus, per crassa symbola Deo erudiente crassam eorum mentem, & trahente ad sensum. Quoniam autem manserunt insensiles, priuati sunt etiam symbolis.

27 *Quomodo est intelligendum illud, Solẽ statuit in cœlo, & dixit vt habitaret in caligine.*

Psallens beatus Dauid dixit, Nubes & cali-
,, go in circuitu eius. & alibi, Inclinauit cœlos & Psal. 96.
,, descendit, & caligo sub pedibus eius. & ascen- Psal. 17.
,, dit super Cherubim, & volauit super pennas
,, ventorũ. & posuit tenebras latibulum suũ. Te-
,, nebræ autem & caligo tacitè significant diuinam essentiam non cadere sub aspectum. Dixit ergo Solomon, quòd cùm solem posuisset in cœlo vt homines fruerẽtur luce, ipse dixit vt habitaret in tenebris. existimo aũt eum tacitè si-

gnificare templum. habuit enim fenestras admodum paruas. quandoquidẽ habebat etiã alias domunculas in orbem ædificatas. hoc
,, enim subiunxit. Aedificauit domum mihi,
,, sibi decoram vt habitaret in nouitate. Ipse enim non egebat eiusmodi ædificio. sed propter vsum hominum ipsum iussit ædificari. Sciendum est autem quòd ædificij descriptionem, & mensuras, & aurum, & argentum, & numerum vasorum sacrorum diuinus Dauid dederat Solomoni. Hæc dicit etiam liber Pa-
,, ralipomenon. Et dedit Dauid Solomoni fi-
,, lio suo exemplar templi, & domus suæ, & ta-
,, bulatorum, & interiorum eius penetralium,
,, & propitiatorij. & exemplum omnium quæ
,, erant in spiritu cum ipso, & atriorum domus
,, Domini, & thorreorum vtbicorum. & diuisi-
,, ones munerum sacerdotalium per vices, &
,, Leuiticorum, ad omnem operationem do-
,, mus Domini, & repositoriorum vasorum ad
,, ministeria cultus domus Domini, ad aurum
,, & eius pondus in omnibus vasis. Et deinde
,, enumerat. Et candelabra, & mensas, & thuri-
,, bula, & forcipes, & phialas. Et quòd ostendit ei exemplum figuræ Cherubinorum, qui alis erant extensis, & obumbrabant ipsam arcam testamenti Domini. Omnia exscripta ex manu Domini dedit Dauid Solomoni. Est ergo
Exod. 26. perspicuum, quòd ficuæ Mosi ostendit Deus
,, exemplum tabernaculi, & dixit ei, Facies om-
,, nia secundum exemplum quod tibi ostensum est in monte. Ita etiam beatum Dauidem docuit gratia spiritus formam ædificij, ipse autem hoc ostendit filio. Est autem notandum quòd Dominus sanctissimum nomi uauit spiritum. Nam cùm dixisset scriptor quòd dedit ei exemplum, subiunxit, Quod erat in
,, spiritu cum ipso: & postea dicit, Omnia ex
,, scriptura manus Domini dedit Dauid. Vt autem rursus docuit liber Paralipomenon, Etiam margaritis ornatum fuit templum. Para-
,, uit, enim inquit, lapides Onychinos & imple-
,, menti, lapides præclaros, & omnem lapidem
,, pretiosum, & lapides parios in multitudine.

28 *Quid est, Non ecce ea scripta est in libro Cantici.*

Sæpe dixi quòd multi erant libri Prophetici. & hoc, si Deus velit, accuratius ostendemus interpretantes librum Paralipomenon.

Exod. 9. 29 *Quomodo est intelligendum, Lætatus coram Domino Deo septem dies, & quatuordecim dies. Octauo emisit populum in festo tabernaculorum.*

Conuocauit populum ad festum celebre quatuordecim dies, septem quidem dedicationis, septem verò scenopegiæ seu tabernaculorum. Octauum ergo diem vocat septem dies vltimos post finem festi. Rursus autem Deus admonet Solomonem eorum quæ faciunt ad salutem. Ne enim liberatus à solicitudine inclinet ad socordiam, & legem ei reuocat in memoriam, & quæ patri facta est promissionem eorum quæ promisit daturum, & exitium quod est minatus ijs qui sunt transExo. cap. 9. Lib. 3. Reg. gressi legem. Si enim, inquit, auersi fueritis vos, & filij vestri à me: & præcepta mea quæ dedit Moses coram vobis non custodieritis, ,,
& ambulaueritis & seruieritis Dijs alienis, ,,
tollam Israelem à terra quam dedi, & domum ,,
hanc quam sanctificaui nomini meo abijciam ,,
à persona mea: & erunt tibi Hierosolyma in ,,
ruinam & in sermonem in omnibus populis. ,,
& domus hæc excelsa, omnis qui per ipsam ,,
ingreditur, stupebit & sibilabit &c. Ostendit ,,
etiam causam sibilationis. Rogantes enim, inquit, cur hęc passus sit Israel, audient, Propterea quòd ipsi reliquerunt Dominum Deum tuum, qui eos liberauit à seruitute Aegyptiorum, & hanc terram eis donauit.

30 *Quid est, Egasion gaber.*

Vt dicit Iosephus, est ea quæ nunc vocatur Beronice. ea est autem maritima Aethiopum qui vergunt ad Aegyptum.

31 *Quid est Ophir.*

Est quædam regio Asiæ, quam Geographi nominant auream.

32 *Quænam est gens Saba?* Exo. cap. 10. lib. 3. Reg.

Aethiopica. Hic autem eos dicit esse sitos in mari Indico. Nominant autem eos Homeritas. Sunt autem è regione Auxamitarum. Inter hos autem & illos medium est mare. Eorum regina fuit admirabilis illa mulier, cuius studũ laudauit Christus in Euangelijs. Nam Matth. 12. Luc. 11. cùm audiuisset quæ vulgo iactabantur de sapientia Solomonis, confecit viam multorum dierum, & laborem existimauit esse lucrum: & eum prætulit delitijs quibus fruebatur in regia: & per Solomonem laudauit suppeditatorem sapientiæ. Sit, enim inquit, Dominus ,,
Deus tuus benedictus, qui voluit te dare su- ,,
per sedem Israelis, vt statuas eam in æternum. ,,
& posuit te Regem super ipsos, vt facias iudi- ,,
cium in iustitia, & in iudicijs eius. Ego autem ,,
sum recordatus doctrinæ Apostolicæ, quæ eos est admirata qui sine lege sunt iustificati. Quando enim, in quit, gentes quæ legem non Rom. 2.
habent, natura quæ legis sunt faciunt, ij le- ,,
gem non habentes sibi sunt lex. Ipsa enim ,,
cùm esset alienigena, & neque diuinam accepisset legem, neque propheticam percepisset agriculturam, contenta fuit lege naturæ, & admirata fuit iustitiam, & iustum accepit iudicium, & per eum qui ipsam excepit, laudauit datorem sapientiæ.

33 *Quod est discrimen inter Nablam & citharam.*

Circiter decem quidem sonos habet hæc & illa. Aiunt autem Nablam quidem pulsari digitis: citharam autem plectro.

34 *Ἀσελέκητα, id est non dolata, quænam vocet ligna.*

Leuia, vt opinor, & quæ sunt liberata à ramis. Iosephus autem ea dixit piceas, picis quæ sunt apud nos minimè similia. Piceis enim lignis dixit esse & albiora leuioraque & rigidiora.

35 *Quænam ciuitas sit Tharsis.* Ex cap. 11. lib. 3. Reg.

Hic quandam Indicam vocauit regionem. Qui autem interpretati sunt Ezechielem, sic appellarunt Carthaginem quę præest Lybiæ. Solomon autem ille celeberrimus, qui tam multa dona à Deo est assecutus, & vicinos Re-

ges habuit tributarios, & ijs qui habitabant ab Euphrate vsque ad Nilum imposuit vectigalia, diuinorum donorum est oblitus. Nam cùm effectus esset libidinosissimus, habuit quidé consuetudinem cũ multis mulieribus. Nõ fuit aũt contentus indigenis fœminis, sed præter legẽ duxit etiã alienigenas. Primũ quidem filiã Pharaonis. Deinde Moabitidas, & Syras, & Idumęas, & Amorrhæas, ex quibus Deus ,,phibuit ne contraherentur matrimonia: ne earũ amor cogeret eos Deos illarum
,, colere. Hoc enim illi quoq; accidit. Aedificauit enim excelsum Chamos idolo Moab, &
,, Melchol idolo filiorũ Ammõ. & Astarte abominationi Sidoniorũ. Et sic fecit omnibus suis mulieribus alienigenis. Adolebat etiam earũ idolis. Alij autẽ interpretes ediderũt, Adolebãt & sacrificabãt. Perspicua autẽ est oratio ꝙ ipse quidem eis ędificauit tẽpla, illę autẽ colebãt idola. Sed ne sic quidẽ fuit liber ab
,, accusatione. Fecit, enim inqt, Solomõ malum
,, corã Domino: & nõ ambulauit post Dominũ,
,, sicut Dauid pater eius. Et iratus fuit Dominus
,, in Solomonem, ꝙ cor declinarit à Domino
,, Deo Israel, qui ei bis apparuit, & de hoc verbo
,, ei mandauit ne omnino ambularet post Deos alienos, & custodiret & faceret quæ iussit
,, Dominus. Non erat cor eius perfectum cum
,, Domino secundum cor Dauid patris sui. Ad amplificandã autẽ criminationẽ, meminit diuinæ reuelationis quę bis ei facta fuit. Neq; enim per aliũ, inquit, Prophetã ei ostẽdit quid agendũ. Sed ipse ei ante omnia ,,phibuit cultũ Deorũ, qui falso nominãtur. Deinde alias iussit seruare leges. Quoniã autẽ per libidinẽ & intemperantiã declinauit ad impietatẽ: & fuit ei impudicitia cõciliatrix cultus idolorũ, eum
,, priuauit sua cura & ,,uidentia. Disrumpã, e-
,, nim inquit, regnũ è manu tua: & dabo ipsum
,, seruo tuo. Deinde ostendit immensam bo-
,, nitatem. Sed in diebus tuis, inquit, non faci-
,, am hæc, propter Dauid patrem tuum. è manu filij tui accipiam ipsum. Nam tu quidem habes patrem in auxilium. ille autem fuit pri-
,, uatus paterno auxilio. Sed non accipiam to-
,, tum regnum. Vnam tribum dabo filio tuo,
,, propter Dauid seruum meum, & propter Hierusalem ciuitatem quam elegi. Addam autem, inquit, Beniamin tribui Iuda. Iure autem optimo coniunxit duas tribus. Nam regale quidem genus habuit tribus Iuda, diuinum autem templum tribus Beniamin. Sors enim Hierusalem fuit tribus Beniamiticę. Post hęc autem dicit hostes qui insurrexerunt aduersus Solomonem. Nam quandiu quidem diuina fruebatur prouidentia, in pace degebat & tranquillitate, omnes habens subiectos & tributum afferentes quàm plurimum. Postquam autem ea fuit priuatus, facile patuit inimicorum insultibus.

36 *Quemnam dicit Satan?*

Eum qui deficit, eum qui aduersatur, eum qui repugnat & est contrarius. Quòd autem duas tribus reliquerit regno Dauidico, ostendunt quæ sequuntur. Nam Achia Propheta Silonites diuisa veste in duodecim partes, iussit Roboam accipere decem. Deinde soluit ænigma. Ecce ego scindo regnum è manu Solomonis: & dabo tibi decem sceptra, & duo
,, sceptra dabo ei, propter Dauid seruum me-
,, um, & propter Hierusalem quam elegi mihi
,, ex omnibus tribubus Israel. Propterea quòd
,, me reliquit, & seruijt Astarte abominationi
,, Sidoniorum, & Chamos idolo Moab, & Mel-
,, chol offendiculo filiorum Ammon. Ex his est perspicuum quòd ipse quoque coluit idola.

37 *Quid est, Vt voluntas Dauid serui mei permaneat omnes dies coram me in Hierusalem, quam mihi elegi vt ponam nomen meum illic.*

Ab alto prędiens virtutẽ Daui dis, Elegi eum, inquit, & cõplacui in eo. hoc enim dicit voluntatẽ. & prędestinaui ipsum & genus eius vt regnaret in Hierusalẽ, in qua volui nomen meum coli. Historiographus autẽ cũ implesset res gestas Solomonis, subiunxit. Et reliqua
,, verborũ Solomõis, & omnia quæ fecit, & om-
,, nis eius prudẽtia, nũ ecce hæc scripta sunt in
,, libro verborũ Solomonis. Hoc autẽ ostendit
,, etiã liber Paralipomenõ, significans aliũ esse librũ hæc significantẽ. Decessit autẽ, vt dicit Iosephus, nonaginta quatuor annos natus. Eo aũt mortuo Roboã filius eius regnũ accepit. Ille quidem qui libros Regũ composuit, dicit Solomonẽ regnasse quadraginta annos. Iosephus autem sexaginta quatuor. Existimo autem hunc quidem simul numerasse omnes annos: illum autem eos solos quos transegit in pietate ac vera religione.

38 *Quid est, paruitas mea est crassior lũbis patris mei.* *Ex cap. 12. lib. 3. Reg.*

Liber Paralipomenon hoc apertius significat. Minimus, inquit, meus digitus est crassior lumbis patris mei. Sic autem interpretatus est etiam Syrus, & Iosephus similiter.

38 *Quomodo est intelligendum, Et non audijt Rex populum, quoniam à Domino erat translatum.*

Sicut illud, Indurauit Deus cor Pharaonis. *Exod. 10.* Quando, enim inquit, Deus aliquẽ relinquit, fertur tanquã scapha absq; gubernatore. Sed tamẽ stultis illis verbis vtens, effecit vt impleretur Dei sententia. His autẽ dictis, deficiunt quidem decem tribus, & eligunt Hieroboam Regem, solarũ autem duarum tribuum Rex fuit Hieroboã. & ex reliquis, quicunq; simul cũ eis habitabãt, cùm essent ex alijs tribubus. Deinde volentem bellum gerere, prohibuit per Prophetam Semaian. Reuertatur enim, in-
,, quit, vnusquisq; in domũ suam, quoniam ex
,, me factũ est hoc verbũ. Ostendit etiã historiographus genus matris Roboã ad arguendũ scelus eius qui genuit. Nomen enim eius, in-
,, uit, Naanã filia Annõ Regis filiorũ Ammon.
,, Sufficit aũt hoc ad euertendã Iudęorum abo minationẽ, qui se iactant de nobilitate generis, & eos qui ex gentibus crediderũt Seruatori, nominant alienigenas. Inuenitur autem etiã genus eorũ genus regium ex alienigenis. Roboam autem est æmulatus patris iniq tatẽ.

40 *Cur historiographi sæpe bis dicunt eadem, & sæpe vius ea quæ sunt posteriora.*

Nam hic quoq; posuit sententiã aduersus filium Hieroboam ante regnum. Quamobrem necesse habet eadem sæpe dicere. Nam quoniam

quoniam scribit de duobus regnis diuisis: & nonnunquam de altero magnam interponens narrationem, deinde transit ad alterum, necesse habet sumere ea quæ iam prius dicta sunt, vt seruet consequentiam. Filij autem morbus, & quæ aduersus ipsum lata est sententia, ostendit eam latam esse post impietatem. Nam cùm pueri decessum prædixisset Propheta, tulit sententiam aduersus vniuersum genus. Nam Hieroboam quidem misit mulierem cum muneribus ad Prophetam. Caligans autem oculis tanquam senex, & intus sedens, venientem sensit eminus: & mittens ministrum, breuiter eam iussit ingredi tanquam iniucunda audituram. Et pri-
,, mum quidem dona reprehendit. Cur, inquit,
,, attulisti mihi panes & vuam, & collyria, & vas mellis? Quòd autem ostendit ea quæ allata fuerant, id persuadet vt credat ijs quæ sunt dicenda. Deinde de puero, Dicit, inquit, Do-
,, minus, Ego penitus perdam ex Hieroboam
,, mingentem ad parietem. Neque solum eis prædixit cædem, sed etiam futurum vt maneant insepulti post cædem, & exponantur deuorandi auibus & feris. Deinde subiungit
,, causam, Quoniam non est inuentum, inquit,
,, in eo verbum Domini. Mingentem autem ad parietem eum dicit qui est adeò infirmus vt stare non possit nisi innitatur parieti.

41 *Cur superius quidem dixit Achiam Silonitem rupisse vestimentum, & dedisse decem fragmenta Hieroboam: hic autem Samaiam Elamiten.*

2. Reg. 11. Hæc bis facta sunt. Nam Achias quidem viuente Solomone, & seruiente Hieroboam, rupit vestem. Vnde cum bona spe fugit Hieroboam in Aegyptum. Samaias autem Elamites post mortem Solomonis & reditum Hieroboam hoc fecit. Ei ergo reuocat in memoriam diuinam prædictionem: vt cùm didicisset regnum à Deo esse datum, diuinis legibus ornaret potestatem. Sed miser & ter infelix iste, accepta potestate aggressus est eam habere humanis & impijs artibus. Cùm enim apud se cogitasset, quòd lex sacrificiorum cogit omnes ire ad ciuitatem: ascendentes autem inter se coniunguntur, & aliquando tentabunt subijci regno Dauidico, construxit duas iuuencas aureas: & imposuit in terminis regni: vt hi quidem ad hanc, illi verò ad illam venientes, & propterea quòd propè sint minimè ægre ferentes, lubenter admitterent quòd non esset eis eundum in metropolim. Terminus autem regni decem tribum, erat ab austro quidem Bethel: Dan autem ab Aquilone. Oportebat autem stolidum intelligere, quòd qui dedit regnum, id posset illi custodire & confirmare. Expulit autem & sacerdotes quos elegit Dominus, quod quidem solum fecit conuenienter rationi. Non oportebat enim Dei sacerdotes Deos qui non sunt colere.

42 *Si festum Iuda Hieroboam fecit in Bethel, quomodo dixit scriptor, In festo quod fecit ex corde suo.*

Die decimoquinto mensis septimi consueuerunt peragere ex lege festum Scenopogiæ seu tabernaculorum: iste autem decimoquinto octaui mensis peregit festum iuuencarum. Sed ne sic quidem errantem eum despexit benignus & clemens Deus. Misit enim Prophetam, cùm iussisset vt nihil ei diceret, sed altari inanimo proferret sententiam. Altare, *Ex cap. 13.*
,, altare. hæc dicit Dominus. ecce nascitur do-
,, mui Dauid. Iosias nomen est ipsi. & sacrifica-
,, bit super te sacerdotes excelsorum. & eos qui
,, sacrificant super te: & ossa hominum com-
,, buret super te. Deinde dat prodigium, rei
,, miraculo ostendens non esse falsa quæ dicta
,, sunt. Ecce enim, inquit, rumpetur altare, &
,, effundetur pinguedo quæ est super ipsum.
,, Sed ille sceleratissimus, cùm oporteret eum admirari miraculum, & timere eum qui miserat, extensa manu iussit apprehendi Prophetam. sed manus mansit habens figuram extensionis, musculis & neruis extensis. Et id quidem quod accidit altari, eum non stupefecit: sed id quod manui, valde anxit. Cùm autem esset valde stultus, supplex rogauit Prophetam vt sibi ei peteret ab eo qui miserat, non sceleris remissionem, sed manus curationem. Ostendit autem & Propheta mansuetudinem: & Deus clementiam. Nam & Propheta petijt, & Deus dedit medelam. Propheta autem deceptus in grauia mala incidit. Nam cùm Rex quidem rogasset vt esset sibi in mensa conuiua, non persuasit. Dixit enim eum qui miserat iussisse vt in illa terra neque cibum neque potum sumeret. Quidam autem alius Propheta, quem quidam existimant Pseudoprophetam, blandis & fallacibus verbis ei persuasit vt cibum sumeret. Ego autem existimo alium quoque esse Dei Prophetam, falsis autem verbis vsum esse apud hominem Dei, non vt eum læderet, sed vt benedictionem ab eo acciperet. hoc enim docet historia. Non enim dixit absolutè, sed Propheta senex
,, habitauit in Bethel. Ostendit autem eum esse
,, Prophetam, & non Pseudoprophetam, quòd & Deus per ipsum prædixerit homini Dei id quod erat euenturum, & ꝙ crediderit ea quæ prædicta fuerant de Iosia, & ꝙ filijs suis mandarit, vt cùm decessisset se cum eius corpore sepelirent. Sic cùm audijsset narrantes filios ea quæ facta fuerant aduersus altare iuuencarum, primum quidem mutauit faciem suam diuinis stupefactus miraculis. Deinde cùm didicisset quà via iter faceret, adduxit asinum, viam autem confecit quam celerrimè. Ipsum autem apprehendit sedentem sub quercu. & scisciatus quis esset, cùm intellexisset quod desiderabat, supplicauit vt reuerteretur & cum ipso cibum sumeret. Rursus autem cùm ille dixisset quæ Deus iusserat, & quòd sermonem Dei non licet transgredi, iussit enim ne cibum nec potum sumam in illa terra, respondens dixit, Sum ego
,, quoque Propheta sicut tu: & mecum locu-
,, tus est Angelus in verbo Dei, Fac vt reuerta-
,, tur tecum in domum tuam: & comedat pa-
,, nem, & bibat aquam. Deinde subiunxit Hi-
,, storiographus. Et mentitus est ei. In his pec-

casse

casse dico senē Prophetam, & in hoc tantùm esse Pseudoprophetā, vt qui vocem diuinam finxerit. Non tamen existimo hominem vsum esse aliqua malitia, sed potius propter desiderium benedictionis, falso illiuisse sermonem.

,, Postquam autē reuersus est, inquit, & cibum
,, sumpsit, factum est, inquit, verbum Domini
,, ad Prophetam qui reduxerat ipsum: & dixit
,, homini Dei qui veniebat ex Iuda. Hæc dixit
,, Dominus omnipotens. Propterea quòd ex-
,, acerbasti verbum, & non custodijsti manda-
,, tum quod mandauit Dominus Deus tuus: &
,, reuersus es, & comedisti panem, & bibisti a-
,, quam, non ingredietur corpus tuum in sepul
,, chrum patrum tuorum. Nouit ergo diuina scriptura & eum esse Prophetam, & aduersus Prophetam non vsum esse malitia. Fortasse enim & eius scopum intuens Deus, veniam dedit mendacio. Homo autem Dei statim egressus incidit in leonem. Et eum quidem interemit fera. non est autem ausa corporis esse particeps. Quod cùm fuisset ei significatum, rursus accurrit Propheta. Ostendit
,, autem pietatem eius. Dixit enim, inquit, hic
,, est homo Dei, qui exacerbauit verbum Domini. Deinde accurrens inuenit leonem. Cùm autem accessisset, recessit, vtpote quòd corpus non amplius egeret custodia. Deinde cū ipsum transtulisset & ei iusta fecisset, mandauit filijs vt in vno loculo deponerent ambo corpora, vtpote quòd finem accepisset diuina prædictio. Discimus autem ex hac narratione, quòd potentes potenter examinabuntur. Non enim oportebat eum qui vocem audierat diuinam, credere humanæ dicenti contrarium: sed expectare vt qui iusserat, solueret q iusserat fieri. Ego autem arbitror ad confirmandum de altari factam prædictionem, fuisse hoc suppliciū. Neq; enim fieri poterat vt tā lis & tanta lateret narratio, quæ sufficiebat ad incutiendum terrorem audientibus. Si enim cibus sumptus præter Dei mandatum, viro iusto tantum intulit supplicium: quales luent pœnas, qui Deum quidē reliquerūt qui ipsos fecit, adorant autem simulachra rationis expertia? Deus autem eum honorauit etiam post decessum. Nam occisorem ei induxit custodem, hac quidem ratione honorans vt Prophetam, illa verò puniens tanquam transgressorem: & eos qui nunc sunt terrens, vt ne parua quidem Dei mandata despiciant. Id autem quod Prophetæ accidit, significat mortuorum resurrectionem. Nam qui superstitem quidem tradidit feræ, honore autem mortuum est prosecutus, & honorauit non animam, sed solum corpus, est perspicuum q id non despiciet dissolutum & corruptum, sed excitabit & dabit animę instrumentū per quod Deum coluit. Homo autem Dei nō nominatus fuit quilibet ꝓpheta: sed ij qui perfectam habent virtutē, Moses & Helias, & si quispiā est illi similis. Significauit ergo senis appellatio q Propheta sit lōgè honorabilior.

42 *Quomodo est intelligendum illud, Quivolebat, implebat manum suam.* Ex cap. 14. lib. 3. Reg.

Ostendit id quod subiungitur. Et fuit Sacerdos excelsorum, nempe fungens sacerdotio, & manibus offerens suffitum.

43 *Præuidens Deus quòd populus futurus sit impius, cur concesserit fieri diuisionem. Quid enim prosuit Iuda & Beniamin habere templum Dei.*

Nam isti quoq; itidem iniquè & præter legem se gesserunt. Nam ædificarūt, inquit, sibi ,,
excelsa, & colūnas, & nemora super omnem ,,
collem excelsum: & sub omni ligno vmbro- ,,
so. Et colligatio facta est in terra. Colligationem autem posuit pro defectione. Nam Iezabel cùm resciuisset mortē Iorā, & eius filij in regem electionem, exclamauit, Colligatio, colligatio, hoc est, defectio & tyrannis. Hoc autem ostendunt etiam quæ sequuntur. Et fe- ,,
cit omnes abominationes gentium quas abs- ,,
tulit Dominus à facie filiorum Israel. Non ,,
ergo propter regni diuisionem impegerunt in impietatem decem tribus, sed propter suam iniquitatem. Iam enim Prophetæ magis accusant tribum Iuda. Etenim iussus est Osee Osee 1.
meretricem accipere vxorem ad arguendum apertam impietatem decē tribuum. est enim manifesta meretricis impudicitia: adulteram autem, in typum Iudeæ, quoniam cùm simul cum Deo videretur habitare per templū, clanculum seruiebat idolis. Hieremias autē Pro- Hier. 3.
pheta, non solū Samariam, sed etiam Sodoma, vocauit sororem Hierusalem. Cùm itaq; defecissent à pietate, diuina priuati sunt prouidentia. Nam Sesacim Rex Aegyptiorū multas quidem cepit vrbes Iudæorum, vt docuit liber Paralipomenon, descendit autem etiam in Hierusalem. Accepit autem arma quoque aurea quæ Rex Dauid ceperat ex Syris, & quæ fecerat Solomon.

44 *Quid est, Et reponebant ea in Tha Celerum.*

In Hebraicorum quidem nominum interpretatione, pro Tha inuenimus scriptū Thecue, quod interpretatur pulsatio & cantus tubæ. Liber autem Paralipomenon hæc sic docet. Et fecit Rex Roboam pro ijs, clypeos æ- 2. Par. 12.
neos: & posuit in manus Principum Celerum custodientium portas domus Regis. Et factum est postea dum ingrederetur Rex in domum Domini, ingrediebantur qui custodiebāt, & præcurrebant, & reuertebātur in occursum iuxta currentiū. Dabantur, inquit, satellitibus & stipatoribus Regis, qui stantes circa portas regiæ custodiebāt aditus. Procedente autem Rege alij quidem præcedebant, alij autem iuxta currebant. Quando autem veniebant in templum, occurrebant ij qui reuertebantur à domo. Custodes autem ea ab ipsis accipiebant. & ipsi ea tenentes stabant ante portam templi, vt cum Rege Deum adorarent. Est autem verisimile fuisse domum ante portas, vt cùm Rex veniret, armigeri illic arma reponerent.

45 *Quomodo est intelligendum illud, Dedit ipsi Deus reliquias, vt statueret filios suos post ipsum.* Ex cap. 15. lib. 3. Reg.

Cū narrasset impietatē Roboā & Abię, vsus est his verbis, docens q ꝓpter eū è quo genus duxerāt, nepotū regnū custodijt. Deinde cū laudasset virtutē Dauidis, meminit vnius peccati. Fecit, enim inqt, Dauid rectū corā dño. & non

,, non declinauit ab omnibus quæ ei mandauit
,, omnibus diebus vitę suæ, præterquam in ver-
,, bo Vriæ Hetthæi. Asæ autem prima laudauit liber Paralipomenon. Postrema autem similiter etiam ipse vituperauit. Apertius autem hæc declarabimus, illum librum, si Deus velit, interpretantes. Fecit, enim inquit, Asa rectum coram Domino, sicut Dauid pater eius:
,, & sustulit columnas seu statuas ex terra, & a-
,, mouit omnia studia quæ fecerunt patres eius.
,, Et Maacha matrem suam remouit vt nō præ-
,, esset, quatenus conuentum fecit in suo nemore, & excidit ea Asa, & omnes eius specus, & ea igne exusit Asa in torrente Cedron, excelsa autem non sustulit. Rursus hic quoque ostendit quòd idolorum quidem templa diruit, & lucos radicitus excidit: quæ autem Deo in excelsis dedicata erant altaria reliquit. Idque diuina opem ferente gratia apertius ostendemus interpretantes id quod narratum est de Ezechia. Ostendit autem & pro Deo zelum, cùm & matrem potestate priuarit propter conuentum, & festum quod peregit in luco, & ipsum lucum exciderit, & omnia loca idolica diruerit & igni tradiderit. Adiecit autem quòd etiam columnas seu statuas quas ipse pater eius ex materia argentea & aurea construxit, è regia eductas Deo Domino dedicauit, & aliud plurimum auri & argenti signati, vasaque sacra & magnifica. & tamen eum vilem & abiectum nominauit. Dixit e-
,, nim. Sed cor eius non erat perfectum cum
,, Domino omnibus diebus eius. Hoc autem apertius docet historia Paralipomenon. Fideliter autem precatus, superauit centum millia Aethiopum, & omnes funditus fudit ac prostrauit. Cùm autem Bassa Rex decem tribuum eum inuasisset, & Rama conatus esset munire, relicto Deo amplexus fuit auxilium Syrorum.

46 *Quomodo est intelligendum illud, In tempore senectutis fecit Asa malum, & laborauit pedibus.*

2. Paral. 16. Hoc quoque apertius docuit liber Paralipomenon. In sua, inquit, infirmitate non quę-
,, siuit Dominum, sed medicos. ego autem du-
,, orum alterū existimo, aut eos qui incantationibus vsi sunt ac veneficijs vocatos esse medicos, vel quòd solum crediderit medicis, in Deum spem non habens. Nam qui vera pietate sunt præditi, vtuntur medicis tanquā Dei ministris, scientes quòd etiam medicinam ipse dederit hominibus, sicut & alias artes. & herbas ipse iusserit germinare è terra. Sciunt tamen quòd nihil potest ars medicorum Deo nolente: sed tantum potest quantum ipse vult. Domus autem Hieroboā penitus interijt congruenter prædictioni Achiæ Silonitæ. Ex cap. 16. lib. 3. Reg.
Percusit, enim inquit, Baasa Rex Israel totam domum Hieroboam, vsque adeò vt omnes penitus perdiderit, secundum verbum
,, Domini quod locutus est in manu serui sui
,, Achiæ Silonitæ. Hæc ipsa autem acciderunt etiam Baasæ. Nam ipse quoque eandem impietatem exercuit & iniquitatem. Illa quoque eius filius à Zambre fuit interfectus. Iste autem rursus conuenienter factæ prædictioni, destruxit totam domum Baasa. Cùm autem populus elegisset Zambre Regem, obsessus Zambre combusit domum in qua degebat. & cum illa combustus decessit. Per hæc autem nos quoque docemur, quòd eos qui vitam agunt in sceleribus & flagitijs Deus per se inuicem punit: & sceleratum tradit sceleratiori, eis vtens tanquam quibusdam lictoribus. Quoniam autem quærunt nonnulli, vndenam Samaritani hanc habuerint appellationem, hoc facile disci potest. Emit, enim inquit, Zambre montem Somoron à Semero ,,
Domino eius duobus talentis argenti: & æ- ,,
dificauit montem: & vocauit nomen montis ,,
vbi ædificauit in nomine Semer Domini montis Somoron. A Semer ergo nominatus est mons Somoron. A monte autem ciuitas Samaria. Samaria autem est quę nunc appellatur Sebaste. In ea autem erat regnum decem tribuum. In captiuitatem verò abductis decem tribubus, cùm illa terra esset deserta, Reges Assyriorum traduxerunt aliquos in illas ciuitates ex regionibus Orientalibus. Isti autem ex Samaria nominati sunt Samaritani. Hæc cùm dixisset de Zambri, transijt ad Iudam. Et admiratus quidem est Iosaphat inter alios: & ait eum rectum fecisse coram Domino. Reprehendit autem quòd non aboleuerit cultum qui fiebat in excelsis, sed & Achabi cognationem est amplexus. Hæc autem apertius docuit liber Paralipomenon. Quamobrem is etiam qui conscripsit historiam, nos illò transmisit.

47 *Quomodo est intelligendum, An non ecce hæc scripta sunt in libro verborum dierum Regum Iuda?*

Et hinc est perspicuum quòd omnia conscripta sunt post illos. & ex illis libris partim quidem hic scriptor, partim autem ij qui conscripserunt Paralipomena seu derelicta, acceperunt occasionem & argumentum historiæ.

48 *Quemnam dicit Baal.*

Vt dicit Iosephus, iste erat Deus Tyrioum. Astarte autem Sidoniorum. hoc autem antea quoque docuit scribens de Solomone, quòd ædificarit templum Astarte abominationi Sidoniorum. Ei etiam nemora plantantes dedicarunt. Astarte autem est quæ apud Græcos appellatur ἀφροδίτη, id est, Venus.

49 *De eo quod dictum est ab Elia, Si erit his annis pluuia super terram, nisi per os meum, quod videtur aliquibus esse nimiæ audaciæ.* Ex cap. 17. lib. 3. Reg.

Est nimiæ audaciæ aduersus viros spirituales hęc cogitare. Erat enim Propheta & summus Prophetarum, & diuino zelo inflammatus. & hæc dixit diuino operante spiritu. Vnde etiam finem acceperunt.

50 *Alimentum quod afferebatur à coruis quomodo comedebat, cùm esset sanctus, & ex lege vitam ageret.*

Ipse Legislator ipsum ei afferebat per coruos. Ipse enim eum iussit degere in torrente expectantem promissum. Corui enim ei afferebant mane panes: vespere autem carnes. Per hæc autem nos docet Legislator, quòd propter

propter Iudæorum imbecillitatem eas leges tulerit, quasaliquando quidem iussit transIos. 6. gredi. Sabbato enim septies Hiericho circũdare iussit Iesum Prophetam, & Eleazarum Pontificem, & qui cum eo erant sacerdotes & Leuitas, & vniuersum populum. & nunc magnum Eliam accipere alimentum quod affertur per coruos. Aliquando autem non reprehendit eos qui illas leges essent transgressi. Nam Sampson quidem propter ebrietatem & libidinem fuit gratia priuatus, cùm autẽ comedisset fauum mellis, quem in mortuo leone contexuerant apes, nullam subijt reprehensionem.

51 *Quamobrẽ eum iussit abire ad viduã alienigenã.*

Hoc quoq; docet causas earum legum. Si enim Iudæorũ firmã cognouisset prudentiã & fidem stabilem, non eos iussisset fugere consuetudinẽ cũ alienigenis: sed contrà iussisset eos simul degere, pietatemq; & veram religionem eis prædicare. hoc enim docet etiam
Deut. 7. causa legis. Nã cũ dixisset, Non dabis filias tuas filijs eorum, &c. subiunxit causam. Ne, inquit, filij ipsorũ faciant fornicari filias vestras: & filiæ eorũ filios vestros post Dominũ Deum vestrũ. Prophetam autẽ, vt qui eos poterat beneficio afficere, non solũ non ꝓhibuit, sed etiam iussit abire. Existimo aũt ꝙ etiam ei volens ostendere hominũ naturã fame consumi, primũ quidẽ abduxit ad torrentẽ. Deinde eo exsiccato traduxit ad mulierẽ viduã, quæ nihil habebat præterq; modicũ alimenti sufficiens ad vnũ diẽ. Viuit, enim inquit, Deus tuus si est mihi subcinericius, nisi pugillus farinæ in hydria, & parum olei in gutturino. & ecce colligã duo ligna, & ingrediar, & faciã ea mihi & filijs meis, vt & comedamus, & moriamur. Solũ, inquit, habeo postremũ alimentũ, post ꝙ expecto plagam famis. Ego autẽ admiror mulieris responsi mansuetudinem. Non enim ægrè tulit, ꝙ in tanta calamitate ab ea petitum sit alimentũ: sed tantũ extremã ostendit paupertatẽ. Sed magnus ille pollicitus quidem est fontes farinæ & olei. eam aũt iussit primum ei facere & afferre panẽ. Illa aũt rursus non ægrè tulit, vt quæ paupertatis & viduitatis, & alendorũ filiorũ tabescret solicitudine. Sed accepto fideliter promisso attulit nutrimentum, idq́ue cùm hominem non nosset. erat enim alienigena, quæ Propheticę virtutis nullam acceperat experientiam. Existimo autem in ea fuisse præfiguratam ex gentibus ecclesiam, fideliter enim excepit eum quem persequebantur Israelitæ, quomodo etiam ecclesia Apostolos ab ijs ipsis expulsos.

52 *Quam ob causam permisit Deus vt filius viduæ moreretur.*

Affatim fruens alimento Propheta, oblitus est calamitatis aliorũ hominũ. Quamobrem Deus aduersus eum armauit viduæ eiulatus. Agnouit autem ipse quoq; causam. Hei mihi, inquit, Domine qui es testis viduæ, tu ei malè feci sti, vt morte afficeres filiũ eius. Sũt autem admiratione digna verba viduę. Ingressus es, enim inquit, ad me vt in memoriã reuocares peccata mea, & morte afficeres filium meum. Tuo, inquit, lumine aperta sunt mea quæ occulta erant peccata. Neq; dixit tanq̃ alienigena, Fuisti mihi malum auspicium: mala conciliauit mihi tuus aduentus: sed potius suis peccatis tribuit ꝙ acciderat. tantum ei profuit Prophetæ doctrina. Propter ipsam enim fuit filij sui decessus, vt cùm conspexisset quę præter naturam facta est resurrectionem, firmam ac stabilẽ acciperet pietatẽ. Propheta autem cùm post preces ter insufflasset in adolescentẽ, eum reduxit ad vitã. Significat autẽ numerus adorandã trinitatẽ. Insufflatio autem, ab initio factã animæ creationem. Sed Propheta inspirans non alium creauit, sed animã à corpore seperatã reduxit. Benignus autem & clemens Deus videṡ perire humanũ genus, & illos quidẽ miserans & festinãs dare misericordiã, hunc verò remunerans, & præter eius voluntatem non sinens latã rescindere sententiam, ipse venit ad senem, ad seruũ Dominus, ad lutum opifex, & persuadet vt nubium soluat dolores partus lingua quæ ea alligarat. Et
3. Reg. 19. factum est, inquit, post multos dies, & factum est verbum Domini ad Eliam anno tertio, dicens, Vade, & appare Achabo, & dabo pluuiam super faciem terræ.

53 *Quomodo est intelligendum illud, Si est gens aut regnum quò non miserit Dominus meus te quæsitum, & dixi, Non est.*

Postq̃ Propheta dixerat Achabo, Viuit Dominus Deus si erit his annis pluuia nisi per sermonẽ oris mei, Achab accepta experientia veritatis verborum, necessariò requirebat eum qui lingua sua nubes clauserat, vt alterum ex duobus faceret, nempe vt aut persuaderet aperire, aut si non persuaderet, eum perderet. Abdias autem tunc erat valde pius, idq́; docent non solum eius verba, sed etiam res ipsę. Nam primum quidẽ cernens Prophetas occidi ab Iezabel, nõ solum occultauit, sed etiam pauit, & nõ tres, nec quatuor, nec quinq;, & decẽ, sed centũ bifariã diuisos. Neq; timuit eius quæ dominabatur cruentã fœuitiã: sed omnibus prætulit pietatẽ. Postea autẽ cùm magnũ vidisset Eliã, cecidit in faciẽ, & dixit. Si tu es ipse Domine mi Elias. Et quę deinde sequuntur, ostendunt etiam eius pietatem. Erit, inquit, quando recessero à te: & spiritus Domini tollet te in terra quam non noui. Hęc enim sunt viri diuina meditantis, & scientis vim diuini spiritus.

54 *Cur cùm lex iubeat Deum in vno loco colere, Elias in Carmelo ædificauit altare.*

1. Tim. 1. Iusto lex nõ est posita, vt diuin' dicit Apostolus: sed iniqs & inobediẽtibus. Israelẽ enim ꝓpter animi duritiã in vno loco iussit colere, ne si eis data esset libera potestas, adorarẽt etiã falso nominatos Deos. Propheta aũt voluit ostẽdere, Dęmonũ quidem qui populos decipiunt imbecillitatẽ, Dei aũt vniuersorũ potentiã. Fieri aũt non poterat vt eos adduceret in templum quod erat Hierosolymis, cùm esset regnum bifarium diuisum. Vnde eos deduxit in Carmelum, vbi plurimũ versabatur.

Quomodo

55 *Quomodo est intelligendum, Quousque claudicabitis vtrisque poplitibus?*

Et Deum adorabãt, & idola colebant. Subiunxit itaque, Si Dominus est Deus, adeste & ambulemus post eum. Sin autem Baal, ambulate post ipsum. Neque Deus, inquit, vult Deos qui falsò nominantur coli: neque ipsi Deum verum adorari. Vos autem & hæc & illa facientes, neutri conseruatis beneuolentiam.

56 *Quamobrem Sacerdotibus Baal iussit eligere bouem pinguem, & primos peragere sacrificium.*

Qui est verè Deus, nullius eorum indiget. Ne ergo pudore affecti ministri mendacij, dicerent ægrè ferre Baal quòd non primus acceperit munus, eis cessit primis partibus. Cùm autem etiam his factis nihil effecissent: simulachra enim gentium argentum & aurum, opera manuum hominum: & ora habent & non audiunt, eos ludibrio habens, dixit Propheta. Vocate eum communiter vna voce: Num est ei aliqua collocutio, aut aliquod negotium pecuniarium? Aut nunquid dormit, & resurget? Est, inquit, verisimile eum dormire, aut aliqua alia administrare, aut rebus alijs vacare. Quò fit vt vocatus non exaudiat. Oportet ergo omnes simul clamare, vt magnitudo clamoris somnum abigat. Verbis inducti sunt stolidi, & clamorem communiter emiserũt, & se gladijs & saromastis consciderunt vsq; ad effusionem sanguinis. Nam cùm hominum cædem spirent Dęmones, hominum sanguine delectantur. Quamobrem hoc modo eos colebant Sacerdotes. Hoc autem scriptor significauit dicens, Conscindebantur suo more. Eorum fraudem cùm sic aperuisset, & cedẽdo primis partibus, & totum ferè diem eis concedendo, circa occasum Solis (hoc enim significauit historia, Fuit enim, inquit, circiter tempus ascensus sacrificij) coegit quidem vniuersum populum, numero autem tribuum pares, non decem sed duodecim lapides iussit afferri, & Deo constructum altare ædificauit: & cùm ligna congessisset, imposuit hostiam. In orbem autem fodiens fecit aquæ receptaculũ seu canalem. Hoc Hebręus quidẽ appellauit Thaalah. Iosephus autem διῶρυγμα, id est canalem. Admouit autem lignis non ignem, sed aquam. Nam cùm rursus tribuum numeo pares afferri iussisset amphoras, & eas implesset aqua, infudit super sacrificium. Non semel autem solum nec bis, sed ter hoc fecit, adorãdæ trinitatis rursus indicans numerum. Clamore aũt vsus, Deo patrum supplicauit vt ostenderet differentiã, & deceptũ conuerteret populum, & igne à Deo dato sacrificium faceret holocaustum. Nondum autẽ finitis precibus, descendit ignis, & cõsumpsit non solum ligna & sacrificium, sed & pulueremq;, & aquã, & lapides, ne afficeretur iniuria diuinum altare, impijs illis sacrificia Dęmonibus offerentibus. Hoc facto miraculo, iussit interfici prophetas mendacij, & tunc liberauit nubes à dolore partus.

Ex cap. 19. lib. 3. Reg. 57 *Cur cùm tãtas habeat vires, solã timuit Iezabel.*

Quoniam non solum erat Propheta sed etiã homo. & alioqui timor erat diuinæ dispensationis. Nam ne miraculi magnitudo eius spiritus nimis attolleret, concessit gratia naturæ vt timorem susciperet, vt suam agnosceret imbecillitatem. Ea de causa ei etiam significauit Dominus permanere septem millia ab impietate libera: Præter hæc autem ipsum docuit, quòd lenitate & clementia regere & administrare statuerit humanum genus: & quòd esset ei facile fulmina & fulgura immittere in impios: & terram quassare, extemporaleq́ue & illaboratum eis efficere sepulchrum: & ventis violentis vniuersitatem perdere. Hoc enim dixit, Et spiritus magnus & potens, & dissoluens montes, & conterens petras coram Domino. Non in spiritu Dominus: & post spiritum concussio. non in concussione Dominus: & post concussionem ignis. non in igne Dominus: & post ignem vox auræ tenuis. Per hæc autem ostendit quòd lenitas, benignitas & clementia sola est Deo grata. Vnumquodque autem aliorum attrahit hominum improbitas.

58 *Cur iussus vngere Azael & Iehu & Eliæum, solum vnxit Prophetam.* 3. Reg. 19.

Si Prophetam vnxit, & eos spirituali gratia impertijt, ea etiam vnxit alios. Etenim Elisæus spirituali per eum accepta gratia, obtulit illis charisma, & spirituali gratia eos impertijt.

59 *Quid est, Benedixit Nabut Deum & Regem.* *Ex cap. 21. lib. 3. Reg.*

Scelerata Iezabel contexuit calumniam, & primum quidem iussit vt consuetum honorem dignus haberetur accipere; & aliis præsidere: Deinde venire calumniatores & blasphemiæ dicam ei impingere. Bona enim verba vsurpans, Benedixit dixit pro blasphemauit. Iussit autem fieri ieiunium vt hac ratione ostenderet eum fuisse iure cæsum.

60 *Quomodo Achab cupiēs vineam, & ægrè ferens quòd eam non vendiderit, propter Nabuth cædem dolu it.*

Leuis erat infelix Achab, & facile huc & illuc transferebatur. Quo factum est vt scelerata muliercula eum in impietatis barathrum iniecerit. Gratis, enim inquit, venundatus est Achab, vt faceret malum coram Domino, vt eum transmouit vxor eius Iezabel: & esset abominabilis post omnes abominationes, secundum omnia quæ fecit Amorrhæus, quem perdidit Dominus à facie filiorum Israel. Amorrhæum autem hic dicit non gentem, sed omnes Chananæos. Amorrheus enim voce Hebraica nominatur etiam qui habitat. Bonitatis autem abyssus Dominus Deus, propter cædem quidem minatus est exitium: propter lamentationem autem quam fecit ob metum, largitus est dilationem supplicij. Iam enim cùm Syri aduersus eum coegissent plurima millia, & fremerent & dicerent, Si sufficerit puluis Samarię pugillis toti populo peditibus meis. Hęc autẽ

dicebant minantes obsidionis aggeres & vineas, misit Deus Prophetam, & infelicis Regis soluit metum, his vtens verbis. Vidisti omnino sonitum hunc magnum. Ecce ego do ipsum in manus tuas: & cognosces quòd ego Dominus. Valde autem aptè & appositè nominauit sonitũ minacium verborum strepitum. diuini enim auxilij nutu fuit breui dissolutus.

61 *Quid sibi vult illud, In pueris principum chori.*

Non opus est, inquit, multitudine. In paucis, enim inquit, adolescentibus & belli imperitis perdã maximum hunc exercitum. Cùm itaque eos numerasset Achab, inuenit ducentos & triginta. Per eos aũt Deus omnipotens fregit ac profligauit exercitum triginta duorum Regum. Ei autem vi victoriã assecuto significauit Syrorum in posterum futuram incursionem. Dicent, enim inquit, Syri, Deus montium est Deus Israel, & non Deus vallium. hoc est, vires habet in montibus, vincitur autem in campis. Nam quoniam existimabant Deos esse huiusmodi, putarũt etiam verum Deum & creatorẽ vniuersitatis esse Deum in parte. Sed & suis & alienis suas vires ostendit. Nam in campis commisso prælio, centum & duo millia aduersariorũ fudit & profligauit Israel. Vt autem & hi & illi scirent fuisse plagam à Deo immissam, ex ijs qui euaserant in ciuitatem Epheca, cadens murus obruit septem millia.

62 *Cur Prophetæ vtentes Parabolis, diuinas proferunt prædictiones.*

Vt qui huiusmodi verba audiunt, nescientes quòd aduersus se ferant sententã, iustè iudicent. Aliter enim in nobis ipsis, & aliter in alijs peccatum videmus. Hęc etiã fecit Nathan. Non enim statim Dauidi intulit reprehensionem, sed prius narrauit calamitatẽ pauperis. Deinde iustam videns sententiã, accusationis personam aperuit. Hoc etiã hic fecit Propheta. Fascijs enim vultu contecto & supercilijs, accessit ad Achab. Deinde docuit quòd in bello captus quidam fuit ei traditus, iubente eo qui tradiderat vt custodiret, & minante ꝙ si effugeret morte multaretur. Me autem, inquit, spectante aciem aufugit. Hæc cùm audisset Achab, seipsum appellauit homicidã. Ecce enim, inquit, tu mea quidem sententia cædem fecisti. hostem enim soluisti, vt ille multas faceret cædes. Tunc de cætero solutis fascijs Propheta ostẽdit quisnam esset, & diuinam protulit sententiã. Hæc dicit Dominus. Quoniam virum perniciosum tu è manu tua emisisti, ecce anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.

63 *Cur de benignitate & humanitate sumptum est supplicium.*

Quoniã cũ benignitate & humanitate miscenda est iustitia. Iste aũt cùm vsus esset sæuitia aduersus Prophetas, & eos sustulisset, in hostẽ Israelis ostendit mansuetudinem. Quòd aũt plurimum peccarit propter nimiam mentis leuitatẽ & facilitatẽ, declarant quę sequuntur. Abijt, enim inquit, Rex Israel tristis & lachrymans. Habens enim experientiam diuinarũ prædictionum, bis enim vicerat ex diuinis oraculis, intentatas timuit minas. sed statim rursus ad suam redijt impietatem.

64 *Quomodo est intelligendum illud, Quomodo tu sic & ego: sicut populus tuus ita & populus meus.* Ex cap. 22. lib. 3. Reg.

Rogatus Iosaphat vt belli iniret societatẽ, hoc se facturum est pollicitus. Eadem, enim inquit, quæ tu faciam. vt tu in acie stabis stabo & ego. & vt populus tuus bellum gerit, & populus meus bellum geret. Ostendit tamen suam pietatem. existimauit enim necessarium prius sciscitari Deum vniuersorum. Dixit enim, inquit, Achabo. Sciscitemur Dominum. Cùm ille autem congregasset Prophetas Baalim, rursus Iosaphat illos quidem est abominatus, diuinum aũt quæsiuit Prophetam. Nõ est, inquit, amplius hic Propheta Domini, & Dominum per ipsum sciscitemur. Cùm ille autem dixisset esse quidem, & vocari Micheam. sed se eum odio habere, quoniã quæ sunt grata non respondeat, piè respondit Iosaphat, Ne sic dicat Rex. Sed in his quidem est laude dignus. Eius autem pietatem læsit amicitia & cognatio. hoc enim nobis explicauit liber Paralipomenon. Propheta autẽ Micheas, etiamsi Eunuchus qui ad eum missus fuerat, præcepisset renunciare bona, non induxit in animũ vt per mendacium Regi gratificaretur. Viuit, enim inquit, Dominus, quòd quæ mihi dixerit Dominus ea loquar.

65 *Quam ob causam ab Achabo rogatus an ascẽdet in Ramoth Galaad, dixit vt ascenderet, fore enim vt Dominus rem rectè dirigeret in manu Regis.*

Expectauit vt iureiurãdo adigeretur, & deinde verum diceret. Nam quoniam Achab existimabat Prophetam propter odium prædicere ea quæ erant molesta, prius dixit ea quæ erant iucunda. Deinde iureiurando adactus diuina ostẽdit. Nam cùm dixisset Achab, Aliquoties te adiuro ego vt dicas mihi veritatem in nomine Domini, illud autem Aliquoties, dixit pro sæpius, subiunxit Micheas, Non sic, pro eo quod est, Non verè, inquit, illud dixit. Vidi enim vniuersum Israelem dispersum in montibus, sicut oues quibus nõ est pastor. Per hæc autem ostendit quòd illius prauitas causa sit stragis. Nam si bonum ac pium habuisset pastorẽ, vi superasset hostes. Deinde ostendit etiã modum assequendæ salutis. Si Dominus est, inquit, eis in Deum, reuertatur vnusquisq; ad locum suum in pace. Si Deo credis, & vultis ex eo scire quid agendum, dimittite exercitum. Cùm autẽ Achab dixisset ad Iosaphat. Non dixi tibi, quòd iste non prædicit mihi bona sed mala? Dixit Propheta. Non ego. audi verbum Domini. Vidi Dominũ Deum Israel sedentem super thronum suum. & vniuersus exercit⁹ cœli stabat circa ipsum à dextris eius & à sinistris, & dixit. Quis decipiet Achab Regẽ Israel, & ascendet in Ramoth Galaad, & cadet illic? Et iste quidem sic dixit, ille verò sic. Et dixit, Non poteris. Et egressus est spiritus, & stetit corã Domino, & dixit, Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omniũ eius prophetarum. & decipiam ipsum. Et dixit,

xit, Poteris, egredere & fac ei hæc. Hæc est quædam prosopopœa seu fictio personæ, quæ docet diuinã permissionem. Non enim verus Dominus, & magister veritatis iussit vt deciperetur Achab, qui dixit per Prophetã, Si Dominus verè est apud eũ, reuertatur vnusquisq; in locum suum in pace. Per hæc ergo docuit Propheta, quòd spirit⁹ deceptionis impijs hominibus vtens tanquã instrumẽtis, falsò promittit victoriam. Hoc autem fit Deo permittente. Nã cùm prohibere posset non prohibuit, quoniã indignus erat Achab cuius Deus curã gereret. Iosephus autem dixit esse Micheam qui iã antè vsus erat fascijs, & qui molesta prædixit Achabo, & quem dixit Achab se odio habere, quoniã de eo non dicit bona sed mala, & nunc etiã scripsit vt conijceretur in carcerem, iubens vt ei parũ daretur cibi, quo solũ prohiberetur ne fame interiret. Sed non ideo Propheta desijt loqui liberè: sed dixit clamans. Si reuertens, reuertaris in pace, non est locutus Dominus in me. Hæc aũt verba cùm audijsset, profectus est ad bellum. Cum eo autẽ simul abijt Iosaphat, sua pietate faciens indigna. Nam cùm quæsiuisset Prophetam, & amandasset falsos prophetas, & quid esset agendum didicisset per Micheã, pietati prætulit amicitiã. Cæterùm propter aliam eius virtutem, curæ fuit diuinę prouidentiæ. Nam cùm Syri ex vestimentis regijs coniecissent eũ esse Regẽ Israelis, & ad eũ contendissent, ipse quidem Dei inuocauit auxilium: Deus aũt ei protinus præbuit auxilium. Diuina autem prædictio finem accepit. Sauciatus enim Achab, diu mansit in curru, ne fuga esset causa vt suus funderetur & fugaretur exercitus. Fluens autem sanguis infixus fuit currui. Eum in fonte qui erat prope vrbem abluit auriga: canes autem linxerunt. meretrices autem sub auroram de more lauerunt, non consulto volentes lauari in sanguine, sed in aqua fontana vt consueuerant. ea autem erat colorata sanguine.

BEATI THEODORETI

EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,

IN LIBRVM QVARTVM REGVM.

Ex 1. cap. lib. 4. Reg. 1 *Quomodo est intelligendum illud, Violauit fœdus Moab in Israel.*

Moabitæ pendebant tributũ Achabo, tanquam subiecti. Illo autem mortuo contempserunt eius filium: nec tolerarunt ei parere.

2 *Quid est cœnaculum reticulatum.*

Erat domus apta tẽpori æstatis habens multas fenestras instar retis constructas, quas multi appellant διατρήτους, id est perforatas, seu cancellos.

3 *Quid sit προσόχθισμα.*

Προσοχθίσματα & βδελύγματα, id est offendicula & abominationes, scriptura solet appellare idola. Sunt enim digna odio & abominatione. προσόχθισμα enim significat odium. Sic enim dixit Isaac: προσώχθισα τῇ ψυχῇ μου διὰ τὰς θυγατέρας τῶν χαναναίων. id est, odio habeo animam meã, seu tędet me vitæ meæ, propter filias Chanaæorum. προσώχθισα, inquam, id est, odio habui. Et beatus Dauid dixit, παρέστη πάσῃ ὁδῷ οὐκ ἀγαθῇ. κακίαν δὲ οὐ προσώχθισε. id est, Adstitit omni viæ non bonæ, vitium autem non odiuit. Deflenda est autem Moabitarum amentia. Non solũ enim in Deos referebant maxima animalia, sed etiam minima & vilissima & odiosa. Quid enim est musca odiosius? Sed tamen & eius simulachrum Deum dixerunt, & Deo qui verè est Deus relicto, muscæ simulachrum de vita sciscitabantur: & quam viuentẽ flabellis expellunt, eius figuram Deum appellarunt. (Gen. 27. / Psal. 35.)

4 *Quidam Prophetam accusant crudelitatis, quòd duos quinquagenarios cum subiectis igni tradiderit.*

Qui Prophetam accusant, aduersus Deum Prophetæ linguam mouent. Ipse enim immisit ignem. Est ergo nimiæ audaciæ diuinę irasci administrationi. Oportet enim scire ius diuinæ prouidentiæ: & quòd iustè punit peccatores: & beneficio afficit suos cultores. Est autem perspicuum eos quinquagenarios, & qui eis parebant, conuenire cum scopo & instituto eius qui illos misit. Vnde etiam à Deo immissa sustinuerunt supplicia. Tertius enim cũ suis quinquagenarius æquitate & fide ornatus, & qui experientia Prophetæ virtutem didicerat, vsus verbis placidis effugit suppliciũ.

5 *Quomodo est intelligendum illud, Tunc regnauit super Israelem Ioram frater Ochoziæ pro eo, quòd nõ esset ei filius.*

Lex erat vt Regum filij regno succederent. Si nõ essent autem filij, frater natu maximus, aut qui erat ei maximè consanguinitate coniunctus. Dauidis quidem certè regnum vsque ad captiuitatem, filius à patre accipientes, administrarunt. Tenuit autem regnum Iechonię ante liberorum procreationem, cùm esset eius patruus.

6 *Quosnam filios Prophetarum vocet diuina scriptura.* Ex cap. 2. lib. 4. Reg.

Ipsos Prophetas Hebręorũ & Syrorũ idiomate. Sic enim etiã homines solita est nominare. Filij, enim inquit, hominũ, vsquequo graui corde? &, Secundũ altitudinẽ tuã multiplicasti filios hominũ. hoc est, homines. Ostendunt aũt ipsa quoq; verba multos fuisse prophetas. Nã qui habitabant Hiericho & Bethel, ꝑsciue- (Psal. 4. / Psal. 11.)

runt etiam assumptionem Eliæ. cognouerat autem hoc quoq; ante alios Prophetas præclarus ille Elisæus. Quãobrem & his & illis dixit, Et ego noui. Post Eliæ autẽ illius magni assumptionem, persuaserunt hæredi gratię simul congregati, vt mitteret aliquos ad quærendum communem magistrum: & miserunt accinctos quinquaginta. eos enim appellauit viros virtutis.

7 *Quamnam ob causam cùm petijsset Elisæus duplicem gratiam, magnus dixit Elias, Obdurauisti vt peteres.*

Hoc dixit, non inuidens gratiam Discipulo, sed curam gerens aliorum hominum. Nam quoniam tribus annis & sex mensibus, impiè se gerentes fame castigauit homines: necesse autẽ erat vt qui duplicis erat hæres gratiæ, res efficeret duplo maiores, ex ijs autem erat ea pœna quæ irroganda erat per famem, ei parcens dixit, Obdurasti vt peteres. Hoc autẽ discimus etiam ex historia. Nam septem annis illatum fuit supplicium per famem.

8 *Quomodo est intelligendũ illud, Pater pater, currus Israel, & eques eius.*

Reges aliarum gentiũ, equis vtentes & curribus stabant in acie. Ea de causa magnum Eliam appellauit & currum & equitem Israel, vt qui solus sufficeret & ad fundẽdos ac profligandos hostes, & rursus ad dandam alienigenis hostibus victoriam.

Quomodo est intelligendũ illud, Vbi est Deus Eliæ, Aphu.

Cùm vellet Propheta transire Iordanem, imitatus est magistrũ, & pelle ouina percussit aquam, nihil dicens, sed existimãs sufficere ad faciendum miraculum pellem ouinam. Postquam autem non obedijt natura aquarum, vocauit Deum sui magistri, qui non cadit sub aspectum hominum nec ad eum patet accessus. Aphu enim interpretatur occultus, conueniente editioni aliorum interpretum.

9 *Quanam de causa medicatus est salibus naturam aquarum.*

Exod. 15. Magnus ille Moses, ligno iniecto, amaram aquarũ equalitatem transmutauit in dulcem. hic autem salibus aquam liberauit ab amara operatione. est enim facile Deo vniuersorum & voluntate & verbo, & per ea quæ velit, mutare naturas elementorum.

Ex cap. 3. 4. lib. Reg. 10 *Quid est, Mesa Rex Moab erat Noqued.*

Alij interpretantur Noqued, Principem pastorum. Id autem ostendunt etiam ea quę deinceps sequuntur, Et pendebat vectigal Regi
,, Israelis centum millia agnorum, & centũ mil
,, lia arietum cum vellere suo. Pro laude autem dixerũt de Elisæo, quòd infunderet aquam in manus Eliæ. in tanta habebant admiratione magnum illum Prophetam. Necessitas autem coegit etiam impium Regem confugere ad benedictũ & summis laudibus ornandum Elisæum. Ille autem vsus magistri loquendi
,, libertate, Quid mihi, inquit, & tibi? Vade
,, ad Prophetas patris tui, & ad Prophetas matris
,, tuæ. Necessitas autem etiã audaces efficit mites. Protinus itaq; loram placidè respondens dixit. Num, inquit, vocauit Dominus hos tres ,,
Reges vt eos traderet in manus Moab? Sed ne ,,
sic quidem persuasit Prophetæ vt non argueret eius impietatem. Dixit enim, Viuit Do- ,,
minus exercituum coram quo adsto, nisi ,,
acciperem personam Regis Iuda, si te aspexis- ,,
sem & vidissem. Vrgente itaque necessitate ,,
potentiæ fastum ad tempus sustulit reprehensio.

11 *Quomodo est intelligendum illud, Accipite mihi psallentem.*

Diuinissimus Dauid, qui & regia & Prophetica dignatus est gratia, sapienter ordinauit munus ac ministerium Sacerdotale, & Sacerdotes quidem conuenienter legi Mosaicæ iussit vti tubis: Leuitas autem citharis & tibijs & cymbalis & alijs instrumentis. Vtebãtur autem ipsi spirituali Dauidis modulatione. Ex ijs vnum iussit accersi Propheta. Illo autem psallente, quod erat agendum significauit gratia spiritus. In torrente enim iussit fossas fodi, vt procul illato aquæ fluento, aqua implerentur fossæ, & exercitui vsum exhiberent necessarium.

12 *Quomodo est intelligendum illud, Et fuit pœnitentia magna in Israel.*

Cùm Moabitę quidem funditus de medio tollerentur, tentauit quidem fugere Rex eorum. Postquam autẽ valida & strenua cohors ei non permisit, filium primogenitũ & regni successorem in quadam turre obtulit in holocaustum. Hoc cùm conspexisset multitudo hostium, soluit obsidionem.

13 *Cur irridentes pueros vrsi comederunt.*

Pueros Elisæum irridentes comederunt vrsi, ne si mansissent impuniti in peius ,,
proficerent: & vt per paruos magni castigarentur: & ne Prophetæ despicerentur.

14 *De quonã dixit mulier, Seruus tuus maritus meus est mortuus.* Ex 4. cap. 4. lib. Reg.

Aliqui dicũt eum esse Abdiam Achabi dispensatorem, qui centum viros seruauit & enutrijt, vt prius dictum est. Iure autem est admiranda vis prophetarum, quòd ea quæ sunt parantes, vitæ præbent adminicula. Nam cùm parum olei in vasa plurima iussisset infundi, & mariti exoluit debitum, & ipsam & filios aluit. Hinc autem facile est cognoscere, quòd contra legem faciente populo & impiè se gerentibus Regibus, erant quidam pij. Ex ijs enim erat Abdias, & cæteri qui non flexerunt genu ante Baal, & admirabilis Somanitis, quæ in Prophetam valde fuit officiosa. Cuius officij & curæ vicem rependens Propheta, eam rogauit an esset aliquid quod vellet dici Regi, aut Duci exercitus: & cùm posset ei diuinum exhibere auxilium, vult etiam eam humanam assequi curationem.

15 *Quid sibi vult, In medio populi mei ego habito.*

Mihi, inquit, placet otium, & nullis exerceri negotijs, & placidè viuo & tranquillè, neque in animum induco vt cum vllo aliquam velim habere controuersiam.

16 *Quomodo*

16 *Quomodo est intelligendum illud, Hoc tempore vt hora est, viuens tu concipies filium.*

Hoc etiam Patriarchæ dixit Deus vniuer-
Gen. 18. ,, sorum, Hoc tempore veniam, & erit Sarræ filius. Significat ergo Propheta per ea quæ dixit, quòd ipse vniuersorum Dominus est locutus. Quamobrem affirmatiuè dedit promissum, quod naturæ superat imbecillitatem. Cùm autem experientia didicisset Prophetæ virtutem, sperauit etiam fore vt puerum mortuum suscitaret. Nam cùm in Prophetæ lecto collocasset mortuum, clauso ostio profecta est ad Prophetam, ne marito quidem significata causa profectionis. Ille ita-
,, que ignorans, eam rogabat, Quid est quòd
,, tu hodie ad eum proficiscaris? Non est noui-
,, lunium, non sabbatum. Nam in nouilunio solebant diem festum agere. Illa verò dixit, Pax. Volo, inquit, eum alloqui. Cùm autem eam procul vidisset Propheta, rogauit per Giezi quomodo se habeat & ipsa & eius maritus, & puer eorum. Hoc enim significat, Pax tibi, pax marito tuo, pax puero, pro eo quod est, Rectè vos habetis? Illa autem Giezi quidem dixit, Pax: Prophetæ autem prehensatis pedibus, ei significauit quid accidisset. dolorem autem ostenderunt lachrymæ. Cùm autem vellet Giezi facere vt
,, surgeret, dixit Propheta, Dimitte eam, tri-
,, stis enim est eius anima. & Dominus me ce-
,, lauit, & mihi non renunciauit. Hinc ergo est perspicuum, quòd non omnia præsciuerunt Prophetæ, sed ea quæ diuina gratia eis reuelauit.

17 *Quamnam ob causam mittens Giezi ad suscitandum puerum, iussit vt si aliquem viderit in via, ne eum salutet, & si ipsum salutauerit, ne ei respondeat.*

Sciebat eum esse honoris cupidum, & causam dicturum. inanem autem gloriam fore impedimento ne faciat miraculum.

18 *Quid significat, Incubuit super ipsum.*

Hoc alij interpretes dixerunt, Insufflauit. Quomodo enim Deus corpus Adami fabricatus, per insufflationem indidit animam, ita Propheta suscitauit adolescentem. Sed creator quidem insufflando creauit animam quæ non erat. Propheta autem eam quæ erat in suum reduxit corpus. Illud autem Insufflauit in ipsum, alij dixerunt, cooperuit. Sua autẽ sensuum instrumenta illius sensuum instrumentis applicauit & adaptauit, oculos oculis, os ori, manus manibus, vt mortuus eius qui viuit gratiæ esset particeps, gratiæ scilicet spiritualis quæ vitam suppeditat.

19 *Quid est, Cùm collegisset Aroth.*

Alij olera agrestia ea sunt interpretati. His ij qui colligebant, ignorantes admiscuerãt olus exitiosum. sed veneni operationem obtudit Propheta, iubens farinã inijci in lebetem. Obtudit autem non farinæ natura, sed Prophetæ gratia. Ita etiam aquarum sterilitatem in fœcunditatem sal non mutauit, sed virtus Prophetici spiritus. Quòd autẽ vita prophetarum nullas habuerit possessiones, docet historia. Nam qui erat eorum primus, nunc quidem eos excepit conuiuio olerum agrestium. nunc autem panes ordeaceos viginti apposuit centum viris, eosq; ab alijs allatos. Eis autẽ tantam benedictionem impertijt, vt & illos centum exsatiaret, & post satietatem supererssent permulti. Tãta autem erat vis illius pau- Ex cap. 5. lib. 4. Reg.
pertatis, vt Rex Syrorum illius egeret gratia, & Naaman mitteret ducem exercitus, vt ipse per propheticas preces liberaretur à lepra. Et Rex quidẽ Israelis lectis literis Syri, propter inopiã vestem discidit. Propheta autem pauper ipsi quidem succensuit: iussit autem ad se mitti Naaman. Et ipsum quidẽ videre, vt qui esset leprosus, non sustinuit, legem seruans, vt qui sub lege viueret. Septies aũt ipsum iussit lauari in fluuio Iordane. Lepra autem erat corporis. Id autem constat ex quatuor elementis. In septem autem diebus vita præsens voluitur. Animæ autem purgatio perficitur per numerum sanctæ trinitatis. Naaman autem primum quidem cõtradixit, dicens meliores esse fluuios Damasci. Suorum autem domesticorum accepta admonitione, redijt, & mundus reuersus est ad Prophetam. Et primum ille ei dona obtulit pretiosa: Propheta autem valde expetendam paupertatem prætulit omnibus diuitijs. & legem Euangelicam adimple
uit priusquam ferretur. Gratis, enim inquit, Matth. 10.
accepistis, gratis date. Vir autem ille admirabilis credens vel ipsam terram Israelis esse sanctificatam, rogauit vt duo onera mulorum ex ea acciperet: vt super eam Domino Deo soli offerret lege constituta sacrificia. Non enim ,,
faciet, inquit, seruus tuus holocausta aut sa- ,,
crificium Dijs alienis, sed soli Domino. Et ,,
de hac re propitius mihi erit Dominus seruo ,,
tuo, dum ingreditur Dominus meus in ędem ,,
Remnon vt illic adoret. quoniam ipse requi- ,,
escit super manum meam. Necesse est, inquit, ,,
mihi vt simul cum Domino eam ad Deum fal-
so nominatum. Supplex peto vt veniam con-
sequar, quoniã propter regiam necessitatem
cogor ingredi ad Deũ falso nominatum. hoc
enim significauit cùm dixit, De hac re propi- ,,
tius mihi erit Dominus seruo tuo. Hęc autem ,,
verba accusant Iudaicã multitudinem, quòd
cùm & legem habeant, & Prophetas, & Sacerdotes, & miracula videant & signa, cultum idolorum prætulerint Dei cultui. Prophetæ autem iure est admiranda & vis gratiæ, & iusta sententia. Nam & furtum Giezi nouit, &
Naamanis lepram ei adiudicauit. Non, inquit, ,,
cor meum erat tecum, quando defilijt Naa- ,,
man à curru suo in occursum tuum? Et nunc ,,
accepisti pecuniam & vestes: & accipies tibi or ,,
tos, & oliueta, & vineas, & greges & armẽta, & ,,
seruos & ancillas. & lepra Naaman tibi adhæ- ,,
rebit, & semini tuo vsq; in æternum. Sed ille ,,
quidẽ effectus pecuniæ amator, factus est le-
prosus. Chorus autem Prophetarum extre- Ex cap. 5. lib.
mam amplectebatur paupertatem. Non enim 4. Reg.
habebant domos, sed vtebantur tugurijs.
Quamobrem à magno illo Propheta supplices petierũt vt abiret cũ ipsis ligna secantibus

ad ea conſtruenda. Tanta autem vtebãtur pau
pertate, vt ne ſecurim quidem ſuſtinerent poſ-
ſidere. Cùm vna quidé certè cecidiſſet in flu-
uium, dixit qui eam acceperat commodato,
,, O Domine, & ipſum fuerat datum commo-
,, dato. Nemo autem exiſtimet hanc vocem eſſe
Pſal.117. blaſphemiam. Nam & Propheta Dauid in ſpi-
,, rituali modulatione dixit, O Domine ſaluum
,, me fac. O Domine bene me in via dirige. Ad-
mirabiliter autem & præter opinionem Pro-
pheta ſurſum eduxit ferrum. Iniecto enim li-
gno effecit vt ferrũ ſupernataret. Hoc autem
rurſus præfigurauit Seruatoris noſtri diſpen-
ſationem. Quomodo enim lignum quidem q̃
eſt leuiſſimum fuit demerſum, quod eſt autẽ
grauiſſimum, nempe ferrum, ſupernatauit: Ita
diuinæ naturæ deſcenſus effecit vt humana
natura aſcenderet.

20 *Quid eſt, In hunc locum Phelboni Alemoni.*

Vt ſi quis dixerit, In huncce locum. hoc e-
nim ſignificat illud Phelboni alemoni. Eſt
autem hoc quoque Prophetæ, dignum ad-
miratione. Venando enim cepit venantes: &
cùm eorum oculis induxiſſet caliginem, eos
introduxit in ciuitatem. Deinde cùm à Deo
ſuppliciter petijſſet vt diſcuteret caliginem,
effecit vt cognoſcerent ſe eſſe comprehenſos
retibus: & conãtes capere ſe factos eſſe capti-
uos. Eſt autem illud quoque dignum laude.
Nam cùm Rex Iſrael tentaſſet eos de medio
,, tollere, dixit, Non percuties niſi eos quos ce-
,, piſti in gladio tuo & arcu tuo: ſed appoſito eis
,, pane & aqua comedant & bibant, & reuerten
,, tur ad Dominũ ſuum. Si interficiãtur, inquit,
non cognoſcetur magnitudo miraculi. Sin au-
tem reuertantur ſani ad eũ qui miſit, ille quo-
que diſcet Dei noſtri potentiam.

22 *Cui vſui eſſet ſtercus columbarum.*

Neceſsitas obſidionis & magnitudo famis
eos cogebat ſtercore vti pro ſale.

Ex cap. 7. lib. 4. Reg. 23 *Cur iuſſerit Propheta claudi oſtium, & arceri eam qui miſſus fuerat à Rege.*

Rex ſtolidus æmulatus patris & matris a-
nimum ſpirantem cædem, iuſsit amputari ca-
put Prophetæ, idq́ue ſacco indutus, conſtitu-
ens ſoluere & diſsipare horrendã illam & ſtri-
dentem nubem. & cùm oporteret ſupplicare
Prophetæ vt Deo pro ipſo offerret interceſsi-
onem, hoc quidem non fecit, ſed minatus eſt
ſe eum interempturum, vt qui negligeret, vel
lubens deſpiceret ſummam calamitatem. ſed
ſtatim ductus pœnitentia accurrit cædem re-
primens. Hoc enim ipſe quoque ſignificauit
,, Propheta, An neſcitis quòd iſte filius homi-
,, cidæ miſerit ad amputandum caput meum.
,, Videte quòd ſi venerit nuncius, claudatis o-
,, ſtium, & reprimatis eũ in oſtio. An non, inquit,
,, vox Domini eius eſt poſt ipſum? Sed tamen
quamuis hæc pateretur Propheta, Domino
ſupplicauit, & repẽte ſoluit obſidionem. Poſt
Ex cap. 8. lib. 3. Reg. hanc narrationem, qui conſcripſit hiſtoriam
nos docuit, quòd Propheta prædixerit Suma-
nitidi futurã famem. non ſignificauit autem
,, tẽpus. Dominus, enim inquit, vocauit famẽ ſu
,, per terrã. & aderunt ſupra terrã ſeptem anni.

Tacitè autem indicat oratio quòd Iſrael fa-
me pœnas luet. Quamobrem præcepit Suma-
nitidi dicens, Surge & vale tu & filius tuus, & ,,
habita vbi inueneris. Eſt ergo perſpicuum q̃ ,,
plagis à Deo immiſsis caſtigabatur Iſrael, vt
qui poſt tantam quæ eius gerebatur curam, im
piè vitam ageret. Hinc autem diſcimus quòd
Propheta duplicem eſt gratiam conſecutus.
eſt enim duplum tempus famis.

24 *Cur cùm Propheta prædixiſſet Azaeli mortẽ Regis Benadad, iuſſit ei dicere, Vita viues.*

Vniuerſorum Deus iuſsit magno Eliæ, vt
vngeret quidem Eliſſæum Prophetam, Azael
autem in regem Syriæ, Iehu autem in Regem
Iſrael. Sed Eliſſæum quidem vnxit vt iuſſus
fuerat: Reges autem non vnxit. fuit enim pri-
us aſſumptus. Eliſſæus autem duplici accepta
gratia, primum abijt in Damaſcum vt vnge-
ret Azael. Benadad ergo, qui dicitur etiam fi-
lius Adad, cùm reſciuiſſet aduentum Pro-
phetæ, miſit Azaelem & munera magnifica ac
pretioſa: rogauit autem an liberaretur ab æ-
gritudine. Cùm ergo aduenisſet Azael, ei præ-
dixit Propheta & ipſum Regem futurum, &
mortem eius qui ipſum miſerat. Iuſsit autem
ne mortem ei ſignificaret, ne triſtis è vita ex-
cederet. Atque cùm Azaelem quidem vidiſ-
ſet Propheta, emiſit riuos lachrymarum. præ-
uidit enim per ipſum futuras Iſraeli calami-
tates. hoc enim ei quoque prius ſignificauit.

25 *Quomodo eſt intelligedũ, Et accepit ſtragulum, & rinxit ipſum aqua, & iecit ſuper faciem eius, & mortuus eſt.*

Ioſephus dixit Azaelem hoc feciſſe, & vio-
lentam ei mortem attuliſſe: erat enim impius
& ſæuus ac cædé ſpirans. Ipſe enim dixit, De- ,,
us montium eſt Deus Iſrael, & non Deus val- ,,
lium. & conſeruatus ab Achab, ingratus fuit ,,
in benefactorem. Nos autem docuit hiſtoria
noxiam malæ cognationis. Nam alius quidem
Iorã Rex tribus Iuda fugit quidem à Ioſaphat
viro pio: ſeductus autem verbis coniugis, fuit
particeps eius impietatis. Ambulauit, enim in- ,,
quit, in via Regum Iſrael, ſicut fecit domus ,,
Achab. quoniã filia Achab fuit ei in vxorem: ,,
& fecit malum coram Domino. ,,

26 *Quomodo eſt intelligendũ, Et percuſſit Edon, & cætera.*

Imperauit Idumæis Rex tribus Iuda. ſed
congruenter prophetiæ Patriarchæ Iſaac, ſer-
uitutis iugum excuſſerunt. Erit, enim inquit, ,,
tempus quando auferes & abſtrahes iugum e- ,,
ius à collo tuo. In eos ergo facta expeditione, ,,
illos quidem ſuſtulerũt, & in ſuam terram re-
dierunt. Idumæi autem non amplius ſuſtinu-
erunt vt victi ſubirent imperium.

27 *Quam ob cauſam per alium Prophetam Iehu vnxit Eliſæus.* *Ex cap. 9. 4. lib. Reg.*

Hoc clam fieri expediebat, vt citò de me-
dio tolleretur Ioram. Nam ſi preſenſiſſet, aci-
em inſtruxiſſet: in acie autem neceſſe fuiſſet
vt multi vtrinque caderent.

28 *Cur eum qui vnxiſset inſſit ſtatim fugere.*

Ne ſi fuiſſet cõprehenſus, fuiſſet in periculo.
Vult enim nos Deus humana vti cautione &
pru-

prudentia. Qui rationis honore ſunt prædi-
ti, eos ratione oportet vti ad id quod conuenit.

29 *Cur Prophetam appellauit fatuum.*

Vt qui eſſent impij, Dei Prophetas afficie-
bant contumelia; & inſanos appellabant, vt
qui liberè loquerentur. Iehu autem non tan-
quam contumelia afficiens eum nominauit
nugatorem, ſed celare volens ea quæ dicta
fuerant. Poſtquam autem vidit vrgentem, in-
dicauit.

30 *Quid eſt, Et accepit quilibet veſtem ſuam, & poſuit ſub Iehu.*

Quæ ſequuntur explicant loci obſcuritã-
tem. Nam tanquam Regi detulit honorem.
Aram autem vocauit Syros. Sic enim etiam
alij ſunt interpretati.

31 *Quomodo eſt intelligendum, Et ductus Iehu filij Amſi.*

Cùm procul aſpexiſſet ſpeculator, quòd
qui miſsi quidem fuerant non reuertebantur,
Dux autem multitudinis videbatur eſſe Ie-
hu, hoc enim ſignificabat habitus, indicauit
id quod vidit. Nonnulla autem exemplaria
habent, Et ducens ducebat Iehu Deus.

32 *Quid eſt, Et locutus eſt Dominus aſſumptionem hanc.*

Propheticas viſiones appellabant etiam aſ-
ſumptiones. Nam ex Prophetis, alij quidem
aut per ſomnia, aut reuera videbant aliqua. &
hoc genus dicebatur viſio. aliqui verò, diui-
no ſpiritu per eos operante, dicebant & præ-
dicebant futura. Hoc appellabant aſſumptio-
nem. Reuocabat autem Iehu in mentem ma-
gni illius Eliæ prædictionem, nempe quòd
vbi canes linxerunt Nabuth ſanguinem, illic
lingent Achabi. Quamobrem iuſsit etiam Io-
rami corpus illic abijci. Et cùm accepit cor-
pus Iezabelis conſumptum fuiſſe à canibus,
,, admiratus eſt Iehu Prophetiæ veritatem. In
,, parte, enim inquit, Iezrael comedent canes
,, carnes Iezabel, & quæ ſequuntur. Alijs autem
Ex cap. 10. lib. 4. Reg. Achabi filijs interfectis non ab hoſtibus qui
eos fuderant, ſapienter Iehu dixit populo. Ec-
,, ce ego conuerſus ſum in Dominum meum, &
,, occidi eum: & hos omnes quis percuſſit? Vi-
,, dete quòd non cadet ex verbis Domini in
,, terram, quæ locutus eſt aduerſus domum A-
,, chab. Ego, inquit, tanquam Tyrannus con-
ſulto ſuſtuli Ioram. Fratres autem eius qui e-
rant numero ſeptuaginta quis occidit? An
non ira à Deo immiſſa quæ neceſſarijs & ſan-
guine coniunctis vſa eſt adminiſtris? Sunt
ergo certæ & non fallaces Prophetarum præ-
dictiones.

11 *Cognitores quoſnam vocet.*

Vates qui exiſtimant ſe ſcire futura. Quo-
modo enim videntes & aſpicientes appella-
bant Prophetas, vt qui exiſtimarent ſe ſcire
& cognoſcere occulta, & præſcire ea quæ
nondum facta fuerant: Ita etiam vates appel-
labant cognitores.

12 *Quid eſt, Ionadam Rechab.*

Erat hic quoque vir pius, & eius genus.
Nam in tabernaculis perpetuo habitabant, &
à vini potu abſtinebant. Horum etiam Pro-
pheta Hieremias meminit cum laude. Ipſa *Hier. 35.*
autem hiſtoria oſtendit eorũ pietatem. Nam
primum quidem Rex Iehu cùm eum vidiſ-
ſet, eum ſalutauit, hoc eſt, eum eſt allocutus.
Deinde rogauit, Eſt ne cor tuum rectum ,,
cum corde meo, ſicut cor meum cum corde ,,
tuo? Cùm autem dixiſſet, Eſt, dixit ei Iehu. ,,
Si eſt, da manum tuam. Deinde cùm confeſ- ,,
ſorem accepiſſet in currum, dixit, Adeſdum ,,
mecum, & vide, in eo quòd zelo motus ſum ,,
pro Domino. & fecit eum ſedere in curru ſuo. ,,
Hinc eſt ergo perſpicuum, quòd etiam in tri-
bubus erant quidam viri pietate prædi ti, pro-
pter quos etiam aliorum curam gerebat Do-
minus.

13 *Cur nam mentitus eſt, cùm eſſet interfecturus ſacerdotes Baal.*

Dixit enim, Achab parum ſeruiuit Baal: &
ego ei multũ ſeruiam. Et verborum & facto- ,,
rum examinandus eſt ſcopus & inſtitutum. ,,
Hoc hic quoque eſt faciendum. Iehu enim
cùm nullum vellet effugere cædem, illis ver-
bis vſus eſt, vt omnes confidenter accede-
rent. Vt nullus autem ex Dei ſacerdotibus eſ-
ſet pœnæ ſocius, vt qui feſto eſſent indigni, e-
os iuſsit expelli: Deinde omnes illos ſolos ſic
confodit. Baalis quoque ſtatuam combuſsit,
& nemora excidit, & ab alijs idolis liberauit
omnem terram Iſrael. Iuuencas autem aureas
perpetuo coluit. Baalim autem appellauit æ-
dem Baalis.

14 *Quamnam ob cauſam ſuos nepotes ſuſtulit Gotholia.* *Ex cap. 11. lib. 4. Reg.*

Vt impia & tyrannica, voluit omne genus
Dauidis tanquam pium radicitus excindere,
vt arrepto imperio populum ſuam doceret
impietatem. Sed qui omnia ſapienter regit
Dominus, rurſus effecit vt regiæ tribui ad-
miſceretur ſacerdotalis: & ſapientiſsimus
ſacerdos duceret vxorem Ioſabee filiam Io-
ram, vt conſeruaretur ſcintilla regij ſeminis.
Iam enim videns perimi genus regium, ſuffu-
rata eſt & occultauit fratris filium Ioas: &
perpetuo intus eum aluit. Et ſex quidem an-
nos tenuit regni adminiſtrationem execran-
da Gotholia. anno autem ſeptimo ſapien-
tiſsimus Pontifex regnum reduxit ad genus
regium.

15 *Quoſnam vocat Centuriones.*

Ductores Celerum qui prope Regem cur-
runt. Nam chori quidem ſunt Celeres. Ra-
zim autem ſunt ſcutiferi. Cùm eos diuiſiſſet
trifariam, alios quidem iuſsit cuſtodire do-
mum Regis: alios autem aditum diuini tem-
pli: alios autem aliam portam.

16 *Quid ſibi vult, Cuſtodite cuſtodiam domus mẽdiæ.*

Illud Mediæ, cæteri dixerunt interpretes à
differentia. hoc eſt, poſt omnes cuſtodias, vt
nulla eſſet noxia in domo Dei. Illud autem,
Duæ manus vobis, hoc eſt, Sitis integri & ſa-
ni. Iuſsit autem Leuitas ferre gladios & Re-
gem cuſtodire. Illud autem, Ingrediens in
Schedaroth morietur, liber Paralipomenon
ſic habet. Ingrediens autem domum morie-

tur. Sic etiam dixit Ioſephus. Illud autem, A latere dextro ædis vſque ad latus ædis ſiniſtrum, ſignificat, quòd ſoli Leuitæ induti habitu habebant cornua ædi coniuncta, & Regem qui erat inter eos ſoli cuſtodiebant. exercitus autem arma gerens ſtabat foris arcens eos qui conabantur ingredi.

17 *Quid eſt, Dederunt ſuper eum ſanctificationem & teſtimonium.*

Liber Paralipomenon ſic habet. Et dedit ſuper eum diadema regium, & teſtimonium, & conſtituit eum Regem, & vnxit eum Iodae, & filij eius, & dixerunt, Viuat Rex. Quo fit vt ſit perſpicuum quòd ſanctificationem quidem vocauit vnguentum, nempe Chriſma. Teſtimonium autem coronam regiam, vt quæ ſignificaret regnum. Colligationem autem ſeu coniurationem ſolent vocare tyrannidem. Gotholiæ autem tanta erat peruerſitas, vt nepotem ſuum regnaſſe conſpicata, veſtem ſciderit & exclamarit, Colligatio, colligatio, ſeu coniuratio. Sed Centurionibus iuſsit ſapientiſsimus ſacerdos, vt eam extra ſacrum ambitum educerẽt. & hic quidem liber Regum habet, extra ſchedaroth, liber autem Paralipomenon, extra ædem.

18 *Quomodo eſt intelligendum illud, Fecit Ioada teſtamentum inter Dominum, & inter populum, quòd eſſet in populum Domini.*

Teſtamentum alibi alij interpretes dixerunt pactum conuentum ſeu fœdus, decretaque ac leges datas Regi & populo, vt ſoli Domino ſeruirent, & ex eius legibus vitam inſtituerent. Quantum autem iuuet pius Doctor docet etiam hiſtoria. Fecit, enim inquit, Ioas rectum coram Domino omnibus diebus quibus illuminauit eum Iodae ſacerdos. Imperfectionem autem & Regis & Sacerdotis docuit hiſtoriographus. Subiunxit enim, Cæterùm ab excelſis non diſceſſerunt. Adhuc ſacrificabat & adolebat populus in excelſis locis & ſublimibus. Exiſtimo autem quòd non reprehendat Deorum qui falſò dicuntur cultum, ſed quæ præter legem Moſaicam extra Dei templum facta ſunt ſacrificia.

Ex cap. 12. lib. 4. Reg.

19 *Quid eſt, Pecunia pretij æſtimationis viri, pecunia pretij æſtimationis animæ.*

Hunc ſenſum, Deuteronomium interpretantes, oſtendimus. Sanxit enim Dominus quot ſiclos dare oporteat eos qui promittunt pro ſe pretium offerre Deo. Rex Ioas ergo iuſsit vt omnem pecuniam quæ offerebatur ſacerdotes acciperent, & ipſi reficiendi & reſarciendi templi curam gererẽt. Hoc enim dicit, Ipſi confirmabunt Bedec domus Domini. Bedec autem vocat, locorum aut lapidum aut lignorum quę ſunt corrupta reſartionem & inſtaurationem. Liber autem Paralipomenon, pro eo quod eſt, Facere Bedec, dicit inſtaurare domum, & reſarcire ædem Domini.

20 *Quid eſt, Et pœnituit Dominum, & miſertus eſt eorum propter teſtamentum cum Abraham, Iſaac, & Iacob.*

Ioachaz filius Iehu Rex decem tribuum, declinans ad impietatem, habuit populum ſocium & participem cultus idolorum. Deus ergo de eis pœnas ſumens, eos tradidit Azaeli, quem Regem Syriæ eligens Eliſſæus ille magnus plurimas effudit lachrymas, tunc præuidens exitium quod erat allaturus decem tribubus. Ita enim eos conſumpſit, vt equi quidem ſoli ſupereſſent quinquaginta, currus autem decem, decem autem millia peditum: habuerunt autem ſæpe plus quàm centum millia. Sed eorum rurſus miſertus eſt Deus, & eis ſuas reddidit ciuitates. hanc vocauit pœnitentiam, hoc eſt, mutationem à rebus aduerſis ad ſecundas.

Ex cap. 13. lib. 4. Reg.

21 *Quamnam ob cauſam per iacula antè futuram ſignificauit victoriam.*

Non tam credebant verbis, quàm ijs quæ per facta fiebant prædictionibus. Arbitratus autem fore, vt ſua ſponte multa iaceret, ait, primo emiſſo, Iaculum ſalutis Domino: & iaculum ſalutis in Iſrael. & percuties Syriam in Aphec vſque ad conſummationem. Poſtquam autem tria emiſit, valde ſuccenſuit Propheta, vtpote quòd Syria ter ſolùm eſſet victa. Propheta autem etiam mortuus mortuum ſuſcitauit qui ei appropinquarat: vt vel ipſum corpus teſtaretur, quòd acceperit duplicem magiſtri gratiam.

Ex cap. 14. lib. 4. Reg.

22 *Quid ſignificet parabola Acan, id eſt, cardui & cedri.*

Amaſias, iure belli ſuperatis Idumæis, ſperauit ſe etiam ſuperaturum decem tribus: & illorum Regem prouocauit ad prælium. Ille autem contrà expoſuit, quòd Carduus Cedro ſignificauit vt filiam ſuam filio deſponderet. Dum autem loquerentur de nuptijs, tranſeuntes beſtiæ conculcarunt Carduum. Per hæc autem verba ſe quidem aſsimilauit cedro, Amaſiam autem carduo. Hoc enim ſignificant ea quæ deinceps ſequuntur. Percuſsiſti, enim inquit, percuſsiſti Idumæam. & te extulit cor tuum. gloriare ſedens in domo tua. Et cur litigas in improbitate? & cades tu & Iuda tecum. Hæc autem admonitio eſt quidem arrogans, ſed conducibilis, vt finis oſtendit. Non perſuaſus enim Amaſias aciem quidem inſtruxit, ſuperatus autem & abductus captiuus, coactus fuit introducere hoſtem in vrbem regiam. Potitus verò Hieroſolymis diruit quadringentos cubitos ambitus ciuitatis, & Dei & Regis raptis theſauris eſt reuerſus. Accepit autem filios quoque commiſtionum abominationum, nempe ſacerdotes Deorum qui falſo nominantur.

23 *Quænam ciuitas eſt Aelon.*

Quæ nunc nominatur Aila. ſita eſt autem in oſtio ſinus Arabici, quem vocant mare rubrum. Prophetiam autem quæ ſita eſt in libris Regum non inuenimus in libro Ionæ. Ea enim ſola ſcripſit, quæ facta ſunt

ſunt in ciuitate Niniue. ea de cauſa de hac non ſcripſit Propheta.

24 *Quare factus eſt Ozias leproſus.*

Dilucidius de eo ſcripſit liber Paralipomenon. Illum ergo interpretantes, ſi Deus velit, cauſam dicemus. Illud autem, Sedit in domo Apphoſaoth, occultum reliqui verterunt interpretes, hoc eſt, In thalamo à nullo conſpectus. Regnum autem rexit eius filius Ionathã. cùm regnaſſet pater quinquaginta & duos annos. Cũq; deceſsiſſet pater, ipſe fuit hæres regni. & populum quidem liberauit ab alia impietate: & templi Dei altam portam ædificauit: Non fuit autem laus eius perfecta, & omni ex parte abſoluta. Non enim repreſsit Dei cultum qui fiebat in excelſis. Achaz autem eius filius ſumma impietate aliorum obſcurauit impietatem.

Ex cap. 16. lib. 4. Reg.

15 *Quomodo eſt intelligendum illud, Traduxit filios ſuos in igne.*

Ioſephus quidem dixit, Et vnum eius filium obtulit holocauſtum Baali. ego autem exiſtimo id quod dicitur, tacitè ſignificare genus erroris quod ad nos vſque peruenit. Vidi enim in aliquibus ciuitatibus ſemel in anno accendi rogos, & trans eos ſaltare aliquos, non ſolum pueros, ſed etiam viros: infantes autem per flammam ferri à matribus. Videbatur autem quædam eſſe expiatio & purgatio. Exiſtimo autem hoc fuiſſe Achazi peccatum.

17 *Cuinam iuſsit Achaz ædificari aram in templo Dei.*

Non opinor Deo vniuerſorum, ſed alicui ex ijs qui falſo nominantur Dij. hoc enim innuit liber Paralipomenon. Sic autem dicit. Et adiecit Achaz recedere à Domino. Et dixit Rex Achaz, Quæram Deos Damaſci qui me verberant. & dixit, Dij Damaſci me corroborabunt. Ipſis ergo ſacrificabo, & me defendent. Hoc etiam ſignificant ea quæ deinceps ſequuntur. Et abduxit Achaz ea quæ erant in domo Domini. & fecit ſibi altare. In omni angulo in Hieruſalem fecit hæc, & his conſequentia. Porrò autem ipſe quoque liber Regum hoc ſignificat. Iuit, enim inquit, Rex Achaz in occurſum Theglaphalaſſar Regi Aſſyriorum in Damaſcum: & vidit altare quod erat Damaſci: & miſit Rex Achaz ad Vriam ſacerdotem, menſuram, ac ſimilitudinem, & numerum eius ſecundum omnem eius facturam. Iam verò & æneum altare quod Solomon conſtruxit tranſtulit. Quòd autem baſes etiam habuerit, docent quæ deinceps ſequuntur. Conſcidit, enim inquit, Rex Achaz clauſuras Mechonoth. & ab eis amouit luterem ſeu labrum. Innouauit etiam aliam impietatem. Regum enim portam quæ erat intus in diuino templo tranſtulit, ſacros ambitus efficiens peruios. Porrò autem nos quoque docuit hiſtoria quòd Adramelech Aethiops habitauit in Aegypto. Manaa autem reliqui interpretati ſunt dona.

2. Par. 28.

Ex cap. 17. lib. 4. Reg.

18 *Quid eſt, A turre cuſtodum vſque ad ciuitatem munitam.*

In omni loco, inquit, ædificauit altaria Dæmonibus: nec ſolum in ciuitatibus & pagis, ſed etiam in turribus quæ ſunt in via, in quibus pauci ſolent ignem accendere. Hic autem excelſa vocauit templa idolorum. Aedificarunt, enim inquit, ſibi excelſa in omnibus ſuis ciuitatibus: & fecerunt ſibi ſtatuas & lucos in omni colle excelſo, & ſub omni ligno nemoroſo: & adolebant illic in excelſis, ſicut gentes quas Dominus habitare fecit remotas à facie eorum. Socios autem exiſtimo hic dici participes conſenſionis cum gentibus, & eos qui ab illis oriuntur, & qui leges docuerunt impietatis. hoc enim tacitè ſignificant ea quæ deinceps ſequuntur. Et fecit ſocios, & cœperunt ad iram prouocare Dominum, & ſeruierunt idolis, de quibus eis dixit Dominus, Non facietis verbũ hoc. Vbiq; autem reliqui interpretantur lucum Aſtaroth. hoc autem ſignificat Aſtarten, vel vt Græci dicunt ἀφροδίτην, id eſt, Venerem. Quod autem fecerunt, inquit, conueniebat magicis prædictionibus. Nequiſpiam autem ad Iſraelis excuſationem afferret, quòd cauſa impietatis fuerit regni diuiſio, & quòd degerent procul ab Hieroſolymis, neceſſario oſtendit impietatem tribus Iuda. Sic autem dixit. Quinetiam ipſe quoque Iudas non ſeruauit mandata Domini Dei ſui. & ambulauit in iuſtificationibus totius Iſraelis quas fecerunt, & expulerunt à ſe Dominum. Quòd autem poſteriori tempore conſcriptus ſit liber Regum ex ijs quæ à Prophetis ſingulis ſcripta ſunt temporibus, hic locus indicat. Procul, inquit, habitauit Iſrael à terra ſua apud Aſſyrios in hunc vſque diem. & hoc ſæpe dixit qui ſcripſit hiſtoriam. Docuit etiam & qui nunc dicuntur Samaritani vnde migrarint, & quẽ admodum coacti ſint ſeruare legem Moſaicam. Nam dum conſumerentur à feris, ſupplicarunt vt ad ſe mitteretur aliquis ex ſacerdotibus Iſraeliticis: vt ipſe eos docens legem terræ, eos liberaret à damno eis imminente: exiſtimabant enim Deum vniuerſorum eſſe Deum in parte. Sed tamen & miſſo ſacerdote, & legem docente, & Dominum, inquit, timebant, & Deos ſuos colebant ritu gentium. Vnde etiam eos procul illic tranſtulit vſque in hodiernum diem. Sic etiam faciebant ritu ſuo qui erat ab initio. Hæc cùm dixiſſet de Samaritanis, tranſijt ad tribum Iuda. & Ezechiam eſt admiratus, vt qui Deum vniuerſorum coluerit ſimiliter atque Dauid. Non ſolum enim contriuit ſtatuas, & lucos conſcidit, ſed etiam æneum ſerpentem quem magnus Moſes extruxit, non vt adoraretur, ſed vt ſalutarem præfiguraret paſsionem. Ei, inquit, populus perpetuò adolebat, & vocabat eum Nehuſtam. hoc autem in Hebraicorum nominum interpretatione inuenimus expoſitum atrium æneum. Hinc exiſtimo etiam Ophitas, eſt autem hæreſis peſsima, appellatos eſſe Eſſenos.

Ex cap. 18. lib. 4. Reg.

18 *Quid eſt, Ad finem trium annorum.*

Tres, inquit, annos durauit obſidio.

19 *Cur promiſit Ezechias ſe dona miſsurum Senacherib.*

Achaz pater eius, vocato Theglaphalaſſar ad belli ſocietatem aduerſus Aſſyrios, pollicitus eſt ſe penſurum tributum. Ille perpetuo id pendidit. Ezechias autem tributum impoſitum non ſoluit. Viſo autem exercitu promiſit ſe daturum. & dedit trecenta auri talenta. Iuſsit enim Aſſyrius eum tantum tributi ſoluere.

20 *Cur Deum ſtudens placare, tributum præbuit ex ſacris pecunijs.*

Quando non ſufficiebant theſauri regij, mos erat in eiuſmodi neceſsitatibus ſacros etiam theſauros conſumere, & eos rurſus replere ex hoſtibus. Neceſsitas autem effecit vt etiam conflaret portas æneas, quas ipſe conſtruxerat. & poſtes portarum. arbitror enim eos vocatos eſſe ἐσηργμένα, id eſt, firmata. ne ſi bello ſuperior fuiſſet Senacherib, & templum & vrbem incenderet. Porrò autem hîc quoque rurſus oſtendit, qui hiſtoriam conſcripſit, quòd excelſa vocant non ſolum templa idolorum, ſed etiam altaria quæ ſunt excitata Deo vniuerſorum in locis excelſis. Nam ſi, inquit, mihi dixeritis, In Domino Deo confidimus, Non ipſe Ezechias abduxit eius excelſa, & eius altaria, dicens, Adorate in Hieruſalem? Et hæc dicebat Rapſaces, cui, cùm eſſet, vt puto, Hebræus, & ad illos transfugiſſet, aut etiam ab illis captus iam & abductus, in Aſſyrios ſuam oſtendiſſet beneuolentiam, commiſſum fuerat imperium exercitus. vtens enim Hebraica voce verba faciebat. Ipſi quidem certè principes eum rogarunt vt loqueretur Syriacè, vt ea quæ dicebantur populus non intelligeret. Ille autem cùm didiciſſet ſe moleſtia afficere principes, & populus perciperet ea quæ dicebantur, Hebræorum voce vtês, auſus eſt illas impias expromere blaſphemias, Dijs falſo nominatis Deum verum aſsimilans. Sed Rex ſapientiſſimus non arma illius blaſphemijs, ſed preces, & lachrymas & ſaccũ oppoſuit. & rogauit Eſaiam Prophetam vt eſſet interceſſor. Sunt autem eius quoque verba digna admiratione. Dies, enim inquit, afflictionis, & opprobrij, & redargutionis, & ad iram irritationis eſt dies iſte. quoniam venerunt filij vſque ad dolorem partus, & parienti nõ eſt virtus. Excandeſcimus, inquit, & ira accendimur auditis nefandis his blaſphemijs. punire autem viros illos impios non poſſumus. Vnde ſupplices rogamus Dominum qui audiuit illas blaſphemias, vt doceat impios quòd non ſit vnus ex ijs qui Dij vocantur. Protinus autem audita ſupplicatione, benignus & clemens Deus excuſsit à Rege timorem. Ecce, enim inquit, ego do in ipſo ſpiritum, & audiet malum nuncium, & reuertetur in regionẽ ſuam: & proſternam ipſum in gladio in terra ſua. Illud autem, Ecce ego do in ipſo ſpiritum, puto ſignificare timorem. Diuinus enim Apoſtolus ſic dixit. Non enim dedit nobis ſpiritum timoris. Dei autem prædictio ſtatim fine macepit. Sparſo enim rumore quòd Rex Aethiopum feciſſet expeditionem, timens Senacherib receſsit, omni impietate plena miſſa epiſtola. Sed Rex ſapientiſsimus cùm eam in templo explicaſſet, protulit vocem illam admirabilem, Domine omnipotens Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus ſuper omnia regna terræ: tu feciſti cœlum & terram. Illi, inquit, te nominant vnum ex multis qui non ſunt. ego autem te ſolum ſcio creatorem eſſe omnium. Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me. aperi oculos tuos & vide, & audi verba Senacherib Regis Aſſyriorum, quæ miſit exprobrans Deo viuenti. Illud autem, Inclina & audi, more humano poſuit, rogans vt beneuolè acciperentur. Reuera enim Domine Reges Aſſyriorum deſertas fecerunt gentes & terram ipſorum: & tradiderunt Deos ipſorum igni. Non enim erant Dij, ſed opera manuum hominum, ligna & lapides, & perdiderunt ipſos. Hoc, inquit, mouit eum ad impietatem. exiſtimauit enim te eſſe ſimilem Dijs qui non ſunt. ſed experientia diſcat ò Domine, quantum ſit diſcrimen veri Dei & falſi. Cæterùm exiſtimo Eſaiam Prophetam eadem dicere. Nam illum quoque interpretans hęc explicaui. Dicam ergo breuiter. Dominus exaudita ſupplicatione, noctu in momento centum & octoginta quinque millia Aſſyriorum morti tradidit. Senacherib autem mortem effugit, vt ſignificaret omnibus quanta ſit virtus Dei Iudæorum. Statim autem à filijs ſuis iuſtum accepit cædem. Quoniam enim aduerſus eum qui ipſum fecerat rabie fuerat percitus, ab ijs qui ex ipſo procreati fuerant fuit interfectus. Ararat autem vocauit Armeniam. Nam cùm in Prophetia id ſatis declararim, ſuperuacaneum exiſtimo bis eandem facere interpretationem. De Sole autem miraculum peruaſit vniuerſum orbem terræ. Omnibus enim fuit cognitum Solem retro ceſsiſſe. Quamobrem Rex Babyloniorum, cùm & Senacheribi interitum reſciuiſſet, & quæ de Sole admirabiliter & præter opinionem facta erant didiciſſet, miſit & legatos & dona ad Regem Iudæorum. & quos ſolebant abducere in captiuitatem, eos honorarunt, tanquam præſtantiores. Ita eos reddidit inſignes Deus quem coluerunt.

Ex cap. 19. lib. 4. Reg.

2. Tim. 1.

22 *Cur fuerit Rex Ezechias reprehenſus, quòd oſtenderit theſauros legatis Babyloniorum.*

Quòd cùm oporteret Dei docere virtutem & curam quam eſt aſſecutus, oſtenderit diuitias quæ nihil habent firmũ ac ſtabile. Quòd autem non natura ſed mens dominetur in ijs quæ pertinent ad animam, teſtatur Manaſſes, relicto pio patris inſtituto ingreſſus contrarium. Aedificauit, enim, inquit, excelſa, quæ diruit & demolitus eſt Ezechias pater eius, & erexit aram Baali: & fecit lucos quomodo feceratAchab Rex Iſrael, & adoratuit

Ex cap. 21. lib. 4. Reg.

uit omnem militiam cœli, & ſeruiuit ipſis. Militiam autem ſeu exercitum cœli dicit cœlum & Lunam & ſtellas. & quod eſt omniũ maximè impium, ædificauit altare in domo Domini, in qua dixit, In Iſrael ponam nomen meum. Nec vnum ſolum, ſed etiam plurima. Vniuerſæ enim militiæ cœli in duobus atrijs domus Domini ædificauit, & ariolatus eſt & auguratus eſt, & fecit ventriloquos, & multiplicauit cognitores. Ariolari autem Græcè eſt κληδονίζεσθαι, augurari vero οἰωνίζεσθαι. κληδὼν autem eſt, quæ per verba fit obſeruatio. οἰώνισμα autem, quæ per aues. Cognitores autem opinor vocatos eſſe Aruſpices, qui per iecur vaticinantur. & quod eſt omnium maximè impium, in Dei templo ſtatuit ſimulachrũ impuri & impudici Dæmonis. Poſuit, enim inquit, ſculptile luci in domo Domini: & quæ deinceps ſequuntur docent ſummam impietatem.

23 *Et ex genere tuo facient feſtinantes.*

Vel tanquam Eunuchos, non propriè, ſed propter beneuolentiam & fidem in Regem Babylonis ſic appellandos. Eunuchos enim appellabant etiam ex ſeruis eos qui ſunt beneuoli in Dominos, cuiuſmodi erat Putiphar, cuius vxor amauit Ioſeph.

24 *Quomodo eſt intelligendum, Et extendam ſuper Hieruſalem menſuram Samariæ.*

Eos quoque, inquit, in eaſdem conijciam calamitates. Ex illis enim alios quidem conſumpſit fames, alios verò bellum: cæteros autem in captiuitatem redactos in aliam terram tranſtulit. Ita etiam ijs qui habitant Hieroſolymis tam multa afferam ſupplicia. & quomodo domum Achabi deleui funditus: ita etiam Hieroſolymorum deprimam ſuperbiam & reducam ad humilitatem. Non enim rabiem ſuam ſolum exercuit in errorem adductus idolorum, ſed etiam innoxium ſanguinem effudit Manaſſes plurimũ, donec impleuit Hieruſalem vſque ad os. Eos autem præcipuè de medio tollebat qui pietatem defendebant, & diuinam iram eis prædicebant. Eum aiunt Eſaiam quoque Prophetam ſerra diſſecuiſſe. Cæterùm iſte quidem, vt docuit hiſtoria Palalipomenon, motus pœnitentia aſſecutus eſt conſolationem. Amos autem eius filius patris quidem prauitatem eſt imitatus, pœnitentiam autem minimè eſt æmulatus. Eius verò nepos ſummam exercuit virtutem, & parentis ſui Dauidis poſſedit pietatem. Et primum quidem quæ refectione & reſartione egebant in templo Domini ſumma curauit diligentia. Deinde cùm diuina audijſſet eloquia quæ ſita ſunt in Deuteronomio, & veſtem diſcidit, & diu luxit, & quid eſſet agendum ab vniuerſorum Deo quæſiuit. Hunc quidem certè librum inuentum in aliqua ex ſacris ędibus abiectum Chelcias Pontifex miſit ad Regem. Rex autem cùm ea quæ in ipſo ſita erant cognouiſſet, & Pontificem & Principes miſit ad Oldam Prophetiſſam. Deus autem per eam aduerſus populum quidem & templum & ciuitatem tulit ſententiam propter ſcelera quæ ipſi admiſerant. Pio autem Regi bona & fauſta prædixit. Propterea, inquit, quòd audiſti verba mea, & mollitum eſt cor tuum, & pudore ſuffuſus es à facie mea, poſtquam audijſti quæ locutus ſum in hunc locum, & in eos qui habitant in ipſo, vt ſit in deletionem: & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me, ecce ego adijcio te ad patres tuos, & colligĕris in ſepulchrum tuum in pace: & non videbunt oculi tui omnia mala, quæ ego induco in hanc domum, & in eos qui habitant in ea. tantum iuuat compunctio & lachryma eos qui vtuntur: tantam noxiam ſubiectis impij afferunt. Quomodo enim Amos & Manaſſes inclinarunt populum ad impietatem, & lucos plantantes, & templa Dæmonibus excitantes: Ita Ioſias cùm eſſet Rex pius, vaſa quæ conſtructa fuerant Baali & Aſtarte & cæteris idolis, contriuit & conflauit in torrente Cedron, in Bethel autem interfecit ſacerdotes Idolorum. Mazuroth autem puto eſſe nomen ſtellæ, & conijcio ſic nominatum eſſe Heſperum. Nam ſic dixit. Et adolebant Baali & Soli & Lunæ & Mazuroth, & vniuerſæ militiæ cœli.

Ex cap. 22. lib. 4. Reg.

25 *Quid ſibi vult, Cadeſim qui erant in domo Domini.*

Per homonymiam appellabant Dæmones ſanctos. Cados enim interpretatur ſanctus. In ea domo texebant, inquit, mulieres veſtes luco. Lucum autem, qui Græcè eſt ἄλσος, alij interpretes, vt ſæpe dixi, nominant Aſtaroth. eſt autem hoc nomen Veneris. eam enim appellant Aſtarten. Eius autem ſimulachrum quoque ſtatuerunt in templo Dei. Sed Rex admirandus & lucũ excidit, & ſimulachrum deiecit, & igni tradidit. Aquila autem Cadeſim ſic eſt interpretatus. Vbi faciebant indumenta ijs qui fornicabantur à Domino. Quòd autem excelſa non ſolùm appellabantur altaria idolorũ, ſed etiam quæ in altis locis ædificabantur Domino altaria, docet. Sic enim dicit. Cæterùm non aſcenderunt ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Hieruſalem, niſi vt comederent azyma in medio fratrum ſuorum. Eſt autem perſpicuum quòd ipſi non erant ex genere ſacerdotali. Si autem coluiſſent idola, Rex pius eis non ignouiſſet.

26 *Quid ſignificat Tophet.*

In interpretatione nominum Hebraicorum, inueni nomen illud ſignificare caſum. Erat autem locus in quo traducebant in igne pueros Deo Moloch. Erat autem hoc idolum Ammonitarum. Hoc autem oſtendit etiam hiſtoria. Polluit enim Tophet qui erat in valle filij Ennon, ne traduceret vir filium ſuum in igne Molocho. Pharurim autem Symmachus interpretatus eſt præſidium. Quomodo autem eum polluerit Rex pius docet hiſtoria. Impleuit, enim inquit, loca eorum oſsibus hominum. Et rurſus miſit & accepit oſſa ex ſepulchris: & combuſsit oſſa ſuper altare, ſecundum verbum quod locutus eſt homo Dei, dum ſtaret Hieroboam ſuper altare in feſto. Quòd autem non eſſet Pſeudopropheta qui

qui homini Dei persuasit vt cibum apud se sumeret, hinc est facile discere. Conseruata enim sunt ossa maioris ætate Prophetæ qui habitabat in Bethel, cum ossibus hominis Dei qui veniebat ex Iuda, & locutus est hæc omnia quæ fecit Iosias.

27 *Cur de Ezechia & de Iosia eadem dixit, quòd similis ei non fuit ante ipsum, & post eum non erit similis ei.*

Neque illum cum hoc comparauit, neque hunc cum illo, sed cum hominibus qui visi erant esse pij, Asa, Iosaphat, & Ionatham, & hunc & illum conferens, pnuntiauit meliores. Si quis autem nudam attẽdat literam, inuenitur & ille & iste Dauidem superasse. Non enim dixit, Ei similis nõ fuit Rex ante ipsum. Sed est perspicuum quòd nec Ezechiam Dauidi prætulerit: neq; Iosiam Ezechia & Dauide pronuntiarit esse meliorem. sed eos cum alijs pijs conferebat. Si quis autem existimet reprehendi Ezechiam, vt qui fuerit magni & elati spiritus, & Babyloniorum legatis thesauros ostenderit, videbit etiam Iosiam non esse liberum ab omni reprehensione. Etenim quando Pharao Nechao suscepit expeditionem aduersus Assyrios, studuit opem ferre Assyrijs: & vt docuit liber Paralipomenon,
,, Dixit ei Pharao. Quid mihi & tibi Rex Iuda?
,, Non ad te venio hodie ad bellum gerendum,
,, sed ad locum belli. & Deus dixit vt festinarem. Attende tibi à Deo qui est mecum, ne te perdam. Et non reuersus est Iosias secundum ,,
sermonem Pharaonis Nechao: & venit ad ,,
bellandum in campo Mageddo. Et iaculati ,,
sunt sagittarij Pharaonis aduersus Regem ,,
Iosiam. Et dixit Rex pueris suis, Educite me, ,,
quoniam valde laboraui. Esdras autem sic ,,
dicit. Et misit Rex Aegypti ad Iosiam, di- ,,
cens. Quid mihi & tibi Rex Iuda? Non ad te ,,
missus sum à Domino Deo tuo. Ad Euphra- ,,
tem enim nunc est bellum: nunc Dominus ,,
est mecum. recede, & noli aduersari Domi- ,,
no. & non reuersus est Iosias ad currum su- ,,
um. sed aggressus est cum eo bellum gerere, ,,
non attendens Rex dictum Hieremiæ Pro- ,,
phetæ ex ore Domini, sed aduersum ipsum ,,
conflixit prælio in campo Mageddo. Non ergo eos inter se comparat: neque alterum alteri constituit superiorem. ita enim sentire est extremæ amentiæ: sed eos comparauit cum alijs Regibus. De Ioachim autem & Ioacim & Iechonia & Sedechia fusiùs scripsit diuinus Hieremias. Illum autem librum per diuinam gratiam totum interpretati sumus. Superuacaneum itaque existimo eosdem sermones bis reuoluere. Ioachim autem filium Ioacim diuinus Hieremias appellat Iechoniam. liber autem Paralipomenon Ioacim. Eum Euilat Marodach à carcere liberatum conuiuam habuit & commensalem. Nam cùm qui verberat & sanat, eum tradidisset hostibus, dignatus est eum rursus liberare.

BEATI THEODORETI

EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,

IN PRIMVM LIBRVM PARALIPOMENON, ID EST, EORVM QVAE SVNT PRAETERMISSA.

ARgumentum libri Paralipomenon declarat ipsa appellatio. Quę enim prætermisit qui scripsit libros Regum, ea composuit, qui hunc laborem suscepit collectum ex multis libris Propheticis. Multa autem compegit etiam ex ijs quæ illic scripta sunt, vt seruaret historiæ concentum. Ab alto autem incepit ex genealogia, vt compendio ostẽderet quòd ex vno homine germinarunt omnia genera hominum. Quoniam autem facit mentionem regni Iuda, docet quænam sint eorum vrbes & pagi, & à quibus sua habuerint vocabula. Hinc discimus q̃ Nathan à quo diuinus Lucas deduxit generationem Seruatoris & Domini nostri, & Dauidis erat filius, & Solomonis
,, frater vterinus. Isti, inquit, nati sunt Dauid in
,, Hierusalem, Samna & Soba & Nathan & So-
,, lomon, filij quatuor Bethsabee filiæ Ela. Et Richab qui laudatur in multis locis scripturæ, ipse liber ostendit esse ex tribu Iuda. Docet autem etiam manifestius causam, cur Ruben quidem exciderit à primogenitura, Ioseph autem eam sit assecutus. tribus autem Iuda ampliorem adepta sit honorem. Filij e- 1. *Paralip.* 5.
nim Ruben, inquit, sunt primogeniti Israel, ,,
quoniam ipse est primogenitus. eo autẽ quòd ,,
profanarit cubile patris sui, dedit eius pri- ,,
mogenituram filijs Ioseph: & tamen in ge- ,,
nealogia non fuit relatus in primogenituram: ,,
quoniam Iuda erat potens viribus inter fra- ,,
tres suos, & in ducem ex ipso. Ioseph autem ,,
tulit primogenita. Principatum verò accepit ,,
Iuda, propter Dominum qui ex ipso germinauit secundum carnem. Hoc autem tacitè significat illud, In ducẽ ex ipso. Nam Regem quidem significat oratio. sed & Regem ęternum, qui neque initium habuit dierũ, neque finem

finem accipiet. Docet etiam quomodo quæ sunt trans Iordanem tribus Ruben, & Gad, & dimidium tribus Manasse, conflixerunt cum Agarenis, & Ituræis, & Naphessæis, & cum eis qui cum illis fuerunt in acie. & quòd valido commisso prælio, vi vicerunt & Agarenos expulerunt. Dicit etiam causam victoriæ, quòd Deum, inquit, inuocarũt, & eos exaudijt quoniam confiderunt in eo. Scripsit etiam numerum prædæ. Acceperunt, inquit, quinquaginta millia camelorum, & ouium ducenta quinquaginta millia, & bis mille asinos, & animarũ hominum septuaginta millia. erãt enim multi fauciati: quoniam à Deo erat bellum. & pro ipsis habitarunt vsque ad transmigrationem. Refert etiam genealogiam Sacerdotum & Leuitarum. Et dicit Sadoc qui fuit Pontifex tempore Dauid, fuisse vndecimum ab Aarone. Azariam autẽ qui erat nepos Sadoc, sacerdotali officio primũ esse functum in templo quod extruxit Solomon: Ex his erat etiã Iosedec, qui bello captus cum alijs fuit abductus in Babylonem. Huius filius erat Iesus magnus ille Sacerdos, qui cum Zorobabel reduxit captiuitatem, & Dei templum ædificauit. Hinc discimus quòd Core qui aduersus magnum illum Mosem excitauit seditionem erat nepos Isaar, qui Cathi quidem erat filius, frater autem Amram patris Aaaron & Mosis. Erat itaque patruelis Legislatoris. Sed ipse quidem in deserto dedit pœnas affectatæ tyrannidis. Filij autem non fuerunt socij pœnæ quam subijt pater qui eos genuit. Iam verò magnus ille Samuel ex eo ducit genus. Porrò autẽ Heman qui canebat Psalmos, erat nepos Samuelis Prophetæ. erat enim filius Ioel filij Samuelis. Asaph autem, qui erat etiam vnus ex cantoribus, ducebat genus ex Gerson, qui erat filius quidem Leui, frater autem Caath. Aetham autem, erat verò is quoque ex cantoribus, proauum habuit Merari tertium filium Leui. Docet autem etiam differentiam Sacerdotum & Leuitarum. Dicit enim Leuitas fuisse datos ad omne ministerium tabernaculi domus Dei. Et Aaron, in-
,, quit, & filij eius adolebant super altare holo-
,, causторum, & super altare thymiamatis, & ad
,, omnia opera sanctorum, & ad placandum pro
,, Israele, secundũ omnia quæ mandauit Moy-
,, ses seruus Dei. Videretur autem mihi hic liber fuisse scriptus post reditum à Babylone.
2. *Paralip.* 9. Nã & meminit captiuitatis, & eius docet causam. Vniuersus, enim inquit, Israel relati sunt
,, in genealogiam. & ecce scripti sunt in libro
,, dierum Regum Israel & Iuda, & transmi-
,, grarunt in Babylonem propter dissolutionem qua se iniquè gesserunt, & qui habitabant prius in suis possessionibus, & in ipsis
,, ciuitatibus Israel. & Sacerdotes & Leuitæ
,, & Nathinæi. Hæc autem ostendunt scriptionem huius libri esse posteriorem captiuitate. Nemo enim scribens historiam dicit quæ postea facta sunt. est enim Prophetarum proprium prædicere futura. Dicit autem quòd etiam cum eis fuerunt captiui, qui ante ipsos illam habuerunt terram. Nam multi cum eis habitabant, & Chananæi, & Hetthæi, & Iebussæi, & fuerunt socij calamitatis. Cum Israelitis autem abducti sunt captiui & Sacerdotes & Leuitæ. Natthenæos autem opinor appellari ἱεροδούλους, id est sacros seruos qui nominantur. Multi enim seipsos consecrabant ad ministeria Sacerdotum & Leuitarum. Licebat enim etiam ijs qui erant ex alijs tribubus, & aquam ferre, & ligna scindere, & quæcunque sunt huiusmodi alia operari. Nam si Gabaonitas qui erant alienigenæ, iussit omnibus laudibus prosequendus Iesus esse aquæ baiulos tabernaculi, & ligna scindere: multo magis Israelitis conueniebat tale ministerium. Inueni autem etiam in Hebraicorum nominum interpretatione, nomen hoc significare. Meminit etiam habitatorum Israelis. & dicit eos esse ex filijs Iuda & Beniamin & Ephraim & Manasse. Meminit etiam Sacerdotum & Leuitarum qui illam habitarunt ciuitatem. Corenos autem dixit eos qui ex Core duxerunt originem. Ex his dicit fuisse etiam ianitores templi Dei. & hanc constitutionem factam fuisse à Samuele & Dauide. Eos e- 1. *Paralip.* 9.
nim, inquit, numerauit & statuit Dauid & Sa-
muel, qui in eorum fidem intuebatur. Isti & ,,
filij eorum præerant ianuis domus Domini, ,,
& domus tabernaculi, vt eam custodirent ,,
ad quatuor ventos. Meminit autem taber- ,,
naculi, quoniam à Samuele & Dauide templum Dei nondum fuerat ædificatum, sed in tabernaculo sacra obibant ministeria. Explicauit etiam vices. Non enim quotidie succedebant, sed in septenario numero dierum. hoc enim subiunxit. Et fratres eorum in a- ,,
trijs suis vt venirẽt ad septima temporum, ad ,,
ambulandum per septem dies à tempore ad ,,
tempus cum eis. Vasa quoque ministerij e- ,,
rant alijs credita, qui numero ea portarent, ,,
& numero exportarent. Et ex ijs erant con- ,,
stituti super vasa sancta, & in similagine, & vi- ,,
no, & oleo, & thure & aromatibus. Thymi- ,,
ama autem componebant Sacerdotes. A Sa- ,,
cerdotibus, enim inquit, vnguẽtarij vnguenti in aromatibus. De sepulchro autem Saulis hic scriptum est apertius. Nam in libris quidem Regum legimus, quòd acceperunt ossa 1. *Paral.* 10.
eius, & sepelierunt in agro in Iabes. De ven-
triloqua quoq; hic dictum est apertius. Mor- ,,
tuus est, inquit, Saul in iniquitatibus suis qui- ,,
bus iniquè se gessit Domino, secundũ ver- ,,
bum Domini, quoniam nõ custodiuit ipsum, ,,
& quoniam scisciatus est Saul in ventriloqua ,,
vt exquireret, & respondit Samuel Propheta. ,,
Ostendit autem oratio quòd nõ ventriloquæ incantatio ac præstigiæ reduxerũt Samuelem. Sed ille quidem impiè & nefariè petijt vt hoc fieret: Deus autem tulit in ipsum sententiam supplicij. Hæc autem apertè docent, quòd non fuit falsa, vt quidam opinantur, prædictio. Respondit enim ipsi, inquit, Samuel Propheta. Puto autem sic nominatam fuisse visionem, quoniam desiderauit Saul à Samue-

le discere quid agendum. Siue aũt visus fuerit Angelus in figura Samuelis, eius ostẽdens formam, siue anima ipsius Samuelis, sciendũ est in hac visione, hoc nõ fuisse factum præstigijs & incantatione vẽtriloquæ, sed Dei sapientia & virtute, qui etiam per tales multa prædixit futura. Per Pharaonem, fertilitatem & famem. Per Nabuchodonosor, maxima regna orbis terræ. Sed de his satis dictum est in interpretatione librorum Regum. Eundum est
1. Paral. 11. ergo ad reliqua. Dixit Dauid fuisse vnctum in Hebron secundum verbum Domini, per manum Samuelis, quoniam Deus mandauit
,, Samueli vt eum vngeret. Illud autem, Ambulauit Dauid ambulans & magnificatus. &
,, Dominus omnipotens erat cum eo, ostendit dignitatem sanctissimi spiritus. Dominum enim omnipotentem vocauit sanctissimum spiritum Quinque autem cubitorum dixit fuisse Aegyptium, quem occidit Baneas. Quomodo ergo dicunt aliqui non fuisse aliquos qui magna haberent corpora? Gedur autem nominauit cateruam Amalecitarum. Liber autem Regum eam appellauit σύγγεμμα, id est globum. Recensens autem scriptor eos qui conuenerunt in Hebron, hæc quoq; dicit. Et
,, ex filijs Isaar, cognoscentes prudentiã in tem-
,, poribus suis, cognoscentes quid faciendum
,, in principatibus suis, ducenti: & omnes fra-
,, tres eorum cum ipsis. Eos autem in admira-
1. Paralip. 12. one habuit propter sapientiam, vt qui idonei essent & solertes ad videndum quid sit agendum, & præuidendum, non propheticè sed sapienter, futura, & ad adducendum cõducibilia. Cùm aũt arca transferretur, Oza videns eã euerti, admouit manum ad eam fulciendam. Punitus autem fuit cùm esset Leuita, non Sacerdos, quoniam ausus sit ad eã appropinquare. erat enim solùm Sacerdotum eã ferre humeris. Postquam aũt timens Dauid non ausus est eam in domũ suam adducere, sed eam statuit in domo Obededom Getthæi, ostendẽs Deus se non nosse differentiã Israelitæ & alienigenæ, sed solam honorare pietatem. effecit enim vt domus alienigenæ abundaret omne genus benedictionibus: hos fontes Dauid conspicatus, in regiam arcã rursus transtulit. Cognouit autem causam cur punitus fuisset Oza.
2. Paralip. 13. Quamobrem non curru, inquit, eam sustulit
,, sed per Sacerdotes. Sustulerunt, enim inquit,
,, eã, sicut mandauit Moses in sermone Domini Israel. Deinde dicit etiã constitutiones cãtorum: & quinã quidem cantarent citharis, quinam verò cymbalis. Musicorũ aũt instrumentorũ differentiam diximus in libris Regum.

Sæpe diximus quòd Ephod Aquila dixit ἐπένδυμα, id est superindumentum: Symmachus autem ἐπωμίδα, id est superhumerale. Sed erant superindumenta Sacerdotalia, erãt & communia. Est autem perspicuum, quòd magnus Dauid, cùm esset pius ac religiosus, legem non esset transgressus, neque Sacerdotalem ausus esset induere vestem. Sed docet oratio quòd induit eam quam nunc vocamus Ἀρχαδίμ. Tacitè autem significat liber quòd omnes Psalmi sunt Dauidis. Sic autem dicit, 1. Paralip. 14
Tunc ordinauit Dauid in principio laudare ,,
Dominum in manu Asaph & fratrum eius, qui ,,
hymnodiæ munus perpetuo obirent, alterna ,,
succesione laborem suffurantes, nũc quidem ,,
isti, nunc verò illi. In Gabaon autem iussit Sa- ,,
cerdotem Sadoc offerre Deo sacrificia, quoniam tabernaculum quod à Mose fuerat constructum illic erat fixum. Quando autẽ mors à Deo immissa inflicta fuit populo, & conspexit Angelum mortem inferentem in area Ornæ, constituxit altare, & pro populo obtulit sacrificium. non tanquam diuinam legẽ transgrediens, quæ iussit offerre sacrificia in altari quod erat ante tabernaculum. sed propter supplicium quo afficiebatur populus, festinauit Deum placare. Nam hoc etiam docuit hi- 1. Paral. 21.
storia. Tabernaculum enim inquit, Domini ,,
quod fecit Moses in deserto, & altare holocau- ,,
storum, in illo tempore erant in Bama, quæ est ,,
in Gabaon: & non poterat Dauid ire ante i- ,,
psum, ad exquirendum Deum, quoniam non ,,
festinauit à facie gladij Angeli Domini. Dein- ,,
de locum in quo Deum placauit sacrificio oblato, consecrauit. vt in eo ædificaretur templum Dei. Dixit enim. Hæc est, inquit, do- ,,
mus Dei: & hoc altare ad offerendum ho- ,,
locaustum Deo Israel. Quòd autem non sit ,,
reprehensus procul à tabernaculo offerens sacrificium, docet historia. Hostias enim combusit non ignis manu factus, sed è cœlo demissus. Clamauit enim, inquit, Dauid ad ,,
Dominum in igne è cœlo ad altare holocau- ,, 1. Paral. 22.
sti. Iussit etiam numerari omnes Proselytos. & alios quidem fecit lapicidas, alios autem iussit portare eos qui secabantur. Mandauit etiam vt in lapicidinis lapides cæderentur & polirentur, & deinde apportarentur. Illud autem, Tu non ædificabis domum ,,
nomini meo, quoniam multum sanguinem ,,
effudisti super terram contra me, puto esse ,,
dictum ad vtilitatẽ eorum qui nefarias cædes ,,
admittunt. Non enim de iusta cæde Regem ,,
reprehendisset, qui iustam cædem quam fe- Num. 25.
cit Phinees appellauit sacrificium. Atqui Phi- ,,
nees erat laudatus sacerdos. Phinees enim, in- ,,
quit, filius Eleazari represit iram meam in co ,,
quòd ipse æmulatus sit zelũ meum. Ipse quo- ,, Psal. 105.
que Propheta dixit post multas generationes. ,,
Stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassa- ,,
tio & reputatum est ei in iustitiam in generationem & generationem vsq; in seculum. Mo- ,,
ses quoq; legislator interfecit tria millia vitu- Exod. 32.
lo initiata, Leuitis vsus administris. Magnus 1. Reg. 13.
aũt Samuel sua manu occidit Agag. Magnus 3. Reg. 18.
quoq; Elias interfecit quadringẽtos & quinquaginta Prophetas & Sacerdotes Baal. Propter aliam ergo causam, non ipse, sed eius filius templum ædificauit. Nam quoniam Christus, qui secundum carnem quidem Dauidis filius, vt Deus autem Dominus Dauidis, erat ædificaturus ecclesias quæ sunt in toto orbe terrarum, non siuit Dauidem ædificare templum Iudaicum: sed iussit illius filium hoc facere: cuius appellatio præfigurabat pacem

pacem nostri Seruatoris. Solomõ enim interpretatur pacificus: & Dominus noster pax appellatur. Testis est beatus Paulus clamãs. Ipse
Ephes. 2. ,, est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, & sepis
,, mediam soluit maceriã. Ipsa aũt historia docet numerum Leuitarum: & quot millia iussa sint præesse ædificationi: & quot iudicare & legem docere: & quot rursus esse ianitores & obseruare ingressus templi. & quot canere, hymnisque & laudibus Dominũ celebrare. Dicit etiam quomodo Mosis nepotes Leuitis cõiun-
,, xerit. Moses aũt, inquit homo Dei, & filij eius
,, vocati sunt in tribu Dauid. Docuit etiã quòd Sadoc Põtifex erat nepos Eleazari: Abimelec autem Ithamar. & quòd cũ inuenti essent plures qui genus ducerent ab Eleazaro, eis duas partes tribuit in vicibus, vnam autem ijs qui genus ducebant ab Ithamar secundũ domos suarum familiarum. & eos diuisit sortibus.
Luc. 1. Harum vicium meminit etiam beatus Lucas in initio Euangelij. Dixit enim Zachariam esse ex vice Abia. Hunc autẽ Abiam septimam sortitum esse sortem docuit liber propositus. Asaph autem & Aeman & Idithum principes psallentium, quidam dixerunt quidẽ non esse appellatos Dei Prophetas, sed Dauidis, quoniam ab ipso hymnos accipientes canebant in instrumentis. Ego autem existimo eos quoque fuisse participes Prophetici charismatis. Hoc
,, enim ipsa etiam docet historia. Constituit, e-
,, nim inquit, Dauid Rex, & principes exercitus,
,, ad opera, filios Asaph, Aeman, & Idithum, qui
,, prophetabant in citharis, & nablis, & cymba-
,, lis. Et paulò pòst. Filij Asaph adhærẽtes Asaph
,, Prophetæ, adhærentes Regi. Et rursus, Filij
,, Idithũ adhærentes patri suo Idithũ, in citha-
,, ris eius qui prophetat confessionem & laudẽ
,, Domino. Et paulò pòst. Omnes isti filij Aman
,, videntis Regi in verbis Dei, ad extollendum
,, cornu. Et dedit Deus Aeman filios quatuor-
,, decim & filias tres. Omnes isti cum patre eo-
,, rum hymnos canentes in domo Domini in
,, cymbalis & nablis & citharis, in seruitium
,, domus Dei, adhærentes Regi, & Asaph, & Idithum, & Aeman. Magni quoq; Mosis nepotes effecit custodes sacrorũ thesaurorum. In ijs autem reponebantur & quæ ex bellis capta erant spolia: & dona quæ Deo offerebantur.
,, Quæcunq;, inquit, sanctificauit Dauid Rex, &
,, principes familiarum, tribuni, & centuriones,
,, & principes exercitus, quæ acceperũt ex bel-
,, lis & ex spolijs, & sanctificauit in ipsis, vt non
,, deficeret ædificatio domus Domini: & in om
,, nibus sanctis Dei. Quæcunq; sanctificauit Sa-
,, muel videns, & Saul filius Cis, & Abner, & Io
,, ab filius Seruiæ, & omnis sanctificans per ma-
,, nus Salumoth & fratrum eius. Nemo aũt existimet esse discrepantiam, q̃ in libris quidem Regum Baneas dictus sit atrij præfectus & Regis patruelis: hic autem Sacerdos. erant enim eiusdem nominis. Sed iste quidem erat ex tribu sacerdotali, non aũt ex tribu regia. Admirabilis aũt est Dauidis admonitio quam fecit
,, filio suo. Cognosce, inquit, Deum patrum tuorũ, & serui ei in corde perfecto, & anima vo- ,,
lente, quoniam omnia corda exquirit Domi- ,,
nus, & omnẽ mentium cogitationem cogno- ,,
scit. Coactam, inquit, seruitutẽ non admittit, voluntariam aũt laudat, & diligit perfectam animi alacritatem. Si eum quæras, inuenietur tibi. & si eũ deseras, te derelinquet in finem. ,,
Euangelica promisio. Quærite, enim inquit, ,, Matth. 7.
& inuenietis. pulsate, & aperietur vobis. Vide ,, Luc. 11.
nunc q̃ te præelegit ad ædificandam ei domũ ,,
in sanctificationem, sis vir, & fac. Te, inquit, ,,
mihi prætulit. ego volui ædificare, & tibi opus mandauit. Omni ergo animi alacritate imple quod iussum est. Deinde tanquã adolescenti & ignoranti modum & formã ædificij, id dedit adumbratum & delineatum. Dedit, enim ,,
inquit, Solomoni filio suo exemplar templi & ,,
domorum eius, & tabulatorum, & penetrali- ,,
um interiorum, & domus propitiatorij. Et do ,,
cens quod ea non humana descripsit ratione: sed gratia spiritus erat cũ eo, subiunxit etiam exemplar omnium quod erat in spiritu cum ipso, & atriorum domus Domini, & omnium cellarum quę sunt in orbem ad horrea domus Domini. Docet etiã quanti ponderis oporteat esse candelabra aurea, & quãti mensas. Similiter & thuribula, & fuscinas, & phialas & crateres. Cephure autẽ vocat vasa quædam aurea & argentea, in quibus miscebant similam oleo. Et alia omnia cùm percensuisset subiunxit, Omnia in scriptura manus Domini dedit ,,
Dauid Solomoni, secundum intelligentiã quę ,,
ei abundabat, intelligendi operationem ex- ,,
emplaris. Notandum est autẽ, quòd suprà quidem dixit in spiritu datam esse cognitionem. hic autem à manu Domini. Sanctus ergo spiritus est Dominus, etiamsi nolint ij qui aduersus spiritũ bellum gerunt. Cum quadam autem circunscriptione ac limitatione Dei curam est ei pollicitus. Non te dimittet, inquit, ,,
nec derelinquet, donec perfeceris omne mi- ,,
nisterium domus Domini. Aedificans enim in ,,
pietate, est diuinam assecutus prouidentiam. Post ædificationem autem cùm declinasset ad impietatem, eum deseruit diuina administratio. Quòd autem etiã marmore variatum sit templũ, docet historia. Lapides enim dicit onychinos, & lapides repletionis, lapides sumptuosos, & varios, & omnem lapidem pretiosum, & lapides parios magno numero. Cùm aũt ostendisset Propheta millia talentorũ auri & argenti, collegit etiã æs & ferrum exuperantia omnẽ hominum cogitationem. Hortatus est etiã principes vt lubentes offerrent dona Domino. hoc enim dixit, Et quis erit volũta- ,,
rius ad implendum manus suas hodie Domi- ,,
no? Cum aũt aspexisset populi promptam animi alacritatem, hymnum obtulit Domino Deo. Quis, enim inquit, sum, & quis populus ,,
meus, q̃ potuimus voluntariè hæc sic facere: ,,
quoniam tua sunt omnia, & ex tuis dedimus. ,,
Quoniam sum⁹ inquilini corã te, & peregrini ,,
sicut omnes patres nostri sumus: & tanq̃ vm- ,,
brę dies nostri super terrã. Sic humanę naturæ ,,

confessus imbecillitatem, petijt & populo & Regi pietatis possessionem. Det, inquit, ei cor bonum, vt faciat mandata tua & testimonia tua, & præcepta tua. Deinde præcipit vt totus populus sit particeps cantus hymnorum, & communiter omnes flectant genua, & offerant adorationem. Deinde oblatis mille bobus, & alijs peractis sacrificijs, populo præsente Regem creauit filium. Illud autem, Sedit Solomon super thronum Domini in Regem, pro Dauid patre suo: pro eo quod est, Sedit in sede quæ à Deo data fuerat. Ostendit autem finis prioris historiæ, quòd & Samuel videns, & Nathan Propheta, & Gad videns, habebant libros scriptos.

BEATI THEODORETI
EPISCOPI CYRENSIS, DE SELECTIS SCRIPTVRAE SACRAE QVAESTIONIBVS AMBIGVIS,
IN LIBRVM SECVNDVM PARALIPOMENON.

1. Paralip. 1. SEcundus liber Paralipomenon docet quòd tabernaculũ quod construxit magnus ille Moses, stabat in Gabaon: arca autem in regia operta alio tabernaculo. Solomon autem cùm in altari Mosaico sacrificasset mille boues, supplex à Deo petijt vt sapientiam consequeretur & intelligentiam. Scribens autem ad Hiram, ostendit suam Dei cognitionem. Quis, enim inquit, poterit ædificare domum Deo, quoniam cœlum, & cœlum cœli non ferent eum? Et quis ego sum ædificans ei, nisi vt adoleam coram eo? Meum, inquit, officium impleo. Ipsum enim ne superius quidem cœlum potest capere. Volens autem ei offerre quem possum cultum, manufactam domum ei ædifico. Quantum autem iuuet piorum amicitia, docet Hiram rescribens. Sic enim dicit. Benedictus Dominus Deus Israel qui fecit cœlum & terram: Qui dedit Regi Dauidi filium sapientem & scientem prudentiam & scientiam, qui ædificabit domum Domino. Est autem perspicuũ quòd ex ea quæ ei fuit cum Dauide consuetudine didicerit, quòd Deus Israel est creator cœli & terræ. Nemo autem existimet hunc librum dissentire à libris Regum, quoniam templi longitudinem hic quidem inuenimus sexaginta cubitorum: illic autem quadraginta. Inuenis enim præter quadraginta, alios viginti eius quod vocatur Dabir, hoc est, Sancti sanctorum. viginti autem adiectis quadraginta fiunt sexaginta. Sic rursus altitudinem viginti quidem & quinque cubitorum in libris Regum inuenimus: hic autem centum & viginti. Sed in exemplo ostendit diuinus Dauid, quòd non vnum solum tabulatum habuit Dei templum. Domum, enim inquit, & eius tabulata facies. Regum quoque docet historia, quòd domus Dei non solum habebat duo tabulata, sed etiam tria. Ciuitatem autem Dauid nominauit Sion. Conuocauit, inquit, in concionem omnes seniores Israel, & omnes principes tribuum, & omnes Duces familiarum filiorum Israel vt adducerent arcam testamenti Domini ex ciuitate Dauid, ea est Sion (Sic autem appellat superiorem ciuitatem, tanquam munitiorem, quam cùm munijsset, in ipsa ædificauit regiam) Et congregatus est ad Regem Solomonem omnis vir Israel in festo. is est autem mensis septimus. Festum autem vocat scenopegiam, id est festum tabernaculorum. est enim ipsum festum. Et intulerunt Sacerdotes arcam in locum suum, in Dabir domus in sancta sanctorum subtus Cherubim. Hinc autem est perspicuum quòd vocauit adytum templi, ad quod nõ patet aditus, & quod Græci dicunt ἀνάκτορον. quod solet diuina scriptura nominare sancta sanctorum. Cùm autem precatus esset Solomon, & precationi finem imposuisset, ignis è cœlo demissus consumpsit oblata sacrificia. Rursus autem docet historia quòd Psalmi sunt Dauidis. Sic autem dicit. Et Leuitæ in instrumentis canticorum Domini, quæ fecit Rex Dauid ad confitendum corã Domino, quòd bonus, & in æternum misericordia eius, in hymnis Dauid per manum eius. Tantam autem ostendit Solomon pietatem, quòd Pharaonis filiam traduxerit in regiam recens ædificatam, dicens. Non habitabit vxor mea in domo Dauid Regis Israel, quoniã ea est sancta Dei, in quam ingressa est arca Domini. Constituit autem & ianitores & cantores ex Dauidis constitutionibus. Quæ aduehebantur autem ligna, picea vocauit Iosephus. Ea liber quidem Regum dicit fuisse fulcra domus Domini & domus Regis. Proposita autem historia, ascensus domui Domini, & domui Regis. Hinc autem rursus discimus, quòd Nathan Propheta & Achia Silonites, & Ioel qui tulit sententiam aduersus Hieroboam, habebãt libros conscriptos. Reliqua, enim inquit, verba Solomonis, & prima & vltima, an non ecce ea sunt scripta in verbis Nathan Prophetæ, in

2. Paral. 5.

2. Paralip. 8.

2. Paralip. 9.

tæ, in verbis Achiæ Silonitæ, & in visionibus Ioel videntis de Hieroboã filio Nabat? Hinc autem didicimus etiam, quòd homo Dei qui iussit frangi altare quod erat in Bethel, quem leo contriuit, vt qui Dei mandatũ esset transgressus, appellabatur Ioel.

6. Paral. 10. *Quomodo est intelligendũ illud, Nõ audiuit Rex populũ, quoniã erat auersio à Deo. vt stabiliret Dominus verbum suũ quod locutus est in manu Achiæ Silonitæ.*

Quorum Deus curam gerit, ij perspiciunt quid sit agendum, vt quos Deus reddat sapientes. Qui ea autem priuati sunt gratia, temere feruntur. Hoc autem hic quoque significauit oratio, quòd visum sit Domino Deo bifariam regnum scindere propter sce-
2. Paralip. 11. lera patris. Cùm autem facta fuisset diuisio, & Hieroboam construxisset iuuencas aureas, qui in decem tribubus habitabant Sacerdotes & Leuitæ, migrarunt ad regnum Dauidicum. in illo enim erat templum Dei. Hic autem docet historia, quòd eos inuitos eiecit Hieroboam, & filij eius, vt Domino non ministrarent. & constituerunt ei Sacerdotes excelsorum, & idolis & vanis, & iuuencis quas fecerat Hieroboam. Secuti sunt autem Sacerdotes & Leuitas etiam ex alijs tribubus. Abierunt, enim inquit, post eos ex omnibus tribubus Israel: & venerunt Hierosolyma ad sacrificandum Deo patrum suorum, & confirmandum regnum Iuda. Benignus autem & clemens Deus, Hieroboam quidem qui se impiè gesserat tradidit Regi Sisac. Cùm autem per Prophetam Salmeam ipsi dixisset & principibus. Vos me reliquistis, & ego relinquam vos in manu Sisac, postquam eos vidit pudore affectos & confessos suam impietatem, dixit Prophetæ. Pudore sunt affecti, & ego eos tanquam ad breue tempus dabo ad salutem. Pro eo quod est, Scintillam benedictionis orbis terræ in eis conseruabo: Et non stillabit ira mea super Israelem in manu Sisac. Non nunc, inquit, tradam eos exitio, sed in posterum reseruabo supplicium: in præsentia autem imponam iugum seruitutis. Erunt, enim inquit, ei in seruos. & cognoscent seruitutem meam, & seruitutem regni terræ. A comparatione, inquit, eos docebo quàm clemens sit meum iugum, & quàm graue sit iugum hominum. Rursus autem docti sumus alios quoque fuisse libros Propheticos. Verba, enim inquit, Roboam prima & nouissima, an non ecce scripta sunt in verbis Samaiæ Prophetæ & Sadoc videntis ad recensendam genealogiam,
2. Paralip. 13. & facta eius. Iure autem est admiranda concio Abiæ. Nam cùm vidisset ex decem tribubus octingenta millia aduersus se stare in acie, dixit aduersarijs. An non licet vobis cognoscere, quòd Dominus Deus Israel dedit regnum Dauidi in Hierusalem in æternum, & filijs eius, testamentum salis æternum. An non, inquit, vos scire oportebat quòd à Deo datum est regnum Dauidis, & finem non accipiens, conuenienter diuinæ promissioni. Quomodo erexistis Tyrannũ patris mei ser-

uum. Testamentum aũt salis æternum appellauit regni firmitatem, quoniam etiã Barbari simul vescentes cũ hostibus, pacem seruant firmam ac stabilem salis recordantes. Sed pater meus, inquit, propter stultitiam & timiditatem cessit tyrannide: ego autem vos arguo, quòd aduersus regnum diuinũ audetis arma mouere, quod Dominus donauit generi Dauidis. & confiditis in multitudine & aureis iuuencis, propter quas & eiectis Dei sacerdotibus, alios pro eis suffecistis, facientes similia gentibus. Nam & illi quosuis sacerdotes eligunt ijs qui Dij non sunt. Nos aũt in vero Deo confidimus, cuius & Sacerdotes & Leuitas honoramus, & ex lege diuina sacrificia offerimus: & ex eius constitutionibus aciẽ instruimus diuinis tubis bellũ significantes. Quamobrem vobis denuncio ne aciẽ dirigatis aduersus Dominũ Deum, qui est imperator nostri exercitus. Pœnitẽtia moueamini quòd insurgatis aduersus eũ qui vos fecit. His dictis, Iudã quidem circundederunt decem tribus. Ipsi verò iubilarunt, & diuinũ auxiliũ imploranti. Deus autem ad belli auxiliũ vocatus, hostium audaciam conuertit in timorẽ. & conuersi aufugerũt omnes. & cęsa sunt quinquaginta millia ex fugientibus. Dicit etiam fugę causam. Et inualuerunt filij Iuda, q̃ sperauerunt in Dominũ Deũ patrum suorum. Ceperũt etiam ciuitates illis subiectas. Hieroboam aũt ipse vniuersorũ Deus morti tradidit. Laudauit autẽ etiam Asa priorẽ pietatem. Fecit, enim inquit, Asa rectum coram Domino Deo suo. & amouit altaria aliena, hoc est, altaria idolorum. Deinde subiunxit, Et excelsa. Ego aũt existimo per ea tacitè significari, ea quæ præter leges Deo sunt dedicata in collibus. & contriuit statuas, & excidit lucos. His aũt quę deinceps sequuntur persequitur eius laudes. Cũ hac autem pietate aciem instruens fudit & fugauit Aethiopes, & persequens omnes cõsumpsit. Dicit autem eos fuisse ipsorũ finitimos. Multa, enim inquit, cepit spolia, & excidit eorum pagos. in circuitu Gerar, quoniã fuit pauor Domini super eos, & diripuerunt eorũ ciuitates, quoniam fuerũt eis multa spolia. exciderunt etiam tentoria & Amazoneim, & acceperunt multas oues, & camelos, & reuersi sunt Hierosolyma. Quòd autem Gerara sint Palestinæ, neminem puto contradicturum. Nam circa Eleutheropolim quæ vocatur, Geraron saton in præsentem vsque diem est nominatum. Est ergo verisimile illos colonia ab Aethiopibus deducta illã habitasse regionẽ: & quosdam etiam alios nominatos Amazonim, cum eis suscepisse expeditionem. Eos autem omnes occidit penitus. Post victoriam autem Azarias filius Oded Propheta, repletus spiritu sancto, occurrens exercitui, & diuini meminit auxilij, & hortatus est vt perseuerarent in pietate. Dicit enim. Quærite Dominum, & inuenietur à vobis. & si eũ dereliqueritis, derelinquet vos. Ostendit autem eis decem quoque tribuum impietatem. Multi, enim inquit, dies Israeli in non Deo vero,

2. Paralip. 14.

2. Paralip. 15.

& non ostendente Sacerdote, & non in lege.
,, Et sederunt in angustijs: & cõuertentur in af-
,, flictione ad Dominum Deum Israel: & quæ-
,, rẽt ipsum, & inuenietur ab eis. Nolite, inquit,
æmulari fratrum vestrorum impietatem. Illi
enim non verum Deum, sed eos qui falso no-
minãtur colunt: & priuati sunt Sacerdotibus
& Doctoribus qui docent Dei legem. Sed di-
scent experientia quantum malum sit impie-
tas. Nam cùm inciderint in omne genus ca-
lamitates, diuinum quærent auxilium, & id
assequentur propter bonitatem ineffabilem.
,, Prædicit etiam incursionem Assyriorum. In
,, illis, enim inquit, temporibus nõ est pax egre-
,, dienti, quoniam pauor Domini super omnes
,, habitantes terras. & bellabit gens aduersus
,, gentem: & ciuitas aduersus ciuitatem. quo-
,, niam conturbauit eos in omni afflictione.
,, Vos igitur estote fortes, & ne dissoluantur
,, lumbi vestri. quoniam est merces operi ve-
Legitur etiã χεῖρες, id est manus vestræ. stro. Rex his auditis, quæcunque erant reli-
qua ex templis idolorum diruit: & quascun-
que cepit ciuitates ex decem tribubus ex-
purgauit. Hæc quoque docuit historia, quòd
magna multitudo ex alijs tribubus, cùm
didicisset experientia pietatem duarum tri-
buum, & quam earum Deus gesit curam, sua-
sas quidem reliquerunt ciuitates, ad eorum
tem ciuitates confugerunt, & maluerunt es-
se inquilini in alienis, quàm in suis habitare.
Eos cum duabus tribubus congregans Asa,
peregit festum victoriæ, & plurimas hostias
Deo obtulit: & effecit vt omnes iurarent,
quòd à legitima vitæ institutione non rece-
dent, sed solum Deum colent qui eis dedit
salutem. Adeò ardenter autem diuinas leges
est amplexus, vt etiã matrem suam quę maluit
colere Astartẽ, regno priuauerit, & confractũ
idolum combusserit in torrente Cedron. Sed
non fuit perfectus in omnibus. Nam primum
quidẽ non omnia abstulit excelsa, hoc est al-
taria quę Deo vniuersorum erant dedicata in
locis excelsis. Prohibitus enim erat alibi Dei
2. Paral. 16. cultus quàm in loco circunscripto. Deinde
cùm Baasa aduersus eum fecisset expeditio-
nem, & munijsset Rama aduersus Hierosoly-
ma, & oporteret vocare in auxiliũ Deum qui
tot bona ei suppeditauerat, Regẽ Syrię voca-
uit in auxiliũ, magno auri numero ad eũ mis-
so ex thesauris regijs & diuinis. Sed eũ non si-
uit incuratum benignus & clemens Deus. sed
misso Propheta Anania arguit eius incredulí-
tatẽ, eo quòd fiduciã habuerit in rege Syriæ,
& non habuerit fiduciã in Domino Deo suo.
Aliàs legitur, Syriæ. Propterea saluus fuit exercitus Regis Israel.
Tua, inquit, credulitas illis procurauit salu-
tem. Nam si credidisses vt cõsueueras, fundi-
tus eos occidisses. Ei autem in memoriam re-
uocauit Aethiopes & Lybies, & equos, & cur-
rus, & eius fidem per quam omnes cõsumpsit.
,, Oculi enim Domini, inquit, aspiciunt super
,, omnem terram, ad eos roborandos in omni
,, corde pleno aduersus ipsum. Omnis, enim
inquit, qui verè & sincerè cor suum in eum ia-
ctat, consequetur salutem. Deinde apertius
dicit tristia & grauia quæ sunt futura. Nam ab
hoc, inquit, tempore erit tibi bellum. Hinc li-
cet discere quòd Amazoneim, est gens Lybi-
ca. Nam quos superius nominauit Amazo-
neim, hîc appellauit Lybies. Cùm autem o-
porteret Asa dolere & flere, & diuinam im-
plorare clementiam, non solum fuit iratus,
sed etiam in carcerem coniecit Prophetam.
Populus autem ex eius quoque peccato sen-
sit aliquid. Eum autem reprehendit, quòd
etiam cùm ægrotasset, non quæsiuit Domi-
num, sed medicos. Sed cùm huius rei expli-
cationem dixerim in libro tertio Regum,
pergam ad id quod restat interpretandũ. Lau- *2. Paralip. 17.*
dat Iosaphat historia, vt qui in initio æmula-
tus sit virtutem Dauidis. hoc enim dicit il-
lud, In primis. Narrat etiam præclara eius fa-
cta & laude digna. Dominum, enim inquit,
Dei sui patris quæsiuit, & in mandatis ambu-
lauit, & non secundum opera Israel. Ostendit
autem eius quoque fructum. Et direxit Do-
minus regnum in manu eius. & fuerunt ei di-
uitiæ & gloria multa. Illud autem, Et elatum
fuit cor eius, non posuit in vituperatione sed
in laude. Subiunxit enim, In vijs Domini. Et
abstulit lucos à terra Iuda. Pręposuit etiam v-
niuerso populo Doctores diuinæ legis & Sa-
cerdotes, & Leuitas & Principes. Accepit au-
tem à Domino Deo præmia pietatis. Fuit, e-
nim inquit, terror terræ Iudæ circuncirca su-
per omnia regna: & bellum non gesserunt
cum Iosaphat. Tantum autem timorem in-
cussit omnibus, vt etiam alienigenæ Ara-
bes ei tributum afferrent. Hanc habens re-
rum copiam, & vrbes ædificauit, & domos
construxit: & vicos non munitos munijt.
ἐκουσιαζόμενον autem, id est voluntariè offe-
rentem, non eũ qui offert pro peccatis, sed qui
dona affert ad Deum. Eum autem reprehen-
dit quòd matrimonialem affinitatem cõtra-
xerit cum Achab. Goliam enim filiam Achab *2. Paral. 18.*
despondit filio suo. Posuit etiam de Michea
narrationem & de falso Propheta, quã inter-
pretati sumus in libris Regum. Quod autem
ab illo scriptore prætermissum, hic autem est
positum, necesse dicere existimo. Reuer- *2. Paral. 19.*
tenti enim Iosaphat ab illo conflictu occur-
rit Iehu Propheta filius Ananiæ dicens, Rex
Iosaphat. Si peccatori tu fers auxilium, aut
,, cum eo inis amicitiam qui odio habetur à
,, Domino. propterea in te facta est ira Do-
,, mini, nisi quòd in te inuenta sunt bona ver-
,, ba, quia abstulisti lucos à terra Iuda, & dire-
,, xisti cor tuum ad quærendum Dominum.
Hinc discimus quòd minuunt peccatorum
pœnas quæ prius fuerunt rectè facta. Iustus
enim iudex & hæc & illa ex aduerso meti-
ens sic fert sententiam. Hoc etiam fecit in
isto. Ei quidem succensebat propter co-
gnationem: propter aliam autem virtutem,
eum liberauit ab irruentibus & circum e-
untibus hostibus. Oportet ergo nos, cùm
hæc didicerimus, fugere amicitiam & co-
gnationem eorum qui Deo sunt inuisi.
Scriptor autem relicta vituperatione ascen-
dit

dit ad laudis catalogum, & docet lectores, quòd cùm Rex accepisset reprehensionem, studuit pijs laboribus delere maculam
,, cognationis. Rursus, enim inquit, egressus est
,, Iosaphat ad populum, à Bersabee vsque ad
,, montem Ephraim: & conuertit eos ad Do-
,, minum Deum suum. Neque solum curam
gesit pietatis, sed etiam alterius iustitiæ. Con-
,, stituit, enim inquit, Iudices in omnibus ciui-
tatibus Iudæ munitis. Admiranda sunt au-
tem etiam eius verba quæ dixit Iudicibus.
,, Videte, enim inquit, quid vos facitis: quoni-
,, am non homini vos iudicatis, sed Domino. &
,, vobiscum verba iudicij. Et nunc sit timor
,, Domini super vos. Et custodite & facite: quo-
,, niam non est cum Domino Deo vestro iniu-
,, stitia, neque admirari personam, neque acci-
,, pere dona. Ostendit eis inspectorem vni-
uersorum: & eius indidit timorem. ne donis,
neque amicitia ius vendant. Similiter etiam
mandauit Iudicibus Hierusalem, vt non so-
lum iudicarent ciuibus, sed etiam eorum qui
aliunde venirent componerent controuersi-
,, am, & eis ea suaderent quæ decet. Distingue-
,, tis, enim inquit, eis, & non peccabunt Domi-
,, no. & non erit ira super nos & super fratres
,, vestros. Sic facietis, & non peccabitis. Præfe-
cit autẽ eis Amariam sacerdotem, vt si ignoro
rarent iudicantes quomodo ferant sententi-
,, am, à Deo per illum discerent. Ecce, enim in-
,, quit, Amarias est Dux super vos ad omne ver-
,, bum Dei. & Zabadias filius Ismael Dux do-
,, mui Iuda, ad omnem sermonẽ Regis, & scri-
,, bæ & Leuitæ coram vobis. Si quid ergo vultis
Deum rogare, hoc fiat per sacerdotem. Sin au
tem Regem, per Principem. Sin autem ea quę
videntur legi vultis discere, à Leuitis qui le-
gem docent discite. Doctores enim appella-
,, uit scribas. Deinde subiunxit, Estote fortes,
,, & facite. & erit Dominus cum bono, qui bo-
2. Par. 20. num habet scopum, & ad eum dirigitur. Por-
rò autem cùm plurimi hostes aduersus eum
suscepissent expeditionem, neque in multitu-
dine subiectorum, neque in armis confidit.
,, Sed dedit, inquit, personam suam ad quę ren-
,, dum Dominum: & prædicauit ieiunium in
,, omni Iuda. Deinde omnibus collectis & De-
um placantibus, pro omnibus preces obtulit,
ipsum quidem nominans Dominum & Deum
patrum suorum, factorem cœli & terræ, &
Dominum omnium gentium. Deinde eis in
,, memoriam reuocat beneficia & miracula. Tu,
,, enim inquit, Domine Deus noster, qui fundi-
,, tus exterminasti eos qui habitabant hanc
,, terram à facie populi tui Israel: & eam dedi-
,, sti semini Abrahæ amici tui. In memoriam
autem reuocauit parentem, vt propter illi
factam promissionem assequeretur auxilium.
Dixit autem & quemadmodum templum
fuit ędificatum, & quomodo Solomon orans
petijt, vt si incursione facta ab hostibus popu-
lus ingrederetur templum, & eius inuocaret
Deum, supernum adipisceretur auxilium.
Nosti, inquit, quòd patres nostri peruadentes
desertum, & venientes in hanc terram, neque
Idumæis, neque Ammanitis, neque Moabitis
accedentes attulerunt interitum, secundum
tua mandata. Sed isti quidem nunc congre-
gati conantur nos expellere à te nobis data
hæreditate. Deinde interrogatiuè, Non iudi-
cabis in eis? Confitetur autem etiam suam
imbecillitatem. Non sunt nobis, inquit, vires
ad resistendum huic tam magnæ multitudi-
ni quæ aduersus nos venit. Neque scimus,
quid nos faciemus: quoniam super te sunt
oculi nostri. Hæc cùm dicerentur, tota stabat
multitudo cum clamore Deo supplicans.
Mulieres autem cum eiulatu etiam ploratum
offerebant. Deus autem misericors, vsus ad-
ministro Iozoel Leuita, soluit metum bono-
rum promissione. Fuit enim, inquit, super e-
um spiritus Domini in concione, & dixit. Au-
dite omnis Iuda & qui habitatis in Hieruſa-
lem, & Rex Iosaphat. Diuisio honoris. seor-
sum enim meminit Regis, & seorsum eorum
qui habitant Hierusalem. Multi autem etiam
ex alijs tribubus habitabant illam ciuitatem.
Hæc vobis dicit Dominus, Ne timeatis vos
neque terreamini à persona multæ huius tur-
bæ, propterea quòd non est nobis acies in-
structa præterquam Deo. Deinde iubet eos
stare in quodam cacumine, & esse spectatores
aciei. Non vos, enim inquit, bellabitis. In eo
state, & intelligite, & videte salutem Domini
vobiscum. Iuda & Hierusalem ne timeatis,
neque formidetis cras exire in occursum. &
Dominus vobiscum. Dedit hoc pignus con-
fidentiæ. eiecit humanum metum. His dictis
ab Iozoele orarunt omnes. Leuitæ autem vsi
sunt hymnodijs. Exeuntibus autem postridie
Rex animum addidit, dicens, Audite me fili
Iuda. & qui habitatis Hierusalem credite Do-
mino Deo nostro. & credite Prophetis eius, &
res rectè succedet. Deinde exercitum iussit
præcedere non pugnæ principes arma por-
tantes, sed Leuitas hymnos canentes. Qui
autem dissipat consilia gentium, & popülo-
rum irritas facit cogitationes, & principum
abrogat consilia, & auertit principes retror-
sum, & eorum infatuat consilium, hostes inter
se inuicem concitauit. Et primi quidem Am-
manitæ & Moabitæ cõsumpserunt Idumæ-
os. Deinde inter se congredientes se inuicem
similiter confecerunt. Rex autem cum sub-
iectis aspiciebat stragem hostium. postquam
autem omnes ceciderunt, & nemo effugit, vt
quod acciderat suis renuntiaret, securè mor-
tuos spoliarunt, & omnem prædam abduxe-
runt. Cùm tribus autem diebus hoc fecissent,
quarto die hymnis celebrauerunt datorem
victoriæ. Accepit autem etiam campus ille
cognomen benedictionis. fuit enim appellata
vallis benedictionis. Admirabilis autem &
quæ præter opinionem parta fuerat victoria,
terruit omnes finitimos regni. Sed hoc etiam
maximo miraculo facto quid dicit? Populus
non direxit cor suum ad Dominum Deum
patrum suorum. Meminit autem rursus histo-
riæ Iehu Anani filij scriptæ historiæ. Sic au-
tem dixit. Et reliqua verba Iosaphat prima &
ultima

» vltima, an non, inquit, scripta sunt in verbis
» Iehu filij Anani, quæ descripserunt in libris
verborum Regum Israel. Reprehendit autem
rursus Iosaphat, quòd cum Ochozia filio A-
chab inierit societatem, & subiunxit. Et ipse
deliquit quòd fecerit naues quæ irent in
Tharsis: & fecerit naues in Gesion Gaber.
Iam autem dixi quòd hæc ciuitas sita sit in
sinu Indico, Aethiopes habens habitatores.
Vocant autem eam Græca voce Beronicen.
Animarum autem medicus, Eliezer filium
Dodiæ Prophetam misit ad Iosaphat, qui e-
um reprehendit de amicitia & societate cum
» Ochozia. Quoniam, inquit, amicitiam & soci-
» etatem inijsti cum Ochozia, discidit Domi-
» nus facta tua, & contritæ sunt naues tuæ, &
» non potuerunt proficisci Tharsis. Quanta au-
tem mala conciliauerit illa cognatio, docent
2. Paral. 21. quæ deinceps sequuntur in historia. Ioram,
enim inquit, filius Iosaphat, æmulatus est im-
pietatem Achab sui soceri. Is & fratres suos
omnes occidit, & per omne vitium ac scelus
» est ingressus. Ambulauit, enim inquit, in via
» Regum Israel, sicut fecit domus Achab, quo-
» niam filia Achab erat ei vxor. & fecit malum
» coram Domino. & noluit Dominus penitus
perdere domum Dauid, propter testamen-
tum quod dispoſuerat cum Dauide: quomo-
do dixit se ei dare lucernam omnibus die-
bus. Hinc discimus quantum prosit pietas
maiorum. Malos enim tolerat benignus & cle-
mens, recordans virtutis defunctorum. Col-
legit etiam fructus impietatis. excusit enim
Idumæa iugum seruitutis. Excussit etiam Lo-
bna quæ est ciuitas Iudææ. Dominus autem
per Eliam Prophetam aduersus eum tulit
sententiam. Sed non accessit ipse Propheta,
verùm per literas significauit diuinam sen-
tentiam. Venit, enim inquit, homo Dei scili-
cet, in scriptura per Eliam Prophetã, dicens.
» Hęc dicit Dominꝰ Deus patris tui. Propterea
» quòd non ambulasti in via Iosaphat patris tui,
» & in vijs Regum Iuda. & fornicari fecisti Iu-
» dam & eos qui habitant in Hierusalem, quo-
» modo fornicata est domus Achab: & fratres
» tuos filios patris tui bonos etiam interfeci-
» sti. Propterea ecce Dominus percutit plagam
» magnam in populo tuo, & in filijs tuis, & in
» vxoribus tuis, & in omni tua supellectile. &
» tu eris in infirmitate ventris tui: donec exie-
» rint intestina tua propter infirmitatem à die-
» bus in dies. Hinc discimus quòd Asa & Iosa-
phat non erant omnino probati: sed etsi in
aliquibus deliquerunt, in pluribus Deum co-
luerunt. Nam & isti crimini datum est quòd
iter illorum reliquerit. Finem autem accepit
prædictio. Non solum enim alienigenæ mili-
tarunt aduersus Ioram, sed etiam Arabes, &
accolæ Aethiopum & irruentes vi vicerunt,
& ciuitatem ceperunt, & multitudinem ab-
duxerunt in captiuitatem: & filios eius & fi-
lias occiderunt, & opes regias vsurparunt. So-
lus autem effugit Ochozias filiorum natu mi-
nimus. Porrò autem ei quoque, sicut præ-
dictum fuerat, incubuit morbus ventris. &
neque post mortem regiam assecutus est se-
pulturam. Non fecit, enim inquit, ei po-
» pulus elationem & combustionem, secun-
» dum combustionem patrum eius. & sepeli-
» erunt eum non in sepulchris Regum. Re-
uera horrendum est incidere in manus Dei
viuentis. Quomodo enim est misericordia
ineffabilis, ita etiam pœna intolerabilis. Ex
hac historia discimus, quòd Amazoneim
sunt accolæ Aethiopum. Superius enim
hostes qui inuaserunt Ioram scriptor docu-
it esse finitimos Aethiopum. Hic autem 2. Paral. 22.
cùm dixisset, quòd Ochoziam filium e-
ius minimum pro eo Regem constitue-
runt, subiunxit quòd omnes natu maio-
res occidit in eos irruens turba prædonum
à Barbaris & ab Amazoneim, in castris.
Iste quoque æmulatus fuit impietatem pa-
tris. Habuit enim magistram scelerati ſsi-
mam matrem. Eum interfecit Iehu cum
Ioram Rege Israel. assecutus est autem se-
pulturam propter aui pietatem. Eum enim
» sepelijt Iehu, Quoniam, inquiebat, est fili-
» us Iosaphat, qui quæsiuit Dominum in to-
» to corde suo. Deinde exponit de Ioas ea
quæ in quarto libro Regum interpretati su-
mus. Dicemus autem quæcunque non in-
uenimus sita in illo libro. Nam qui scripsit 2. Paral. 23.
Paralipomena, docuit quòd ab admirabi-
li Pontifice in zelum adductus populus di-
ruit statuam Baalis, & eam contriuit, & à
fundamentis deiecit altaria, & Dæmonum
comminuit simulachra. Mathan autem Baa- 2. Paral. 24.
lis sacerdotem occidit. Sacerdotum verò
vices corroborauit ac confirmauit, & Le-
uitarum ordinem, & alia, vt semel dicam,
quæ Rex Dauid constituit ad cultum Dei.
Iis autem quæ à Pontifice gerebantur opem
tulit, ab ipso illuminatus. Fecit, enim inquit,
Ioas rectum coram Domino omnibus diebus
Iodae sacerdotis. Exhibuit etiam ædificio
templi quod debuit officium. Tempore enim
præterito neglectui erat habitum, quòd ini-
qua, inquit, Gotholia, & filij eius domum Dei
conuulserant, & omnia sancta Domini fece-
rant Baalim. Horum autem omnium, admi-
ratione dignus Pontifex præcipuus fuit au-
tor, qui propter pietatem & multam virtutem,
vixit quidem cẽtum & triginta annos. Theca
autem dignatus est regia. Sepelierunt, inquit,
» eum in ciuitate Dauid cum Regibus, quòd
» fecerit bonitatem in Israele, & cum Deo, &
» cum domo eius. Cùm ille autem decessisset,
» Ioas declinauit ad impietatem inductus à
Principibus. Sed non eius curam abiecit ani-
marum medicus. Misit, enim inquit, Dominus
» ad ipsos, Prophetas ad conuertendum ipsos
» ad Dominum. & testificatus est eis, & non
» audierunt. Meminit autem vnius solius Pro-
phetæ. Spiritus enim Domini, inquit, induit
» Zachariam filium Ioadę sacerdotis, & surre-
» xit supra populum & dixit eis. Hęc dicit Do-
» minus, Cur vos transgredimini mandata Do-
» mini, & non recta via incessistis. quoniam de-
» reliquistis Dominum, & derelinquet vos?
Neque

Neque solũ verbis diuinis restiterunt & con-
tradixerunt, sed etiam eum lapidibus ob-
ruerunt in atrio templi. Tanto iste laborauit in-
grati animi crimine, & in Deum qui salutem
ei dederat, & in eum qui salutis fuerat admi-
» nister. hoc enim docet historia. Et non memi-
» nit, inquit, Rex Ioas misericordiæ quam fe-
» cit Iodae pater eius cum ipso: & morte affe-
» cit filium eius cum ipso. Cùm autem morere-
» tur, dixit. Videat Dominus & iudicet. Neque
à sua excidit petitione. Nam cùm præterijsset
annus, in eos quidem impetum fecit modi-
cus Syrorum exercitus, traditi sunt autem à
Domino qui ab eis fuerat contemptus: & a-
lios quidem interemerunt: alijs verò in cap-
tiuitatem redactis abierunt. Iste autem cùm
incidisset in infirmitatem, occisus fuit à sub-
iectis. Hanc enim aduersus ipsum sententiam
» tulit Dominus, vt dixit historiographus. Et
» cum ipso Ioas fecit iudicia, & inuaserunt Io-
» am serui sui in sanguinibus filiorum Iodae sa-
» cerdotis, & eum morte affecerunt in sepul-
chro Regum. Vera ergo est oratio illa quę di-
Gen. 9. cta fuit Noe. Qui effundit sanguinem homi-
» nis, ꝓ sanguine sanguis eius effundetur. quo-
» niam in imagine Dei fecit hominem. Atque
2. Par. 25. Ioam quidem interfecerunt non diuino zelo
accensi, sed sæuo & sanguinolento animo in-
citati. Pro eo eo autem regnauit eius filius
Amasias. Is cùm vellet facere expeditionem
aduersus Idumæos, conduxit centum millia
Israelitarum totidem, nempe centum talen-
tis. Sed Propheta ad eum à Deo missus hæc
» dixit. Ne proficiscatur tecum exercitus Isra-
» elis, quoniam non est Dominus cum Israele, ex
» omnibus filijs Ephraim: Quoniam si exisi-
» mes re esse fortem in bello, te fundet ac pro-
» fligabit Dominus ex aduerso hostium tuo-
» rum: quoniam virtus est Domino vt opem
» ferat & fundat ac vertat. Sufficio tibi ad auxi-
lium. Non opus habes multitudine in acie.
Ne assumas in auxilium eos qui sunt audati
» pietate. Cùm is autem dixisset. Et quid faci-
» am centum talentis quę dedi exercitui Israel,
» respondens Propheta dixit. Est in potestate
» Domini vt det his plura. Credens autem ijs
quæ dicta sunt abijt, & occidit decem millia.
totidem autem viuos cepit. Sed diuinum as-
secutus auxilium non cognouit benefacto-
rem. Deos enim eorum qui fuerant superati,
quos asportauit cum spolijs, tanquam victo-
riæ datores honorauit & sacrificijs est prose-
cutus. Sed eius impietatem Deus arguit per
» Prophetam. Cur quæsiuisti Deos populi, qui
» non eripuerunt populum suum è manu tua.
Longo, inquit, tempore eos coluerunt Idu-
mæi: sed suus cultus eis nihil profuit. nullum
enim auxilium ab eis sunt assecuti. Tu autem
mea ope fretus non solum illos occidisti, sed
eos etiam abduxisti in captiuitatem. Nihil ho-
rum profuit insipienti. Dixit enim Prophetæ,
» Num dedi te cõsiliarium Regis? attende tibi
» ipsi ne te percutiam. Propheta autem dixit li-
» berè. Consilium cepit Dominus tui perden-
» di, quoniam fecisti hoc, & non audijsti consi-
lium meum. Ita diuino nudatus auxilio ad
bellum quidem prouocat Regem Israelita-
rum: Passus est autem ea quę diximus in libris
Regum. Patris autem fini similem accepit fi-
nem. Oziam autem laudat diuina scriptura.
Erat enim, inquit, exquirens Dominum in ti- 2. Paral. 26.
more Domini in diebus Zachariæ intelligen-
tis in visione Dei. Dicit etiam fructus pietatis.
Et in diebus eius in quibus quæsiuit Domi-
num etiam direxit eum Dominus Deus. Hinc
discimus quòd multi fuerunt Zachariæ. Et-
enim filius Iodae, quem Ioas obruit lapidibus
nominatus fuit Zacharias. Et iste qui fuit
tempore Oziæ appellatus fuit Zacharias. Exi-
stimo autem eum esse de quo dixit Deus E- Esa. 8.
saiæ. Adhibe mihi testes fideles homines, V-
» riam sacerdotem, & Zachariam filium Bara-
» chiæ. Esaias enim prophetauit illo tempore.
Visio enim, inquit, Esaiæ filij Amos in diebus
» Ozię, & Ioatham, & Achaz & Iezechiæ, qui fu-
» erunt Reges Iudææ. Dicit autem ipsum quo-
» que in bellis fortẽ, & in ędificijs magnificum,
& in agris colendis gnauum ac diligentem.
Petræ autem ciuitatis habitatores nominat
Arabes. Sed non audiuit parentem suum Da- Psal. 43.
uidem dicentem, In finem ne perdas. Super-
bo enim & arroganti ductus spiritu, ausus est
fungi munere sacerdotali. Postquam autem »
validus & potens, inquit, fuit Ozias, elatum »
est cor eius vt eum perderet, & iniustè se gessit »
in Domino Deo suo: & ingressus est in tem- »
plum Domini ad adolendum, & ad altare »
thymiamatum. Sed intus in templo non ces-
sit tanquam Regi Pontifex, sed eum liberè ar-
guit. Ingressus est enim, inquit, pone ipsum »
Pontifex, & cum ipso omnes sacerdotes filij »
virtutis, & steterunt circa Regem Oziam & »
dixerunt ei, Nõ est tuum ò Ozia adolere Do- »
mino, sed sacerdotibus filijs Aaron sanctifi- »
catis. Recede à sanctuario, quoniam defecisti »
à Domino, & non erit tibi in gloriam à Do- »
mino Deo. Definita sunt, inquit, à Deo quæ
Regibus conueniũt, & quæ sacerdotibus con-
gruunt. Singulare munus habent sacerdotes:
quid conculcas legem à Deo datam? Cur
transgrederis terminos? Rapiens ea quæ non
conueniunt, tua etiam perdes. Sed non solum
non cessit, sed etiam verba ægrè tulit inso-
lescens. Sed pro gloria collegit ignominiam.
Exorta est, enim inquit, lepra in fronte eius, in »
domo Domini super altare thymniamatum. »
Protinus autem sacerdotes iram à Deo im-
missam conspicati, etiam inuitum è templo
expulerunt. & eadem ei acciderunt quæ pri-
mo parenti Adamo. Ille enim cùm desidera-
sset fieri Deus, esse quoque Dei imaginem
perdidit. Intus enim sedit in thalamo, lepra
quæ erat in fronte, arcente ne in multitudine
versaretur & liberè loqueretur. Ferebat enim
in fronte argumentum iniquitatis. Ioatham 2. Par. 27.
autem eius filius regnum perpetuò admini-
strabat. Nam & ipse patre mortuo accepit sce-
ptra. Is autem se quoq; fortiter gessit in bel-
lis, & coegit Ammanitas pendere tributum.
Dicit autem scriptor causam quòd parauerit
vias

2. Paral. 28. vias suas coram Domino Deo suo. Achaz autem eius filius in inuentis impietatis præse obscurauit omnes sui similes. Hoc aũt liber quoque Regum docuit. Ipsa autem ante hæc historia docuit & quam sustinuit calamitatem. Nam primum quidem traditi fuerunt Syris. Deinde Phacee Rex decem tribuum in vno conflictu occidit eorum duodecim millia. Occidit etiam filios Regis & duces exercitus. viginti autem millia duxit in captiuitatem. Oded autem Propheta occurrens victoribus, eis minatus est iram Dei, quoniam præter Dei legem duxerunt in seruitutem eos
» quos in bello ceperant. Ecce, enim inquit,
» ira Dei patrum nostrorum super Iudam : &
» tradidit eos in manus vestras, & occidistis e-
» os in ira, & peruenit vsque ad cœlos. Et nunc
» dicitis vos posside re filios Iuda & Hierusa-
» lem in seruos & ancillas. Ecce non sum vo-
» biscum. Attestatur Dominus Deus noster peccatis vestris Domino Deo nostro, quòd ira animi Domini nostri est super vos. Volebat, enim inquit, Dominus Deus vos pœnas sumere de impietate. Ea fuit causa vt & illi vincerentur & vos victoria potiremini. Vos autem parta victoria obliti estis nobilitatis: neque natura vobis venit in mentem : sed vsi estis tanquam barbaris & alienigenis. neque vobis suffecerunt cædes innumerabiles: sed & seruire cogitis eos qui sunt eiusdem generis. Testificor ergo quòd grauiora patiemini. Cesserunt Principes Prophetæ, & populum sunt adhortati, & captiuorum curam gesserunt. Nudos enim induerunt, eosque vnxerunt, & alimenta eis porrexerunt: & imbecillioribus iumenta præbuerunt, & deduxerunt vsque ad ciuitatem Hiericho. Notandum est autem quòd Hiericho appellauit ciuitatem palmarum. Eos, enim inquit, consti-
» tuerunt in Hiericho ciuitate palmarum. Do-
» cuit autem hoc quoque historia, quòd cùm permansissent in impietate, traditi sunt alienigenis, & hostes habitarunt in eorum ciui-
» tatibus. Humiliauit, enim inquit, Dominus
» Iudam, propter Achaz Regem Iuda, propter-
» ea quòd reuelauit in Iuda, & defecit defecti-
» one à Domino. Illud autem, Reuelauit, pro eo quod est, Docuit eum ea quæ non oportet. externos enim introduxit mores, & effecit vt colerent Deos aliarum gentium. Assyrio autem vocato in auxilium, à suo excidit instituto. hoc enim dixit. Et adiecit Achaz deficere
» à Domino. Et dixit Rex Achaz. Quæram De-
» os Damasci, qui me verberant : & dixit quòd
» Dij Damasci sunt eo fortiores. Idcirco eis sa-
» crificabo & defendent me. & ipsi fuerunt ei in offendiculum. Non solum enim ei opem non tulerunt, sed etiam eis conciliarunt omne genus calamitates. Ad summum autem nefas prouectus vasa etiam sacra conscidit, & templi Dei portas clausit. Et fecit sibi altaria in omni angulo in Hierusalem. Et quæ deinceps sequuntur eandem habent reprehensionem. Eum autem mortuum non sunt dignati piorum Regum sepultura. Ezechias autem eius filius summam exercuit virtutem. 2. Paral. 29.
Fecit, enim inquit, Ezechias rectum cum Do-
» mino, secundum omnia quæ fecit Dauid pa-
» ter eius. & primum aperuit portas domus
» Domini, & eas instaurauit. Sacerdotes autem
» & Leuitas sanctificatos iussit mundare tem-
» plum Dei. Ille autem statim, inquit, eiecit om-
» nem immunditiam inuentam in domo Do-
» mini. Et eam acceperunt Leuitæ ferendam
» extrà in torrentem Cedron. Deinde his fa-
» ctis legitima obtulit sacrificia, non solum pro duabus tribubus, sed pro duodecim. Propi-
» tiauit, inquit enim, Deum pro toto Israele,
» quoniam Rex dixit offerri pro vniuerso Is-
» raele holocausta & sacrificia pro peccato. Et
» statuit Leuitas in domo Domini laudantes
» in cymbalis & citharis & nablis, secundum
» mandatum Dauidis Regis, & Gad vidontis
» Regi, & Nathan Prophetæ: quoniam man-
» datum Domini præceptum erat in manu
» Prophetarum eius. Hoc arguit Iudæorum
» stultitiam qui non sustinent vocare Dauid prophetam. Hic scriptura trium faciens mentionem, subiunxit quòd per mandatum Domini præceptum in manu Prophetarum eius. Paulò pòst autem innuit oratio quòd etiam Asaph fuit factor hymnorum. Dixit enim, inquit, Rex Ezechias & Principes Leuitis, vt hymnis celebrent Dominum, in verbis Dauidis & Asaph Prophetæ. Docet auté nos rursus historia, quòd sacerdotibus non sufficientibus ad excoriandum holocaustum, eos adiuuabãt fratres eorum Leuitæ, donec perfectum esset opus, & donec sanctificati essent sacerdotes, quoniam Leuitæ prompto & alacri animo sunt sanctificati circa sacerdotes. Hoc autem nunc quoque licet inuenire fieri. Nam cùm non adest Preshyter, & vrget vsus, necesse habet etiam Diaconus ei qui opus habet exhibere baptismum. Rex autem etiam 2. Par. 30.
eos qui habitabant in ciuitatibus decem tribuum, conuocauit ad festum. Et aliqui quidem irridebant eos qui conuocabant, aliqui verò ibant obedientes. Plurima autem congregata multitudine, celebratum est festum paschatis. Rursus autem sacerdotibus non sufficientibus Leuitæ sacrificabant hostias multitudini, & sacerdotibus offerebant sanquinem. Illi autem effundebant in basi altaris. Repente autem vocati, priusquam essent expiati, hostiarum fuerunt participes. Hoc etiam docet historia, quòd maxima pars populi ab Ephraim & Manasse & Isachar & Zabulon non fuerunt sanctificati. sed comederunt hoc phase præter diuinam scripturam. Veniam autem sunt assecuti propter pietatem Regis. Adiecerunt autem etiam hostias cùm eas præbuissent Principes. Dixit autem eiusmodi festum non fuisse factum à diebus Solomonis. Hinc incitati & templa Dæmonum diruerunt, & lucos exciderunt, & cum ijs etiam altaria quæ in lucis excelsis Deo erant dedicata funditus euulserunt. Curam quoque gesit ordinis sacerdotalis, & eum confirmauit ac roborauit qui factus fuerat à suo

suo parente. & effecit vt populus daret sacerdotibus primitias secundum legem. Deinde subiunxit scriptor, quòd post hæc verba & hanc veritatem, venit Senacherib Rex Assyriorum. Significat autem oratio, quòd etiam viros pios probans Deus, permittit vt incidant in calamitates. Rex autem in Deo habens fiduciam, & quę poterat ex se conferens, primum obstruxit fontes ante ciuitatem, ne assidens obsideret ciuitatem habens aquæ copiam. Deinde murorum septa munijt, & turres in altum excitauit, & etiam alterum ædificauit propugnaculum. Sed neque his armis confidit, verùm dixit ad multitudinem,
» Estote strenui & fortes : ne timeatis neque
» terreamini à facie Regis Assyriorum, & à fa-
» cie vniuersæ gentis quæ est cum eo. Cum eo
» sunt brachia carnea. Nobiscum est Dominus Deus noster, vt seruet nos, & nostrum bellum gerat. Per hæc autem nos etiam docuit Dei auxilium esse inexpugnabile, & humanam naturam esse caducam & momentaneã, & interitui obnoxiam. Cętera autem continet etiam quartus liber. Eum autem reprehendit historia, quòd etiam tantam assecutus victoriam, & ab infirmitate liberatus admirabiliter & præter opinionem, non secundum retributionem quam dedit ei Dominus, retribuit ei Ezechias. Sed elatum fuit cor eius, & super ipsum facta ira, & super Iudam & Hierusalem. Et humiliatus est Ezechias ipse & qui habitabant Hierusalem. Et non venit super ipsos ira Domini in diebus Ezechiæ. Verum est ergo quod dicitur, Qui seipsum exaltat, humiliabitur. & qui seipsum humiliat, exaltabitur. Luc. 14. & 18.

FINIS TOMI PRIMI BEATI THEODORETI OPERVM.

Τῷ Θεῷ δόξα.

COLONIAE AGRIPPINAE
APVD IOANNEM BIRCK-
MANNVM.

OTTAWA ONTARIO CANADA